CAROLI SEBASTIANI BERARDI

PRESBYTER UNELIENSIS

DE REBUS AD CANONUM SCIENTIAM PERTINENTIBUS

COMMENTARIA

IN JUS ECCLESIASTICUM UNIVERSUM

CAROLI SEBASTIANI BERARDI

PRESBYTER UNELIENSIS

DE REBUS AD CANONUM SCIENTIAM PERTINENTIBUS

COMMENTARIA

IN JUS ECCLESIASTICUM UNIVERSUM

VOLUMEN PRIMUM

MEDIOLANI MDCCCXLVI
SUMPTIBUS LAURENTII ROSSI
TIPOGRAPHI ET BIBLIOPOLÆ LAURETANI
BORRONI ET SCOTTI EXCUDEBANT

IN UNIVERSUM OPUS

PRÆFATIO

Cum aliquando respicerem ad antiquissimam, qualis erat ab ipsa origine sui, sacræ prudentiæ disciplinam, statim invidendum putavi priscorum hominum felicitati, dum olim populo Deo fideli vix in familias, non in civitates ditionesve tributo, et morum, et indolis similitudine, ipsius etiam linguæ societate conjunctissimo, nemine aut historicorum per varia sæcula, perque diversas ut plurimum vias vagantium, aut legumlatorum, sive interpretum sententia, et opinione difformium lectione defatigando, singula certis rationibus vel ipsa sola et quidem simplici natura duce, aut definirentur illico, aut siquam dubitationem adferrent, levissimo plane negotio dirimerentur; hodie autem ad doctrinam illam adsequendam vix ulla hominum provectissimorum ætas sufficiat, qua fastidiosissimo linguarum, nec tamen omnium celebriorum cultu, ab ipsamet infantia suscepto nusquam conficiendo curriculo, qua in variis provinciarum nationumve consuetudinibus observandis, qua in adiscendis legumlatorum libris numero plurimis, sententia obscuris, collatione dissimilibus, utinam nunquam contrariis, qua in pervolvendis collectorum codicibus, historicorum monumentis, interpretum commentariis, in quibus cum maiora deberent inveniri subsidia, gravissima potius errandi pericula præsertim tyronibus procreantur. Pandatur, amabo, iuris canonici bibliotheca. Proh immanem librorum molem, ac numerum evolvendum! Quæ assidue in scholis et foro tractantur Gregorii IX, sequentiumque max. pontificum decretales, iuncto Gratiani decreto; acta Concilii Trid. in quibus diutissime versandum est, vix inter tot tantosque codices dixeris comparere. En in primis ingentem synodorum congeriem a vetustissimis ad hæc usque sæcula apud Merlinum, Crabbeum, Surium, Binium, Labbeum, Cossartium, Baluzium, Harduinum, Sirmondum, quam spicilegiis, anecdotis, supplementis, miscellaneis, vel novis in dies locupletioribus factis editionibus, Dacherius, Holstenius, Pezius, iterum Baluzius, Mansius, Martene, Durand, Lunigius, Mabillonius, Cotelerius aliique, ut ceteros omittam numero plurimos illorum studia æmulatos, de quarundam provinciarum fastis singulari diligentia solliciti, conciliis hispanicis de Aguirre, britannicis et hibernicis Spelmannus et Wilkins, hungaricis Peterfei, italis Muratorius, mirum in modum auxerunt. In medium etiam proferuntur romanorum antistitum Bullaria novis in dies constitutionibus locupletata, sacrarum congregationum definitiones innumeræ: adde insuper decreta synodorum frequentissimarum in singulis diœcesibus edita, quorum non omnia dixerim, sed celebriora, aut quæ ad uniuscuiusque provinciam spectant, ignorare accuratus canonum cultor sine dedecore mi-

nime posset. His adhærent Sanctorum Patrum propemodum infinita volumina, præsertim illorum, quorum doctrina illustris pari morum integritate coniuncta illud meruit, ut eorundem sententiæ, quasi leges ecclesiasticæ ab omnibus haberentur. Suum heic sibi vindicant locum pænitentiales diversarum Ecclesiarum libri, ut plurimum incerto auctore vulgati, nisi forte excipiantur romanus apud Halitgarium, aut apud Antonium Augustinum, iive, qui nomen Theodori Cantuariensis, Rhabani, Bedæ, et Burchardi præseferunt. Congeruntur præterea romani ordines, micrologi, pontificalia, manualia, monasteriorum collegiorumve regulæ, vel statuta, liturgiæ latinæ græcis, veteres recentioribus intermixtæ. Nec frustra sedem occupant Francorum principum capitularia, Longobardorum, Ripuariorum, Salicorum, Bajuvariorum leges, quæ vulgo velut ditissima juris ecclesiastici scrinia habentur, nec non Justiniani, aut Theodosii utriusque constitutiones, in quibus saluberrima multa utiliaque Ecclesiarum gratia continentur. Hæc sane omnia, quæ sola amplissimos bibliothecæ pulteos implent, quoties una congesseris; hæc omnia, quæ ab homine addictissimo a teneris unguiculis ad ipsam usque ingravescentem ætatem transigi legendo vix possent, ubi absolveris, quid tum te confecisse intelligeres? Vix informem quandam ecclesiasticarum legum collectionem hinc illinc derivatam attigisti, nec in pontificio jure magis profecisse videris, quam profecerit in jure civili Romanorum, qui justinianeas pandectas, et codicem perlegisset.

Non tamen in una codicum versandorum multitudine difficultas ecclesiasticæ prudentiæ consistit. Similis fere agnoscenda est in maxima disciplinæ varietate, quæ non solum latina a græca, sed ipsas etiam singulas a singulis occidentales Ecclesias arctissimis ceteroquin vinculis colligatas, veluti propriis uniuscuiusque insignibus, notis, ac characteribus ornate distinguit. Qua in re obeunda si non attente, et solerter insudes, sed forte una te, vel altera moretur provincia sacra, facile eveniet, ut doctor quidem in una, vel altera diœcesi saluteris, alibi vero tacere, atque adsidere tyronibus jubearis. Ut enim legum quarumcumque doctrinam non scientiam, sed prudentiam juris vocamus, facile intelligitur, certas, quidem prudentiæ canonum constitui sedes debuisse firmissimas, et nusquam concutienda fundamenta; non perpetuo tamen, et ubique principiis positis eadem colligi consectaria posse, sed in his probandis et temporum, et locorum, et caussarum, similiumque id genus adjunctorum habendam merito rationem unde suæ singulis nationibus consuetudines, sua singulis cathedralibus, minoribus etiam ecclesiis statuta, sui singulis monasteriis, et religiosis domibus mores institutionesque serventur. Dixi, habendam etiam temporum rationem, ut una indicarem, consignandos esse præterea multiplices ætatum casus, quibus Ecclesia aut defendi tristibus debuit, aut secundis ornari; idcirco minime confundendas leges illas, que primis, cum iis, quæ mediis, vel postremis sæculis editæ proponantur, cum prudens gerendæ christianæ reipublicæ ratio ita temperanda omnia postulaverit, ut quæ velut aptissima theodosianis temporibus invehi potuerunt, aut debuerunt, velut inopportuna Carolinis abrogarentur, aut in aliam formam immutarentur. Hinc vero danda opera est asperrimis linguarum studiis, græcæ potissimum, ac latinæ, ne forte cogamur fidere certo interpretum generi, qui vel de industria, vel inscitia in canonibus de uno in aliud idioma convertendis latissimam errandi viam incautioribus aperuerunt. Acta conciliorum generalium olim apud graecos edita,

ubi ad latinos; acta vicissim latinorum, ubi ad græcos derivarentur, visa quandoque sunt aut turpiter deformata, aut etiam ita corrupta, ut in contrarias detorta sententias exhiberentur. Si enim vel ipse Martinus Braccharensis, vir ceteroqui religiosissimus, dum canones ancyranos cum aliis inter orientales collectis proponeret apud Hispanos, canonum non tam verba communi illorum intelligentiæ, quam definitiones ipsas communi eorundem disciplinæ vi facta accommodavisse in sua collectione deprehenditur, quid non molitos credamus, aut Dionysium transfugam et seditiosum monachum, aut Ruffinum perfidiæ abs Hieronymo non semel insimulatum, dum graeca latine reddiderunt, aut Græcos ipsos schismaticos, dum africanorum canonum codicem eo animo suo codici adfuerunt, ut nihil apertius emergeret, quam africanæ, et romanæ Ecclesiæ jamdiu pacatæ, nec amplius memorandæ, præterquam a turbulentis et malis hominibus, contentiones? His autem sermonum studiis adhuc acerbius illud accessit, quod situm est in ipso etiam vitiosæ latinitatis cultu diligentissimo, utpote necessario omnino ad monumenta legum sacrarum mediae aetatis intelligenda, quum nimirum Longobardorum, Francorum, Alamannorum, et his commixtarum finitimarum nationum statuta aut ad res ecclesiasticas pertinere, aut cum ecclesiasticis decretis confundi, imo etiam decreta ipsa ecclesiastica, si non eodem, saltem non longe dissimili aspero stylo conscribi cœperunt, sexcentis fœdata barbarismis, qui uti in generalibus formulis, quales edidit Marculfus, Sirmondus, Bignonius, Lidembrogius, et Baluzius, continebantur, ita facile in legum sacrarum texturam per notarios actis conciliorum ceterisque Ecclesiæ monumentis componendis addictos passim transferebantur. Norunt autem id apprime canonum studiosi cultores, quibus magis quam ceteris opportune fuit du Fresne, et du Cange industria in dictionariis latino-barbaris elucubrandis.

Quid nunc de illis dicam, vel quorum custodiæ sacrorum canonum codices commendabantur, vel qui ante inventam typographorum artem exarabant libellorum exemplaria, alienæ ut plurimum operæ servientes, vel denique qui novas canonum collectiones quasi majora studiorum adjumenta exornarunt? Infinita propemodum rei quæstio foret, si pro dignitate explicarem, qua ratione ex illorum omnium gestis abstrusior in dies reddita fuerit disciplina. Pauca tantum attingam; atque ut a primis exordiar, novi ego illorum aliquot extitisse, insignis sane perfidiæ reos, notarios demonstro concilii calcedonensis, Photium constantinopolitanum patriarcham, et Balsamonem eiusdem constantinopolitanæ Ecclesiæ chartophilacem, qui tabularia sacra curæ suæ sanctissima depositi fide commissa adorti impudentissime corruperunt, atque in iis, quorum ope olim donati fuissent, hæreseos suæ, vel schismatis præsidium collocarunt. Quot deinde, quantisque tricis, atque involucris optimorum auctorum libros turbaverint amanuenses, satis constat apud eos, qui in vetustorum manuscriptorum codicum lectionem vel mediocriter versati sunt; aut enim illi ob inscitiam, aut oscitantiam vocabula vocabulis immutabant, nominantes ex. gr. Anselmum pro Asello, Chrysostomum pro Chromatio, pro Thaumaturgo Trimegistum, et concilium ipponense pro epaonensi; aut ob imprudentiam marginales notas, vel interlineares glossas edendis canonibus inserebant, aut siquid forte irrepsisse suspicarentur, litura corrigere non dubitabant, cui emendationi peragendæ satis illis videbatur, si, quod scriberent, ætati suæ non congrueret. Atque

ex hujusmodi codicibus quot deinde paria, forte etiam in dies depravatiora recentiore manu exemplaria fuerunt describenda? Rei vero crassiores adhuc tenebras offuderunt monumentorum collectores, quorum alii impudentiæ fama celebratissimi commentitiorum conciliorum acta, nec numero pauca, fictas pontificum max. decretales etiam plurimas, ejusdemque generis diplomata principum, privilegia majorum, et pactionum tabulas palam proferre fidentissime ausi sunt, alii brevitatis studiosi incomta decisaque fragmenta fragmentis omnino dissitis interseruerunt, ut nomocanones, exceptiones, breviaria, synopses, capitula, et decreta modico temporis intervallo et commode conficienda exhiberent; alii manum admoverunt titulis, et inscriptionibus opusculorum, aut sententiarum vitiandis, ut in silentio jacerent germana nomina auctorum, quæ parum grata in ea, in qua ipsi scribebant, provincia extitissent; alii, quibus certum erat in collectione adornanda propositum, nil nisi congruum consilio suo adtulerunt, ut de ceteris prorsus obliti videantur; alii denique, quod non aliis, quam corruptis antiquorum codicibus uterentur, veterum laqueos declinare nesciverunt ipsi, una etiam aliis multiplicem errandi viam commonstrarunt.

Utinam vero disciplinæ nostræ e tot tantisque tenebris eruendæ litteratorum virorum industria, ac studiis lumen accessisset, glossographorum, inquam, interpretum, ac pragmaticorum! Sed pauci admodum hanc provinciam adgredi optimo sane consilio conati sunt, nemo hucusque perfecit, plerique obscuriore caligine universa texerunt. Revera quoties consulendi sunt glossarum auctores torqueri mehercle statim animum sentio, futurum prævidens, quod frequentissime contingit, ne si illorum dictis adquiescam, a germana legum propositarum sententia distrahar et avertar. Quoties itidem consulendi sunt scriptores, qui ecclesiasticarum legum rationes, et caussas dirigendas susceperunt, atque ad illas exigere moliti sunt episcopalis fori consuetudines, qui non molestum et grave dignoscitur apud plurimos, dum nullus fere est rerum delectus, nihil perspicuum, expeditum, aut planum; siquæ definiuntur, tota pendent aut ex quorundam tribunalium definitionibus, quæ certa factorum adjuncta prætergredi nullo modo possunt, aut ex citationibus aliorum scriptorum non sane felicioris ingenii, cultiorisque doctrinæ, unde eadem aut certis tantummodo tribunalibus apta sunt, aut in aliorum controversias incidunt, in quibus discrepantes opiniones utrimque mira sane contentione clamatur omnibus esse communes? Non ego auderem adeo aperte adgredi scriptorum hujusmodi multitudinem, nisi magnas eruditorum virorum querelas frequentissimas de eadem re intellexissem. Laudo inter ceteros prudentissimum virum nostræ ætatis feltriensem episcopum, qui in epistola ad Benedictum XIV testatus est, se dum adolescens gymnasia frequentaret, ab antecessoribus canonum postulavisse, quem addiscendi caussa legere, ac sequi interpretem posset. Missus tum fuit ad Cuccos, ad Valesios, ad Lancellotos, aliosque celebratissimos, quibus dum operam dedit, et quidem diligentissimam, professus est, se ex illorum libris nihilo doctiorem reverti potuisse, quam esset pridem, dum ad eosdem adhuc rudis accederet. Obivit deinde ipse in patavina academia munus antecessoris; statimque ubi auditores suos percunctantes audivit de seligendo scriptore, se non habere, quem indicaret, candide ingenueque respondit.

Si in caussam tot tenebrarum inductarum, tantæque ad has diluendas

difficultatis inquiras, multiplicem facile invenies. Contigit id in primis scientiæ nostræ, quod et ceteris disciplinis, ac bonis artibus pene universis, ex miserabili quodam temporum fato. Si enim revolvantur animo anteactorum temporum monumenta, in quibus respiciantur varii doctrinarum omnium, præsertim autem jurisprudentiæ casus, mirandum quidem occurrit, quibus sæculis florentissimum fuit romanum imperium, illas propemodum singulas radiante quodam fulgore enituisse, vel ipsam quoque doctrinam rerum sacrarum, licet qui studiosi istius essent, diris identidem vexationibus quaterentur; inde vero lugendum fuit, quo proclivius diminui, scindi, labi, interire denique visæ sunt Quiritium vires, rebus provinciarum, præsertim Italiæ lætissimæ scientiarum altricis, susdeque turbatis, eo miserabiliorem evasisse fortunam bonarum artium, talesque designandas in posterum fuisse temporum notas, ac characteres, ut vitia vitiis modo cumulata succrescerent, modo variata succederent, restauratione earundem, et ad pristinam elegantiam revocatione propemodum desperata. Emersit primum post sæculum Ecclesiæ sextum planorum hominum fallax nugandi ars, qua falsa veris admisceri cœperunt ad imponendum indoctis turbis, quarum communis error facile quosque etiam prudentissimos obvolvebat. Huic vitio successit supina caussarum, et rerum ignoratio, ex qua subsequentia sæcula obscura, et ferrea nominanda fuerunt ob inductam in ingenia, et mentes hominum scabram quandam rubiginem. Post hæc deplorabilis corruptela morum ex universali mentium obcæcatione profluxit, unde abusus, prævaricationes, et scelera ipsa ob innumeram delinquentium multitudinem, ob magnam delinquendi frequentiam leges universas sanctissimas, ne naturalibus quidem, aut divinis exceptis, vicisse veluti præscriptione quadam, ac subegisse videbantur. Quis crederet? Etiamsi recentiore ætate pertæsi homines conditionis adeo miserabilis, qua vix a brutis secernebantur, in pristinum doctrinarum cultum proclamare cœperint, et in id durissima studia, laboresque conferre ex eo, quod veteres disciplinarum vicissitudines cuncta fere miscuissent, suffectum est tenebricosum quoddam veluti chaos, quo offundi passim homines necesse fuit, vix quosdam, et sane paucos, ingenio præstantiores, studiisque improbioribus addictos contigit liberari. Superfuerunt quidem aurea veterum scripta; sed eadem circum et undique intricata mendaciis, quæ subsequens impura ætas induxit; sed eadem corruptis recentiorum temporum moribus, aut detorta, aut abrogata, adeo ut væ illis sit, qui illa tentent recenti disciplinæ accommodare; sed eadem denique inanibus quibusdam, nimisque subtilibus de industria excogitatis distinctionibus turbata, ut vel ipsa constantissima rerum principia funditus non dicam concutiantur, sed evellantur, unde pax ac tranquillitas publica jamdiu firmata optimis institutionibus ex hac tam varia et fluxa de jure respondendi ratione in eo lædatur, in quo salus ejus esset, et incolumitas collocanda. Eousque devenit jurisprudentiæ calamitas, ut testetur Duarenus in oratione pro Buguerio, duobus ab hinc sæculis in Pannonia contigisse, ut jureconsulti decreto publico ab eo regno expellerentur, propterea quod rerum simplicitatem perosi litigia promoverent potius argumentis ad scrupolositatem usque subtilibus, quam finirent.

Altera caussa est, quod aureis jurisprudentiæ sæculis viri plures, veluti inita quadam sub certo duce societate, doctrina, atque animis jungerentur, una autem adversus aliam quasi classem sub duce adversario constitutam

pugnarent; recentiore vero ætate fere quieverint ejus generis disputationes; atque vel unus alteri facile adhæreat, unus alterius traditiones sine discutione de charta, ut aiunt, in papyrum traducat, eisdemque quasi cæcutientis ducta manu subscribat; vel si forte dissentiat, non sectarum pugna sit generalis ex partium studio coalescens, sed unius adversus alterum de facto potius, quam de jure singularis penitus concertatio. Floruit olim in romana republica jurisprudentiæ studium, præcipue sub Augusto, sub Tiberio, sub Claudio, sub Vespasiano. En autem statim conflatis legionibus instructas classes, hinc jus summum moderantium æquitate sub Offilio et Capitone, illinc summum jus adamussim sequentium sub Trebatio et Labeone; hinc plurium Cassio et Sabino obtemperantium, illinc aliorum turmatim Proculo, Pegasoque adhærentium: neque cessaverunt hæc partium studia, nisi tum demum, cum cœptum est in utilissima juris doctrina remissius agi. Ecquidem restitutis a duodecimo Ecclesiæ sæculo academiis, iterum non potuerunt non emergere sectarum varietates, constitutis hinc Irnerio, illinc Accursio, Bartolo dein, postremo Cujacio antesignanis. Brevi tamen fere cessaverunt de generalibus juris principiis stabiliendis concertationes, et quis hodie facile demonstraret jureconsultum uni ex illis sectis addictum, aut novam sectam molientem, vel veterem concitantem? Siqui forte hanc viam inire tentavit, emersit statim (utinam non emergeret hodie, siquis hodie tentaret) turba multorum vulgaribus proditis non sine maledicto linguarum aculeis, qui tortuoso quodam loquendi genere utentes distinxerunt duplicis generis jureconsultos, idest academicos in rimandis, tradendisque principiis occupatos, et forenses principia prætervolantes, atque omnia ex arbitrio, ut aiunt, prudentium dirimentes, et prædicare in vulgus non erubuerunt, academicos quasi in recessu, et solitudine de gerendorum prudentia disputare, tractare res abditas, subtiles, imo et inanes, ad summum autem tales, quæ rancidam antiquitatem olent, aut ipsa sui vetustate collapsas, aut contrariis usibus immutatas, quasi qui præcepta hujus generis tradunt, vel excipiunt, evadant quidem jurisperiti, idest non ignari veterum disciplinarum, non jureconsulti, qui lites, et jurgia aut compescere consiliis, aut definire sententiis valeant, tum demum ad id munus idonei, cum præcepta obliviscantur, aut seposuerint. Proh immeritam cultiorum virorum imaginem! quasi ipsi, ceteroqui egregia sapientia insigniti, non dignitate, et munere jureconsulti fungantur, sed potius constituti sint veluti cuidam musæo ad monumenta antiquitatis colligenda, et in seram posteritatem traducenda præfecti. Si ita res est, quid aliud erunt variæ canonum collectiones, quam elegantia quidem, sed inania spectra ad spectaculum curiosorum adposita, quorum alius usus esse nequeat, quam ad demostrandum, transactis temporibus extitisse viros, qui sacrorum leges tulerint, qui de eodem sacrorum jure responderint, qui qualemqualem scientiam, incertam tamen et vagam, vento aut fluctibus similem professi fuerint. Quid similiter aliud erit gregorianus codex, nisi quoddam simulacrum ejus pontificis affabre magnificeque confictum? Quid aliud sententiæ conciliorum, et rescripta pontificum, quibus codex idem valde abundat, quam totidem idola concinne velut in magnificis pluteis ad unam venustatem collocata? Sic plane judicatur ab aliis in conspectu bibliothecarum nostrarum, et librorum quibus utimur, quemadmodum judicaretur de iis, qui magnifica veterum Cæsarum, aliorumve principum numismata curiose conquirunt, quorum aspectu dulcissime

quidem semper, vix utiliter perfruantur. Itaque qui ita passim dictitant et germanam doctrinam contemnunt, eos olim quidem suspicabar, inde vero experientia edoctus sum, nullam sibi, et actibus suis legem impositam pati, optareque, ut omnia a sua pendeant voluntate nonnisi privati commodi studiosa, fluxam sibi et arbitrariam sine regulis, sine præceptis jurisprudentiam confingentes, ut clientibus blandiantur, et clientum adversarios legitimo jure munitos quaquaversum agant, ac circumveniant. Revera isti prætextus sunt, quibus identidem intuemur legulejos quosdam homines, non juris sane, sed turpis lucri amatores, bonam caussam adserere eorum. e quibus consuluntur, sine discrimine, ut eorum patrocinium suscipiant, qui primum accesserint ad patrocinium implorandum, æque adserturi bonam caussam adversariorum, si isti non secundo loco accessissent. Arbitrio suo regunt universa, qui leges publicas nihili faciunt, et omnia regi quadam æquitate versatili, quæ plane summa iniquitas est, prædicare non erubescunt. Id profecto ex eo derivatum est, quod disciplinæ rationes non erutæ fuerint, solerti disputatione scholarum adhibita, ex generalibus fundamentis, ac purioribus principiis humanæ, divinæque philosophiæ, in quibus solidissime tota superstruitur, ac conquiescit jurisprudentia. Utilis ille labor, qui vulgo in forensibus curis impenditur, primum distrahi cœpit in accurata factorum investigatione, deinde si facta in juris controversias incidant, scriptorum aut numero, aut auctoritate finiri, ea ut plurimum opinione recepta, quæ aut plures sortita fuerit, aut nobiliores patronos. Quod si in investigatione principiorum elaboratum esset, aut omnes in principii unitatem consona animorum sententia convenissent, unde fere eadem consectaria ad singulares dirimendas quæstiones deducerentur, aut si forte diversa principia divisis hinc illinc sectis placerent, certas sane singuli leges haberent, prout quisque alicui sectæ nomen dedisset, quibus facta emergentia sine tergiversatione, et constanti animo definirentur; esset præterea facile legumlatoribus, unum potius, quam aliud principium auctoritate confirmare, aut, ubi fieri possit, servata certa ratione componere, unde tandem in unam sententiam convenirent omnes, et una, non multiformis jurisprudentia redderetur.

Ecquidem fateor, theoriam a praxi secerni jure ac merito posse; dummodo theoriæ nomine intelligas scientiam generalium dogmatum necdum rebus accommodatorum, qua quid æquum, quid decorum, quid utile, quid e converso iniquum, quid indecorum, quid noxium in genere suo dignoscatur; praxeos autem nomine intelligas scientiam illam, qua generalia ipsa principia factis, factorumque, prout res incidit, adjunctis accommodentur. At enim non duplex hæc, nec divisa scientia est, sed una, eademque tribuens officia sua, vimque suam, pari omnino ratione exerens ita, ut utrobique ahduc teoria rerum, idest inspectio, cognitio, et æstimatio rerum earundem dici possit; hoc tantum intercedente discrimine, quo modo sit contenta meditatione generalium præceptorum, modo ad meditationem generalium præceptorum, adjiciant collationem eorundem præceptorum numero plurium, quæ in facto concurrunt, quæque invicem committi videntur, ex quibus propterea unum præ altero duce prudentia sit seligendum. Imo ego, quam vulgo praxim vocant, disciplinam esse censerem, in qua ingenium magis emicare, et philosophiam adhuc severiorem adhiberi necesse sit, quando maximum studium est, et vehemens ingenii conatus, plura principia invicem conferre, componere, conciliare, non secus ac in rebus manu factis magis

emicat ars penes eum, qui singulas partes nectere debeat, atque componere, quam penes eum, qui seorsim fingendis, cudendisque certis partibus manum admoveat, quando ille dicitur magisterio uti, iste adhuc alienæ peritiæ servire. Hæc plane est, qua theoriæ qua praxeos vera ac germana imago, non autem illa, quam passim vulgus finxit, illorum, inquam, vulgus, qui praxim esse putaverunt in vestigationem eorum, quæ editis scriptorum libris continentur, quæve modo in hoc, modo in illo tribunali definita deprehenduntur, eo animo factam, ut, quæ magis utilia sibi esse possint, proferant, tueantur, alienam scientiam, dixerim verius, opinionem profitentes, quin de suo aliquid producant: Dicunt ipsi, jam nobis constitutos esse duces, ac magistros, quos sequi sine periculo et possimus, et debeamus. Ego repono, primum esse de illorum magisterio, et caussa magisterii deliberandum. Si adjiciant, libros eorum publice prostare, quasi publici juris sint, manibus omnium volutari, positos esse in existimatione communi, ego post multa jam superius ad hanc rem adnotata, replicabo, hæc argumenta esse leves tantummodo conjecturas, quas vel ipse usus, vel eædem ipsæ scriptorum contradictæ opiniones, et quod magis est, sapientum criterium, fallaces esse sæpe ac sæpius demonstravit. Dicam candide: Vel me ipsum æternum rerum harumce mearum pœniteret, si unquam credidissem, operi huic meo, quod edendum in præsentia curo, certam inde auctoritatem accessuram ex eo, quod typis editum fuerit, quod forte non displiceat lecturis, quod veniat in alicuius existimationem, quando alias sapientum, ac peritorum judicio a recta philosophia alienum esse comprobaretur.

Caussa hæc utique prudentiae, tum ecclesiastici, tum civilis juris turbandæ communis fuit. Tertia etiam est juris ecclesiastici prudentiæ singularis. Erant olim ante sæculum Ecclesiæ duodecimum tenaci nexu conjunctæ doctrina canonum, et doctrina rerum divinarum, quam eodem sæculo dissociatam singulari nomine theologiam appellaverunt. Dissoluto eo vinculo maximam passa est utraque sapientia jacturam; quæ enim junctæ omnibus omnino, et undecumque præsidiis firmabantur, sese fovebant mutuo, et luce clarissima radiabant, divisis deinde studiis, si a pristino ob valde eminentem, quem tenebant, locum cadere non potuere fastigio, non nihil tamen pristinæ amplitudinis, quæ dignitatem augebat, amittere debuerunt. Re enim vera, quis anteactis temporibus non mirabatur Basilios, Chrysostomos, Hieronymos, Augustinos, et pluribus his similes insignes viros, æque in sublimium divinarum rerum contemplatione defixos, ac vel in condendis, vel in explanandis Ecclesiæ canonibus occupatos; in utraque profecto parte imitatos, secutosque apostolica exempla, dum et jura ederent, edita interpretarentur ad regendas fidelium voluntates; una etiam arcana religionis mysteria ad instruendas fidelium mentes non intermissis lucubrationibus explicarent? Si decertandum erat adversus haereticos, si neophyti erant catechesi solidissima instituendi, si interpretanda erant divina oracula, theologos agebant ipsi absolutissimos; quibus disputantibus obmutescere debuerunt Arius, Macedonius, Nestorius, Eutyches, aliique sinceræ religionis osores, quibus docentibus severiores ipsos ethicæ philosophiæ cultores, Dionysios, Aristides, Athenagoras suaviter ad Christum trahi, imo et rapi vidisses. Si erant tribuendae diœceses, et sua unicuique antistiti circumscribenda potestas, si praestituenda tempora synodorum, si formandi populorum mores, si pœnis, ubi opus esset, improbi coercendi, jureconsultos age-

bant illi prudentissimos; quibus in sacro veluti tribunali sedentibus Joanni hierosolymitano dabantur induciae, ante finitam Ignatii caussam Photio episcopatus possessione interdicebatur, Epiphanio emergentibus quibusdam locorum et rerum adjunctis in aliena diœcesi clericos ordinanti facilis venia concedebatur. Verum discissis invicem disciplinis et decrescere cœpit passim juris ecclesiastici peritis divinarum rerum notitia sublimis, et passim theologis exterioris Ecclesiæ cultus dirigendi optima ratio; hinc autem doctrina olim absolutissima mutavit pulcherrimam atque admirabilem faciem suam, non quod dicendum sit deformatam fuisse, sed quod fateri ecquidem necesse sit, semissem hic, illic semissem alterum veteris auctoritatis, et elegantiæ, quasi solido in duas partes diviso asse, remansisse. Ad hanc rem ego dicere soleo, eum, qui insalutata canonum disciplina theologus, aut qui insalutata theologia canonum magister audit, non theologiam, aut canonum disciplinam, sed theologiæ, vel canonum disciplinæ dimidium possidere. At enim vero cultores canonum non adeo doluerunt, propterea quod, licet hinc a theologis diverterent, partitis inter utrosque sacræ sapientiæ muneribus, illinc tamen accesserunt ad jureconsultos, ita postulante usu plurium academiarum, quæ restauratis palæstris civile jus cum ecclesiastico conjunxerunt. Verum siquis percunctaretur a me, num disciplina canonum majorem passa fuerit diminutionem, cum a theologica facultate secesserit, an potius majus acceperit incrementum, cum ad juris civilis romani peritiam accesserit, si ingenue dicerem, quid ipse sentirem, vererer sane ne parum gratiosus aut theologis, aut jureconsultis in definiendo viderer, forte etiam alterutros vel invicem ad invidiam, vel adversus me quasi contumeliosum, dum ceteroqui candidus essem, ad acerbam quandam indignationem concitarem. Novi enim jamdiu, quam acriter contendere soleant de prærogativa illarum doctrinarum cultores, quorum singuli suarum partium studio vehementer commoti, modo a nobilitate finis, cujus adsequendi gratia elaborant, modo ab utilitate pubblica quæ subinde emergit. modo ab amplitudine negotiorum, quæ imminent pertractanda, modo ex cumulo supellectilis, qua doctrinas illas instrui necessum est, modo ex amœnitate, et elegantia, quæ mulcet studiosorum animos, modo denique ex majestate quadam, et gravitate, quæ dogmatibus, regulisve cohæreat, de excellentia judicant. Imo etsi factis, idest præjudiciis hominum consuetudine positis dimicaretur, non deessent, qui dicerent, non eam dignitatis fore, sed fortunæ præstantiam, ad summum autem pendere istam ex adjunctis scientiæ extraneis, veluti locorum, caussarum, temporum, personarum. Absint a me harum controversiarum diremtiones, quas et ratio meæ vitæ, et propositum, quo meus sermo collineat, prorsus abhorret, ac longissime fugit. Quod vero in hac re fidenter dici a me potest, quod leniter, forte etiam libenter; ab unoquoque excipiendum reor, quod perorandum est, ut ad propositum revertar, eo spectat, quo observetur in primis, gravem fuisse jacturam, quam passi sunt cultores canonum ecclesiasticorum, quicumque theologiæ studia seposuerunt; deinde quod attinet ad accessionem juris civilis romani, optandum fuisse, ut cum civilis jurisprudentiæ studia sibi adjunxerunt, in eo statu jurisprudentiam romanam invenissent, in quo hæc olim erat, dum romanorum veterum jureconsultorum philosophia ac prudentia ornabatur. Forte enim tum frequentius usu reciperetur lex vetus Constantii imperatoris, quæ extat in l. 1, cod. Theodos. de Decurionibus ita concepta ad laudem veterum jureconsultorum; *A solis*

præcipimus advocatis, eorumque consortio dari provinciæ sacerdotem, lex, inquam, medio quarto sæculo Africæ data. unde tot, tantique viri sub finem quarti, et initium quinti sæculi æque hæreticis terribiles, ac fidelibus utiles africanam Ecclesiam illustraverunt: et renovaretur Mediolanensium procerum priscum exemplum, qui vacante mediolanensi Ecclesia, virum jureconsultum, magnum dico Ambrosium, utut adhuc neophytum libentissime sacrorum antistitem, ac religionis doctorem elegerunt, sperantes optime de rebus sacris meriturum eum qui erat diu cum laude in romano foro versatus. quam spem non fefellit eventus. Verum ubi primum doctrina canonum jungi cœpit jurisprudentiæ, obscura erat jurisprudentiæ facies, et jureconsulti nubem, ut in proverbio est, pro Junone amplectentes, ob barbariem sæculi; cum de restaurandis solidis doctrinæ principiis sollicITI erant, non semel ab eisdem quam longissime recesserunt. Hinc profluxit, multa ex juris civilis institutionibus in disciplinam canonum traducta fuisse, non derivata ex jure ipso civili Romanorum, sed ex ea juris romani interpretatione, quam rudes adhuc jureconsulti adfingebant. Profluxit etiam, eas ipsas difficultates in disciplinam canonum irrepsisse, quæ de novo emerserunt apud civilis juris studiosos ob ea, quæ accesserunt recentioris jurisprudentiæ adjuncta. Nimirum tot novæ leges, novæque institutiones post interitum romani imperii variis regnorum discretorum moribus, variisque nationum præjudiciis accommodandæ, tanta inductio rerum novarum, quæ priscos latuerunt, facultatem illam multo ampliorem, abstrusioremque reddiderunt; tot denique nova negotia inde tractanda plura in forum argumenta contentionum et litium invexerunt. Fuerunt investiganda explicandaque jura feudorum veteribus romanis prorsus ignota, quorum etiam tot et tam variæ indoles extiterunt, quot formæ exhiberentur, concessionum. Prodire necessario debuerunt novæ de principum juribus præceptiones, quibus accurate definirentur regalia, nova multa complexa de fodinis, de thesauris, de venationibus, derivationibus, et usibus aquarum, solariis, vectigalibus, ceterisque bene multis, quæ demaniorum jura Galli et Angli appellaverunt. Præterea novis factis magistratuum institutionibus, quemadmodum eorundem fuit diversus ordo, ita varia jurisdictio, dignitas, prærogativæ, atquæ emolumenta; quorum omnium definitio studiosissimorum ingenia torquere debuit. Insuper novæ inductæ legitimarum successionum rationes, novæ testandi formulæ, qua nuncupationum, ut vocant, implicitarum, qua institutionum ad decretalium pontificiarum normam, qua dispositionum ad pias caussas privilegiis auctarum, qua fidei commissorum, quæ licet olim agnita fuissent, inde tamen multiplicibus, et numquam finiendis disputationibus obvoluta fuerunt ob majorem frequentiam, variosque modos illorum, præsertim postquam obtinuit, ex iis familiarum perenne decus fere pendere; qua legitimæ falcidiæque portionis, in quo rerum genere novæ invectæ fuerunt disciplinæ, nova etiam nomina accommodata. Ingentibus quoque spississque voluminibus edendis occasionem præbuerunt frequentiores quædam pactiones, veluti emphyteusos in novam formam adductæ, censuum veteribus incognitorum, quibus accessere permutationes pecuniarum, vulgo cambia, ex recentiore commerciorum amplificatione invecta. Lucra ipsa inter conjuges longe diversa a veteribus propter nuptias donationibus, sponsaliaque, ac conjugia novis præceptionibus informata, quæstiones, disputationesque multiplicarunt. Creditorum concursus, renunciationum anfractus, jurisju-

randi religio passim firmandis pactionibus adjecta inextricabilibus nodis omnia fere circumplicarunt. Hæc omnia, aut saltem plurima, etiam juris ecclesiastici studiosos detinere debuerunt, seu quod illorum aliqua penderent ex pontificiis decretis, uti censuum constitutio, et testamenta quædam coram parochis celebrata, seu quod aliqua cum religiosis, aut sacris rebus quandam connexionem haberent, uti donationes propter nuptias factæ, dum sacramentum matrimonii celebraretur, seu quod aliqua similibus fere principiis inniterentur, quibus innitebantur jura ecclesiastica, uti contingit in feudis, fideicommissis, et primogeniis, quorum dogmata ad jurispatronatus disciplinam facile accommodabantur, seu quod aliqua mixti fori tum civilis, tum ecclasiastici esse cœperunt, veluti jurisjurandi religio contractibus accedens, aliaque similia. Omitto nova multa veteribus incognita, quæ juris ecclesiastici disciplinæ accesserunt, veluti reservationes, diversæ institutiones dignitatum ecclesiasticarum sub episcopis positarum, exemtiones, concursus parochialium ecclesiarum, et alia hujus generis passim apud nostros scriptores occurrentia.

Quæ hucusque de difficultate disciplinæ juris ecclesiastici pressa oratione prosecutus sum, abunde noverunt omnes indiscriminatim, idest sive rerum eruditi, sive vulgus imperitorum. Tantum in eo utrumque hominum genus dissonat, ut imperitum vulgus actum esse de adsequenda, tradenda, et certis legibus definienda juris doctrina putet, satiusque fore, receptis moribus populos regi; docti autem viri elaborandum censeant in recta juris restauratione atque interpretatione. Ex imperito vulgo, qui nihilominus certo a natura se donatos ingenio sentiunt, et sibi, et aliis inducto fuco blandiuntur, dum contemnentes et leges, et legum studiosos, ajunt, per leges non satis consuli posse singulis, quæ diversæ quotidie incidunt, factorum caussis, ac rationibus, imo et ipsas generales leges, quæ certis temporibus, certisve in locis necessariæ videbantur, debuisse tandem vel subsequente ætate, nec diu remota, vel aliis in locis, nec longe dissitis abrogari; deinde consuetudines regionum laudantes, in his observant generalem quandam consensionem in unum fere coeuntium animorum, in qua propterea quid aliud, inquiunt, deprehendi potest, quam erumpentia quædam naturalia, et unicuique ingenita semina honestatis? Contra tamen clamant viri eruditi, rem esse gravissimi periculi plenam, si moribus suis populi undecumque relinquantur, idemque fore, ac reducere homines ad agreste illud vivendi genus, quod iniverunt, quum necdum in communitates, universitates, civitatesque coaluissent; non debere fluctuare in incerto hominum actus, neque esse facile relaxandas habenas cupidæ plurium voluntati, et privatarum magis rerum studiosæ, non aliter proinde quam propositis legibus firmissimis intra certos fines a nemine evitandos coercendæ. Non est hic locus in quo longo argumentorum apparatu id a me demonstretur. Tantum dicam, quid opportunius, utiliusque sit, id facile ab unoquoque probari oportere, qui vix conspiciat velut in icone depictas plurium gentium, ac temporum rationes. Cum enim non defuerint ætates, quibus certæ gentes, neque etiam hodie desint certi populi, qui in sua publici regiminis forma modo legibus pareant, modo ex consuetudinibus vivant; quotiescumque aut illa beatiora tempora, aut beatiores illi populi videantur, quibus legum propositarum sanctionibus, et germanis interpretationibus jureconsultorum vivendum fuit; tum finis erit disputationi sine calumnia imponendus, experientia ipsa re-

rum magistra, quæ fallere neminem potest, silentium legum, et jureconsultorum osoribus indicente. Itaque ea statim cum Græcis priscis comparandos sese obviam exhibent vetustissimi Lacedæmones, cum romana republica Longobardorum regnum, et, si de temporibus nostris sermo sit, cum præcipuis Europæ provinciis africanæ non paucæ et asiaticæ regiones: illic enim legibus aut parebatur, aut paretur, maximi habito jureconsultorum officio, istic consuetudinibus potius aut indulgebatur, aut indulgetur, et quando Græcos in conspectu Lacedæmonum, Romanos in conspectu Longobardorum, Europeos in conspectu barbarorum longe florentius aut habuisse, aut habere imperium intuemur, quid superesse potest, quod quamquam vel in levissimam dubitationem inducat? Quod siquis adhuc hæreret, quod scripti juris auctoritas nonnunquam aut vacillare debeat, aut infirmari, facile erit intelligere, non id esse legum vitio tribuendum, sed ut plurimum novis emergentibus caussis, quæ merito postulant, oportere alias condi leges; aut si forte aliquando contigerit, quod tamen perraro evenit, in legibus ipsis quoddam inesse vitium, non istud generali legum rationi cohæret, sed proprium illorum fuit, qui leges non satis maturo consilio ediderunt. Considerent primum legumlatores, quid optimum inter cives esse possit: experientia ipsa rerum plurimarum judicium adjuvet; inquiratur, quod certas provincias beatissimas reddidit, et, quoad fieri potest, provinciæ, quæ regitur, accommodetur; accedant denique maturata seniorum consilia; tum vero si leges edantur, eo pervenietur, quo olim Græci, et quo Romani veteris imperii miranda sane amplitudo pervenit. Hæc legum edendarum forma non eos auctores habebit, quales consuetudo, ac populares mores ut plurimum ab improvidis de trivio hominibus primum inducti; non fato suo, et casu, quemadmodum consuetudo, gignetur, parentesque suos, ita dixerim, imitata, suamque nativitatem secuta, saluberrima erit singulis, utilissima reipublicæ universæ.

Itaque in leges ecclesiasticas, et sanctissimos canones intendenda est omnis industria, et opera, in eorum studio elaborandum est totis viribus, ne omni vento doctrinæ quoquoversum agitemur. Et quæcumque gravet difficultas studiosum, noscat ipse, nihil, quod non arduum sit, esse posse præclarum. Digna provincia est viribus cultioris et acutioris ingenii, præsertim quod in ea persequenda expleat animum oblectatio plane singularis ex rerum universarum collatione facile proficiscens, quæ paullatim, et sensim, quemadmodum viri gravissimi experti sunt, atque experiuntur in dies, quo proficitur magis, eo facilius asperitatem negotii non superat tantum, sed ita penitus absorbet, ut nil asperum amplius, nil difficile, vel molestum, jucunda omnia, et dulcissima habeantur. Constantissima sit meditatio, historiæ purgatioris præsidium accedat, et sagax librorum delectus: sacrorum codicum exemplaria, et commentaria interpretum sedulo conferantur. Ex commentariis recta probentur, aliqua respuantur optima quæque seligantur. In dubiis provido, in arduis pensato consilio definiatur: tunc sane operosa industria utilitate pensabitur, nedum levabitur jucunditate.

Præjudicata circumfertur, utinam non abiisset in tritum adagium, vulgarium et humi pene repentium hominum, quam desidia fovet, opinio, tradens, nihil sub sole novum inveniri, aut educi in apertam lucem nostro ingenio posse, proptereaque passim eo urgentur studiorum amatores, præsertim infirmiores, quos turba facile trahit, ut vetustorum tantum scripto-

rum, doctorumque volumina assidua manu pertractent, illos adamussim sequantur, abstineantque a ceteris, quæ iidem excogitare, aut loqui, aut commendare literis nequiverunt; quasi recentiorum animus in indecoram priscorum servitutem sit redigendus; et veteres ingeniosorum, ac doctorum honorem sibi præcipuum fecerint, nobis amanuensium officium residuum superfuerit. Ferre ergo non possum (ecquis ingenuus patiatur?) tam humilem et abjectam de animorum nostrorum indole imaginem, ac si mentes nostræ instar corporum, reliquæ sint, et quasi discissi fœtus ingenii antiquorum, non æque et noster, et antiquorum animus recta editi fuerint a Deo conditore universorum æquissimo, singulique pari vi præditi, ac virtute, veluti plura vascula aquæ purissimæ ab eodem perenni fonte utut diversis temporibus derivatæ. Præstantes, præclarosque viros singula sæcula sortiuntur; neque infortunium nobis est, serius nos fuisse progenitos, quemadmodum neque sibi infortunio adscripserunt, qui media hominum ætate floruerunt, plures sui debuisse respicere eximios decessores. Quod si persæpe veteres, veterumque prudentiam laudo, non tam id ago, quod putem recentioribus præstare ingenia veterum; quam quod et nos ipsi, si tunc vixissemus, idem omnino in iis, in quibus illi versabantur, adjunctis definiendum censuissemus. Ceterum profiteri palam possum, satagendum maxime esse, et gravissime in id incumbendum viro erudito, ut novarum rerum inventione multa jamdiu inventis adjiciat, quoniam sapientum judicio nihil unquam fuit in unaquaque scientia dignius inventione rerum, quæ vel novæ procreari, vel elegantiores fieri ad augendam rem literariam, atque in ea, in qua post varias vices et casus opus sit, parte instaurandam, aut etiam reformandam; quamquam deinde in modo inveniendorum, et usu inventorum oporteat, eum nunquam a certis prudentiæ legibus recedere quibus omnibus fiat, ut cum non sine magna jucunditate exercetur acumen curiosi ingenii, tum conatus quicumque ab ea, quæ dominatrix esse debet, tanquam excellentior mentis facultas, et habitus, regatur, atque intra fines tuendo bono publico positos coerceatur. Revera si rerum magistram experientiam consulamus, passim, et fere quotidie intuemur, etiam ad militarem disciplinam excolendam, quæ et ipsa bene constituti imperii magnum præsidium est et decus, emergere identidem magnanimos duces, qui inauditas, et quæ vetustatem latuerunt, artes, ac præcepta rei bellicæ investigant, repertasque aptissimas edunt ad gloriam sui, et ad imperii, in quo militant, amplitudinem. Quid autem ni et in lenioribus disciplinis eadem, aut similis agnoscenda sit ratio, qua fiat, ut res adhuc abditæ curiose investigentur, atque a tenebris, quibus offunduntur, et quibus fato quodam jamdiu jacent, ereptæ in lucem perspicuam proferantur?

Ne vero late vagari videar per varias artes, atque doctrinas, dicam, quod meum est, in disciplina legum etiam ecclesiasticarum istud optimum consilium fore. Etenim licet multi olim extiterint, qui res numero plurimas, dignitate præclaras, aut novis munire præsidiis, aut novis adjectionibus cumulare, aut novis illustrare luminibus conati fuerint, quam ob rem magnam sibi laudem usque ad perennitatem nominis conciliarunt, nemo profecto inficias iverit, multis, quæ bene posita circumspiciuntur, plura adhuc deesse ponenda, unde fiat disciplinam in dies augeri, nunquam omnino perfici posse, ita res tribuente natura, ut nihil simplici in genere omnibus ex partibus absolutissimum expoliverit, et quidquam commodi aliquo

semper adjecto incommodo muneretur, ne si uni cuncta concesserit, non sit habitura, quod ceteris largiatur. Oritur id ex duplici caussa. Prima generalis est, et in omnibus disciplinis observatur: nimirum indefiniti, et nunquam exhauriendi modi sunt, quibus ad veritatem altissimo fere semper in fastigio collocatam accedatur, illinc serius, hinc citius, commodius illinc, istinc laboriosius, semper tamen diuturno duroque studio, etiamsi autem alicui datum esset, ut se ducem in pandenda recta et planiore semita constitueret, is tamen non singula inter varios brevis humanæ vitæ casus aperire potuit, cœptosque labores, ac curricula consummare. Undenam, amabo, tot subortæ varietates opinionum, quibus in contrarias partes distrahuntur identidem eruditorum etiam hominum animi, quod passim dolere solemus, et præter modum mirari, quando veritas una est, et sectas minime patitur, nisi ex eo, quod quæcumque, et quocumque ingenio data fuerit opera, adhuc tamen fere lateant, aut saltem adhuc obvoluta jaceant vel ipsa rerum principia, ex quibus universa consectaria pendent, ac deducuntur? Altera caussa singularis est apud jurisperitos, qui non diu valent simplices, et a privatorum factis abstractas versare rerum imagines, uti versare possunt reliquarum fere omnium bonarum artium cultores, sed debent illi vigiliis minime intermissis vitam non sine tædio quatiente, et pene frangente animum traducere inter molestas fori publici quæstiones ad dirimendas pactionum specie variarum, prædiorum, et jurium, quorum multo dissimilis ratio est, controversias, ad conciliandos invicem hominum vix frœni patientes animos, ad extorquendam erga præsides obedientiam ac reverentiam, quam qui debet vim quandam sibi inferri ob corruptæ naturæ vitium facile putat, modo clientium multitudine pressi, modo gravissimis judiciorum et magistratuum curis defatigati, quibus, si adolescentiam nondum satis aptam sublimibus meditationibus excipias, totum virilem animum ad ingravescentem usque senectam obrui necesse est. Id plane perspicuum fit, quoties duplex constituatur, demonstreturque ordo illorum, qui scientiæ nostræ dant operam. Hic collocentur ingenio paullo remissi, ut prætermittam crassos, et pene hebetes, nescio quo fato, et voluntate correptos ad dandum nomen doctrinæ sublimissimæ, quæ illorum modum toto cœlo excedit; illic ingenio præstantes, et vere studiosi in bonam reipublicæ spem alti atque educati. Priores quidem utpote inertes cessabunt ab operosis negotiis (neque enim ipsis turba clientum se, resve suas, quarum maxime sollicita est, facile credit, aut principes æquissimi publicorum munerum distributores gerendos magistratus facile mandant); quis autem interea ex exili eorundem opera expectet, aut postulet, ut novorum quorundam utilium inventores sint, et quasi architecti, quando in hac parte non agitur negotium mediocre, et cujuscumque viribus sine discrimine tentandum? At vero posteriores, ingeniosos dico studiososque jureconsultos, quis a curis publicis liberavit unquam, ne si solerti ipsorum opera respublica destituta fuisset, forte collabi misere, aut adduci in grave periculum debuisset? In quibus adjunctis, præsertim cum isti pauci admodum esse soleant, aut nullum, aut brevissimum tempus superesse potuit, quo nova investigare potuerint, invenire, probare, ornare, producere. Hæc negotiorum copia, et magnitudo adeo istos premit, ac frangit, ut concludere oporteat, quidquid jam viri plurimi in nostra disciplina etiam eruditissimi per longas ætates ediderint, multa adhuc superesse quærenda, non sine spe dulcissimæ, laudabilis, ac proficuæ inventionis.

Dulcissimam in primis inventionem appello, quod invenientes maxime delectet, ac mulceat. Cum enim nos dicamur et revera simus supremi numinis quædam imago, quid jucundius homini contingere potest, quam pro modulo magnificam illam et vere divinam vim creatricem exercere ad gloriam conditoris, et in eo gratias opifici summo maxime liberali referre acceptissimas, in quo utamur præstanti dono, non illud per detestandam injuriam despicere turpi inertia demonstremus, tum autem gratulari nobismetipsis, qui in novis lucubrationibus res vere nostras, seu nostro ingenio partas agnoscimus. Deinde inventionem laudabilem dixi, propterea quod quicumque nova inventa intelligunt, ad illa totis animi facultatibus concutiantur, reddantur attentiores, ac vigilantiores, atque ad studia rerum optimarum vehementissime inflammentur. Siquidem cum ita affecta sit natura hominum universorum, ut parum moveatur intuitu illorum, quibus assuevit, novus et præter opinionem adjectus impulsus excitat modo quodam incredibili voluntatem, ad magna commovet, et, quoad fieri possit, ad nobiliora. Quid denique de utilitate publica dicam, quæ gaudet novis præsidiis, sive quod copia uberior notionum supellectilem instruat abundantiorem, sive quod inter multiplices caussas, quæ commodior unicuique sit, seligi a singulis possit, sive quod recentiora veteribus aut minus comtis elegantiam, aut obscuris perspicuitatem, aut verosimilibus evidentiam adferant, quandoque etiam falsa, in quæ incaute itum fuerat, profligent, inducta veritate. Quibus ex caussis non forte erravero, si adjecero, multos olim clarissimos studiosorum cœtus passos aliquando fuisse miserabiles casus, quod ad tædium usque, et tabem tenacissimi quæsitorum custodes ulteriora quærere neglexerunt; quemadmodum militares copiæ virtute pristina diminutæ paullatim deficiuntur, si postquam patriæ fines reddiderint ampliores, sedem sibi in quæsitis provinciis perpetuam figant, intra vallata mœnia, utut illa custodiant vigilantissime, considentes.

Ecquidem novi, nec dissimulare me ingenuum decet, quandoque evenire ut nova inventa non statim omnibus placere possint, et vel ipsum novæ opinionis nomen quasi probrosum habeatur, propterea que antiquissimum esse prudentibus, constanter adhærere disciplinæ, quam cum diu tenuerint, utilem fuisse reipublicæ deprehenderunt. At vero longe alio ista pertinent, nimirum non ad inventionem ipsam, sed potius ad modum, rationemque inveniendi, et ad usum inventorum. Insunt in animis nostris facultates duæ mutuis sese officiis adjuvantes, quarum prima est vis, aciesque ingenii ad inveniendum idonea; altera appetitus voluntatis ad inveniendum sollicitans; quas facultates cum natura ipsa in nobis divino plane consilio collocaverit, propterea que bonas, nostrum non est tundere, suffocare, tantum dirigere, ne ipsæ, sicuti ceteræ ingenitæ adfectiones depravatæ naturæ vitio corrumpantur, quod sane cavebitur duabus præceptionibus, quæ oculis semper hæreant, cuicumque animus est utiliter inveniendi, et quarum prima rectum inveniendi modum docet, altera æquum, et commodum usum inventorum. Recta in primis esse debet inveniendi ratio; neque enim nobis tantam decet inesse delectationem novitatis, ut ejus omni specie facile capiamur, et eousque ducamur, quo quidquid fingi pro arbitrio potest, etiam ad blandiendum vitiis nostris, statim et sine ullo discrimine complectamur. Hinc profecto locus aperiretur turbandæ potius, ac perdendæ, quam juvandæ reipublicæ, declinandæ potius, quam attingendæ veritatis, abhorrendæ potius,

quam adsequendæ virtutis; quando hujusmodi inventa nihil aliud, quam ambitum, aut tædium rerum optime constitutarum, aut quæsitum improbitati præsidium præseferrent. Sic orthodoxæ fidei hostes sub novitatis specie religionem adorti sunt; sic doctrinæ morum depravatores perspicuis rationis luminibus caliginem effuderunt; sic, ut de mea præsertim disciplina dicam, quicumque privatis plus æquo indulserunt adfectionibus, ut rem gratam facerent genti, familiævo suæ, vel sibi quoquo modo, ut putaverint, utilem, novas artes excogitarunt, non saluberrimas, quæ inquirentibus sponte occurrissent, sed quas dolus, fraus, odia, invidiæ, ceteraque vitia decoras imagines, quibus obtegantur, undecumque quærentia ministrabant. Itaque contra divina oracula, qualia nobis Ecclesiæ proponit auctoritas, nulla instituenda novitas, utpote in quibus irrefragabilis inest veritas nunquam concutienda. Ubi humanæ sunt leges perspicue dictæ, ac communitati propositæ, duplex distinguendum est jureconsultorum ac prudentium genus, quorum distincta sunt officia: alii enim legislatoris lateri adhærent, quasi a consiliis; istis autem licet meditari res novas populo utiliores, etiam contra leges quæ si probentur, proferantur in publicum auctoritate principis, veteribus legibus abrogatis, aut emendatis. Alii sunt privatorum caussis dirimendis addicti; isti autem, ubi nova quædam inveniant, optare quidem intimo animi voto possunt, ut aliquando ab eo, ad quem spectat, intelligantur, ac comprobentur, nunquam vero utilioris rei prætextu jura sanctissima semel constituta lædere, violare: tantum laudabile ipsis erit, in iis, quæ jure publico definita non sunt, novum quidpiam adgredi, proponere, adserere, propugnare. Deinde bene inventorum esse debet æquissimus usus, quo illud spectat, ut cum nova quædam utilia privato studio invenerimus, non statim eadem sine discrimine sequenda non impudenter dixerim, sed nec paullo acrius, ac fidentius proponamus. Neque enim virum prudentem ita fervere, atque efferri animo oportet, ut trahere velit extemplo quasi per vim universos in sententiam suam, sed patienter expectare, donec primum inventor ipse non semel, sed iterum, atque iterum inventorum caussis, adjunctis omnibus, et consectariis meditetur, volvat, revolvatque singula, digerat, regeratque, ad trutinam undecumque exigat, et appetitionem cognitionis ita moderetur, ut, in qua parte sit opus, cohibeat, vel relaxet, vel emendet, eaque ratione omnino perficiat: itidem expectare, donec paullatim, et sensim agnita a ceteris veritas, quin amplius opera sui inventoris indigeat, ipsa per se (neque enim tanta vi caret) mentes alienas per certas quidem, sed leniores vias invadat. Incivile prorsus esset, ita in obsequium nostri, rerumque nostarum trahere omnes, ut ab ipsis, quasi nihil videant, nobisque ducibus manuducendi sint obedientiam extorqueamus. Jam initio magna illorum pars gratiosa invenientibus præstare solet officia, admirando primum subtilitatem ingenii, deinde laudando, quod utiliter fuit inventum. Nonne vero vicissim ab inventore tantum reddendum officii jure ac merito postulant, ut tempus sibi concedatur, quo nova accepta cum veteribus jamdiu mente repositis conserant, probent, et ipsi investigent, quæ exinde speranda sint commoda, quæve timenda pericula, quæ forte utut sedulum latere potuerint inventorem? Oblivio quoque illorum, quæ longo studio, et labore mens uniuscujusque quæsivit, carissime venditur; quorum propterea jacturam nemo facile patitur, nisi post diligentissimam subrogandarum rerum explorationem. Sensim tentanda res est, in multitudine præ-

sertim studiosorum, juxta morem Romanorum veterum, qui, dum nova quæpiam lex roganda foret, et alia delenda, oratorum hinc suadentium, illinc dissuadentium graviora argumenta excipiebant, pendebant, ut, quod satius videretur, totus conveniens populus decerneret, atque sanciret. Hinc evenisse puto, ut plures ingeniosissimi viri novarum rerum inventores intueri non potuerint, dum viverent, multos asseclas suæ doctrinæ, imo neque istam passim probari, quando tamen vita functi plures reliquerunt suæ sapientiæ sectatores magnam lapsu temporis celebritatem nominis nacti, quando initio non æmulationibus dicam sed invidiæ contemtibus esse obnoxii debuerunt. Quotiescumque res caute modesteque geratur, ego sane non dubito, quin et hominum animi quicumque, qui natura sua nova inventa depereunt vehementissime, probaturi sint sedulam illam industriam; et prudentiores ipsi morem accuratæ investigationi gerant sine discrimine; ipsa denique universa respublica utiliorem disciplinam in se facile inducens gratuletur, et gaudeat; neque enim non undecumque optimum esse potest, ita versari generosum novarum rerum editorem in exercenda præstantissima ingenita facultate, ut eandem ab omni vitio ostendat immunem, in quo tota sita est germana ac solida sapientia sagax nostrorum omnium decorum domina ac moderatrix.

Præter inveniendi studium illud insuper elaborandum est, ut præjudicia, quibus animus noster misere premitur, abjiciantur. Communis est ac probatissima philosophorum sententia, precipuam caussam, quare mens nostra crebro deflectat a veritate, ad quam ceteroquin a natura dirigitur, eam esse, quod homines soleant primum concitare animum corporeis imaginibus ab exteriore sensu traductis, quibus quasi vi acerrima ille perculsus concutitur primum, deinde turbatur, ac postremo tenetur ita, ut cum locum aperuit præjudiciis magna ac multiplici inductione phantasmatum, quibus morem facile gerat, tum purissima, et vere rationalia semina a conditore numine sibi altissime insita insuper habeat, paullatim etiam suffocet, et diuturno non usu ad interitum usque contundat. Miserabilis ista conditio in infantia primum incipit nos perquam gravissime obruere, quando animus totus corpore obvolutus, atque ita dixerim circumplicatus, sponte quidem multa, libere tamen nihil agit, nullam expeditam, et ad deliberandum idoneam sentit sibi facultatem inesse, iners omnino, nec vel tantisper aptus ad singularia edenda specimina, quibus a ceteris utut longe infra se positis animantibus secernatur. Neque ab his incommodis liberare se statim potest in adolescentia, utpote quæ adhuc infirma sit, et non multo validior ad explorandos undecumque omnes densa circumfusos caligine phantasiæ meatus, singulaque detegenda illorum vitia, præsertim quod imaginum inde traductarum consuetudo multas numero, et ubicumque latissimas semitas aperuerit non facile moderandas, et congruis certis finibus concludendas. Eam ob rem ubi ventum fuerit ad virilem, eaque etiam provectiorem ætatem, conatus universi in id fere impendendi sunt, ut quod inordinate cousque admissum fuerit, corrigatur, vix superest, quo naturalium et mentis propriarum facultatum usus tentetur rectus, et præjudiciis expers, in quo vera sita est sapientia; idque est, quod sincere fateri debuerunt viri doctissimi res nostras altius investigantes, scientiam plurimorum hominum in cerebri potius expurgatione consistere; tum vero etiam fieri in quibusdam rectarum notionum accessione, et inductione nobiliorem, atque maio-

rem, quum sedulius in infirmiore ætate præjudiciis per sensus exteriores invehendis, aut præclusus omnino, aut, quoad fieri posset coercitus aditus fuerit. Igitur ea est ineunda studiorum ratio, qua cum primum quisque valeat pro perspicaci ingenii facultate in vires humanæ mentis subtilissime etiam reflexo judicio inquirat, tempus impendat in rerum optimarum imaginibus, non aliunde, quam ex mentis, a corporeis rebus divino plane instinctu abstractæ, imo excitandis, expoliendis, et exornandis; eatenus tantum utatur opera sensuum externorum, quatenus rationi serviant, nusquam vero ut inde creentur, aut eruantur species utplurimum inanes, aut perniciosæ in animum transmittendæ, proindeque multum vacandum domesticæ solitudini, et secretæ meditationi rerum excelsarum, ubi primum divina eloquia investiganda, atque his cohærentes definitiones Ecclesiæ; quibus adjiciantur volumina prudentiorum, quibus ingenitæ æquissimæ naturæ rationalis præceptiones belle adjuvari possint, ac confirmari, non neglectis in hac re confabulationibus eruditorum, quæ mirum in modum studiosorum provehunt incrementa.

Ad seponenda præjudicia, et ad progrediendum præjudiciis sepositis in canonum sapientia, necessaria quammaxime est philosophia, bonarum artium universarum parens et altrix; illam dico philosophiam, quæ duplex officium præstat, primum, quod scientiæ est, in ponendis principiis generalibus, et ex eisdem derivandis recto tramite, ac sine fallacia consectariis; alterum, quod est prudentiæ, in contemplandis hominum moribus, imo et morum eorundem caussis, singula istis accommodando, quæ præstantiora sunt, et utiliora. Quid argumentis utar, ubi evidenter id docuit constans temporum experientia? Revera quibus sæculis jureconsulti eximii floruerunt, ii erant in eo studiorum genere versatissimi, inter ceteros Romani, qui non primum ad legum disciplinam accedebant, quam in Stoicorum fere palæstra diu meruissent, unde passim Stoicorum dogmata in eorum responsis adparent; et Plato philosophorum numero plurimorum antesignanus elegantissime de legibus, et earundem usu disseruit, paucis exceptis, quæ attingere recte non potuit ex eo, quod divinorum oraculorum scientiam compertam non habuerit, potissimum a libris mosaicis hauriendam. Quidquod enim et Cicero legum studia ita cum studiis philosophiæ conjunxit, ut ignores, an severior philosophus fuerit, an jureconsultus? Quod si de sacra jurisprudentia sermo sit, sufficit respicere ad prisca Ecclesiæ sæcula tanta sanctorum patrum prudentia ornata, quibus patres iidem in philosophiæ studia gravissime incumbebant, inter ceteros Augustinus Platoni, Hieronymus Tullio addictissimi, et semper cum laude memorandus Basilius magnus, qui passim in suis operibus universis æthicorum omnium facile princeps mihi visus perpetuo fuit. Quamquam enim verissimum sit, divina oracula, et ecclesiasticas traditiones, ac præcepta solo naturalis rationis lumine attingi non posse; ita tamen, instituente Deo auctore et naturæ et luminum prodierunt, ut cum proponantur, paratum philosophum inveniant ad excipiendum, meditandum in iis, et mirum in modum progrediendum: nec defuerunt qui scriberent, Christi Evangelium in ea parte, qua mores hominum diriguntur, sicut et evangelium explicantes apostolorum epistolas, nihil fere aliud, quam solidioris philosophiæ præcepta elegantissime tradita continere; unde scimus, apostolicis fere temporibus tot sapientissimos philosophiæ cultores statim christianam fidem complexos fuisse, et Ecclesia-

rum utilitatibus belle consuluisse, quales inter plurimos memorari possunt Dionysius areopagita, Athenagoras, Aristides, et quotquot apologias elegantissimas pro Ecclesia adversus gentes scripserunt. E contrario ubi cessatum est a philosophiæ studiis, juris scientiam languere, imo interire penitùs debuisse, obscurorum sæculorum historia docet; et quamquam restaurari deinde cœperit juris doctrina, dolemus tamen, non potuisse ad pristinum nitorem adhuc prorsus adduci, quia pauci admodum ex nostris in philosophia elaborant, aut perfunctoriam operam collocant præcipiti gradu convolantes ad honores, et munera post indutam quandam jureconsultorum larvam, qua certas formulas in judiciis canant, certa legum fragmenta commemorent, severioris philosophiæ studia quasi junioribus adolescentibus relinquenda seponant. Hinc de principiis generalibus jaciendis, firmandisque parum solliciti sunt; hinc in deducendis consectariis minus æqui, hinc, prout quisque adfectus est, arbitrantur, qui ignorant et rerum caussas, et quæ ex caussis necessario fluunt, et modos eorum, quæ ex caussis derivare necesse sit. Observo tamen in hac re, usum philosophiæ in scientia juris singularem esse oportere. Nimirum in ceteris disciplinis humanis facile quisque privato studio certa generatim principia veluti axiomata ponere primo loco potuit, ex quibus deinde, quecunque consectaria penderent, ea sine difficultate reciperet, quasi duplex opera collocanda sit, prima in principiis ponendis, altera in consectariis deducendis; non ita in legum doctrina, quia leges non ex privato uniuscujusque spiritu procreautur, sed ex spiritu universitatis, illorumve, qui universitati præsunt. Hanc ob rem triplex ab jureconsulto impendenda est opera, ac primum speciales legum definitiones diligenter investigandæ, a quibus nunquam recedatur; deinde ex singulis definitionibus generalia principia deducenda, quibus efformatis postremo quis incipiat res per caussas agnoscere, et quodammodo induens philosophiam ipsam legumlatorum ceteris necdum definitis negotiis easdem caussas, seu principia accommodare.

Sed iterum hoc in loco duplex distinguendum est jureconsultorum genus, quorum alii lateri legumlatorum adhærent, et leges humanas regunt, aut confirmando, aut, ubi opus sit, immutando, alii sub potestatem legum munus exercent, privatis civium negotiis consulentes. Et quidem quod leges condere potissimum auctoritatis sit, nemo inficias iverit, facultatem condendi facultati interpretandi longe dignitate præcellere. Quoties vero non de præstantia sermo sit, sed de rei gravitate, illudque in controversiam veniat, an eum jureconsultum, qui rogandas, abolendasve leges consulat, juris peritia præstare oporteat mero legum interpreti, plurimum dubitarem, ob gravissimam, quæ in utroque officio inest, difficultatem. Pauca respectu utriusque attingam, ut aperiam quid mea sit de ambobus opinio, una etiam servandas regulas fidenter exhibeam.

Ut primum de sapientia illius loquar, qui legislatoris lateri adhæret jurisprudentiam professurus, dicam, ipsum quodammodo legislatorem agere dum nihil aliud ipsi, quam auctoritas deest. Porro si deceret honestum virum divinis humana comparare, dicere possem, tantum fere distare videri sapientiam legumlatoris a sapientia interpretis, quantum a sapientia hominum distat sapientia Dei; quando certum est, leges ipsas naturales nonnisi a divina altissima mente proficisci, et statui potuisse, illarum autem interpretationem etiam hominibus fuisse a Deo concessam; hinc autem principes

in suis adjiciendis legibus, et jureconsultos lateri adhærentes a consiliis legis edendæ caussa constitutos imitari quodammodo et sequi Deum naturalium præceptorum auctorem, inferioribus relicta earundem explicandarum facultate: quasi lex gerendorum sit fundamentum et ratio, interpretatio vero legis sit rerum bene positarum dimanatio in varias partitiones ex ordine distributas; illa doctrinæ, ista artis opificium, proptereaque tantum illa præstans isti, quantum arti doctrina. Verum absint a me minus æquæ comparationes; atque intra rerum humanarum terminos, quando de humana potestate loquor, mea potius coerceatur oratio. Arbitror ego neminem posse inficiari, quod de lege apud omnes gentes traditum est; nimirum eam appellari virorum prudentium consultum; hinc autem sit, ut si unius etiam prudentis esse interpretatio possit, editio sane legis nonnisi esse queat prudentium plurimorum; editoribus autem prudentibus illud laboris imminet, ut universos populi mores, sive qui in usu sunt, sive qui futuri creduntur, investigent, exempla aliarum gentium simili jure viventium conferant, temporibusque ac locis accommodent, verbo dixerim, rerum caussarumque doctrina sint præditi generali. Quis deinde explicabit curam, ac sollicitudinem plane singularem in perstringenda sententia, quæ facile deinceps singulis emergentibus factorum speciebus conveniat, in adjiciendis, ubi opus sit, rationum momentis, quæ intimam novi juris sententiam clarius, evidentiusque demonstrent, vel in ipsa verborum formula describenda, ut nihil obscurum, nihil anceps et involutum fit, nihil obnoxium tergiversationibus rabularum?

Quoties deinde devenio ad considerandum munus interpretum, qui aut contractas, aut subobscuras legum formulas seu latius extendunt, seu clarius explicant, intueor, non illos tantum de verborum cortice, ac sono sollicitos esse debere, sed et intimam legislatoris sententiam adsequi, eandemque variis adjunctis emergentibus accommodare. Ingenita verborum significatio accurate est consideranda, neque ea potissimum, quæ sit vulgaris, sed qualis et legis conditæ tempore haberetur, et in usu esset apud eum, qui scripsit apud eos, etiam, ad quos scriptura dirigeretur. Hinc pensandæ temporum, caussarum, locorumque ut plurimum dissimiles rationes; et in hoc eo gravior impendendus est labor, quo aut magis dissitæ urbes sunt, aut magis remotæ ætates, quibus lex ipsa prodiit, aut magis variæ pubblici regiminis formæ, quæ singulis fere sæculi immutantur. Præterea cum generalia legum præcepta sint, nec singulos exprimere casus valeant, pene divinum oportet esse eum, qui auctoris sententia modo ad id, quod incidit, proroget, modo ceteris coerceat finibus, quod idem est, ac reconditam, atque in alieno cerebro latentem philosophiam rimari, investigare, ingeniumque nostrum ita formare disciplina, ac si in nobis viveret, in nobis cogitaret, in nobis definiret legislator ipse, cujus ceteroquin indolis, consiliique nullum aliud indicium superest, quam tenue quoddam adparens in lege scripta monumentum, quasi ex antiquo humi olim impresso vestigio pedis quisquam augurarετur transeuntis hominis staturam, formam, ipsam etiam motus vel celeritatem, vel tarditatem. Plurimum semper habet facti, et quidem alieni et vetusti interpretatio, quæ tota pendet ex auctoris legis sententia cujus proinde consilium tum demum indubitate et certo prodiret, cum apud nos idem auctor maneret, quasi immensus, immortalis, a sera etiam posteritate, quocumque in loco, a peregrinis quoque, ac barbaris interrogandus.

Itaque liquet, jureconsultorum omnium studium tale esse debere, ut et certa ponant philosophiæ principia in semetipsis, et alienam philosophiam minime ignorent; deinde singula singulis prudenter accommodent; et quamquam id commune sit utriusque juris disciplinæ, observandum tamen maxime est in disciplina canonum admodum varia, sive respicias ætates longas, sive circumspicias provincias longe lateque diffusas. Quæ si passim observata fuissent, et observarentur, facile esset universos homines conciliare, et in unam sententiam ut plurimum adducere in quæstionibus juris enodandis, quod potissimum eveniret in legibus ecclesiasticis ob unitatem Ecclesiæ, quæ si incertis disciplinæ capitibus quandam habet varietatem, in principiis tamen sibimet ubique eadem constat, quod eodem spiritu semper ducta fuerit, et ubique dirigatur. At enim vero hanc animorum consensionem plurimi quidam optant, pauci eam aliquando futuram sperant; siquidem perpendunt, quod in ceteris animantibus natura constituit ita, ut quæcumque in eadem specie continentur, inter se omnino similia sint, nec invicem motu, gestis, affectionibus distiguantur, unde qui unum adspexerit, cetera conspexisse videatur, id minime contingere in hominibus, quos morum opinionumque varietas adeo torquere solet, ac flectere, ut omnes non sint omnium similes animi, quemadmodum neque vultu, vix unusquisque sit similis sibi, quandoque etiam pro temporum, et adjunctorum ratione a se dissimilis agnoscatur. Consentire visi fuerunt philosophi veteres, qui ad hunc obtutum quadam plane admiratione, Aristoteles, Plato et Ptolomæus, et Varro, corripiebantur. Ex his autem plurimi id tribuendum putarunt varietati aeris et cœli, sub quo homines late diffusi vitam traducunt; quamobrem Livius, lib. 45., aiebat, gentes alias iracundas, alias audaces, quasdam timidas, Athenienses celeres extitisse, et supra vires audaces ad conandum, Lacedæmones cunctatores, totam Asiæ regionem inaniora parere ingenia, Latinorum timidiorem sermonem esse; addiderunt aliqui ex recentioribus, glaciales populos esse pronos ad arma, temperatas regiones servire legibus, torridas autem esse fanaticas: eo amplius quidam progressus est, ut traderet, non alia de caussa penes priscos Romanos emersisse quotidianas fere intestinas seditiones, quam quia septem urbis collibus interjectus aer heic tenuior esset, illic crassior, proptereaque origo diversarum affectionem. Ab horum opinione non longe abiverunt, qui tradidere, nonnihil etiam in opinionum varietatem derivari ex diversitate rerum, quibus homines nutriuntur. Quicumque isti sint, fidenter admodum dictitarunt, regimen ipsum populorum, ac leges, educationes liberorum, jura quæcumque, seu civilia, seu criminalia, seu œconomica, præmiorum tributiones, uno verbo negotia universa cœli, solique feracis qualitatibus attemperari oportere. Plane si hæc vera forent, desperata res esset unio animorum in eandem sententiam, utpote quam impediret caussarum physicarum necessitas, non dissimilis fato, cui imperium in voluntatem, mentesque hominum æthnici tradiderunt. Apage a christianis viris hujus generis argumenta, quibus judicantur homines similes plantis, quas omnes non fert omnis tellus; præsertim quod sciamus, homines utut sub eodem cœlo natos, in eodem solo altos, dixerim amplius in eadem familia educatos variis animorum motibus quasi fluctibus distrahi, et invicem repugnare, cujus rei, vel unum argumentum suppeditat Plutarchus in vita Solonis, referens, Athenienses in una æquali non collibus distincta urbe ita fuisse divisos, ut alii popularem statum peterent, alii oli-

garchiam, alii mediam inter utramque conditionem. Propius ad veritatem accesserunt, qui ex moralibus potius, quam ex physicis caussis discrimina promentes rati sunt, in humanos mores, opinandique rationes publici regiminis rationem influere, prout illud aut durum est, aut dulce, aut bellicis ferox, aut pacis artibus mite, aut calamitate pressum, aut opibus abundans, aut denique modum finitimorum populorum, quibus cohæremus, ut fortes sint qui strenuos, imbecilles qui infirmos finitimos habeant. Clarius dicam, morum vices, et varietatem opinionum ex legibus, et legum philosophia, quæ vigent in unaquaque provincia tanquam regiminis fundamenta, proficisci; quamquam enim verum sit, leges, et legum principia ex placitis, seu opinionibus hominum nasci, nihil tamen prohibet, quominus opiniones, et placita ex variis legibus, variisque legum principiis suboriantur, mutua quadam constituta caussæ, effectusque vice, veluti cum dicimus æque luxum ex commerciis, ac commercia e luxu, æque nivem ex frigore, ac frigus e nivibus nasci. En caussam, quare, populos repente de bellicis in molles abivisse aliquando inspiciamus, quando novæ leges impositæ ipsis fuerunt, ludorum ex. gr. caussa, ac chorearum. En caussam, quare Anglus, quare Gallus, quare Hispanus ingenitas in patria contractas qualitates perpetuo etiam mutato cœlo retineat. En caussam, quare cum primum universus fere orbis romanis legibus paruit, una videbatur sententia singulorum, quod et adnotabat Prudentius ita scribens:

Jus fecit commune pares, et nomine eodem
Nexuit, et domitos fraterna in vincla redegit.
Vivitur omnigenis in partibus, haud secus ac si
Cives congenitos concludat mœnibus unis
Urbs patria, atque omnes lare conciliemur avito.

Idipsum oculis nostris hodie intuemur in conspectu gentis illius Deo maxime invisæ, Judæorum dico, quæ, quamvis per totum fere orbem sit longe lateque diffusa, sibi ubique similis est, propterea quod ubique tenax est legum fundamentalium, quas semel eorum magistri posuerunt. Igitur si sperari hominum unitas, atque animorum consensio potest, ea vel maxime fiducia habebitur in doctrina juris ecclesiastici, quæ ubique certa semper habuit habetque principia, ad quæ si respiciant studiosi, facile invicem sine dissensione convenient. Neque vero cum unitatem dico, de ea unitate loquor, qua eadem disciplina in singulis rebus ad unam usque ubicumque servetur. Hæc esset unitas scientiæ, cujus natura est perpetua, et constans; non unitas prudentiæ, qualis est sapientia juris, quæ debet esse personis, temporibus, locis, et adjunctis universis congrua. Loquor de unitate principiorum veluti fundamentalium, quibus singula etiam diversi generis innituntur; non enim repugnat, ex eisdem principiis salva unitate deducere varia juxta modos, quibus principia ipsa rebus oporteat accommodari; eadem fere ratione, qua paterfamilias accuratus et prudens aliter familiæ consulit æstate, aliter hyeme, aliter conjugi, aliter liberis, aliter servis, considerata etiam æquabiliter inter istos ætate, indole, et qualitatibus universis, sine nota inconstantiæ, et regiminis fluctuantis.

Superis immortalibus grates sint quod in ea tempora inciderimus, quibus ob eximium cultum bonarum artium universarum id sperari facile potest: hodie enim jam assueverunt homines ab ipsa adolescentia addiscendi

caussa non confugere ad turbatissimos jureconsultorum rivos, sed ad purissimos fontes jurisprudentiæ, penes quos dum vulgaribus præjudiciis abluuntur, integerrimis solidæ doctrinæ dogmatibus imbuuntur. Profecto si non eacsset vetustissima apud homines consuetudo, qua conqueri omnes solent de suorum temporum fato, laudantes antiqua, recentia semper condolentes, ex eo profecta, quod nobis et bona malis, et bonis mala mixta contingant, veterum autem, quo bonorum suavior est recordatio, eo malorum sit facilior oblivio; e contrario præsentia bona vix titillent, non expleant animi sensum, quando mala præsentia gravissime angunt et cruciant; vehementer ego non indignari non possem adversus queribundas et stomachi plenas voces illorum, qui nostram hodiernam ætatem deplorant, quasi nulla adeo tristis ætas inter varias sæculorum revolutiones extiterit, minime cogitantes, non ferrea dicam, aut plumbea, uti loquuntur, sed et aurea ipsa tempestate palam effusas similes querimonias a clarissimo omnium oratore, qui præsentibus tunc incommodis tangebatur, cum clamaret: oh tempora! oh mores! Qua in re sufficeret intueri magna literarum incrementa, quæ hodie, præsertim autem in Academia nostra, (id mihi dicere liceat sine invidia ceterarum, quibus suus honor est, et decus præclarum) experimur, ita ut singulis annis lætari inde quammaxime possimus, una etiam florenti regno vehementissime gratulari, quamquam nos summopere commoveri minime sentiamus ob eam caussam, quia frequentissima sunt dixerim etiam quotidiana, atque vulgaria. Si enim eo tempore, quo jampridem instauratum munifica regum nostrorum providentia fuit vetustum Taurinense Athenæum, singularia quædam ad promovendum rei literariæ cultum prodire debuerunt sapientia ac studio virorum ad tradendas ibidem liberales quascumque disciplinas selectorum; hodie sane dum fruimur jamdiu bene positis, firmatis, auctisque præsidiis, debuerunt esse multo majora. Postulabat id præprimis sapientissimi regis in incrementum, sicuti ceterarum rerum, quæ ad populi felicitatem conferunt, ita et doctrinarum universarum enixe intenta voluntas, cui obsequi religio semper fuit. Deinde id postulabat bona olim concitata spes in republica, quæ ex faustissimis actis auspiciis nobiliora in posterum sibi futura pollicebatur, quam frustrari instar piaculi fuisset. Hinc autem sperare facile possumus, diuturnum hunc rerum statum extiturum, et nunc illud posse contingere, quod nunquam fere bono literarum contigit. Miranda plana res est, et pene incredibilis, cultum bonarum artium inter varias hominum ætates, nec quandoque perfici undecumque potuisse, aut si forte ad certum perfectionis gradum devenerit, non in eo homines delicium sibi constituisse firmum, quod tenacitate quadam custodirent, nunquam, aut tardius, et tunc nonnisi fato quodam, et injuria temporum impellente dimittendum. Aureum illud Augusti sæculum, quod cum tanta laude in ore omnium circumfertur, ac magnifice prædicatur, veluti unicum albo, ita dixerim, lapillo consignatum est, nec integrum esse potuit, et brevium lustrorum potius, quam sæculi nomine donaretur, neque per varias et longas deinde fluentes ætates restaurari aliquando potuit, nec nisi post quinque supra decem sæcula spes quædam bonis adfulsit, futurum, ut renovaretur. Ac cum primum ducentis ab hinc annis virorum egregiorum ad magna conantium studia prodierunt, Galileo physicas, Cavalierio, Clepero et Davide Gregorio mathematicas, Aquapendente et Harveo medicas, Melchiore Cano theologicas disciplinas elegantissime instaurantibus, at-

que, ut de scientia nostra dicam, hanc exornantibus in rebus publicis Hugone Grotio, in jure Quiritium Duareno, Mennino, et duobus illis Fabro senatuum nostrorum, et Cujacio academiæ nostræ luminibus, in jure pontificio Antonio Augustino, et Contio, et in omnibus æque eruditissimo Joanne Meursio, ut ceteros omittam, statim nescio quo fato elevatæ sunt ab imis veluti paludibus crassæ nebulæ, quibus pristina caligine omnia circumfunderentur. Iterum autem hodie spes affulget bona, qua res literaria ad magnum decus assurgat, suoque splendore illustretur. Faxit Deus, ut omnia ex voto cedant, et bonarum artium cultus auctus in dies, redditusque elegantior firmis conditionibus perseveret.

Quod si identidem audimus quosdam otiosos homines jacentes querelas assiduas de hodierna studiorum ratione, quod licet et multo plures numero sint, qui jurisprudentiæ vacent, et multo impensior opera, quam olim fuerit, in ejus disciplinæ studia conferatur, vix tamen adpareat major quædam utilitas, quam sentiat respublica, quasi olim æque atque hodie finis litibus imponeretur, et jurgia conquiescerent; una mecum considerent prudentes homines, res omnes optimas inter homines positas, quemadmodum non statim, sed sensim adolescunt, ac perficiuntur, ita tale in dies accipere incrementum, ut vix quale istud sit, dignosci, ac perspici valeat. Ecquis, ut exempla proferam rerum tritissimarum, adeo acri et acuta oculorum acie pollet, ut sentiat, quantum crescant singulis horis agrorum sata, aut singulis diebus tenelli pueri adolescant? Neque illa colono assueto, neque isti assuetæ nutrici crescere videntur, neque alias post longum tempus crevisse deprehenduntur, quam quum memoria præteriti temporis aut vix erumpentia olim semina cum flava messe, aut cum diserto viro balbutientem quondam infantulum conferat. Atque hæc quidem facile unusquisque intelligit in rebus illis, quæ brevi, scilicet quatuor aut mensium, aut lustrorum intercapedine absolvuntur, difficilius in iis, quæ tardiorem adsequuntur maturitatem qualia sunt jurisprudentiæ studia, quæ nemo ignorat, progredi adeo sensim et sine sensu, ut vel longævus homo, qui ab infantia eorum initia viderit, necdum absoluta numeris omnibus ingravescente ætate intueatur. Circumstant enim illam, sicut et bonas artes ceteras, tot tantaque impedimenta, tot inferuntur undecumque moræ, ut nonnisi per industres plurium ætates vinci tandem aliquando possint, ac superari. Quæ cum ita sint, nihil mirum cuiquam videbitur, si quotidiana doctrinæ nostræ incrementa vix cuique adpareant, et plurimos, præcipue minus expertes, fallant; neque enim unius, aut alterius anni, sed sola integri sane sæculi cum altero comparatione id intelligi commode potest. Nunc, amabo illos, nostrum hoc sæculum cum alio conferant; et quando obscurum vetus et incultum, nostrum clarissimum, et prope aureum sine invidia dicimus, quando olim rempublicam procacibus rabulis fuisse inquinatam, nunc abundare meris jureconsultis agnoscimus; quando horret animus, aut saltem tædio afficitur in conspectu barbariei, et vitiorum scriptorum veterum, quorum paginas piperum venditoribus relinquimus, lætatur autem et exultat in elegantissimis recentiorum institutionibus meditandis; tum probe intelligent, quid, et quantum disciplinis nostris accesserit, et fatebuntur, nos eo ætatis pervenisse, quo non de erumpentibus virtutis seminibus gratulari possimus, sed flavas jam, ita dixerim, segetes colligamus, eo etiam jucundius, quo frequentius, et magis in dies bonis jurisperitis boni succrescant, ut constans et diuturna beatitas temporis perseveret.

Ceterum non adeo mihi blandior, ut putem, malignis hominibus ora in universum esse obstruenda. Semper sunt, qui nodum in scyrpo quærunt, vitia detegunt ac decantant, ubi non inveniunt, fingunt inesse, adeo remoti sunt a laudandis cujuscumque etiam accuratioris conatibus. Imo et quanto communis, tanto miserabilior est vulgaris illa affectio hominum qua ita fere corripiuntur, ut aliena vitia detegenti, atque carpenti facile, et prona animi consensione credant, virtutes vero alienas resque optime gestas enarranti fidem non præstent, aut parcius judicent, notantes modo minus rectum agentis finem, modo rem non undecumque perfectam, modo curiosa investigatione maculam etiam in sole reperiant, ad laudes minuendas facile parati, vix patientes sine ægritudine præmia viro utcumque, et apprime probato conferri. Ista tamen est improborum hominum indoles, de qua corrigenda uti nulla spes est, ita nec solliciti esse debemus, dummodo viris prudentibus, et honestis, adhæreamus, quorum alia est cogitandi ratio, ac judicandi. Neque enim æquissimus quicumque rerum caussarumque æstimator putaverit, eam esse universorum hominum affectionem, nisi demus eum, qui fingat, aut detractoribus potius adhibendam esse fidem, quam laudatoribus, aut talem nos a natura indolem fuisse sortitos, qua ad nocendum, magis quam ad benefaciendum collineemus. Primum non sine contradictione quadam dici potest, quo carpenti magis, quam laudanti credamus; ex eo enim ipso, quo carpenti homines facilius credere soleant, colligere oportet, carpentem ipsum facilius ad carpendum moveri, quam ad laudandum, alias autem fides præcipiti consilio adhiberi non debet illi qui facilis ad dicendum sit, et semota probabili quacumque caussa proclivis. Imo cum detractores alienæ famæ movere utplurimum soleat aut acerba, et circumsepta aculeis longius quam convenit, digressa iracundia, aut occasionum quarumcumque auceps antiquum intime serpens odium, aut ægritudo usque ad livorem fervens invidentiæ, aut frœni impatiens loquendi lascivia, raro autem boni publici zelus æquus, gravem semper suspicionem de persona accusatoris suboriri necesse est, cui morem gerere sine maturiore deliberatione, et adjunctorum severa discussione prudentissimus quisque non posset. E converso vel ipsa consueta sobrietas hominum, et continentia in laudando, præconum integritatem sinceram facit, in quo non aliud extimescendum foret, quam adulationis vitium, quod paucos tenet, et quidem erga eos, qui sunt numero pauciores. Alterum, quo fingamus, malignam nos a natura indolem contraxisse, gravissimam injuriam non longe dissitam a blasphemia infert in Deum indolis ejusdem nostræ ad sui similitudinem conditorem.

Multa paucis mihi videor complexus, ad rem tamen universa, quibus tandem ad propositum meum proxime accederem. Initio ajebam difficilia, et maxime intricata esse studia disciplinæ juris ecclesiastici ob varia jurisprudentiæ adjuncta variis ætatibus accedentia, præsertim autem ob turbatas collectiones canonum, ob intricatas, et perplexas interpretum methodos, ac traditiones. Expendi subinde difficultatum caussas, quas partim in temporum injurias contuli, partim in cessationem disputationum, partim in mores dirimendarum emergentium quæstionum ex usu potius, aut ex placitis Pragmaticorum, quam ex canonum sanctionibus, aut ex generalibus canonum principiis, ad quæ singula juxta solidas philosophiæ leges exigerentur, partim in divisionem juris-

prudentiæ sacræ a theologica facultate, et in novum junctum fœdus cum civili disciplina non germana, sed quali viri necdum satis in barbarie temporum eruditi utebantur, partim in accessionem rerum novarum, quæ utramque prudentiam, uti ampliorem, ita salebrosiorem reddere debuerunt. Post hæc consilium illorum veluti optimum laudavi, qui conarentur in sanctissimi juris studia recta ratione instauranda, novarum, ubi opus sit, adjectione idearum, ac methodorum, quæ proficua esse in his adjunctis maxime potest, dummodo prudentia, sapientiaque regatur, item sepositione præjudiciorum, quæ animum forte obruant, inductione severioris philosophiæ qua certa principia stabiliantur, et qua ex principiis eisdem recte fluant illationes, et consectaria; observatione adjunctorum in exercendo jureconsulti officio, seu qua in parte jureconsultus privatorum caussis dirimendis addictus leges sit interpretaturus, seu qua in parte novis ferendis legibus, ac veteribus abrogandis consilium præbere possit Ecclesiarum rectoribus; hinc autem confidebam in primis fore, ut leniora sint studia, deinde etiam fore, ut unitas animorum sit, atque sententiarum apud studiosos ipsos, ex quo ea utilitas in rempublicam, et cives emergat, ut tuto actus suos unusquisque regere valeat, formare, atque componere. Denique lætatus sum nos incidisse in ea tempora omni doctrinarum genere exculta, atque præclara, quibus hæc commode sine formidine impleantur ab eo, qui prudentium judicio, ac comprobatione contentus sit, rudis autem, et imperiti vulgi dicteria temnat, aut insuper habeat. Ecquidem ego cum jampridem navaverim operam in expurgando canonum codice, qui Gratianum auctorem habet, jam tum illud in animo versabam, ut in ea re peragenda, atque impendendo labore viam mihi commodiorem, ad doctrinam juris ecclesiastici tutius attingendam, assequendamque explanarem. Inde vero eo opere absoluto, dum illud typis ederem, accessi ad Gregorii IX. Decretales palam et publice interpretandas pro gravissimo munere, quo regia munificentia fungor: illa autem omnia illico animo revolvebam, unde juris ecclesiastici præcepta pro modulo meo ita digererem, ut plana auditoribus fierent, et in certam prespicuam methodum, ac formam redigerentur. Ecquidem non investigare non potui glossographorum, interpetrum, ac pragmaticorum vulgaria placita, et ordines digestorum. Sed, ut verum candide fatear, mihi non placuit plurimorum methodus, quorundam autem quæ placere potuisset, non visa est omnes, aut saltem magis utiles ecclesiasticæ disciplinæ partes continere, imo nec visa est academiæ nostræ institutionibus, ac moribus, accommodata. Posita fuit regio jure lucubrationibus meis quadriennii meta intra quam adolescentibus, jam per annum in primis juris ecclesiastici institutionibus eruditis, quinque decretalium libros explicarem; unde in quatuor partes commentaria mea tribuenda opportune videbantur. Si ordinem librorum, titulorumque in singulis libris dispositorum secuturus essem, intuebar materiem ita digestam, ut vix una notio alteri cohæreret; cohæsissent autem invicem plures, quæ disjunctæ in illa collectione fuerunt, præterquamquod multa occurrebant identidem, quæ juris civilis interpretes sibi potius vindicant, a quibus mihi supersedendum erat, ne aut alienam segetem ingrederer, aut a negotiis ecclesiasticis forte longius, quam par esset, abirem, aut certe valde distraherer. Hinc inivi consilium, ut quatuor concinarem tractationes, primo quidem obtutu singulares, revera tamen continentes, si non universam undecumque ex-

hibitam ecclesiasticam disciplinam, utiliores sane, præstantiores, ac præcipuas ejusdem disciplinæ partes. Primam tractationem inscripsi de potioribus Ecclesiæ dignitatibus, et officiis, in qua cum multa de potestate ecclesiasticarum dignitatum una congererem, tum visus mihi sum tradere potuisse primi et secundi Decretalium libri interpretationem. Secundam inscripsi de Beneficiis ecclesiasticis, in qua magna pars expenditur illorum, quæ in libro tertio Decretalium exhibentur. Tertiam inscripsi de conjugiorum juribus, ut libro quarto Decretalium, qui totus in hoc argumento versatur, congrueret. Postrema commentaria continet in librum quintum Decretalium, ubi de criminibus, et reis criminum agitur. Identidem autem plures gregorianos titulos modo ad unius, modo ad alterius libri interpretationem transtuli, prout magis expedire, aut congruere dignoscebam. Plane curavi in omnibus, ut perspicua methodus esset, studui etiam brevitati, uno verbo, præceptiones meas, ut adolescentibus in meam fidem receptis utiliores essent, accommodavi. Singularum tractationum ordinem facile unusquisque intuebitur.

Sunt hæc generalia methodum exhibentia, quam ineundam putavi. Specialiter autem in primis fateor, me in quæstionibus, quæ passim occurrunt, dirimendis abstinuisse a laudandis interpretum nominibus; sive quod alias mei isti codices in magnam molem excrevissent, exemplo illorum, qui a pragmaticis edi solent, quique, si auctorum laudatorum nominibus et sententiis exuerentur, in tenues libellos evaderent, sive quod vix tuto quæri suffragia scriptorum possint, quando scriptores scriptoribus adversantur, et facile cuique sit, opinionis suæ patronos invenire, imo et in utramque partem adferre; sive denique quod scriptores numero plurimi nihil aliud, quam aliena ediderint, idest recentiores vetustiorum sententias in sua scripta sine delectu, ac sine matura deliberatione traduxerint. Tantum identidem laudavi quosdam interpretes, sed tum demum, cum aut ii erant adducendi tanquam testes receptæ in foro disciplinæ, aut eum alicui videri potuissem quædam veluti nova, et a me inventa producere, quando tamen fuerunt a quibusdam jamdiu inventa; ne ego, quod alienum est, dissimulando veterum nomina, mihi quodammodo vindicarem. Potius incumbendum putavi in jus scriptum, qua in re latius vagari volui, quam ferrent gregorianæ decretales epistolæ, cum quibus et vetustiora, et recentiora, ipsa etiam tridentina decreta conjunxi, ut disciplinam traderem, et quæ olim viguit, et quæ hodie viget. Ex jure scripto, etiam qua in parte ageretur de specialibus controversiis auctoritate legumlatorum definitis, ut elicerem generales juris rationes, et caussas, conatus sum; quasi triplex mea cura fuerit, idest, primum, ut intuerer, quid in multis constitutum sit ecclesiastica potestate; deinde, ut ex istis generalia principia, quæ intime in unoquoque laterent, aperirem; postremo, ut ex eisdem generalibus principiis cum facilius intelligerem res ipsas definitas, tum etiam commodius ad res necdum definitas definiendas accederem. Censui, id opus esse philosophiæ, atque prudentiæ, eamque ob rem identidem, prout proposita materies postularet, revolvi intimiora rationalis facultatis sensa, identidem etiam observavi, quid prudentia suaserit, sagax humanorum actuum moderatrix. Hinc passim vel ipsis legibus usus sum, non tam ad utendum auctoritate definientium, quam ad demonstrandum, eos, qui leges illas condiderunt, sapientia potius, quam potestate fuisse ad definiendum adductos. Duplicis

sane generis hac in re distinguenda sunt argumenta, in quibus ecclesiasticæ leges versantur. Alia enim sunt, quæ facile ex certis principiis, et generalibus deducuntur, imo etiam tum, cum definita necdum essent, jam in positis principiis continebantur, quæque facile etiam privatus interpres principiorum gnarus definivisset. In hoc argumentorum genere ajo, me ideo usum identidem auctoritate legum, non quasi necessario, sed ut clarius de veritate liqueret; propterea que etiam identidem, ubi apposite laudari juris monumenta potuissent, a laudandis illis abstinui, præsertim quoties consectaria perspicue deducuntur, aut ipsa per se perspicua sunt: neque enim mihi placet tanta legum laudandarum farrago, quæ legulejum decere potest, non jureconsultum. Alia sunt argumenta, quæ non aliter, quam legis auctoritate definiri possunt, ea nimirum, quæ si ex parte consideres, probari, si ex alia parte perpendas, minus probari æque belle possent; aut etiam ea, quæ in individuo collocata non sunt, sed ex facto hominis certum modum, aut mensuram recipiendam expectant. Exemplis rem claram faciam. Proponebatur quæstio, an appellans a sententia episcopi ad metropolitanum in una caussa, teneatur coram episcopo in alia caussa respondere. Qui eum teneri arbitrabantur, innitebantur eó probato receptoque principio, quod suadet, archiepiscopi jurisdictionem in primo judicio locum non habere. Qui eum obligatione liberabant, innitebantur altero æque probato receptoque principio, quod suadet, neminem cogi respondere coram suspecto judice, qualis in ea specie videbatur episcopus, qui damnaverat appellantem. Perennis disputatio fuisset, si dirimenda privatorum interpretum judiciis relicta foret. Opus heic fuit definitione publica, qualis habetur in cap. 24 *De appellation.* Et quicumque in dirimendis hujus generis controversiis versatur, quoniam utraque pars sua habet non contraria, sed diversa fundamenta, auctoritate legum, ubi præsto esse possit, utatur oportet. Item proponebatur quæstio, quot dies concedendi essent damnato ad appellandum, ne interea executionem sententiæ patiatur. Generale quidem principium demonstrari posset, quo statueretur, damnatum neque nimis morosum esse debere, neque ob brevissimas temporis angustias esse premendum. At id nihil in individuo decernit, et nemo privatus certo statuere posset, aut potuisset, decem potius, quam novem, aut undecim dies designari oportere. Opus etiam heic fuit legum auctoritate, cap. 15, *De sent. et re judic.*, cujus definitionis inducendæ dici quidem potest fuisse caussam æquissimam, quamquam tamen etiam æquissimam caussam diceres legis aliter editæ, quæ ex. gr. appellandi diem intra nonum cohibuisset, vel ad undecimum extendisset. Has legum laudare sanctiones in doctrina canonum exibenda non tam utile est, quam necessarium. Et quidem hac in parte non rem trado, quæ sit disciplinæ canonum singularis. Similia multa etiam in civili prudentia constituta deprehenduntur, quibus in caussis prudens arbitrium in certo formarum modorumque delectu æque belle unum alteri præferre commodissime potest. Quo in genere dici solet, legem ita esse scriptam, ita legis conditori placuisse; quod placuit, æquum apparere, licet etiam æquum dici posset, quod paullo aliter placuisset, uti conspicitur in testamentorum solemnitatibus, in formulis judiciorum, in ipsa etiam tributione magistratuum, et designatione peculiari potestatis, quæ quantaque unicuique competat, ut alia omittam numero plurima, sita plane in vulgari prudentia.

Cum hæc de mearum lucubrationum ratione dico, nemo statim non videt, conatum me fuisse, ut in novam quandam formam sine recessu a sacrorum canonum regulis, quas semper colui, et constantissime colam, multa exigerem; præsertim ubi philosophia duce ad certa sistemata redigendas curavi caussas, et origines plurium argumentorum. Hinc autem non æque intenso, aut presso orationis nervo ubique usus sum: siquidem ubi certa generalia principia statuenda, ac demonstranda putavi, latiorem stylum adhibui; in his enim caussis mihi visum fuit opportunius enixe elaborare. Ubi vero specialia quædam versanda forent, legum potius, ut dictum est, auctoritate, aut etiam moribus definita, stylum contraxi, contentus, quid receptum per leges, aut mores fuerit, indicavisse. Si vero forte stylus valde inæqualis, vel in ipsa vocabulorum usurpatione, alicui videatur, id velim tribuatur argumentis, quæ pertractantur; multa enim pro ingenii mei viribus elaboravi, multa ex traditionibus cultiorum interpretum derivavi, multa ex formulis canonum, et constitutionum pontificiarum in commentaria mea traduxi; in multis denique uti necessario debui propriis vocibus artis nostræ, quas recens ætas pro rebus novis emergentibus invexit, a quibus si recedere circumlocutionibus voluissem, aut vix a pluribus forte intelligeretur sententia, aut certe perspicua omnino non foret, quæ sane singula styli non ferunt æqualitatem. Itaque prodeant, qualiacumque, et quantulacumque sint, mea hæc commentaria, primum in Dei optimi maximi laudem, deinde in Ecclesiæ sanctæ utilitatem; quæ cum ad eruditorum manus pervenerint, ut conatus meos æqui bonique faciant, rogo illos obtestor.

IN PRIMUM ET SECUNDUM

GREGORIANARUM DECRETALIUM LIBRUM

COMMENTARIA

SEU

De potioribus Ecclesiæ dignitatibus et officiis, æque scholarum disputationibus, ac Fori usibus accommodata.

TRACTATIO.

Quicunque scripserunt, Raymundum Pennafortensem in Decretalium collectione ex mandato Gregorii IX adornanda proposuisse sibi imitandam Triboniani industriam, ne dixerim gloriam æmulandam, in componendo codice justinianeo; id potissimum facile demonstrare possent in conspectu primi et secundi earundem Decretalium libri. A titulo *De summa Trinitate et Fide catholica* utraque collectio exordium ducit, et quando in prioribus libellis Tribonianus primum de variis Romanorum dignitatibus et officiis, deinde de judiciis editas constitutiones exposuit, eadem argumenta tractavit in primis duobus libellis Raymundus, æquabiliter tamen, ut intra juris ecclesiastici metam se, uti decebat, contineret; quamquam et ibidem plura recensere debuerit etiam romano imperatorum juri communia, quæque non alia ratione ecclesiastici juris dici possunt, quam quod fuerint jure ecclesiastico recepta, ac confirmata. Hæc mihi caussa est, quare primum et secundum Decretalium librum interpretaturus, adhuc intra angustiores fines verba, sententiasque coerceam, ne, si singula evolvere, atque illustrare velim, latius, quam meum propositum postulet videar evagari. Itaque cum præcipuus Gregorii IX finis, uti illico utrumque librum vel obiter evolventibus patet, in eo consistat ut definiatur, quinam sint varii potestatis ecclesiasticæ ordines et gradus, item jurisdictionis per singulos ordines explicandæ modi ac rationes, tractationem inscripsi de potioribus Ecclesiæ dignitatibus et officiis, quam ut in methodum certam redigerem tribuendam censui in sex dissertationes, ad quas, qui rei propositæ congruunt, librorum gregorianorum tituli exigantur, huc etiam quosdam advocando, qui in sequentes libros a Raymundo collati fuerunt, dummodo ad hanc ipsam rem facere visi mihi fuissent. In prima, quæ erit fere proœmii loco, agam de ecclesiastica jurisdictione, quæ generaliter potioribus Ecclesiæ dignitatibus et officiis cohæret. Deinde ad singulos dignitatum officiorumve gradus suspiciendo sermonem institutam in secunda de pontifice maximo, in tertia de patriarchis, primatibus, et archiepiscopis, in quarta de episcopis, in quinta de prælatis episcopo inferioribus, vel episcopalem vel quasi episcopalem jurisdictionem nactis, in postrema de parochis, istorumque officio ac potestate. Nemo non videt, rem hanc universam, quam pertractandam adgredior, summam per se exhibere elegantiam, ac ma-

jestatem, ubi nimirum emicant Ecclesiæ Dei facultates a Christo ad sponsæ suæ nitorem dignitatemque concessæ, quam quam noverim, et in hoc argumento eximia opus esse prudentia tum scribentis, tum legentis, in qua si ego ex virium infirmitate post omnem adhibitam diligentiam defuisse videar, Lectores benevolos rogo, ut ipsi sapientia sua et benigna suppleant interpretatione, cui semper me morem gesturum profiteor.

DISSERTATIO PRIMA

ET PROOEMIALIS

DE ECCLESIASTICA JURISDICTIONE

QUÆ GENERALITER POTIORIBUS ECCLESIÆ DIGNITATIBUS ET OFFICIIS COHÆRET.

Huc pertinet Titulus 33 Libri 1.

CAPUT I.

Quid sit ecclesiastica jurisdictio.

Non est adeo facile, uti nonnulli putant, prima rerum principia ponere, et quoties de rebus ad sublimem scientiam pertinentibus agitur, definitiones caussarum altissimas explicare. Jurisdictionem ecclesiasticam passim et vulgo nominant, in varias species partiuntur, quibus modis, et quibus in casibus eadem exerceatur, explanant. Quid illa sit, pauci meo judicio accurate ac dilucide tradiderunt. Et quidem initio nolo esse sollicitus de grammaticali nominis derivatione, libenter relinquendo iis, qui liberiore otio abundant, investigationem, an jurisdictio abs jure dicundo an potius abs jure et ditione dicatur. Potius rem ipsam considero in qua, si fundamentum omnium disputationum jacitur, studendum est, ut ita ponatur, quo cetera facile superextrui valeant; si fons et origo omnium traditionum agnoscitur, cavendum, ut recto tramite universa exinde deduci consectaria possint. Itaque imprimis aio, latius patere jurisdictionis significationem in ecclesiastico jure, quam in jure civili Romanorum. Etenim jureconsulti veteres romanarum legum interpretes, qui jurisdictionem abs jure dicundo appellabant, quadruplicem in republica potestatem, ac jus agnoscebant et distinguebant; nimirum majestatem, imperium, jurisdictionem, ac notionem. Majestatem dicebant supremum illud jus ceterorum omnium jurium originem, ac veluti fontem, ex quo omnia jura, potestatesque manarent, elucebatque potissimum in legibus ad commune bonum ferendis. Residebat illa in populo liberæ Reipublicæ tempore, translata deinde in Imperatores ætate recentiore. Imperium appellabant potestatem coercendi facinorosos homines, alias gladii potestatem; atque ista tempore liberæ Reipublicæ fuit aliquandiu penes populum, cui reservata erat facultas de capite civis romani pronunciandi, deinde vero singulari jure concessa fuit magistratibus jurisdictionem nominabant potestatem cognoscendi, judicandi, judicatum exequendi, et judicem dandi; quam magistratus perpetuo in vim proprii officii obtinuerunt, concessa quoque ipsis facultate coercendi non tamen graviter, ne, si omnis coercendi facultas deesset, inanis omnino jurisdictio redderetur; unde traditum scimus, imperium quoddam, quod mixtum ad differentiam meri vocaverunt, jurisdictioni necessario cohærere. Denique notionem dicebant facultatem cognoscendi, et judicandi; non tamen judicatum exequendi et judicem dandi; quæ competebat pedaneis judicibus, et datis magistratuum auctoritate instar propemodum arbitrorum. Aliter sonat in jure ecclesiastico jurisdictionis nomen; videlicet cunctas ambitu suo complectitur, quæ ecclesiæ competunt, facultates. Ferendæ sunt leges ab ecclesia ad definienda fidei dogmata, ad mores fidelium informandos, ad disciplinam stabiliendam? Jurisdictio explicari dicetur. Sunt coercendi rei depositionis, suspensionis, anathematis pena? Id jurisdictionis est. Convocandane comitia antistitum, monendus unusquisque prælatus, ut in officium ac munus suum incumbat? Jurisdictio exercebitur. Interponendane auctoritas in dedicatione templorum, in erectione, restauratione ecclesiarum, vel beneficiorum, in institutione clericorum in beneficiis, in alienatione rerum ad Ecclesiam pertinentium, et in aliis similibus? Jurisdictio est. Uno verbo: jurisdictio appellatur universalis quædam potestas ea gerendi atque gubernandi, quæ ad commodum Ecclesiæ pertinent; quamquam jurisdictionis nomen aliquando pontifices usurpaverint, ut distinguerent a ministeriis, quod attinet ad certos juris effectus, qui ex principiis romani juris erant definiendi cap. ult. in fine de off. et pot. jud. deleg.

Hæc tamen generalis jurisdictionis significatio usu loquendi contracta fuit, et contrahi necessario debuit ad secernendas duplicis generis potestates, quæ sacris Ecclesiæ administris competunt. Nulla est magis vulgaris apud nostros, quam communis illa ab omnibus recepta traditio, qua docemur, aliam esse in Ecclesia ordinis, aliam jurisdictionis potestatem: et quidem potestas ordinis multiplex est, in tot nimirum genera distributa; quot gradibus ecclesiastica hierarchia consistit, quorum omnium graduum officia modo ad corpus Christi verum in eucharistia conficiendum, offerendum, ac ministrandum, modo ad corpus Christi mysticum,

qualis dicitur fidelium cætus, instituendum, expiandum, ac sanctificandum, discreto sane singulorum munere diriguntur. At potestas jurisdictionis uno tantum genere continetur, tota in corpus Christi mysticum exercenda, quamquam modo ab universo clero in solidum administrata, modo a majoribus tantum minorum accedente consilio, vel consensu, modo a majoribus eisdem penitus libere, prout variæ temporum, locorum, caussarumque rationes invexerunt, aut constitutiones probaverunt. Quo modo vero invicem duæ istæ potestates secernantur; unde fiat, ut perspicue demonstretur, quænam ecclesiasticorum munera ad potestatem ordinis, quænam ad potestatem jurisdictionis referantur, tenebræ passim crassissimæ a pragmaticis, offunduntur, resque universa ita tractatur, ac si nulla propemodum certa generalia figi principia possint. Alii exempla congerunt ad propositum illustrandum, et tradunt ex. gr. facultatem erigendi templa, beneficia conferendi, et alia numero plurima ad jurisdictionis potestatem referri; viceversa ad potestatem ordinis facultatem ordinandi clericos, consecrandi ecclesias, sacramentum confirmationis administrandi, atque alia bene multa. Si caussam discriminis quæras, cuncta silentio obruunt. Ego sane jamdiu novi, non exemplis statuenda esse principia scientiarum, sed tantum utilia esse exempla posse post principia constituta, quoniam exempla sunt consectaria, non fundamenta et caussæ generalium præceptorum. Alii tradunt, illam dici potestatem ordinis, quæ nequit non ordinato ab ordinato mandari, quæ autem mandari potest, eam jurisdictioni tribui. Alii docent, potestatem ordinis non posse adquiri non ordinato in vim consuetudinis, præscriptionis, privilegii, statuti, conventionisque singularis, contra quam vigeat in potestate jurisdictionis. Alii indicant, potestatem ordinis, episcopalis adquiri episcopo tum demum, cum sit consecratus, potestatem autem jurisdictionis ex jure communi decretalium adquisitam fere censeri statim ab electione confirmata. Alii denique observant, potestatem ordinis e. g. episcopalis non transferri in capitulum sede vacante, contra quam fere contingat in potestate jurisdictionis. Ast universæ istæ traditiones, quamquam notas et characteres explicent utriusque potestatis, naturam tamen non satis pandunt, imo occasionem præbent dubitationibus, quibus singula implicentur. Quid enim, si ex. gr. quæratur, cur mandari nequeat potestas ordinis, cur nequeat adquiri consuetudine, præscriptione, privilegio, statuto, ac conventione, cur nequeat adquiri episcopo electo confirmato, cur nequeat in capitulum sede vacante transire, quando hæc omnia in jurisdictionis potestate contingunt; aut cur e converso mandetur, adquiratur, et transeat potestas jurisdictionis, quando nec mandatur, nec adquiritur, nec transit in propositis speciebus potestas ordinis? Altiora sane principia erunt stabilienda. Finge insuper, controversiam suboriri, an certa potestas ad ordinem potius, an ad jurisdictionem spectet, hanc ex positis laudatis principiis definire minime poteris. Num dices investigandum esse, an ea potestas, de qua quæritur, mandari possit, an minus, num transeat in capitulum vacante sede, an minus; num adquiri valeat consuetudine, aliove simili titulo an minus; num adquiratur episcopo electo confirmato, an minus? et quo casu mandari, transire, et adquiri ita possit, potestati jurisdictionis, secus potestati ordinis adscribendam censebis? Non inde facile decides controversias omnes, cum eisdem de caussis novæ dubitationes emergerent, num potestas, de qua quæritur, mandari, adquiri, et transire in alios valeat.

Dabo ego lubens operam, ut utriusque potestatis discrimina in aperta luce collocentur; qua tamen in re altissime repetenda est vis, atque indoles facultatum ambarum. Apud universas gentes ad certam sacrorum communionem ita suadente naturali ratione inducendam caussa fovendæ religionis in Deum constitui debuerunt sacerdotes, seu rerum sacrarum administri, quorum opera profanus populus doceretur, erigerentur templa, certi etiam ritus statuerentur divino cultui accommodati. Atque hæc erat, quæ sacerdotibus a populo designatis competebat potestas spectans res sacras sive divinas quam jurisdictionem appellabant. Quam rationem generaliter obtinuisse puto apud omnes, etiam tum primum, quum homines naturali tantum jure regebantur; uti enim apud ipsos caussa administrandæ civilis reipublicæ opportunum maxime fuit creare populorum duces, ne ferarum more unusquisque suæ voluntati libere indulgeret; ita caussa exhibendi cultus in Deum, utile visum est, ministros sacri ejusdem cultus designari, quorum cura fieret, ut in Deo colendo una esset singulorum adfectio, una ratio et voluntas. Verum deinde cum plerique hominum fuerint misere superstitionibus obruti, et nefaria idololatria obcæcati, ex Dei optimi maximi clementia factum est, ut in electo Judæorum populo certa veri sacerdotii forma haberetur in levitica tribu, statis certis ceremoniis, quas nemo contemneret, unusquisque sequeretur; satisque fuit, levitis ministerium sacrorum concedere, ut statim levitis ipsis concessa videretur jurisdictio illa, quam homines olim in Sacerdotes communi suffragio designatos contulerant. Unde liquet originem jurisdictionis sacræ ex jure gentium ductam fuisse, deinde divino jure non solum confirmatam, sed certo hominum generi singulari prærogativa donatam. Tum vero cum quorundam præterea certorum rituum se Deus ipse fecisset auctorem, qualis passim in libro Levitici legimus, nova facultas sacerdotali officio accessit a divino positivo jure primam

originem habens, qualis nimirum novos illos divinos ritus obeundos spectabat, unde etiam leviticum munus a munere ceterorum sacerdotum apud alias gentes constitutorum distinguebatur. Prima ista fuerunt christiani ministerii veluti lineamenta, et figuræ, quas deinde Christus a Deo in tempore hominibus datus divina sua auctoritate complevit, atque undecumque perfecit ad nobiliorem sponsæ Ecclesiæ dignitatem. Siquidem ipse, dum Apostolos elegit, ministerio sane perpetuo in seros quoscumque successores transferendo, primum voluit, ut cura omnis et sollicitudo sacrorum, qualis jure divino vetere in levitis, jure gentium in designatis a populo residebat, penes illos existeret; deinde, quod singularia sacramenta ad fidelis populi præsidium nova salutari lege instituit, sacramentum ordinis, a quo cetera sacramenta ministerii caussa penderent, condidit, cujus qui charactere insigniretur, ipse unus sacramenta illa conficeret (si baptismatis sacramentum excipias, quod utpote necessarium ex indulgentia quadam, et dispensatione quocumque ministrante susciperetur; aut forte etiam sacramentum conjugii; si verum est, quod nonnulli opinantur, singularem agnosci in eo sacramenti naturam, propterea que illud contrahentium ipsorum ministerio fuisse relictum). En discretas jurisdictionis, atque ordinis potestates, ita ut jurisdictionis recte dicatur protestas, quæ ex ipsa natura sacerdotii etiam ex antiquissima sui origine profluit, quæ primum apud omnes homines constitit, deinde ad levitas traducta, tandem ad sacerdotes evangelicos devoluta dignoscitur; ordinis recte dicatur potestas, quæ in collatione sacramentorum recens a Christo institutorum sit exercenda.

Nondum tamen satis hæc perspicua esse possunt, nisi quædam adjiciam de ordinis potestate, qua adamussim cognita, statim deprehendatur, in quo jurisdictio consistat. Non eadem est, qualis ceterorum sacramentorum, ordinis sacramenti natura; reliqua enim individua dicere possumus singula, non ordinem in plures distinctos gradus tributum, quales sunt episcopatus, presbyteratus, diaconatus, hyppodiaconatus, acolythatus, exorcistatus, lectoratus, ostiariatus, quorum in primis dignitatem si consideremus, alii aliis præstant, nimirum priores quatuor majores et sacri, posteriores minores neque adeo sacri dicuntur; quorum deinde si ad institutionem respiciamus, episcopatus, et presbiteratus divinam expressam indicare possumus institutionem; diaconatus jam ab apostolis ipsis commissum ministerium scimus ex actis Lucæ cap. 6., unde etiam Christum fuisse ejus auctorem facile colligimus; ceteros in genere quidem suo ab eodem servatore fuisse præstitutos, dum sacram hierarchiam generaliter ex episcopis, presbyteris, et ministris coalescere voluit; in specie autem ab Ecclesia designatos fuisse perspicimus, prout sacrorum administrandorum decus, Ecclesiæ utilitas, et necessitas pro temporum et locorum ratione postulavit; unde scimus, olim nonnullos ex memoratis gradibus alicubi non extitisse, extitisse e converso alios, qui ab usu recentioribus sæculis recesserunt; quales nominari possent psalmistatus, et cantoratus; quorum denique si tributa officia perpendamus, valde inter sese distincta cernemus; proindeque aliam potestatem ordinis in episcopo, aliam in presbytero, aliam in diacono, aliam, ut paucis dicam, in reliquis inferioribus clericis inveniemus; omnes sane utut in episcopis tanquam præcellentibus semper, in presbiteris, et diaconis aliquando, potestati jurisdictionis cohærentes; ubicumque tamen, et quandocumque abs jurisdictionis potestate distinctas.

Quod modo dixerim, divino jure ecclesiasticum ordinem fuisse institutum, non inde colligitur, a divino quoque jure repetendas esse singulas graduum, officiorumque distinctiones. Quamquam enim verissimum sit, divino jure distingui episcopatum a presbyteratu, presbiteratum a diaconatu; ut tamen subdiaconatus a diaconatu, a subdiaconatu ceteri minores ordines, quemadmodum et ipsi invicem, secernerentur, id jure suo Ecclesia induxit; imo nec in omnibus singulorum graduum functionibus, etiam illorum, qui Deum institutorem, distributoremque habuerunt, secernendis auctor est Deus, quando scimus, Ecclesiam ipsam certo ordini adscripsisse, quod alteri etiam adscribere potuisset. Divino jure episcoporum ordo illud habet singulare, ut nemo infra ipsos constitutus episcoporum, sacerdotum, et diaconorum faciat ordinationem, item ut nemo eo ordine non insignitus baptizatos sacramento confirmationis ordinario jure perficiat. Divino jure presbyterorum ordo illud habet, ut ab ipso, non ab alio inferiore eucharistia conficiatur, offeratur, et tempore confectionis administretur; item administrentur sacramenta pœnitentiæ, olei infirmorum, et sacramentum conjugii, si verum est, contrahentes non esse sacramenti administros. Divino jure diaconorum ordo illud habet, ut nemo ipsis inferior sacramentum baptismatis solemniter conferat, sacerdoti eucharistiam conficienti in sacris ministret, eandemque eucharistiam absentibus dispenset. Cur non Ecclesia potuit, certas, quæ, ab uno ordine peragi regulariter possent, functiones, superiori ordini veluti proprias reservare? Hujusmodi est in primis consecratio ecclesiarum, altarium, et vasorum sacro chrismate facienda, collatio minorum ordinum infra diaconatum, imo et tonsura clericorum, olei et chrismatis confectio, quæ sane singula licet in conspectu divini juris etiam sacerdotibus concedi potuissent, jure tamen ecclesiastico solos episcopos ministros desiderant.

Antequam vero ulterius progrediar, remque hanc universam clarius illustrem, nonnulla extricare juvat offendicula, quæ negotium progredienti facessere possunt. Is est in primis canon I. dist. 95, ubi cum Gregorius Magnus concedere videatur presbyteris, ut baptizatos in frontibus chrismate tangant, quibus in locis episcopi desint, forte quisquam observabit, ex dispensatione quadam permissum aliquando fuisse presbyteris ut sacramentum confirmationis administrarent, proindeque non jure divino eam potestatem episcopis reservari. Ego jamdiu in meis animadversionibus in codicem gratianeum agnovi corruptam Gratiani editionem: etenim pro illis verbis *qui baptizati sunt, et baptizatos*, legendum potius est: *qui baptizandi sunt, et baptizandos*, quemadmodum habetur tum in editione veneta gregorianæ epistolæ anni 1505, tum in Parisiensibus anni 1518, 1571, 1586, tum in basileensi anni 1564, tum denique in Maurina, ubi monachi auctores testantur, ita se legisse in MSS. veteribus numero quatuordecim. Porro verba ita concepta designant, aliam fuisse consignationem Presbiteris concessam, quam confirmatoriam, quoniam confirmatoria non in baptizandis, sed in baptizatis, exercetur. Erat igitur illa consignatio quædam ceremonialis, qua catechumeni ad baptismum præparabantur, cujus generis vestigia adhuc supersunt in recentioribus baptismi ritibus, can. 70, de cons. dist. 4. Ceterum in eadem epistola Gregorii ad Januarium Calaritanum expresse legimus, confirmatoriam unctionem ad solos episcopos pertinere, can. 120, de consecr. dist. 4, quod pridem Innocentius Papa I. ad Decentium Eugubinum scribens ex divino jure repetebat his verbis, cap. 3. *Hæc autem pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio actuum apostolorum, quæ asserit, Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum.* Idipsum perspicue tradidit Innocentius III, in c. 4, de consuetudine, dum reprobavit consuetudinem quorumdam orientalium presbyterorum sacramentum confirmationis administrantium, scribens inter cetera, sacramentum istud *ab apostolorum tempore fuisse solis pontificibus reservatum.* Quod si retineatur vox *baptizati, baptizatos*, intelligemus illam chrismationem ceremonialem, quæ fit statim post baptismum, distinctam a manuum impositione confirmatoria, uti distinguitur in can. 4, dist. 68. Secundo huc adferri solet, quod tradebat S. Hieronymus in can. 24, dist. 93, ibi: *Quid facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?* quasi sanctus vir sentiret, confirmationis administrationem presbytero non denegari. Verum quicumque considerat scopum Hieronymi, ambitum quorundam diaconorum sese supra presbyteros efferentium coerciturі, statim intelligit, agi ibidem de potestate regendi hierarchicam Ecclesiæ rationem, in qua sane præter ordinationem sacram nihil erat divino jure ex sententia sancti Doctoris singulare episcopis, quod presbyteris convenire non possit. Minime vero sollicitus esse debebat Hieronymus de sacramento confirmationis, utpote quod ad hierarchiæ clericalis regimen non spectabat. Tertio huc etiam referunt, quod legitur apud eundem Hieronymum in dialogo adversus Luciferianos, nimirum, quod in Ecclesia baptizatus nonnisi per manum episcopi accipiat Spiritum sanctum, hoc fieri *ad honorem potius sacerdotis, quam ad legis necessitatem.* Etiam hoc in loco sancti viri scopus est attendendus: videlicet ille luciferianos adgrediens non quidem dicebat, ad legis necessitatem non pertinere, quod episcopi spiritum sanctum in confirmatione conferrent, sed Spiritum sanctum etiam collatum fuisse ab arianis baptizantibus, quod luciferiani inficiabantur. Quarto huc referunt Ambrosii monumentum in caput 4, in epistolam Paulli ad Ephesios ita scribentis: *Apud Ægyptum presbyteri consignant, si præsens non sit episcopus.* Sed præterquamquod hæc factum Ægyptiorum, non jus indicant, quis hodie ignorat, hæc commentaria falso Ambrosio fuisse tributa, quemadmodum eruditi demonstraverunt? Adde, ibidem statim commentariorum auctorem in eam ivisse sententiam, ut traderet, episcopatus ordinem non esse a presbyteratu distinctum, dum ita subsequitur: *Sed quia cœperunt sequentes presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente Cornelio, ut non ordo, sed meritum crearet episcopum etc.* Nemini igitur mirum sit, auctorem illum potestatem confirmandi tribuisse presbyteris, qui ab episcopis presbyteros non secernebat. Denique quod gravius esse videtur, adferri solet decretum Eugenii IV, pro Armenis, in quo inter cetera hæc leguntur: *Legitur aliquando per apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili caussa, et admodum urgente, simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto administrasse hoc confirmationis sacramentum.* Si hæc verba referenda essent ad memoratam Gregorii magni epistolam, quam apud Gratianum corruptam fuisse modo adnotabam, dicendum sane foret, Eugenium retulisse, quid vulgo traderetur, non singulare quid piam constituisse. Equidem armeni schismatici in more habebant, ut confirmationis sacramentum presbyteris administrandum relinquerent, uti deducitur ex eorundem Armenorum concilio anni 1342, apud Martenium in tomo 7, item ex facto Clementis VI, qui non aliter recipiendum voluit in communionem consolatorem Armenorum patriarcham, quam si profiteretur inter cetera, sacramentum confirmationis non posse

ex officis ordinario ab alio, quam ab episcopo ministrari. Hinc Eugenius IV. Armenos instructurus in disciplina sacramentorum, ut indicaret sacramentum illud episcopis reservari, totum ad extraordinariam pontificis maximi auctoritatem exegit, si quando adpareret, quandoque presbyteris et illud fuisse concessum.

Video me in gravissimam disputationem adduci, potissimum inter theologos veteres agitatam, num extra ordinem pontifex maximus mandare presbytero possit, cum gravissima urgeat caussa, ut sacramentum confirmationis administret. Plane in tridentino concilio cum definitum fuerit, sess. 7, canone 3, de confirmatione, *Ordinarium* ejus sacramenti ministrum episcopum esse, de ministro extra ordinem constituendo nihil cautum est, propterea que sine concilii injuria quandoque pontifices maximi recentiores ea potestate usi fuerunt, præsertim postquam sanct. Thomas in 4, dist. 7, quæst. 3, et 3 parte, quæst. 72, artic. 11, in eam ivit opinionem, insuper habitis aliorum sententiis, qui contra scripsissent, cardinalis Pulli, Hugonis Victorini, Hadriani, Durandi et Estii, quibus recentiores alii subscripserunt. Orta primum hæc quæstio fuit post sæculum duodecimum, quo jam prodierat codex gratianeus: Corrupta autem Gratiani editio in dicto can. 1, dist. 95, plurimum roboris conciliare potuit scriptoribus extra ordinario ministro faventibus, uti colligitur ex iis, quæ ad hanc rem tradidit Benedictus XIV, in lib. 7 de synodo diœcesana, cap. 7. Ego vero post agnitum gratianei codicis vitium potius enitendum curarem, ut concludatur, jure quidem divino episcopali ordini solemnem, quæ ordinariæ nomine designatur, reservatam fuisse ejus sacramenti administrationem, quamquam extra ordinem etiam committi posse non episcopo, sed presbytero gravi urgente necessitate romanus antistes divinæ voluntatis interpres aliquando declaret, eodem fere pacto, quo ordinaria, et solemnis baptismatis administratio episcoporum, presbyterorum, et diaconorum ordini est adnexa, quin repugnent, Ecclesiam et omnibus etiam laicis permissam a Christo baptizandi facultatem interpretatam fuisse, proportione tamen servata inter baptismum et confirmationem, scilicet ut eo facilius in baptismo minister necdum diaconus, quam in confirmatione minister necdum episcopus admittatur, quo major est baptismatis, quam confirmationis suscipiendæ, administrandæve necessitas.

Revertamur in viam, a qua videor paullisper fuisse digressus. Sunt ecclesiastici quidam ritus ab Ecclesia ipsa adjecti divinorum sacramentorum exemplo, quos Ecclesia aut episcoporum, aut presbyterorum, aut etiam inferiorum clericorum ordini tribuere potuit. Constituit Ecclesia minores ordines exemplo majorum divino jure institutorum. En caussam, cur, ex quo episcopis ordinum majorum collatio reservata fuerit jure divino, reservata fuerit jure ecclesiastico collatio minorum. Voluit Ecclesia, ut in templis Deo dicandis, figura quædam agnosceretur animæ Deo servientis. En caussam, cur quemadmodum baptismum fidelium a presbytero, confirmatio per inunctionem facta ab episcopo solo est exspectanda divino, juxta ea quæ diximus, jure, ita Ecclesia voluerit, benedictiones templorum etiam a presbyteris mandatu episcoporum fieri posse, non vero consecrationes per inunctiones faciendas (idipsum dic de altaribus, et vasis inunctione consecrandis) quæ episcopis reservantur. Cur non ad exemplum istorum potuit Ecclesia ordinis episcopalis potestati adjicere olei, et chrismatis consecrationem, unde ceterarum rerum consecratio profluit? Cur non ad exemplum sacræ ordinationis a solo episcopo celebrandæ caveri potuit, ut solus episcopus virgines in monasteriis consecraret? Cur non, ut consecratas ecclesias deinde pollutas solus episcopus reconciliaret, juxta capitulum 9 de consecr. Eccles. vel altaris?

Multum tamen discriminis intercedit inter potestatem ordinis abs jure divino designatam, et eam ordinis potestatem, quam jure suo Ecclesia adjecit. In priore nulla admittitur dispensatio, nisi forte quibus in casibus aliter suadeat recta divini juris interpretatio, quemadmodum modo de sacramento confirmationis observatum est. Quis enim unquam tradere potuit, a non episcopo posse quandoque episcopos, diaconos, presbyteros ordinari, aut posse a non presbytero confici eucharistiam, sacramentum penitentiæ, vel extremæ unctionis administrari? At in posteriore potestatis ordinis specie dispensatio Ecclesiæ admitti potest; quoniam de dispensatione agitur, quæ non divinum jus, sed ecclesiasticum afficit. Hinc nemo ex. gr. inficiari poterit, minores ordines ex ecclesiastico privilegio etiam a presbyteris posse aliquando conferri in conspectu multorum hujusmodi singularium jurium, quibus plurimi præsertim monasteriorum Abbates gaudent. Hinc, et olei sacri, et chrismatis confectio concedi presbyteris potuit aliquando, quemadmodum legimus apud Joannem diaconum testantem in sua epistola ad senarium apud Mabillonium edita in tomo 1. Musæi italici, africanis presbyteris fuisse concessum. Similia dicas de consecratione ecclesiarum, altarium, vasorum, ac virginum.

Sic explicata ordinis potestate, modo etiam indicato, quo ista seu divino, seu ecclesiastico jure constituta potestati jurisdictionis accesserit jam liquet statim, quidnam nomine ecclesiasticæ jurisdictionis intelligere debeamus, eam scilicet, quæ nec in sacramentis a Christo institutis administrandis versatur, neque in exercendis rebus sacris quibusdam ab Ecclesia invectis

ad exemplum sacramentorum, et Ecclesiæ ejusdem auctoritate certo ordini adnexis: sed potius versatur in iis, quæ ex jure gentium sacerdotibus competunt, aut præter jus gentium ex moribus nationum et provinciarum. Igitur jurisdictionis potestas erit, si jurgia interdissidentes componantur, si contumaces pœnis coerceantur, si bona administrentur, si leges edantur, promulgentur, abrogentur, si a legibus dispensetur, si erigendæ sint sacræ ædes ad publicos sacrosque conventus, si instruendi populi, si diœceseos fines stabiliendi, si convocanda comitia, aut his similia peragenda; quæ sane omnia si et ipsi gentium sacerdotes obtinuerunt, solidato in evangelicis ministris vero sacerdotio Dei, ad ministros eosdem quadam ingenita ministerii sui pertinere noscuntur. Hinc autem plane intelligimus, et quidem facile, omnes discriminis caussas, quæ inter potestatem ordinis, et potestatem jurisdictionis intercedunt, quarum alias commoda reddi ratio non valeret. Scimus, potestatem ordinis mandari non ordinato non posse, contra quam contingat in potestate jurisdictonis episcopalis, quæ non episcopo committitur. Ex eo id profluit, quod potestas jurisdictionis ex jure gentium originem ducit, quo inspecto qui eam nanciscebatur, eandem mandare poterat: hæc autem jurisdictio translata in sacerdotes a Deo designatos, dignior quidem evasit, et nobilior, nón naturam suam, atque indolem immutavit. At potestas ordinis primum ex divino Christi jure profecta est, et quando Christus voluit ex sacramento ordinis ceterorum fere sacramentorum ministeria pendere, divina hæc dispositio mandatis hominum immutari non potest. Scimus, potestatem jurisdictionis subjacere consuetudinibus, privilegiis, præscriptionibus, statutis, conventionibus, concordatis, quod in potestate ordinis non contingit. Eadem ratio redditur, quia nimirum jurisdictio sacrarum juxta jus gentium laudatis caussis fuit obnoxia. Scimus, in capitula cathedralium transferri jurisdictionem episcopalem post mortem episcopi, quamquam transferri nequeat potestas ordinis. Eadem est hujus disciplinæ caussa, quia videlicet jure gentium jurisdictio sacrorum defuncto sacerdotum principe in sacerdotum collegium commeabat. Scimus, potestatem ordinis in omnibus eodem ordine insignitis æqualem esse, potestatem jurisdictionis inæqualem. Si caussam quæris, ego statim aio, jurisdictionem sacrorum ex jure gentium profectam non æqualiter sacerdotibus universis, ac singulis fuisse concessam. Scimus, jurisdictionem in corpus Christi mysticum exerceri totam, nunquam in corpus Christi verum, potestatem autem ordinis modo ad corpus Christi verum, modo ad mysticum referri. Pendet id ex eo, quod jurisdictio ex gentium jure profecta erga fidelem populum exerceretur extra caussam sacramentorum, quorum institutio olim gentes latuit, et ab una Christi voluntate profluit; at ordo a Christo institutus ad certa Sacramenta relatus est, in quibus modo Christi corpus verum conficeretur, offerretur, dispensaretur, modo aliis sacris signis fidelis populus sanctificaretur. Scimus denique, potestatem episcopalis jurisdictionis adquiri jure comuni episcopo statim ac electus est, et confirmatus, utut needum subsecuta consecratio sit. Undenam id commodius repeti potest, quam ex eo, quod jure gentium sacerdotum principes dicebantur jurisdictionem nancisci, statim ac a populo designati, confirmatique fuissent?

CAPUT II.

De variis juridictionis ecclesiasticæ partitionibus.

Ex iis, quæ præfatus sum de ecclesiasticæ jurisdictionis natura, quando præsertim tradidi, jurisdictionis nomen latius patere in jure ecclesiastico, quam jure civili Romanorum, et vi sua significare quamcumque sacrorum officiorum potestatem, ea tantum excepta, quæ ordinis appellatur; ex eo etiam quod ecclesiastica jurisdictio diversum finem habeat ab eo, quem habet jurisdictio civilis, propterea quod illa ad supernam patriam homines dirigat, interea etiam doceat, quibus modis ac rationibus Deus colendus est, atque ipsa religio in Deum vel firmanda, vel propaganda; facile colligitur, multas quidem esse vulgares civilis jurisdictionis partitiones, quæ ecclesiasticæ etiam jurisdictioni conveniunt; attamen nonnullas existere jurisdictioni ecclesiasticæ singulares. Operosa res esset, universas referre: tantum eas expendam, quæ celebriores sunt, atque utiliores.

In primis ecclesiastica jurisdictio alia dicitur interni, alia externi fori. Quæ fori interni jurisdictio appellatur, præcipue, et directo refertur ad singularem uniuscujusque fidelis spiritualem utilitatem, nec nisi secundario in utilitatem publicam, utpote quæ ex privatorum utilitate coalescit. Exercetur autem in sacramentis administrandis pro modo, et ordine illius, qui eadem jurisdictione pollet, in sacramentalibus similiter faciendis, in orationibus publicis fundendis, documentis, admonitionibus, atque his similibus, quæ cum leniora officia sint, nonnisi latiore significatione jurisdictionis esse dicuntur. Hinc magis proprie jurisdictio appellatur, quæ in foro externo consistit, utpote quæ valde similis est, salvo potestatis utriusque discrimine, jurisdictioni illi, quæ publicis magistratibus competit, et publicam utilitatem directo curat, quamquam secundario etiam foveat privatorum utilitatem singularem. Ista est, qua jurgiis de dogmatibus fidei, de morum doctrina, de disciplina subortis lata sententia finis imponitur, leges,

edictaque salubria conduntur, legitimisque pœnis rei criminum coercentur. Quinque exinde corollaria deducuntur. Primum est, in hoc etiam jurisdictionem ecclesiasticam distingui abs jurisdictione civili; nam civilis jurisdictio non in interno, sed in externo tantum foro consistit, quia civilis jurisdictio directo tendit ad bonum societatis, seu ad publicam utilitatem, nec nisi secundario in utilitatem privatorum. Secundum est, sano modo intelligi oportere vulgare adagium, quo fertur, Ecclesiam non judicare de internis, nimirum ita, ut referatur ad jurisdictionem fori externi, non fori interni. Corpus Ecclesiæ, seu universitas fidelium sensibilis est, ac propterea jurisdictio quæ respicit universitatem, non potest ea afficere, quæ latent in intimo singularium fidelium animo. At quod attinet ad peccatum damnandum, ad corrigendum, ad suadendum. vel dissuadendum, etiam intima cordium secreta pervadit, et hæc est fori interni jurisdictio. Ut exempla proferam, prohibet Ecclesia simoniam. Et interna sive mentalis, et externa simonia subjacet Ecclesiæ vetito, hoc tamen discrimine, ut internæ, sive mentalis simoniæ interdictum ad forum tantum internum pertineat eatenus, quatenus pœnis externis universitatem terrentibus non subjacet, secus ac contingat in simonia externa, quæ pubblicis pœnis coercetur. Prohibet Ecclesia, neque ultra annum ab Eucharistiæ sacramento abstineat. Qui communicat delicti seu criminis occulti adhuc reus, fori externi præcepta non violat, quia, quod attinet ad universitatem, satis eidem facit; violat autem jurisdictionem fori interni, cujus respectu præcepto Ecclesiæ satis non facit, quia singulari utilitati suæ ab Ecclesia in foro interno propositæ minime consulit. Tertium corollarium est, utramque potestatem, sive interni, sive externi fori a potestate, quæ dicitur ordinis, distingui; in primis origine, quia utraque potestas seu interni, seu externi fori ex jure gentium est, quamquam divino jure confirmata; et revera sacerdotes gentium, ac Judæorum monebant singulos de populo, in quo fori interni dirigebant cætum universum, in quo fori externi jurisdictio consistebat; deinde quoad finem, quia nec fori interni, nec fori externi jurisdictio ad sacramentorum, vel sacramentalium collationem redigitur, quemadmodum redigitur potestas ordinis. Quartum corollarium est, tantum distingui invicem jurisdictionem fori interni, et jurisdictionem fori externi, quantum distinguuntur invicem, et utilitas publica et privata. Hinc est, quod existere possint, qui habeant jurisdictionem in foro interno, quin habeant in foro externo, quales sunt parochi; e converso existere possint, qui habeant jurisdictionem in foro externo, quin habeant in foro interno, quales sunt vicarii generales episcoporum, vix clericali tonsura initiati, nimirum pro modo singulorum, quorum aliquibus mandatur cura præcipue, et directo universitatis, aliquibus cura directo et præcipue singulorum. Postremum corollarium est, maxima opus esse prudentia in definiendo, quænam ad fori interni, quænam ad fori externi jurisdictionem pertineant: Siquidem non adeo facile est ea secernere, quæ publicam, aut quæ privatam directo curent utilitatem, propterea quod utilitas publica vix sine privatorum commodo, aut commodum privatorum vix sine utilitate publica intelligitur. Ego exemplum præbeo: Facultas prædicandi evangelium, facultas absolvendi a peccatis, facultas absolvendi a censuris quod spectat ad vinculum, quo fideles spiritu cum Christo conjunguntur, est fori interni, quia prior tendit ad suadendum unicuique privato saluberrima quæque consilia, posterior tendit ad divinam gratiam privato cuique conferendam, postrema ad conjungendum cum Christo capite spiritualiter disjunctum membrum. At facultas concedendi potestates prædicandi, absolvendi, sive a peccatis, sive a censuris ad forum externum pertinet, quia hæc in bonum communitatis directo refertur, quatenus directo bonum christianæ reipublicæ respicit, ut designentur ministri, qui evangelium prædicent, qui a peccatis, quique a censuris absolvant.

Altera jurisdictionis partitio ea est, ut quædam sit, quæ nullum ecclesiasticum ordinem ex sui natura desiderat in exercente; quædam sit, quæ sine certo, puta episcopali, presbyterali, vel diaconali ordine exerceri non potest. Hinc, ut exemplum tradam, jurisdictio, quæ exercetur in absolutione a peccatis, ordinem sacerdotalem requirit, non eodem modo iurisdictio, quæ exercetur in absolvendo a censuris. Equidem ex iis, quæ superius in capite 1, tradita sunt, liquido constat, quænam sint, quæ ab ordine minime pendent, ea nimirum, in quibus aut sacramentorum a Christo institutorum. aut certorum sacramentalium ab Ecclesia institutorum exemplo divinorum sacramentorum administratio non versatur. Ut vero explicem, quænam illa sit potestas ordinis, quæ sine jurisdictione exerceri nequit, juvat observare, non in omnibus, quæ potestatis ordinis esse dicuntur, sufficere ordinis potestatem, ut rite exerceantur, sed ut plurimum requiri, ut potestati ordinis potestas cujusdam jurisdictionis accedat. Potestas quidem ordinis quæ refertur ad corpus Christi verum, sive ad conficiendam, offerendamque eucharistiam, nullam jurisdictionem requirit; sed si de ea potestate ordinis agatur, quæ refertur ad corpus Christi mysticum, sive ad fidelium cœtum, respectu cujus jurisdictio dici potest, quomodo exercebitur illa, nisi ab eo, qui in fideles ipsos nactus fuerit jurisdictionem? Itideesi referatur ad certas res, siva loca, quomodm exercebitur, nisi ab eo, qui respectu rerumo aut locorum jurisdictionem habuerit? Admi-

nistranda sunt, et dispensanda fidelibus sacramenta? Sacramentalibus quibusdam expiandi, vel sanctificandi. vel in divina gratia confirmandi fideles? Consecranda, seu benedicenda sunt loca, vel res sacris usibus destinatæ? Non ab alio hæc omnia fieri poterunt, quam ab eo, qui aut personali respectu fidelium, aut locali, seu diœcesana respectu rerum seu locorum iurisdictione potitus fuerit. Sed heic difficultatibus obvoluta suboritur quæstio. Quamquam enim certissimum sit, illicitum esse ordinis ministerium, ubi deficiat jurisdictio, in iis casibus, in quibus ordinis exercitio jurisdictionem etiam postulat, non tamen exploratum statim esse potest, num acta omnino irrita sint censenda. Ego puto, distinguendam esse ordinis potestatem institutam a Christo Domino, quæ in sacramentorum administratione consistit, a potestate ordinis, quam Ecclesia adjecit. Si sermo sit de potestate ordinis a Christo instituta, seu de collatione Sacramentorum, valida illa erunt omnia, una excepta sacramenti pœnitentiæ administratione, ex eo quod sacramentum istud singularem habuerit institutionem, quasi instar judicii in eo procedendum sit; alias autem verum sit, irrita esse acta judiciaria, quæ auctorem habent jurisdictione carentem. Neque dicas, idipsum dicendum esse de sacramento conjugii, utpote quod irritum est, si ab eo conferatur, qui neutrius ex contrahentibus sit parochus juxta decretum concilii tridentini in sess. 24, de reform. matr. cap. 1, etiamsi enim ponamus, sacerdotem esse hujus sacramenti ministrum, illud non ex eo profluit, quod deficiat tunc jurisdictio in sacerdote, sed potius quod deficiat sacramenti materies, qualis est legitimus contractus, qui sane legitimus dici nequit ea deficiente solemnitate, quam tridentini antistites necessariam esse sanxerunt. At si sermo sit de potestate ordinis, quam ecclesiastica institutio adjecit, generaliter quidem dixero, irrita non esse acta deficiente jurisdictione, quia Ecclesia in hac parte secuta videtur disciplinam sacramentorum a Christo institutorum, et quodammodo divinam ipsam potestatis ordinis naturam imitata; nisi tamen forte constitutioni ecclesiasticæ decretum irritans adjectum fuerit; tunc enim non esset dubitandum, quominus irrita etiam forent acta quæcumque, utpote quæ eo ipso jure, quo induci, irritari pariter potuerunt, juxta generalem regulam capit. 1, de reg. jur.

Tertia ecclesiasticæ jurisdictionis partitio ea est, qua modo jurisdictionem dicimus universalem, seu in universa ecclesia exercendam, modo particularem, seu vel intra certa personarum genera, vel intra certos locorum fines coercitam. Universalis illa jurisdictio, postquam constitutæ fuerunt ecclesiasticæ diœceses, atque provinciæ, a nemine exerceri unquam potuit, quam vel a pontifice maximo vel a conciliis generalibus: ast jurisdictio particularis singulis prælatis pontifice maximo inferioribus inest pro uniuscujusque modo. Hinc, uti modo adnotabam, aliquando coercetur intra certa personarum genera, uti contingit in prælatis regularibus ex privilegio singulari in monachos sui ordinis jurisdictionem exercentibus; aliquando coercetur intra certa loca, ut qui ibidem invenitur, illi subjaceat, uti contingit in jurisdictione episcoporum designatam diœcesim habentium, item parochorum, quibus etiam certi definiti sunt limites parochiarum. Equidem certissimum est, jurisdictionem istam particularem rite exerceri, quoties prælatus eadem potius fines suos undecumque positos custodit. Quid vero, si in parte tantummodo custodire videatur? Id evenire primum potest quum prælatus jurisdictionem exercere velit in suæ diœceseos homines una secum in alia diœcesi commorantes, utpote qui tantum locorum fines transgreditur, non in personas alieni juris potestatem explicat. Ego puto, multum discriminis intercedere, an potissimum ratione loci, seu, uti vulgo vocant, territorii jurisdictio competat, an ratione potissimum personarum. Quoties enim præcipua habita fuerit loci, seu territorii ratio, prælatus extra diœcesim constitutus ne in suos quidem subditos pariter extra diœcesim constitutos jurisdictionem exercere poterit, nisi agatur de jurisdictione voluntaria, dummodo hæc ipsa voluntaria jurisdictio vel cum potestate ordinis non confundatur, vel a potestate ordinis minime pendeat. Hinc ex. gr. poterit Episcopus extra diœcesim literas dimissorias concedere sacerdoti absolvendi facultatem respectu suæ diœceseos facere, alicui indulgere, ut in diœcesi Ecclesiam ædificet, atque exinde juspatronatus adquirat, ac similia; non tamen rite aut ordines ecclesiasticos, aut sacramentum confirmationis conferet; atque eadem ratione non rite sacramentum pœnitentiæ administrabit; quod enim impedit, ne ordinem episcopatus rite exerceat, impediet pari jure, ne exerceat eam jurisdictionis speciem, in qua exercenda etiam sacerdotalis ordo exercetur. Secus dicendum esset de absolutione a censuris extra forum pœnitentiale, utpote quæ solam exhibet jurisdictionis, non ordinis potestatem. Similia dicemus de parocho, qui fines diœcesis egressus ne parochianum quidem suum absolvere poterit in foro pœnitentiali; quamquam, si in diœcesi inveniatur, utut extra parochiam, forte aliud dicendum videatur, quasi non ordinariam tunc interni fori jurisdictionem exerceat, sed a suo episcopo delegatam; etenim episcopus, qui sacerdotibus pluribus eam facultatem in tota diœcesi mandare solet, non denegavisse parochis a se institutis in proposita saltem specie præsumitur. Harum omnium propositionum ratio facile ex eo repetitur, quod jurisdictio, quæ potestati ordinis non cohæret, in jure gentium originem

positam habet, proindeque iis principiis regitur, quibus publico jure humano generalis jurisdictionis indoles constituta est; alias autem verum est, generaliter jurisdictionem voluntariam extra territorium exerceri libere posse, contra quam vigeat in jurisdictione contentiosa. At vero illa jurisdictio, quæ ordini cohæret, singulari jure regitur, et post tributos diœceseon fines, adsignatamque unicuique prælato propriam diœcesim, cautum est, ne ordinis potestas a quoquam exerceretur, nisi intra fines singulis præstitutos. Quod si præcipue ratione personarum jurisdictio competat, ubicumque prelatus invenietur, in subditum suum jurisdictionem ipsam exercebit, utpote quæ loco minime circumscribitur, uti evenit in prælato regulari, qui etiam extra monasterium jurisdictionem exercet in monacum dummodo nihil agat, quod turbet jurisdictionem diœcesani, in cujus nimirum diœcesi versatur. Præterea evenire solet, ut tantum in parte fines jurisdictionis custodire prelatus videatur, quum ipse quidem locorum fines minime transgreditur, sed exercere vult jurisdictionem in subditos alienos, puta advenas, vel peregrinos. De peregrinis, qui nullam certam habent sedem, atque jamdiu patriis laribus omnino desertis aut perpetuo, aut indefinite vagandi animum se habere demonstrant dicimus, eos considerari tanquam subditos ejus jurisdictioni, in cujus diœcesi inveniuntur, licet brevi ab eadem sint discessuri. Alia est de advenis ratio; etenim isti, uti adhuc subsunt suo prælato, a quo discesserunt, ita non subsunt jurisdictioni illius, in cujus diœcesim se receperunt, brevi ab eadem discessuri. Hæc tamen regula suas habent probabiles exceptiones. Prima est, si advenæ deliquerint in ea diœcesi, in quam advenerunt; etenim ratione delicti subesse incipiunt prælato loci, in quo deliquerunt, et ad eum prælatum pertinet læsæ suæ Ecclesiæ nomine vindictam sumere. Secunda exceptio est in ea jurisdictionis specie, quæ proprie magis officium, quam jurisdictio dicitur, atque consistit in admittendis cujuscumque diœceseos fidelibus ad christianam communionem etiam eucharisticam ad argumentum ecclesiasticæ unitatis, qua diœceses omnes sub Christo principe colligantur. Tertia excepto est in ea jurisdictionis specie exercenda, quæ consistit in indulgendis quibusdam spiritualibus subsidiis, vel sine quibus animæ salus haberi non facile possit, vel quæ sive ratione loci, sive ratione temporis a proprio prælato, vel parocho commode peti, obtinerique nequeant. Hinc ex. gr. advenæ pœnitentiæ, eucharistici viatici, extremæque unctionis sacramentis iuvari ab episcopo, vel parocho loci, in quo inveniuntur, jure optimo possunt, imo et debent, ne forte ob loci distantiam, vel ob temporis moram igrave periculum animabus immineat. Qua tamen in specie in primis adnotare oportet, advenam dici nonnisi eum, qui certo prælato subest ratione loci, a quo profectus est, non eum, qui ratione personæ subditus sit alteri prælato, puta regulari, in diœcesi ordinarii constituto, et nullam diœcesim habenti; hic enim exemtus potius, quam non subditus proprie appellatur, ex quo intelligitur, perperam monachum exemtum extra clauxtra exeuntem, in loco tamen, in quo monasterium situm est, absolutionem peccatorum petere ab ordinario, vel ab eo, qui aut abs jure communi, aut ab ordinario ipso nactus fuerit absolvendi facultatem, sed teneri eum a suo prælato sacramentum suscipere. Deinde adnotare etiam oportet, ne advenas quidem extra casum extremæ necessitatis absolvi posse a peccatis in diœcesi, a qua profecti sunt, episcopo reservatis; hæc enim absolutio extra diœcesim in fraudem petita, nimirum ad reservationem eludendam, intelligeretur.

Duas quoque jurisdictionis species designavit, qui *legem jurisdictionis a lege diœcesana* parum apta docendi formula voluit sejungendam, distinctione profecto veteribus omnino incognita, sub finem primum duodecimi sæculi inventa a glossographo gratianei codicis, sive ille sit Joannes Hugutio vercellensis, sive ille sit Joannes Semeca dictus Teuthonicus ad canonem. 1. caus. 10. quæst. 1., et ad canonem 34. caus. 16. quæst. 1. Prodierant jam tum monasteriorum numero plurium exemtiones non quidem ita, ut episcopi nullam omnino exercere in monasteria et monachos jurisdictionem valerent, sed ut quædam definita proponerentur singularia, a quibus Episcopi abstinere deberent. Hinc libera abbatum, seu præpositorum electio monachis reservabatur, nisi extra ordinem episcopi auctoritatem intercedere oporteret, quemadmodum Gratianus, idemque monachus testatur post can. 8, caus. 18, quæst. 2, præterea interdicebatur episcopis, ne publicis missarum solemniis, seu frequentissimo populi conventu ad monasteria indicto, solitariorum disciplinam turbarent, can. 6, caus. 18, quæstion. 2., item interdicebatur episcopis ne bona monasteriorum sibi, suisve ecclesiis vindicarent; alicubi etiam, ne factas monasteriis oblationes imminuerent, ne concessis decimis detraherent, ne procurationes, ne cathedratica, seu synodatica, ne quartas, vel tertias mortuariorum exigerent, neve alia id genus molirentur, prout vel fundationum tabulæ, vel receptus usus, vel singularia cænobiorum privilegia postulabant, integra manente in reliquis jurisdictione episcopali. Quamobrem cum congruum tunc fuisset tradere, episcopos jurisdictionem suam exercere posse in monachos extra caussas privilegiis, tabulisve fundationum comprehensas, vel consuetudine exeptas, maluit glossographus respectu monasteriorum, et monachorum quasi duplex esset dividere potestatem episcopalem, alteram

nominans legem jurisdictionis, alteram legem diœcesanam ea adscribens legi jurisdictionis, in quibus incolumis potestas episcoporum in monasteria, monachosque remanserat, et legi diœcesanæ adscribens illa, in quibus et monachi, et monasteria exempta proponerentur. Placuit statim ingeniosa, ut videbatur, glossographi traditio, multa utut obscuris, brevibus tamen verbis complectens, proptereaque scholasticis illius ætatis, quam nemo unquam auream appellavit, institutionibus, ac metodo accommodata. Quamobrem ubi ejus generis controversiæ inter episcopos, et monachos emergerent: vix ad tabulas fundationum, ad privilegia, ad singulares probatas consuetudines respiciebatur: potius sollicitus quisque erat de generali explicanda recepta regula, qua diœcesanæ legis, qua legis jurisdictionis, quæ sane uti nova erat, et privati auctoris commento obvoluta potius, aut adumbrata, quam in lucem perspicuam edita ita, acerrimis concertationibus occasionem præbebat, hinc episcopis certas potestatis species ad legem jurisdictionis referentibus, illinc easdem monachis referre conantibus ad legem diœcesanam; quasi per eam distinctionem non controversiæ componendæ fuerint, sed controversiarum mutanda argumenta. Nonnihil in hac parte occasione subortæ cujusdam litis inter episcopos et monachos definiendum fuit ab Honorio III, in cap. 18 *de offic. ordinar.* et cap. 22 *de regular.*, et ab Innocentio IV in cap. 4 de verb. signif. in 6, ex quo etiam liquet, in ecclesiastico foro eam distinctionem sæculo decimotertio fuisse receptam, imo et auctoritate eorundem pontificum confirmatam videri: Tantus honor tunc glossographorum inventis, ac placitis tribuebatur. Num vero ex eo, quod *diœcesanæ legis* mentio fiat in concilio ilerdensi dicto can. 1 et 34, colligere quisquam poterit, jam a medio sexto ecclesiæ sæculo, quo concilium illud celebratum fuit, eam distinctionem conditoribus canonum, fuisse compertam, aut ipsis forte auctoribus adserendam? Id puto in mentem venire posse nemini ex iis, qui monasticarum exemtionum origines vel mediocriter norunt: etenim vel ii, qui vetustissimas ejusmodi exemtiones fuisse demonstrant, nullum illarum antiquius vestigium inveniunt, quam in monumentis Gregorii Magni sub finem sexti, vel sub initium septimi sæculi, quæ an genuina omnia sint, nihil interest in præsentia disquirere. Hinc censere, legem diœcesanam jam distinctam fuisse a lege jurisdictionis temporibus concilii ilerdensis, ut jamtum adpareret, quibus in caussis obnoxia potestati, in quibus e contrario exemta a potestate episcoporum monasteria forent, quid aliud, esset, quam credere, ilerdenses patres illorum jurium controversias voluisse dirimere quæ nondum in Ecclesia prodiissent? Si glossographi, qui ferreis pene sæculis scripserunt, id tradere non dubitarunt, parcendum est illorum temporibus; at ætate nostra id prorsus foret indignum. Itaque ilerdenses antistites in dicto can. 1. nihil aliud sanxerunt, quam basilicas universas ab jurisdictione episcopi, quæ ibidem lex diœcesana dicitur, pendere debere, quod attinet ad bonorum administrationem, nisi ageretur de monasterio revera erecto, et de monachis in illud inductis servaturis regulam ab episcopo probatam, uti integer concilii textus docet, qua in specie non episcopo reservabatur bonorum temporalium administratio, quod tantum in bonis ecclesiarum vigebat, sed monachis relinquebatur; quæ eadem est sententia dicti can. 34, quemadmodum expressa verborum formula aperte demonstrat.

Est alia jurisdictionis ecclesiasticæ partitio, etiam civili romanorum jure cognita, quando voluntariam jurisdictionem a contentiosa secernimus; voluntariam scilicet, qua prælatus inter volentes gratiosum præbet officium, ex. gr. indulgentias, beneficia, mandata ad absolvendum concedit, a censuris absolvit, et similia peragit; contentiosam, qua prælatus etiam inter invitos jus dicit, lites dirimit, cohibet contumaces. Verum magis opportuna est civilis, quam ecclesiastici juris interpretibus ista distinctio; siquidem jureconsulti generalem exinde regulam posuerunt, qua fieret, ut contentiosa jurisdictio extra territorium exerceri nullo modo posset, contra quam reciperetur in voluntaria. At juris ecclesiastici interpretes quamquam in executione contentiosæ jurisdictionis illud ipsum recipi oportere communi suffragio tradiderint; non tamen idipsum recipere potuerunt in voluntaria, quod ista aliquando pendeat ab ordinis potestate, cui cohæreat; rectissima sane ratione: etenim cum primigenia jurisdictionis ecclesiasticæ indoles, ubi nulla simul ordinis potestas exerceatur, juris gentium sit, uti in capite 1. observavimus, licet divino Christi jure confirmata, et prælatis Ecclesiæ tradita, eodem modo exercetur, quo exercetur jurisdictio publica, quæ ex jure gentium civilibus magistratibus inest. At ea jurisdictionis ecclesiasticæ pars, que sine exercitione ordinis exerceri minime potest, singularem naturam induit, et quodamodo in potestatem ordinis tanquam excellentiorem transformata generales juris gentium regulas transcendit, quasi tota divina sit, et singulari jure regatur. Itaque divisis diœcesibus inter prælatos Ecclesiæ ubi prælatus a sua diœcesi absens velit in suos subjectos voluntariam exercere jurisdictionem, quin ordinem, quo insignitur, exerceat, id patitur generalis voluntariæ jurisdictionis natura. Ubi vero etiam in subiectos suos velit eam jurisdictionis speciem exercere, quæ sine ordinis ministerio explicari nequit, quemadmodum contingeret, si sacramentum ordinis, et confirmationis diœcesano suo conferret, id minime concedi visum est. Revera hæc jurisdictio non ita exer-

cenda est, ut privatim, et sine certa celebritate fiat, sed publica quadam majestate, qua divinus ordo emicet decore, eamque ob rem episcopus eam exercens pontificalibus ornamentis indui ex ecclesiæ constitutionibus debet. Quam ipsam ob rem hujus potestatis officia et actus quoties extra diœcesim obeantur, magis et pressius indicant non servatos diœcesis fines, quos post divisionem servandos esse vetustissimi canones uti saluberrima, ita et severa sanctione voluerunt.

Juris quoque civilis regulis acceptam referimus aliam jurisdictionis partitionem, juxta quam illa vel ordinaria dicitur, vel mandata, vel prorogata. Si enim Romani veteres ordinariam jurisdictionem dixerunt, quæ competeret in vim magistratus lege generali definita; nos pari fere ratione ordinariam dicimus, quæ vel ex generali can. disciplina, vel ex privilegio, quod vim legis habeat, vel ex consuetudine, quæ legem facile imitatur, competat ita, ut adeptæ potius dignitati, quam personæ dignitatem gerenti, quæsita perpetuo credatur. Hujusmodi est jurisdictio fori interni, quæ parochis, fori etiam externi, quæ episcopis, et quæ capitulis sede vacante jure communi tribuitur, item quæ pro modo privilegiorum abbatibus, ceterisque prælatis episcopo inferioribus singulari jure conceditur. Si iterum Romani veteres mandatam jurisdictionem dixere, quæ certæ personæ committitur ab eo, qui ordinaria fruitur, vel ad certum tempus, vel ad certam causssam, vel etiam donec magistratui visum fuerit; nos eisdem regulis mandatam ecclesiasticam jurisdictionem metimur. Tantum illud adjicimus singulare, ut ea mandari non similiter ordinato minime queat jurisdictionis potestas, cujus exercitio esse nequit sine ordinis exercitione; si enim ista mandaretur, quid aliud ageret mandans, quam ei rem delegare, ad quam obeundam divino jure est inidoneus; quod facile percipit, quicumque respicit ad superius tradita potestatum, jurisdictionis ordinisque discrimina. Si denique Romani veteres et privatorum consensione ex lege Julia prorogari posse jurisdictionem ordinariam voluerunt; ab his ipsis regulis minime recesserunt juris ecclesiastici conditores, sive in eo, quod utriusque collitigantis consensus ad prorogandam jurisdictionem requiratur, cap. 1. et 18 de foro compet. sive in eo, quod eum, cujus jurisdictio prorogatur, jurisdictionem adhuc habere oporteat, dicto cap. 18. Imo et factam olim a lege julia prorogandi potestatem in codicibus romani juris non satis aperte undique explicatam, clarius auctores canonum adjectis insuper utilibus regulis ediderunt. Hinc primo voluerunt, ad prorogationem non sufficere consensum procuratoris, nisi iste mandatum speciale ad eum finem habuerit, cap. 32, de officio, et potestate judicis delegati; secundo, ubi agendum sit de prorogatione de persona ad personam, secernendam esse sanxerunt jurisdictionem ordinariam a delegata, prorogationem jurisdictionis in ordinaria admittentes in ea specie, qua legitimus colligantium judex consentiat, dicto cap. 1. et 18. ea singulari ratione, quia clericis alienum a litibus ac jurgiis animum esse oporteat, nec alias litem instituere concedatur, quam si judicio episcopi justam caussam subesse constiterit, can. 17. caus. 11. q. 1: juncto can. 1 et 7, dist. 90 in delegata autem jurisdictione prorogationem rejicientes, ne delegatio adversus ordinarios obtenta latius facile extendatur, cap. 40 de offic. et potest. jud. deleg. tertio, ubi agendum sit de prorogatione de re ad rem, eam fieri posse decretum est, sive ratione habita delegati, sive ordinarii judicis, dicto c. 31. Quarto denique, ubi agendum sit de prorogatione et de loco ad locum, et de tempore ad tempus, delegatam iterum ab ordinaria jurisdictione distinxerunt, prorogationem in delegata admittentes, in ordinaria denegantes, cap. 4, de offic. et potest jud. deleg.; cap. 11, § 3, de rescriptis in 6 optima sane ratione, quia scilicet delegato judici collitigantium tantummodo gratia et favore, cui propterea renunciare ipsi valeant, et certum designatum locum, et certum definitum tempus fuisse præsumitur; at judici ordinario publica utilitas, et gerendæ administrationis ratio locum designavit, tempusve definivit, privatorum arbitrio non æque facile immutandum.

Quod modo de prorogata jurisdictione dictum est, ad eam tantum pertinet jurisdictionis partem, quæ in controversiis in judicio dirimendis versatur, utpote ad quam unam legis juliæ sententia pertinebat, quam legem in hac parte secuti sunt canonum conditores. Neque deerunt aliæ utiles jurisdictionis partitiones, si ad hanc jurisdictionis ecclesiasticæ speciem orationem coerceamus: Nimirum alia statim emerget, quæ tantum instar arbitrii exercetur qualis era episcoporum veterum etiam in caussis laicorum ex constitutionibus principum christianorum, l. 7. Cod. de episcop. audient., et generaliter clericorum universorum, quos ab arbitrio episcopi declinare non licebat, ne jurgiis litium, quæ lenitatem animi custodiri facile non sinunt, fora publica implentes bonam apud omnes conceptam universi cleri opinionem labefactarent, iis præsertim temporibus quibus magistratus publici ab ethnicis seu extraneæ religionis ominibus gerebantur, can. 34. 35. 36. 38. 43 et 45, can. 11. qu. 1, quo pertinere puto, quod scribebat Paulus apostolus in epist. 1 ad Corinthios, cap. 6. *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum judicari apud iniquos, et non apud sanctos? An nescitis, quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis? Nescitis, quoniam angelos judicabimus? quan-*

to magis sæcularia? Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemtibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. Ad verecundiam vestram dico: Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum? Sed frater cum fratre judicio contendit, et hoc apud infideles. Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Expediebat tum christianæ religioni mitissimum esse christianorum omnium animum, talemque constantissime exhiberi, eamque ob rem intererat abstinere ab jurgiis in fidelium tribunalibus concitandis, quod fiebat, si universæ lites christianorum, etiam *contemtibilium* quorum nomine veniebat etiam quivis de christiana plebe, arbitrio terminarentur. Huc etiam pertinebat, quod scimus aliquando obtinuisse in pœnitentibus, qui si de certa caussa litem essent acturi, monebantur, ut non inter forenses strepitus adducerentur, sed potius pacate in episcopi arbitrium universa conferrent, ne quidquam mansuetudinis illorum conditioni detraheretur; can. 34, caus. 11, qu. 1. Præterea alia emerget jurisdictio, quæ proprie exercetur adjectis omnibus jurisdictionis qualitatibus, nimirum citatione, caussæ cognitione, sententiæ pronunciatione atque executione; cujusmodi præ ceteris illa est jurisdictio, quæ in caussis spiritualibus, et mere ecclesiasticis competit; item alia emerget jurisdictio, quæ meri ecclesiastici fori dicitur, alia mixti, pro qualitate, et modo caussarum, quarum aliæ definiri ab una ecclesiastica potestate possunt, aliæ, quarum definitio ab ecclesiasticis potestatibus æque ac a publicis magistratibus impetrari obtinerique potest, et in quibus solet concedi preventioni locus; alia denique emerget jurisdictio, quæ in privatis negotiis, veluti jurepatronatus, jure beneficii et similibus; alia, quæ in reorum coercitione, et indicenda criminum pœna versatur. Sed hæc tritissima sunt, atque in vulgari prudentia posita, in quibus etiam si quid difficultatis prosiliat, facile ex iis quæ inferius tradenda sunt, dissolvetur.

CAPUT III.

Generalia quædam traduntur, quibus demonstretur, ab Ecclesia veramj urisdictionem exerceri.

Quamquam generaliter verum sit, nomine ecclesiasticæ jurisdictionis ea omnia intelligi officia, quæ in quacumque rerum ecclesiasticarum administratione versantur, ut hac ratione jurisdictionis potestas a potestate ordinis secernatur, absit tamen a me, ut in opinionem descendam Salmasii, qui tum in libro de trapezitico fœnore, tum in libro de episcopis et presbyteris, quem sub nomine Vallonis Messalici postremo edidit, personis, et dignitatibus ecclesiasticis veram inesse potestatem, ac jurisdictionem inficiatus est, nudum tantummodo ministerium tutelæ, et curationi simile adseruit. *Veteribus* (refero ejusdem verba in dicto libro de trapezitico fœnore pag. 412) *Episcopatus in Ecclesia non fuit nomen dignitatis, aut potestatis, sed curationis, et administrationis, et non solum in ecclesiasticis, sed etiam in civilibus curatio et potestas diversa fuit; nam quædam officia curationem habent non potestatem: Talis in ecclesia fuit episcopatus.* Rursus in lib. 6. de episcopis et clericis ita scribit: *Si hunc audimus episcopum, ex prima institutione sui nihil aliud fuisse, quam curatorem, nullo magisterio, nulla auctoritate præditum, quasi opificem quendam, aut ministrum.* Duo hic comminiscitur Salmasius jurisdictioni ecclesiasticæ infensus, quorum primum derivat ex nomine episcopi, quasi lene admodum sit, et tutoriæ vel curatoriæ simile indicans officium. Si attentius rem ipsam consideravisset, novisset quoque similia officia tribui etiam magistratibus, et principibus, qui ceteroqui vera et gravi pollent jurisdictione. Aristoteles lib. 1 politicorum ita scribebat: *Regem bonum oportere, non tyrannicum esse .... sed œconomum, idest dispensatorem, et velut tutorem*; et Cicero in lib. 1 officiorum: *Omnino qui reipublicæ præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant.... alterum, ut totum corpus reipublicæ curent.... ut enim tutela, sic procuratio reipublicæ ad eorum utilitatem, qui commissi sunt, gerenda est.* Quid ergo Salmasio mirum videri debet, episcoporum, seu dispensatorum nomine donatos esse Ecclesiæ antistites, quando invicem non adversantur curatio, administratio, dispensatio, ac potestas et jurisdictio? Neque vero Ecclesiarum prælati mitioribus hujusmodi vocabulis, tantum designati fuerunt. Nam Chrisysostomus in oratione de S. Babyla episcopos *Archontas* vocabat, et in oratione 64 aiebat, episcopos *præsse imperio*, vel *imperium tenere*, necnon in oratione de S. Ignatio scribebat, *Civitatem suæ curæ commissam regere, et post Petrum successisse in principatu Antiochenæ urbis Ignatium.* S. Isidorus hispalensis in can. 1 dist. 21. quem secutus est summus pontifex in c. 2 de major. et obed., episcopos principibus comparabat, ut quemadmodum romano Imperio princeps, ita ecclesiæ episcopus præsideat. Jure propterea S. Augustinus in psalmum 67, episcopatum vocat *ministerium honorabile*, scilicet *ministerium*, quia rerum ecclesiasticarum habet episcopus dispensationem, et curam, *honorabile*, quia vere dignitati innititur, ac potestati. Quod si quandoque curationis potius, ac ministerii nomen simpliciter legimus adtributum, id ex eo proficiscitur, quod vetus Ecclesia ad explicandam jurisdictionem suam mitissimis semper usa nominibus est, quæ animi demissioni, in qua,

ut inquit Beda, voluit Christus eam crescere, penitus responderent, eodem modo, quo Ecclesia leges suas non leges voluit appellandas, sed regulas, sive canones, vocabulo simpliciore contenta, can. 1 et 2, dist. 3. Alterum, quod comminiscitur Salmasius est, veteres episcopos officium quidem gessisse, non jurisdictionem. Sed iterum hic parum attendit ad jus gentium, ad jus divinum, ad jus et disciplinam vetustissimam Ecclesiarum, populorum et principum consensione perpetuo confirmatam.

Fusius æquo disputatio protraheretur, si gentium singularum mores, quod ad rem attinet, expendere vellem. Præcipua dumtaxat attingam, atque in iis potissimum immorabor, quæ Romani veteres optimi morum magistri suis institutis receperunt, quin tamen aliarum cultiorum nationum consuetudines penitus omittam, utpote quæ caussam hanc maxime juvant, et promovent perquam abunde. Refert Alexander ab Alexandro in libro 2, genialium cap. 8 apud Ægyptios secundum a rege locum sacerdotes obtinuisse, et in sacris caussis summo potitos imperio, quod in liberos suos nepotesque transferrent. Propterea in formandis sacrarum personarum moribus jura legesque edebant quarum meminit Isocrates in laudatione Busiridis ita scribens: *nam sacerdotibus* (Ægyptiis) *ita prospexit, primum ut e sacris redditibus opes haberent, deinde quia legibus eorum sanctimonia summa requiritur, ut temperanter viverent etc.* unde ipsi Ægyptii reges quandoque sacerdotali dignitate potiri gloriabantur, uti de Mercurio Trismegisto fertur. Prosequitur idem Alexander in l. 6, c. 13, scribens, penes Ægyptios loco Flaminum sacrorum fuisse sacrarum literarum scriptores, quorum *in Numinum sacrificiis non minimum jus potestasque fuit: nam quæ sacra diis darentur, et quæ victimæ cæderentur, et quando exta offerrentur, et an perfecto sacrificio litatum foret, enunciare debebant, tum sacrorum cura, et ceremoniarum ad eos spectavit.* De Græcis ita pergit vir eruditus in dicto libro 2 cap. 8. *Græci pontificem summum Archierosinem vocant, ad quem jus et moderatio sacrorum pertinet . . . Delphis quinque pontifices per omnem vitam sacri erant, qui Hosii dicti, qui una cum prophetis sacra obibant, divinasque prædictiones et ceremonias, et quo cultu, quibusque exemplis fierent, sacra prædicebant.* Apud Athenienses varia fuere sacerdotum nomina juxta varietatem officiorum, templorumque, quibus addicebantur. Hinc qui Bacco inserviebat, Thyas; qui Herculi Stephanophorus; qui Palladi Etaobutades vocabatur. Horum tamen omnes veluti præsides erant Panthei, quibus caussarum judicia, et arbitria rerum publicarum tribuebantur. Ut vero innumeros omittam plurium gentium mores, dico, apud Romanos veteres plurimum delatum fuisse sacerdotibus, potissimum pontificibus maximis, qui reliquis inferioribus sacerdotibus præsidebant. Inter ceteros *Metellus pontifex Posthumium consulem, eundem Flaminem Martialem bellum gerentem Africam petentem, ne a sacris discederet, mulcta indicta inconsulto Deo egredi urbem passus non est.* Ita Valerius Maximus lib. 1, memorab. cap, 1. num. 2. Jam notum omnibus est, Romæ legum jure penes pontifices custodiri consuevisse, atque ab eis tradi petentibus singulis eisdem juribus experiri; unde Appius Claudus pontifex maximus legitimas actiones elucubravit teste Pomponio in l. 2, § 7. ff. orig. juris, Livio lib. 9, in fine, Brissonio antiquit. Romanar. lib. 4, cap. 20. Valerio Maximo memorabilium lib. 2, cap. 1, num. 24. Certum præterea est, sacerdotum maximam fuisse auctoritatem, imo et propria comitia ab illis comitiis omnino distincta, in quibus civilia negotia tractabantur, uti iterum observavit Alexander ab Alexandro lib. 4, genial. cap. 3. Quid dicam de rege sacrorum, quem et regem sacrificulum vocavit antiquitas? Romuli sane tempore nondum rebus sacris gerendis peculiaria erant edita statuta, quia, ut ait Ovidius, lib. 1. Fastorum, *Scilicet arma magis, quam sydera, Romule, noras.* Numa potius sequentesque reges ipsimet immolationibus sacram operam dare cœperunt, donec exactis regibus, officiisque discretis inter cives rex sacrificulus creatus est sub consulatu Bruti. Primus Manlius Papirius, cui jus sacrificandi, nec non de sacris decernendi relictum est, pontifici max. subjectus fuit, legem propterea dicebat de diebus fastis, nefastisque, de sacris procurandis, ac de eo, quod quocumque mense faciendum esset, a quibusque cavendum esset, prædicebat. Alexander ab Alexandro lib. 3, genial. cap. 27. Præter sacrificulum regem erant etiam subjecti pontifici maximo inferiores pontifices, quorum commune fuit onus de ceremoniis sacris publicis, privatisque decernere: quibus aris, quibus Diis, quibus hostiis, quibus diebus, quibus in templis sacra fierent, ne qui romana sacra negligerent, peregrinosque ritus adsciscerent, aut Deorum ceremonias perturbarent. Ad hos de funeribus, de justis exhibendis, de placandis manibus, ac supernis infernisque Diis, de votis rite exsolvendis, de fide, et jurejurando plebs, quoties videbatur, tanquam ad Deorum immortalium ministros consultum ibat. Quare certum pariter est, et penes pontifices album fuisse, in quo sacra per illos describerentur, album, inquam, quod nonnisi viris jurisdictione pollentibus, veluti prætoribus, concedebatur. His accedit, quod ad eos pontifices pertinebat divinas traditiones cognoscere, atque uti tales proponere populo, et e contrario siquid religioni minus apte adscriberetur, religione liberare, nec non de Vestalium capite decernere, et ferre sententiam. Item si quis sui juris adrogandus erat

quæ caussa adoptionis, quæ dignitas, quæque essent utriusque familiæ sacra a pontificibus quærebatur, quemadmodum statuit lex curiata. Quid plura? Tantum dicam, consules, prætores, imperatores ipsos summum pontificatum maximi habuisse ita, ut identidem curaverint, ut ipsi ad eundem pontificatum veherentur, rati profecto, exinde majorem adhuc jurisdictionem sibi adcrescere. Nobis præferunt historici, inter ceteros Licinium Crassum consulem simul atque pontificem, indeque consulatus exacto munere prætorem creatum summo honori sibi vertisse, quod pontifex maximus salutaretur. De imperatoribus plura extant monumenta, uti de Claudio Drusi fidem facit lapis tiburtinus effossus apud cloacam S. Luciæ in urbe Romæ notatus a Marliano in cap. 6, lib. 1, suæ typographiæ; de Augusto frustum marmoris ab eodem Marliano notatum in lib. 2, cap. 4. de Vespasiano marmor, quod positum fertur Romæ in porticu ædium conservatorum. Pudet me diutius immorari in eo sacerdotio, quod idololatria turpis invexit, ac fovit; tantum hæc dicta sint ut liqueant unicuique, gentes universas, aut saltem cultiores talem sibi constituisse sui sacerdotii dignitatem, ut eidem magna iurisdictio cohæreret.

Solidiora sunt argumenta, quæ derivantur ex sacerdotio Judæorum, utpote quod et Deum optimum maximum auctorem habuit, et figura fuerit sacerdotii christiani. Potestas et jurisdictio aaronico sacerdotio a Deo tradita demonstratur in lib. Deuteronomii c. 17, ibi: *Veniesque ad sacerdotes levitici generis, et ad judicem, qui fuerit illo tempore, quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies, quodcumque dixerint, qui praesunt loco, quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille.* Eandem sacerdotum veterum potestatem describit Malachias in cap. 2, ibi: *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ipsius quia Angelus Domini exercituum est.* Sane hac potestate, seu jurisdictione usi fuerunt primi Moyses, et Aaron in sacerdotio constituti juxta illud Psalmi 98. *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus.* Moyses in primis, ut nos dubitare non sinunt passim id testantia sacra veteris Testamenti oracula; Aaron etiam, siquidem ubi de religione innovanda ageretur, ad illud universus populus confluebat; utinam non confluxissent, quo tempore illos tædebat veri Dei cultus, et iidem fictilis conflendi idoli facultatem efflagitarunt, uti constat ex cap. 32. Exodi. Quantum vero jurisdictionis sortitus fuerit Aaron in iis, quæ esprimuntur in Levitico cap. 13, facile agnoscitur, ubi eidem cum legis, tum leprosorum cognitio, nec non judicatio divino jure mandatur. In libro Numerorum cap. 4, vers. 27. legitur: *Jubente Aaron, et filiis ejus portabunt filii Gerson, et scient singuli, cui debeant oneri mancipari*, quibus consonat versiculus 29, eodem capite. De aaronicis præceptis mentio quoque fit in eodem libro Numerorum c. 18, ibi: *Dixit Dominus ad Aaron.... excubabuntque levitae ad praecepta tua.* Vita functis primis his judæorum ducibus sacris, in Eleazarum Aaronis filium, ejusque successores una cum pontificia dignitate eadem potestas emanavit. Hinc cum apud levitas quæstiones suborirentur, apud summum pontificem dirimebantur, quemadmodum temporibus Josue ad Eleazarum adductas fuisse testatur Josue in cap. 21. Temporibus Judith quæ non adparuit sacerdotis Eliachim auctoritas? Ita legimus in libro Judith capit. 4, *et fecerunt filii Israel, secundum quod constituerat eis sacerdos Domini Eliachim.* Conferatur cap. 7, 8 et 13, ejusdem libri. Ipso etiam tempore babylonicæ captivitatis adhuc vigebat sacerdotum judæorum potestas, uti ex actis Danielis aperte deducitur; siquidem Danielis cap. 13, vers. 5, intuemur, duos ex sacerdotibus plenam nactos fuisse jurisdictionem, quam etiam demonstrant versiculi 28 et 41. Remigrantibus Judæis ex captivitate, paternosque revisentibus agros, una cum re sacra universa clarius elata adparuit dignitas sacerdotum, ut apud Esdram, et Nehemiam colligimus. Esdras ipse Aaronis filius ex generosa propterea sacerdotum stirpe, qualis perhibetur in principio cap. 7. libro 1, non solum divina præcepta interpretabatur, et vetera restaurabat judicia, sed et ipse nova judicia instituebat. Porro eorundem divinorum judiciorum exercitionem eidem fuisse demandatam perhibent ejusdem capitis versiculi 25 et 26. Nehemias (qui juxta nonnullos ab Esdra memorato non distinguitur, quum et Elciæ filius dicatur ex aaronica stirpe, c. 1. princ. lib. 2. Esdræ) leges varias Judæis tulisse fertur, sic de fænore avertendo in c. 5, vers. 7, dicti lib. 2. de luctu temperando imminentibus sacris solemnitatibus c. 8, vers. 6 et seq. de jurejurando, quo firmior divinorum præceptorum observatio redderetur cap. 10, et denique de decimis exigendis in cap. ult. vers. 11 et seq. Quid referam denique Assamonæorum jura, quæ postremo florentis iudaicæ reipublicæ tempore eisdem competierunt? Erant illi, ut nemo ignorat, ex levitarum tribu maximi sacerdotes, inter quos eminuerunt Mathathias, Jonatas, Judas, ceterique egregii fratres. Quænam eorundem fuerit potestas amplissima, res trita est penes illos, qui vel per otium machabaicos libros evolverint. Aucta tunc mirum in modum dignitas sacerdotum maximam præseferebat auctoritatem, ac majestatem, et Alexander Philippi Macedonum rex hebræum sacerdotem

tanti fecit, ut venerabundus venienti occurreret, et velut sanctissimum Numen adoraret; uti scribit Alexander ab Alexandro lib. 2, genial. cap. 8.

Quod si sacerdotium Judæorum tanta precelluit dignitate usque ad Christi Servatoris adventum, multo major dignitas asserenda est christiano sacerdotio, cui turpe esset intra nudi officii et ministerii fines contineri, et omni omnino jurisdictionis genere destitui; Ecclesia enim Christi tanto exsuperat dignitate, et potestate ceteros religiosos hominum cœtus, quantum aut figuræ veritas, aut tenebris lux præstat meridiana. Indefinita sunt verba, quæ protulit Christus Dominus, dum sacerdotale ministerium ad sacra dirigenda constituit, Matth. cap. 18, ibi: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo.* Celeberrimum est in hanc rem testimonium Apostoli Pauli, tum in cap. 12 ad Romanos, tum in cap. 4 ad Ephesios, quo Ecclesiam humano corpori vult comparatam, ut unusquisque fidelium alterius membrum sit ad diversos actus ex ordine eliciendos; quemadmodum propterea in humano corpore caput præsidet ratione, et imperio, ita quidam esse debent in Ecclesia principes, qui populum dirigant inferiorem, atque accurato regimine ad evangelicos fines recta perducant. At populum nonnisi jurisdictione regi certissimum est, nisi dicere quisquam velit parum sollicitum fuisse Deum de vera religione tuenda, ut eam uniuscujusque arbitrio reliquerit. Nunc intelligo, quare S. Petrus in Epist. 1, cap. 2. *Regale sacerdotium* appellaverit, quare Joannes in Apocalypsi scripserit c. 1. *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris, et fecit nos regnum, et sacerdotes Patri suo.* Quare Christus idem apud Matthæum Apostolos a se sacerdotes designatos ita allocutus fuisse perhibetur in cap. 18. *Si quis Ecclesiam non audiverit, sit sicut aethnicus, et publicanus*: et alibi: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*, ad quæ respiciens S. Cyprianus ita scribebat in lib. 1. Epistol. 3. *Non aliunde hæreses obortæ sunt aut nata schismata, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur.* Iterum Apostolus Paulus in 1 ad Corinthios, cap. 4, ajebat: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Qui ergo jurisdictionem in sacris rebus exercendis a ministerio apostolico abjudicat, eandem jurisdictionem abjudicare debet a Christo Domino cui sacerdotes operam veluti vicariam præstant juxta ejusdem Christi mandatum in illis evangelicis verbis: *Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos.* Atque ex his facile caussam agnoscimus, quare Christus idem Dominus præsentiam suam in rebus sacris gerendis, atque administrandis Ecclesiæ suæ promiserit, Matthæi, cap. 18, ibi: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*, quare etiam se missurum Sp. Sanctum spoponderit Joannis 14, ibi: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, qui maneat vobiscum in aeternum*: item: *Paraclitus ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia*, et alibi: *Quum venerit ille spiritus, docebit vos omnem veritatem.* Quorsum hæc nisi ad eum, finem, quo Ecclesia in subditorum moribus informandis meliora quæque prospiceret, atque instituta salubria ferret in christianæ universitatis emolumentum? Sunt hæc divina ipsa testimonia, quibus si Patrum judicia, et rationum momenta accedant, mirum in modum ecclesiastica jurisdictio comprobatur. Cum Joannes Chrysostomus interpretaretur verba illa Pauli II, ad Corinth. cap. 10. *Et in promtu habentes ulcisci omnem inobedientiam... nam et si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in aedificationem, et non in destructionem vestram, non erubescam*, ita scribebat: *Et ad hoc quidem potestatem accepimus, ut aedificemus; sin autem reluctatur aliquis, et pugnet, et insanabilis sit etiam actione utemur altera, ut eum destruamus, ac dejiciamus.* En coercendi potestatem indicatam, quæ sane abs jurisdictione distingui non potest. Consonat his Teophilactus inquiens: *Praecipue quidem ad aedificationem accepi: quod si quispiam incurabilis fuerit, demolitione utemur, adeo ut potestatem habeam et benefaciendi primario, et puniendi, quum ad id cogar*; nec non Gennadius apud Oecumenium interpretans c. 10, 2, ad Corinth. vers. 8, se habere declarans *jus, et facultatem castigandi, et poenis adficiendi eos, qui adversantur.* Iterum Chrysostomus homilia 2, de Pentecoste verba faciens de apostolatu a Christo Domino instituto, *verum magistratum* appellat, cui juris dicundi potestas adhæreat, et subdit; *Spiritum Sanctum in specie linguarum venisse, ac lingua data velut codicillo quodam indicasse commissi unicuique imperii, et ad docendum assignatae provinciae terminum.* Eadem fuit et Gregorii Nazianzeni traditio in oratione 1, ibi: *Homini cum difficile sit scire parere, tum multo difficilius esse videtur scire hominibus imperare, praesertim tali imperii genere, cujusmodi est nostrum, quod in lege divina positum est, et ad Deum perducit, cujus imperii quanta est sublimitas et dignitas, tantum etiam periculum est prudenti utique homini et cordato.* Denique S. Hieronymus in commentariis ad 1, caput Epistolæ Pauli ad Titum ita scribebat: *Ut enim judices saeculi hujus, quo nobiliores esse videantur, ex regibus, quibus serviunt, et ex dignitate sua intumescunt, vocabula sortiuntur; ita et Apostolus grandem inter Christianos sibi vindicans dignitatem Apostolorum se Christi titulo praenotavit, ut ex ipsa lecturos nominis auctoritate terreret, indicans omnes,*

qui in Christo crederent, sibi esse subjectos. His omnibus Patrum testimoniis evidens ratio suffragatur. Scilicet Christus Dominus Ecclesiam instituendo, eandemque in perpetuum firmando, iis omnibus insignivisse intelligitur, quæ ad ejusdem firmitatem non tam congrua erant, quam opportuna, ac necessaria. Inter hæc specialiter est vera propriaque jurisdictio: si qua enim de fide, de religione, de moribus, de disciplina quæstio suboriatur, non aliter ista, quam jurisdictione dirimi, definirique potest.

Quod si ad constantes Ecclesiæ usus disputatio exigatur, facile constabit, Ecclesiam perpetuo usam vera jurisdictione fuisse. Et quidem triplicis generis usus in Ecclesia deprehenduntur. Alios recentiorum ingenia præter veterem simplicitatem invexerunt. Alios apud veteres invaluisse quidem scimus, sed sensim posterioribus sæculis abrogatos, quibusque accommodari posset, quod apud Ovidium legitur lib. 1. Fastorum vers. 205. *Laudamus veteres, sed nostris utimur annis.* Alii vero a vetusta et apostolica ætate recepti sunt, et non interrupta consuetudinis serie etiam hodie custodiuntur. Et quamquam primis morem gerere expediat, dummodo ab Ecclesia probentur, secundos deceat colere, et venerari, imo et contendere, ut, quoad fieri possit, restituantur; postremis tamen adeo inhærere debemus, ut quidquid inductum iis est, tanquam rem divinam, et supremi Numinis spiritu insinuatam agnoscamus. Hujusmodi sane est jurisdictionis in Ecclesia exercitio, quam scimus, prout res inciderit, perpetuo in Ecclesia explicatam. Scimus ab Apostolis leges editas, seu conditos canones, quales passim exhibet S. Lucas in Actis, de constituendis diaconorum muneribus cap. 6, de gentibus ad Christi fidem admittendis cap. 11, de gentibus non circumcidendis cap. 15. In Epist. Pauli, Petri, Jacobi, Joannis, et Judæ Apostolorum quot præcepta ad res sacras pertinentia disignata intuemur? Successores Apostolorum, quoties de religione actum est, sive in conciliis, sive extra concilia constitutiones saluberrimas ediderunt, in sontes pœnas, censurasque inflixerunt, clericos modo a suis officiis deponentes, modo laicos anathemate, damnantes, quæ omnia profecto sine vera propriaque jurisdictione fieri nullo modo possunt.

Neque vero ecclesiasticæ hujus jurisdictionis ratio civilem societatem, ac rempublicam turbat, sed potius fovet, ac tuetur; imo et ipsi sæculi principes eidem jurisdictioni favere pro suo, quod in Ecclesiam habere gloriantur, patrocinio, minime detrectarunt. Justinianus imperator ita de utraque potestate præfatur in Nov. 6. *Maxima quidem in homnibus sunt dona Dei a superna collata clementia, sacerdotium et imperium, illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens;* atque juxta hæc principia non dubitabat scribere Nicolaus I, ad Michaelem Imperatorem in can. 8, dist. 10. *Quoniam mediator idem Dei et hominum homo Christus Jesus sic actibus propriis, et dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit, propria volens humilitate medicinali hominum corda sursum efferre, non humana superbio rursum in inferna demergi, ut et christiani imperatores pro aeterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur, et ideo militans Deo minime se negotiis saecularibus implicaret.* Adde his canonem 6 et 8, dist. 96, can. 21, caus. 23, quæst. 8., et cap. 6 de mai. et obed. Non iterum dubitabat ita scribere ad Leonem Isauricum Gregorius II, in epist. 1, ibi: *Ecclesiis sunt præpositi pontificis a reipublicae negotiis abstinentes: et imperatores ergo a negotiis ecclesiasticis similiter abstineant.* Tritissimum est Constantini imperatoris exemplum, qui in nicæno concilio, in quo de fidei definitione agebatur, sanctionem ecclesiasticorum antistitum auctoritate faciendam efflagitavit. Et Arcadius et Onorius imperatores in l. 1, Cod. Theodos. de religione aperte scripserunt: *Quoties de religione agitur, episcopos oportet judicare.* Abstineo a recentioribus recensendis exemplis, utpote quæ vulgaria sunt, et quæ ne in Salmasii quidem dubitationem venerunt. Unde deducitur, non recens accessisse constitutis jamdiu episcopis jurisdictionem, sed hanc fuisse ipsis ingenitam, divina auctoritate stabilitam, et perenni consuetudine confirmatam. Legislativam potestatem in Ecclesia agnoscimus. En majestatem. Agnoscimus distributionem publicorum Ecclesiæ munerum. En dignitatem regimini junctam. Agnoscimus sententias, et judicia caussarum. En magistratum. Agnoscimus denique facultatem reorum coercendorum. En imperium. Fateor, aliam esse legum ecclesiasticarum materiem, aliam munerum partitionem, aliam judiciorum formam, alium coercendi modum, quam hæc omnia sint apud civilem rempublicam. Verum hæe demonstrant quidem jurisdictionem ecclesiasticam a civili et politica jurisdictione secerni; eo autem ipso, quo secernitur, vera jurisdictio dici debet, non in nudo officio consistit. Dicta hæc omnia sint, ut Salmasii traditio rudioribus quidquam imponere nequeat. Ceterum prudentes viri jam id perspicue sibi persuaserunt, quin opus pluribus habeant.

CAPUT IV.

Quomodo Ecclesia in communi jurisdictionem exerceat.

Solemnia Ecclesiarum comitia, sive generalia sint, sive particularia, quocumque tandem

nomine appelleatur, jurisdictionem sacrorum perpetuo exercuerunt, quamquam major sit generalium, quam particularium, major nationalium, quam provincialium, major provincialium, quam diœcesanorum conciliorum potestas, can. 4, dist. 18. Maxima sane jurisdictio est concilii universalis, quod et œcumenicum, et generale dicitur cujus sanctiones, leges, decreta, sententiæ, si fidei morumve materiam spectent, adeo firmæ sunt, ut a nemine retractari, a nemine violari unquam possint; si materiam disciplinæ, quamquam revocari æquis supervenientibus caussis, et legitima auctoritate queant, ab omnibus tamen, quousque non revocentur, custodiri debent, statim ac editæ fuerint, ac publice promulgatæ. Discrimen istud ex eo proficiscitur, quod in doctrina fidei, ac morum, quidve verum, quidve falsum sit, investigetur, in qua investigatione Ecclesia errare non potest divino spiritu perspicue illustrata, cujus propterea sententias retractari, immutarive repugnat: at disciplina ecclesiastica non quærit quid verum, falsumve sit, sed quid deceat, expediatque; et quod decet, expeditque, vicissitudinibus subjacet temporum, locorum, personarum, ceterorumque hujus generis adjunctorum. Porro generale concilium justum, ac legitimum appellatur, cum a pontifice maximo indicitur, tanquam ab eo, qui unus in episcopos universæ Ecclesiæ convocandos potestatem exercere potest, quemadmodum in universis fere conciliis actum est; vel saltem a pontifice maximo ratum habetur, confirmaturque, uti in concilio constantinopolitano II, et generali V Cardinalis Norisius observavit in eleganti sua dissertatione de synodo V. Usu quoque antiquissimo receptum est, ut christiani principes vel per se, vel per legatos admittantur, sive ut validissima eorundem auctoritate, atque in res ecclesiasticas patrocinio canones in conciliis editi executionem facilem et paratam inveniant, sive ut contentiones malorum hominum atque seditiosarum turbarum in eisdem conciliis avertantur, sedenturque schismata, sive ut per ipsos ea proponantur, quibus generali totius Ecclesiæ decreto sit occurrendum can. 2, 3 et 4, dist. 96. Præterea quamquam necesse non sit, eo convenire universos provinciarum episcopos, requiritur tamen, ut omnes generali edicto convocentur. Etenim cum ipsi sint, qui singulis Ecclesiis præsunt, quæ ab illis præbentur suffragia, communem totius Ecclesiæ exprimunt consensionem. Ex consuetudine quoque conveniunt ad concilia generalia romanæ Ecclesiæ cardinales utut non episcopi, sive ob amplissimam sui dignitatem, sive ob jurisdictionem quasi episcopalem, quam in titulis sui Cardinalatus obtinent, cap. 11 de maj. et ob. Ex moribus etiam ac privilegio ad concilia conveniunt Abbates jurisdictionem quasi episcopalem, sive diœcesim habentes, atque ordinum religiosorum præpositi Generales. Solent denique advocari ad ea concilia viri, et in sacra theologia, et in Canonum doctrina periti, non quidem ut suffragium ferant, cujus jus jurisdictionem in Ecclesia obtinentibus reservatur, sed ut consilium suppeditent iis, qui suffragium laturi sunt, ad majus rei gerendæ gravissimæ decus, ampliorem majestatem, firmioremque auctoritatem.

Particularia concilia in duplicem classem ego distinguenda censeo, quoties de illorum auctoritate quæratur. Sunt enim aliqua, quæ licet ex unius alteriusve diœcesis, vel provinciæ episcopis celebrata sint, eorum tamen statuta de diœcesi in diœcesim, de provincia in provinciam traducta apud universas tandem paullatim Ecclesias recepta fuerunt. Hujusmodi sunt plura orientalia sæculi IV concilia, aliquot etiam occidentalia paullo recentiora, quæ veluti norma ceterorum sequentibus sæculis extiterunt; siquidem ex iis scimus derivatos canones ad quascumque adornandas canonum collectiones, etiam ad usum Ecclesiæ universæ. His profecto nemo inficiari audebit tantam inesse vim ac potestatem, quanta fere conciliis generalibus inest. Quid enim interest, an expresso totius Ecclesiæ consilio suffragioque simul et semel leges latæ fuerint, an sensim per mores singularum provinciarum tacitus quodammodo Ecclesiarum omnium consensus accesserit? Sunt aliqua e contrario, quæ ab unaquaque provincia, aut diœcesi habita sunt, et quorum definitiones ad loca singularia pertinent, ita ut apud exteros tanquam leges nunquam admissæ fuerint, indiscriminatim ubique observandæ. Quoties in conciliis particularibus declarantur orthodoxæ fidei dogmata, nec non regulæ morum et honestatis, quemadmodum priscis præsertim sæculis fieri solebat, iis tenentur non contradicere, quicumque in diœcesi, aut provincia degunt, non quod certum omnino et immutabile sit eorum conciliorum judicium, sed ne forte schismata concitentur perniciosa, aut ne jam concitata periculosius augeantur, ut siquid ex contrario contendatur, non privati cujusquam hominis discuti arbitrio possit, sed superioris dirimendum judicio reservetur. Neque enim veluti probrum objiciendum est illis, qui episcopi, clerive sui licet errantium sententiæ adquieverint, quousque non aliud, vel non uberius lumen affulgeat; quemadmodum, ut a sæcularibus judiciis argumentum petam, sine fraude et injuria solent magistratus, imo et leges ipsæ possessionem litigiosæ rei illis etiam addicere, qui in petitorio judicio jure vincendi sint, interea nihilominus possessoriis remediis ad tuendam possessionem etiam indebitam comparatis. Prævalet privatarum opinionum studiis bonum publicæ tranquillitatis, quousque postremi judicii potest expectari sententia. At si certa disciplinæ ecclesiasticæ capita in hisce conciliis stabiliantur, illa omnino custodienda erunt ab iis, qui episcopis convenienti-

bus et decernentibus subsunt, quin ullum negotium facessat diversa aliarum provinciarum, et dioeceseon consuetudo, quippe, cum disciplinæ ecclesiasticæ capita singularibus innitantur argumentis, nihil prohibet, quominus eadem sicut pro temporum, ita et pro locorum diversitate varia invicem sint, forte etiam contraria.

Jus hæc concilia convocandi ad eum pertinet, qui præest jurisdictioni in eos omnes exercendæ, ex quibus concilium coalescit. Sic nationale concilium patriarcha, vel primas, provinciale archiepiscopus, diœcesanum episcopus cogit, propterea quod ad primum omnes episcopi vel primati, vel patriarchæ obnoxii; ad alterum omnes antistites obnoxii metropolitæ, seu archiepiscopo, ad postremum omnes episcopo obnoxii clerici saltem majores, puta canonici ecclesiæ cathedralis, et collegiatarum, parochi, et beneficiarii universi convocari debeant, et convenire. Recentioribus sæculis tradi ab aliquibus cœpit, sine auctoritate sedis apostolicæ aut ab initio convocari, aut vim ullam habere semel celebrata concilia ista non posse. Novæ opinioni occasionem dederunt nonnulli canones apud Gratianum editi in distinct. 17, fere omnes ex epistolis Isidori Mercatoris depromti. Canon 1, præterquamquod apocryphus communi eruditorum consensione dignoscitur, non de synodis episcoporum auctoritate celebrandis concipitur, sed potius de synodis a Maxentio tyranno, et christianorum hoste infensissimo non convocandis absque apostolicæ sedis auctoritate, quamquam fingitur Marcellus tradere, indulgeri Maxentio eidem tyranno, ut quosdam episcopos congregare valeat, ibi: *Quamquam quosdam episcopos possitis congregare.* Explicet hæc emblemata is, cui ea minime stomachum moveant. Non major est auctoritas canonis 2, sub Julii nomine a Mercatore conficti; et quamquam idem genuinus esset, commode referretur ad singularem speciem ibi propositam hæreticorum episcoporum jam in nicæna synodo damnatorum, qui novum concilium, revocaturi nicæni concilii generalis decreta, celebrare sine sedis apostolicæ auctoritate minime potuissent. Aliud autem est quærere, an liceat episcopis iterum in particularibus synodis ea retractare, quæ in generalibus conciliis definita fuerunt; aliud quærere, an facultas convocandarum synodorum sit generaliter penes episcopos. Canon 4, qui verius, quam Gregorio, tribuendus erat Pelagio papæ in epistola ad Narsetem, non ad concilia provincialia regulariter celebrata pertinet, sed potius ad certum concilium, quod extra ordinem celebrare adnitebantur schismatici quidam episcopi, qui in caussa famigeratorum trium capitulorum invicem repugnare putabant acta duorum conciliorum generalium, chalcedonensis et constantinopolitani II; ideoque sua interesse credebant, ad eorum interpretationem, vel conciliationem novam synodum celebrare, eaque occasione ad schismatis sui præsidium provinciali quadam sanctione concilii constantinopolitani, cui non adquieverant, definitiones evertere. Quis inficias iverit, in ea singulari specie, ubi de universali constantinopolitana synodo dubitatio nascebatur, nihil innovari potuisse apostolica sede inconsulta? quæ erat germana Pelagii sententia, qualis ex verbis ejusdem canonis adparet. Canon 5, etiam ad Mercatoris sententias, et monumenta referendus est; quamquam etsi genuinus haberetur, nullum adhuc negotium facesseret. Scripta epistola proponitur ad episcopos, *qui illicita vocatione Joannis constantinopolitani episcopi ad synodum constantinopolitanam convenerant.* Porro Joannes constantinopolitanus primus inter græcos patriarchas illud molitus est, ut se episcopum universalem nominaret, sese vel supra ipsos evehens romanos antistites, quasi post sedem imperialem ab urbe Roma Bisantium translatam, eo etiam translata intelligeretur ecclesiastica dignitas pontificis maximi. Hinc non tantum singulares provinciæ suæ synodos celebrare, sed universalium totius ecclesiæ conciliorum convocationem sibi fingitur adseruisse. Eum compescere debuit Pelagius junior ea epistola, si forte a quoquam veluti germana recipiatur; cum vero agnoscetur, ibidem definitum fuisse conciliorum celebrationem ab una sede romana esse expectandam, tum concludetur, ibidem de generalibus synodis sermonem fuisse institutum. Canon 6. non Symmachi est, aut romanæ synodi tempore Symmachi celebratæ in caussa schismatis laurentiani, sed potius referendus est ad libellum Ennodii ticinensis episcopi, qui apologiam et pro synodo, et pro Symmacho adversus laurentianos scripsit. Cum enim laurentiani Symmacho infensi traderent, etiam sine Symmacho potuisse Romæ celebrari concilium, hoc adjecto argumento: *Ergo concilia sacerdotum ecclesiasticis legibus quotannis decreta per provincias, quia præsentiam papæ non habent, valetudinem perdiderunt?* Respondit Ennodius: *Legite, insanissimi, aliquando in illis præter apostolici apicis sanctionem aliquid constitutum, et non de majoribus negotiis ad collationem, siquid occurrit, praefatae sedis arbitrio fuisse servatum. Sic enim habes: Siquis episcoporum judicio provinciali depositus fuerit, romanum papam, si placet rursus appellet etc.* Id referendum est ad can. 3, concilii sardicensis, cujus pars habetur in can. 7, caus. 6, quæst. 4. Hæc sane, uti perspicuum exhibent Gratiani fragmentum, et ad suos referunt auctores, ita statim indicant, quam longe a Gratiani proposito, et ab hac disputatione sit alienum. Eandem recentiorem opinionem derivatam videmus ex can. 9, caus. 3, qu. 6, seu ex can. 1, caus. 5, qu. 4, sed iterum hic incidimus in laqueos Mercatoris, seu

in epistolas Julio papæ adfictas, quas unusquisque jamdiu manuducentibus viris eruditissimis noverit declinare. In his monumentis non puto mihi esse diutius immorandum, ne hoc in loco recantare videar, quod tradidi in meis animadversionibus in Gratianum. Validius forte alicui videretur argumentum, quod deducitur ex cap. 4, vers. *ajunt* de electione; nisi statim observandum incumberet; non quidem ibidem definiri, aut sanciri omnia omnino concilia esse ab apostolica sede confirmanda, sed potius tradi, nulla concilia sedis apostolicæ auctoritati fines certos posuisse, quos minime transgrederetur, quam ipsam formulam expresserunt Tridentini Concilii patres, in cap. ult. ses. 25 de reformatione.

Quæcumque vero sit horum canonum sententia et interpretatio, hodie fere receptum est, ut in conciliis diœcesanis celebrandis libera sit episcoporum potestas et jurisdictio. Aliter in pluribus provinciis obtinet in conciliis provincialibus, utpote quæ celebrari, aut vires obtinere non solent, nisi obtenta sedis apostolicæ confirmatione, ob recentes, ab anno scilicet 1596, die 6 aprilis, romanarum congregationum definitiones, ubi confirmatæ sunt, usuque receptæ. Non est, cur nonnulli hanc recentem disciplinam carpant: etenim facilius archiepiscoporum, quam episcoporum potestas intra angustiores limites coerceri potest, propterea quod archiepiscoporum jurisdictio magis sit ex sedis apostolicæ concessione, quemadmodum suo in loco inferius demonstrabitur, et episcoporum potestas ex jure divino profecta fuerit. Deinde observo, hanc ipsam disciplinam maxime congruere aliis disciplinæ sacræ capitibus, quæ recentiora sæcula invexerunt. Nimirum olim in provincialibus synodis ut plurimum caussæ episcoporum dirimebantur, confirmabantur episcopi, ac consecrabantur, transferebantur de una in aliam ecclesiam, suspensionis censura, aut etiam depositionis pœna plectebantur. Caussæ istæ quasi majores recentiore ætate pontifici maximo reservatæ fuerunt, proptereaque una etiam reservari poterat facultas provincialis concilii celebrandi, aut confirmandi. At in synodis diœcesanis nonnisi caussæ minores et consueverunt olim, et solent hodie agi, quæ liberæ episcoporum potestati relinquuntur. Denique aliam agnosco discriminis rationem: nimirum in provincialibus synodis plura identidem statui solent, ex quibus monachi conqueruntur, sua exemtionum privilegia non parum imminui; unde profitentur, se synodorum statutis minime teneri; episcopi e contrario conqueruntur, statuta sua in provincia exinde contemni, quod ne eveniat, passim diuturna consuetudine, quæ jus receptum constituit, curaverunt, ut ab apostolica sede synodorum provincialium confirmationem impetrarent, rati tum monachos etiam obsecuturos, quibus contra pontificis maximi voluntatem nulla exemptio proderat. Equidem fateor, hodie plures esse caussas, in quibus monachi episcopis saltem tanquam sedis apostol. delegatis subjiciuntur, præsertim in conspectu tridentinorum numero plurium decretorum, de quibus erit inferius agendum, et respectu istarum caussarum suas vires etiam adversus monachos exercere posse synodales episcoporum constitutiones, quamquam in aliis caussis inanes haberentur, proindeque convocationem synodorum veluti quid mixtum pragmatici vocant, quasi in parte pertineat ad legem diœcesanam, in parte ad legem jurisdictionis. Verum, quam multa argumenta sunt, quæ dubietatem facere possunt, et contentiones movere? quibus sane opportunius occurritur accedente pontificis maximi confirmatione. Dices, hanc caussam esse et diœcesanis, et provincialibus synodis communem, eamque ob rem nullum in hac parte discrimen inter utrumque synodorum genus rite adsignari. Ego repono, monachos, et regulares universos recentioribus sæculis in provincias fuisse tributos, atque ut plurimum eas, quæ provinciis episcopalibus respondent. Hinc commodius in conciliis provincialibus edi statuta possunt, quæ monachis, et regularibus universis sequenda sine contradictione proponantur; quasi tum toti monachorum provinciæ communia esse possint, et facilius executioni mandanda.

Vix de nationalibus conciliis hoc in loco feci mentionem, utpote quæ recentioribus sæculis celebrari amplius non consueverunt, postquam primatum dignitas, et potestas in occidentali ecclesia plurimum imminuta est, et singuli archiepiscopi, ut pontifici maximo immediate subjicerentur, contenderunt. Exempla vetera horum conciliorum in Occidente potissimum occurrunt in Africa, cujus episcopos universos convocabat identidem episcopus cartaginensis. Hinc in epistola concilii carthaginensis ad Bonifacium papam memorantur episcopi num. 217, *ex omni concilio Africae.* Et in canone 19, codicis Africani nominatur *Concilium universale anniversarium*, Conciliumque *plenarium* dicitur apud Augustinum in lib. 2 de Baptismo contra Donatistas cap. 3. In Italia vel a romano, qui decem, vel a mediolanensi episcopo, qui septem provinciis præerat, convocabantur. In Gallia aliquando trevirensis, aliquando arelatensis episcopus jura primatis in convocatione nationalis concilii explicavit, sicut in Hispania Toletanus episcopus, quemadmodum demonstrant acta concilii toletani I, anni 400.

De conciliis provincialibus innumera propemodum tradi possent ex omnium fere saeculorum disciplina, ex omnium fere christianarum provinciarum usibus comprobata. Verum, quod omnium utilissimum est, in disciplina recens in concilio tridentino constituta consistam, in quo cap. 2, ses. 24, de reform. decretum est, ut

illa, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis, renoventur, præceptumque, ut metropolitani per se ipsos, seu illis legitime impeditis, coepiscopus antiquior intra annum ad minus a fine tridentini concilii, et deinde quolibet saltem triennio commodo tempore non prætermittat synodum in provincia sua cogere: quo episcopi omnes, et alii, qui de jure, vel consuetudine interesse debent, exceptis iis, quibus cum imminenti periculo transfretandum esset, convenire omnino teneantur. Item præceptum, ut episcopi, qui nulli archiepiscopo subsunt, (idem dicendum de archiepiscopis, qui nullos suffraganeos habent, uti tradidit Benedictus XIV, de Synodo diœces. libr. 4, cap. 2, idem etiam dicendum de abbatibus, qui *nullius dioecesis* esse dicuntur) aliquem vicinum metropolitanum semel eligant, in cujus synodo provinciali cum aliis interesse debeant, et quæ ibi ordinata fuerint, observent, et observari faciant, salva manente in reliquis eorum exemtione, et privilegiis. Itaque quolibet saltem triennio celebrari provincialia concilia tridentini antistites voluerunt, qua sane lege non constitutum adparet, ne frequentius celebrarentur, sed potius ne diutius celebratio differretur. Sane olim bis in anno fiebant ex canone 5, Nicæni concilii, seu canone 3, distinct. 18, confirmato in concilio antiocheno, canone 4, ibidem, et in concilio chalcedonensi, can. 6, ibid. Deinde cum ea disciplina negligi cœpisset, Græci primum in trullano concilio voluerunt, ut saltem semel in anno celebrarentur, can. 8, sequentes Justinianum Imperatorem in Nov. 137, c. 4, quod probavit deinde septima synodus in can. 7, dist. 18, et concilium lateranense Innocentii III, in c. 25 de accusation. Recentioribus denique sæculis permissum fuit, ut saltem unoquoque triennio ii conventus fierent, in concilio basileensi, cui morem gessit Leo X, in sua synodo lateranensi, deinde patres tridentini in laudato decreto. Quod autem ibid. dicitur, teneri suffraganeos episcopos, imo et exemtos electione secuta convenire, nisi legittima et gravis caussa illos excuset, consonat vetustis canonibus, can. 5, 9, 10, 12, 13 et 14, dist. 18, et quidem indicta in negligentes pœna excommunicationis, dicto can. 12, quæ tamen in eo tantummodo consistebat, ut episcopus ad synodum non accedens sua diœcesi contentus esse deberet, non negotia provinciæ totius, ne pro virili quidem parte attingere, uti dicitur in dicto can. 10, præterea quod legimus apud Trid. antistites, legitime impedito archiepiscopo ad cöepiscopum antiquiorem pertinere convocationem synodi, non solum indicat, synodum a vicario generali archiepiscopi convocari non posse, sed etiam neque convocari posse a vicario capitulari, archiepiscopali sede vacante; quod enim de episcopo impedito dicitur, facile ob similem, imo et urgentiorem rationem extenditur ad eum casum, quo sedes archiepiscopalis vacet. Nomine coëpiscopi antiquioris eum intelligo, qui ceteros suffraganeos ordinationis tempore præcedat; præterea eum, qui vere suffraganeus sit, non alium, forte exemtum, qui illud concilium provinciale elegerit, quod consonare videtur integro contextui tridentini decreti. Insuper observandum est, episcopo comprovinciali impedito licere quidem delegatum nomine suo ad synodum mittere; non quidem ad eum finem, ut suffragium in synodo ferat, sed ut ea explicet synodo, quibus occurri possit, ac debeat, consilio suo aliorum sententias adjuvet, canonesque statutos redux ad episcopum adferat, can. 9, dist. 18. Hunc ipsum ob finem advocabuntur, et admittentur in concilio capitula cathedralium ecclesiarum, ad quæ pertinebit res emergentes palam exponere, ac ferre consilium, non suffragium. Quamobrem deducitur, jus suffragii penes solos episcopos esse; non episcopos autem, seu eos, qui quasi episcopali jurisdictione non gaudent, etiamsi ex consuetudine synodo interesse deberent, jure tantum suppeditandi consilii gaudere.

Synodorum diœcesanarum a singulis episcopis celebrandarum licet auctoritas sit minor, seu ratione diœceseos, quæ provincia angustior est, sive ratione suffragiorum, quæ ab uno tantum episcopo, et minoribus sub eo constitutis clericis pendent, sive ratione subjectionis, quod a synodis possint provincialibus emendari, non mediocris tamen potestas, et ratio habetur. Hinc tridentini iidem patres ita subsequuntur in laudato c. 2. *Synodi quoque diœcesanæ quotannis celebrentur; ad quas exemti etiam omnes, qui alias cessante exemtione interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur; ratione tamem parochialium, aut aliarum sæcularium ecclesiarum etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, synodo interesse.* In primis igitur *quotannis* eas celebrari definitum est, ad exemplum sane veteris disciplinæ, quæ in provincialibus conciliis obtinebat, præsertim postquam obtinuit, provincialium conciliorum decreta in diœcesanis promulgari, dicto cap. 25, de accusation. Et quamquam in conciliis provincialibus prorogatum fuerit tempus usque ad triennium, non inde tamen prorogari æqualiter debuit in diœcesanis, ob majora, quæ in celebrandis provincialibus synodis incommoda emergere solent. Præterea dicitur impersonaliter *celebrentur*, ex quo deducitur, non solum episcopum synodos diœcesanas celebrare posse, sed etiam vicarium episcopi generalem, ac potior jure vicarium capitularem, sede episcopali vacante, quidquid obtineat in synodis provincialibus, juxta ea, quæ modo de eisdem adnota-

bantur. Imo nec repugnat exinde tridentinis decretis, nonnullos ex abbatibus, qui nullius diœcesis appellantur, et quasi episcopali jurisdictione pollent, hujusmodi synodos convocare. Adjicitur in tridentino decreto, intervenire ad synodos debere *etiam exemtos* quosdam, unde colligitur, dubio procul teneri ad eas accedere non exemtos, capitula dixero cathedralis, et collegiatarum ecclesiarum, cap. ult. de his, quæ fiunt a prælatis, parochos universos, vel eorum vicarios, et clericos ceteros, illos saltem, qui ecclesiastica beneficia possident, prout uniuscujusque diœceseos fert consuetudo; in quibus tamen synodis fatendum est, potissimas esse episcopi partes, utpote penes quem præcipue ecclesiastica eminet jurisdictio. Ne vero inanis videatur personarum episcopo inferiorum accessio, dicendum erit, facultatem esse istis ea proponendi, quæ definitione indigeant, consilium, vel consensum jusdicenti episcopo præbendi, ut dum consilium antecedit, illud sequi episcopus debeat, quoties major, et sanior pars in certam sententiam descendat, et dum consensus subsequitur, definita omnia communi suffragio intelligantur. Quoad exemtos attinet, distinguendos voluerunt tridentini antistites eos, qui capitulis generalibus minime subduntur, ab iis, qui capitulis generalibus sunt obnoxii. Prioris generis exemti, sicut ad synodum accedere debent, ita et synodi definitionibus adquiescere, obsequi, obtemperare, ne alias veluti acephali in episcoporum diœcesibus commorantes quasi arbitrio suo, ac voluntati libere relicti videantur. Posterioris generis exemti ex tridentina eadem sanctione convenire tenentur, si parochiales, vel alias sæculares Ecclesias administrent, et in iis, quæ ad illarum Ecclesiarum administrationem pertinent, synodo parere, argumento cap. 11, sess. Tridentinæ 25 de regularibus. Extra has caussas minime tenebuntur, si episcopus jure ordinario eos ad synodum vocet; quamquam obstringantur, quotiescumque episcopus in eos exercendam arbitretur jurisdictionem sibi a sede apostolica delegatam, juxta tridentinum concilium in sess. 6, de ref. cap 4, sess. 7, de ref. cap. 14, sess. 21 de reform. cap. 8, et sess. 25, cap. 12 et 13, de regularibus; dummodo tamen hac in specie episcopus abstineat ab iis attingendis, in quibus exemtio ipsa consistit; etenim præsertim post has pontificias delegationes obtinuit, ut potestas convocandæ synodi veluti mixta credatur, partim scilicet relata ad legem diœcesanam, partim ad legem jurisdictionis; unde monachi, et regulares universi aliqua in parte synodis eisdem subjiciuntur, illorum exemtione non obstante. Videatur Fagnanus ad cap. 7, de offi. Jud. ordinar. Ad evitandas controversias omnes, quæ in hac exemtionum, et exemtorum materie emergere solent, nonnulli episcopi opportunum putant, ut ideo confirmationem decretorum synodalium a sede apostolica postulent, quemadmodum observavit cardinalis de Luca disc. 30, ad concilium tridentinum num. 9. Ex iis, quæ hucusque observavimus, liquet, conciliorum diœcesanorum finem illum potissimum esse, ut mores forte corrupti, præsertim in clero, reformentur, cohibeantur excessus, siquæ jurgia inter clericos suborta fuerint, componantur; magisque ac magis etiam confirmanda exhibeantur, ac promulgentur majorum synodorum statuta, juxta dictum capitulum 25, de accusationibus.

Illud hodie inter cetera celebrationi horum conciliorum accessit, ut constituantur Judices, testes, atque examinatores, qui propterea vulgo appellantur synodales. Judicum synodalium nomine eos intelligimus, qui ex decreto tridentini concilii in synodis episcoporum designandi sunt ideo, ut eis caussæ in provinciis delegentur a sede apostolica, sess. 25, de reform. cap. 10, ne forte alias contingat, ut controversiarum discussio viris parum idoneis demandetur. Primus Bonif. VIII. in c. 11, de rescriptis statuerat, ne caussæ aliis committerentur, quam obtinentibus vel dignitatem, vel personatum, vel canonicatum in ecclesiis cathedralibus. Amplius concilium tridentinum decrevit, ut in synodo ii designarentur, quorum doctrina præstans esset ac probata, quatuor saltem aut etiam plures, in quorum etiam interim mortuorum vicem liceat ordinario consilio capituli accedente alios substituere, ita ut delegationes aliis factæ, sive ab apostolica sede, sive a quibuscumque apostolicæ sedis officialibus, subreptitiæ, proptereaque irritæ censeantur. Quamobrem hodie locum habere amplius nequit rescriptum Alexandri III, in cap. 14, de offic. et potest. judic. deleg., quo declaratum est, successorem in dignitate caussam persequi posse, ubi dignitati delegatio facta fuerit, cum hodie amplius non attendatur ipsa dignitatis ratio, sed potius designatio synodalis. Aliud sane esset de delegatione ordinario facta dicendum; etenim in ordinariis delegandis nihil novi concilium tridentinum induxit, ut liquet ex illis verbis: *Præter ordinarios locorum.* Notat in hanc rem Barbosa ad dictum caput 10, tridentinum num. 25, Decretum hoc in usu non esse, ex eo potissimum, quod vix episcopi sint, qui deputatorum judicum nomina ad sedem apostolicam transmittant, quod et adnotavit, et doluit Bedictus XIV, in suo opere de synodo diœcesana libr. 4, caput 5, num. 6, et sequentibus. Verum idem Benedictus papa in sua constitutione, quæ incipit: *Quamvis paternæ* anni 1741, 26 augusti, episcoporum sollicitudinem excitavit, ut electorum in synodo judicum nomina ad sedem apostolicam transmitterent, fide sua esse jubens, non aliis delegatum iri caussarum cognitionem a Sede apostolica.

Testes synodales eos vocamus, vel qui ad synodum deferunt, quæ corrigenda, discutien-

daque per synodum sint; vel qui a synodo constituuntur, ut inquirant per diœcesim, an aliqua sint emendanda, corrigenda, vel discutienda, eadem ad sequentem synodum delaturi. Horum testium disciplina jam vigebat sæculo ecclesiæ nono temporibus Reginonis prumiensis, cujus est can. 7, can. 35, quæst. 6, perperam eutichiano papæ adscriptus, ex quo constat, laicos testium synodalium munere tunc fungi consuevisse. Post constitutionem concilii lateranensis sub Innocentio III, celebrati, cum illud officium mandari debuerit idoneis, providis, honestisque personis in tota diœcesi vigilaturis, ne adversus ecclesiasticam disciplinam abusus irrepant, nulla tamen eis jurisdictione concessa, cap. 25, vers. *ut autem* de accusationibus, soli clerici visi fuerunt designandi, quemadmodum etiam hodie designantur; quamquam fatendum sit, hodie nomine tenus synodales testes dici, quod exequi commissum munus minime soleant, optandumque supersit viris probis, ut ea disciplina, quoad fieri commode possit, restauretur. Passim episcopi utilitati ecclesiarum suarum, quæ ex hoc testium officio derivaret, hodie consulunt, vel institutis vicariis foraneis, a quibus postulant, ut in abusus parochiarum inquirant, et agnitos abusus denuncient, vel visitationibus diœceseos ante synodi celebrationem factis, quibus eorum instructus animus deliberet commodius, quid in synodo præstandum sit.

Examinatores denique synodales dicuntur, qui ex constitutione tridentini concilii in sess. 24, de reform. cap. 18, designari in synodo debent, ut indicto ad beneficia parochialia concursu cum episcopo examen perficiant. Proponi isti numero saltem sex ab episcopo, vel ejus generali vicario debent, deinde in synodo ipsa probari, magistri, seu doctores, aut licentiati in theologia, aut jure canonico, vel alii clerici, seu regulares etiam ex ordine mendicantium, aut etiam sæculares, qui ad id videbuntur magis idonei. Quoniam vero concilium tridentinum cavit, ne ulla simoniæ suspicio esse possit examinis caussa, saluberrima consuetudo quotidiana praxi firmata recepta est, ut nullum laudatis examinatoribus stipendium adsignetur, et nihil omnino lucri occasione examinis examinatoribus adquiratur. Debent illi in ipsa synodo jurejurando spondere, se nihil admissuros, quod ecclesiæ legibus fraudem faciat, reddituri sane in synodo, si opus erit, Provinciali rationem, si quid contra officium admisisse deprehendantur. Quæri ad hanc rem solet, quandonam examinatorum synodalium officium expiret. Nemo sane dubitat, posteriore synodo facta, aliisque examinatoribus electis, in priori synodo electorum officium cessare, quod ex ipsis concilii tridentini verbis deducitur, postulantibus, singulis annis in diœcesana synodo examinatores proponi, probarique oportere. Eo redigitur difficultas, quid juris primum, si ex examinatoribus aliqui intra annum vel supremum diem obierint, vel longe a diœcesi abesse cœperint, nec brevi redituri credantur; deinde quid juris si post annum, aut diuturnius tempus nova synodus minime celebretur? In prima specie arbitror, si adhuc in diœcesi sex examinatorum numerus superest, nihil esse innovandum, quum is numerus menti tridentinorum patrum satis congruat; ac si forte numerus ille non supersit, non est deneganda potestas episcopo cum consilio capituli subrogandi eo usque, donec sextus numerus impleatur; etiamsi forte adhuc tres superfuerint, per quos possit forma examinis obtineri; etenim alium esse voluerunt tridentini patres numerum constituendorum examinatorum, alium numerum examinatorum vocandorum, prout res incidit sive quoties fit concursui locus, arbitrio episcopi, ut integrum maneat in seligendis examinatoribus ordinarii arbitrium; quamquam tamen vicario capitulari eam potestatem non facile adseramus, cum in episcopi solius, seu etiam ejus vicarii arbitrio res hæc tota a tridentino concilio commissa legatur. In altera specie non defuerunt, qui putarent, elapso anno ipso jure examinatorum officium expirare, quasi formula illa tridentini concilii *singulis annis* id postulet. Verum verba illa *singulis annis* non per se consistunt, sed sequentibus *in diœcesana synodo* cohærent, quasi diceretur, renovandos esse examinatores in synodis diœcesanis, quæ debent annis singulis celebrari. Hinc ne alias negligeretur forma concursus ob defectum examinatorum, concludemus, officium illorum ultra annum usque ad sequentem synodum prorogari. Quod si examinatores ipsi defecerint ut sex numerari amplius nequeant, deneganda erit episcopo facultas alios designandi; est enim, quod episcopo imputetur, si synodum minime cogat, quam cogere ex canonum sanctione tenetur, ibidemque non curet alios substitui.

CAPUT V.

Per quas singulares personas, seu dignitates, vel officia ecclesiastica jurisdictio exerceatur.

Quæ in præcedente capite tradita sunt, pertinent ad jurisdictionem ecclesiasticam in publicis ecclesiæ comitiis exercendam. Sunt etiam in Ecclesia singulares personæ jurisdictione pollentes, quarum aliæ communi, aliæ speciali jure illam explicant. Memoro in primis pontificem max. ejusque legatos, deinde majores antistites quocumque nomine appellentur, idest patriarcharum, primatum, archiepiscoporum, sive metropolitarum, post quos laudo minores episcopos, qui archiepiscopis subsunt; atque his proxime accedunt abbates nullius, ut vocant diœcesis. Post hos colloca-

bimus prælatos inferiores numero plurimos, seu jurisdictionem in foro tantum interno exercentes, uti sunt parochi, seu jurisdictione etiam in foro externo utentes, sive regulares, sive sæculares prælati appellentur, quorum discrimina in sequentibus dissertationibus sigillatim erunt observanda. Tantum initio generaliter adnotandum est, potestatem jurisdictionis, seu modum ejusdem exercendæ variis consuetudinibus, præscriptionibus, privilegiis, reservationibus obnoxium esse, quod, uti initio adnotavimus, ejus origo non eadem omnino sit, quæ est ordinis: videlicet ex jure gentium, et ex generali regiminis sacri natura proficiscitur, quæ varia esse potest pro rerum, locorum, temporumque adjunctis, prout rerum earundem sacrarum ratio, et Ecclesiæ utilitas postulat.

Non est tamen hoc in loco omittenda generalis discussio de ecclesiasticarum dignitatum collatione invicem facienda, ut dignoscatur, quæ unius sit supra alteram prærogativa, atque præstantia, unde fiat, ut in concursu una alteri sedem, locumque concedat. Non ambitum fovent, ut perperam nonnullis visum est, hujus generis controversiæ, quando potius ambitum perimunt, statutis certis regulis, quibus unusquisque intra limites sibi constitutos contineatur, non honorem imminuat, non locum occupet alienum; imo ad hoc dispensationis divinæ provisio gradus diversos, et ordines constituit esse distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, et potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret et ex diversitate contextio, et recte officiorum gereretur administratio singulorum; neque enim universitas alia poterat ratione subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentiæ ordo servaret, can. 7, dist. 89. Istud est, quod ajebat Calistratus in l. 19, ff. de uffic. præsid., ex conversatione æquali contemtionem dignitatis nasci, et quod Ulpianus in l. 4, § 4, ff. de offic. procons. turbari provincias, si non ex ordine dignitate excipiantur. Huc pertinebat sollicitudo nicænorum patrum, dum in can. 14, dist. 93, caverunt, ne diaconi quidquam presbyterorum honori detraherent: huc etiam sollicitudo imperatorum Theodosii et Justiniani in suis codicibus titulus inscribentium latis ad eam rem legibus: *ut dignitatum ordo servetur*, a quo non longe distare videtur Gregorii IX. titulus *de majoritate et obedientia*.

Ut certis regulis id nos conficiamus, observamus, in primis, quoniam nonnisi duo in Ecclesia præstantiam habent, ordo scilicet, et jurisdictio, committi invicem posse, vel cum ordine ordinem, vel cum jurisdictione jurisdictionem, vel jurisdictionem cum ordine. Hinc primo concludimus, ubi ordo unus cum uno ordine, idest, quibus nulla jurisdictio adhæreat, concurrit, majorem ordinem minori præferri, episcopum ex. gr. presbytero, presbyterum diacono etc., can. 14, dist. 93, cap. 15, de major. et obed. At si par utrobique ordo sit, seniorem juniori, idest antea ordinatum recentius ordinato præferri, can. 7, dist. 17, can. 1, dist. 18, concilio trid. sess. 24, de reformat. cap. 2, ibi: *Coepiscopus antiquior*, nisi agatur de eo, qui fuerit a papa ordinatus, qui aliis præfertur, cap. 7, de major. et obed., juncto cap. 7 et 12, de præb. in 6. Secundo definimus, ubi jurisdictio cum jurisdictione concurrat, spectandum esse, an æqualis utrimque jurisdictio sit, an inæqualis; item an utrimque jurisdictio ordini eidem cohæreat, an diverso. Ubi æqualis utrimque jurisdictio est, æqualis etiam ordo, senior juniori præferetur, uti contigit in coepiscopis, quemadmodum probant canones modo laudati; quod verum est, si ejusdem generis sit jurisdictio; nam in diversi generis jurisdictione altera alteri præstat; sic jurisdictio externi fori dignior est jurisdictioni fori interni, criminalis civili, ordinaria mandatæ prefertur; item ea, quæ veram jurisdictionis formam habet, illi, quæ per modum tantum arbitrii exerceatur. Item non erit recipienda eadem regula, si, ubi æqualis sit ordo et jurisdictio, non tamen æqualia sunt dignitatis ornamenta. Hinc inter abbates ordine et jurisdictione pares, mitrati non mitratis regulariter præferuntur, cap. 6, de privilegiis in 6. Ubi jurisdictio minor est, ordo æqualis, jurisdictione major præfertur ordine æquali, uti contingit in archiepiscopis respectu episcoporum. Potiore propterea ratione præfertur jurisdictione et ordine major, ordine et jurisdictione minori. Ubi jurisdictio æqualis est, ordo minor, major ordine præfertur jurisdictione æquali: sic episcopi præferentur abbatibus jurisdictionem quasi episcopalem habentibus. Ubi major est jurisdictio, ordo minor, potior est ratio majoris jurisdictionis habenda; qua ratione archiepiscopus necdum consecratus episcopo suffraganeo consecrato dignior habetur, et vicarius generalis metropolitani, cum eo officio fungitur, suffraganeos episcopos, utut non episcopus, præcedit, can. ult. dist. 93, eodemque jure pontificii legati non episcopi, ubi muneri incumbunt, episcopis præferuntur, non tam ex eo, quod alienam et digniorem personam exhibeant, quam quod in hoc quæstionum genere jurisdictio potius, quam ordo attendatur; cujus rei argumento est, quod si concurrat cum episcopo juniore vicarios episcopi senioris, non vicarius episcopo, sed episcopus, qui alias seniori episcopo cederet, vicario senioris episcopi præferatur, quasi etiam is dignitatem tanquam vicarius exibeat, non ætatem. Ratio vero, cur in hujus generis controversiis jurisdictio potius, quam ordo consideretur, in eo primum meo judicio consistit, quod potestas ordinis per se refertur ad corpus Christi verum, uti initio

adnotabam, vix, et nonnisi in paucis, ad corpus Christi mysticum; at potestas jurisdictionis tota in corpus Christi mysticum, exerceatur. Dignitas autem et præminentia tota spectat corpus Christi mysticum, seu membra Ecclesiæ inter sese invicem comparata. Deinde adjicere possum, potestatem ordinis potestate jurisdictionis esse recentiorem, tanquam illam, quæ jam jure gentium constituta jurisdictioni sacrorum accesserit, non eam in fastigio distinctis numeris collocaverit, sed jam suis quamque in sedibus collocatam invenerit, ac tantum nitidius enornaverit. Exinde tertio loco facile proficiscitur, ubi jurisdictio sola, sive nulli ordini adnexa, cum uno ordine, seu cui nulla cohæreat jurisdictio, concurrat, jurisdictionem ordini anteferri oportere; uti contingeret in abbate non ordinato, aut in vicario generali vix clericali tonsura initiato jurisdictionem episcopalem, aut quasi exercentibus.

Ceterum utut certa, aut saltem probabilia videantur ista principia hucusque jacta, verum tamen est, disciplinam hanc ut vocant, majoritatis (quæ sane multum a superioritate distinguitur, argumento legis 7, § 1, ff. de captivis) moribus potius, et consuetudine regi, ut is eum locum tenere pergat, quem se hucusque tenuisse demonstret, cap. 6, de consuetudine, cap. 9, de probationibus; quod quidem recipiendum est, ubi æqua sit dubitandi ratio; nam si omnino temere locus usurpatus adpareat, nihil erit, quod judicem movere possit, ne omnia in pristinum restituat, can. 20 et 24, dist. 93, cap. 17 de privilegiis. Item in consuetudine observatione dignum est, non attendi postremas quasdam ordinum immutationes, quæ potius ex urbanitate originem habuerunt, quæ sane nullum jus inducunt, argumento l. 31, ff. de oper. libert, vel quibus singularia quædam temporum, et locorum, aut personarum adjuncta occasionem dederunt, argumento legis 14, ff. de exceptione rei judicatæ, et legis 123, § 1, ff. de regulis juris. Ne vero occasione hujusmodi controversiarum aliquando conventus publici turbentur, jamdiu obtinuit, ut inter contendentes palam fiant protestationes, ne ex facto jus alicui adquiratur, quemadmodum constat factum fuisse in concilio tridentino, sive in fine sessionis 2, sive in fine sessionis 25, de reformatione sub titulo de loco oratorum. Insuper concilium idem tridentinum in sess. 25 de regularibus, cap. 13, cavit, ut controversiæ omnes de præcedentia, quæ oriuntur inter ecclesiasticas personas tam sæculares, quam, reguleres, cum in processionibus publicis, tum in iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum cadaveribus, ab episcopo, amota omni appellatione, componantur; quod tamen decretum non ubique receptum esse testatur Jacobus Gothofredus in libello de jure præcedentiæ, parte 1, cap. 2, in notis, litera G.

DISSERTATIO SECUNDA

DE PONTIFICE MAXIMO

CAPUT I.

De pontificis maximi dignitate, actoritate, ac jurisdictione in Ecclesia universa.

Quod recentiores hæretici numero plurimi Joannem Wicleffum veluti antesignanum secuti tradere a sæculo primum Ecclesiæ decimoquarto cœperunt, nullam esse supremam in Ecclesia potestatem divino jure constitutam; non Petrum supra apostolos ceteros jurisdictionem obtinuisse, neminem propterea esse debere ex episcopis, qui se Petri successorem in primatu dicat, seque eo nomine ceteris præferat, recte colligentes, romano antistiti divino jure ceteros episcopos esse pares etiam jurisdictione ac potestate, hodierna ætate tot virorum eruditissimorum studiis, atque elucubrationibus adeo confectum est, ut nihil omnino adjici præterea possit. Paucis dicam, sacras literas singularem et maximam Petri supra ceteros apostolos potestatem docere apertissime, Matthæi cap. 10 et 16, Lucæ cap. 21, Joannis cap. 21, item præcipuas in gravioribus ecclesiasticis caussis fuisse inter apostolos Petri partes, Actorum cap. 1, 2, 3, 4 et 15, denique romanum antistitem agnitum fuisse tanquam Petri successorem, et totius Ecclesiæ Principem constantissima Ecclesiarum omnium traditione. Perpetuus latinæ Ecclesiæ labor in retundendo Græcorum ambitu jurisdictionem romani episcopi evadere conantium, Latinorum traditionem perspicue demonstrat. Orientalis autem Ecclesia vel in ea ipsa caussa, qua aliquando se a romanæ sedis obedientia subducere conata est, maximum in romana ipsa Ecclesia constitutum pontificatum se testata est agnovisse. Undenam enim constantinopolitani patriarchæ veteres, quorum deinde voluntatem, et ambitum apertius explicavit Anatolius vix absoluto chalcedonensi concilio; moliti sunt, ut ceteris etiam patriarchis præferrentur, uno excepto romano, nisi quod Constantinopolis, translata in eam imperiali sede, junior Roma appellaretur? Undenam sæculo

sexto Joannes jejunator dictus et ipse constantinopolitanus antistes, universalem se episcopum nominavit, nisi quod crederet, romanæ sedis privilegia sedi, quam tenebat, facta fuisse communia? Quod si amplius recentiores constantinopolitani episcopi, præ ceteris Photius, ausi sunt, facto schismate, potissimum ex eo sibi adserere conati fuerunt pontificatum maximum a Romanis in se translatum, quod Latinum imperium translatum esset ad Græcos: quæ sane rationes ab hominibus romanæ sedi acriter infensis derivatæ invictissime sunt ad demonstrandam generalem utriusque Ecclesiæ consensionem in eo, quod et Sanctus Petrus, et romani antistites post Petrum, primatum in Ecclesia gesserit, utut schismatici iidem Græci alio ab urbe Roma transferri quandoque primatum posse falsa opinione sibi blanditi fuerint, atque sibi adserere revoluto imperio non dubitaverint.

Quid in contrarium hæretici adferre soleant, minime recenseo, hanc provinciam theologis relinquens, quorum potissimum est dogmata fidei adserere, vindicare. Non debeo tamen prætermittere, quod meum esse posse videtur, interpretationem quorundam monumentorum, quæ in codice canonum exhibentur, quorum aliqua a viris catholicis proferuntur ad firmandum romani antistitis primatum, quamquam argumento non satis idoneo, aliqua proferuntur ab hæreticis caussa infirmandi dogmatis: atque in hac re, licet damnem hæreticorum perfidiam, dum in præsidium hæreseos suæ sacros canones torquere conantur, laudare tamen non possum nimium catholicorum illorum ardorem, quo correpti leviora gravioribus congerunt argumenta, forte etiam facili negotio enervanda. Non indigent inanibus subsidiis catholicæ Ecclesiæ dogmata, de quorum veritate aliunde constat evidentissime. Catholici quidam ad confirmandum romanæ Ecclesiæ Primatum in medium adtulerunt canonem 6, dist. 65, qua in parte ibidem traditur, romano episcopo *parilem esse morem*, ut episcoporum habeat potestatem. Est is canon sextus ex Nicænis, et propterea conjungendi erunt cum eo gratianeo fragmento canon 8, dist. 64, et canon 1, dist. 65. Verum canon iste nicænus ad rem parum pertinere videtur, editus adversus Meletium in Thebaide episcopum, qui alexandrino, cui suberat, inscio antistite, episcopos ordinabat; atque in eo cavebatur, ne alexandrino episcopo inconsulto, episcopi ordinarentur in alexandrina diœcesi constituendi, argumento a simili petito ex romana diœcesi, in qua nullus ordinabatur antistes, inscio episcopo romano. Sunt hæc, quis non videt? jura potius metropolitica, seu patriarchalia, quam jura primatus. Plura hoc in loco non congero, propterea quod jam nicænum eundem canonem expenderim in meis animadversionibus in codicem Gratiani. Plura e contrario monumenta sunt ex codice canonum deprompta, quibus utuntur hæretici ad primatus jura evertenda. In primis objiciunt canones 33 et 37, caus. 2, qu. 7, quorum prior Hieronymo adscriptus est, posterior Ambrosio ubi videtur Paulus Apostolus Petro apostolo adeo æquiparatus, ut par agnita videatur utriusque potestas, adeo etiam, ut quis cui præferatur, in incerto esse videatur. Equidem neminem movere debet canon 32, utpote qui nullibi inter opera Hieronymi reperitur; imo Hieronymi sententiis nunquam congruere potest, quando certum est, Hieronymum reprehensionem Petri a Paulo, de quo sermo sit in epistola ad Galatas cap. 2, non vere, et ex animo factam credidisse, sed utili quadam simulatione, ut nimirum uterque populus salvus fieret, dum et qui circumcisionem laudabant, Petrum sequerentur et qui circumcidi nolebant, Pauli prædicarent libertatem. Ita scribebat Hieronymus idem in epistolam ad Galatas cap. 2, ad cujus argumentum pertinet canon 21, caus. 22, qu. 2. In conspectu hujus hieronymianæ doctrinæ, quomodo tribui possunt Hieronymo ea verba canonis 33, caus. 2, qu. 7. *Paulus Petrum reprehendit, quod non auderet, nisi se non imparem sciret*? Omitto lubens alias et quidem gravissimas interpretationes catholicorum virorum sano modo, et sine injuria primatus Petri, laudatum monumentum intelligentium; statim ac enim de auctore canonis minime constat, frustra in adsequenda auctoris mente laboraretur. In canone 37, incerti sane auctoris, cum sermo ille, ex quo depromtus est, ab aliis Ambrosio, ab aliis Augustino, ab aliis Maximo Taurinensi adscribatur, non de potestate fit sermo, et jurisdictione, sed de meritis, et corona martyrii, quemadmodum contextus ipse demonstrat, quod sine Petri contumelia dici poterat, quemadmodum sine Petri contumelia Augustinus ipse professus est, se in martyrii gloria comparare potuisse Petro Cyprianum, utut Cyprianum longe minorem Petro actoritate profiteretur, can. 35, caus. 2, qu. 7. Secundo objiciunt canonem 46, caus. 11, qu. 1 depromtum ex canone 9, concilii chalcedonensis, in cujus conspectu liquet, postremum clericorum, episcoporumve judicium apud constantinopolitanum antistitem discuti, ac dirimi oportere. Verum nemo ignorat, canonem istum esse fœtum ambitus Anatolii constantinopolitani episcopi, dignitatem suam, et jurisdictionem nimium late extendentis, et perperam sub nomine chalcedonensis concilii laudari. Ego jam id adnotavi in meis animadversionibus in Gratianum, ubi ita et canonem interpretatus sum, ut romano primatui minime officiat. Denique obiiciunt canones 3 et 6, dist. 22, ubi magni fit auctoritas patriarchæ constantinopolitani. Verum præterquam quod ibidem intuemur constantinopolitanum patriarcham antistiti romano subjectum, quæ ad eos canones recte

illustrandos pertinet, jamdiu adnotavi in laudatis meis animadversionibus in codicem Gratiani, ad quas curiosum lectorem, nisi gravetur, lubens remitto, sperans, eum commode conclusurum, nihil ex iis monumentis adversus primatum romanæ sedis posse deduci.

At quanto facilior est definitio, qua concludatur, romanum antistitem esse universæ Ecclesiæ principem, tanto salebrosior est disquisitio, in quonam consistat iste universæ Ecclesiæ principatus. Paucis ego ita edissero. Quousque inter Apostolos tributæ non fuerunt provinciæ, item quousque inter successores apostolorum nondum tribuendæ diœceses fuissent, ita erant a Petro, et Petri successoribus primatus jura explicanda, ut in primis solus pontifex maximus ea gereret, quæ universam Ecclesiam uti universam spectarent; deinde ut solus ipse pontifex maximus episcopo cuicumque immediate præesset, ipse defectus ceterorum suppleret, excessus corrigeret, et prout ecclesiastica necessitas, vel utilitas postularet, illos intra certos limites caussarum, vel locorum, vel personarum cohiberet. En duplicem supremam potestatem, et veluti generalem, ex qua primatus pontificius coalescit. Et quidem utraque potestates perspicue deducitur ex sacris ipsis literis. Nimirum potestas administrandi ea, quæ ad universam Ecclesiam spectant, uti universam, adparet in capite 16, Matthæi ubi Christus singulari sermone Petrum allocutus, eidem quæcumque ligandi, solvendique falcultatem super terram concessit; neque alio modo potestas singularis Petro his verbis data a potestate concessa ceteris apostolis distingui potest, quam interpretando verba Cristi in Petrum directa de potestate regendi Ecclesiam uti universam, et verba Christi in ceteros apostolos directa de potestate regendi Ecclesiam juxta modum deinde inter ipsos ex utilitate Ecclesiarum definiendum. Potestas vero altera Petro concessa regendi etiam prælatos Ecclesiæ, et eos omnes cum jurisdictione in ufficio continendi, adparet in capite 22, Lucæ, ubi a Christo legimus Petro mandatum, ut ipse aliquando conversus confirmaret fratres suos. Post distributas provincias, et diœceses, non quidem a divinis istitutionibus recessum fuit (neque enim recedi ab iis poterat), sed supremæ illius potestatis, usus ad elegantiorem quandam formam redigi debuit. Etenim ubi plures inter prælatos Ecclesiæ constituti sunt gradus, uni certa diœcesis sub nomine episcopi adsignata fuit; alteri certa provincia præter diœcesin sub nomine archiepiscopi, seu metropolitani; alii certa natio præter diœcesim, et provinciam sub nomine primatis; alii amplius quoddam territorium plures in se et diœceses, et provincias continens prœter singularem diœcesim, provinciam, et nationem sub nomine patriarchæ, vel exarchi. Hinc fieri cœpit, ut in romano antistite singulares plures dignitates eniterent, qualis esset romanæ diœceseos episcopi, quam cum episcopis ceteris, romanæ provinciæ archiepiscopi, quam cum archiepiscopis aliis, finitimarum aliquot provinciarum primatis, quam cum reliquis primatibus, totius occidentis patriarchæ, quam cum orientalibus patriarchis communem haberet, tandem ipse solus supremam pontificatus maximi dignitatem, ac potestatem divino jure sibi datam retineret, explicaret. Quamobrem hodie dignitates istæ pontificum maximorum recto ordine cumulatæ dispiciendæ semper erunt, ut singularis, et uniuscujusque propria vis ac facultas intelligatur, et ratio, prout res incidit, habeatur, dummodo semper illud præ oculis positum sit, veram, et primigeniam pontificatus maximi naturam in eo consistere, ut primum ab uno pontifice maximo Ecclesiæ universæ, uti universæ, negotia pendere debeant; deinde ut episcopi ceteri, quacumque dignitate fruantur, illi subsint, servato constituto ordine, ubi opus, aut opportunum sit, adjuvandi, confirmandi, corrigendi, plectendi, uno verbo, eo utilioribus modis, dirigendi, quo Ecclesiæ omnes eam sortiantur fidelem administrationem, quam Christus Dominus, a quo omnis potestas in Ecclesiam derivat, gerendam præordinavit, aut earumdem Ecclesiarum utilitas postulat; quæ duo, uti dictum est, veluti summa sunt capita generalis illius in totam Ecclesiam potestatis. Hinc sane intelligimus qua ratione pertineat ad pontificem maximum episcopos ad generale concilium convocare, convocatæque synodo præesse, item ea disponere, quæ ad propagationem fidei latius extendendam conducunt, certas præterea leges constituere in omnibus diœcesibus regulariter observandas, caussa seu confirmandæ fidei, seu doctrinæ morum stabiliendæ, tuendæque, seu indicendæ in disciplina unitatis; hæc enim singula cum similibus Ecclesiam universam uti universam respiciunt. Hinc insuper intelligimus, qua ratione factum fuerit, ut quædam induci potuerint, aliquando etiam debuerint, reservationes, devolutiones, exemtiones sedis apostolicæ gratia; ut appellationes ad sedem apostolicam ab episcoporum sententiis probarentur, aut alia his similia, quæ aut sui natura indicant, inferiorum antistitum excessus cohiberi, aut suppleri defectum ea ratione debuisse.

Non est hic locus immorandi diutius in singulis fusa oratione exornandis, quoniam plurima suis locis accommodata in meis tractationibus ex ordine reperiuntur. Tantum nonnulla dicam de appellationibus ad sedem apostolicam admittendis undecumque, quod constantissime in Ecclesia Dei a primis etiam sæculis derivata et ad nostra usque tempora producta disciplina probat atque confirmat. Mihi semper visum fuit gravissimum hoc argumentum. Appellatio subsidium est miseris, quo ad

superioris judicia provocatur, ut inferioris judicis, qui sententiam injustam aut ex imperitia, aut ex dolo pronunciavit, sententia reformetur. In vim pontificii primatus subsunt universi episcopi jurisdictioni romani antistitis, sive defecerint, sive excesserint, corrigendi, uti superius demonstratum est; ergo a sententiis episcoporum admittenda appellatio est ad apostolicam sedem. Quoniam vero etiam scriptis canonibus probanda res esset adversus eos, qui forte contra sentirent, imo et interpretatione commoda illustrandi sunt quidam canones, qui in medium proferuntur ab iis, qui disputare de hac re non dubitant, profero in primis canones concilii sardicensis 3, et 7, qui referuntur apud Gratianum in can. 36, caus. 2, qu. 6. et can. 7, caus. 6, qu. 4. Varias eorum canonum editiones, imo et eorundem edendorum canonum caussas exhibui in meis adnotationibus in codicem Gratiani, ex quibus tamen constantissime deducitur, jam ab antiquissima ætate agnitam fuisse hujusmodi appellationum disciplinam, et jam eo sæculo adparere, quo primum condi canones scripto cœperunt. At in contrarium objici solet canon 15, concilii antiocheni, seu canon. 5, caus. 6, qu. 4. Num quisquam in ejus conspectu forte judicabit, antiochenos patres a conciliis episcoporum provincialibus nullam, ne ad apostolicam quidem sedem, appellationem admisisse? Ita visum fuit christiano Lupo, qui exinde præcipiti consilio occasionem arripuit detestandi, et canones, et synodum ipsam antiochenam. Balsamon græcus interpres mitius scribens ait, eum canonem sublatum fuisse in synodo sardicensi, non tamen huic opinioni satis fidens ita prosequitur: *Sin autem hoc nolis dicere, interpretare canonem, et dic, fieri condemnationem a synodo, in quam non cadit appellatio, ut a papa, vel a patriarcha constantipolitano.* Insuper habeamus in præsentia, quod interpres in græco schismate enutritus de patriarcha constantinopolitano adjecit: longe ipse aberrat a proposito antiochenorum antistitum, qui aperte de provincialibus quibuscumque synodis sermonem instituerunt. Alexius Aristenus adfirmat quidem, eo canone interdictam esse quamcumque appellationem a conciliis provincialibus interponendam, eos tamen, qui contra sentiunt, benignius, humaniusque sentire ac propterea esse ipsis antiochenis patribus anteferendos, imo eo etiam progreditur, ut tradat, contrariam opinionem placuisse eisdem antiochenis episcopis in can. 4. Quis huic opinioni facile subscribat, qua sibimetipsis antiocheni episcopi contradixisse ferantur; Gratianus, quem canonistarum fere omnium turba secuta est, ad eum canonem adnotavit, canonem esse intelligendum ea adjecta exceptione, *nisi ad Judicem majoris auctoritatis fuerit provocatum.* Mihi sane rem hanc ad rectam rationem exigenti ab omnibus his interpretationibus recedendum videtur, atque ita omnis dirimenda controversia, ut et appellationibus ad superiores ordines faciendis nihil detrahatur, et integra maneat optima antiocheni concilii constitutio. Observo, apud veteres receptissimas quidem fuisse boni publici caussa appellationes, ne scilicet innoxii impune ob quorundum judicum imperitiam, ne improbitatem dixerim, damnarentur; non tamen appellationes istas in reipublicæ ipsius dispendium detorqueri aliquando potuisse; quod sane contigisset, si facta fuisset litigantibus potestas appellandi perpetuo, etiam post sententias plures, seu ejusdem sententiæ per plures, et diversos judices confirmationes. Coercenda etiam erat nimia et importuna appellandi licentia, ne lites perpetuæ fierent, neve temere litigantes vix temere susceptæ litis pœnam sentirent. Hinc saluberrime aliquando constitutum scimus, ut qui post triplex judicium constanti judicum sententia fuisset damnatus, appellandi facultate deinceps destitueretur. Id apud Græcos olim obtinuisse, Plato testatur in Dialogo 6 de legibus vel legumlatione, quod et abs Justiniano confirmatum est in l. un. cod. ne liceat in una eadem caus. tertio provoc., auth. *Siquis litigantium* cod. de Episcop. audient; quibus addi potest capitulum 65, de appellation. Quis exinde facile non deducat, qualis revera fuerit mens antiochenorum antistitum, quum post concordem concilii provincialis sententiam nihil amplius effugii voluerunt superesse damnatis? Videlicet ordo caussarum ecclesiasticarum is erat, ut primo res coram diœcesano discuteretur, deinde post ejus sententiam deferretur ad metropolitanum, demum vero ad concilium, in quo omnium comprovincialium episcoporum auctoritas intercederet. Loquimur profecto de provinciali concilio, in quo non triplex tantum concors judicium agnoscere fas est, sed tot judicia, quot episcopi ad concilium convenerunt. Et sane si concors omnium sententia in concilio fuisset, qualis etiam in superioribus judiciis per episcopum, atque archiepiscopum prodita fuerat, quis plenæ concilii sententiæ, nisi temere litigans, adquiescere non debuisset? Hinc potius antiocheno canone coercita fuit litigantium temeritas, quam detractum fuerit jurisdictioni superiorum antistitum, ad quos appellatio jure sit admittenda. Quæ interpretatio consonat Gratiani verbis, ibi: *ab omnibus Episcopis... unam, consonamque sententiam .... quæ ab omnibus prolata est* etc. eodemque modo consonat aliis latinis græci canonis versionibus. Sicut adhuc difficultatem faciat laudatus Sardicensis canon, quo non tanquam suprema habetur concilii provincialis sententia, facile canonem canoni conciliabit, ajendo, in sardicensi concilio de ea caussa agi, quæ non concordi episcoporum judicio absoluta fuisset aut observando, antiochenos episcopos utpote Græcos

consuetudini paruisse in tribunalibus Græcorum receptæ de non producendis ultra triplex judicium appellationibus, quæ tribunalium disciplina tempore concilii sardicensis ad occidentales provincias nondum traducta fuerat, nec propterea confirmari commode poterat in sardicensi fere occidentalium omnium concilio. Tandem ea disciplina communis fieri potuit et orientali et occidentali imperio post editam generalem legem abs Justiniano imperatore, qualis adparet in l. un. cod. ne liceat in una eademque caussa tertio provocare, juncta nov. 82, cap. 5. Nondum expedita res in conspectu veterum canonum; siquidem adhuc superest expendendus canon 22, milevitani concilii anni 415, relatus a Gratiano in can. 35, caus. 2, qu. 6, et in can. 34, caus. 11, q. 3 cujus etiam sententia renovata fuit ab africanis episcopis in concilio carthaginensi anni 418, sub Aurelio can., 28, relata in codicem canonum Africanæ Ecclesiæ cap. 28 et 125. Sanxerunt ibidem africani antistites, ad transmarina judicia non debere appellari, quod apud ipsos idem erat, ac definire, non esse ad sedem apostolicam appellandum. Ignorabant africani antistites sardicense decretum. quando non semel statuerunt, omnia negotia in conciliis provincialibus, aut totius Africæ nationalibus, terminari oportere; non sane ex eo, quod apostolicæ sedis judicia temnerent, et non tanquam superiora venerarentur, sed potius, ne perfidia temere litigantium fieret, ut appellatione ad transmarina judicia interposita, sententiæ conciliorum nationalium effectu suo diutius frustrarentur. His appellationum suffugiis abutebantur hæretici, præsertim Pelagiani, ac cælestiani, qui in Africa diras contentiones Ecclesiarum movebant, fovebantque; ipsi enim appellationum prætextu sanctorum africanorum antistitum sententias illudebant, pessimumque hæreseon virus latius interea effundere non dubitabant. Nemo profecto ex prudentibus ignorat, summi juris apices aliquando cum æquitate committi, ut si forte æquitatem sequaris, in jus impingere, si e contrario summo juri adhæreas, æquitatem certis in casibus lædere videaris. Itaque africani antistites superiorem noverant in romana Ecclesia potestatem, ac propterea summo jure ad eandem appellationes interponi posse non inficiabantur. Tantum appellationes illas in iis adjunctis denegare voluerunt propter abusus, æquitate quadam sibi proposita summi juris regulas non attendentes. Ita statuerunt in milevitano laudato concilio anni 416, ita etiam in subsequente concilio carthaginensi anni 418. Quando vero canones illi æquitate potius, quam jure editi perpetuam reddere non poterunt disciplinam, quum anno 419 aliud celebraretur in Africa concilium, legati romanæ Ecclesiæ, qui eo convenerant, proposuerunt, ut generaliter decerneretur, liberam illinc esse debere appellationem ad romanam Ecclesiam, allegantes, illud jam in nicæno concilio constitutum fuisse. Rati hinc antistites africani, suam a legatis sanctionem improbari, quam in duobus præcedentibus conciliis ediderant, quasi ne æquitatis quidem prætextu a nicænis regulis, quas tunc adamussim custodiri plurimum intererat, recedere potuissent, responderunt, se quidem omnes nicænos canones custodire, servare; dubitare tamen, utrum ea, quæ de appellationibus proferebantur, vere fuissent in nicæno concilio definita. *Nos servaturos profitemur* (ajebat ibidem Alypius episcopus Tagastensis) *quod in nicæno concilio constitutum est, adhuc tamen me movet, quomodo cum inspiceremus græca exemplaria hujus synodi nicænæ, ista ibi, nescio qua ratione, non invenimus.* Hinc postulatum est, ut legati mitterentur Constantinopolim, Alexandriam et Antiochiam, unde acta nicæni concilii integra haberi possent, etiam exorantes pontificem maximum romanum, ut et ipse omnem sollicitudinem in obtinendis nicænis optimis exemplaribus conferret, interea vero liceret unicuique provinciæ morem suum servare, in qua sententia fuit et Augustinus hipponensis, qui concilio illi subscripsit adjecta clausula; *salva diligentiore inquisitione concilii nicæni.* In errore facti versabantur, qui nicænos canones proposuerant; erant enim potius canones sardicenses, quod contingere potuit, vel quia sardicense concilium tanquam appendix nicæni haberetur, vel quia in codice canonum, quem legati pontificii præ manibus habebant, sardicenses canones subjecti essent nicænis, unde facile a Nicænis non secernerentur. Neque puto, africanos habuisse compertos specialiter sardicenses canones, et jam tum in suos codices recepisse; ex eo enim facile errati caussam deprehendissent. Itaque res postmodum explorata fuit; tum autem post receptos in Africa sardicenses canones, a concilio milevitano, et carthaginensi recessum est. Receptos vero sardicenses canones non multo postea Fulgentius Ferrandus Afer testificatur, quando eos memorat in canone 59, sui Breviarii, ibi: *ut adjudicatus episcopus ad apostolicam sedem, si voluerit, appellet. Concilio sardicensi tit. 5,* et Crisconius etiam Afer in cap. 159, sui Breviarii. ibi: *ut inter discordes episcopos comprovinciales antistites audiant: quod si damnatus appellaverit romanum pontificem, id observandum, quod ipse censuerit. Concilio sardicensi, titulo 3.* Ex his ego concludo, perperam ex milevitano, et carthaginensi canonibus quidquam colligi posse ad evertendam generalem disciplinam appellationum ad sedem apostolicam interponendarum.

Quicumque investigant, num primatus pontificis maximi etiam in eo consistat, quod pontifex idem ordinariam ubicumque seu in singulis uniuscujusque episcopi diœcesibus, juri-

sdictionem explicare valeat, unde in vulgare abiit adagium, pontificem maximum ordinarium ordinariorum existere, non videntur meo judicio parare sibi undecumque aptam de ejusdem primatus ratione disputationem. Etenim proposita quæstio antevertere minime potest divisionem diœceseon, non divino, sed ecclesiastico, licet aut apostolico, aut pene apostolico jure inductam; primatus autem potestas in jure divino anteapostolico et fundamentum habet, et caussas: imo et longe distant hæc duo, primatum habere in universa ecclesia, et exercere ubicumque sacrorum jurisdictionem; ne alias forte dicamus, apostolos, aut episcopos ante divisionem provinciarum primatum habuisse universos, utpote quorum potestas, ac jurisdictio nullis locorum finibus circumscribebatur; aut perpetuo episcopos omnes primatum jure habendos, si nusquam ad divisionem provinciarum deveniendum judicavissent. Ubi ea disputatio facienda sit, a facto magis, quam abs jure petendam definitionem puto; ex eo nimirum, utrum divisis ecclesiastico jure provinciis reservata ea potestas pontificis maximi gratia fuerit, quasi respectu supremæ illius dignitatis nulla divisio facta fuerit, seu nulli locorum limites designati. Ecquidem statim adparere potest, romanam diœcesim instar ceterarum fuisse constitutam; sed an hæc ipsa constitutio potius ideo emerserit, ne in eam finitimi episcopi prosilirent, an ideo, ne romanus etiam antistes eam egredi ullo modo vi sui episcopatus posset, non satis adparet. Quid ergo? Quando antiquissima divisionis et tributionis illius gesta certis et perspicuis documentis commendata non fuerunt, ex quibus sera posteritas judicaret, illud supererit, ut fidenter dicatur, eam habitam tunc fuisse romani episcopi rationem, qualis ex moribus sæculorum subsequentium demonstratur, quasi longus rerum gerendarum usus (observantiam pragmatici dicerent) quid ab initio inter se convenerint dividentes gravissimo sane argumento definiat. Deinde plurimum juvabit observare, quid agendum a dividentibus decuisset, ut illud actum a viris apostolicis prudentissimis præsumatur, quod honestius videretur. Si ista principia jaciantur, quid dubitamus, quin divisionem illam non obfuisse latissimæ romani antistitis potestati adfirmemus? dummodo tamen illud adjiciatur, nihil exinde fore divisarum Ecclesiarum utilitati detrahendum, quam et ipse antistitum omnium princeps, curare et promovere ex Christi mandato tenetur, et quæ provinciarum divisioni caussam dedit maxime gravem: quod idem est, ac dicere, tum eam potestatem exerceri a pontifice maximo libere posse, cum ipse id interesse, atque expedire certis de caussis minime contemnendis, prudenti arbitrio judicaverit. Itaque in primis si facta quærimus, ex quibus quinam fuerint Ecclesiæ mores, et facta dividentium antistitum colligantur, primum observo, angustos admodum fuisse romanæ diœceseos fines, qui vix urbem ipsam egrediebantur, uti probat epistola Innocentii I, ad Decentium Eugubinum, ibi: *De fermento, quod die dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ.* Verosimile autem non est, adeo angustos designatos fuisse romano antistiti terminos, ut amplior statim videretur alterius cujuscumque episcopi diœcesis. Deinde factum illud egregium demonstro, et quidem antiquissimum, divisionis inter Petrum junctis Joanne et Jacobo, et Paulum juncto Barnaba initæ ita, ut Petrus cum Jacobo et Joanne erga Judaeos, Paulus cum Barnaba erga gentes apostolico munere fungerentur, epist. ad Galatas caput 2. Scimus enim servatam eam divisionem a Paulo et Barnaba fuisse, ne Judæorum curam ipsi susciperent; servatam quoque fuisse abs Jacobo et Joanne, ne gentibus evangelizarent; Petro autem liberam fuisse in omnes, ubi opportunum videretur, potestatem, quod et Paulus idem docet in dicto capite 2, nonnulla subjiciens de officio Petri erga gentes, et factum Petri luculentissime commonstrat, quando, antiocheno episcopatu relicto, Romam se transtulit, inter gentes Ecclesiam fundaturus. Fuit ista prima, de qua constat, regiminis sacri partitio, ad quam facile præsumuntur, veluti ad normam, exactæ aliæ deinde factæ locorum, provinciarumque partitiones. Plura sunt recentiora facta, quibus in singularibus diœcesibus episcoporum certis de caussis romanos antistites jurisdictionem exercuisse liquet, vel dum concilia particularia celebrarentur, in quibus legati pontificii interfuerunt, quemadmodum ex superius laudato africano concilio anni 419, constat, ut omittam alia concilia numero plurima; vel dum scimus, ubicumque semper licuisse romano pontifici uti pallio, quod argumentum est jurisdictionis, caput 4, de auctorit., et usu pallii; vel etiam licuisse ipsi incedere in quacumque diœcesi præeunte cruce ad similis jurisdictionis argumentum; caput 23 de privilegiis. Insuper verum est, quammaxime decuisse, ut, dum provinciæ dividerentur, singularis quidam honos primæ sedi reservaretur, ut qui eam teneret, latius posset episcopalia munera gerere, ubi expedire judicaret; neque enim id adeo facile cöepiscoporum invidiam concitabat, dum certa in principem suum obsequia ea ratione exhibuissent: siquidem si in Africa ille honos aliquando delatus est carthaginensi episcopo tanquam Africæ primati, ut ipsi liceret, unde voluerit, ex Africa tota clericum ordinare, quemadmodum legitur in inscriptione canonis 55, codicis africani; si similis prærogativa apud Grecos reservata fuit episcopo constantinopolitano, tanquam in Oriente principem sedem occupanti,

ut honoratior haberetur illius episcopatus, quemadmodum tradit Balsamon in notis ad canonem 47, concilii trullani, cui consonare videtur Novella Justiniani 3, capite 2, in principio; si patriarchæ orientales experiebantur in universis diœcesibus jure stauropegii, quo fiebat, ut monasteria quædam in diœcesibus inferiorum antistitum ædificata benedicerent ipsi, et, cruce in iis erecta, jurisdictioni suæ reservarent, et lege diœcesana eximerent, quod antiquissima consuetudine, non schismatica usurpatione ab orientalibus patriarchis adquisitum ostendit Christianus Lupus in scholiis et notis ad canones conciliorum edit. Bruxellen. pag. 953, conveniens quoque erat, ut ea, atque his similia nunquam denegarentur romano antistiti, eo etiam potiore jure, quo excellentior erat ejusdem supra primates, ac patriarchas ceteros principatus. Imo et factum ipsum episcoporum, seu carthaginensis, seu orientalium patriarcharum, præsertim constantinopolitani, facile indicat, similes facultates exercitas tunc fuisse a romano antistite, cujus unius exempla movere potuissent primates illos, ut ab episcopis sibi subjectis honorem in certis caussis non absimilem postularent, quo pertinet argumentum canonis 6, dist. 22, ex quo constat, constantinopolitanum antistitem petiisse, ut eum honorem exciperet, qui romano antistiti deferebatur, et argumentum canonis 6, dist. 65, ex quo constat, alexandrinum episcopum certas sibi vindicavisse in suo patriarchatu prærogativas, propterea quod *et episcopo romano parilis mos erat.* Nunc sane intelligimus, qua ratione dicere potuerit Bonifacius VIII, in cap. 2, de præb. in 6, plenariam dispositionem beneficiorum in universa Ecclesia ad romanum pontificem pertinere, quæ sane plenaria dispositio cum ordinaria non confunditur, aut ordinariam non excludit; qua item ratione Gregorius IX, in c. ult. de foro compet. rescripserit, episcopos immediate conveniri apud sedem apostolicam posse, adjecta ratione, quod romana Ecclesia Ecclesiarum omnium mater sit et magistra, argumento l. 33, ff. ad municipalem; qua itidem ratione ei, qui ordinatus sit a pontifice maximo, singularis honor in universis diœcesibus sit deferendus, cap. 7, de majorit., et obed., argumento cap. 7 et 12, de præbend. in 6, qua denique ratione concilium tridentinum in cap. 20, sess. 24 de ref. postquam constituisset, caussas omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram ordinariis locorum dumtaxat cognosci, atque omnino saltem infra biennium a die motæ litis terminari, nec antea aliis committi, nec avocari, statim subjecit, ab ea regula non solum excipiendas esse majores quasdam caussas, quæ jam essent juxta canonicas sanctiones sedis apostolicæ judicio reservatæ, sed etiam illas qua *ex urgenti rationabilique caussa judicaverit summus romanus pontifex per speciale rescriptum signaturæ sanctitatis suæ manu propria subscribendum, committere, aut avocare.* Quæ profecto concilii tridentini doctrina mirum in modum confirmat, quæ hucusque de lata romani antistitis in Ecclesias omnes potestate ac jurisdictione tradidimus.

CAPUT II.

Quibus modis jurisdictionem suam per se romanus antistes exerceat.

Huc referendus est titulus 2 et 3, libri 1.

Duobus potissimum modis jurisdictionem, potestatemque suam in universa Ecclesia pontifex maximus exercet, rescriptis, ac constitutionibus; prioribus nimirum generale jus perspicuum confirmans, obscurum explicans, dubium declarans, contractioribus formulis editum quandoque protrahens juxta mentem legumlatorum, viceversa laxioribus verbis explicatum contrahens ex eorundem legumlatorum sententia; posterioribus vel novum jus edens, vel antiquum confirmans, vel antiquo quidquam adjiciens, vel nonnihil detrahens, vel in totum novis emergentibus caussis abrogans, vel in novam quandam formam immutans, vel denique clariore sententia illustrans.

Rescriptorum, ut ab iis exordiar, duo sunt genera, quorum alia sunt instar familiarium epistolarum, quoties scilicet pontifices maximi a quibusdam interrogantur, sive ob arctissimam, quam foveat amicitia, consuetudinem sive consilii petendi caussa, quasi a viro doctissimo, vel piissimo, et fere paterna charitate in fideles omnes adfecto : alia instar potius constitutionum sunt, quibus quid in certis facti adjunctis agendum sit, interroganti ex auctoritate præcipitur. Prioris generis rescripta quamplurima cernuntur apud veteres. Si enim inter ipsos antiquissimos episcopos jurisdictione atque ordine pares ea erat in rebus ecclesiasticis gerendis mutua cura ac sollicitudo, ut alter alterum identidem consuleret in dubiis rebus præsertim gravissimis, vel consulenti pro rei merito responderet, vel demum respondenti morem gereret prudentissime, quemadmodum ex vulgatis Augustini, Cypriani, Basilii, aliorumque epistolis facile liquet; si ipsi etiam pontifices maximi aliquando nonnullorum episcoporum consilia vehementer efflagitarunt; sic Leo Magnus Paschasinum Lilybeum episcopum de cyclo paschali consuluit, et Siricius in epistola ad mediolanensem Ecclesiam, quæ habetur inter epistolas Ambrosii, ait: *optarem... ut vicissim discurrentibus literis sospitatis indicio juvaremur vestro;* sane frequentius contingere poterat, ut ab episcopis ceteris interrogarentur

romani antistites, quorum prudentiæ, sapientiæ, ac vigilantiæ pastoralis summa fiducia habebatur. Hisce autem rescriptis nulla vis inerat obligandi, cum neque ipse rescribens in ea esset voluntate, ut obligaretur interrogans, quasi magis ex urbanitate, quam ex auctoritate rescribens, nec qui rescriptum susceperat ea mente interrogavisset, ut se obligaret, quasi magis fidelem et prudentem virum, quam pontificia potestate præditum consulens. Major sane habenda est ratio rescriptorum secundi generis, quibus scilicet jus dicitur, et jurisdictio proprie exercetur. Hinc de iis scribens S. Augustinus in lib. 2, contra duas epistolas Pelagianorum cap. 8, inquit: *Per papæ rescriptum caussa Pelagianorum finita est, totoque orbe post ejus damnationem damnati sunt, ac literis Innocentii tota hac de re dubitatio sublata est.* Jungatur his rescriptum Innocentii papæ ad concilium carthaginense, et aliud rescriptum ad concilium milevitanum. Exceptio est, si forte quædam asperitas in ipsis a suscipiente detegatur, unde constet, pontificis animum alicujus fraude circumventum fuisse, quemadmodum et iidem pontifices animadvertendum voluerunt in c. 5, de rescriptis, et in c. 6, de præbend. et dignitat.

Verum enim vero adhuc in hac re deliberandum puto; siquidem plura in rescripto contineri solent. Et primo quidem ipsa rescripti sententia principalis, seu pars illa rescripti, qua interrogationis satisfit; deinde præfatio rescripti; tertio rationes sententiæ principali adjectæ; postremo illa, quæ inter rescribendum extra propositam speciem adsuta fuerunt. Si principalem rescripti sententiam observaverimus, nulla erit dubitatio, quin illa vim legis habeat; in eo enim animus pontificis minime defuit, ut interroganti quidquam agendum ex auctoritate indiceret; imo et ipse interrogans frustra ad pontificem maximum confugisset interrogando, quoties adhuc sibi liberum esse arbitraretur, a regulis propositis omnino recedere. Ast quæ in præfationibus rationibus adjectis, ceterisque, quæ extra propositum adsuta fuerunt, continentur, potius ad ornatum orationis pertinent, neque ex eorundem pontificum maximorum voluntate obligandi vim habent. Non obligant hæc quasi rescripti pars, quia in illis interroganti minime respondetur, ad quæ non pertinet interrogatio: non obligant hæc quasi nova constitutio extra rescripti caussam motu proprio a pontifice lata, cum leges hac ratione referri, edive non soleant. Facilius hæc intelligentur ab eo, qui observaverit, quibus uterentur pontifices maximi in edendis rescriptis, in quibus sane diversa erat ratio, ac in edendis constitutionibus. Nimirum constitutiones utpote ferendæ in bonum publicum Ecclesiæ universæ in solemni cœtu antistitum romanæ provinciæ, et recentioribus sæculis in consistorio cardinalium comprobabantur. At rescripta, quæ ad caussas privatorum pertinebant, proindeque non tanto momento habita, probabantur, apud pontificios cappellanos, quorum fidei commendabatur a pontifice maximo, ut unus ex ipsis libellum interrogationis exploraret, summam ibelli in cappella, seu in cappellanorum collegio referret, quo facto pontificis maximi sententia explorabatur, denique accepta papæ sententia, unus ex cappellanis eam in scripturam, quæ responsionis loco esset, redigebat, plura adjiciens sponte, quibus rescriptum ornatius videretur, atque ea in re cappellanus nonnihil sibi pro suæ doctrinæ modo indulgebat. De his cappellanis mentionem fecit S. Bernardus in lib. 4, de considerat. cap. 4, et Joannes de Deo in suo pænitentiali titulo *de poenitentia Cappellanorum domini Papæ;* imo et constat, Gregorium IX, suam decretalium compilationem mandavisse Raymundo pennafortensi, quem suum cappellanum nominavit. Istis autem cappellanis tradit cardinalis de Luca successisse eos, qui appellantur Rotæ auditores, in relatione Curiæ romanæ disc. 32. Erat hoc positum in more media Ecclesiæ ætate, ut non solus pontifex, sed et episcopi, et abbates, et principes cappellam haberent, in quam referri dicebantur, quicumque aut dictarent, aut scriberent illorum responsa, ea propter cappellani appellati, uti demonstrat Ducange in suo glossario ad verbum *Cappella,* et *Cappellanus*, et ex can. 5. concilii strigoniensis anni 1114. apud Mansium in supplemento. Nunc intelligimus, quare in pluribus pontificiis rescriptis nonnulla contineantur extra principalem sententiam, in qua una vis rescripti consistit, quæ sint aut prorsus extranea, quandoque etiam minus ad rectam rationem exacta, in quibus scilicet cappellanus plurimum suo ingenio indulsit, iis presertim temporibus, quibus aut theologiæ, aut canonum, aut etiam solidæ philosophiæ studia non satis exculta fuisse non ignoramus. Ut exempla proferam, videmus in cap. 2, de translat. episcop. præcipuam rescripti sententiam contineri in eo, quod translatio episcoporum pontifici maximo reservetur; an vero recte argumentatus fuerit rescripti exarator, dum plura congessit de dissociatione conjugii carnalis, comparata cum dissolutione conjugii spiritualis, nec non de dissoluto conjugio spirituali per translationem, ego sane affirmare non auderem. In capite 11, de renunciat. agnoscimus præcipuam rescripti sententiam in eo, quod tradatur, episcopum pœnitentem, et pœnitentiæ caussa abdicantem restitui non oportere. Quis autem dicat, concilium illud, quod ibidem memoratur, revera *unum esse ex quatuor principalibus, quæ sicut quatuor evangelia Ecclesia catholica veneratur,* quasi fuerit concilium I, constantinopolitanum, seu generale secundum, quando ea sententia refertur

ad canonem 45, caus. 7, quæst. 1, quæ est conciliabuli constantinopolitani a schismatico Photio celebrati? Scimus insuper, quænam auctoritas sit capituli 8, de major. et obed., dum sua jurisdictio constantinopolitano patriarchæ vindicatur, et intra certos limites coercetur; at nemo dixerit, similem auctoritatem inesse in ea parte, qua traditur, quatuor orientales patriarchatus in quatuor animalibus fuisse jam olim ab Ezechiele præfiguratos. Veneramur sanctionem capituli. 8 de consanguin. et adfin., ex qua gradus consanguinitatis, et adfinitatis ad quartum numerum coerciti fuerunt; at cautius. ut arbitror, intelligenda adjecta ratio, *quia quatuor sunt humores in corpore, qui constant ex quatuor elementis*. Quis itidem recipiat, quod inter disputandum adjicitur in capite 3, de presbytero non baptizato, dum dicitur, *non esse generaliter verum, neque de novis, neque de veteribus sacramentis, quod baptismus sit fundamentum illorum etc.* Denique, ut alia omittam pene innumera, jam passim agnoverunt viri eruditi, non juris auctoritatem habere canonem 24, de cons. dist. 4, in ea parte, in qua statuitur, Baptismum non *in nomine Trinitatis*, sed tantum, *in nomine Christi* collatum, valere, propterea quod romanus pontifex non de eo interrogatus proponitur, sed potius de persona, quæ baptismum ministraret, ad quam refertur præcipua rescripti sententia, cui procul dubio inest juris auctoritas.

Hæc rescripta vulgo, nec improprie, singularium constitutionum nomine appellantur, quod singularia facta respiciunt, quasi pronunciatæ ut plurimum de dubio jure sententiæ; tum vero etiam legum auctoritatem exerunt, cum vel in provinciis executionem paratam invenerunt, vel in generali canonum codice inserta fuerunt, eàque ratione promulgata, ut ad similes emergentes casus commode producantur, quemadmodum observatur in codice Gregorii IX, ut plurimum ex variis rescriptis composito, vel adaucto, ad controversias in foro ecclesiastico dirimendas, eadem fere ratione, qua codex aut theodosianus, aut justinianeus elucubratus adparet, variis constans rescriptis imperatorum.

Non sunt tamen ista rescriptorum genera, quæ in legibus latis explicandis, et clarius exhibendis consistunt, cum alio rescriptorum genere confundenda, quæ jus commune minime attingunt, sed tantum privatorum negotiis prospiciunt, quæ vel ad beneficia, ad dispensationes, ad remissiones, ad indulgentias, et tunc gratiæ; vel ad instruendas litium caussas pertinent, et tunc justitiæ dicuntur; utraque autem sive gratiæ, sive justitiæ rescripta in eo omnino gratiosa appellari possunt, quod neutra ad alias personas, aliasve caussas, utut eadem ratio videatur, extendi possint, quasi pontifex maximus in rescribendo singularem vel caussæ, vel personæ benefaciendi voluntatem exhibuerit. Obtineri ista solent, non a prælatis sententiam juxta juris definitiones prolaturis, sed potius a privatis, qui sua interesse putant, ob certas caussas communis juris regulas aliquando non servari in litibus, quas patiuntur, in beneficiis, quæ postulant, aut similibus.

Variæ sunt regulæ in istis rescriptorum generibus observandæ. Prima est, rescripta esse perpetua, idest solo temporis alicujus lapsu non finiri, nisi id specialiter in rescripto ipso adjectum fuerit; habet enim rescriptum quandam legis formam, proindeque exemplo legis perpetuum erit. Nemini vero negotium facessat, quod legitur in cap. 23 de rescript., nimirum eum, qui rescripto justitiæ non usus fuerit intra annum, rescripti beneficio cadere; siquidem non inde colligitur, rescripta justitiæ anno finiri, sed potius id referendum est ad speciem singularem ibidem propositam, juxta quam demum post annum contingebat, ut per secundum rescriptum abrogaretur rescriptum primum, non vi sua caderet. Proponebatur, unum ex litigantibus singulares justitiæ literas, sive rescriptum a pontifice maximo impetravisse, puta, quo caussæ discussio alicui demandaretur. Alter collitigans alteras a pontifice maximo litteras, sive rescriptum impetraverat, puta, quo caussæ ejusdem discussio alteri demandaretur, non facta tamen mentione rescripti jam pridem ab adversario obtenti. Respondit ex æquitate Innocentius III, literas secundo impetratas executioni mandari posse, quum qui priores literas impetraverat, iisdem per annum usus minime fuerat, quasi diceretur in ea specie, primum rescriptum abrogatum fuisse per secundum, ceterum illud ipsum rescriptum primum executioni mandari potuisse etiam post annum, si adversarius secundum rescriptum non impetrasset, quo primum abrogaretur. Erat uterque collitigans redarguendus: nimirum qui primum rescriptum obtinuerat de negligentia dolo proxima; statim ac enim annum præterlabi permisit, antequam rescripto uteretur, eo se animo esse tacite professus est, ut controversiam redderet diuturniorem; c. 9 et 12, de rescript; qui secundum, ob fraudem, quod de rescripto obtento a primo nullam fecisset in obtinendo secundo rescripto mentionem, cap. 3, eod. tit., uterque propterea puniendus erat; primus, ut anno elapso pati deberet contra se secundum rescriptum opponi, secundus, ut interea secundi rescripti commodo frustraretur. Secunda regula est, morte concedentis rescripta sive gratiæ, sive justitiæ exspirare, si re integra concedens mortuus fuerit, secus tamen, si res integra esse desierit tempore mortis concedentis. Quod ut intelligatur, distinguenda sunt in hac re rescripta gratiæ a rescriptis justitiæ. In rescriptis gratiæ res integra esse dicitur,

quoties mortuus est concedens, antequam delegatus adiretur, eidemque rescriptum exhiberetur, nisi tamen de gratia agatur ipso rescripto jam perfecta, et ad cujus effectum meri tantummodo executoris officium desideretur, cap. 9, de offic. et potest. judic. deleg. in 6, cap. 36, de præben. in 9. In rescriptis justitiæ res integra dicitur, quoties ante mortem concedentis nec citatio, nec contestatio facta fuisset. Quod si litis contestatio jam facta deprehenderetur, nulla dubitatio est, quin res integra esse desineret, et rescriptum esset omnino plenæ executioni mandandum. Difficultas est in ea specie, in qua citatio quidem ante mortem rescribentis, nondum tamen contestatio facta fuisset. Requiri contestationem litis videtur insinuare Lucius III, in cap. 19, de offic. et potest. jud. deleg., sufficere citationem videtur definivisse Urbanus III, in cap. 20, eod. tit.; *maxime si delegatus non sit certus de obitu delegantis.* In hac dubitatione, et quidem gravi, in qua contraria nonnullis videntur pontificum maximorum rescripta, profiteor me ancipitem hærere, magisque opto, ut publica auctoritate hæc disputatio definiatur, quam singulari opinione mea intercedo, præsertim cum noverim Gregorium VIII, successorem Lucii III et Urbani III, non certam et generalem disciplinam tradere voluisse in hac controversia, sed rescripto quodam suo, quod legitur in 2 collectione, c. 7, de rescriptis, modum quendam adjecisse rescriptis a prædecessore suo obtentis, non facile ad exemplum trahendum, et ex prudentia potius, aut æquitate constitutum, quam ad generales juris regulas exactum, dum ita ad omnes prælatos Ecclesiarum scripsit: *Nos multorum expensis prospicere volentes, et allevare labores, de consueta moderatione apostolicæ sedis duximus statuendum, ut literæ prædecessoris nostri Domini Urbani a tribus mensibus ante obitum ipsius destinatæ pro facienda justitia, et litigiis dirimendis, quæ tamen alicujus præjudicium non contineat manifestum, aut calumniam iniquitatis, eundem habeant tempore administrationis nostræ effectum, quem habere, si adhuc ille viveret, debuissent. Cessante igitur exceptione de mandatoris morte, perficite, quod mandavit agendum, et nemo ad nos pro hujusmodi excusatione, accepta per illum commissione de sua justitia obtinenda cogatur in vacuum laborare.* Insuper pro varietate adjunctorum quidquam singulare constitutum scio ab Honorio III, in cap 30, de verb. significat., qui mentem Innocentii III, dum tempus motæ litis consignavisset, interpretatus, rescripsit, in certa controversia novi operis nunciationis litem non dici motam a die jactus lapilli, sed potius a die litis contestatæ. Hujus generis definitionibus occasionem præbebant specialia adjuncta caussarum, item singulares quædam formulæ in rescriptis, prout res inciderat, expressæ, quasi ex æquitate potius, quam certa, atque immutabili juris disciplina definitio quæque penderet. In conspectu horum omnium capitulorum, præsertim vero laudati capituli 7, de rescriptis in 2, collectione, prudenter sensurum eum puto, qui moderatione quadam usus acta probanda esse censuerit illius judicis delegati, qui citatione facta, et postea secuta morte delegantis, in caussa processerit, si mortem delegantis ignoraverit, et si non diuturnum tempus a citatione ad litis contestationem interfluxerit, puta tempus trium mensium juxta sententiam Gregorii VIII, alias autem improbaverit acta delegati, qui post factam citationem mortuo delegante in caussa processerit post diuturnum ultra tres menses lapsum tempus, et quando conscius erat mortis pontificis delegantis. Hæc vera puto, etiamsi summus pontifex rescribere se professus fuerit non suo singulari, sed sedis apostolicæ nomine; neque enim cum hac specie aliquid commune habet species capituli 5, de rescriptis in 6, in quo non proposita fuit quæstio de vi rescripti, sed potius de tempore, ad quod semel concessa, et ad effectum jam perducta rescripti gratia ex concedentis voluntate perduraret. Tertia regula est, morte illius, qui rescriptum obtinuit, expirare rescripta gratiæ, non vero rescripta justitiæ, quæ et proderunt heredi, ubi heres eandem controversiam aut illaturus sit, aut passurus; propterea quod rescripta gratiæ in personam præcipue concepta sint, rescripta vero justitiæ præcipue in caussam. Neque obstat capitulum 36, de rescriptis; etenim ibidem de herede non agitur; sed de successore feudali, qui sane actione mutui non sicut successor hereditarius conveniri poterat; eo vel magis, quod ibidem rescriptum non in certam specialiter designatam personam conceptum fuerat, sed clausula adjecta indefinita *quidam alii*, quæ personalis omnino videbatur, aut saltem, quoad fieri posset, ad paucas personas contrahenda, capite 2, de rescript. in 6, imo nec ad personas illustres referenda, capite 15, eod. titul. apud Gregorium IX. Quarta regula est, rescripta omnia tacitam habere conditionem, si preces veritate nitantur, aut si nihil omissum fuerit ex iis, quæ si enarrata fuissent, obtinendo rescripto impedimentum opposuissent, propterea quod in his speciebus deficere præsumatur rescribentis voluntas, capite 2 et 20, de rescriptis. Hinc est, quod, uti diximus, in secundo rescripto in eadem caussa obtinendo fieri debeat mentio primi, quo omisso rescriptum secundum nullum erit, quousque intra annum primi rescripti nullus fiat usus, dicto capite 23. eod. tit., nisi tamen primum rescriptum generale esset, secundem speciale, ex recepta regula, quæ docet, generi per speciem derogari; cap. 1, eod. tit. Hinc quinta regula fluit, qua traditur,

rescripta singulare aliquod continentia generalibus rescriptis detrahere; quamobrem ex. gr. is, cui rescripto concessum fuit, ut generaliter primum vacans beneficium consequeretur, non potest certum etiam primo vacans beneficium postulare, si illius specialis expectativa alteri concessa fuerit rescripto, utut posteriore, capite 11, 25 et 38, de præb. in 6, capite 6, 24, de rescript., et capite 10, eod. tit. in 6. Sexta regula est, singularia rescripta ita intelligenda esse, ut, quoad fieri possit, minime detrahatur juri communi, imo et in dubia formula ex jure ipso communi interpretationem accipere, cap. 18, de rescript. Hinc, si delegato certa et singularis ratio procedendi in caussa præstituta fuerit, insuper habita forma juris ordinarii, et interea de rescripti viribus præjudicium emergat, exceptione proposita ex. gr. subreptionis, vel obreptionis, delegatus idem in hoc præjudicio formam juris ordinarii sequetur. Hinc etiam fit, rescripta, in quibus certarum tantummodo conditionum mentio habetur, ad aliarum conditionum eventum, utut similium, non extendi, capite 6, de rescript. in 6, capite 16, vers. *cum autem* de præben. in 6. Septima regula est, rescripta quidem gratiæ a quocumque favore alterius impetrari posse, non vero rescripta justitiæ, quæ tantum impetrari possunt ab illis, quorum caussa in judicio sit versanda, vel ab eorum conjunctis, vel a procuratore eorum instructo speciali mandato, capite 28, vers. *sunt et alii*, et capite 33, de rescriptis. Octava regula est, quæ potissimum ordinariorum rescripta recipientium gratia constituitur, posse ipsos suspendere rescripti executionem, si forte aliquid asperum, aut parum utile continere videantur, interea reddendo pontificem maximum certiorem, et nova expectata papæ sententia, capite 5, de rescript., capite 6, de præbend. aliquando enim contingit, pontifices ipsos maximos precibus impetrantium circumveniri, et circumventionibus agnitis, declarare, se aut nunquam in ea voluntate fuisse, quæ rescripto exhibetur, aut voluntatem ipsam maturato consilio revocare, capite ult. de rescriptis in 6, extrav. 2, de præbendis inter communes, quamobrem Alexander III, in cap. 4, de ætate, et qualit. præfic. episcopos monuit, ne paterentur in beneficiis institui minus idoneos clericos, *ne literarum quidem suarum obtentu*. Hac ipsa cautione uti oportere voluit Justinianus eos, qui in magistratu erant, et ad quos imperatoria rescripta dirigerentur, Nov. 17, cap. 4, et Nov. 134, cap. 6.

Consueverunt aliquando pontifices maximi in rescriptis justitiæ adjicere clausulam *appellatione remota*, qua fiat, ut a sententiis delegatorum appellare non liceat, capite 12, de appellation. Et quidem quemadmodum in civili republica appellationis, subsidium aliquando subtrahere, unius supremi principis est, l. 1, § 1, ff. a quib. appel. non licet, l. 1, § 1, ff. de offic. præf. prætor., ita in ecclesiastica judiciorum disciplina ad solum romanum antistitem pertinet, caussas dirimendas ea formula committere, qua appellandi facultas adimatur, in iis scilicet adjunctis, in quibus vel certas controversias plurimum expediat brevi temporis spatio definiri, vel explorata sit doctrina, ac probitas judicis delegati, de quo proinde nulla probabilis suspicio suboriatur. Equidem si rescriptum delegatus susceperit, adjecta clausula *appellatione remota*, et sentiat inde is, contra quem pronunciatum fuerit, se nimium gravari sententia, saluberrimum, tutissimumque consilium suscipiet, quoties ipse porrectis pontifici maximo precibus petat novum rescriptum quo sibi liceat appellare quasi inde rescriptum prius, quo omnis appellandi facultas denegata fuerat, posteriore obtento in ea parte abrogetur, neque enim ubi æqua sit caussa, qualis esse potest judicis pridem dati vel ignoratio, vel oscitantia, vel iniquitas, id solet a pontifice maximo denegari, cap. 28, vers *præterea* de offic. et potest jud. deleg. Hoc tamen remedium extraordinarium est. Eo nunc disputationem intendamus, quo interpretatioclausulæ *appellatione remota* ad summos juris apices exigatur. Nonnulla statim in hac re observanda occurrunt, quibus generalis illa formula certis finibus et quidem ex voluntate eorundem pontificum rescribentium, contrahatur. Generalis illa a sententia judicis appellandi facultas, quæ gravatis abs jure conceditur, licet ut plurimum sit utilis reipublicæ, quod instar naturalis cujusdam defensionis inducta fuerit, et veluti æquitatis, justitiæque præsidium, aliquando tamen litigantium temeritate in gravissimum reipublicæ dispendium detorquetur. Si enim utilis appellatio est, ubi judicis religio, integritas, sedulitas, doctrina deficere videatur, æque perniciosa erit, ubi prolata ab integerrimo judice, atque doctissimo sententia fuerit, nihilque aliud in appellante deprehendatur, quam improba, nullumque modum servans temere vitilitigandi licentia, vix finem post diuturnas tergiversationes habitura. Quamobrem uti hinc interest, adversus improbitatem vel imperitiam judicum potestatem appellandi aliquando concedi, ita illinc, adversus effrænum temere litigantium libidinem appellandi facultatem denegari. Quis vero in his obscuris rerum humanarum adjunctis adeo divinus erit, ut perpetuo detegat modo litigantium improbas voluntates, modo judicum imperitiam, aut iniquitatem; exinde autem qua denegando, qua concedendo appellationes, utilitatem curare publicam possit? Quid ergo? Tota res hæc præsumptionibus, tota conjecturis innititur, propterea que a prudenti arbitrio pontificis maximi pendebit definire, quibus in facti speciebus deneganda, quibus e contrario concedenda appellatio, eadem ratione, qua

scimus, romanos imperatores post tres conformes sententias a diversis judicibus pronunciatas sustulisse litigantibus facultatem appellandi, quod tum adpareret temere litigantium perfidia, opportunis sane legibus coercenda, l. un. cod. ne liceat tertio in un. ead. caus. appellare. Ex his principiis fluere debet germana clausulæ *appellatione remota* interpretatio. Nimirum dico, tum demum per eam clausulam denegari damnato appellationem, quum de æquitate sententiæ liquido constet, statimque adpareat, appellaturos nullam habere probabilem appellandi caussam et eo tantum animo esse, ut perpetuam litem reddant, et adversarium suum diuturnis litium ambagibus, atque involucris defatigent. Neque aliter eam clausulam interpretati sunt iidem pontifices, nimirum tum demum denegaverunt post eam adjectam clausulam appellationem, quum inanis esset appellandi caussa capite 21, de rescr., capite 12, de off. jud. ord., viceversa non obstante ea clausula appellationem admiserunt, quum æqua subesset damnato caussa appellandi, cap. 15 et 27, § *si vero* de offic. et potest. jud. deleg., cap. 46 et 47, de appellat. Revera, sicut ex juris definitione cum appellatio conceditur, non ideo dolo temere litigantium, ex multiplici judicio adversarium justa petentem fatigantium, favetur, cap. 3, 19 et 22 de appellat., ita nec appellationis denegatio ideo fit ut inique oppressis ad reparationem damni omnis aditus præcludatur. Quid enim ex. gr., si delegatus facultatem habens judicandi *appellatione remota* in jus quemquam vocet, ut in certo loco compareat, et a citato excipiatur, locum non esse sibi tutum? Non admissa exceptione, nihilominus appellabitur, capite 47, de appellation. Quid si delegati ejusdem persona suspecta esse dicatur, et quidem legitima de caussa? Appellari nihilominus poterit, si ille caussam prosequatur, et dirimat; cap. 36. eod. tit. Quid si delegatus, formam rescripti minime servet, dum in caussa procedit? Species proponitur apud Innocentium III de duobus delegatis, ut vel alteruter, vel ambo judicent, traditurque, licere appellare, non obstante clausula *appellatione remota*, si unus ex delegatis alium subdelegaverit, et subdelegatus cum altero delegato sententiam pronunciaverit, capite 27, § *si vero* de offic. et potest. judic. deleg. E contrario apud eundem Innocentium III rescriptum *appellatione remota* impetratum vires suas exeruit, respectu abbatis in caussa monasterii in jus vocati qui allegaverat, ad evadendam delegati jurisdictionem, non factam fuisse in rescripto monasterii mentionem, non alia sane de caussa, nisi quod inanis omnino ea appellatio videretur, capite 21 de rescriptis. Hæc ratio fuit, quare aliquando pontifices maximi clausulam illam *appellatione remota* strictius, quoad fieri posset, interpretari consueverint. Cujus rei argumento est, eam clausulam non facile extensam fuisse a persona collitiganti, cujus odio fuerat impetrata, ad alias personas, quarum jus ex delegati sententia imminueretur. Fingamus enim vero, ortam inter duos contentionem de jure præsentandi committi dirimendam delegato *appellatione remota:* si tamen delegatus non solam controversiam definiat, sed etiam a victore præsentatum, contemto eo, ad quem jus instituendi pertineat, ipse instituat, a facto delegati jure appellabit, qui jus instituendi se habere proponit, capite 15, de offic. et potest. jud. deleg. Equidem hinc intelligo, me in gravissimam difficultatem induci, quod vix designari possit post hæc posita principia, quis singularis sit clausulæ illius effectus, quoniam adhuc ea nonobstante justæ appellationi locum facio, iniquam tantummodo excludo, juxta capitulum 12, de offic. jud. ordin., alias autem verum est, jure communi inspecto, inanes appellantium conatus cohiberi, seu, quod idem est, non recipi appellationes, quæ æquitate probabili non innitantur, capite 3, 5, § ult. cap. 13, 14, 15, 19, 22 et 61 de appellation. Nemo sane exinde colligat, inanes omnino fuisse ejus clausulæ adjectiones, quasi ipso jure, si ita clausula explicetur inesse eadem videatur. Etenim cum disciplina adjiciendæ ejusdem clausulæ seculo primum duodecimo invaluerit, respicere sufficiet ad illorum temporum adjuncta, ut, qualis ejusdem esse potuisset utilitas, perspiciatur. Orta fuerat nono labente sæculo in Gallia acris controversia, cui occasionem dederat Rothadus Suessionensis episcopus. Hic in synodo provinciali damnatus appellaverat apostolicam sedem, ex eo autem postulaverat a gallicanis episcopis, ut ab executione synodalis sententiæ interim abstinerent. Vix adduci potuerunt gallicani episcopi, ut introductæ ad sedem apostolicam appellationi consentirent, intererat autem romanæ sedis, ut Rothadi postulatorum ratio haberetur, quo validior appellationum ad romanam sedem deductarum vis adpareret, quod non immerito dici poterat, ob generalia juris principia suadentia, appellatione pendente nihil esse innovandum. Id liquet ex pluribus epistolis Nicolai I, ad episcopos Galliarum directis. Et quoniam illud erat gallicanorum antistitum effugium, quod clamarent, suspensa synodalium sententiarum executione post interpositam appellationem, improbis ac seditiosis clericis aperiri viam ad tergiversandum amplissimam, et frustrandam diuturnis moris Ecclesiarum utilitatem, non statim ab apostolica sede ea generaliter admissa fuit exceptio, ne forte eo prætextu appellationes omnes ad apostolicam sedem impedirentur. Hinc opportunum diu fuit, quascumque appellationes nullo caussarum observato discrimine recipi, quæcumque demum esset appellandi caussa. Atque id sæculo decimo et undecimo servatum est, quousque nimi-

rum illius controversiæ semina, aut vestigia deleta non omnino fuerunt. Ubi vero contentiones omnes quievere, et viris prudentissimis displicere cœpit, rite justeque damnatos occasione illius controversiæ audaciores factos temere appellare, quod conquesti fuerunt Ivo Carnotensis epist. 172, 180 et 219, Hildebertus Cenomanensis epist 82., et S. Bernardus in libr. 3, de considerat. ad Eugenium capite 3, pontifices maximi de recto judiciorum ordine admodum solliciti iterum voluerunt restituere non facile admittendarum appellationum disciplinam, modo ordinariis, modo delegatis suis mandantes, ut caussas ipsi finirent, adjecta clausula *appellatione remota*, idest ejus generis appellatione, quæ tribus illis sæculis ob certa caussarum adjuncta facilius admissa fuisset, non ea, quæ gravi caussæ inniteretur, et quæ ex perpetua juris doctrina concessa deprehenderetur. Quæ cum vera sint, jure concludendum videretur, clausulam illam rescriptis delegationum adjectam circa sæculum duodecimum restituisse potius generalem juris disciplinam, quæ ante sæculum nonum sine discrimine vigebat, quam aliquid singulare invexisse. Tantum illud singulare adgnosci potest, quod liberam omnino et effrænem appellandi facultatem per aliquot sæcula facile admissam intra pristinos fines coercuerit. Quid vero est, quod ait Innocentius III in cap. 53, de appellation., quando adjecta clausula *appellatione remota* definit, quamlibet provocationem, idest appellationem, remotam intelligi, quæ abs jure non indulgeatur expresse? Non sunt hæc aliena interpretationi meæ, quam potius mirum in modum confirmant, dummodo nomine appellationis, quæ abs jure non indulgetur expresse, intelligamus appellationem inani fundamento innixam, quando verum est, omnem justis de caussis propositam appellationem abs jure expresse indulgeri, eo vel magis, quod Innocentius ibidem appellationem, quæ abs jure non indulgetur expresse, opponit illi appellationi, quæ sit interponenda ab eo, qui injuste gravatus ex sententia fuerit, quod idem erat, ac dicere, non indulgeri expresse abs jure appellationem gratia illius, qui velit sine caussa et temere provocare. Clarius id liquet ex rescripto Alexandri III; in cap. 4. de rescrip., juncto cap. 34 de appellat., ex quibus constat, labente sæculo duodecimo, cum facile et quacumque de caussa recipiendarum apud sedem apostolicam appellationum disciplina perduraret, quod vel expressis privilegiis impetrari solebat, ut in dicto cap. 4, vel literis præbiti patrocinii (literas *protectionis*, alias *salvamguardiam* barbare appellabant) uti in dicto cap. 34., ad evadendas ordinariorum de eadem disciplina conquerentium exceptiones, si tamen deinde contra appellaturos rescriptum appellatione remota impetraretur, singularia illa appellationum privilegia irritari consuevisse. Revera in dicto cap. 4, de rescript. directo ad Senonensem in Gallia archiepiscopum proponitur, nonnullos in senonensi provincia extitisse, quibus ex apostolico privilegio indultum generaliter erat, ut possent in quacumque caussa appellare. Erant hæc appellationum genera recipienda potissimum eo tempore quo in Galliis, uti dictum est, ægre patiebantur episcopi, quod ad sedem apostolicam appellaretur, pacata controversia, et admissis æquo animo ab episcopis appellationibus ad sedem apostolicam, ubi æqua esset appellandi caussa pontifices maximi cœperunt rescriptis singularibus derogare memoratis privilegiis generalibus, unde fieret, ut qui olim ex generali privilegio appellare semper potuisset, ex singularibus deinde rescriptis certis in casibus ab appellando repelleretur, quo pertinent postrema illa capituli verba: *quia speciale mandatum derogat generali.* Imo et in eisdem gallicanis provinciis identidem pontifices maximi voluerunt, ut latius intelligeretur ea clausula, *appellatione remota,* nimirum etiam ad judicium reconventionis extenderetur, ut liquet ex cap. 2, de mutuis petitionibus directo ad decanum Rothomagensem; statim ac enim receptum est, ut, *appellatione remota,* ea remota appellatio intelligeretur, quæ temere institueretur cur non similiter remota hujusmodi appellatio intelligeretur in judicio reconventionis? Nondum ab hac materia discendendum censeo, nisi pauca adjiciam ad interpretationem duorum rescriptorum, quorum primum est Cœlestini III, alterum Gregorii IX. in cap. 41, et 71, de appellation., primo enim obtutu invicem adversari videntur, dum in illo traditur, nihil interesse, an clausula *appellatione remota* in principio, an in medio, an in fine rescripti adjiciatur, ut omnes rescripti articulos adficiat, in isto, clausulam in medio adpositam, non repetitam in fine, ad postremam rescripti partem non referri. Ego observo, Gregorium non evertisse, sed explicavisse clarius sententiam Cœlestini, quasi Cœlestinus de articulis invicem connexis rescripserit, Gregorius de articulis, qui separari commode possunt, quemadmodum indicant verba illa: *Si sunt plura negotia se minime contingentia.*

Alterum modum, quo pontifices maximi per se jurisdictionem suam exercent, diximus esse constitutiones, quarum nomine intelligimus pontificias epistolas motu proprio editas, et generaliter Ecclesiæ universæ, aut certo ecclesiasticarum personarum generi ubicumque in universa Ecclesia constituto propositas. Multiplex est harum epistolarum partitio. In primis ex eo quod ad universos dirigantur, vel encyclicæ dicuntur, sive catholicæ, vel tractoriæ, sive tractatoriæ. Catholicæ (verbis utor œcumenii in commentario in epistolam Jacobi apostoli, cui catholicæ nomen inscribitur) dicuntur epistolæ quasi encyclicæ quæ non separa-

tim gentem unam, aut civitatem spectant, sed fideles omnes in universum. Tractoriæ, seu tractatoriæ ita appellabantur a tractu, sive a circuitu, in quem mitti solebant conciliorum celebrandorum gratia, tui apud Augustinum epist. 217. Item ratione qualitatis, seu conditionis illorum, ad quos epistolæ diriguntur, modo clericæ dictæ sunt, modo diaconales, modo episcopales. Et quidem clericæ epistolæ licet aliquando vocarentur illæ, quæ a clero scriptæ essent, quandoque tamen etiam illæ significabantur, quæ ad universum clerum mitterentur, uti apud Ciprianum epistola 4, diaconales ad diaconos dirigebantur, quibus regulæ traderentur bonorum Ecclesiæ administrandorum, pro illorum cura diaconis demandata. Episcopales etiam entronisticæ dicebantur, quas videlicet initio pontificatus sui non tantum singuli episcopi ad collegas suos, sed etiam pontifex maximus ad universos episcopos scribebant, ut scilicet ea ratione episcopi epistolam suscipientes recens consecratum pontificem agnoscerent, ac salutarent; atque appellabantur etiam epistolæ *a paribus*, derivato vocabulo ex eo, quod paria exemplaria ejusdem epistolæ ad singulos mitterentur; imo et eædem epistolæ continebant fidei professionem quam recens consecratus episcopus, aut papa scripto emittebat, et palam, conscios reddendo ceteros antistites suæ religionis. Hujusmodi epistolam exhibet Liber Diurnus editus in tomo 2, Bibliothecæ Sebusianæ cap. 2. Insuper ratione rerum, de quibus in epistolis agitur vel denunciativæ dicuntur, vel declarativæ, vel indicativæ, vel paschales, vel salutatoriæ, vel synodales. Denunciativæ sunt, quibus hæreticus, aut infidelis quisquam denunciatur, ut omnes norint, ab illius conversatione, præsertim in sacris rebus, fore abstinendum, qua ratione apud Leonem Magnum postulavit Flavianus, ut denunciaretur Nestorius. Declarativæ sunt, in quibus suborta aliqua hæresi, aliquando prodito nomine auctoris, pontifices illam publice detestantur, et fideles omnes monent, ut se ab illa, quoad fieri possit, avertant. Indicativæ epistolæ sunt, quibus pontifex maximus utitur, ut indicet; justi cujusdam animam beatorum, vel sanctorum fastis decreto suo adscriptam fuisse. Paschalis epistola olim in usu erat, cum per pontificem maximum indicebatur dies paschalis festivitatis in universa Ecclesia celebrandæ. Ita legitur in Concilio arelatensi 1, can. 1., ubi arelatenses episcopi his verbis pontificem maximum alloquuntur: *Primo loco de observatione Paschæ Dominici, ut uno die, et uno tempore per omnem orbem a nobis observetur, et juxta consuetudinem literas ad omnes tu dirigas;* ad quæ referendus est canon 26 de consecr. dist. 3. Refert Leo Magnus in epist. ad Marcianum Augustum hunc apud veteres morem fuisse, ut Alexandrinus episcopus apud suos Ægyptios lunaris orbis peritissimos investigaret legitimum diem lunæ Martiæ ad paschalem diem definiendum, quem diem ita designatum notaret apud pontificem romanum; quoque accepto romanus pontifex per generalem epistolam universos episcopos moneret, ut eundem diem veluti paschalem haberent. Temporibus concilii bracarensis II. seu prope finem sæculi sexti, obtinebat, ut pontifex maximus metropolitanis universis paschalem diem denunciaret, quem inferiores episcopi singuli a suis metropolitanis acciperent, can. 25, de cons. dist. 3. Salutatoriæ epistolæ olim erant, cum mutuæ charitatis fovendæ caussa identidem episcopi inter sese invicem, aut ipsos pontifex maximus mutuis datis, redditisque officiis salutabant. De synodalibus epistolis vix quidquam adjicere juvat, ex ipso enim nomine percipitur, designari eas, quæ concilii celebrandi caussa ad episcopos diriguntur.

Hodie multæ harum epistolarum species fere exsoleverunt. Vulgares autem sunt constitutiones, quas bullas ob subjecta plumbea signa appellaverunt, sive fidei, sive morum dogmata, sive disciplinam spectent, sive generalem gratiam, puta remissionum, indulgentiarum, ac dispensationum, ad quas gratia Jubilæi refertur, contineant. Qua tamen in re in præsentia distinctio est observanda brevium et bullarum, etenim obtinuit, non omnes epistolas pontificias bulla plumbea obsignari, sed aliquos cera rubra sub annulo piscatoris, quas brevia appellant, quasi breviore formula contractas. Qui velit inquirere, a quo primum tempore vel annulo piscatoris in brevibus, vel plumbeis notis in bullis summi pontifices uti consueverint, non modicum, forte etiam inanem, laborem impenderet. Ego tantum dixero, morem plumbea sigilla adhibendi a Polidoro Virgilio, lib. 8, de inventione rerum, c. 2, referri, inductum a temporibus Hadriani, aut Stephani III, quamquam nonnulli plumbea sigilla se vidisse testentur Sylvestri, Leonis Magni, Gregorii Magni, et Sergii, uti refert Ducange in verba *Bulla plumbea.* Et quidem veteres illi pontifices nomina sua in plumbo imprimenda voluerunt, neque alia vetustior adparet bulla, quæ, uti mos præsens est, imagines exhibeat apostolorum Petri et Pauli, quam sub Hadriano IV, circa annum 1155. Formula vero signandi annulo piscatoris non adeo antiqua videtur: tantum adparet ex epistola Clementis IV. ad Petrum Grossum nepotem suum anni 1265, jam sæculo decimotertio eum usum invaluisse, dum romanus antistes ad familiares suos, vel arcta sibi necessitudine junctos scriberet. Hodie brevia latine scribuntur nitido stylo, et charactere in subtilibus albisque membranis, in levioribus quibusdam negotiis, puta ordinariis dispensationibus, indulgentiis, ac similibus, item aliis favore pauperum expediendis non in cancellaria, sed in secretaria,

quam ideo brevium appellant, non ab alio, quam a secretario subscripta. Quamobrem ne fraus fiat, non solum in regesto per secretarium adnotari solent, sed etiam archetypa pontificia manu subscripta adservari, ut quoties opus fuerit, de veritate impetrati brevis constare possit, nisi tamen agatur de gratia, aut dispensatione adeo ordinaria, ut cuicumque petenti denegari minime soleat, quales fere sunt dispensationes pro suscipiendis extra tempora, aut infra ætatem sacris ordinibus, et quædam species indulgentiarum sine difficultate concessarum; in istis enim negotiis fraudis periculum remotum esse videtur, nec tanta opus esse cura, ac sollicitudine. In caussis gravioribus, quæ non favore pauperum expedientur bullam fieri plumbeam receptum est, pendentem ex membrana crassiore, vel filo canapis, si de justitia agatur, vel filo serico, si de gratia, membrana ipsa, in qua epistola pontificis exhibetur vetere stylo gallico exarata, præsertim in caussis ad reservationes, affectionesque pontificias pertinentibus, propterea quod bullarum istarum frequentior usus esse cœperit eo tempore, quo Avenione in Gallia pontifices maximi consistebant. Quænam per secretariam brevium expediantur, quænam e converso a dataria sint expedienda, aperte declaravit Benedictus XIV in sua constitutione anni 1745, CXLV. tom. 1, Bullarii.

Quæ proprie constitutiones dicuntur, nimirum ad bonum Ecclesiæ commune directæ, non antea obligant fideles singularum diœceseon, quam fuerint in singulis diœcesibus promulgatæ. In primis enim, quomodo obstricti legibus dici possent fideles populi, quas probabiliter ignorant, et quomodo leges probabiliter noverint, quas nec legere potuerint ob oculos positas in provincia, nec publico testimonio cui fides omnino debeatur, audierint? Qui contra sentiunt, ajunt, statim ac constitutio promulgata sit in urbe principe, facile eam compertam fieri universæ Ecclesiæ, propterea quod notitia constitutionis facile exinde in universas Ecclesias derivet, præsertim quia in urbe principe, esse solent et commorari homines ex variis urbibus confluentes, qui per epistolas certos reddant nationales suos de edita lege. At vero ego observo, non egredi fines conjecturæ utcumque gravis, quod dicitur, in urbe principe commorari variarum, omnium etiam nationum homines: itidem observo, conjecturam esse, eosdem homines variarum nationum notitiam præbere suis de edita lege. Ex duabus autem conjecturis, quarum una ex altera pendeat, induci posse obligationem, nescio, an tuto possit adfirmari. Addo his, etiamsi verum esset, per epistolas eorum, qui in urbe principe commorantur, præberi notitiam legis in provincias universas, eam tamen notitiam duplici vitio laborare, quorum primum est, epistolas illas ut plurimum esse imperfectas, seu, quod idem est sæpe verba pro verbis, sententias pro sententiis supponere, nonnihil aliquando legi detrahere, aliquando nonnihil adjicere; semper autem interest populi, verba ipsa legis intueri, atque rimari; alterum est, epistolas illas semper esse privatas; alias autem verum est, obligationem eorum, quæ ex principis placito pendent, nonnisi testimonio publico induci; nam si sufficeret, constare privatis testimoniis de principis voluntate, ne promulgatio quidem in urbe principe facta, requireretur. Finge enim vero, legem a latore legis editam esse, imo et ejusdem manu subscriptam; interea autem ante promulgationem in urbe principe factam privatis quibusdam testimoniis circumferri, quod in lege continetur, nemo unquam tradere ausus est, jam inductam fuisse legis obligationem. Quod cum ex eo proficiscatur, quod non sufficiat ad obligationem inducendam notitia privata, statim intelligitur, neque obligationem induci in provinciis apud eos, qui tantum privatam legis notitiam habuerunt, acceptam per epistolam illorum, qui in urbe principe commorantur. His accedit alia observatio: nimirum cum non eadem sit locorum omnium indoles (utor verbis Benedicti XIV. in libro 6, de synodo diœcesana cap. 1) non iidem ubique hominum mores, non eadem in omni loco simul inolescant morum corruptelæ, nequeunt leges omnes cuicumque loco, et tempori congruere; sed quod unius diœcesis status hic et nunc decernendum suadet, alteri, diœcesi inopportunum, aliquando etiam obnoxium accideret. Hinc est, quod laudatus pontifex in lib. 9, ejusdem operis cap. 8, n. 3, ubi de constitutionibus disciplinam spectantibus agatur, laudat illorum episcoporum solertiam, qui, quoties in nova constitutione ad eo missa promulgationis caussa deprehendant quædam diœcesi suæ minus utilia, quæ sane pontifici maximo, uti factorum singularium adjunctis involuta, comperta non præsumuntur, cap. 1, de constitut. 6, interea abstineant a promulgatione; pro ea, quæ ipsis imminet; cura publica diœcesanæ utilitatis; eadem ratione, qua paullo antea idem Benedictus XIV, cum sermonem faceret de pontificiis rescriptis ad privatorum utilitatem directis, adseruit facultatem universis, *quorum interest, et quorum res agitur, exponendi damnum, aut jam obventum, aut proxime obventurum ex pontificio decreto*, proptereaque curandi, ut rescripti executio, si opus videatur, irritetur. Atque id est meo judicio, quod Gratianus scribebat post canonem 3, dist. 4, *leges instituuntur, cum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium adprobantur. Sicut enim moribus utentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ sunt, ita moribus utentium ipsæ leges confirmantur.* Legum ita edendarum disciplina semper, et apud universas gentes constantissima fuit; si enim naturalem legem unicuique

homini intimam, et quæ propterea a nemine ignorari potest, excipias, nulla lex unquam prodiit; quæ palam universitatibus omnibus legi futuris obnoxiis non diceretur. Ista forma mosaicæ legis omnibus Hebræorum tribubus patefactæ: ista forma Evangelii per omnem terram exeunte apostolorum sono prædicati: ista forma romanarum legum promulgandarum, quæ propterea communis reipublicæ sponsio appellabantur, l. 1. ff. de legibus, unde veterum vestigiis hærens Justinianus in Nov. 66, cap. 1, valere leges de testamentis latas pronunciavit, *ex quo in commune fierent manifestæ in provinciis autem, ex quo discretæ, per metropolitas palam factæ fuissent;* neque ab ea disciplina recessit cum ecclesiasticæ utilitatis caussa nonnulla constituisset, quemadmodum adparet ex Nov. 6, in § 1 epilogi. Ista denique forma legum ecclesiasticarum in generalibus præsertim conciliis editarum, cap. 13, de pœnit. et remiss. cap. 25, de accusation., concilio tridentino, sess. 24 de reform. matrim. cap. 1, ut omittam epistolam synodicam concilii nicæni vel ad Sylvestrum papam, vel ad episcopos ægyptios, aliosque, qui synodo non interfuerant, epistolam concilii sardicensis ad Julium papam, epistolam concili ephesini ad universos episcopos, epistolam Siricii ad Himerium Tarraconensem, epistolam Innocentii ad Exupetium tolosanum, epistolam Zozimi ad episcopum arelatensem, epistolam Leonis Magni ad Licetam aquilejensem, atque alias numero plurimas. Quando vero novellam 66, Justiniani memoravi, nollem, quod ibidem dicitur, legem post duos primum menses a die promulgationis numerandos obligare, ad constituendam generalem regulam traheretur. Singularis fuit in ea lege certi temporis designatio, quæ aliis in casibus relinquenda est arbitrio judicis æstimaturi, quandonam post promulgationem a nemine probabilis ignoratio legis allegari amplius nequeat. Hinc scimus, aliquando brevius tempus fuisse designatum, aliquando diuturnius, uti in dicto cap. 1. tridentinæ sessionis 24, cap. 32, de præb., in 6, extrav. un. de præbend. et dignit. Nov. 66, cap. 1, Nov. 116, cap. 1, proptereaque jure optimo hanc rem arbitrariam appellavit Menochius in lib. 2, de arbitrariis centuria 2. casu 185.

Non debeo hoc in loco dissimulare, quod nonnulli contra sentientes scribere non dubitaverunt, ajentes, definitam jam fuisse hujus generis controversiam rescripto Innocentii III, in cap. 1 de postulat. Prælat. in iis verbis: *Nec sit necessarium, cum constitutio solemniter editur, aut publice promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum, vel literas inculcare, sed id solum sufficit, ut ad ejus observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam aut publice promulgatam*, quibus etiam subjicitur exemplum sardicensium canonum, quasi isti ab iis quoque observari debuerint, quorum in provinciis non fuerant promulgati. Miror, eruditos viros novæ opinionis fundamenta quærere in argumentis, quæ informi quodam discurrendi pruritu correptus cumulare solebat, qui scribendis Innoc. III, rescriptis ex mandatu illius pontificis addictus erat, homo scholasticarum tricarum studiosus ex iis singulare capiens oblectamentum; neque enim ista argumenta adjecta fuerunt, quasi in quibus doctrinæ suæ solidam basim constitueret Innocentius, sed quasi quibus doctrinam suam quomodocumque exornatam putare, quemadmodum superius generaliter tradendum mihi fuit, dum auctoritatem rescriptorum pontificiorum expenderem. Attendendus est præcipuus innocentiani rescripti scopus, in quo ejus, quod vim juris habeat, summa consistit: ceterum si singula, quæ adjecta fuere, sequamur, nescio, an germanis juris principiis perpetuo adhærere possimus. Sic, ut exempla proferam, ex c. 2, de translat. episc. admittemus quidem, translationes episcoporum pontifici maximo reservari, non ideo tamen, quod conjugii spiritualis vinculum per translationem episcopi dissolvatur, et quod hujus conjugii dissolutio soli Deo reservetur, cum aliis nonnullis, quæ ibidem oculis indigesta scribendi methodo exarata subjiciuntur. Sic in c. 8, de celebrat. Miss. colligimus, aquam esse in eucharistia una cum vino offerendam; an vero id recte probetur ex Mosis facto aquam e percussa silice derivantis, adhuc deliberandum fortasse videretur. Sic in c. 3, de presbyt. non baptiz. definitur, presbyterum non baptizatum et baptizandum esse, et iterum ordinandum: at quis statim admittet, quod ibidem traditur, non esse generaliter verum, baptisma ceterorum sacramentorum novæ legis fundamentum esse, sacramentumque conjugii, sicut et eucharistiæ, a non baptizatis recipi posse? Passim hæc observantur in rescriptis Innocent. III, numero plurimis, inter cetera etiam in cap. 8, de digam. non ordinand., et in cap. 8, de divortiis, in quibus cappellanus addictus exarandis pontificiis rescriptis extra pontificiam sententiam nonnihil sibi, doctrinæque suæ indulgere consueverat. Itaque, ut ad rem accedamus, quid in objecto cap. 1, præcipue voluerit, riteque definiverit, Innocentius III., investigemus. Philippus rex Galliarum, repudiata Ingeberge uxore sua, prætextu consanguinitatis et maleficii, probantibus nonnullis gallicanis episcopis anno 1196 Mariam filiam ducis Moraviæ, et Bohemiæ uxorem superinduxerat. Ab eorum Galliæ episcoporum suffragiis ad Cælestinum III, iterumque ad Innocentium III. Cælestini successorum appellavit Ingeberges, renovatoque apud pontifices maximos judicio declaratum est, non potuisse Philippum secundas contrahere nuptias, quod nullum cognationis vel maleficii impedimentum prioribus

obstitisset. Ut pontificia sententia executioni demandaretur, missus fuit ab Innocentio legatus in Galliam Petrus Capuanus cardinalis, qui cum regem a secundis nuptiis abducere statim non potuisset, adstantibus episcopis universis totum Galliæ regnum interdicto supposuit; unde diræ inter Philippum et Innocentium obortæ sunt simultates. Episcoporum gallicanorum divisi fuere tunc animi, quorum alii pontifici maximo, alii regi adhærebant, ac posteriores isti interdicti censuram minime custodiebant, inter quos fuit Hugo de Nuceriis episcopus antissiodorensis. Videantur in hanc rem capitulum 7, de offic. Legati, capitulum 43, de appellation., et capitulum 13, qui filii sint legitimi, in quorum conspectu factum illud luculentius illustrator. Vacaverat in his temporum, et caussarum adjunctis senonensis archiepiscopatus, communique senonensis capituli suffragio memoratus Hugo Antissiodorensis episcopus fuit in archiepiscopum postulatus. Et sibi ingrata et tristis Galliarum regno, visa fuit ea postulatio Innocentio; sibi in primis ingrata, quod is electus archiepiscopus esset qui sententiam pontificis, et interdictum legati contemserat; deinde tristis Galliarum regno, cui non expediebat, eum majore ecclesiastica dignitate insigniri qui adulteræ regis conjunctioni aut indulgere pergeret, aut connivere. En rationem, quare innocentius Hugonis postulationem rejecit, quæ tota innocentianum rescriptum regit, ac firmat. Quoniam vero excipiebat Hugo, ajendo in primis, interdicti sententiam tantum affecisse Galliæ provincias regi immediate subjectas, non eam, in qua ipse degebat, seu divionensem in ducatu Burgundiæ, deinde eam interdicti sententiam non sibi speciali mandato fuisse indicatam, replicavit Innocentius adversus postremam exceptionem, satis fuisse, sententiam interdicti publice promulgari, nec opus extitisse, per speciale mandatum omnibus notam fieri: atque istud est, quod significant laudata verba capituli 1. Diutius his controversiis hinc illinc agitati fuerunt animi, quæ tamen deinde pacatis communi consensione rebus quieverunt. Hæc cum ita sint, forte præceps judicandum erit consilium illius, qui ex rescripto Innocentii inter medias contentiones edito ita utatur, ut omnibus omnino verbis, ipsis etiam decisis sententiarum fragmentis caussa disputationis adjectis, adhærendum existimet. Quod si adhuc laudatis verbis, quæ nobis, negotium facessunt, adhæreamus, nihil tamen in contrarium perspicue probant; quando ibidem non de lege edita, sed potius de judiciali interdicti sententia agitur; multum autem interest inter modos, et rationes promulgandarum sententiarum, et modos, ac rationes promulgandarum legum, quamquam consarcinator rescripti vocem *constitutionis* expresserit pro ea, quæ exprimenda erat voce *interdicti*; ea enim ætate jam ab usu recesserat de sententiis censurarum indictarum in singulis saltem finitimis provinciis publicandis disciplina, quæ olim observabatur. Præterea in proposito ea ratio plurimum facere poterat adversus Hugonem episcopum antissiodorensem, qui licet speciale mandatum non habuerit servandi interdicti, publicis tamen comitiis interfuerat, quando cardinalis legatus interdicti sententiam pronunciaverat, cujus propterea ignorationem allegabat frustra, qui publice, et solemni modo editam sententiam aut viderat, aut audiverat. Nunc porro intelligimus, quod in dicto capite 1, subjicitur, de canonibus concilii sardicensis, quos a Græcis custodiendos scripserat Nicolaus I, in canon. 14, dist. 16., ad quem canonem ibidem Innocentius III, respexit. Opposuerat Nicolaus adversus græcos statuta concilii sardicensis: exceperant Græci, se ea statuta non habere, proptereaque non eisdem obstringi. Non sane replicavit Nicolaus, nihilominus Græcos obligari, quod non requireretur, sardicenses canones ubique promulgatos existere; sed potius, se credere non posse, promulgatos canones non fuisse apud Græcos, imputandum autem esse Græcis, quod semel receptas leges abjecerint, aut non retinuerint. Hoc exemplum mirum in modum serviebat proposito Innocentii pugnantis adversus Hugonem, quem redarguebat in eo, quod negligeret interdicti sententiam, non quam ex publicis documentis non excepisset, sed quam semel ex publicis documentis acceptam contemserat, seu quam in publicis contemserat, seu quam in publiciis comitiis in congressu omnium episcoporum Galliæ audiverat, redux deinde ad Ecclesiam suam, quasi eam oblitus esset, non custodiverat. Concludamus igitur, opposita verba parum juris auctoritate pollere, qua etiam si pollerent, ad rem non pertinere, ad quam etiamsi pertinerent, contrarium probare, non id, quo ab adversariis detorquentur.

Illud quoque in edendis constitutionibus observandum est, ut, quamvis penes legislatorem unum tota sit potestas, ac jurisdictio, ipse tamen consilio virorum prudentum utatur, unde lex dici possit *virorum prudentum consultum*, qualem appellabat Papinianus in l. 1, ff. de legibus. Disputent inter se juris publici studiosi, an vis legum potissimum a voluntate ferentium pendeat, an potius ab eorundem sagacitate: ego contentus sum didicisse a philosophis, utramque concurrere oportere ut lex optima, ac saluberrima evadat. Concurrit sagacitas, quam optimum consilium, judiciumque regit, concurrit voluntas, quam majestas non sinit effectu suo frustrari. Hinc est, quod voluntas, quæ per se idonea facultas est ad exequendum non alienum expectet auxilium; sagacitas autem quæ variis hinc illinc effusis luminibus est illustranda, alienis consiliis adjuvetur. Hanc disciplinam et ethnici et christiani principes in suis edendis legibus servaverunt. Ex

ethnicis laudo Alexandrum Severum, qui, teste Lampridio in Alexandro, non aliter legem ferre consueverat, quam accedente consilio jurisperitorum viginti, et sapientissimorum quinquaginta, dissertissimorumque virorum. Ex christianis laudo Theodosium, cujus monumentum perspicuum legere est in l. 8, cod. de legib., professum, se non aliter legem conditurum, quam si et proceres sacri palatii, et Senatus eam probavissent. Et quidem in Ecclesia simili ratione constitutiones condi consueverunt, non in conciliis tantum, de quibus nulla esse dubitatio potest, sed etiam extra concilia; quando scimus, unumquemque episcopum in gravioribus administrandæ diœceseos negotiis seu cleri sui, seu capituli consilio usum fuisse capite 4, et passim, de his, quæ fiunt a præl.; eademque ratione pontificem maximum cleri quoque romani, aut illorum, qui in cleri ejusdem jura recentioribus sæculis successerunt, consilia postulavisse, ubi de romanæ tantum diœceseos cura ageretur. Quod si a pontifice maximo aliquid agendum esset, quod universam ecclesiam spectare majoris cujusdam, præstantiorisque conventus accessione opus esse videbatur. Per novem aut decem priora sæcula cogere ad eas dirimendas caussas solebant romani antistites non solum septem suburbicarios antistites (hodie sex tantummodo numerantur ob unitum episcopatum sanctarum Ruffinæ et Secundæ, alias sylvæ candidæ, cum episcopatu portuensi) quasi suffraganeos suos, et provinciales, sed etiam plures selectos ex universa Italia, quasi nationales, seu primatui romano singulari quoque jure subjectos; atque, ac si congregaretur synodus, horum explorato consilio definiebant, definitumque universæ Ecclesiæ proponebant. Optima sane rerum gerendarum prudentia, ubi potissimum discutienda foret fidei morumve doctrina, ut enim hæc ad traditionem veterem, et apostolicam erat exigenda, utile erat testimonia illorum advocare in quorum Ecclesiis integra magis videri poterat quales erant italicæ, quas apostoli Petrus et Paulus, eorumque socii, aut discipuli per se erexerant, a quibus deinde, quæ in remotioribus provinciis constitutæ fuerunt, derivatæ doctrinam primigeniam quasi e fontibus purissimis acceperunt. Non poterat tamen exinde non proficisci quoddam italicarum provinciarum incommodum, quando illarum episcopi frequenter occasione constitutionum universalium edendarum avocabantur a diœcesana sollicitudine, aliquando etiam non residere per diuturnum tempus cogebantur; item quoties per constitutiones novas generales disciplinæ capita essent stabilienda, non videbantur satis opportuna unius italicæ Ecclesiæ episcoporum consilia, forte tantummodo italicis moribus accommodata, et non facile aliarum provinciarum adjunctis consentanea. Eam ob rem sæculo decimo et undecimo pontifices maximi satius duxerunt, ut alia ratione commodis Ecclesiarum consulerent, cardinalium collegium tanquam a consiliis designando, in quod admitterentur primum sex episcopi suburbicarii, ut aliquod veteris disciplinæ vestigium superesset, adjectis presbyteris, ac diaconis titulos in urbe ecclesiasticos administrantibus imo et receptis in idem collegium viris ex universo orbe selectis eximiis, qui singularum provinciarum mores callerent, eaque in congressu proponerent, quæ vel utilia, vel minus utilia viderentur, atque huc pertinet, quod ajebat S. Bernardus in libr. 4, de considerat, capite 4. *Annon eligendi de toto orbe orbem judicaturi?* quibus consonat concilium tridentinum in capite 1, ses. 24 de ref. vers. *ea vero*. Plurimum id profuit, ut cardinalium dignitas multis jam tum nominibus præclara, in dies illustrior fieret, quod cardinales tamquam pontificis maximi senatus haberentur, et præstantiora membra pontifici maximo adhærentia ad regendam universam Ecclesiam opera, ac consilio designata, capite 27, vers. *decet* de electione in 6. Quamquam vero id etiam hodie vigeat, ut romani pontifices constitutiones suas se edidisse præhabito cardinalium consilio profiteantur, scribit tamen Petrus de Marca in libro 1, de concordia Sacerdotii, et imperii capite 9, num. 8, hodie eo jure uti romanum antistitem, ut cardinales quidem in consilium adhibeat, sed eorum non indigeat assensu, inque ejus consuetudinis demonstrationem testimonium, adfert Bellarmini, Azorii, ceterorumque scriptorum; quasi ideo cardinalium consilium accedere debeat, ut in conspectum pontificis adferantur, quæ aut pro ferenda, aut contra ferendam constitutionem objici possint, non ideo, ut cum pontifice cardinales consilia ferentes solidam jurisdictionem exerceant. Ceterum non est dubitandum, pontificem maximum accepto consilio in illam partem propendere opportere, sanior quæ sanior sit, et gravioribus innitatur argumentis, eo ipso jure quo utilitatem Ecclesiæ universæ ex officio suo gravissimo, ac divino mandato curare, ac promovere tenetur, non quidem data potestate cardinalibus contra sententibus obsistendi, quod jurisdictionis esset, argumento canonis 3, dist. 19, sed ut pontifex maximus omnis culpæ notam coram Deo evadat, dum ecclesiasticæ curæ deesset, justaque selectorum virorum officia temneret, can. 1, 2, 4, 6, 7, 16, caus. 25, qu. 1, can. 4 et 10, caus. 25, qu. 2.

CAPUT III.

Quibus modis jurisdictionem suam per vicarios, aut instar vicariorum constitutos in romana curia pontifex maximus exerceat.

Huc referendus est titulus 28, libri 1.

Amplissima Ecclesiarum omnium sollicitudo, in quam graviter incumbens pontifex maximus diversitate negotiorum distrahitur, postulavit, ut non ipse perpetuo per se singula administraret, sed quosdam in partem suæ sollicitudinis advocando designaret, per quos certæ res dirigerentur, atque implerentur. Æquissimum autem in hac parte erat, ut eorum præ ceteris eligendorum ratio haberetur, qui, uti modo tradebam, a consiliis pontificis ejusdem essent, et unum veluti principale corpus cum illo constituerent, cardinales dico e variis christiani orbis provinciis designatos, qui propterea omnium fere provinciarum mores una callerent exindeque Ecclesiarum omnium utilitatibus prudenter posse prospicere præsumerentur, et quoniam duplex est pontificis maximi officium, singulare unum, quod romanam singularem Ecclesiam, seu diœcesim; generale alterum, quod Ecclesias, seu diœceses omnes in communione romanæ consistentes spectat; postquam adnotaverimus in universum certas regulas respectu muneris illorum, quos in partem suæ sollicitudinis summus pontifex vocet, observemus in primis, quid in romana ipsa diœcesi cardinalibus concesserit, deinde quid aliquando mandaverit eisdem gratia Ecclesiæ universæ gerendum.

Regulæ generales, quæ respectu horum munerum sunt observandæ, duobus veluti principiis hærent. Primum est, quoniam de supremo Ecclesiæ principe agitur, non jurisdictionem universam, et quantacumque sit, in ejus veluti constitutos vicarios fluere, quando scimus, eam esse delegatæ a principe jurisdictionis indolem, ut, qui eam ex mandatis exercet, non unum et par cum principe tribunal habeat; cujus rei argumento est, quod a delegato principis ad principem ipsum appellationi adhuc sit locus, argumento l. un. cod. qui pro sua jurisdictione, l. 16, cod. de appellation., l. 1, § ff. quis et a quo appelletur. Hinc quamquam a vicario episcopi appellatio ad episcopum denegetur capite 2 de consuet. in 6, a delegato tamen pontificis maximi ad eundem pontificem provocatur, capite 27, vers. *porro* de offic., et pot. jud. deleg. Alterum principium est, nonnullas inesse pontifici maximo prærogativas, quas, quod dignitati ipsi cohæreant, personales quodammodo dixerimus, nec facile alias communicandas, eodem jure, quo nec ipsa dignitas pontificatus maximi per quamcumque delegationem communicari potest. Quamquam enim credamus, spiritum Dei singulis Ecclesiæ Christi prælatis specialiter ad res bene gerendas adesse; specialius tamen, pollicente Christo Domino, et Petro et Petri successoribus adfuit semper, quod sane privilegium non naturam induit jurisdictionis, neque ipsam ex delegationibus decisam sequitur, sed singularem denotat, atque apostolicæ ipsi sedi intime cohærentem in definiendo præstantiam ac dignitatem.

His generaliter positis, si quæratur, quid cardinalibus pontifices maximi in romana ipsa urbe, ac diœcesi concesserint, observamus in primis, receptum esse cardinales in suis titulis sive Ecclesiis in urbe romana constitutis, in quibus antiquitus presbyteralia, seu diaconica officia exercebant, pro qualitate singulorum, sive sæculares, sive regulares clerici in iis administrent, jurisdictionem exercere quasi episcopalem, capite 11 de majorit., et obedient., et quidem ordinariam, ita ut morte pontificis maximi minime expiret. Hinc cardinales in suis illis Ecclesiis utuntur pontificalibus insignibus, etiamsi episcopi non sint, et solemniter populo benedicunt, constitutiones etiam ferunt, populum, et clerum sibi subjectum obligaturas; clericos illis ecclesiis addictos corrigunt, et, ubi opus sit, censuris coercent, more episcoporum visitationem peragunt, clericos vel in beneficiis instituunt, vel a beneficiis legitima de caussa destituunt, capite 24, de electione; controversias inter eosdem clericos dirimunt, ordines etiam sive majores sive minores sibi subjectis conferunt, si episcopali charactere sint insigniti, aut si tantum presbyteri sint, tonsura et minoribus ordinibus initiant, præterea eorum gratia, qui eisdem titulis subsunt, dispensant in omnibus iis casibus, in quibus episcopi dispensant in diœcesibus suis, nisi tamen agatur de dispensandi facultate, quæ a tridentino concilio episcopis facta videatur jure singulari, et gratia episcopatus uti est dispensatio in omnibus fere irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, juxta caput 6, ses. 24 de reform. Quod quidem quandam dubitationem habere potuit statim post concilium tridentinum; veruntamen auctoritate Gregorii XIII ita definitum fuit anno 1582, quemadmodum testatur Fagnanus in capite *cum illorum* de sent. excommunicat. num. 32. Item cardinales iidem sibi confessarium eligunt juxta privilegia episcopis concessa in capite ult. de pœnit., et remiss., pœnitentiarum canonicarum remissiones, sive indulgentias ad centum usque dies elargiuntur; denique ex singulari privilegio cardinales omnes illud obtinent, ut non quidem in generalibus, et in bonum Ecclesiæ latis, constitutionibus, sed in generalibus reservationibus, ac legibus certas prælatorum ac clericorum facultates restringentibus, aut statutis pœnas asperiores infligentibus non comprehendantur, nisi de illis facta fuerit mentio specialis, juxta regu-

lam 70. Cancellariæ, argumento capituli unici de schismaticis in 6 concilio tridentino sess. 24, de reform., capite 18. Non tamen cardinales in suis titulis synodum convocare possunt, sive ex eo, quod non plures sub se parochos habeant, eodem fere modo, quo archiepiscopi non habentes suffraganeos episcopos convocare nequeunt concilium provinciale; sive ex eo, quod vi privilegiorum suorum non eo evecti sint ut veram diœcesim habere dicantur, eodem iterum modo quo qui archiepiscopi ex privilegio constituti sunt sine ulla designata regenda provincia, provinciale concilium celebrare nequeunt: æqualibus autem ratio est, et illius, qui nulla provincia potitus provincialem, et illius, qui nulla diœcesi gaudens diœcesanam synodum celebrare præsumat.

Pontificiam quoque diœcesanam jurisdictionem in urbe exercet cardinalis vicarius appellatus, ampliore sane prærogativa insignitus, quam sint cœteri episcoporum vicarii, utpote cujus officium etiam sede pontificia vacante perdurat, quemadmodum testatur Fagnanus ad caput 14 de majorit., et obed. num. 69, utpote etiam qui lubitu suo potest sine expressa concessione papæ diœcesanam synodum convocare, quamquam raro hac facultate utatur, propterea quod pontifex maximus, siqui in urbe abusus emergant, iis occurrere expeditiore ratione consueverit. Quamquam vero passim tradatur, vicarii jurisdictionem extendi usque ad quinquagesimum ab urbe lapidem, id tamen non pertinet ad loca sex episcopis suburbicariis subjecta, sed solum ad ea numero sane pauca, quæ suburbicariis diœcesibus cohærent, non ad diœceses suburbicarias pertinent, ex quo explicatur quod traditur in capite 5, de officiis vicarii, jurisdictionem illam extra urbem non extendi, quasi vix extra urbem extendi videatur, quod ad perpauca loca extra urbem extenditur. Ceterum gratia vicarii illius constitutum est etiam respectu diœceseon suburbicarum, ut licet episcopi suburbicarii per se in sua diœcesi, aut per suffraganeum, siquem habent, in diœcesi constitutum episcopum (nomine suffraganei hic intellige vicarium generalem in spiritualibus designatum qui episcopali ordine, seu charactere sit insignitus) ordinare suos clericos valeant, non possint tamen alteri episcopo ordinationem clericorum suorum mandare, sed omnino debeant ordinandos sive in majoribus, sive in minoribus ordinibus ad cardinalem in urbe vicarium dimittere. Non adjicio hic, sed tantum indico, quid pontifices maximi urbis negotia gesturi singularibus ad id institutis congregationibus constituerint, nimirum congregatione *visitationis apostolicæ*, quæ spirituale romani populi bonum adhibita episcopali sollicitudine spectat, congregatione *super consultatione negotiorum status ecclesiastici*, quæ vulgo *consulta* dicitur, et congregatione *boni regiminis*, quæ politicum status, seu ditionis ecclesiasticæ regimen fovent. Qui plura de his desiderat, adeat cardinalem de Luca in relatione romanæ curiæ disc. 24, 25, 26 et 27.

Specialia hæc sunt romanam diœcesim spectantia. Inquirendum utilius est, quorumnam opera in romana curia pontifex max. utatur in gerendis Ecclesiæ universæ negotiis. Neque enim eadem est omnium ratio; cum nonnulli sint designati veluti magistratus quidam, quorum consilio, atque prudentia optimo Ecclesiarum regimini consulatur, ut nonnulli, conscientiis privatorum, qui certis canonum pœnis, aut impedimentis detinentur, utiliter in foro tantum interno prospiciatur, nonnulli denique, quorum officio expeditius ad executionem pontificiæ voluntatis deveniatur. Varia hæc aut congregationum ad id institutarum, aut singularium virorum ad id designatorum munera paucis indicabo, ut unusquisque statim intelligat, quid ad cujusque officium pertineat, unde et valeat in singulis diversas illas modo laudatas notas, seu characteres deprehendere.

In primis memoro congregationem consistorialem. Cum enim majorum beneficiorum provisio hodie in consistorio papæ sit facienda, quod ex decreto concilii tridentini ses. 24, de reform. capite 1, contingit in electionibus cardinalium, atque episcoporum, et horum exemplo quorumdam regularium prælatorum; quorum propterea monasteria consistorialia appellantur; item in consistorio soleant expediri constitutiones coadjutorum cum jure futuræ successionis in consistorialibus ecclesiis, vel monasteriis; præterea admitti dimissiones, vel translationes easdem ecclesias, vel monasteria possidentium; insuper probari caussæ, ex quibus ad novas erigendas metropolitanas, vel episcopales ecclesias, vel ad divisiones vel ad uniones earundem designandis sub alia forma diœcesibus, deveniendum proponatur; ad dirimenda plurima, quæ in hisce caussis quandoque difficultatem faciunt, instituta fuit singularis congregatio, quæ consistorialis dicitur, ut in ea primum consistoriales laudatæ caussæ discuterentur, discussæque quasi præparatæ ad consistorium referrentur, definitionis, ac decreti sanciendi gratia.

Altera est congregatio concilii tridentini, primum a Pio IV, instituta, deinde a Sixto V, ampliore potestate instructa. Cum enim prævidissent tridentini patres non ita in concilio declarari omnia potuisse, ut nulla omnino explicatione indigerent, in fidem pontificis maximi recipienda ea voluerunt, sperantes, ut ipse, aut novum, ubi opus esset, congregando concilium, aut evocatis ex illis præsertim provinciis, unde difficultas orta fuerit, iis, quos tractando emergenti negotio viderit expedire, aut commodiore quacumque ratione ei visum

fuerit, provinciarum necessitatibus consuleret, uti legimus in fine sessionis 25, sub titulo de recipiendis, et observandis decretis concilii. His adhærens Pius IV, prudentissime vetuit, nequis tridentinis decretis glossemata et interpretationes adjiceret, quibus aliquando eventurum timebat, ne sanctorum Patrum sententiæ eluderentur; imo et ad expeditiorem decretorum executionem congregationem instituit, quæ sedulo invigilaret, ut sine tergiversatione tridentinis semel promulgatis præceptis pareretur, unde ea congregatio appellabatur *pro executione et observantia concilii.* Quis vero facile in iis adjunctis executionem meram curare potuisset, quin aliquando, siquid obscurum emergeret, interpretatione suppleret? Sed interea ea congregatio facultate interpretandi destituebatur, donec eam a Sixto V, expresso mandato suscepit; quamobrem deinceps eadem congregatio appellata fuit *pro executione, et interpretatione concilii tridentini.* Potissima autem hujus congregationis cura hodie in eo versatur, ut provinciales, et diœcesanas synodos celebrari curet, quoad fieri possit; item ut recipiat appellationes ab improvidis quarundam synodorum particularium statutis, atque ista, ubi exhibeantur, discutiat, ac probet; et regulariter ut ea omnia agat, quæ ex tridentinarum legum custodia pendent; qua de caussa ipsa excipere solet, et discutere postulata, quæ in relationibus status Ecclesiarum ab episcopis, ubi præsertim limina apostolica visitant, proponuntur. Ejusdem tamen decreta, potissimum quod promulgari non soleant, non ubique tamquam leges recipiuntur, imo et ubi recepta sunt, duabus deprehenduntur observationibus obnoxia. Prima observatio est, quam jampridem adhibuit cardinalis de Luca in adnotationibus ad concilium tridentinum disc. 1, non esse indiscriminatim adhærendum quibuscumque collectoribus, qui ea vel mss. codicibus, vel impressis exibuerunt, cum pluries contingat, ut tamquam decretum congregationis exhibeatur, de quo nulla in ejusdem congregationis tabulario, seu regesto vestigia habeantur, quod et animadvertit Fagnanus in cap. *quoniam* de constitution. num. 9, et in cap. *cum venissent* de judiciis. Altera observatio est, ubi ejusmodi decretum in forma authentica proferatur, investiganda esse adamussim, et rei propositæ, et temporum, et personarum, et locorum adjuncta; quod forte singularibus horum adjunctorum caussis decretum inniti possit, non facile ad alia adjuncta non undecumque similia producendum; quamobrem eadem ipsa congregatio, ubi certa adjuncta immutarentur, olim dictam in aliis adjunctis retractare sententiam non dubitavit, quemadmodum pluribus in locis adnotavit Benedictus XIV, de synodo diœcesana lib. 1, cap. 5, num. 3, lib. 2, cap. 11, num. 12, lib. 5, cap. 7, num. 6, lib. 10, cap. 3, num. 5, lib. 11, cap. 6, num. 5, lib. 12, cap. 3, num. 2, et lib. 13, cap. 24, num. 5. Non est omittendum, interpretationem tridentini concilii congregationi commissam pertinere tantum ad ea concilii capita, quibus aut mores, aut disciplina reformatur; nam ea, in quibus fidei dogmata definiuntur, interpretationi pontificis maximi sunt reservata. Item omittendum non est, etiam ubi recepta sunt generaliter ejus congregationis decreta posse aliquando episcopum ab eisdem recedere, si æqua suggerat caussa, quemadmodum iterum adnotavit Benedictus XIV, in lib. 2, de synodo diœcesana c. 7, num. 7, neque enim disciplina generalibus regulis expressa ita singulas afficere provincias potest, ut omnibus utilis esse videatur, uti superius de generalibus constitutionibus dictum est.

Antiquior est congregatio, quam supremæ inquisitionis adversus hæreticos, seu sancti officii appellant; cum enim a decimotertio sæculo constitui in aliquibus provinciis cœperint a pontifice maximo delegati, quorum opera coercerentur hæretici, iidemque deinceps plurimi extiterint, primum sub Paulo III, anno 1542, sex cardinales designati sunt, quibus generalia fidei tuendæ negotia mandata, et a quibus ceteri in provinciis constituti vicarii penderent. Numerum cardinalium auxit Pius IV, semelque institutam designationem confirmaverunt Pius V et Sixtus V. Ob summam rei gravitatem, quæ in hac congregatione tractatur, ei summus ipse pontifex præsidere solet; quando autem præsidet, non congregationis nomine, sed ejusdem papæ, decretum prout res incidit, conficitur.

In hujus congregationis adjutorium alia instituta congregatio fuit, quæ *Indicis* appellatur. Jam ab anno 1557, nonnullis delegatis suis mandaverat Paulus IV, ut, quoniam noxii plures præsertim hæreticorum libri emerserant, quibus integra simplicium fides, et mores corrumpi facile poterant, certus index illorum conficeretur, publiceque proponeretur, unde unusquisque nosset, a quorum sibi foret lectione abstinendum. Absolutus index fuit anno 1559, pluribusque in locis auctoritate pontificis promulgatus, indictis gravissimis censuris, et pœnis adversus eos, qui designatos in indice codices legissent. Id enarratur in sess. 18, tridentini concilii, quod tamen, sive de indicis sive de censurarum caussa ageretur, iterum tractandum visum est, ut sive opportuniore remedio nonnullorum querelis obviam iretur, sive ut consultius peregrinæ, et a veritate catholica alienæ doctrinæ improbarentur. Hinc tridentini patres prudentes viros selegerunt, qui rem diligenter consideratam ad concilium referrent absolvendam. Vix extrema manus fuerat huic negotio a prudentibus selectis viris imposita, cum dissolvendum concilium foret, quamobrem cum ob librorum variatem, et multitudinem distincte et commode a sancta synodo

omnia dijudicari non possent, præceptum fuit, ut, quidquid ab aliis præstitum erat, romano pontifici exhiberetur, ut ejus judicio, atque auctoritate terminaretur, ac vulgaretur, uti legimus in fine sessionis 25, sub titulo *de indice librorum*. Hinc confectus librorum index Pio IV exhibitus, ac comprobatus, adjectis quibusdam regulis (quod erat ultra concilii tridentini mandatum) a Pio IV similiter confirmatis. Hæc unusquisque facile legere poterit impressa ad calcem tridentini concilii una cum præfatione Forerii deputationis ad conficiendum indicem secretarii. Itaque hodie a Sixto V instituta indicis congregatio de libris damnandis judicare solet, non tamen ita, ut auctoritas congregationis inquisitionis in hac parte expiraverit, sed ut Indicis congregatio congregationi inquisitionis adjutorium præstet, ut initio dicebam.

Duæ aliæ a Sixto V institutæ fuerunt cardinalium congregationes, quarum una regularium caussas dirimeret, et dicebatur *pro consultationibus regularium*, altera caussas episcoporum, aliorumque, qui quasi episcopali jurisdictione gauderent, et dicebatur *pro consultationibus episcoporum et aliorum prælatorum*. Hodie vero una est junctis officiis congregatio, quæ dicitur *super negotiis episcoporum et regularium*; atque hæc dirimere controversias solet, quæ inter regulares et parochos et episcopos, item inter collegia ecclesiasticorum et prælatos suos suboriuntur. Hæc præterea, ubi opus esse videatur, constituit vicarios apostolicos Ecclesiis vacantibus, uti notavit Benedictus XIV, in lib. 2, de synodo diœcesana, cap. 10, num. 9, regulares apostatas recipit, ubi resipiscant, monialium etiam curam suscipit in iis, quibus episcopi præsto esse ordinaria auctoritate non possunt, præsertim ubi agatur de sanctimonialibus ab uno ad aliud monasterium transferendis.

Præterea postquam in fine tridentini concilii sub titulo de indice librorum, et catechismo, breviario, et missali, in fidem pontificis maximi delatum fuisset, ut ipse sacras ceremonias sive in missarum celebratione, sive in psalmodia, aliisque ecclesiasticis functionibus definiret, instituta fuit alia congregatio cardinalium a Sixto V, quæ his negotiis præesset, quæ propterea *congregatio Rituum* nominatur; cui quoque commissæ fuerunt discussions caussarum beatificationis, ac canonizationis, ut vocant, sanctorum; quamquam caussæ istæ discuti, in eadem congregatione soleant junctis aliis prudentissimis viris alias eandem congregationem minime componentibus, quod hujusmodi caussæ gravissimæ sint, et habeantur.

Ut paucis, et veluti per indicem, complectar aliarum congregationum munera, Clemens IX, *congregationem indulgentiarum* fieri jussit, ut ipsa apocryphas, indiscretasque indulgentias examinaret, earumque usu interdiceret, juxta regulas tridentini concilii in sess. 25, in decreto de indulgentiis, et sess. 21, de reform. cap. 9; alia quoque instituta congregatio quæ dicitur *immunitatis*, ad quam negotia referantur immunitatis ecclesiasticæ; item congregatio *Fabricæ S. Petri*, cui tamen non omnia loca subjecta ex sui institutione fuerunt, quæ piis voluntatibus testantium exequendis se immiscet, quoties ordinarii per annum eas exequi negligant. Qui plura desiderat, adeat constitutionem 74 Sixti V, in Bullario romano, unde plurimarum congregationum institutiones intuebitur, et singularia officia.

Singularia nunc quorumdam in romana curia designatorum officia persequamur, qui vel jurisdictionem pontificiam in foro interno, seu conscientiæ exercent; vel quorum munere ad executionem pontificiæ voluntatis expeditius devenitur. Jurisdictionem pontificiam in foro interno, seu pœnitentiali exercet major pœnitentiarius, sive per se, sive per pœnitentiarios minores ejusdem adjutores constitutos, cujus propterea officium apostolica pœnitentiaria nominatur. Ad eum libello supplici ex universa Ecclesia confugere quisque solet, etiam reticito nomine confugentis, quotiescumque detinetur occulto quodam crimine, occulta pœna, vel occulto impedimento, cujus absolutio, dispensatio, vel relaxatio sedi apostolicæ reservatur. Solent præterea in forma commissoria pœnitentiariæ rescripta dirigi ad discretum virum doctorem in theologia, vel in jure canonico, confessarium ab ordinario adprobatum, ut ipse apostolica auctoritate a peccato absolvat, censuram relaxet, ab impedimento dispenset, ita tamen, ut primum confessionem sacramentalem illius, qui uti vult rescripto, excipiat, et in foro tantum interno absolvat, nec gratia pontificia in foro externo prodesse possit, eamque ob rem, executioni mandato rescripto, rescriptum ipsum lacerare teneatur, ne ullum ejus monumentum supersit; et gratis omnia expediuntur. Ad istud tribunal inter ceteros confugere poterunt, qui missarum numerum implendum susceperunt, et quem implere nulla ratione possunt, ut opportunum consilium suscipiant; item qui secreta matrimonia, et in foro tantum, ut ajunt, conscientiæ certis de caussis sunt contracturi, juxta regulas a Benedicto XIV, traditas in constitutione 35. *Satis vobis* tom. 1, ejusdem Bullarii; monachi quoque apostatæ ab apostasia reversuri, et moniales certis de caussis optantes, ut ab electo in aliud monasterium transferantur, uti scribit idem summus pontifex in lib. 13, de synodo diœcesana, cap. 11, num. 11, et sequentibus, et cap. 12, num. 29.

Ut ad executionem pontificiæ voluntatis expeditius deveniatur, tria sunt constituta in romana curia officia, cancellarii, unde cancellaria, datarii, unde dataria, secretarii brevium, unde secretaria brevium nominatur. Quoties cancel-

lariæ, vel datariæ aliquis ex cardinalibus præficitur, is non cancellarius, vel datarius, sed vicecancellarius vel prodatarius vocatur. Ad cancellariæ officium spectat, eorum curare expeditam executionem, quæ aut gravissima sunt, aut in papæ consistorio fiunt; unde etiam beneficia consitorialia a cancellaria dependent, et apud ipsam conferuntur, nisi quædam dispensatio necessaria fiat; tunc enim dispensationis illius caussa datariæ officium intervenire solet, imo et officium, uti vocant, *Componendæ*, si quædam compositio facienda sit, seu quasi transactio, quemadmodum ex. gr. contingit in eo, qui simoniace beneficium obtinuit, et illud per modum novæ provisionis aut in dataria, aut in cancellaria postulat. Olim regulæ illæ, quæ dicuntur cancellariæ, spectabant cancellarii, illorumque, qui cancellario ministrant, instructionem, unde eædem nomen suum acceperunt. Hodie vero plura continent, præsertim etiam recentiorum reservationum materiem, de quibus suo in loco sermo recurret. Datariæ officium ita dictum a barbaro vocabulo *datare*, seu diem designare, in eo consistit, ut ex eo pendeant expeditiones pontificiarum concessionum minorum, et quæ in consistorio minime fiunt; imo et quandoque consistorialium, iis nimirum in casibus, quos modo memorabam; juncto etiam officio *Componendæ*, si compositionem fieri expedire ex qualitate negotii videatur. De secretario brevium vix opus est, ut aliqua subjiciam, quando jam superius tradidi, in quonam a bullis brevia pontificia distinguantur. Tantum dicam, ejus officium in memoratorum brevium expeditione consistere.

CAPUT IV.

Quibus modis pontifex maximus per vicarios extra urbem constitutos jurisdictionem suam exerceat.

Huc referendi sunt tituli 29 et 30, libri 1.

Supremam in universas Ecclesias per amplissimum orbem longe, lateque diffusas jurisdictionem non semper per se commoda, expeditaque ratione exercere potest pontifex maximus, qui propterea legationibus constitutis modo caussarum, modo locorum gratia, ecclesiasticam curat impensius utilitatem; hoc enim est, quod ajebat Magnus Gregorius, dum Maximianum syracusanum episcopum in Sicilia vicarium designaret: *mandata cœlestia efficacius gerimus, si nostra cum fratribus onera partiamur*, cap. 6, de præsumption. Jungatur canon 1, dist. 94. Qui mandatum hoc exercendæ pontificiæ jurisdictioni suscipiunt, apud Græcos veteres *apocrysarii* appellati fuerunt cap. 4, de elect., Nov. 6, cap. 2 et 3, apud recentiores, et Latinos modo *Responsales*, modo *Nuncii*, modo *Legati*; licet enim legationis nomen si latissime sumatur, pro quocumque missionis genere usurpetur, can. 3, dist. 50, unde perperam Gratianus legationem apostolis a Christo factam a legatione pontificia secernere nescivit, can. 2, dist. 94, obtinuit tamen, ut proprie legati dicerentur, qui a pontifice maximo ad utilitatem Ecclesiarum per provincias mitterentur, toto titulo de officio legati. Quamobrem si verum est, jure publico honorabiles esse, et veluti sacros haberi legatos principum ad quascumque gentes directos, eo etiam venerabiliores fuisse legatos in provincias sibi subjectas a romano populo missos, quo major erat in exercenda nomine ejusdem populi in designatis provinciis jurisdictione potestas, unde etiam communi cum proconsulibus apparitione gaudebant, l. 2, cod de apparitor. Procons. et log. Spartianus in Alexandro Severo; nemo inficias ire poterit, maxime honorabiles esse provide designatos legatos pontificios, quando utraque in iis caussa concurrit, argumento capituli 1, de præscription. Ipsi etiam pontifices maximi consueverunt certis legatos suos insignibus exornare, ut in iis clarius adpareret pontificia quædam species, et imago. Hinc aliquando pallium insigne romani pontificis concessum, antequam concederetur archiepiscopis, can. 6 et 10, dist. 100, aliquando purpureæ vestes, et fere omnes pontificiorum indumentorum characteres et notæ, cap. 23, de privileg. illud quandoque ut crucem ante se gestari juberent, aliæque similes pontificis maximi prærogativæ.

Plura olim erant genera legatorum; alii enim, qui, ut diximus, apocrysarii dicebantur apud imperatores, et principes merebant, non ecclesiasticam papæ jurisdictionem certa in provincia explicantes, sed negotia tractantes ad ecclesiasticam pacem, unitatemque firmandam, ex quo etiam responsales, ut diximus, ab aliquibus appellati fuerunt, quod et papæ responsa principi, et principalia responsa papæ patefacerent, cui muneri ut plurimum diaconi, aliquando subdiaconi addicebantur, ut notat Gratianus in dist. 94. Alii ut plurimum episcopi sub nomine vicariorum pontificiorum certas provincias ecclesiasticas regebant, vel contracto intra certum tempus, vel perpetuo, sed cum persona interituro, vel reali, seu dignitati imposito ita, ut in successores etiam seros transiret, officio: alii ad certum tantummodo grave negotium et officium, et jurisdictionem suscipiebant, ex. gr. ut concilio, aut generali, aut provinciali, ubi opus esset, nomine papæ præessent: alii, ut certas diœceses nomine pontificis visitarent, abusus corrigerent, reos coercerent, qualis fuit, undecimo sæculo, Petrus Damiani apud Mediolanenses. Alii ut recens ad fidem conversas nationes regerent, erudirent, qualis fuit apud Anglos sub finem sexti sæculi Augustinus, et sæculo octavo Bonifacius apud Germanos. Ut paucis dicam, tot

fere erant legatorum species, quot caussæ legatorum mittendorum Ecclesiæ utiles videri pontificibus potuissent. Hodie vero tria designari solent legatorum pontificiorum genera, quorum alii Nati appellantur, alii Missi, alii a Latere, cap. 9, de offic. leg. cap. 1, eod. tit. in 6, eorumque omnium facultates ex vi potissimum literarum, quibus constituti sunt, pendent, ita ut sub generali mandato graviora non veniant, quæ speciali clausula demandari necesse est, nisi in jure quid singulare expresse cautum reperiatur, aut consuetudo æquissima mandatorum interpres induxerit, ac probaverit.

Antiquissima est origo legatorum, qui Nati dicuntur, seu illorum, quorum dignitas, non persona delegata censetur, quorumque propterea delegatio transit perpetuo in successores. Erant enim olim dignitates quædam episcopales, aut episcopalibus majores constitutæ in civitatibus spectabilibus, in quibus maxime expediebat, ad graviora negotia ecclesiastica, et quæ integram provinciam, aut nationem spectarent, peragenda, vicarios apostolicos designari. Is fuit in Illyrico thessalonicensis episcopus, de quo in can. 5, caus. 25, qu. 2, et in epistola Leonis Magni 12, in editione quesnelliana; item primæ justinianeæ antistes in sex Illirici provinciis, de quo in can. 10, dist. 100. Is fuit in Achaja, et Hellade Corinthius episcopus; in Gallia antiquissimis temporibus episcopus arelatensis, de quo in can. 3, et 9, cau. 25. qu. 2, item bituricensis, aut burdegalensis, de quibus in cap. ult. de majorit. et obedient. itidem rhemensis, de quo in cap. 13, qui fil. sint legit. Senonensi quoque, quod legamus, Joannem VIII, Ansegisum senonensem episcopum suum vicarium et in Gallia, et in Germania constituisse. Is fuit in Anglia primum eboracensis episcopus, de quo mentio fit in capite 1, de appellation. et in capite 1, ut lite pendente; deinde etiam episcopus cantuariensis, de quo in capite 1, de offic. legati. His omnibus nonnulli adjiciunt episcopum salonitanum, de quo in capite 6, de præsumt.; hierosolymitanum, in quo in cap. 8, de offic. leg. et aliquos Hispaniarum episcopos, quod vicarios apostolicæ sedis aliquando fuisse noverint Joannem Tarraconensem, et Sallustium in provincia bætica. Verum adhuc deliberandum esset illi, qui curiosius de his vicariatibus universis investigandum sibi proponeret; forte enim in nonnullis deprehenderet personalem, non sedi adnexam vicarii dignitatem fuisse concessam. Quicumque autem essent isti vicarii nati (neque enim mei instituti est de singulis variarum Ecclesiarum et episcopatuum privilegiis disputationem inire) eorum sane jurisdictio arctis finibus circumscribebatur; neque enim in provincia sibi adsignata majorem exercere poterant jurisdictionem, nisi aliud expresso mandato accepissent, quam metropolitanus quisque in suos suffraganeos exercuisset; nisi forte metropolitæ plures vicario subessent; siquidem tunc metropolitæ illi quasi suffraganei in conspectu vicarii habebantur, ad synodum accedere a vicario indictam compellebantur, a vicario ordinabantur, nihilque grave in provincia adgredi poterant vicario inconsulto: at siquid grave in vicariatu ipso emersisset, statim inerat vicario onus, de re, quæ inciderat, reddendi pontificem maximum certiorem, ab eo expectata sententia exequenda, argumento canonis 5, caus. 25, quæst. 2, et canonis 8, caus. 3, qu. 6. Forte quisquam in contrarium proferet Alexandri III epistolam ad universos suffraganeos cantuariensis Ecclesiæ, in capite 1, de officio Legati, ubi proponitur diversa ratio et juris metropolitici, et juris legationis, quæ jura erant penes episcopum cantuariensem; quasi jure metropolitico cantuarensis antistes tantum posset definire caussas per appellationem ad se devolutas; jure autem legationis posset de omnibus judicare, quæ per querimoniam ad se adducta forent, etiam sine appellatione. Verum observandum est, agi ibidem de S. Thoma cantuariensi episcopo, qui ab Alexandro III, singulares obtinuit et extraordinarias facultates singularibus mandatis expressas, qui propterea non tantum jure suæ dignitatis legatione pontificia fungebatur, sed etiam specialibus prærogativis cumulatus fuerat, ita postulantibus difficillimis adjunctis, in quibus Angliæ regnum tunc temporis versabatur, uti refert cardinalis Baronius ad annum 1163, 1164, scribens, multa illi singularia concessa fuisse. Inter cetera, quod spectat ad dicti capituli 1 interpretationem, liquet, id singulare concessum fuisse Thomæ cantuariensi in Anglia vi vicariatus apostolici, ut non quidem appellationes, sed querelas in prima instantia reciperet, uti deduci potest ex integro rescripto in 1. collectione decretalium.

Legatorum missorum aliud ab initio officium erat, ac quod esse cœpit a sæculo Ecclesiæ undecimo, sive a temporibus Alexandri II. Olim iidem erant, qui et apocrysarii, seu responsales, quos superius memorabam, missi scilicet ad imperatores, vel reges ad conciliandos et pontifici maximo, et ecclesiis principum animos, sine ulla jurisdictione in Ecclesiis exercenda, quamquam ea occasione referre solent apud pontificem maximum, si quid forte adversus ecclesiasticas utilitates gererent, vel constituerent episcopi, in quorum diœcesi merebant. Originem horum legatorum referunt eruditi ad tempora Leonis Magni, qui Julianum Coensem in Cycladibus insulis episcopum Constantinopolim primus misit ad Marcianum Augustum, de quo ita scribit Sanctus Papa in epistol. 61, ad eundem imperatorem: *Vicem ipsi meam contra temporis nostri hæreticos delegavi, atque propter Ecclesiarum,*

pacisque custodiam, ut a comitatu vestro non abesset, exegi; cujus suggestiones pro concordia catholicæ unitatis tanquam meas audire dignemini, placentes Deo, qui vobis præter regiam coronam etiam sacerdotalem conferat palmam. Notanda quoque sunt, quæ iterum Leo ad Marcianum scribebat in alia epistola edita ab Holstenio inter acta synodi romanæ sub Bonifacio II, ibi: *Suggestiones autem fratris, et coepiscopi mei Juliani, quem pietati vestræ commendo, quæro, ut benignus, sicut facitis, audiatis. Hoc etiam fratri meo Anatolio proderit, si eum, quem pro catholico dogmate illic esse volui, dignanter habeatis.* Ex quibus duo colliguntur. Primum est, eam legati constitutionem profuisse maxime, ut auctoritate imperatoria facilius coercerentur eutychiani hæretici, qui plura contra statuta chalcedonensis concilii moliebantur. Alterum est legatum illum commodius continere potuisse ambitum Anatolii episcopi constantinopolitani, et se, et sedem suam supra modum evehere meditantis. Nullam, inquam, jurisdictionem hujus generis legati explicabant; huic enim pro opportunitate gerendæ satis prospiciebatur per legatos natos, aut jam constitutos, aut, ubi expedire videbatur, constituendos. Verum sæculo undecimo partim ex eo, quod legatorum natorum jurisdictio angustis coercita finibus videretur, partim quod legati nati jurisdictione sua identidem reclamantibus episcopis abuterentur, apocrysariis ex speciali pontificum voluntate jurisdictio accessit; imo et multo plures numero legati mitti cœperunt extra ordinem, modo minore, modo majore potestate concessa, prout adjuncta caussarum, locorum, et temporum postulabant; ac tum primum legatorum natorum cœpit jurisdictio imminui pro modo adauctæ apocrysariorum dignitatis, atque auctoritatis. Ceterum neque isti legati missi majorem jurisdictionem explicare unquam potuerunt, quam quæ mandatis designaretur; neque enim de jurisdictione agitur, quæ primum constituto illorum muneri cohæserit, sed quæ jamdiu post illius constitutionem singularibus de caussis accessit; quamobrem in hac parte certa regula statui nequit, cum nihil jure communi definitum sit, sed totum quantumcumque est, ex singularibus delegationis literis pendeat, quemadmodum recte animadvertit cardinalis de Luca in adnotationibus ad concilium tridentinum disc. 33. Hinc nisi beneficiorum etiam papæ reservatorum expresse obtinuerint delegationem, ea non gaudent, capite 1, de offic. leg. in 6, ita ut si forte ad collationem deveniant, ne possessio quidem triennalis instituto suffragetur, quia regula triennalis possessionis certum titulum supponit, vel ordinariæ, vel apostolicæ extra ordinem factæ collationis, aut alterius actus, qui, saltem in genere, certo fundamento nitatur. Tum demum quoque visitare illi ecclesias poterunt, quum id illis mandatum adpareat, quo casu procurationes etiam, moderatas tamen, et instar ordinariorum, aut metropolitanorum provinciam visitantium accipiunt, capite 11 de præscript. capite 17 et 23, de cens. Clem. 1, eod. tit. nisi tamen certa collegia, vel personæ singulari privilegio exemtionum a procurationibus a sede apostolica obtinuerint, dicto capite 11 et 17, et dicta Clem. 1. Neque obstat dicere, procurationes ne per lapsum quidem immemorialis temporis, præscribi non posse, capite 16, de præscription. proindeque nec posse obtentu cujusquam privilegii denegari, quod par sit privilegii, et immemorialis consuetudinis ratio, argumento capitis 26. vers. *præterea* de verbor. signif. siquidem ubi privilegium impetratum doceatur, cognitionem utilis caussæ præcessisse præsumetur, non ubi qualiscumque præscriptio objiciatur: atque hanc fuisse caussam puto, quare Innocent. III, noluerit eandem habendam esse, et præscriptionis utut longissimæ, et privilegii rationem in dicto capite 11, de præscription. Ex his duo generatim de horum legatorum potestate constituere possumus. Primum est, ipsos ea sibi vindicare posse, quæ singulari gratia legatorum a latere etiam in jure communi concessa deprehendantur, nisi ea fuerint aut in totum, aut in parte expresse concessa, capite 1, de offic. leg. in 6, capite 36, in fine de elect. in 6. Alterum est, in iis, quæ singulari mandato eisdem concessa probantur, non debere eos existimare, sibi ampliorem competere facultatem, quam competat legatis a latere: quamobrem in iis, quæ et ipsis et legatis a latere communia demonstrantur, sive de modo exercendæ jurisdictionis, sive de tempore, ad quod eorum jurisdictio prorogatur, sive de provincia, intra quam eorum jurisdictio circumscribitur, eædem regulæ utrique legatorum generi erunt sine fraude custodiendæ.

Ab eodem sæculo undecimo quo primum, uti diximus, jurisdictionem legati missi explicare cœperunt, visi sunt cardinales, ubi legationis munus ipsi susciperent, ampliorem posse potestatem exercere, sive quod a pontifice in literis suæ delegationis majoribus facultatibus instrui solerent, sive quod id quodammodo postulabat major eorum dignitas, cujus intuitu unum constituere singulare corpus cum pontifice maximo dicebantur, cap. 1, de off. leg. in 6. Hinc ipsi, ut a legatis ceteris distinguerentur, nomen assumserunt legatorum a latere, et singularia insignia papalibus fere similia induerunt capite 23, de privileg. ac quoties provinciam sibi designatam ingrederentur, non solum aliorum legatorum jurisdictio quiescebat, capite 8, de off. leg. sed etiam ordinarii ipsi cogebantur illis præsentibus ab iis, quæ majestatem ecclesiasticam exhibent, abstinere, nimirum ne populo in solemnibus benedicerent, neve, si archiepiscopi essent, crucem ante se

deferrent, dicto capite 23, de privileg. Præterea excommunicatos etiam a censuris papæ reservatis absolvebant, illos quoque, qui extra provinciam suæ delegationis degerent; quæ sane potestas, si expresse legatis missis concessa fuisset, erat tantum intra provinciæ terminos exercenda, cap. 9, de offic. legat. capite 20, de sent. excom. Item indulgentias concedebant, regulariter centum dierum, et unius anni in dedicationibus Ecclesiarium, juxta caput 14 de pœn. et remiss. quasi hæc meram gratiam contineant, et facti potius, quam juris dispensationem. Insuper in eos, caussasque eorum, qui ab ordinariorum jurisdictione exemti forent, jurisdictione utebantur, iis tantummodo caussis exceptis, quæ singulari jure essent pontifici maximo reservatæ, capite 4, de offic. leg. cap. 36, de elect. in 6, cap. 1, de verb. signif. in 6. Itidem jure suo visitabant Ecclesias suæ provinciæ, procurationesque in actu visitationis accipiebant, capite 11, de præscript. capite 17 et 23 de censib., ea, quæ corrigenda videbantur, corrigebant, reos, præsertim contumaces, pœnis ecclesiasticis, censurisque plectebant, imo et nova statuta provinciæ opportuna edebant, perpetuo etiam post suum discessum duratura, quamvis verum esset, jurisdictionem ab illis alteri mandatam post eorum discessum expirare, capite ult. de offic. leg. Hinc autem, licet in eorum adventu ordinarii jurisdictionem suam adhuc libere explicarent, illi tamen cum jurisdictione ipsa ordinariorum concurrebant, caussasque ad potestatem suam preveniendo trahebant. Sic a matrimoniorum impedimentis dispensabant, in quibus omnibus casibus dispensare episcopi potuissent; aderant matrimoniis parochorum vice, vel alteri, ut vice parochorum adesset, mandabant, eodem modo, quo adesse episcopi, vel alteri mandare, ut adsit, exclusis parochis valent, caussasque ipsas matrimoniales dirimebant, cap. 4. de conjug. servor. Beneficia quoque ecclesiastica identidem conferebant, si in sua provincia vacavissent, capite 1 et 3, de offic. leg. in 6, etiamsi jurispatronatus ecclesiastici essent, capite 6 de offic. leg. capite 28, de jurepatronatus eodem jure, quo summus ipse pontifex utebatur, capite 31 de præb. in 6, eamque ob rem beneficia ad sedem apostolicam devoluta conferebant, capite 37, de præbend. electionesque episcoporum, archiepiscoporum, atque exemtorum confirmabant, capite 36. de elect. in 6. Quid amplius? Quando ulterius potuerunt, etiam favore certæ personæ sibi reservare beneficii alicujus necdum vacantis collationem, quod si vacasset, conferre ipsi potuissent, cap. 28, de jurepatron. cap. 4, de offi. leg. in 6, tamdiu tamen duratura reservatione, quamdium legatus suo munere fungeretur, cap. 3, eod. tit. in 6, quando beneficia parochialia saltem per sex menses commendare valebant, juxta capitulum 15, de elect. in 6, item Ecclesias, et beneficia unire, dummodo nullum ex unione fieret episcopalibus juribus detrimentum, cap. ult. de confirmat. ut. vel inut. argumento capitis 8, de excess. prælat. quando pensionum onera beneficiis a se collatis intra legitimum tamen modum adjiciebant, uti vulgo tradunt pragmatici ad capitulum 8, de censibus. Neque mirum est, adeo late patuisse horum legatorum potestatem: Videlicet agitur de jurisdictione mandata, cujus vires cum ex voluntate mandantium pontificum modum accipiant, vagari latissime potuerunt, eousque, quo vel expresse de mandato constaret, aut tacite colligeretur ex moribus legatorum, pontifices non contradicere. Verum sive hæc sit rerum humanarum conditio, quod feliciter cœptæ usque ad certam mensuram augeri, deinde vero si non penitus interire, decrescere saltem soleant, sive id specialius contingere soleat in dignitatibus humanis, ut bene gesta munera primum evadant speciosissima, deinde partim ex ambitu administrantium, partim ex æmulatione, quæ humiliores tenet, in interitum adducantur, videmus, vicissitudines istas, quemadmodum et in legatis natis, ita et in legatis a latere accidisse. Legatos natos olim constitui, nonnullarum provinciarum singularis utilitas postulaverat. Legatos missos præsertim a latere designari, videbatur pluribus in casibus suadere utilitas Ecclesiæ universæ uti universæ. At postquam legatorum natorum ampla potestas variis contentionibus occasionem præbuit, unde non semel legati nati objurgari a pontificibus maximis debuerunt, veluti Anastasius thessalonicensis a Leone Magno, Maximus Salonitanus a Gregorio Magno, ut prætermittam simultates inter Leonem Magnum, et Hilarium Arelatensem, can. 5, caus. 25, quæst. 2, can. 12, caus. 2, quæst. 6, epist. Leonis Magni ad episcopos provinciæ viennensis in Gallia, cœpit imminui potestas legatorum natorum. Idipsum evenit in legatis a latere, quorum amplissimæ diu explicatæ potestati certi fines constituti deinde fuerunt, ne hinc nulla fere superesse viderentur pontificis max. gratia reservata, quæ legati a latere non attingerent, illinc fere frustrarentur ordinaria episcoporum, aliorumque antistitum jura. Hinc primo semper cavendum fuit, ut legati a latere a collationibus abstinerent beneficiorum laici patronatus, ignorante vel invito patrono, argumento Clem. 2, de præbend. item a collationibus beneficiorum litigiosorum, argumento c. ult. ut lite pend. Ecclesiarum regularium, seu conventualium, seu cathedralium, insuper a collationibus beneficiorum quorumcumque nondum vacantium, quamquam, uti dictum est, collationem eorum sibi reservare valerent, eamque ob rem etiam a collationibus beneficiorum, quorum ipsi renunciationem faciendam curarent, capite 4 de offic. leg. in 6 a collationibus quoque beneficiorum, quæ non ordinario,

sed singulari jure ad episcopos pertinerent, argumento cap. 2 de offic. leg. Addunt pragmatici plures, etiam abstinendum illis fuisse a collationibus beneficiorum pontifici maximo quomodocumque reservatorum. Mihi aliud videtur in conspectu capitis 1, de offic. leg. in 6, ubi generaliter definitur; beneficiorum collationem legatis a latere competere, neque alibi ulla reservatorum exceptio facta deprehenditur; imo minus æquum videtur, Clementis IV, rescriptum ad collationes ordinariorum coercere, ne alias summus idem pontifex, dum alienorum jurium liberalis existit, suorum tenax in suos ipsos legatos extitisse fingatur. Secundo cautum est, ne legati a latere unirent Ecclesias, vel beneficia exempta, aut Ecclesias regulares, collegiales, seu electivas, aut patronatas sine consensu patroni, cap. de offic. leg. in 6, neve uniones semel auctoritate apostolica factas revocarent, ne forte delegatus ad rescindendum admittatur, quod delegans ratum habuit, et firmum manere decrevit; neve admitterent resignationes in favorem alterius, aut sub conditione pensionis renunciantis gratia reservatæ, argumento capituli 4, vers. *prohibemus* de offic. leg. in 6. Tertio recipiendum fuit, ut a dispensatione ab irregularitatibus pontifici maximo reservata continerent, proptereaque non dispensarent cum illegitimis, ut ad ordines sacros, vel ad beneficia admitterentur, quamquam hæc facultas expresse in delegationis literis indulgeri a pontifice soleat. Quarto indictum, ut eas caussas judicio suo non dirimerent, quæ tanquam gravissimæ reservatæ fuerunt pontifici maximo, quales sunt episcoporum depositiones, restitutiones depositorum antistitum, eorumque translationes de una in aliam Ecclesiam, dubii juris communis, præsertim decretorum trident., declarationes per rescripta, vel constitutiones edendæ, generalis synodi convocatio et celebratio, exemtiones collegiorum, aut personarum ab ordinariorum jurisdictione, diremtiones litium omissa ordinaria juris formula, et sententias ita pronunciare, vel alteri pronunciandas mandare, ut nulla amplius exinde appellatio concedatur. Denique trid. synodus in sess. 24, de ref. c. 20, postquam generaliter definivit, ut caussæ omnes ad forum ecclesiasticum pertinentes, etiamsi beneficiales sunt, in prima instantia coram ordinariis locorum dumtaxat cognoscerentur, adjecit, ut legati etiam de latere, nuncii, gubernatores ecclesiastici, aut alii quarumcumque facultatum vigore non solum episcopos in prædictis caussis impedire, aut quocumque modo eorum jurisdictionem iis præripere, aut turbare non præsumerent; sed nec etiam contra clericos, aliasve personas ecclesiasticas, nisi episcopo prius requisito, eove negligente procederent; alias autem eorum processus, ordinationesve nullius momenti essent, atque ad satisfactionem damni partibus illati tenerentur. Porro postquam paullatim, præsertim ex hoc tridentino decreto, certi constituti sunt legatis a latere fines, minus frequens esse cœpit illorum missio, ac nonnisi magna, et urgente publica caussa postulante, si eos excipias, qui mitti solent a pontifice maximo caussa administrandæ reipublicæ, in quibusdam civitatibus pontificiæ temporali ditioni subjectis, veluti Ravennæ, Ferrariæ, Bononiæ. Illud adhuc in hac re superest adnotandum, legatorum a latere, eodem modo, quo missorum, jurisdictionem extingui, idest non morte solum ipsorum, sed et aut finito tempore, quod mandato designatum fuerit, aut revocatione a pontifice maximo facta. aut eorum discessione a provincia, deposito animo redeundi. An vero extinguatur morte pontificis maximi, dubitari non posse videtur post definitionem Clementis IV, in cap. 2, de offic. legati in 6, ubi traditur, legationem non ideo expirare. Ego tamen adhuc observo, in dicto cap. 2, non de omnibus indiscriminatim legatis sermonem institui, sed, uti verba demonstrant, de iis tantum, qui cum egregia, et extraordinaria potestate missi fuerant, atque urgentissima de caussa, necessitate cujusdam Ecclesiæ, vel provinciæ gravissima impellente. Quamobrem ad hanc tantummodo speciem definitionem contrahendam puto, in qua nimirum viget singularis ratio, ne alias ob evenientem pontificis mortem irreparabile damnum illi Ecclesiæ, vel provinciæ emergat, cujus gratia suscepta legatio necessaria fuerat.

A legatis pontificiis, quos hucusque recensuimus, secernendi maxime sunt pontificii delegati, ii nimirum, qui in privatorum caussis singularibus dirimendis certo et speciali mandato versantur. Duplex est istorum genus; vel enim iis mandatur, ut ab initio caussam suscipiant, sententiam proferant, et sententiæ executionem curent, et tum proprie delegati nominantur, vel tantum eis mandatur, ut sive gratiam a pontifice factam, sive sententiam a pontifice inter litigantes dictam executioni demandent, et tum proprie executores passim dicuntur. Non eadem tamen est executorum omnium ratio; siquidem alii executores meri, alii mixti appellantur a pragmaticis, meri scilicet, quorum potestati nulla inest caussæ cognitio, mixti, qui antequam pontificiam voluntatem exequantur, certam caussæ cognitionem suscipiunt, in ea nimirum parte, qua apud ipsos constet, ea non esse a veritate aliena, quæ ad obtinendum papæ rescriptum enarrata fuerunt. Qualis sibi competat potestas, executor agnoscet ex formula rescripti pontificii; si enim ex. gr. legat, se ita delegatum, ut *constito etc.* ut *si noverit etc.* rescriptum executioni mandet, tunc non merum, sed mixtum esse designatum se executorem intelliget, proindeque, antequam rescriptum executioni mandet, judicis partes adsumet, sententiamque feret, in qua definiat, nihil obesse executioni

rescripti, vel rescriptum executioni mandari non posse.

Quæ in hac parte jurisprudentia obtinet, ea fere universa derivata est ex juris romani disciplina in delegatis aut cæsarum, aut proconsulum, aut etiam judicibus datis constituta; quodque observatione dignum est ulterius contigit, ut, si quæ interpretes juris romani perperam sequioribus sæculis intellexerunt atque explicarunt, ea quoque iisdem sæculis, nimirum duodecimo, et sequentibus, fuerint recepta in pontificiis delegatis apud ecclesiastici juris auctores. Nam cum disciplina harum delegationum infrequens esset ante tempora Alexandri III. neque enim aut sub titulo decretalium de rescriptis aut sub titulo de officio, et potestate judicis delegati, rescriptum aliquod eo pontificia antiquius exibetur; tunc propterea primum regulæ in hac materie receptæ sunt, non tam quales germana romani juris doctrina posuerat, sed quales positas tunc fere subortæ recentiores sequiorum jurisconsultorum scholæ crediderunt. Magnum profecto erat apud romanos veteres discrimen inter legatos, aut delegatos, et judices datos legati, seu delegati a Cæsare, vel proconsule constituti plena, absolutaque pollebant jurisdictione, unde possent et litigantes in jus vocare, et vocatis diem dicere, seu citare, et de caussa cognoscere, et sententiam pronunciare, et dictam sententiam exequi, et judicem dare. At non tanta potestas erat datorum judicum, qui propterea notionem habere dicebantur, non jurisdictionem. Eam ob rem non poterat apud ipsos in jus vocatio fieri, sed tantum secuta apud magistratum in jus vocatione, dies dicebatur, seu citatio fiebat; item cognoscebant ipsi de caussa, et sententiam pronunciabant, debebant tamen ab executione sententiæ abstinere, facienda tantum ab eo, qui judicem dedisset; neque poterat judex datus auctoritate sua alium judicem dare. Ista disciplina judiciorum cessavit paullo post tempora Justiniani, præsertim in occidente, in quo quicumque jurisdictione pollerent, suos delegatos designabant in urbibus et pagis qui passim *missorum* nomine appellabantur, et per se judicia exercebant, nullis datis judicibus, quemadmodum constat passim ex legibus Longobardorum et Caroli Magni. Restitutis deinde romanarum legum studiis, præsertim post repertos pandectas florentinos, nomina illa delegatorum, et judicum datorum apud veteres satis discreta confundi cœperunt, quasi utrorumque idem ac unum fuisset officium, una, eademque potestas, quod ignoscendum erat illius temporis jureconsultis, qui crassiores tenebras barbarie sæculorum obductas tenuiores reddere potuerunt, non penitus disperdere, ac dissipare. En caussam, quare indiscriminatim delegatis pontificiis accommodari cœperunt variæ regulæ, quæ modo de delegatis, legatisve romanorum magistratuum et dignitatum, modo de judicibus datis constitutæ fuerunt. En perspicuum rei hujus exemplum. In eo tunc romani juris interpretum vulgus hallucinabatur, quod non satis distinguerent delegatos, quibus mandata jurisdictio fuerat, abs judicibus datis, et quoties legissent, delegatum posse judicem dare, l. 5, eod. de judiciis, colligebant, et delegatum posse jurisdictionem sibi mandatam alteri, mandare. Id quoque receptum fuit, moribus confirmatum, constitutionibusque probatum in pontificiis delegatis, arg. capitis ult. de offic. del. et clarius in capite 6, et 18, quod perperam a Gonzalezio tribuitur Lucio III, quando Innocentius III, in capite 27, eod. illud tribuit Alexandro III. Ceterum nova hæc, utut ex errore in romano jure inducta disciplinæ ecclesiasticæ forma non ideo erit a quoquam improbanda, cum tota hæc mandatæ jurisdictionis ratio, et vis a voluntate mandantium pontificum pendeat qui propterea significare aliter potuerunt voluntatem suam, quam romanæ veteres regulæ ferrent. Neque obstat capitulum 34, de offic. deleg. ubi adversus subdelegationem a delegato factam excepitionem propositam fuisse deprehenditur; si enim integra facti species expenditur, liquebit, eum qui excipiebat, non regulam opposuisse, qua subdelegationes delegatorum rejicerentur, sed subdelegationem admittere noluisse, quod qui subdelegationem obtinuerat, subreptitio vel obreptitio rescripto uteretur. Post istam receptam disciplinam, illud præterea veluti consectarium tradi cœpit, posse delegatum vel totam jurisdictionem suam alteri subdelegando mandare, vel partim tantum, quod ita intelligendum est ut vel principium, vel medium, vel finem caussæ subdelegato committat, dicto capite 18. Qua in re, ubi tota definiendæ caussæ potestas subdelegatur, a subdelegato sententiam dicente non subdelegans, sed summus pontifex appellatur, nisi forte subdelegatus tanquam suspectus recusetur; nam tum si nihilominus in caussa processerit, ad subdelegantem appellatio conceditur: ast ubi tantum subdelegato mandatum fuerit, ut initio ad caussæ cognitionem procedat, vel eam usque ad definitivam sententiam prosequatur, reservata subdeleganti pronunciatione sententiæ, ipse subdelegans ab interlocutoria, a qua appellari juxta juris regulas liceat, appellabitur, dicto capite 27. Exceptio est, si delegatus alteri condelegato vices suas subdelegavisset, aut si delegatus subdelegatione facta excommunicatus fuisset, aut si alteruter ex collitigantibus delegato jurisdictionem competere denegaret, proindeque subdelegato ideo parere recusaret, quod nullam esse, et irritam delegati potestatem contenderet; his enim in casibus ad sedem apostolicam introducenda erit appellatio, capite 3, 10 et 14, de offic. et potest. judic. deleg. in 6. Suas quoque patitur exceptiones generalis illa regula de delegato jurisdictionem

subdelegante. Neque enim primo subdelegatio admissa fuit, si caussa maxime gravis esset, capite 3, de offic. jud. deleg. Secundo, quamquam si mandatum esset delegato, ut personaliter negotium exequeretur, posset nihilominus ille, dummodo consentirent colliligantes, alterum subdelegare, non tamen id facere poterat, si personæ fidem, et industriam elegisse summus pontifex visus fuisset, capite ult. eod. tit. capite 12, eod. tit. in 6. Tertio neque admittebatur subdelegatio, si delegatus malitiose se exonerare officio voluisset, capite 28, de officio et potest. jud. deleg. juncta Clement. un. eod. tit. Quarto denique, si de mero executore ageretur, capite ult. § ult. de officio, et potest. jud. deleg. aut de eo, qui delegatus proponeretur ad recipiendos testes, quia, ut ait Gregorius IX, in dicto capite ult. § ult. *non jurisdictio, sed certum ministerium potius committitur in hac parte.* Fateor tamen, recentioribus sæculis aliter definitum fuisse in concilio viennensi juxta clementinam unicam de offic. et pot. judic. deleg. in cujus conspectu liquet, licite posse committi vices suas ab judicibus super receptione testium in caussa civili, aut ab executoribus apostolicis ad providendum aliquibus clericis designatis, si per inquisitionem solertem eos esse vitæ laudabilis, et conversationis honestæ repererint. Interea vero vetus juris regula adhuc observabitur, ubi judices super receptione testium in caussa criminali deputati fuerint, aut ubi executores ad providendum aliquibus dati non solerter inquisiverint in vitam, et mores clericorum, quibus conferri beneficia debeant; ad has enim species memorata Clementis V, constitutio minime pertinet.

Nunc ea prosequamur, quæ ex juris romani disciplina ad pontificios delegatos derivata sunt ex quadam similitudine officii ipsorum cum officio vel delegati a principe, populo, aut senatu, vel judicis dati. Quod jure romano legati nihil haberent proprium, et aliena jurisdictione uterentur, leg. 1, § 1, ff. de officio ejus, leg. 17, ff. de jurisdict., merito in delegatis pontificiis receptum fuit, ut non suo, sed pontificis nomine agere intelligantur, inde in primis fines mandati, sive rescripti adamussim sequi debeant, capite 13, 15, 21, 31 et 35, de officio judic. deleg., deinde, ut respectu caussæ mandatæ ordinariis majores habeantur ita ut ordinarios quoque ipsos coercere censuris ecclesiasticis possint, ubi iidem delegatorum jurisdictionem aut turbaverint, aut impediverint, cap. 11, eod. Licet autem ordinariis præcipiatur generaliter, ne adversus delegatos apostolicos aliquid moliantur, cap. 24, in fine de rescriptis, si tamen forte nimis asperam delegati sententiam putent, vel iniquam, facultas eisdem conceditur, instandi apud delegatum, ne interea sententiam exequatur donec et caussæ, et dictæ sententiæ ratio apud summum pontificem dignoscatur, cap. 8, de offic. jud. deleg., imo et delegatis præceptum prudentissime fuit, ut in corrigendis, coercendisve refragantibus ordinariis certum modum servent, quemadmodum adparet in cap. 2, eod. tit. in 6. Insuper, quod romano jure certum sit, semel mandata jurisdictionem mixtum quoque imperium mandatum censeri, idest eam auctoritatem, quæ consistit in plectendis iis, qui jurisdictioni resistunt, utpote sine quo imperio inanis propemodum, et vacua jurisdictio videretur, ita delegatus a pontifice maximo facultatem habet censuras infligendi adversus eos, qui mandatis non parent, cap. 1 et 4, § 4, cap. 5, 7, 11, 21, § *Sexta* in fine, cap. 26 et 28 de offic. jud. deleg. Præterea, quod juxta romani juris principia is, cui mandata erat jurisdictio, sententiam a se dictam exequi poterat, ea quoque facultas concessa fuit pontificiis delegatis, anno ad ejusdem sententiæ executionem concesso, cap. 26, eod. tit., qua in parte distinguuntur etiam ex jure decretalium delegati abs judicibus datis; isti enim semel pronunciata sententia officio suo functi sunt nec quid amplius eis superest potestatis, reservata omnino executione sententiæ iis, qui eos dederunt, cap 4, de foro compet., juncta l. 15, ff. de re judicata. Potest autem delegatus executionem sententiæ ordinario mandare, quo tamen non exequente, adhuc liberum est delegato ad executionem progredi, cap. 7 et 28, vers. *quia vero* de offic. jud. deleg. Item ex eo, quod non unus tantum, sed etiam plures dirimendis litibus judices jure romano dari poterant, l. 76, ff. de judiciis, l. 17, § 2 et 5, l. 18, ff. de receptis, l. 36 et sequentibus, ff. de re judicata, ita plures ad certam dirimendam controversiam constitui delegati pontificii consueverunt, cap. 16, 17, 21 et 22, de offic. jud. deleg.; et quidem si uno tantum rescripto pluribus delegatio fiat, plana res est, omnes mandatam jurisdictionem habere. Quid tamen si diversa ad diversos obtenta fuere rescripta? Si in posteriore non facta fuerit prioris mentio, irritum posterius erit, data intra annum facultate procedendi in caussa delegato in priore rescripto designato, quo tamen non procedente intra annum, posteriore rescripto delegatus ipse procedet, quemadmodum superius jam observavi, quum agerem de rescriptis pontificum maximorum. At si posteriore rescripto obtinendo prioris mentio facta fuerit, jurisdictio prioris delegati irrita fiet, quoties prius rescriptum fuit per posterius abrogatum, et tum demum, cum de abrogatione non constet, uterque sive in priore sive in posteriore rescripto delegatus in caussa procedet; ita ut si non conveniant, arbiter communi collitigantium voluntate jungendus sit, unde ejus delegati sententia prevaleat quam adjunctus arbiter probaverit, cap. 14 et 16 de rescriptis, cap. 6, eod. tit. in 2, collectione

Regulariter ubi plures delegati fuerunt, debent omnes ad unum usque in caussa procedere, cap. 16 de offic. jud. deleg. l. 37 et 39, ff. de re judicata, nisi tamen qui procedere recusant, ceteris condelegatis vices suas subdelegaverint, cap. 6, de offic. jud. deleg. Hodie vero ad faciliorem caussarum expeditionem solent pontifices maximi tales adjicere clausulas, quibus indicant, unum tantum, vel duos ex pluribus delegatis, non vocatis ceteris, jurisdictionem explicare valere, cap. 21, 23. 30, eod. tit., ita, ut, qui præveniunt, ceteros perpetuo ab officio excludant, nisi prævenientes infirmitas, aut alia justa caussa, ne litis diremtionem prosequantur, impediat, cap. 8, eod. tit. in 6. Item hodie potius ex tritura fori, quam jure scripto obtinuit, ut, qui rescriptum ad plures disjunctive delegatos impetravit, ipse judicem eligat, ab altera parte, nisi justæ suspicionis caussæ allegentur, minime recusandum; quod tamen nonnullis displicuit, quod reprobatam hanc disciplinam invenerint in jure romano, l. 47, ff. de judiciis.

Temporibus Gregorii IX, nihil adhuc singulare constitutum fuerat de qualitatibus judicum delegandorum. Quamobrem aut ad naturalis tantum æquitatis regulas omnia exigebantur, videlicet ut is delegaretur, qui prudentia, et non mediocri juris doctrina polleret aut ad regulas romani juris respiciebatur, ubi de ætate delegandi judicis quæreretur. Nimirum quamquam judices regulariter esse nequirent, nisi annis vigintiquinque majores, quasi infirma essent minorum suffragia, l. 6, § 1, ff. de decurion., l. 8, ff. de muner., et honor., et tantum ex consensu partium judices dari possent decem et octo annis majores, qui deinde, si minores annis viginti essent, non compellebantur judicare, l. 41, ff. de receptis, l. 57, ff. de re judicata, tamen princeps decem et octo annis majorem designare judicem potuit, dicta l. 57, ne denegatum principi videretur, quod collitigantibus concedebatur; proindeque et maximi pontifices eandem sibi facultatem adseruerunt, cap. 41, de offic., et pot. jud. deleg. Primus Bonifacius VIII, specialiter cavit, ut nemo deinceps delegatus daretur, nisi dignitate, aut personatu, aut canonicatu, in cathedrali ecclesia potiretur, cap. 11, de rescriptis in 6. Amplius progressus est Clemens V, qui in clement. 2. de rescript. statuit, principalem quidem officialem episcopi, seu vicarium generalem, item religiosum obtinentem prioratum conventualem posse delegatum dari, non tamen officialem, seu vicarium foraneum, aut religiosum prioratum claustralem habentem. Nomine prioris claustralis intellige eum, qui vices prioris conventualis in monasterio gerit, quasi subpriorem: dicitur autem claustralis quod in claustris jugiter manere juxta monasticam regulam tenebatur; uti explicat Ducange ad verba; *Prior claustri, vel claustralis*. Arctius eam disciplinam contraxit concilium tridentinum in sess. 25, de ref. cap. 10. Nihil addo in præsentia, cum tridentinum istud decretum jam in prima dissertatione expenderim; quum de judicibus synodalibus agerem. Tantum dico, nihil seu ex Bonifacii VIII, seu ex Clementis V. rescripto, seu ex tridentina constitutione detractum esse facultati jam olim delegatis apostolicis factæ subdelegandi; postquam enim per novas illas constitutiones certarum personarum fidei delegatio committi cœpit, adhuc potuerunt illi vices suas aliis committere, dummodo eum subdelegarent, qui eisdem qualitatibus polleret quales in delegatis requiruntur; siquidem ad hanc speciem nec bonifaciana, nec tridentina constitutio, extendi posse videtur, quemadmodum colligi facile potest ex rescripto Bonifacii VIII, dicto cap. 11, vers. *in nullo* in fine de rescript. in 6., ubi tantum prohibetur delegatus, ne subdeleget caussam sibi commissam illi, qui simili non sit præditus qualitate. Neque aliter sanxit Clemens V. post bonifacianum rescriptum, dum permisit, ut subdelegatio certis in casibus admitteretur a delegatis facta, qui essent meri executores, aut qui constituti essent ad recipiendos testes in caussa civili quod sane non obtineret, si subdelegationes omnes abolitæ bonifaciano rescripto fuissent. Quid his subdelegationibus obesse potest tridentinum decretum, quando nihil aliud in animo habuerunt tridentini antistites, quam bonifacianæ constitutionis sententiam pressius urgere, ejusque intimam sententiam melioribus adhuc propositis regulis confirmare? Præterea olim quidem non erant certa designata loca, in quibus delegati a sede apostolica jurisdictionem exercere tenerentur, argumento canonis 4, et passim cau. 3, qu. 6. Verum cum in concilio lateranensi sub Innocentio III celebrato nonnulli rescripta impetrantes ea disciplina abuterentur ad adversarios suos defatigandos statutum fuit, ne ultra duas dietas (nomine singularum dietarum viginti milliariorum distantiam intelligo, l. 3, ff. de verb. signific.) prætextu apostolicæ delegationis quisquam extra suam diœcesim traheretur, nisi consentione partium ad remotiores judices directum rescriptum impetratum fuisset, cap. 28 et 29, de rescriptis. Deinde a Bonifacio VIII decretum fuit, ut, si, actor, et reus ex eadem diœcesi fuerint, vel civitate, extra ipsas, nisi consensu litigantium, delegatus dari non possit, nisi vel episcopus ipse, vel capitulum cathedralis Ecclesiæ, vel civitas ipsa contra aliquem, vel aliquis contra ipsos delegationem impetrent, vel nisi civitas, aut diœcesis esset actori, aut reo minus tuta, quibus tamen in casibus non ultra dietam trahi collitigans queat. Quod si actor, et reus diversæ sint diœceseos, cautum saluberrime fuit, ut in diœcesi rei delegatus ab actore impetretur nisi

suspicio ab actore non levis respectu judicum diœcesanorum allegetur, qua tamen iterum in specie reus ultra unam dietam minime trahatur, cap. 11, vers. *cum vero*, et vers. *cum autem* de rescriptis in 6.

Delegatus apostolicus rite constitutus reum citare debet, et caussam prosequi in civitate, vel in diœcesi, in qua est deputatus, nisi aliter inter litigantes ipsos communi consensione conveniat, dicto cap. 11, vers. *in nullo*; et in judicium vocatis de sua delegatione fidem perspicuam facere, ut noverint litigantes dati judicis potestatem, argumento capitis 21, et 40, de offic. jud. deleg. Quid vero, si reus conventus datum judicem tanquam suspectum recuset? Justæ suspicionis caussæ in jure probantur, si delegatus sit dominus impetrantis, capite 17, eod. tit, si sit concanonicus, aut officialis illius, qui rescriptum impetravit, capite 25 et 35, eod. titul.; aliæve, quæ contra ordinarios judices proponi possunt. Plane erunt istæ proponendæ ante litis contestationem, nisi forte de novo post litem contestatam emergant, dicto capite 25, et capite 4, de exception., iisdemque propositis non erit a delegato ulterius procedendum, ne ad faciendam quidem subdelegationem, quousque non constet, eas caussas aut illegitimas esse, aut temere objectas, capite 5, de officio deleg. in 6. Earum caussarum probatio coram electis arbitris erit facienda, capite 41, de appellation., concessa ab eisdem arbitris, ubi æqua id suggerat ratio facultate pontificem maximum appellandi, capite 41, vers. *Tertio*, et capite 61 de appellation., nisi tamen plures sint condelegati; tunc enim, uno ex iis tanquam suspecto proposito, condelegatus alter de suspicionis caussa cognoscet; aut nisi delegatus sit officialis episcopi; tunc enim, episcopus de suspicionis caussa judicabit, capite 4, de officio deleg. in 6, quemadmodum et ubi subdelegatus tanquam suspectus recusatur, ad subdelegantem pertinebit caussas perpendere suspicionis, capite 17, vers. *Cum vero* de officio deleg. Illud delegatis judicibus observandum præcipiunt sacri canones, ut gratis omnia expediant nihilque a litigantibus recipiant, ne adsessorum quidem prætextu, capite 10, de vita, et honest. cleric. Exceptionem adjecit Bonifacius VIII, in capite 11, vers. *Insuper*, et sequentibus de rescript. in 6, nisi forsan esculentum, vel potulentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi diebus possit, vel nisi cum delegatum propter caussam sibi commissam contigerit extra suum domicilium proficisci; tum vero modus pro impensarum ratione servandus, imo si pauperes fuerint litigantes, ne hæc quidem exceptio locum habebit; vel nisi necessarium sit, assessorem consentientibus collitigantibus eligendum adsumi, adsignato ipsi salario, provide ex delegati officio moderando; quod etiam servandum præcipitur pro salario notariorum, ita tamen, ut cavendum sit delegato, ne de salario sive adsessori, sive notario præstituto quoquo modo participet.

Extinguitur delegatio morte delegati, nisi dignitati potius, quam personæ facta deprehendatur; tunc enim ad successorem in dignitate caussæ cognitio devolvitur, argumento cap. 7, de rescriptis, et cap. 42 de offic. iud. deleg., Novella Justiniani 134, cap. 6. Id adeo verum est, ut si plures non disjunctive, sed in solidum delegati fuerint, morte unius, etiam ceterorum jurisdictio irritetur, nisi qui mortuus est, condelegatis jam mandavisset vices suas, et condelegati jam judicium cœpissent, c. 30, de offic. jud. deleg. Idem fere dicendum est, si mortuus fuisset pontifex maximus, qui eum delegaverat. Quamquam enim certis in casibus, ut superius observandum fuit, aliud vigeat in legatis apostolicæ sedis, juxta capitulum 2 de offic. leg. in 6, idem tamen delegatis judicibus denegatur, argumento dicti cap. 30, nisi jam cœptum judicium fuisset, sive aut facta jam citatio, aut etiam secuta litis contestatio, juxta capitulum 19, et 20, de offic. juxta capitulum 19 et 20, de offic. jud. deleg., de quibus jam superius nonnulla adnotabam, cum de modis quærerem, quibus rescripta pontificia irrita fiunt. Exceptio est in mero executore, cap. 9, de offic. jud. del. in 6, et fidei gratia in inquisitoribus adversus hæreticam pravitatem constitutis, capite 10, de hæret. in 6, quorum officia etiam post mortem pontificis perseverant. Denique vix opus est adnotare, dicta sententia cessare jurisdictionem in delegato, tantum manente suprema jurisdictionis parte quæ in executione sententiæ consistit, intra annum necessario explicanda, capite 2, de offic. judic. deleg., item cessare eandem jurisdictionem revocatione pontificis maximi, aut caussa ex cessione delegati ejusdem ad pontificem maximum translata, argumento capitis 5, de officio legati.

CAPUT V.

De sede pontificis maximi vacante, et successoris electione.

Huc referenda est pars tituli 6, lib. 1, et tituli 9, lib. 3.

Quod in universis episcopalibus Ecclesiis, sive de jurisdictione episcopali a clero, vel capitulo exercenda, sive de designandi successoris facultate, jamdiu ab apostolicis temporibus usque ad recentiora sæcula viguit, illud ipsum etiam observatum esset in Ecclesia romana, dum vacaret, sive in suprema interim explicanda potestate pontificali, sive in designatione successoris facienda, nisi, qua ob muneris gravitatem, qua ob plura identidem suborta schismata, quibus ob supremam illius

Ecclesiæ dignitatem nemo erat, qui commode posset occurrere, singularia nonnulla constituenda fuissent, cap. 6, in fine de electione. Ex eo factum est, ut inconstans ea disciplina fuerit, et variis vicibus obnoxia, quibus modo illorum, ad quos pertinet ea sede vacantem Ecclesiam regere, certis finibus coercenda jurisdictio fuit, modo quidam, qui ad electione concurrere potuissent, a suffragiis excludendi fuerunt, modo etiam a religiosissimis, potentissimisque principibus imploranda præsidia, quibus legitimæ electiones confirmatæ sine contradictione turbarum ad schismata pronarum ad effectum producerentur. Quamobrem non aliam in hac re ponendam regulam puto, quam istam: nimirum ea omnia, quæ in cathedralibus Ecclesiis vacantibus jure communi vigent, et in vacante Ecclesia romana vigere oportere, nisi adpareat singularibus legibus detractum illis fuisse; atque ideo, si proponatur specialis quædam disciplina in romana Ecclesia observanda, eam non aliter recipiendam quam si de jure speciali constet, quo eadem recepta fuerit, aut confirmata. Et revera, si in cathedralibus universis episcopalis jurisdictio devolvitur ad clerum cathedralis Ecclesiæ, scimus olim in Ecclesia romana devolutam fuisse ad clerum ejusdem Ecclesiæ romanæ, cujus rei argumentum suppeditat canon 26, distin. 50, ubi vacante pontificia sede deprehenditur romanus clerus Cypriano ex Africa consulenti rescripsisse. Item si in cathedralibus Ecclesiis successoris episcopi electio jure communi ad clerum, et populum civitatis spectat, ad clerum quoque, et populum romanum pertinuit olim ante singulares editas constitutiones electio romani pontificis, quo respexisse videtur auctor canonis ultimi dist. 79, neque enim recipienda est illa fabella evulgata de Petro apostolo, quasi ipse suffragio suo sibi successorem designaverit, uti legitur inter cetera in can. 2, cau. 8, qu. 1, utpote quæ impostorum monumentis innititur, non germanis ac fidelibus testimoniis.

Itaque, ut liquet, tota disputatio eo reducitur, ut, quæ singularia pro temporum varietate inducta sunt, investigemus. Primum singulare quidquam definiri cœpit temporibus Bonifacii I. circa annum 419. Cum enim mortuo Zozimo clerus, et populus divisissent suffragia inter Bonifacium et Eulalium, nec dirum inde subortum schisma, nisi facto 250, episcoporum concilio, et post curam ecclesiasticæ pacis in fidem Augusti receptam, pacatæ res fuissent, declarata tandem legitima Bonifacii electione Bonifacius idem futuræ successoris sui electionis præsidium ab Honorio Augusto imploravit, ut quid opportunius videretur, id ille legatis pontificiis eam ob caussam missis significaret can. 1, distin. 97. Hinc statutum generaliter in primis, ut nemo per ambitum apostolicam sedem conscendere moliretur, deinde speciatim ut, si forte ordinati duo inter medium schisma fuissent, uterque jure caderet, et ad novam electionem deveniretur, can. 2, distin. 97, juncto can. 8, dist. 79. Renovanda fuit prudentium antistitum solertia sub finem quinti sæculi, quum Anastasio II vita functo acerrimum aliud schisma emersit conatibus Laurentii electi adversus Symmachi electionem; etenim post confirmatam electionem Symmachi in concilio anni 499, cautum fuit, ut nemo pactionibus electionem subjiceret et ut inter plures electos is semper præferretur, in quem major eligentium pars consensisset, can. 2 et 10. distin. 97. Præterea jamdiu post susceptum a christianis imperatoribus singulare romanæ Ecclesiæ patrocinium, obtinuerat, ut plurimum in electione pontificiis illorum voluntati deferretur, quasi jus consentiendi in electionem, quod romanus populus antea explicaverat, præcipue apud imperatorem inesse videretur, præsertim postquam tradi cœpit, potestatem omnem a populo romano in principem suum fuisse translatam, l. 1, ff. de constitut. Princip. Hinc, ut puto, profectum est, ut quinto et sexto Ecclesiæ seculo ii ut plurimum eligerentur pontifices, qui imperatoribus, aut regibus in Italia dominantibus accepti essent; cujus rei exemplum esse potest, aut in Leone Magno legatione functo apud Alaricum regem, qui romanam urbem potestati suæ subjecerat, aut in Hilaro legatione functo apud orientales imperatores, aut in Hormisda, qui regi Theodorico Italiam occupanti acceptus erat. Patrocinio quoque Justiniani imperatoris et potissimum Theodoræ Augustæ, obtinuit Vigilius pontificatum maximum etiam contra Silverium. Scimus insuper, Pelagium Vigilii successorem apocrysarii munere functum apud imperatorem olim fuisse, quod officium etiam gessit Gregorius Magnus, ex quo facile colligitur, imperatoris gratiam legationis bene gestæ tempore conciliatam non parum ipsis valere potuisse, ut eorundem electio rite a clero romano facta sine contradictione reciperetur.

Magnum illud romanorum imperium, quod soliditate sua æternum civibus videbatur, armorum vi ac potestate finitimos deterrebat, remotos quoscumque pene ad invidiam concitabant, fama denique sui fere omnium ætatum regna facile superavit, adeo post Justiniani ætatem, sive sub finem sexti sæculi, in frustula divisum fuit, ut non amplius imperium dici, sed imperii reliquiæ potuisset. Hinc autem evenit, ut quemadmodum in interitum fere adducta sunt, quæ publicam civium politiam olim stabiliverant, ita in ea parte etiam politia ecclesiastica formam mutaret, in qua romani imperatores quidquam agere ex consuetudine valerent. Itaque easdem cum imperio vices patiebatur potestas adsentiendi electionibus pontificum maximorum, et, prout imperium modo a Græcis abibat, modo Græcis restituebatur,

ita modo imperatoris græci a quocumque jure abstinebant, modo jure quæsito juxta formam veterem experiebantur. Quod ut percepiatur, notandum est, Longobardos Italiam et Romam occupavisse circa annum 577, et tempore Pelagii II. Rediit ad Grecorum imperium urbs circa annum 630, penes quos permansit usque ad annum fere 780. Itaque videamus in primis, quid viguerit sub Longobardis per annos quinquaginta et amplius, seu ab anno 577, usque ad annum 630, deinde qui viguerit iterum sub Græcis per annos 150, seu ab anno 630, usque ad annum 780. Plane anno 577, incidimus in tempora Pelagi II., ad cujus electionem nulla imperatoris jussio accessit, ex eo quod Longobardi tunc obsiderent urbem romanam, uti adnotat auctor pontificalis in vita ejusdem Pelagii. Quamobrem quousque pristinam libertatem non recepit Roma, nullæ omnino fuerunt imperatoris in electione pontificum partes. Tantum romanus populus, aut qui erant in populo optimates et proceres, qui suo præsidio vices quodammodo imperatorias gerere posse ad tuendam Ecclesiam videbantur ad electionem a clero faciendam admittebantur, can. 6, dist. 79, imo, ut quoad fieri posset, imperatori certus honos deferretur, is eligi consueverat ex prudentia romani cleri, cujus bonam apud imperatores gratiam agnovissent. Sic post mortem Pelagii II electus fuit Gregorius Magnus bene olim functus legatione constantinopolitana, et simili de caussa electus est post obitum Gregorii Bonifacius III, uti adnotavit Baronius ad ann. 606 num. 1. In his. ipsis temporum adjunctis idem Bonifacius, ad evitandas præproperas electiones, et studia quorundam insigni ambitu notandorum, statuisse fertur, ut nonnisi post tertium diem a tumulato defuncto pontifice de successore eligendo tractare quisquam præsumeret; tum vero convocarentur ad eandem et clerus, et filii Ecclesiæ, quorum sane nomine ego intelligo optimates, et proceres vetera populi jura quasi vice principis explicaturos, can. 7, distinct. 79. Quænam fuerit hujus decreti caussa si quæratur, ego conjicio, eam extitisse, quod Bonifacius certum tempus præterlabi voluisset ab obitu pontificis ad electionem successoris, ut desiderium imperatoris exquireretur, aut saltem exarchi imperatorii, qui Ravennæ consistere solebat, juxta illud, quod notat Platina in vita Severini ad annum 638, his verbis; *Vana tunc habebatur cleri, et populi electio, nisi eam imperatores, aut eorum Exarchi confirmassent.* Interea tamen Gothis urbem occupantibus, et vexantibus, sustinendum fuit, ut electionis factæ confirmatio a regibus longobardis postularetur, quæcumque tandem illius confirmationis vis haberetur; quæ nec concedebatur, nisi soluto certo eidem regi tributo, uti colligitur ex Cassiodoro in libris variarum et Gregorio Magno in commentario quarti psalmi pœnitentialis. Evasit tandem jugum Longobardorum romana civitas post initium sæculi septimi, tum vero iterum exhibitura vetus in constantinopolitanos imperatores obsequium, post electionem a clero consentiente populo factam, consuetudine recepit, ut electus confirmationem peteret ab imperatore apocrysariis, seu responsalibus eam ob caussam ad eundem missis, uti refert Platina in vita Severini, et laudatus auctor pontificialis in Vitaliano; quo tempore imperatores iidem impositum a Longobardis tributum exigere non dubitarunt allegantes, non dedecere, munera illa catholico principi persolvi, quæ antea soluta principi Ecclesiæ infenso deprehenderentur. Res ita sese habuit usque ad Agathonis tempora circa annum 679. Nimirum Agatho a Constantino Pogonato obtinuit, ut, reservata gratia Augusti confirmationis consuetudine, tributum omne remitteretur, uti iterum notat auctor pontificalis in Agathone, can. 21, distict. 63. Imo neque heic constitit Pogonati pietas, et in romanam Ecclesiam benevolentia, ac religio; nam non multo postea, sive circa ann. 685, Benedicto II Papæ concessit, ut quicumque in posterum a clero, populoque in pontificem max. electus fuisset, is statim, et irrequisito imperatore, pro legittimo antistite haberetur. Rursum id testatur auctor pontificalis in Benedicto II. Nemo non intelligit, actum deinceps omnino fuisse de confirmationibus principum constantinopolitanorum, præsertim quod paullo post translatum ab ipsis imperium deprehendatur ad Francos, Pippinum et Carolum Magnum, urbe Roma libertate potita, et temporali etiam suorum antistitum potestati subjecta. Ad ea fere tempora pertinent canones 3, 4 et 5, dist. 79, qui auctorem habent Stephanum IV, ab aliis tertium nominatum. Electus ipse fuerat anno 768., non tamen sine contradictione multorum, qui duos alios, Philippum quendam, et Constantinum adhuc laicum designaverant. Contra hos celebratum fuit sub Stephano concilium, ex quo laudati canones depromti fuerunt; unde intelligimus, qua ratione ibidem statutum adpareat, nequis sedem pontificiam obtinere posset, nisi vel presbyter, vel diaconus esset cardinalis, nimirum ut retunderetur Constantini adhuc laici insolens ambitus, ceterisque laicis aditus ad similia molienda in posterum præcluderetur.

Incidit in hæc tempora disciplina pontificiæ electionis, quæ exhibetur in libro diurno romanorum pontificum, in quo norma erat agendorum a sexto circiter sæculo usque fere ad decimum. Multa ibidem continentur in cap. 2, *de ordinatione summi pontificis*, quæ oppurtunum est hoc in loco commemorare, ut sexti, septimi et octavi sæculi disciplina clarius illustretur. In titulo 1, ejusdem capitis exemplar habetur epistolæ ad exarcum Italiæ scribendæ ab archipresbytero, archidiacono et

primicerio notariorum, qui dicuntur *servantes locum sanctæ sedis apostolicæ.* Per hanc epistolam conscius reddebatur exarchus de morte pontificis, atque his verbis concludebatur: *Post divinum auxilium ad vestram excellentiam, Domine excellentissime, et Deo a nobis multis temporibus concedende, omnes habemus fiduciam. Ecce eventum lugubrem indicavimus, quia ad nostram consolationem humanum alibi non habemus confugium.* Succedit in tit. 2, *decretum de electione pontificis*, in quo post enarratum papæ obitum, et electionis alterius necessitatem dicitur, *in unum convenientibus, ut moris erat, cunctis sacerdotibus, ac proceribus Ecclesiæ, et universo clero, atque optimatibus, et universa militari præsentia, seu civibus honestis, et cuncta generalitate populi romanæ urbis, a parvo usque ad magnum*, suffragia in certam personam fuisse collata, cujus subinde merita enarrantur. Post hæc in titulo 3 subjicitur *Relatio de electione pontificis ad principem,* qua consensu imperatoris postulatur, et in titulo 4, similis propemodum relatio fit *de electione pontificis ad exarchum,* sicut et in tit. 5 conscius etiam redditur archiepiscopus Ravennæ ejusdem electionis, et in tit. 6 ac 7, conscii pariter redduntur Ravennæ judices, atque apocrysarius. Subsequitur in tit. 8. *Ritus ordinandi pontificis.* Concludantur hæc omnia tribus editis fidei professionibus, quarum unam debebat electus pontifex facere.

Translato imperio a Græcis ad Francos non defuerunt, qui scriberent, ab Hadriano papa circa annum 780, factam fuisse imperatori potestatem eligendi pontificem, et ordinandi apostolicam sedem, cujus traditionis monumentum extat in can. 22, dist. 63. Ego apocrypham hanc enarrationem puto, cujus primus auctor fuit Sigebertus scriptor undecimi sæculi, vir suspectæ fidei, quod Henrici imperatoris pontificales investituras sibi adserentis gratiam captare studebat. Neque enim antiquior historicus, ne ex iis quidem, qui Caroli Magni gesta accurate descripserunt, de ea mentionem fecisse deprehenditur, imo hæc ipsa falsitatis redarguuntur in conspectu, et can. 34, dist. 63, et si vera Gratianus narrat, canonis 29, ejusdem distinctionis, ubi proponitur, legatos Ludovici imperatoris, quod, cum Romæ præsentes essent, dum electio pontificis celebraretur, ad electionem invitati minime fuissent, inde tamen adquievisse, cum intellexissent, id factum non in contemptum eorum sed ne in exemplum traheretur, in futuris electionibus legatos principum expectari. Quæ si vera sunt, apocryphum etiam dicemus can. 28, dist. 63, qui tribui solet Stephano IV, alias V, ac proinde referri ad ann. 816, quemadmodum apocryphum judicaverunt Baronius, Severinus Binius, Papebrochius, Natalis Alexander, et alii bene multi. Clarissimus Muratorius in tom. 2, par. 2, rerum italicarum post editos plures canones romani concilii an. 863, et postquam deprehendisset, inter illos canone 11, memorari statutum papæ Stephani, arbitratus est, nomine ejus statuti intelligi laudatum canonem 28, dist. 63. Mihi non videtur Muratorio adhærendum, quasi ex actis romani illius concilii confirmata videatur canonis illius 28, auctoritas, quando sub nomine statuti Stephani papæ commode intelligere possum statutum Stephani III, alias IV, quod refertur in can. 3, 4 et 5, dist. 79. Mortuo Stephano V. successit in romana sede paschalis anno 817, tum vero cum Ludovico imperatore publicæ pactiones initæ, quibus inter cetera confirmata fuit libera penes romanos sui pontificis eligendi potestas, hac tantum adjectione facta, ut consecratus romanus antistes legatos ad imperatorem mitteret, caussa mutuæ sociandæ amicitiæ et pacis, idque ex vetere consuetudine jamdiu cum Pippino, et Carolo Magno observata, can. 30, dist. 63. Quid vero est, quod sub nomine Gregorii IV de electione Hadriani II, retulit Gratianus in can. 29, dist. 63, quando Gregorius IV Hadrianum II ætate præcessit? Pertinet illud ad pontificale romanum, quod cum lauderetur apud scriptores his brevitatis notis *G. R. P.*, quæ significabant *Gesta romanorum pontificum,* canonum collectores, aut eorum amanuenses minus periti incaute legerunt *Gregorius papa,* vel *Gregorius romanus pontifex.* Nihil autem ex eo monumento deducitur, quam electionem Hadriani II, anno 867, a solo romano clero et populo celebratam fuisse. Nomine Leonis IV. refertur apud Gratianum canon 6 dist. 79, quasi editus circa annum 850, ubi cautum, ut electioni romani pontificis nemo ex sacerdotibus, nemo ex primatibus nobilibus, nemo ex universo clero contradiceret. Sed verius tribuendus est Nicolao I, ad annum 863, uti tradidit Muratorius loco supra laudato cujus rei argumentum gravissimum est, quod in romano concilio Nicolai canone 11, eadem fere verba leguntur. Potius Leoni IV tribuendus est canon 31, dist. 63, quamquam apud collectores ea Leonis ad Lotharium, et Ludovicum Augustos epistola desideretur. Opportunum quippe fuerat tunc temporis stabilire, electionem pontificis maximi faciendam esse juste, et canonice quando scimus ex auctore pontificalis in Leone IV, Romanos maxime timuisse, ne quidquam in ejus disciplina immutaretur. Seculo decimo circa annum 960, diro schismati obnoxia fuit Ecclesia romana ejecto Joanne XII, et ejus in locum suffecto Leone VIII, et deinde vita functo Joanne contra Leonem electo Benedicto V. Ab eodem Leone VIII editum ferunt in romana synodo anni 964, canonem 23, dist. 63. Verum canon ille, in quo et memoratur facultas ab Hadriano facta Carolo imperatori eligendi pontificem, jam superius tanquam apocrypha rejecta, a viris eruditis omnino rejicitur, tan-

quam recentioribus temporibus obscuri cujusdam auctoris manu consarcinatus. Addi præterea potest, canonem eundem viribus destitutum esse, propterea quod, etsi genuinus esset, eum auctorem ostenderet, qui illegitima electione fretus potissimum Ottonis imperatoris auctoritate sedem pontificiam occupaverat. Imo Otto ipse imperator aliter de jure eligendi pontificem maximum scripsisse videtur, si verum est, quod sub ejus nomine (nomen Henrici imperatoris ex inscriptione gratianei canonis omnino delendum est) traditur in can. 32, dist. 63, nec non in subjecto canone 33, ubi imperator profitetur, nullas se partes in electione romani antistitis habiturum. Anno 1059, in electionibus romanorum antistitum, sicut et plurimorum episcoporum plura irrepserunt vitia, simoniam fovente avaritia, et ambitu seditiones concitante. Quamobrem Nicolaus II. plura salubria constituisse fertur, inter quæ extant canon 1. dist. 23, can. 1 et 9, dist. 79, ex quibus liquet, cardinales jam tum cœpisse præcipuo suffragiorum jure gaudere, licet una cum ipsis romanus adhuc clerus, et populus admitteretur. Fatendum tamen est cum viris eruditis, ea monumenta fuisse recentiore ætate in parte corrupta ac depravata. Ibidem legitur a cardinalibus episcopis electum pontificem esse consecrandum quasi illi in ea parte metropolitani vice fungantur, item eligendum esse de romanæ Ecclesie gremio, vel ex alia Ecclesia, si in romana idoneus non reperiatur, idque salvo honore Henrici regis, qui futurus imperator sperabatur. Denique facta fuit potestas cardinalibus episcopis cum religiosis clericis, et laicis etiam extra urbem pontificem eligendi, quoties id expedire gravi de caussa judicarent. Paucis huc usque disciplinam indicavi, quæ viguit usque ad duodecimum sæculum, quo tempore Gratianus suum codicem adornavit, cujus ego brevibus verbis monumenta indicavi, non latius persecutus sum, quod eadem jam expenderim in meis animadversionibus, et notis in Gratianum.

Progredior nunc ad recentiorum temporum disciplinam, et quæ in primis adparet ex codice Gregorii IX. Novum subortum schisma temporibus Alexandri III, novæ edendæ constitutioni in concilio lateranensi anni 1178, dedit occasionem, cap. 6, de elect. Nimirum contra Alexandrum a paucis numero cardinalibus electus fuerat primum Octavianus, deinde Guido, postremo Joannes, qui favore, et gratia Friderici imperatoris elati per octodecim annos romanam Ecclesiam turbaverunt. Ad illud schisma, illosque schismaticos referuntur capitulum 5, de electione, et capitulum 1, de schismaticis. In dicto autem capitulo 6, plura singularia deprehenduntur definita; primo, ut soli cardinales ad electionem papæ admitterentur, quod tamen jam ab Innocentii II temporibus moribus obtinuerat; secundo, ut is electus rite haberetur, in quem duæ ex tribus cardinalium partes consensissent; tertio, ut a tertia tantum parte electus una cum eligentibus excommunicationi subjacerent, si aut ille pontificatum gereret, aut isti pontificatum gerenti faverent; quarto, ut simili pœnæ subjaceret, qui a paucioribus, quam a duabus partibus electus a pontificatu non humiliter abstineret, nisi major concordia intercesserit: idest, nisi statim qui consentirent, duas ex tribus partibus, accedente aliquorum ratihabitione, conficerent. In collectione Bonifacii VIII, alia adjiciuntur singularia deprompta ex concilio lugdunensi anni 1273, sub Gregorio X, in cap. 3, de elect. in 6. Exorditur Gregorius, et ait, duo potissimum gravia pericula Ecclesiæ imminere, ubi sedes romana vacat, quorum primum est, si vacatio sedis ejusdem in diuturnius tempus protrahatur; alterum, si discordia in electione pontificis animos eligentium distrahat; proptereaque opportunum esse, ut nonnulla veterum decretis adjiciantur, supplendo potius, quam abrogando Alexandri III, aliorumque pontificum sanctiones. Ita præfatus pergit, et disciplinam conclavis primus instituit, definiens, ut, cum pontifex moriatur in civitate, in qua cum sua curia residebat, cardinales, qui fuerint in civitate ipsa præsentes, teneantur expectare absentes spatio tantummodo decem dierum; quibus elapsis, sive absentes venerint, sive non, ex tunc omnes conveniant in palatium, in quo defunctus pontifex habitabat, contenti singuli singulis tantummodo servientibus clericis, vel laicis, prout duxerint eligendum, nisi patens necessitas postulet, duos ad famulatum adsciscere. Sic congregatis cardinalibus præcipitur, ut in eodem palatio in uno conclavi, nullo intermedio pariete, seu alio velamine, omnes inhabitent in communi, quod, reservato libero ad secretam cameram aditu, ita claudatur, undique, ut nullus illud intrare valeat, vel eo exire; item ut nulli ad eosdem cardinales aditus pateat, nec facultas secrete loquendi cum eis; nec ipsi aliquos ad se venientes admittant, nisi eos, qui de voluntate omnium cardinalium ibi præsentium pro iis tantum, quæ ad electionis instantis negotium pertinent, revocarentur, insuper, ut nulli fas sit ad ipsos cardinales, vel eorum aliquos nuncium mittere, vel scripturam, indicta ipso facto adversus eos, qui colloquia habuerint, vel nuncium, literasve miserint, sententia excommunicationis. Imo ut cautius hæc fierent, statutum est, ut quæ cardinalibus ad victum necessaria forent, per fenestram ad id apertam inferrentur. Quod si intra tres dies electio pontificis secuta non fuerit, statutum est, ut cardinales per quinque subsequentes dies uno ferculo contenti essent, tam prandii, quam cœnæ caussa; elapsis autem etiam quinque diebus, tantum pa-

nem, vinum et aquam accipiant. Insuper adjectum est, ut vacante sede cardinales nihil de camera papæ recipiant, nec de aliis eidem Ecclesiæ tempore vacationis obvenientibus undecumque, sed ea omnia, ipsa vacatione durante, sub ejus, cujus fidei et diligentiæ camera eadem est commissa, custodia maneant, per eum dispositioni futuri pontificis reservanda; qui autem aliquid receperint, teneantur ex tunc a receptione quorumlibet reddituum ad eos spectantium abstinere, donec de receptis plenariam satisfactionem impendant. Præterea mandatur cardinalibus, ut quantocius in electionem incumbant, eamque ob rem ab aliis negotiis vacent, nisi forsan necessitas adeo urgens incideret, ob quam oporteret, eos de terra ipsius Ecclesiæ defendenda, vel ejus parte aliqua providere; vel nisi aliquod tam grande, et tam evidens periculum immineret, cui omnibus et singulis cardinalibus præsentibus concorditer videretur, celeriter occurrendum. Quod si aliquis ex cardinalibus conclave non intraverit, aut intrans absque manifesta caussa infirmitatis exierit, facultas facta est ceteris cardinalibus, eo minime requisito, ad electionem libere procedendi. Si vero ob infirmitatem idem conclave ex eis aliquem exire contingat, ipsa etiam infirmitate durante, potest, ejus suffragio non requisito, electio fieri. Sed si reparata salute, vel etiam adhuc infirmitate detentus redire voluerit, vel etiam si alii absentes post decem superius designatos dies supervenerint, re integra, id est ante factam electionem, admitti in conclave poterint, easdem regulas servaturi. Porro si quando contingat romanum pontificem extra civitatem, in qua cum curia residebat, obire, obligantur cardinales in civitate in cujus territorio, seu districtu, idem pontifex obiit, convenire, nisi sit forsitan interdicta, vel contra Ecclesiam romanam in aperta rebellione persistat, quo casu in alia viciniore conveniant, quæ nec interdicta sit, nec Ecclesiæ romanæ rebellis; eodem ritu observando in ceteris in hac urbe, quod Romæ observaretur, si Romæ pontifex obivisset. In § *Præterea* ejusdem capituli executio hujus constitutionis mandatur dominis, aliisque rectoribus, et officialibus civitatis illius, in qua electio fuerit celebranda, certis ibidem indictis pœnis adversus eos, qui concilii formam non servarent. In § *Cæterum* monentur cardinales, ut sincere, religioseque ad optimi pontificis electionem deveniant, pactionibus omnibus penitus improbatis. Denique in § ult. suadetur universo populo christiano, ut pro optimi pontificis electione preces in Deum enixas fundat, quod ut commodius fiat, episcoporum omnium sollicitudo excitatur. Hæc ipsa constitutio confirmata deinde fuit a Clemente V, in Clement. 2, de elect., ubi tamen nonnulla adjecta fuerunt. Nimirum primo cautum est, ut officia camerariorum, ac pœnitentiariorum morte pontificis non expirent; secundo, si vacante pontificia sede camerarium, aut pœnitentiarium quendam mori contingerit, ut valeat cardinalium cœtus ad tempus vacationis alios camerarios pro numero deficientium, item alios pœnitentiarios etiam in ulteriore numero si videatur concorditer expedire, subrogare; tertio, ut nomine territorii civitatis, in qua pontifex obierit, extra urbem designati in laudato concilio lugdunensi, intelligatur diœcesis; eo etiam adjecto, ut, si in certo loco caussarum, et literarum apostolicarum audientia remanente, pontificem alibi mori contingat, non ibi, sed ubi prædicta fuerit audientia, electio celebretur etiamsi audientia tempore mortis hujus vacare noscatur; nisi forsan ante mortem pontificis papa mandasset curiam trasferri; quarto, si romano non electo pontifice cardinales omnes vel simul, vel successive contingeret exire conclave, ut ii, ad quos pertinet executio juxta constitutionem laudatam Gregorii X, cardinales legitime non impeditos iterum, et, quam cito poterunt, ingredi conclave compellant, ad electionem processuros secundum statum, in quo erant in conclavi unde exiverunt; postremo, ut nullus cardinalium cujuslibet excommunicationis, suspensionis, aut interdicti prætextu, a dicta valeat electione repelli. Confirmari visæ fuerunt hæ constitutiones multis etiam adjectis a Clemente VI. in constitutione *Licet* anni 1351, octavo idus Decembris, ab Julio II, in constitutione *Cum tam divino* anni 1503, 19 calend. Februarii, a Clemente VII, in constitutione *Cum carissimus* anni 1529, pridie nonas Octobris, et in constitutione *Licet variæ* anni 1533, tertio nonas Septembris. Novam edidit constitutionem anno 1558, 17, cal. Januar. Paulus IV, adversus eos, qui ambitu curarent, ut ad sedem pontificiam promoverentur, et vivente adhuc pontifice de successoris electione tractarent. Incipit *Cum secundum Apostolum*. Clarius etiam explicavit laudatas constitutiones, quibus et nonnihil adjecit anno 1562, 7, idus Octobris Pius IV, in sua constitutione, quæ incipit *In eligendis*, et supremam manum admoverunt, Gregorius XV in sua constitutione, quæ incipit *Æterni* anni 1621, 17, cal. Decembris, Urbanus VIII, in sua constitutione, quæ incipit *Ad romani* anni 1625, 5, calend. Februar., Alexander VII, in sua constitutione *Inter cæteras* anni 1669, 9, calend. Novembris, et Innocentius XII, in sua constitutione *Romanum decet* anni 1692, 10, calend. Julii. Prolixa res esset recensere singula his constitutionibus definita. Late singula capita intelliget, quicumque ad illarum lectionem se contulerit in bullario romano; aut apud Camardam episcopum reatinum, qui synopsim edidit earundem constitutionum.

DISSERTATIO TERTIA

DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS ET ARCHIEPISCOPIS

CAPUT I.

De origine, et ratione harum dignitatum.

Sunt episcopi omnes ordine pares, canon. 6, cau. 7, quæst. 1, fuissent etiam omnes, uno demto pontifice maximo, qui jure divino primatum in Ecclesia tenet, pares jurisdictione, si nihil jure positivo ecclesiastico constitutum aliquando fuisset. Quoniam vero ad juris gentium regulas potestatem jurisdictionis exigi, nihil tale prohibente, imo fere suadente divino jure, ob publicam, quæ exinde manat, utilitatem, expedire visum est, ut, sicut media per suprema, ita inferiora per media dirigerentur; placuit, ut non solum romanus antistes episcopis omnibus præsideret; sed constituerentur archiepiscopi supra episcopos, supra archiepiscopos primates, supra primates patriarchæ, supra quos denique pontifex maximus emineret: unde, sicut in ordine varii erant clericorum omnium gradus, ita et in difformi jurisdictione ecclesiasticæ hierarchiæ dignitas, et majestas elegantior, et illustrior redderetur. Non poterat sane hæc disciplina obtinere, nisi quidquam suæ jurisdictionis concederet summus pontifex aliquot episcopis in episcopos alios exercendæ, quando nemo ex episcopis in coepiscopos vi sui episcopatus ingenita ullam habebat prærogativam; eamque ob rem non injuria colligo, præstantiam, quæ archiepiscopis, primatibus, et patriarchis constitutis accessit, cuidam veluti delegationi a pontifice maximo factæ tribuendam fore, quæ quidem ab initio speciale jus dici potuisset, deinde, quod ea in perpetuum facta fuerit, in jus ordinarium evasit; hoc enim est meo judicio, quod ajebat Isidorus in can. 1, dist. 21, *Archiepiscopos vicem apostolicam tenere.* Utilis est generalis ista observatio; ex ipsa enim statim deducitur, qua ratione facilius ecclesiastico jure, atque ex pontificia voluntate, derogatum fuerit recentiore ætate potestati archiepiscoporum, primatum et patriarcharum, quam episcoporum inferiorum; item deducitur, non mirum videri debere, quod superius diximus, si advenientibus in provinciam pontificiis legatis a latere, ab archiepiscopis abstinendum sit ab usu quorundam suæ dignitatis insignium; insuper deducitur, archiepiscopalium, et superiorum illarum dignitatum constitutiones uni romano antistiti reservari; cum ex eo uno fluat illarum universarum potestas, ac jurisdictio, argumento extravag. 5, de præbendis inter communes.

Archiepiscopi dicti sunt, quasi principes episcoporum; quamquam enim recentiore ætate aliquot ex ipsis deprehendantur nullos habere suffraganeos, quibus præsint, sive quod episcopi, qui olim illis suberant, nulli supersint, vel alio translatis, vel prorsus extinctis cathedralibus ecclesiis minoribus; sive quod archiepiscopi nomen, insignia, dignitatemque sine jurisdictione archiepiscopali ex privilegio obtinuerint; regulariter tamen in plures episcopos certam jurisdictionem exercent; quamobrem aliquando nomine diœcesanorum appellati fuerunt, quia diœcesis provinciam significabat, l. un. eod. ut omnes judices; alicubi, præsertim apud græcos, metropolitarum, seu metropolitanorum, quod ut plurimum, in metropolibus urbibus constituerentur, Novella 11, in principio, cap. 11, de offic. judic. ordinar. alicubi nomine senum, vel seniorum, uti apud Afros, quibus nulla fere certa archiepiscopalis Ecclesia erat designata, sed tota archiepiscopalis potestas in seniore episcopo residebat, vix uno excepto carthaginensi primate, qui potius primatialia in universa Africa, quam metropolitica respectu certæ disignatæ provinciæ, jura explicabat. Equidem scio, apud Isidorum hispalensem sub nomine archiepiscoporum designatos fuisse primates, propterea que archiepiscopos a metropolitanis distinctos, quasi a minoribus majores, can. 1, dist. 21. Verum ibidem Isidorus de etymologia potius nominis, quam de re sollicitus erat; nec qui vocabulorum etymologiam expendebat, alios archiepiscopos nominare poterat, quam qui vere principes essent episcoporum, sive primates; præcipue quum satis constare nequeat, an tum apud Hispanos primatum nomen in usu esset, quemadmodum neque erat in usu apud Constantinopolitanos qui primates, seu eos, qui metropolitanis præerant, archiepiscopos nominabant, dicta Novella 11, in principio. De numero episcoporum, qui subesse metropolitano debeant, nihil in sacris canonibus definitum adparet, nisi pro canonum monumentis velimus excipere inanes nugas Isidori Mercatoris, fingentis, decem, vel undecim esse debere uniuscujusque metropolitani suffraganeos, in can. 2, caus. 6, qu. 3. Quamobrem suffraganeorum numerum concludemus pendere ab arbitrio ejus, qui certis de caussis ad novæ metropoleos constitutionem

devenienduni esse pro sua auctoritate decernat, juxta vulgarem et probatam regulam, quæ suadet, a prudenti arbitrio judicis ea pendere, quæ expresse a legibus non definiuntur, dummodo non sit, numerus infra ternarium, argumento l. 85, juncta l. 40, § ult., ff. de verb. significat.

Quemadmodum archiepiscopi hodie nominantur, qui pluribus episcopis præsunt, unamque provinciam regunt, ita primates, qui super archiepiscopos constituti sunt, et patriarchæ, qui etiam primatibus præsident, unusquisque pro modo divisionum constitutæ primatiæ, vel patriarchatus, can. 1 et 2, distinct. 99, cap. 9, de off. jud. ordinar. dicto can. 1, dist. 21. Qui hodie patriarcharum nomine gaudent, non omnes eodem jure censentur. Sunt enim quidam, quibus certa generalis ratio, et antiquæ constitutiones in generalibus conciliis confirmatæ patriarcharum nomen, et dignitatem, jura denique singula concesserunt. Hujusmodi sunt episcopus constantinopolitanus, alexandrinus, antiochenus, et hierosolymitanus, præter romanum, cujus est maxima semper præ ceteris prærogativa, ob maximum adhærentem pontificatum, can. 6, et 7, dist. 65, can. 3, et sequentibus dist. 22, cap. 8, de major. et obed. Alii sunt, qui singularibus quibusdam consuetudinibus, et privilegiis patriarcharum nomen, et insignia sibi vindicaverunt, jurisdictione tamen non facile cum memoratis quatuor orientalibus patriarchis comparandi; tantum eam potestatem in suis provinciis explicantes, quæ archiepiscopis, ac primatibus competit. Hujusmodi est bituricensis episcopus a Nicolao I, in epistola 19, cujus fragmentum est in can. 8, caus. 9, qu. 3, patriarchæ nomine donatus. Hujusmodi est Toletanus post speciale indultum Martini V, anni 1422, apud Garziam in collectione conciliorum Hispaniæ. Hujusmodi etiam olim fuerunt apud Gothos, et Vandalos universi propemodum occidentales episcopi, qui se patriarchas nominabant, uti refert Victor Vitensis in historia persecutionis africanæ, sive vandalicæ lib. 2.

Ut hæc magis perspicue explicentur, observandum est, in vetere civili distributione romani imperii quasdam designatas fuisse civitates imperiali auctoritate, quæ metropoles nominabantur, sive matres urbes certam supra ceteras nactæ dignitatem, qualis fuit Berytus, qualis fuit Tyro, l. un. cod. de metropoli Beryto. Hanc Imperii metropoliticam formam secuti sunt veteres Ecclesiæ patres ita ut in quacumque urbe metropoleos nomine insignita archiepiscopos constituerent, primates etiam si metropolis illa majore quodam ac potiore honore frueretur. Argumenta sunt non solum apud Isidorum Mercatorem in can. 2, distinct. 80, et in can. 1, distinct. 99, verum etiam in antiquissimis germanis monumentis. Laudo canonem 9 concilii antiocheni ita conceptum ex interpretatione Gentiani Herveti: *episcopos, qui sunt in unaquaque provincia, scire oportet, episcopum, qui præest metropoli, etiam curam suscipere totius provinciæ, eo quod in metropolim undequaque concurrunt omnes, qui habent negotia, unde visum est, eum quoque honore præcedere; reliquos autem episcopos nihil magni momenti adgredi sine ipso ut vult, qui ab initio obtinuit, patrum canon, etc.* Laudo insuper canonem 17, concilii chalcedonensis ita conceptum: *Si qua civitas potestate imperiali novata est, aut si protinus innovetur, civiles dispositiones, et publicas ecclesiasticarum quoque parochiarum ordines subsequantur.* Addi potest concilium taurinense temporibus Siricii celebratum, in quo ita lego can. 3. *Illud deinde inter episcopos urbium arelatensis et viennensis, qui de primatus apud nos honore certabant, a sancta synodo definitum est, ut, qui ex eis adprobaverit, suam civitatem esse metropolim, is totius provinciæ honorem primatus obtineat, et ipse juxta canonum præceptum ordinationum habeat potestatem.* Forte diutius, aut perpetuo perduravisset sic stabilita disciplina, nisi duo exinde gravia emersissent incommoda. Primum suboriebatur ex frequenti mutatione regiminum ex scissione imperiorum profecta, unde fiebat, ut huc illuc annuis fere vicibus metropoles transferrentur. Alterum ex ambitu quorumdam episcoporum, qui importunis precibus apud principes instabant, ut civitas, cui præerant, in metropolim erigeretur, eaque ratione a suo metropolitano eximerentur ipsi; et metropolicam dignitatem induerent. En rationem, quare Innocentius I, in epistola 18, ad Alexandrum episcopum antiochenum, qui patriarchico jure de divisione metropoleon decreturus erat, ita scripserit: *Quod sciscitaris, utrum divisis imperiali judicio provinciis, ut duo metropoles fiant, sic duo metropolitani episcopi debeant nominari, non vere visum est, ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari, honoresque, aut divisiones perpeti, quas pro suis caussis faciendas duxerit imperator.* Referuntur hæc nomine Nicolai I, in can. 1, dist. 10. En insuper caussam, quare concilium chalcedonense in can. 1, dist. 101, aliud statuerit occasione controversiæ concitatæ inter Photium Tyri, et Eustathium Beryti episcopos; quando Eustathius ex ambitu impetraverat ab imperatoribus ut æquo jure metropolis Berytus esset, ac erat Tyrus, dicta l. un. cod. de metropoli Beryto, unde se faceret Photio parem. En denique caussam, quare Gelasius semel constitutas diœceses, seu metropolitica jura, perpetuo immutabilia esse dixerit in can. 5, caus. 16, q. 3.

Diversa sane ratio fuit constituendarum patriarchalium Ecclesiarum, quarum forma primam originem habuit ex singulari reverentia in Petrum apostolorum principem, et ejus

successores in episcopatu semel, et quandocumque susceptos, quo spectat, quod scribebat Innocentius I, in epistola modo laudata ad Alexandrum antiochenum de honore antiochenæ sedis; ibi: *Advertimus, non tam pro civitatis magnificentia hoc eidem attributum, quam quod prima primi apostoli sedes esse monstretur, ubi et nomen accepit religio christiana, et quæ conventum apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit, quæque urbis Romæ sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum apud se, consummatumque gaudet.* Antequam enim Petrus apostolorum princeps Romam venisset, pontificatum maximum in eadem urbe constituturus, et antiochenam per se Ecclesiam rexerat, et alexandrinam per Marcum discipulum. Eam ob rem sedes illæ singulari honore insignitæ patriarchales dici cœperunt, visæque sunt dignæ, quibus majora quædam jura, quam ceteris, concederentur. Summo igitur jure duæ dici possunt patriarchales Ecclesiæ præter romanam, nimirum alexandrina, et antiochena, quamquam et in hoc Petrus visus fuerit secutus publici regiminis formam, dum tanquam princeps episcoporum omnium clarissimas urbes selegit, in quibus gereret episcopatum. Alexandriam totius Ægypti principem, Antiochiam reginam orientis, in qua primos christianos fuisse testatur S. Lucas in actis cap. 11, vers. 27, et Romam toti imperio dominantem. Multo postea numerum patriarchalium Ecclesiarum auxerunt, quasi privilegiario jure, Ecclesia hierosolymitana, et constantinopolitana; illi enim singularis honor accessit, quod Hierosolymis omnia fere redemtionis nostræ mysteria cœpta, absolutaque fuerint a Christo Domino; isti, quod, translato ab urbe Roma Constantinopolim imperio, tanquam nova Roma haberi cœpit, concessumque, ut, quoniam pontificatus maximus idemque unus et individuus penes unum romanum episcopum perpetuo adhærebat, saltem simile jus patriarchatus constantinopolitano antistiti tribueretur. Ceterum proprie istæ sedes patriarchales dici non poterant, quod neutram sedem tenuerit Petrus, non constantinopolitanam, uti nemo dubitat, non hierosolymitanam, quam tenebat apostolus Jacobus, quemadmodum legimus in can. 2, dist. 66. Quamobrem Nicolaus I, ad Bulgaros ita scribebat cap. 92. *Desideratis nosse quot sint veraciter patriarchæ. Veraciter illi habendi sunt patriarchæ, qui sedes apostolicas per successiones pontificum obtinent, idest, qui illis præsunt Ecclesiis, quas apostoli instituisse probantur, romanam videlicet, et alexandrinam, et antiochenam.* Sunt, qui putant, hierosolymitanum patriarchiatum jam in Nicæno I. concilio constitutum fuisse, in conspectu canonis 7, dist. 65. Ego vero his adsentire non possum, quando ex eodem canone constat, certum quidem honorem hierosolymitano episcopo fuisse delatum, adjecta tamen clausula: *Manente metropolitanæ civitati propria dignitate.* Imo ex epistola Hieronymi ad Pammachium liquet, temporibus sancti ejusdem viri adhuc hierosolymitanum episcopum, qui tunc erat Joannes de origenistarum, et arrianorum erroribus valde suspectus, revera obnoxium fuisse, tanquam metropolitæ, episcopo cæsariensi, et tanquam patriarchæ, episcopo alexandrino. Non tamen inficias iverim, quominus singularis ille honor delatus episcopo hierosolymitano in concilio nicæno, occasionem dederit, ut paullatim dignior fieret, et tandem recentioribus sæculis patriarchalia jura obtineret. Quod si quæratur, in quo singularis ille delatus honor consisteret, dixero, eo referendum esse, ut episcopus in urbe Ælia post Hierusalem funditus eversam prope Hierusalem ædificata constitutus, eodem jure censeretur, quo olim hierosolymitanus ipse episcopus habebatur, quasi idem esset et eliensis, et hierosolymitanus episcopatus. Paullo fusius hæc adnotavi in meis animadversionibus in Gratianum ad dictum canonem 7, dist. 65. Constantinopolitanus patriachatus non statim constitutus fuit, ac Constantinus imperialem in eam urbem transtulit sedem. Revera in canone 6, nicænæ synodi temporibus Constantini celebratæ duorum tantum patriarcharum jura firmantur, can. 6, dist. 65. Aliquid novi constitutum primo videtur in concilio constantinopolitano I, can. 3, dist. 22. Verum et canon iste nonnullis viris eruditissimis tanquam apocryphus censetur, ex eo præsertim, quod recentiores constantinopolitani antistites, qui nullum non lapidem moverunt, ut potestatem suam amplificarent, eo nunquam usi fuisse deprehendantur: item qui canonem illum genuinum crediderunt, tradidere, canonem eundem non fuisse in Ecclesia receptum, quasi editum jam dissoluto concilio a paucis episcopis, qui plus æquo episcopo constantinopolitano favebant. Denique nonnulli existimaverunt, in eo canone concessum quidem fuisse singularem constantinopolitano episcopo honorem caussa imperialis urbis, in qua episcopatum gerebat, non ipsa, et generalia jura patriarchatus. Primus meo judicio patriarchalem dignitatem, et jura sibi asseruit Anatolius tempore concilii chalcedonensis, qui inter canones furtim eidem concilio adjectos et illud adponi curavit, ut constantinopolitana Ecclesia jure patriarchalis haberetur, can. 46, cau. 11, qu. 1, et clarius in canone 28, inter chalcedonenses. Interea constantinopolitani antistites et nomen, et dignitatem patriarchicam sibi vindicabant, qualiscumque tandem esset chalcedonensis canonis auctoritas; imperatores autem de honore solliciti urbis imperialis, et id constantinopolitanis episcopis facile indulgebant: unde Leo, et Anthemius Acacium, l. 16, cod. de sacr. Eccles. et Justinianus Epiphanium patriarcham appel-

lavit in inscriptione legis 7, cod. de summa Trinitate, l. 43, cod. de Episc. et cler., l. 34, cod. de Episc. audient., qui etiam curavit, ut constantinopolitana Ecclesia supra ceteras, una excepta romana, efferretur, l 24, cod. de sacros. Eccles. ibi: *Constantinopolitana Ecclesia omnium aliarum est caput*, et Nov. 131, cap. 2, ibi: *Sancimus, secundum earum definitiones sanctissimum senioris Romæ papam primum esse omnium sacerdotum; beatissimum autem archiepiscopum Constantinopoleos novæ Romæ secundum habere locum post sanctam apostolicam senioris Romæ sedem; aliis autem omnibus sedibus præponatur.* Accessit his Græcorum omnium consensio in concilio trullano, cujus monumentum extat in canone 6, dist. 22, paullatim vero et id generaliter receptum est, uti liquet ex can. 7, dist. 22, ex quibus etiam canonibus constat, quisnam demum receptus fuerit eorundem patriarcharum ordo: Nimirum post romanum locus statim concessus constantinopolitano, deinde alexandrino, tertio antiocheno, ac postremo hierosolymitano. Has omnes patriarchales sedes tandem professus est se amplecti Innocentius III, in cap. 8, de majorit. et obedientia.

CAPUT II.

De potestate archiepiscoporum, primatum, et patriarcharum in subjectos antistites.

Huc referendi sunt titulus 10, lib. 1, et titulus 31, lib. 5, Decretalium.

Quid interesset, investigavisse altissimam archiepiscoporum, primatum, et patriarcharum originem, nisi viam exinde stratam agnosceremus ad inquirendam illorum auctoritatem, atque jurisdictionem? Qua in re de archiepiscopis tantum loquar, etenim quod de istis dicitur respectu suffraganeorum, idem fere intelligendum velim de prælatis archiepiscopo majoribus respectu antistitum, sive metropolitanorum sub illorum primatu, vel patriarchatu constitutorum. Itaque generaliter in primis ajo, archiepiscopis, uti archiepiscopis, illud tantum competere, quod vel sacris canonibus fuerit expresse concessum, vel longa consuetudo moribus concessum fuisse demonstret, vel privilegium singulare tribuerit, adeo ut de certa juris specie contendens archiepiscopus adversus episcopum actoris quodammodo personam sustinere debeat, in se suscepto onere probationis. Hujus regulæ ratio in eo posita est, quod, ut in capite præcedente demonstratum est, episcopi omnes infra pontificem maximum constituti vi suæ dignitatis pares sint, nec alteri detur singularis prærogativa in alterum, nisi hæc veluti decisa quodammodo a dignitate pontificis maximi accesserit, instar vel tacite, vel expresse mandatæ jurisdictionis. Juxta hanc regulam controversias definivit inter bituricensem, et narbonensem episcopos Nicolaus I, in can. 8, cau. 9, q. 3, et Nicolai vestigia secutus Innocentius III, inter episcopos tyrensem, et hierosolymitanum in cap. 9, de offic. jud. ordinar. ubi traditur, esse *in sacris canonibus definitum, primates, vel patriarchas nihil juris præ ceteris habere, nisi quantum sacri canones concedunt, vel prisca illis consuetudo contulit ab antiquo... præterquam si apostolica sedes aliquam Ecclesiam, vel rectorem ipsius quolibet speciali privilegio decreverit honorare.* Idem Innocentius III, hoc argumento usus est in cap. 2, vers. *nec quod de cessione* de translat. episc. Similiter Honorius III, in cap. 15, de temporibus ordinationum solvit episcopum a mandato archiepiscopi exequendo, propterea quod *ejusmodi dispensatio a canone minime esset permissa* archiepiscopo. Denique et Innocentius IV, in cap. 1, de suppl. neglig. Prælat. in 6, coercuit intra limites archiepiscopalis jurisdictionis rhemensem antistitem, qui nova quædam molitus fuerat in provincia, hac ratione proposita: *cum id non inveniatur a jure concessum.* Ad tria summa capita redigitur archiepiscopalis jurisdictio: vel enim respicit persona subjectorum antistitum, qui et suffraganei appellantur, ex eo, ut puto, quod in concilio provinciali metropolitano proponenti suffragium ferre solerent; vel respicit Ecclesias totius provinciæ; vel denique respicit personas illorum, qui suffraganeis obnoxii sunt, seu qui suffraganeorum diœcesani appellantur. De prima jurisdictionis specie in hoc capite agendum est, reservata tractatione aliarum in subsequente.

Itaque si vetus jus respiciamus, potestatem suam metropolitani in suffraganeorum personas vix exercebant extra concilia provincialia, quorum eam potissimum ob caussam frequens erat conventus. Quamobrem vix metropolitanorum jurisdictio abs jurisdictione eorundem conciliorum secernebatur, nisi in iis, in quibus et de metropolitano ipso concilia judicabant, metropolitanum ipsum concilia ordinabant, ordinatumque consilio adjuvabant, can. 1, 2, 4, et passim can. 9, qu. 3, cap. 9, de clericis non resident. Quippe saluberrime cautum erat, ut, quemadmodum nihil grave agere poterant episcopi suffraganei in diœcesi sine metropolitani consilio, ita nihil grave agere posset metropolitanus in provincia sine consilio suffraganeorum, quod aperte legimus in canone 9 concilii antiocheni; quasi idem generalis ordo servaretur respectu provinciæ ab archiepiscopo, quod ab episcopo servandum esset respectu diœcesis, unde fieret, ut sicut episcopo cœtus clericorum consilium præbebat in diœcesanis, ita archiepiscopo cœtus episcoporum præberet consilium in provincialibus negotiis. Veteris hujus disciplinæ vestigia quædam adhuc servanda

voluit concilium tridentinum in ses. 23. de ref. cap. 1. ubi certa reservatur jurisdictio aut metropolitano, aut synodo provinciali, quum in caussam episcopalis absentiæ sit inquirendum. Postquam vero perraro celebrari cœperunt provincialia concilia, ab uno metropolitano exerceri consuevit in suffraganeos jurisdictio, et in certis caussis, siquæ de metropolitano judicanda fuissent, senior ex suffraganeis quandam exercuit potestatem, uti in specie residentiæ a metropolitano non negligendæ sanxit concilium tridentinum in dicto cap. 1.

Prima potestas archiepiscoporum in suffraganeos ea erat, ut electum suffraganeum confirmarent, ac consecrarent, et quidem olim in provinciali concilio, deinde vero etiam extra concilium, postquam scilicet raro provinciales synodi celebrari cœperunt; quamquam etiamtum caveri saluberrime debuit, ut in ordinatione suffraganei cum archiepiscopo præsentes intervenirent duo comprovinciales episcopi, quasi in eo ternario antistitum numero quædam veluti synodi figura agnosceretur, juxta generalem jureconsultorum traditionem, qui, nonnisi tribus saltem personis collegium constare docuerunt, lib. 85, ff. de verb. signif. Viguit hæc disciplina integra etiam temporibus Gregorii IX, quamquam etiam episcoporum electio a clero, vel capitulo cathedralis vacantis Ecclesiæ consentiente populo esset celebranda, confirmatio tamen electionis, et consecratio electi potissimum a metropolitano pendebat, can. 5, distinct. 51, canon. 1, 2, 4 et sequentibus, dist. 65, cap. 11, 20, 32, de elect., cap. 1 et 2 de translatione Ep. cap. 10 de offic. jud. ordin. c. 6, de tempor. ordinat., cap. 25. de appellation. Difficultas in hanc rem emergit ex Novella Justiniani 137, cap. 4, ubi duplicis generis provinciales faciendæ annuæ synodi memorantur; una apud patriarcham, ad quam convenire deberent episcopi a patriarcha ordinati, *et qui non habent jus alios episcopos ordinandi;* altera apud metropolitanum uniuscujusque provinciæ, ad quam convenire deberent episcopi a metropolitano ordinati. Petrus de Marca in l. 1, de concord. sacerdot., et Imper. cap. 7, num. 3, observat, verba illa justinianei textus esse emendanda, legendumque, omissa particula negativa, *et qui habent jus alios episcopos ordinandi*: ait enim, nullum futurum verborum sensum, si negativa particula retineatur. Notat tamen Baluzius, in editionibus Haloandri, et Scrimgeri haberi negationem, eamdem autem extare etiam in vetusissimo, et optimo codice græco bibliothecæ colbertinæ. Photius in Nomocanone tit. 8, cap. 8, ad hanc Novellam respiciens, contentus fuit eam ita in epitomen reddere, ut traderet, metropolitanos apud patriarcham, et episcopos apud metropolitanum caussa synodi singulis annis convenire oportere. Aptius Balsamon in notis ad canonem 8. Concilii trullani adnotavit, abs Justiniano decretum fuisse, ut ad synodum patriarchalem convenirent omnes metropolitani, qui sane habebant jus episcopos ordinandi, sed et præter illos metropolitani aliquot, quibus nulli episcopi suberant, quique propterea facultatem episcopos ordinandi non habebant, quales ait fuisse inter ceteros archiepiscopum Derci, Messanæ, Parii et Apri. Ego vero adhuc dubitaverim, an ea, quæ Balsamon sub finem sæculi duodecimi tradebat, congruerent temporibus justinianeis, quasi jam Justiniani temporibus essent metropolitani episcopi sine suffraganeis constituti. Quamobrem Petri de Marca emendatio vim codicibus inferre mihi videtur, Photii explicatio non eludere difficultatem, et Balsamonis interpretatio minus congruere; atque ego potius censeo, retinendum esse textum justinianeæ Novellæ, vitiumque agnoscendum interpretis, qui eam ex græco in latinum idioma traduxit; etenim particula μη, quam latinus interpres voluit significare *non* in illis verbis *et qui non habent jus alios episcopos ordinandi,* potius significabat *quinimo,* quemadmodum id quandoque significare monent græcæ linguæ peritissimi viri; quem sensum si faciat, clara erit, et nullam amplius difficultatem ingeret justinianea Novella, in qua ita legetur: *qui ab ipsis ordinati sunt, et qui quinimmo habent jus alios episcopos ordinandi.* Ad idem etiam propositum pertinet inter ceteros canon 6, dist. 65, editus adversus Meletium; qui, contemto alexandrino, cui suberat, patriarcha, episcopos solus in alexandrino patriarchatu ordinare non dubitabat; quamobrem statuendum opportune fuit, ut eadem ratione, qua romanus episcopus tanquam metropolitanus romanæ provinciæ suffraganeos suos, ita et suos alexandrinus ordinaret, quæ est germana nicæni canonis interpretatio, quidquid nonnulli ex catholicis minus accurate, quidquid hæretici universi maligno animo, et insigni perfidia ex eo tradiderint: quemadmodum ego jam observavi in meis animadversionibus in Gratianum. Hæc vero hodie fere exoleverunt, postquam translat. primum in cap. 2, de translat. Epist., deinde confirmatio, ac consecratio, episcoporum fuit sedi apostolicæ reservata, adeo ut cum olim tempore suæ consecrationis episcopi jurare solerent apud metropolitanos ordinantes, se munus suum juxta canonum regulas executuros; hodie jusjurandum idem nonnullis adjectis præstare soleant pontifici maximo, a quo, vel cujus mandato ordinantur, cap. 4, de jurejurando, cap. 8 de reb. eccles. non alienandis.

Præterea illud archiepiscoporum auctoritati tribuitur, ut suffraganeos, vel officium suum contra jus excedentes, vel juris præcepta minime exequentes coerceant, imo et aliquando ad sui potestatem aliqua trahant, executuri ipsi, quod suffraganei aut generalibus cano-

nibus, aut superiorum mandato inobedientes minime impleverint. Qua tamen in re caussæ a caussis distinguendæ sunt. Vel enim talia sunt negotia, quæ si suffraganeus egerit excedendo officium suum, ex generali juris præscripto retractare non potest, qualis est pronunciatio sententiæ, qua dicta omnis in judice notio cessat, l. 4 et 55 ff. de re judicata, aut quæ si suffraganeus negligendo emiserit, abs jure suo cadit ob certa tempora legibus definita, intra quæ ordinarius agat, qualis est beneficiorum collatio intra sex menses facienda. In his sane speciebus ad metropolitanum fit devolutio, ut ipse modo negotium perperam ab ordinario gestum retractet, modo rem gerat ab ordinario prætermissam. Hinc pronunciata ab ordinario iniqua sententia, omnis caussæ cognitio appellatione interposita, item non collato intra legitimum tempus ab ordinario beneficio, collatio beneficii ad metropolitanum devolvitur, can. 7, 15, 35 et 37, cau. 2, qu. 6, cap. 3 et 5 de suppl. neglig. prælat. Hanc caussam puto, quare in can. 3, cap. 9, qu. 3, statutum fuerit, æconomum ab episcopo non designatum juxta veteres canonicas sanctiones a metropolitano designari debuisse, quare item, mortuo suffraganeo, nullis existentibus administris, qui curam rerum episcopalium in diœcesi gerant, administratio metropolitano competat, can. 48, cau. 12, qu. 2, quare insuper visitator sedi suffraganeæ vacanti, negligente capitulo, per archiepiscopum detur, cap. ult. de suppl. neglig. prælat. in 6; quare denique in concilio tridentino cautum fuerit, ut non constituto vicario a capitulo cathedralis Ecclesiæ, sede vacante, ejus constitutio ab archiepiscopo fiat, ses. 24 de ref. cap. 16. Vel ejusmodi negotia sunt, in quibus explendis aut nullum certum tempus designatum fuit episcopo aut in quibus utut perperam gestis non videtur episcopus sua omnino functus jurisdictione, manente adhuc integra penes illum retractandi facultate: tum vero metropolitani potestas in eo versabitur, sive ex officio, cum de re publica agitur, sive proposita querela ab iis, quorum interest, in caussis privatorum, quæ sane querelæ propositio nonnihil differt ab appellatione a sententiis interponenda, juxta capitulum 1 de officio legati, cap. 5 de offic. ordin. in 6 et clement. 4 de electione, ut episcopum reprehendat, corrigat, et ad suum munus rite exequendum, adhibitis juris remediis, adigat, can. 3, cau. 9, qu. 2, can. 3, cau. 10, qu. 3, cap. 11 de suppl. neglig. prælat., cap. 1, eod. tit. in 6, concil. trident. ses. 23 de ref. c. 18, neque archiepiscopus ipse alias proprio officio vices suffraganei supplebit, quam si sublata spes videatur futurum, ut suffraganeus monitis adquiescat, ac morem gerat, cap. 8 de offic. judic. ordinar. Juris remedia sunt paterna primum admonitio, atque correctio, deinde indictio censurarum, cap. 29 de præbend., cap. 52 de sentent. excom., cap. 1, § ult. de offic. ordin. in 6, quamquam in censuris indicendis servandus sit modus, et qualis præstitutus etiam fuit apostolicis delegatis in cap. 2 de off. deleg. in 6, videtur enim archiepiscopus, uti dictum superius est, in hac re delegatum pontificis maximi agere. Non tamen potest eo progredi metropolitanus ut episcopum extrema pœna anathematis damnet, aut deponat; id enim licet olim concederetur synodis provincialibus, quo tempore maxima erat istarum auctoritas, jamdiu tamen obtinuit, ut romano pontifici reservetur, cap. 2 de translat. episc. Hinc est, quod hodie in criminalibus episcoporum caussis, in quibus ad depositionem ex censura canonum deveniendum esset, nulla supersit metropolitanis jurisdictio, concilio tridentino ses. 13, cap. 8 et ses. 24, cap. 5 de reform.

Dixi, procedere posse metropolitanos ad coercendos excessus, supplendosve defectus suffraganeorum vel interposita appellatione, vel querela, præterea nonnihil differre inter appellationem et querelam. Id, ut paucis explicem, dico, exitu inspecto, nihil differre inter appellationem et querelam; quia per utramque illud agitur, ut suffraganeus in officio contineatur. Duo tantum sunt discriminis capita quorum primum est ex parte illius, qui vel querelam, vel appellationem proponit, alterum ex parte caussarum, in quibus vel querela proponitur, vel appellatio. Quod primum spectat, observo, eum, qui querelam proponit, non fungi vice actoris apud metropolitanum, sed tantum certam caussam deferendo ad metropolitanum, excitare officium ejusdem metropolitani, ut ipse quasi sponte et re secum mature pensata, adversus suffraganeum agat, ab eo rationes gestorum exigat, atque, ubi opus esse videatur, emendet; eodem modo quo in criminalibus caussis sese res habet ubi crimina non per accusationem, sed per denuntiationem vindicantur; tunc enim denunciator non ipse judicium instituit, nec actoris personam sustinet, sed tantum occasionem judicii præbet, ut ipse ex officio inquirat. Secus contingit in appellatione; qui enim appellat, actor est, ipse judicium instituit, atque in judicio contendere debet eousque, quo sententia pronuncietur. Quod ad secundum attinet, observo, eas caussas per appellationem abs judicio suffraganei ad metropolitanum deferri, quæ in utilitate privatorum versantur, in quibus servanda est forma judicii in quibus denique ii, quorum interest, possunt hinc actoris, illinc rei personam sustinere. Si autem tales sint caussæ, in quibus versatur bonum publicum; aut in quibus judicii forma ex canonum præcepto servari non debet, aut denique in quibus ii, quorum interest, nequeunt actoris vicem sustinere, nec

reum habent, contra quem actionem instituant, tum non appellatio, sed querela proponitur. Exemplum est in eo, qui conqueratur apud metropolitanum de episcopo, propterea quod episcopus non obstantibus caussarum adjunctis, quibus ex tridentino concilio dispensandum esset a matrimonialibus denunciationibus, nihilominus dispensare renuerit; quia scilicet caussæ istæ extra figuram judicii cognoscuntur, uti liquet ex capite, 1 sess. 24 de ref. matrim. Neque his opponatur capitulum 1 de offi. legati, ubi Alexander III, duplicem agnoscens in cantuariense antistite dignitatem idest metropolitani et legati apostolici, ait, non aliter uti metropolitanum posse judicare, quam si caussæ ad ipsum per appellationem referantur, ast uti apostolicum legatum etiam eas caussas definire posse, quæ ad eum per querimoniam deferrentur. Siquidem observo, ibidem nomine caussarum per querimoniam referendarum intelligi non eas, quæ in forma judicii proponi non possunt, has enim etiam jure metropolitico licuisset definire episcopo cantuariensi; sed eas, quæ in forma judicii erant proponendæ, quæ sane in prima, ut ajunt, instantia, ne sub prætextu quidem querelæ, proponi non potuissent coram metropolitano, idque, ut judiciorum ordo servaretur, qui postulat, primum apud episcopum judicium instituti; tum demum autem proponi etiam potuissent ex sententia Alexandri III, coram illo archiepiscopo tanquam legato apostolicæ sedis, quasi querela proposita legatus ad se posset avocare caussas apud episcopos cœptas, nec dum ad finem perductas, quemadmodum liquet ex toto rescripti contextu, præsertim in cap. un. de officio legatis in collectione 1 decretalium. Has caussarum avocationes olim receptas fuisse, nos dubitare non sinit concilium tridentinum in cap. 20, sess. 14 de ref., ubi ad tuendam episcopalem jurisdictionem certus fuit impositus modus. Itaque ut hæc invicem concinant, concludo, ad archiepiscopum tum demum per modum querelæ confugi posse, cum non agitur de caussis in figura judicii expediendis, et in quibus frustra appellandi facultas speraretur. Neque enim in istis adeo libera relinquenda erat episcopis inferioribus voluntas, ut nulli superiorum judicio subjacerent, concedendaque saltem querela ad archiepiscopum deferenda, ubi deficeret penitus appellatio.

Alia metropolitanorum in suffraganeos exercenda potestas est, ut illos possit ad provinciale concilium convocare, atque adigere, quemadmodum superius dictum est, ubi de provincialibus conciliis ageretur. Eo spectat antiquus ille ritus, quo episcopi jurejurando sese obstringebant metropolitano, quum consecrarentur, ut quotannis ad sedem metropolitanam accederent, c. 4 in fine de jurejurando, propterea quod nimirum quotannis provincialis synodus celebraretur, quemadmodum qui ordinabantur a pontifice romano, spondebant, se quotannis apostolica limina visitaturos, vel per se, si diœcesis non procul ab urbe distaret, vel per procuratorem, si in remotis agerent, nisi chirographo misso se ab ea obligatione certis ex caussis liberari postulavissent, can. 4, dist. 93. Postquam vero consecratio episcoporum fieri cœpit apud sedem apostolicam, et idem jusjurandum, quod olim metropolitanis consecrantibus præstabatur, præstari cœpit pontifici maximo, episcopi spondere cœperunt, se quotannis apostolica limina visitaturos, seu ad sedem apostolicam ituros, nisi ab ea obligatione pontificio rescripto absolverentur, dicto c. 4 de jurejurando, quamquam Sixtus V in sua constitutione, quæ incipit *Romanus pontifex*, huic obligationi certum modum adjecerit, inter cetera contentus, ut singulis trienniis episcopi eadem limina visitent, aliis etiam, pro ratione remotarum provinciarum, visitatione ad quadriennium, vel ad quinquennium, vel etiam ad decennium prorogata. Post hæc observata intelligimus, quare tridentinum concilium in sess. 24, cap. 2 de reform. vers. *Nec episcopi* declaraverit, episcopos adstringi non posse, ut quotannis ad sedem metropolitanam accedant, quod intellige extra caussam concilii provincialis. Neque enim episcopi suffraganei idem jusjurandum, quod olim præstabant, hodie amplius præstant metropolitanis suis, utpote a quibus amplius non consecrantur.

Denique ea potestas in concilio tridentino sess. 23, cap. 1 de reformat. reservata fuit metropolitanis, ut si suffraganeus velit abesse a diœcesi, caussas illi discutiant, et in scriptis probent; quamquam, ubi recepta est constitutio Urbani VIII, anni 1634, die 7 decembris, earum caussarum discussio, ac probatio hodie pontifici maximo reservetur.

CAPUT III.

De potestate archiepiscoporum, primatum et patriarcharum in Ecclesias, et subditos suffraganeorum.

Huc referendus est iterum tit. 10, lib. 1, et titulus 28, lib. 2.

Quod archiepiscopi, iisque superiores prælati suppleant defectus, corrigantve excessus suorum suffraganeorum, colligere facile possumus, valere ipsos, et utilitati Ecclesiarum cathedralium in sua provincia existentium certis in casibus jusdicendo prospicere, et privatorum in eadem provincia consistentium commodis, ubi opus videatur, consulere, can. 1, dist. 21, can. 2, caus. 9, quæst. 3. Non tamen id prælatis eisdem, quandocumque eis libuerit, est concedendum, ne alias suffraganeorum po-

testas turbetur. Quod primum attinet ad Ecclesias cathedrales suffraganeas, deputabunt quidem archiepiscopi œconomos sede suffraganea vacante, si capitulum sedis suffraganeæ id facere negligat, conc. trident. sess. 24, de reform. cap. 16, juncto can. 18, caus. 12, qu. 2, et cap. ult. de suppl. neglig. prælat. in 6, vacantia beneficia a negligentibus ordinariis non collata ipsi conferent, cap. 3 et 5 de suppl. neglig. prælat., et alia his similia, in quibus, uti in capite præcedente dictum est, jus devolutionis explicatur; sed ubi nullus sit cohibendus prælatorum inferiorum excessus, aut nullus supplendus defectus, certis limitibus archiepiscoporum jurisdictio coercetur, quos minime transgrediantur. En paucis descriptam, et ad quatuor summa capita redactam in hac parte metropoliticam jurisdictionem; nimirum primum est respectu honoris, quem Ecclesiæ inferiores debent Ecclesiæ metropolitanæ: alterum est respectu conformitatis in tota provincia in omnibus Ecclesiis duce metropolitano observandæ: tertium est respectu illorum locorum, quæ licet in provincia suffraganei sita sint, abs jurisdictione tamen ejus proponuntur exemta: quartum denique in visitatione consistit. Singula breviter percurramus.

Igitur in primis poterit archiepiscopus quædam curarein Ecclesiis suffraganeorum, quibus certus honor a suffraganeis Ecclesiis erga metropolitanam deferatur: atque huc refertur facultas mittendi Quæstores in totam provinciam caussa erigendæ, vel reparendæ Ecclesiæ metropolitanæ, non quidem jubendo, ut eleemosynæ a provincialibus tribuantur, sed rogando, monendo, c. 1 de pœnit. et remiss. in 6. Neque enim episcopi suffraganei eos impedire possunt, quamquam facultatem habeant investigandi, num revera ii fuerint ab archiepiscopo misse. Neque in contrarium dicas, in concilio tridentino abolita fuisse quæstorum officia, sess. 5, cap. 2, in fine, et sess. 21, cap. 9, de reform., id enim tantummodo pertinet ad pravos illos quæstores, qui eo tempore falsas indulgentias venditabant, quorum abusus jampridem damnaverat in lateranensi concilio Innocentius III, in cap. 14, de pœnitent. et remission., Clemens IV, in cap. 11, vers. *Compescendi* de hæreticis in 6, et Clemens V, in clementina 2, de pœnit. et remiss.

Secundo poterit metropolitanus ea in tota provincia statuere, ex quibus unitas disciplinæ in eadem emergat. Quamquam enim verissimum sit, unitatem Ecclesiæ in fide consistere potissimum, nec repugnare unitati varietatem disciplinæ, imo et hanc plurimum conferre ad elegans quoddam Ecclesiæ ejusdem decus, et ornamentum; quia tamen ideo varietas disciplinarum ex eo est opportuna, quod quæ uni regioni conveniunt, non satis apta esse alteri possunt, facile sequitur, maxime enitendum esse, ut in una provincia una eademque disciplina servetur, quum inverosimile non sit, populum in una provincia consistentem facile eisdem moribus regi, et uno veluti agendi principio commoveri. Hæc ratio est, quare toletani patres in can. 13, dist. 12, constituerint, ut omnes provinciales unum eundemque in psallendo tenerent modum, quem in metropolitana sede novissent institutum, nec aliqua diversitate cujuscumque ordinis, vel officii a metropolitana se paterentur sede disjungi. Hæc ratio est, quare in can. 31, de consec. dist. 1, cautum legamus, ad celebranda divina officia ordinem, quem metropolitani tenent, comprovinciales observare debere, quemadmodum etiam legitur in can. 31, de consecr. dist. 2. Hæc ratio est, quare Innocentius III, nonnullas exhibens cantuariensi episcopo regulas ad simoniacos coercendos in cap. 30. de simonia, eum monuit in fine, ut episcopis suis injungeret, ut eam formam per suas diœceses observare studerent. Quæ tamen ita intelligenda sunt, ut nihil detrahatur illis, quæ aut probabili consuetudine, aut singulari privilegio in aliqua diœcesi recepta deprehendantur, quum evenire quandoque possit, ut uni diœcesi conveniant, quæ in aliis forte diœcesibus minus opportuna, aut congrua forent. Hinc fluit, ut ad jurisdictionem archiepiscopi pertineat, pravos in provincia subortos mores damnare, damnandosve suffraganeis episcopis præscribere, cap. 3, de institution., cap. 11 et 18, de filiis persbyter, etiam publicato in singulis totius provinciæ Ecclesiis edicto, argumento cap. 1, de suppl. negligent. prælat. in 6. Hinc etiam fluit, ut archiepiscopi certis personis interdicere possint, ne in aliqua diœcesi provinciæ prædicationem evangelicam obeant, quando nimirum prævident, ex aliquorum dolo vel mores, vel disciplinam posse corrumpi, cap. 11, de privilegiis. His proximum est, quod statutum fuit in tridentino concilio sess. 23, de ref. cap. 18 in fine, nimirum ut quando in provincia aliquot sunt diœceses adeo inopes, ut in iis ex Ecclesiarum redditibus clericorum seminarium erigi commode nequat, archiepiscopus cum duobus suffraganeis episcopis cathedralem seligat, in qua seminarium ipse erigat, atque instituat ad clericalem totius Provinciæ utilitatem.

Tertio etiam enitere potest Metropolitanorum jurisdictio in locis exemtis, quæ sita sunt in Provincia; quo pertinent duo concilii tridentini decreta. Primum extat in ses. 5, cap. 2, de reform., ubi metropolitanis conceditur, ut ipsi tanquam sedis apostolicæ delegati compellant abbates, et regulares prælatos, qui præsunt monasteriis in nullius diœcesi existentibus, et quibus unitæ sunt parochiales Ecclesiæ, ut divini verbi prædicatio fiat, et populus sacris in mysteriis erudiatur. Alterum extat in sess. 25, de regularibus cap. 8, ubi conceditur facultas metropolitanis, ut ipsi tanquam sedis aposto-

licæ delegati convocare possint monachos existentes in monasteriis, qui nec episcopis subsunt, nec suos habent ordinarios regulares visitatores, ut se in congregationes erigant, vel erectis congregationibus aggregentur, ita ut si monachi, metropolitano instante, id exequi minime curent, monasteria illorum subdantur episcopis, in quorum diœcesibus sita sunt, tanquam sedis apostolicæ delegatis.

Postremo, et maxime quidem præ ceteris, enitet potestas archiepiscopi in Ecclesias suffraganeorum in eo, quod istæ archiepiscopi visitationi non semel tantum, sed iterum, iterumque subjaceant, ita ut dum archiepiscopus eas visitat, possit ea, quæ reformatione, correctioneve indigent, reformare, aut corrigere, confessiones illorum, qui subditi suffraganeis sunt, audire, pœnitentes absolvere, pœnitentias injungere salutares, ad emendationem cleri, et populi salubribus monitis intendere, si quos delinquentes invenerit, mandando suffraganeis, ut juxta disciplinam canonum puniantur, nisi de reis, quorum notoria crimina sunt, agatur; hos enim archiepiscopus ipse punire poterit, quasi respectu eorundem de negligentia suffraganeus redarguatur; item ut possit archiepiscopus visitans procurationem accipere, et ab iis Ecclesiis, locis, vel personis, a quibus acciperet occasione visitationis, ordinarius, et juxta modum a sacris canonibus præstitum, cap. 16, de præscription., cap. 6, 14, 22 de censibus, cap. 1 et ult. eod. tit. in 6, juncto capite 3. Tridentinæ sessionis 24, de reform. Quod de visitandi facultate dicimus, extenditur etiam ad monasteria suffraganeorum potestati subjecta, sive virorum sint, sive fœminarum, item ad pia sive opera, sive loca, quæ ipsorum suffraganeorum visitationi subjiciuntur, dicto cap. 1 de censibus in 6, quod verum est, etiamsi suffraganei negligentes minime fuerint, etiamsi metropolitani non fuerint a suffraganeis requisiti, dicto cap. ult. de censibus in 6. Quando vero visitatio illa Ecclesiarum, quam sancti patres veluti maxime opportunam perpetuo crediderunt, ut fidelium utilitatibus consuleretur, non solum ubi de episcopali, sed etiam ubi archiepiscopali officio ageretur, aliquando tamen visa potius fuit perniciosa propterea quod aliqui identidem prodierint metropolitani visitationem potius in sui, quam in provinciæ utilitatem peragere moliti, unde quandoque visæ sunt ex his visitationibus et suffraganeorum jura, et res Ecclesiarum suffraganearum bene pacatæ turbari; non quidem visitationes easdem aboleri decuit, sed potius visitationibus illis certum modum imponi. Primo igitur cautum est, ne metropolitani bis in anno suffraganeas Ecclesias visitent, argumento canonis 11, cau. 10, quæst. 4, cap. 6 de offic. archidiac., cap. 16 de offic. Jud. ordinar. Secundo statutum, ut procurationes, quæ olim præter victualia ante tridentinum concilium præstabantur, tum demum deberentur, quando archiepiscopi in propria persona visitarent, non per substitutos, seu delegatos, cap. 23, de censibus. Tertio vetitum fuit Metropolitanis, ne provincias visitarent, antequam primum diœcesim suam universam visitavissent, dicto cap. 1, princ. de censib. in 6, ne majorem sollicitudinem habere viderentur de suffraganeorum Ecclesiis, quibus ceteroqui præsumitur suos pastores prospicere, quam de propriis. Quarto decretum, ut cum archiepiscopus aliquam de diœcesibus suffraganeis visitare cœpit, nunquam deinceps, sive totam, sive partem ejus visitaverit, possit caussa visitationis reverti ad illam, nisi iterum suam diœcesim visitaverit, et jam visitationem aliarum suffraganearum diœceseon absolverit, nisi eadem diœcesis nova visitatione gravi emergente de caussa indiguerit, tum vero vel visitationem suffraganeus requisiverit, vel major pars suffraganeorum probaverit, vel romanus pontifex caussa cognita permiserit, dicto cap. 1 vers. *Ex quo*. Denique concilium tridentinum, cujus disciplina hodie servanda est, decrevit in cap. 3, sess. 24 de ref., ut a metropolitanis etiam post plene visitatam propriam diœcesim non visitentur cathedrales Ecclesiæ, neque diœceses suffraganeorum, nisi caussa cognita, et probata in concilio provinciali. Ex quo nemo non videt caussarum, quare hodie minus frequentes sint metropolitanorum in provinciis visitationes, quia nimirum perraro admodum provincialia concilia celebrentur.

Spectant hæc omnia ad curam, quam exhibent in suffraganeorum Ecclesias archiepiscopi eisve majores prelati. Quod si sermo sit de jurisdictione exercenda in subditos suffraganeorum, duo distinguenda sunt tempora: illud primum, quo archiepiscopi, eisve majores prælati suffraganeas Ecclesias visitant; alterum deinde, quo non actu visitationem peragunt. Quando prelati illi majores actu suffraganeas Ecclesias visitant, illa omnia libere peragere possunt in subditos suffraganeorum, quæ visitandi juri, et officio cohærent; quo pertinet in primis, quod dictum est, archiepiscopos visitantes posse pœnitentes absolvere, pœnitentiis expiare, aut recreare indulgentiis, cap. 15, de pœnit. et rem, cap. 1, eod. in 6, cap. ult. de cens. in 6, eademque ratione dispensare ab iis juris impedimentis in foro interno, a quibus in eodem foro dispensare cuique episcopo licet; item divinum evangelium prædicare, reformare mores; quasi in his leniora quædam, et fere paterna officia contineantur, ei non deneganda, qui ex benevolentia in fidelem populum providentiaque vere episcopali ad visitandum accedit. Ab iis vero, quæ vel ordinariam exhibent fori externi disciplinam, vel publicam Ecclesiæ politiam constituunt, quæ uno verbo visitandi officio minime cohærent, metropoli-

tani non consentientibus suffraganeis abstinebant, nisi ubi aut supplendus defectus suffraganeorum sit, aut cohibendus excessus; unde non alios reos, quam notorios, ipsi punire poterunt, ceteros corrigendos episcopo suffraganeo mandare, cap. ult. de censib. in 6. Hinc si quæratur, an regulariter archiepiscopus visitans possit adesse celebrationi conjugiorum, tanquam parochi, vel episcopi vices supplens juxta formam præstitutam in tridentino concilio sess. 24, cap. 1, de reform. matr., an possit sacramentum ordinis, confirmationisve conferre, beneficia, vel ecclesias erigere, unire, dividere, et his similia, negative respondebimus; quod hæc, et similia inter visitationis caussas, et adjuncta minime recenseantur, alias autem verum est, hujusmodi facultates in jure concessas archiepiscopis nullibi deprehendi.

Quando vero non in actu visitationis archiepiscopi sunt, regula generalis est, nullam illos jurisdictionem, aut potestatem posse in suffraganeorum subditos exercere, can. 7, 8, cau. 9, qu. 3, cap. 59, de appellation, cap. 8, de excess. Prælat., quod adeo verum est, ut si ad archiepiscopum fuerit caussa a suffraganeo post appellationem interpositam devoluta, et velit archiepiscopus suffraganei sui subditum ad eam dirimendam delegare, subditus idem delegatus parere mandato delegantis archiepiscopi non teneatur, cap. 11, de offic. judic. ordinar. Hæc tamen generalis regula plures habet in jure probatas exceptiones. Nonnulli scripserunt, posse archiepiscopum etiam extra visitationis actum indulgentias in tota provincia concedere, ex eo quod in cap. 15, de pœnitent. et remiss. rescriptum fuerit, archiepiscopum *libere* per totam provinciam ea facultate uti posse. Ego tamen vereor, ne id ad tempus visitationis contrahi debeat, neque enim illa particula *libere* supervacua dici posset, quando ad illud tempus ea potestas coerceatur; siquidem qui Honorium III, in proposito consulebat (quis fuerit minime constat), dubitare adhuc poterat, an præsente, et non negligente suffraganeo, ea facultas archiepiscopo visitanti competeret, præsertim quod Honorius III. admodum sollicitus fuerit, ne archiepiscopi, et episcopi liberius, ampliusve jurisdictionem suam extenderent, uti liquet in conspectu capituli 26, de privilegiis: neque novum est in jure pontificio, particulam *libere* referri ad archiepiscopum visitantem, et certam explicantem facultatem etiamsi nihil sit ordinariorum negligentiæ imputandum, cap. ult. de censibus in 6, juri magis consonat illa regulæ generalis exceptio, qua traditur, metropolitanos tum in subditos suffraganeorum posse exercere jurisdictione, cum eam consuetudine adquisiverint, cap. 13, de foro competente, cap 1, vers. *Nec etiam* eod. tit. in 6, cap. 1, de pœnis in 6. Egregium consuetudinis exemplar indicatur apud orientales, non metropolitas, sed patriarchas; vetus enim illis mos fuit, non schismatica usurpatione invectus, sed rite, et sine ulla contradictione probatus, ut, cum monachorum cœnobia in diœcesibus sui patriarchatus erigerentur, eadem eximerent abs jurisdictione ordinariorum, suæque jurisdictioni immediate subjicerent, quod jus *Stauropegii* appellant, de quo videris Thomassinum de vetere, et nova disciplina, t. 1, lib. 1, cap. 9, et christianum Lupum in scholiis et notis ad canones conciliorum, Tomo 3, editionis bruxellensis pag. 953. Adde huic consuetudinem aliquot majorum episcoporum, qui poterant ex diœcesi suffraganeorum quosdam clericos seligere, quos ipsi inconsultis etiam suffraganeis ordinarent. Hujusmodi fuit episcopus Carthaginensis respectu Ecclesiarum Africæ, uti constat ex concilio carthaginensi III, cap. 45; hujusmodi fuit constantinopolitanus patriarcha in Ecclesiis orientalibus, uti colligitur ex novella 3. Justiniani cap. 1. Altera juri conformis exceptio est, si agatur de vicario generali suffraganei in suo vicariatus officio delinquente; eodem enim modo in his caussis in vicarium jurisdictionem exercet archiepiscopus, quo in delinquentem episcopum exerceret, cap. 1 de offic. Vicar. in 6. Præterea ex c. 15. vers. *Ceterum* de offic. judic. ordinar. intelligimus, si canonici sine caussa cessaverint a divinis, proposita contro eos ab episcopo apud metropolitanum querela, posse metropolitanum in eosdem animadvertere. Non est tamen meo judicio singularis hæc caussa; neque enim puto, si de aliis improbis canonicorum factis, aut si de aliarum personarum criminibus ageretur, in quibus mallet ordinarius rem totam in arbitrium metropolitani conferre; ullam proponi posse adversus archiepiscopum exceptionem, argumento cap. 1, de foro compet. in 6, in illis verbis: *absque diœcesanorum suorum voluntate.* Latissime autem patet exceptio regulæ, quæ postulat, ut in caussis appellationum maxima sit in subditos suffraganeorum archiepiscopi jurisdictio. Quamquam enim olim appellationes ad provinciale concilium deducerentur, can. 2, 4, 5, caus. 11, qu. 3, deinde tamen obtinuit, præsertim quum infrequens esse cœpit earundem synodorum usus, ut metropolitanus judicio suo aut justas confirmaret, aut iniquas emendaret suffraganeorum sententias, cap. 11, et 13, de offic. jud. ordinar. cap. 1, eod. tit. in 6, cap. 1, de foro compet. in 6, cap. 3, de appellation. in 6, cap. 7, de sentent. excommunicat. in 6. Id et in civilibus, et in criminalibus caussis admissum est: sed in criminalibus major in tridentino concilio visa fuit archiepiscopalis potestatis ratio; quamquam enim civiles, caussæ ex concilii disciplina, ubi appellatione proposita ad sedem apostolicam deductæ fuerint, minoribus dignitatibus dele-

gari valeant, seu judicibus synodalibus, quemadmodum superius suo loco observandum fuit; criminales tamen caussæ non aliis delegari debent, quam metropolitanis, vel metropolitanorum vicariis generalibus, vel uni ex viciniorībus episcopis, eorumve vicariis, quoties aut metropolitanus, eiusve vicarius suspectus fuerit, aut ab iis jam fuerit appellatum, aut distent ultra duas legales dietas, sess. 13, de reform. cap. 2.

Frequens hodie est in foro appellationum ab episcopis ad archiepiscopos inducendarum disciplina, in qua ea fere omnia admittuntur quæ in eadem appellationum materia romanum jus definiverat. Quædam tantum generalia, et quidem paucis in præsentia attingam, que pontificio jure aut probata fuerunt specialiter, aut adiecta, aut in aliam judicii figuram, quod tamen perraro contigit, immutata. Ista omnia vel ad formam appellandi pertinent, vel ad judicis personam, ad quem fit appellatio, vel ad caussam appellationis, vel denique ad ejusdem appellationis effectus.

Quod spectat appellandi formam, debet in primis appellatio fieri intra decem dies a prolata, agnitaque sententia, can. 28, can. 2, quæst. 6, cap. 32, in fine de electione, cap. 15 de sentent. et re judic. cap. 8, de appellat. in 6, et quidem in scriptis, cap. 1, eod. tit. in 6, quamquam opus non sit, ut appellationis libellus coram eo, a quo appellatur, recitetur, cap. 9, eod. tit. in 6, imo neque ut in curia ordinarii libellus, exaretur, quoties justus metus gravatum appellantem deterreat, cap. ult. de appellation. Item in eo libello generaliter saltem exprimendæ sunt caussæ, quare interponatur appellatio, ut facile metropolitano constet, an ea excipienda sit, an rejicienda, argumento capituli 38, eod. Exarato libello apostoli, sivi literæ dimissoriæ, petendi sunt intra triginta dies, quos ordinarius concedere intra idem tempus tenetur, ita ut iis instanter petitis, nec concessis, valeat metropolitanus nihilominus appellationem admittere, cap. 1, et 6, eod. tit. in 6, clement. 2, eod. Distinguunt pragmatici varias apostolorum species, alios enim dicunt *conventionales*, quoties collitigantes communi consensione appellationem instituunt; alios *testimoniales*, quorum nomine venit scriptura, ex qua probatur, appellationis interpositæ certos esse testes, sive publicos, sive privatos honestos, et quibus nonnisi temere fides denegaretur, alios *dimissorios*, ita nimirum compositos, ut inde liqueat, ordinarium litigantes æquo animo a se, idest a foro suo, dimisisse, et appellationi adhæsisse; alios *refutatorios*, ita compositos, ut inde liqueat, ordinarium nihil deferre appellationi; alios denique *reverentiales*, ex quibus constat, suffraganeum non alias, quam ob reverentiam erga metropolitanum, appellantes ad metropolitanum dimittere, propter eaque appellationi vix consentire propterea quod ex intima animi sententia putet, appellationi locum minime existere. Parum autem interest, cujus generis apostoli sint, ut rite appellatio introducatur. Tantum in eo discrimen est, quod, si ordinarius apostolos concedat, quibus liqueat, eum appellationem, et caussas appellandi probasse, et non ægre litigantes ad metropolitanum dimisisse, tunc ad metropolitanum totius dirimendæ caussæ potestas devolvatur usque ad sententiam difinitivam, etiamsi tantum ab interlocutoria appellatio interposita fuisset; at vero, si tales apostoli sint, quos ordinarius ægre concedere se fateatur, appellationi repugnando, ex. gr. profitendo, se illos concedere ob unam reverentiam, qua suum archiepiscopum colit, tunc suscepta appellatione apud metropolitanum ab interlocutoria ea reformata, aut confirmata, litigantes ad ordinarium remittantur, ut caussam ipse persequatur, et absolvat, cap. 5, de appellation. in 6, quasi post refutatórios, vel reverentiales apostolos non omnino abdicavisse jurisdictionem suam ordinarius videatur, in ceteris autem apostolorum generibus caussam universam in fidem, et prudentiam archiepiscopi retulisse. Obtentis apostolis, tempus, quo introducenda est appellatio, in jure pontificio non est definitum, quod propterea definire pro arbitrio, et prudentia sua poterit ordinarius, a quo fuerit appellatum, cap. 4, de appellation.; quamquam verum sit, ad totam dirimendam caussam præstitum fuisse appellanti regulariter annum, et, si caussa quædam evidens, et necessaria prorogandi sit, biennium, c. 12, de rescriptis, cap. 5 de appellation, clement. 3, eod. tit., nisi appellans coram judice, ad quem appellatum est, gravissimas alleget caussas, ex quibus adhuc prorogandum sit tempus per restitutionem in integrum, cap. 8, eod. tit. Appellanti quoque imminet obligatio, acta in priore judicio propriis impendiis apud archiepiscopum exhibendi, etiamsi contra ipsum appellantem gesta sint, concilio tridentino sess. 24 de reformat cap. 20, sine ullo discrimine, an qui appellat, actor in primo judicio fuerit, an reus, propterea quod appellans, etiamsi reus in primo judicio fuerit, atque conventus, semper tamen in judicio appellationis actoris personam sustinet. Quæ omnia si non impleantur intra legitimum tempus, tanquam deserta appellatio habebitur, poteritque ordinarius vel ad ulteriore in caussa procedere, si ab interlocutoria, vel sententiam executioni mandare, si a definitiva sententia fuerit appellatum.

Persona illius, ad quem appellatio est facienda, proximus superior est, ex. gr. archiepiscopus si episcopus, primas, si archiepiscopus sententiam dixerit; quod verum est, nisi ordinarius, tanquam delegatus apostolicus sententiam pronunciaverit; tunc enim erit ad

delegantem pontificem maximum appellandum. Quid vero, si episcopus utraque polleat potestate, et ordinaria, et delegata? Id evenit hodie in nonnullis caussis in quibus in concilio tridentino cautum est, ut episcopi etiam tanquam sedis apostolicæ delegati procedant. Summi iidem pontifices in hac jurisdictione ordinariis adjicenda non eo fuisse videntur animo ut ordinariæ iudiciorum formæ detraherent, sed potius ut major quidam honos a subditis ordinario, ejusque sententiæ deferretur, nisi dicere malis, clausulas illas cumulatæ potestatis ad cautelam adjectas fuisse, cum ageretur de quibusdam caussis, de quibus non satis aperte constaret, an reservatæ essent, necne pontifici maximo. Quamobrem concludemus, fere in illis rite adhuc metropolitanum appellari, cap. 12, de offic. judic. ordin. Dixi *fere*, ut exciperem quosdam casus, a quibus hoc in loco recensendis abstineo; propterea quod non absimilis disputatio erit inferius instituenda, cum agetur de jurisdictione capituli cathedralis ecclesiæ sede cathedrali vacante. Nimirum in hac quæri solet, num jurisdictio episcopo competens in vim pontificiarum delegationum transeat sede vacante in capitulum; eodem modo, quo transit jurisdictio ordinaria. Profecto utraque disputatio ex eisdem principiis pendet; quamobrem in præsentia dicere sufficiat, iis omnibus in casibus posse a sententia episcopi appellari ad metropolitanum, in quibus, si sedes episcopalis vacaret, capitulum jurisdictionem episcopalem exerceret; e contrario non posse ad metropolitanum appellari, quibus in caussis nulla esset penes capitulum vacante sede jurisdictio. Potest autem archiepiscopus vel per se in caussa appellationis procedere, vel alteri caussam dirimendam mandare, etiam subdito sui suffraganei, cap. 11, de offic. jud. ordin. c. 1, eod, tit. in 6, quod verum est, quoties jam caussa ad ipsum fuerit introducta appellatione devoluta. Ceterum regulariter nequit, nisi aliud postulet consuetudo, vel certas singularis ratio provinciæ, vicarium constituere in diœcesi suffraganei instructum generali mandato, ut quotiescumque sese offerat occasio, caussas appellationum excipiat; imo ubi singularis hæc viget consuetudo, vel urget ratio, non poterit vicarius ita constitutus ad inhibitionis progredi adversus ordinarium, nisi ad metropolitanum appellationis interpositæ caussa pervenerit, dicto cap. 1, de offic. ordin. in 6. Opportunum quoque fuit definire, ne archiepiscopi caussas ad se per appellationem devolutas alibi dirimant, quam in civitate, aut diocesi sua, aut in diœcesi illa, in qua appellatum extiterit, vel caussæ ipsæ consistere dignoscuntur, cap. 5, de offic. ordin. in 6.

Omnis appellandi caussa est vel defectus, vel excessus ordinarii: defectus, si nolit de caussa cognoscere, vel in ea procedere quod vulgo appellant denegationem justitiæ, argumento capituli 1. de supplen. neglig. prælat. excessus, si sententiam iniquam proferat. Quamquam enim in judicio appellationis litigantes inter se controversiam movere videantur, tota tamen quæstio versatur contra judicem, a quo appellatum fuit, ejusdem sententiam, aut factum. Multum autem refert, an definitiva, an interlocutoria sententia sit; siquidem a definitiva semper appellatio conceditur, sive de gravi, sive de minima re lata fuerit, cap. 11, de appellation., quid quid olim ex singularibus caussis sanciendum voluerit Justinianus in civilibus rebus ad subditos late patentis imperii pertinentibus, can. 28, prope medium cau. 2, qu. 6, seu novella 23, ubi vetuit, ne ex remotissimis provinciis minimarum rerum quæstiones ad imperialem urbem referrentur, data certis magistratibus provincialibus auctoritate; ut eas supremo judicio in provincia definirent; quæ sane supremi judicii auctoritas nullibi in jure episcopis concessa videtur, ut propterea ab eorundem judicio appellari semper possit. Ab interlocutoria vero sententia tum demum conceditur appellatio, quando vel definitivæ vim habet, vel litiganti detrimentum infert irreparabile, c. 1, de appellation. cap. 1, eod. tit. in 6, concilio tridentino ses. 24. de reform. cap. 20. A futuro gravamine, quod nondum gravamen dici potest, sed potius gravaminis metus, appellatio non conceditur quamobrem ex sola allegatione suspicionis adversus judicem non appellatur, nisi primum coram eodem judice suspicionis caussæ probentur, et nihilominus judex iis insuper habitis caussam persequatur, cap. 43 et 61, de appellation. Neque his contrarium est, quod vulgo dici solet, juxta sacros canones quandocumque posse appellari, sive ante litis contestationem, sive post litem contestatam, sive in prolatione sententiæ, sive post sententiam pronunciatam, juxta capitulum 12, de appellation. Etenim quod in eo capite traditur, pertinet ad eum, qui suspectum delegatum judicem dicit, cui propterea etiam ante litem contestatam appellandi facultas conceditur, quoties idem delegatus nihilominus velit in caussa procedere; quia in primis vel iste processus in caussa certum gravamen infert: deinde singulare est in judicibus delegatis, non apud ipsos suspicionis caussas esse probandas, uti superius dictum est, cap. 41 et 61, de appellation. cap. 27, vers. *Cum vero* de offic. jud deleg. cap. 4, eod. tit. in 6. Addere etiam possum, forte singulare quidpiam recipiendum esse adversus delegatos qui ab uno dumtaxat ex collitigantibus peti solent, altero ignorante, aut invito, contra quos propterea facilius recusatio admittebatur, præsertim temporibus Alexandri III quibus certus non erat speciali lege præstitus habendus delegandorum judicum delectus,

qualem deinde habendum esse voluit Bonifacius VIII, in cap. 11, de rescriptis in 6, et pressius definivit concilium tridentinum in ses. 25, de reform, cap. 10, imo et olim hujusmodi appellationes quandocumque faciendæ non proprie appellationes dicebantur, sed singulari nomine *provocationes ad caussam* c. 5. de appellat. Præterea ut æqua dicatur appellandi caussa, duo concurrere necesse est, primum, ut ordinarius ita inique judicaverit, ut judicium suum retractare nolit, aut nequeat. Hinc si per interlocutoriam damnum ingerat uni ex collitigantibus, cui alias appellatio concederetur, appellatio denegatur, imo et interposita, nondum tamen ad superiorem introducta, cessat, quoties ordinarius damnum reparet, et nulla possit adversus ordinarium obesse suspicio fraudis, cap. 60, de appellat. Alterum est ut nec dolus nec culpa appellanti imputetur. Sane imputaretur culpa, quoties legitimum tempus præterlabi sineret; dolus, si confessus, aut in flagranti deprehensus in caussa criminali, aut in caussa civili evidentibus, seu notoriis probationibus damnatus appellaret, cap. 13, 14, 61. § *Porro* de appellat., cap. 3, vers. *Si autem* eod. tit. in 6, nisi tamen in istis adhuc certa nec improbabilis ratio admittendam esse appellationem suaderet, puta, quia confessus allegaret confessionem suam metu extortam fuisse, vel judicem modum legitimum in pœna inferenda excessisse, vel similia.

Interpositæ, et legitimo tempore introductæ appellationis effectus is est, ut, quemadmodum ordinarius, a quo fuit appellatum, aut supersedere ab ulteriore processu, si interlocutoriam, aut executione sententiæ, si definitivam sententiam protulerit, abstinere debet, adeo ut ipsi inhiberi possit a metropolitano ne quidpiam interea gerat sub gravibus pœnis, quales designantur in concilio tridentino ses. 25, de ref. cap. 3, ita tota caussæ discussio ad superiorem, ad quem appellatum est, devolvatur. Et quidem superioris officium in eo versabitur, non solum ut de caussa judicet, qualis in primo judicio erat adstructa, sed etiam de iis, quæ caussam ipsam sequuntur, seu veluti adnexa caussæ cohærent, utut in priore judicio omissa. Hinc si tertius quidam aut accedere velit, aut vocandus sit ad caussam, et accedere, et vocari poterit coram metropolitano. Quid vero, si desertam fuisse appellationem conventus proponat proindeque nullam amplius esse posse metropolitani jurisdictionem, et is, qui appellaverit inficietur? Hoc judicium pendebit a metropolitano, quoties jam coram illo introducta appellatio fuerit, et ipse inhibuerit suffraganeo, ne quidquam amplius de controversia attingat. At si interposita appellatio necdum introducta fuisse aut introducta quidem, sed sine inhibitione a metropolitano recepta, arbitror, seu suffraganeum, seu metropolitanum posse de ea litis parte cognoscere, et fieri preventioni locum. Sunt tamen caussæ quedam, in quibus, appellatione non obstante, sententia ordinarii suam habet executionem, et appellatio illum tantum effectum nancisritur, ut metropolitanus in caussa cognoscat et si iniquam judicaverit sententiam ab ordinarium prolatam, illam revocet, omniaque in integrum restituendo gesta rescindat. Unde vulgo traditur, in hoc caussarum genere appellationem devolutivum tantum non suspensivum effectum habere. Hujusmodi caussæ ad tria summa capita reducuntur. Primum est, quando sententia ipsa nullam ulteriorem executionem expectat, sed secum repente trahit, uti contingit in sententia excommunicationis, suspensionis, et interdicti, cap. 27, 53, vers. *verum* de appellation., cap. 10, de sentent. excom., et cap. 20, eod. tit in 6., sunt enim caussæ istæ ejus generis, ut sola sententia omnia perficiantur, quis ulterior sententiæ executio post factam pronunciationem expectanda sit; quamobrem nec repugnat, censuris notatos appellantes interpositis cautionibus absolvi, cap. 25, de appellation. quæ sane absolutio inutilis omnino esset, si censura ipsa abs judice in primo judicio illata in suspenso maneret. Alterum est, quando utilitas Ecclesiæ gravius non patitur sententiam diu in suspenso manere, argumento legis unicæ cod. si de momentaria possessione, uti evenit in eo casu quo episcopus parocho in idoneo remoto, vicarium caussa gerendi parochialis offici substituat, concilio tridentino ses. 21 de ref. cap. 6, aut quo episcopus quemquam residentiæ legibus non parentem, et contumacem a beneficiis præsertim parochialibus removeat, aliumque sufficiat, c. 6. de cleric. non resid. concilio tridentino, ses. 23, de ref. cap. 1.° in fine, aut quo episcopus occasione pubblicarum solemnitatum inter clericos, religiososve definiat, quis cui præcedat ne interea sacra turbentur, concilio tridentino ses. 25, de regularibus cap. 15. Postremum est, quando episcopus non in figura judicii sententiam profert sed extra ordinem ex officio corrigit notorios quosdam excessus ad publica avertenda scandala, uti contingit in specie capitis 14, ses. 25, de ref. in concilio tridentino, ubi eo ipso, quo mandatur episcopis, ut procedant adversus clericos concubinarios sine strepitu et figura judicii, mandatur etiam, ne quævis appellatio sententiæ executionem impediat, aut suspendat. Id etiam generaliter contingit quum episcopus visitans diœcesim cleri mores in ipso visitationis actu pastorali potius adfectione, quam judiciali censura reformat, cap. 13 de offic. jud. ordin., concilio tridentino ses. 24, de ref. cap. 10.

CAPUT IV.

De archiepiscoporum, primatum, et patriarcharum insignibus.

Huc referendus est titulus de auctoritate, et usu pallii, lib. 1, tit. 8.

Siquis a me percunctaretur, an archiepiscoporum, ceterorumque superiorum antistitum munus in onere potius an in honore consistat, vererer ego cum Augustino in can. 11, cau. 8. qu. 1, ne æque gravissimum onus, ac præclarum decus in eo officio agnoscerem. Id potissimum veluti symbolis demonstrant archiepiscopalia insignia. Ut enim omittam insignia illa recensere singularia patriarcharum græcorum, qualis erat fax ante ipsos præferenda, singulari etiam privilegio concessa archiepiscopis Bulgariæ, et Cypri, quemadmodum Balsamon in Melete testatur, duo sunt hodie communia patriarchis, primatibus, et archiepiscopis universis, pallium, et crux ante illos incedentes erigenda, quamquam aliquando ex singulari pontificis maximi privilegio etiam inferioribus quibusdam episcopis, licet perraro, concessa deprehendantur, toto tit. de auctoritate et uso pallii, cap. 23, de privileg., clement. 2, eod. tit. Nimirum pallium regale est insigne, in quo onor archiepiscopalis ostenditur; crux vero christianæ patientiæ argumentum, quo onus archiepiscopi designatur.

Sive de cruce, sive de pallio archiepiscopali sermo sit, hoc initio statui potest generale principium: scilicet fuisse olim utrumque insigne pontificis maximi, quod deinde majoribus episcopis, qui propius ad pontificem eundem accederent, et in episcopos saltem nonnullos jurisdictionem exercerent, ex speciali liberalitate concessum est. Multa sane inde derivant consectaria. Primum est, jus et pallii, et crucis privilegiarium esse, eandemque de eo capi semper interpretationem debere, quæ capitur in juribus privilegiariis universis cap. 23, de privilegiis; clement. 2, eod: tit. Secundum est, concedi solere legatis apostolicis insigni quadam legatione una cum maxima jurisdictione fungentibus. Tertium est, concedi solere vicariis apostolicæ Sedis, cap. 1, ut lite pendente. Quartum est, exinde intelligi commodissime, quare archiepiscopis universis concedatur; quia nimirum in episcopos provinciales vices quodammodo gerunt apostolicæ sedis, dicta clement. 2, de privilegiis. Quintum est, archiepiscopos jure crucis ante se deferendæ, palliique gestandi tantum gaudere in provincia, non extra provinciam, quod tantum intra provinciam vice sedis apostolicæ fungantur. Sextum est, archiepiscopos, præsente pontifice maximo, vel ejus legato, nec pallio, neque elata cruce uti posse, quasi cesset vicaria illa archiepiscopalis persona, ubi per se, vel per legatum suum extra ordinem missum pontifex maximus præsens adest. Septimum est, translato archiepiscopo ad alium episcopatum jus competens ex vi archiepiscopalis depositæ dignitatis expirare, nec propterea pallii pristino jure potiri, aut pristino jure efferendae crucis, nisi Ecclesia, ad quam translatus fuerit, simili metropolitica dignitate polleat. Octavum, et postremum est, jus pallii, et crucis non fieri commune coadjutori archiepiscopi, etiamsi datus fuerit cum jure futuræ successionis, ita postulante privilegii natura quæ non patitur, jura singularia de persona in personam facile extendi.

Jamvero ut specialiter nunc et de cruce, et de pallio disseram, ajo in primis, delationem erectæ crucis insigne olim fuisse pontificum maximorum, quod primum ab ipsis concessum fuisse legatis conspicua quadam legatione fungentibus, inde patriarchis, ac primatibus demonstrat Thomassinus in parte 4, disciplinæ ecclesiasticæ lib. 4, cap. 39, cap. 23 de privileg. Visum paullatim fuit, ut simili prærogativa donarentur ii, qui vi sui episcopatus vicarii apostolici dicebantur. Hinc archiepiscopus eboracensis in tota Anglia incedens ex singulari privilegio crucem ante se deferebat, cap. 1, ut lite pendente. Tandem id universis archiepiscopis commune factum est, clement. 2, de privileg. ex qua etiam constat, delationem crucis in tota provincia archiepiscopo permitti, etiamsi de locis agatur abs jurisdictione ejus exemtis; in istis enim in vestigium saltem veteris potestatis metropolitano honor, et reverentia debetur. Illud archiepiscopis, iisve majoribus prælatis observandum est, ut extra suam provinciam eo jure nunquam utantur, argumento cap. 5, de auctorit. et usu pall. proindeque qui archiepiscopi, vel primates, vel patriarchæ in partibus nominantur, ab eisdem insignibus abstinere debeant, quod extra provinciam constituti perpetuo sint; imo etiamsi ad aliam provinciam, aut diœcesim invitentur non poterunt facultatem a diœcesano invitante iis insignibus utendi obtinere; siquidem usus insignium extra provinciam non tam prohibetur, ne fraus fiat jurisdictioni diœcesanorum, quam ne privilegia singularia a pontifice maximo concessa latius extendantur. Præterea observandum est, ne in provincia quidem eo jure archiepiscopos, iisve majores prælatos uti posse, quoties, uti superius dictum est, vel adsit pontifex maximus, vel legatus a latere, vel alius pontificius legatus, qui tamen utatur insignibus apostolicæ dignitatis, dicto cap. 23, de privilegiis. Denegantur item insignia deferendæ crucis coadjutoribus illorum prælatorum, etiamsi jus habeant futuræ successionis, quod necdum ii proprie dignitatem adepti esse intelliguntur. Quod si contingat, archiepiscopum, primatem, vel patriarcham juri suæ Ec-

clesiae cedere, et alio transferri in Ecclesiam mere episcopalem, licet translato nomen archiepiscopi, primatis, vel patriarchæ retinere liceat, non tamen licebit crucem ante se deferri mandare, cum crucis delatio non tam dignitatis sit, quam jurisdictionis archiepiscopalis argumentum. Paucis hæc attigisse sufficiat; jam enim sub capitis hujus initium demonstratum est, quo ex principio hæc omnia veluti consectaria pendeant; mihi autem satis est certas præstituisse caussas, quas cum prudens quisque contempletur, tum statim vim consectariorum agnoscat.

De pallio, quod hodie alterum est majorum antistitum insigne, multa tradi a nostris solent, sed adeo involuta, ut vix patere possit, qualis fuerit illius origo, qualis forma, vel ratio. Ut plurimum enim hodiernum episcopale pallium cum antiquo confundunt, nec in ipsis palliis veterum satis distinguunt pontificale pallium a vulgari. Ego observo, olim quidem christianos pallio juxta usum philosophorum amictos incessisse, atque a romana toga, velut a cultiore et elegantiore habitu, humilitatis caussa abstinuisse, uti tradit Quintus Septimius Florens in libro de pallio, et B. Rhenanus in librum Tertulliani de pallio. Hoc pallii genus laneum erat, ut plurimum pulli, idest subobscuri coloris, et quadrangulare, cujus scilicet duo anguli ante pectus juncti integrum pallium a tergo pendens sustinebant, uti demonstravit Joannes Lami in libello de eruditione apostolorum cap. 4, digressione 1. Verum hoc erat vulgare pallium, quod nihil habet commune cum eo, de quo in præsentia quærimus. Fuit aliud regale pallium, quo primum imperatores, usi fuerunt ad certum dignitatis ac majestatis ornamentum. Erat et istud figura vulgaribus palliis valde simile, quod scilicet a collo circum penderet, et ad talos usque proflueret; at contextum ex bisso candente, necnon quibusdam loris, sive virgulis sub collo super humeros, et pectus pendentibus ornatum. Hoc vestimenti genus imperatores deinde elargiti sunt etiam illis, qui in præcelsa Ecclesiæ dignitate constituti essent. Sic Hieronymus Rubeus in historia Ravennatum edidit quoddam rescriptum sub nomine Theodosii Imperatoris, (quidquid sit de hujus rescripti fide, atque auctoritate) ex quo an. 432. Ravennatensi episcopo plures subjiciuntur civitates, et pallii gestandi jus conceditur. Præsertim vero concessum ab imperatoribus fuisse pallium romanis antistitibus, tamquam singulare supremæ in Ecclesia dignitatis ornamentum, liquet ex can. 14, dist. 96, qui licet apocryphus videatur, aliquo tamen momento in re facti valere potest, cum sit antiquus. Porro inter cetera inducitur ibidem Constantinus imperator ita scribens gratia romanorum pontificum: *contradimus palatium imperii nostri lateranense, deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque Phrygium, necnon et superhumerale, videlicet lorum, quod imperiale circumdare assolet collum, verum etiam et clamydem purpuream etc.* Quis non agnoscat in postremis his verbis pallium demonstratum? Clamydis enim nomine pallium intelligo, cui lorum, seu superhumerale adsutum erat, dixeris fasciam quandam, sive lineam, quæ pallii ipsius superiorem partem collo adhærentem ornabat. Itaque interea pallium pontificium ita elaboratum erat, ut ad talos usque demitteretur, ac flueret, quemadmodum universa veterum monumenta probant, in quibus, ubi de pallio agitur, de eo sermo fit, tanquam de vestimenti genere splendidissimo. Fuit etiam variis crucibus in tota sui latitudine depictum; at quod potissimum in pallio considerabatur, erat fascia illa superhumeralis, sive lorum, in qua situm esse quoddam insigne regium credebatur. Interea pontifices maximi legatis suis concesserunt jus pallii, quoties graviorem quandam legationem susciperent, et generaliter archiepiscopis illis, qui vicarii sedis apostolicæ certis in provinciis designabantur, ut etiam ex exterioribus ornamentis adsumtis viderentur pressius personam pontificis maximi sustinere: et quidem in hac pallii concessione consueverunt veniam ab imperatore petere, ne quod sibi liberalitate imperatoria concessum erat insigne imperiale, ad alios liberalitate propria extenderent. Sic Vigilius papa in epistola 1, ad Auxanium arelatensem non primum pallium ipsi vicariatum apostolicum gerenti se concessurum scripsit, quam Justiniani imperatoris consensum postulavisset, et Gregorius Magnus in epistola ad Brunichildem 11, l. 11, in editione Maurinorum missurus pallium ad Syagrium Augustodunensem testatur, se hanc facultatem ab imperatore obtinuisse. Id adeo verum est, ut episcopi pallio ornati crederent tunc se ex beneficentia potius imperatoris illud obtinuisse, quo pertinet, quod scribit liberatus diaconus in cap. 21, sui breviarii, videlicet Antimum Constantinopolitanum patriarcham a sede sua dejectum *pallium, quod habuit, imperatoribus reddidisse.* Postquam romanum imperium a Græcis translatum fuit ad Francos, romanus antistes, qui civilem etiam obtinuit in urbe Romana principatum, ad Vicarios suos in provinciis constitutos libere cœpit pallium mittere, tandemque cum archiepiscopi omnes vices gerere pontificias viderentur, eundem pallii usum obtinuere, quo tempore duplex invaluit disciplina; primum enim pallium inter sacra et vere ecclesiastica ornamenta haberi cœpit; deinde nova forma pallio indita fuit. Siquidem cum vetustum idem pallium constaret ex prolixa clamyde variis crucibus depicta, item ex superhumeralis, sive loro, quod erat potissimum in pallio ornamentum: pallium no-

vum in solo superhumerali, sive loro consistere cœpit, ut commodius ad archiepiscopos variis in provinciis constitutos mitteretur a romano pontifice, et cruces in eodem superhumerali adsui cœperunt, quæ olim in tota clamyde pingebantur, quasi in hac sola fascia antiquum adhuc pallium exhibeatur, utpote quæ olim tanquam præcipua in pallio considerabatur. Quicumque hæc bene, accurateque perpendat, facile interpretabitur canonem 1, et sequentes dist. 100, multa enim ibidem sunt, quæ formam quidem recentiori disciplinæ, aut saltem occasionem dederunt, sunt tamen singula ad sua tempora redigenda, quando, ut diximus pallii jura variis vicissitudinibus fuisse constat obnoxia.

Recentioribus sæculis, nimirum ab edito Gratiani codice, editisque decretalibus in gregoriano codice insertis, plures regulæ de usu pallii, et potestate illorum, qui pallio utuntur, statutæ fuerunt, vel quæ ad pallium ipsum, ejusdemque petitionem, concessionemque referuntur, vel ad eos, qui pallium concedunt, vel ad eos, qui pallium suscipiunt, vel denique seu ad tempora, seu ad loca, in quibus pallii usus permittitur.

Quod ad ipsum pallium attinet, invaluit, ut texatur ex candida lana, ea forma, ut habeat circulum humeros constringentem, et duas lineas, sive fasciolas ab utraque parte dependentes, ut aliquot intextas habeat purpureas cruces, ut duplex a sinistris sit, simplex a dextris, ut denique in tres partes concisum tribus infictis acubus jungatur, seu consuatur. Illud, quod in latina Ecclesia petitur a romano pontifice, ab eodem pontifice benedicitur ad monumentum S. Petri, ex quo deinde adsportatur, unde illud sumi dicitur de sancti Petri corpore, cap. 4, vers. *Cum igitur* de electione. Formula petendi pallii vehementibus precibus concipi solet, ut ex. gr. impetraturus dicat, se *instanter*, *instantius*, *instantissime* petere; quod inductum fuit ex can. 2, dist. 100, ubi cautum adparet, pallium concedendum non esse, nisi *fortiter postulanti*; quamquam hæc verba meo judicio referenda potius fuissent ad adjuncta ætatis Gregorii Magni ejus canonis auctoris, quando ad impetrationem pallii intervenire solebat imperialis consensio, et quando pallium insigne erat imperatorium, quod propterea sine discrimine cuicumque petenti archiepiscopo concedebatur, eove minus ulla imminebat archiepiscopis pallii petendi obligatio. Nihil autem refert, an ab archiepiscopo in propria persona petatur, an per procuratorem, dummodo hic mandatum habet speciale. Illud quoque obtinuit, ut, quo tempore pallium peteretur, et fieret fidei professio, et consuetum jusjurandum, quo inter cetera spondeat, qui pallium suscipit, se pontifici maximo et obedientiam, et reverentiam exhibiturum, cap. 4, de elect. argumento canonis 9, dist. 100. Cum enim liqueat ex dicto can. 9. pontificem maximum pallium concedentem consuevisse antistitibus nonnulla singularia privilegia, et munera elargiri, congruum profecto erat, ut iidem antistites caverent, se rite recteque muneribus eisdem singularibus functuros. Eam ob rem cum olim et fidei professio, et jusjurandum tempore consecrationis edicerentur, obtinuit, ut eadem tempora trium mensium, quæ conceduntur electis confirmatis, ut consecrationem petant, concedantur quoque pallium suscepturis, quæ nonquam, nisi legitima subsit caussa, excedantur, can. 1, dist. 100, cujus sententia perperam tributa Pelagio papæ tribui rectius debuisset concilio ravennatensi anni 877, quemadmodum observavi in meis animadversionibus in Gratianum. Hæc enim disciplina primum in laudato ravennatensi concilio constituta est, confirmataque a Gregorio VIII in epistola I, lib. 9. Regesti, quibus addi potest concilium tridentinum in sess. 7, de reform. cap. 9. Cum vero tradi cœperit, per pallium pontificalis officii plenitudinem cum archiepiscopalis nominis appellatione conferri, cap. 3, de auctorit. et usu pallii, recepta disciplina fuit, qua archiepiscopus utut consecratus ante receptum pallium a certis sui muneris functionibus abstineret. Jam id, fateor, a nonnullis relatum est ad tempora Pelagii papæ, sive primus fuerit, sive secundus, ille profecto, cui tribuitur canon 1, dist. 100, sed, uti modo adnotabam, monumentum illud apocryphum est, quamquam occasionem dare potuerit novæ statuendæ disciplinæ, quæ scripta lege confirmari cœpit in concilio ravennatensi anni 877, cau 1, et 2 ibi: *Quisquis metropolitanus intra tres menses consecrationis suæ ad fidem suam exponendam, palliumque suscipiendum ab apostolica sede, nulla inevitabili necessitate imminente, non miserit, commissa sibi careat dignitate; ita ut tamdiu episcopali illi sedi cedat, omnique consecrandi licentia careat, quamdiu in exponenda fide, et in expetendo pallio priscum morem contemserit etc.* Dixi, necdum recepto pallio a certis muneris functionibus esse abstinendum. Qualia hæc sint, exprimuntur in cap. 28, vers. *Super eo* in fine de elect. nimirum convocare concilium, conficere chrisma, dedicare basilicas, ordinare clerico, et episcopos consecrare. In conspectu hujus capituli ego arbitror hæc, quæ ibidem exprimuntur, non tanquam generalis regulæ exempla proponi, sed potius tanquam certa munera, a quibus archiepiscopi necdum pallium consecuti abstineant integra manente in aliis minime expressis et episcopali, et archiepiscopali jurisdictione. Neque vero aberrare me ita sentientem sinit Alexander III, in cap. 11, eod. tit. dum rescript. metropolitanum ante susceptionem pallii adhuc potuisse mandare suffraganei episcopi consecrationem ab alio episcopo faciendam, licet

ipse consecrare suffraganeum electum minime potuisset. Quid vero est, quod subjicitur in dicto cap. 28. *Multum profecto præsumit, qui, antequam impetret pallium, clericos ordinare festinat, cum id non tanquam simplex episcopus, sed tanquam archiepiscopus facere videatur?* Num forte vel a vero aberravit Innocentius III, cum facultatem clericorum ordinandorum non episcopali, sed archiepiscopali potestati adscripsit, quando alias vulgaris res est, unumquemque episcopum posse clericos suæ diœcesis ordinare; vel generalem regulam statuit, nihil archiepiscopum posse facere ante acceptum pallium, in quo non episcopalis, sed metropolica jurisdictio exerceatur, quod tamen esset contra doctrinam Alexandri III, in dicto cap. 11, statuentis, archiepiscopum ante susceptum pallium mandare posse, ut suffraganeus consecretur, qua in re non episcopalis, sed metropolitica jurisdictio exercetur; vel denique sibimet contradicet idem Innocentius, quando videtur distinguere inter episcopalem, et archiepiscopalem jurisdictionem, et tradere, ante susceptum pallium exerceri posse episcopalem tantum, non etiam archiepiscopalem jurisdictionem, deinde quasi mutata sententia tradere, non licere archiepiscopo, ante susceptum pallium conficere chrisma, et dedicare basilicas, in quibus officiis non archiepiscopalis, sed episcopalis jurisdictio explicatur? Ad diluendas, quæ super innocentianum rescriptum offundi possent, tenebras, præstituenda erit in primis generalis regula; deinde et recta fluet ejusdem rescripti interpretatio, et utilia ad rem nostram consectaria deducentur. Regula erat moribus confirmata, sive Alexandri III, sive Innocentii III, temporibus, ut ea episcopalia ufficia, quæ fierent a metropolitanis pontificalia insignia in sua diœcesi, vel provincia gestantibus, exerceri non possent ante susceptionem pallii, quin ulla esset distinctio inter ea, quæ ab archiepiscopo gererentur in diœcesi tanquam episcopo, et ea, quæ gererentur ab archiepiscopo, tanquam archiepiscopo; etenim non duæ habebantur dignitates episcopi, et archiepiscopi, sed una tantum archiepiscopalis, quæ episcopalem sub se continebat, quo pertinent laudata illa rescripti verba, *tanquam archiepiscopus facere videtur*, in quibus notanda est formula per verbum *videtur* expressa; quasi dixerit Innocentius, archiepiscopum ordinantem clericos revera quidem episcopum gerere, sed interea archiepiscopum videri, propterea quod sacris insignibus indutus archiepiscopus ordinationem facere debuisset, pallium autem inter sacra insignia recensetur. En caussam, quare ab archiepiscopo ante pallii susceptionem non essent clerici ordinandi ex Innocentii III, sententia: ex qua insuper intelligimus, quare Innocentius rescribendo adjecerit, archiepiscopum non posse ante susceptum pallium chrisma conficere, dedicare Ecclesias, consecrare episcopos, et synodum celebrare; in his enim omnibus archiepiscopus, aut archiepiscopum, non episcopum agit, aut si episcopum agit, ob sacra, quæ suscipit, indumenta non episcopum, sed archiepiscopum agere videtur. In iis vero, quæ sine usu pontificalium geri ab archiepiscopo possent, admittebatur, archiepiscopum etiam tanquam archiepiscopum agere posse ante pallii susceptionem, quo spectat laudata Alexandri III, doctrina in dicto cap. 11. Hinc ego colligo, archiepiscopum ab episcopo rogatum, ut in alia diœcesi non sibi suffraganea pontificalia exerceat, aut ordines conferat, aut chrisma conficiat, aut basilicas dedicet, posse adhuc hæc omnia peragere, etiamsi needum pallium susceperit, quia tum nec archiepiscopum gerere ullo modo videtur; proindeque huc pertinere non potest allata Innocenti III, ratio

Pallium in occidentali Ecclesia sive archiepiscopis, sive primatibus unus concedit romanus antistes Non ita receptum fuit in Ecclesia orientali; siquidem in eadem etiam patriarchæ, qualis est Alexandrinus, Antiochenus, Constantinopolitanus, et Hierosolymitanus, unusquisque in suo patriarchatu pallium concedunt sive archiepiscopis, sive primatibus, can. 17, Synodi VIII, cap. 23, de privilegiis. Et quidem olim id libere a patriarchis illis fiebat; ita ut ne ipsi quidem a romano pontifice pallium obtinere solerent, sed manu sua in patriarchali Ecclesia caperent, et induerent, usi testatur liberatus in Breviario cap. 20. Deinde vero, ut clarius obedientia, et reverentia in romanam sedem exhiberetur, cautum fuit, ut non primum ad concessionem pallii iidem patriarchæ devenirent, quam ab apostolica sede ipsi pallium suscepissent, dicto cap. 23.

Non unicuique petenti conceditur pallium, sed tantum illis, quos et sedis dignitas singularis, et merita personæ commendant. Dignam sedem habere olim is dicebatur, qui episcopatum teneret, cui esset adnexus vicariatus apostolicæ sedis, can. 10, dist. 100. Hodie vero datur petentibus patriarchis, primatibus, et archiepiscopis universis, non minoribus episcopis, nisi quædam sit civitatensis Ecclesia, seu sedes episcopalis, quæ hoc privilegium a sede apostolica obtinuisse probetur, cap. 15, de præsumtionibus. Merita olim ad obtinendum pallium insignia esso debebant, can. 2, dist. 100. Hodie autem statim ac quis dignus archiepiscopatu deprehenditur, pallio quoque dignus esse intelligitur. Quamobrem statim ac quis est in archiepiscopum consecratus, non debet in suspenso manere pallii concessio, ex eo forte, quod nonnulli adversus eundem archiepiscopum quidquam objciant, quamquam post concessionem pallii judicium de ea re minime denegetur, extravag. un. de

auctorit. et usu pallii. Nemo exinde non colligit, pallii jus partim reale, partim personale esse, reale ex dignitate sedis, personale ex meritis personæ. Quando vero diversi sunt effectus jurium personalium ab effectibus jurium realium, definiendæ erant species, in quibus pallium modo tanquam jus personale adpareat, modo tanquam reale. Quod reale sit, receptum fuit, ut successor in dignitate pari pallii petendi jure gaudeat; item ut translatus archiepiscopus ad aliam metropolitanam Ecclesiam non possit priore pallio uti, sed aliud impetrare debeat, cap. 4, de postulat. Prælat. Quod personale sit, receptum fuit, ut archiepiscopus nequeat alteri pallium suum utendum concedere, idemque vita functus cum eodem pallio sepeliatur, cap. 2, de auctorit., et usu pallii.

Si de loco quæratur, intra quem pallii usus permittitur, summus quidem pontifex ubique illud defert; sed metropolitani illud tantum in diœcesi sua, vel provincia deferunt, cap. 1, de auctorit., et usu pal. ex quo explicandum est capitulum 6, eod. tit. quod enim ibidem dicitur *ubicumque* licere, intelligi oportet de universa provincia, non etiam extra eandem, ut hæc monumenta invicem consonent. Excipe tamen casum singularis privilegii, quod quis a romano pontifice obtinuisse demonstret, cap. 5, eod. tit. Id verum est, etiamsi de locis exemptis agatur, dummodo intra provinciam sitis, clem. 2, de privilegiis. Hinc colligitur, patriarchas, primates, et archiepiscopos, qui dicuntur in partibus constituti, quod extra provincias sui episcopatus degere cogantur, pallio uti non posse, uti superius jam traditum est. Adversus hæc vulgo opponi solet lex 1, ff. de offic. procons. ex qua liquet, insignia a proconsule deferri posse etiam extra provinciam sibi designatam. Vulgo etiam responderi solet, insignia proconsularia jurisdictionem proconsulis designare, non exercitionem jurisdictionis; e contrario insignia metropolitanorum non tam ad jurisdictionem, quam ad ejusdem exercitionem designandam referri, unde utriusque disciplinæ discrimen eruatur. Ego vero cum intuear, totam hanc rem ab arbitrio illius pendere, qui insignia concessit, verius dixero, gratia proconsulum aliquid amplius voluisse romanos, quam voluerint pontifices maximi gratia metropolitarum. Quid enim, si romanus antistes etiam non concessa jurisdictionis exercitione in aliena provincia pallii usum alicui concesserit? Nonne is etiam extra provinciam pallio utetur? Argumentum est in dicto cap. 5, de auctorit. et usu pallii.

Denique observandum est, certos sacris canonibus designatos fuisse dies, imo et certa solemnitatum adjuncta, quibus archiepiscopus pallio uti possit, non ex. gr. extra solemnia missarum, seu in officiis privatis, can. 6 et 8, dist. 100, non extra Ecclesiam, sive sacras ædes, cap. 1, de auctorit. et usu pallii, non in missis pro defunctis, cap. ult. eod. tit. non quibuscumque diebus, sed solemnioribus, c. 4, et 6, eod. tit. Non est sane omittendum, archiepiscopum pallio uti posse, quibus in casibus quamquam episcopum agat, archiepiscopum tamen agere videtur, quemadmodum liquet ex iis, que superius dicta sunt ad interpretationem capituli 28 de electione. Hujusmodi est ordinatio clericorum, celebratio concilii, consecratio basilicarum, consecratio episcoporum, et confectio chrismatis. Statim ac enim cautum est, ne archiepiscopus hæc peragat ante susceptum pallium, tacite insinuatum videtur, ut in istis officiis deceat, archiepiscopum pallio ornatum procedere.

DISSERTATIO QUARTA

DE EPISCOPIS

CAPUT I.

De ordine Episcopali.

Huc referendus est titulus 15, lib. 1.

A vetustis civilibus Romanorum officiis multa ad significandas ecclesiasticas dignitates derivata sunt nomina. Qui pani præerant, et ceteris venalibus rebus, quæ civitatum populis ad quotidianum victum usui erant, episcopos nominatos fuisse testatur Charisius in leg. 18, § 10, ff. de muner. et honor. Eodem nomine Ecclesia appellavit apostolorum in ordine successores, vulgato vocabulo quasi speculatores, can. 1, dist. 21, seu quasi qui in populi vitam, et mores intendant, uti interpretatur Augustinus in can. 1, dist. 11, cau. 8, qu. 1, quamquam aliis nominibus sæpe donaverit, nimirum summorum sacerdotum, can. 6, cau. 3, qu. 1, can. 16, cau. 12, qu. 1, cap. un. vers. *Per frontis* de sacra unctione, pontificum, can. 4, cau. 7, qu. 1, cap. 4, de sent. excom. in 6. Pastorum, cap. 56 de elect., Præsulum, cap. 11, de tempor. ordin. et antistitum, ut alia omittam similia numero plurima. Porro isti sunt, quibus divino jure Ecclesiarum fuit cura commissa, quos adloquens Paulus aiebat in capitulo 20 Actuum apostolicorum: *Attendite vobis, et*

universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei; quæ ad verba respexit concilium Tridentinum in sess. 6, de refor. cap. 1. Id adeo verum est, ut Augustinus muneris sui gravissimi æque ac præclari maxime conscius merito dubitaret, an episcopale officium magis in opere, quam in honore consisteret, can. 11, cau. 8, q. 1, et patres concilii tridentini in cap. 1, sess. 25, de ref. optarent, ut *qui episcopale ministerium susciperent, ad labores, et sollicitudines pro Dei gloria se vocatos esse intelligerent.* Et magnum honorem, et grave ministerium, utrumque plane apostolicum, nemo melius expressit meo judicio, quam Augustinus, cum ita scriberet in psalmum 44. *Patres missi sunt apostoli, pro apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt episcopi. Hodie enim episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclesia patres illos appellat, ipsa illos genuit, ipsa illos constituit in sedibus patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es: de prole tua tibi crevit paternitas: pro patribus tuis nati sunt tibi Filii,* Can. 6, dist. 68. Quando vero in episcopis utraque potestas constituta est, ordinis nimirum, et jurisdictionis, illa æqualis in omnibus, can. 16, cau. 24, quæst. 1, ista vel a divina institutione, quæ unum præesse ceteris voluit, nimirum apostolis Petrum, et apostolorum successoribus episcopis universis successorem Petri romanum antistitem vel ab ecclesiastica regendi forma quæ et archiepiscopos, et primates, et patriarchas designandos ob utilitatem fidelium postulavit, modum excipiens: quid deest eximiæ dignitati, in qua situs exinde dicitur sacerdotii principatus? de quo propterea, ait Epiphanius in epistola ad Trallesios, honorandum esse episcopum, ut principem sacerdotum, imaginem Dei referentem, Dei propter principatum, Christi vero propter sacerdotium.

Ut de sacerdotio verba in primis faciamus, inhærentes patrum vestigiis, ac præsertim Tridentinorum, qui in cap. 4, item in can. 6, et 7, sess. 23, definiverunt, esse in Ecclesia hierarchiam divina ordinatione institutam, constantem ex episcopis, presbyteris et ministris; itam episcopos esse presbyteris superiores, potestatemque seu ordinandi, seu confirmandi episcopis cum presbiteris non esse communem, concludimus, gradum episcopatus a gradu presbyteratus esse distinctum. Qui contra senserunt, etiam a vetustissimis patribus tanquam hæretici damnati fuerunt. Primus ex his fuit Aerius, de quo ita scribebat Epiphanius hæresi 75. *Est autem illius dogma supra hominis captum furiosum, et immane: In primis enim, quanam, inquit, in re presbytero episcopus antecellit? Nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus ordo, par et idem honor, ac dignitas. Manus imponit episcopus, imponit et presbyter. Divinum omnem cultum administrat episcopus, non minus id facit et presbyter. Episcopus in throno sedet, sed et presbyter. His in vulgus jactatis, plerosque in errorem abduxit.* Deinde hanc hæresim secuti sunt recentioribus sæculis Valdenses et Albigenses, post quos etiam Wicleffus, ac postremo Lutherus et Calvinus. Verum non dissimulo, viros catholicos in hoc dogmate explicando varia comminisci, omnia tamen incerta, probabilibus tantum argumentis innixa, quæ contrariis partium studiis etiam probabilibus refelluntur. Fatentur omnes diversam in episcopo, et in presbytero potestatem, ubi autem de charactere disputant, alii diversum affirmant, alii inficiantur. Sunt enim, qui putant, in ordinatione episcopali non novum ordinato characterem imprimi, sed presbyteralem intime augeri; quidam vero nec augeri characterem intime, sed exterius novos effectus characteri presbyterali adjici; atque ex eo novo respectu diversitatem ordinis satis confici. Nolo ego his nimis acutis quæstionibus intricari, sive quod quamcumque tuearis opinionem, nihil novæ utilitatis ad rem adjicias, sive quod in re obscura a sanctis patribus veteribus non satis explicata opportunius est non ulterius progredi, donec judicio Ecclesiæ hæc definiantur, quam periculose procedere; contentus generali observatione, qua firmetur, divino jure eos gradus omnino distinctos esse. Quod ut gravissimo demonstretur argumento, sufficit ad ea respicere, quæ superius in prima Dissertatione explicata fuerunt, cum de potestate ordinis, prout abs jurisdictionis potestate distinguitur, ageretur. Si enim potestas ordinis est divino jure constituta sacramentum ordinis episcopalis, et presbyteralis, aut etiam Sacramentum confirmationis administrare, aut dicendum est, singularem ordinem fore episcopatum, quando ab ipso ex jure divino eorum sacramentorum collatio pendet; aut dicendum esset, etiam collationem illorum sacramentorum a presbyteris fieri ordinaria potestate, et vi sui gradus valere, quod tamen foret inauditum, et ecclesiasticæ perenni traditioni adversaretur. Adde his, Ecclesiam alio ritu consecrare consuevisse episcopos, alio presbyteros, quod sane perspicue indicat illorum ordinum distinctionem, quum adparet in eo diversa verborum formula, diversa etiam res sensibilis, quam materiæ, et formæ diversitatem recentiores scholastici appellant.

Acta res esset, et nulli obnoxia difficultati, nisi in contrarium objicerentur aliquot monumenta S. Hieronymi, qui visus est sensisse, olim, idest apostolicis temporibus, eundem fuisse episcoporum et presbyterorum gradum, humana autem consuetudine episcopos supra presbyteros elatos fuisse, non ex Christi au-

ctoritate, atque institutione majore, can. 24, dist. 93, et can. 5, dist. 95. Scio multos conatos fuisse, ut sanam interpretationem Hieronymo affingerent; modo tradendo, non de ordine sanctum virum locutum fuisse, sed de administratione ecclesiarum, quæ apostolico sæculo in commune et ab episcopis, et a presbyteris gerebatur; modo tradendo, sanctum virum disputatione acri ferventem paullo excessisse, dum diaconos exagitaret sese supra presbyteros inferendo ambitu evehentes, eousque ut scriberet, nihil inter presbyteros, episcoposque differre. Verum hæc etsi verosimilia videantur, et hieronymianæ convenientia ætati, qua maximus erat diaconorum ambitus; non tamen adeo æque accommodantur laudatis Hieronymi locis, ut ex eis locorum eorundem commoda fluat interpretatio. Itaque ut singula belle explicentur, juvabit initio nonnulla ponere adjuncta illius temporis, ad quæ Hieronymus scribendo respiciebat, exagitans varios abusus, qui tunc adversus ecclesiarum utilitates irrepserant. Primus abusus erat diaconorum, qui sese supra presbyteros evehebant; uti enim ad ipsos temporalium ecclesiæ rerum cura ex officio spectabat, unde quotquot impendenda erant ad alimenta clericorum, imo et ipsorum episcoporum, a diaconis suppeditabantur, ita quum patrimonia ecclesiarum ampla esse cœperant, majorem in dies dignitatem sibi illi adrogabant, eo animo erga presbyteros se exibentes, quo se exhibere solent, qui menstruas, annuasve pensitationes luunt ex publico ærario erga eos, quibus pensitationes debentur, videlicet gratiosiores erga eos, a quibus certis officiis colerentur, duriusculos erga eos, qui de sua dignitate nihil imminui paterentur. Id apertissime liquet ex observatione canonis 13, 14, 15, 23 et 24, dist. 93. Alter abusus erat nonnullorum episcoporum, qui quiquid fere erat gravioris in ecclesia officii, sibi solis vindicabant, imo et sibi addicebant amplissimos ecclesiarum redditus, vix pauca quædam presbyteris relinquentes, aut ex iis, quæ dignitatem ex officia presbyterorum spectarent, aut ex iis, quæ necessaria forent ad sustentationem vitæ. Id dolebat Hieronymus, aut quisquis auctor est canonis 23 dist. 93, et canonis 6, dist. 95. Neque inverosimile est, episcopos istos diaconis ambientibus morem gessisse, imo et a diaconis multa ministrantibus vicissim fuisse adjutos, ut sic communibus fere studiis presbyteri inertes et abjecti vilescerent. Hinc autem tertius emergebat abusus presbyterorum, quorum aliqui conabantur jugum episcoporum excutere, quasi ad injurias avertendas, unde Hieronymus in canon. 7, dist. 95, quasi episcopos, et presbyteros conciliaturus ita utrosque monere visus est, inquiens: *Episcopi sacerdotes se esse noverint, non Dominos; honorent clericos quasi clericos, ut et ipsis a clericis quasi episcopis honor deferatur. Scitum est illud oratoris domitii: Cur ego te, inquit, habeam ut principem, cum tu me non habeas ut Senatorem?* Ex his denique omnibus quartus emergebat abusus nonnullorum episcoporum, qui sine delectu presbyteros ordinabant, rudes quoscumque, et imperitos, inertesque ad ecclesiastica graviora ministeria, ex eo forte, quod si tales presbyteros in ecclesia habuissent, tutius in operam dignitatemque suam universa conferrent. Id iterum testatur Hieronymus in suis commentariis in epistolam Pauli apostoli ad Titum. Istos omnes abusus veluti in conspectu habebat Hieronymus et ipse in presbyteratus ordine constitutus, quos exinde dolebat vehementer, modo de diaconis se supra presbyteros evehentibus, modo de episcopis presbyteros contemnentibus gravissime conquerens, modo hunc, modo illum abusum exagitans elato stylo, et forte plus æquo provecta disputatione, cujus ardor eo sanctum virum efferebat, quo progredi pacato animo noluisset.

Post hæc ita posita, ad laudatorum Hieronymi monumentorum interpretationem accedo. Utque exordiar a dicto can. 5, dist. 95 ajo, minus commode ab iis interpretibus canonem explicari, qui aut tradiderunt, Hieronymum ibidem contra diaconorum ambitum disputantem paullo excessisse, aut Hieronymum ibidem locutum esse non de ordine, sed de dispensatione rerum ecclesiasticarum; etenim integer sancti viri contextus longe alienus est ab his interpretationibus. Eo in loco commentarium scribebat Hieronymus in epistolam Pauli ad Titum; verba autem canonis pertinent ad expositionem illorum verborum apostoli cap. 1. *Constituas per civitates presbiteros, sicut et ego disposui tibi. Si quis sine crimine est, unius uxoris vir etc.* Hinc occasionem arripuit conquerendi de episcopis illis, qui presbyteros ordinaturi mandatum apostoli negligebant, nimirum eos initiabant presbyteratu, qui qualitatibus a Paulo præstitutis destituebantur. Inde etiam ulterius progressus fuit, adjiciens, easdem esse qualitates ordinandorum presbyterorum oportere, quæ sunt episcoporum; quod commodum erat demonstrare ex contextu apostoli, præsertim in subsequentibus verbis: *Oportet enim episcopum sine crimine esse etc.*, item ex epistola ejusdem Pauli ad Timotheum I, cap. 3, qua collata cum capite 1, epistolæ ad Titum urgere videtur Paulus atque Titi sollicitudinem in presbyterorum, ac sollicitudinem Timothei in episcoporum ordinatione. Itaque quod in dicto canone dicitur, idem olim fuisse presbyterum, qui erat episcopus, non ad ordinem, sed ad qualitates pertinet ordinandorum; quod si adjicitur, ex schismatibus factum fuisse, ut episcopus superponeretur presbyteris, sententia hæc deplorantis est, presbyteros ordi-

nari postea cœpisse minus idoneos, quasi rerum ecclesiasticarum administratio a solo episcopo penderet, non etiam a consilio presbyterorum. Huc pertinet, quod ibidem dicitur, fuisse ecclesias olim communi presbyterorum consilio gubernatas; ex quo sacerdotali officio rite concluderetur, non alios esse ad presbyterale officium advocandos, quam quos episcopalis et honor, et opus admitteret. Neque enim ferre poterat sanctissimus vir et ipse presbyteratu initiatus, quod sibi objici non infrequenter audiebat, non adeo elaborandum esse in celebrandis ordinationibus sacerdotum, quod recentiore ætate obtinuerit, ecclesiarum regimen, moderationemque solis episcopis reservari, presbyteros autem vel in sacræ psalmodiæ recitatione, vel in muneribus ad unum corpus Chsisti verum, neutiquam ad mysticam referendis detinendos esse. Hæc est mea de Hieronymi doctrina sententia, in quam eo libentius eundum putavi, quo clarius agnovi, Gregorium VII, ita sanctum doctorem intellexisse in suo conciiio romano I, anni 1074, in can. 14 et 15 hujus concilii verba, quemadmodum et integrum Hieronymi contextum jam exhibui in meis animadversionibus in Gratianum. Si quis modo hanc ipsam interpretationem accommodare etiam velit canoni 24, dist. 93, non repugnabo; quamquam tamen verius judicarem aliam affingendam interpretationem, nimirum eam, quæ propius ad Hieronymi scopum propositum in epistola ad Evagrium, ex qua canon depromtus fuit, accedat. Invehebatur ibidem Hieronymus adversus illos, qui diaconos presbyteris exæquabant, atque ita de presbyteris disputando loquebatur, ut indicaret, apostolica ætate nihil pene inter presbyteros et episcopos discriminis intercessisse. Ceterum neque adeo disputationis ardore percitus ibidem videtur, ut omnino presbyteros episcopis æquipararet, sed tantummodo in officio regendæ ecclesiæ in gravissimis spiritualibus negotiis; unde constaret, presbyterorum officium officio diaconorum longe esse majus. Imo si verba illa consideremus: *Quid facit, excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat?* liquido concludemus, Hieronymum distinctionem ordinis admisisse, quando sacros ordines, qui conferendi ab episcopo sunt, inficiatus est a presbyteris posse conferri. Insuper gravissimum argumentum eruitur ex postremis canonis verbis, ubi Hieronymus ita contra diaconos sese supra presbyteros evehentes argumentabatur. Ut presbyter fiat, ajebat ipse, ex diaconis quis assumitur; nunquam ex ordine presbyterorum assumitur, qui in diaconum sit ordinandus, ergo, colligebat Hieronymus, ex divina institutione diacono major est presbyter. Quis modo dicat, non venisse in mentem Hieronymi viri sane acutissimi simile argumentum ad demonstrandam præstantiam episcoporum supra presbyteros, quando eadem ratione dici potuisset, ex episcopis neminem in presbyterum ordinari, e contrario ordinandum episcopum e presbyterorum numero advocari, proindeque episcopum presbytero esse majorem? Quod si non admisisset Hieronymus, inextricabili sane se difficultate obvolvisset. Quod si in præcedentibus paullo ulterius Hieronymus excessisse deprehendatur, dandum quidquam est viro acerrime disputanti adversus ambitum diaconorum, quando alias certa specimina præbuit, quibus indicaret, se episcoporum supra presbyteros præstantiam admittere

CAPUT II.

De episcoporum auctoritate generaliter.

Huc referendus est titulus 31. lib. 1.

In conspectu eorum, quæ initio præcedentis capitis dicta sunt, ubi de episcoporum jurisdictione ageretur, quis cum Cabassutio in theoria, et praxi juris canonici cap. 1, in fine non redarguet Gratianum principio suæ distinctionis 18, tradentem, totum episcoporum officium in exhortando, et corrigendo consistere, nihil autem eorum auctoritate constitui posse, vel definiri? Vel glossographus idem gratianei decreti notam adjecit, nequis facile collectoris fama ad idem sentiendum traheretur, ita scribens: *illud non est verum, quia episcopi bene possunt condere canones episcopales, et archiepiscopus provinciales, quia quilibet populus, et quælibet ecclesia sibi potest statuere aliquod jus.* Ab hac potestate canonum ferendorum, quæ episcopali muneri cohæret, quæque maxima est, et eminens jurisdictionis facultas, unde sicut episcopi dignitatis caussa sublimem obtinent in Ecclesia sedem, can. 10, dist. 95, ita caussa egregiæ illius jurisdictionis opportunum visum fuit, ut a vinculo patriæ potestatis eximerentur, quemadmodum eximebantur in dignitate consulari, vel præfectura prætoriorum constituti, Nov. 81, cap. 3, unde sumpta authentica *Sed episcopalis* cod. de episc. et cler., can. 20, dist. 54, cap. 13, qui filii sint legitimi, imo et a vinculo servitutis, si forte contingat, servum episcopum consecrari, Nov. 123, cap. 4, unde sumpta authentica *episcopalis ordo*, cod. de episc. et cler., dicto can. 20, dist. 44, facile deducitur, de episcopali jurisdictione eam constituendam esse regulam, qua tradatur, omnia geri in commissa diœcesi ab episcopo posse, quæ ad utilitatem et rationem Ecclesiæ pertinent, nisi de iis agatur, quæ Ecclesiam universam respiciunt, vel de iis, quæ jam superiori vel conciliorum, vel antistitum auctoritate definita fuerunt, contra quæ nihil episcopis molire licet, ne forte inde res

ecclesiasticæ susdeque vertantur, aut turbentur, neve unitas certa Ecclesiæ nostræ nota disrumpatur, vel denique de iis, quæ ab illius potestate detracta, aut exempta, aut majori potestati reservata probantur; seu, quod idem est, uti pragmatici loquuntur, episcopum habere intentionem in jure communi fundatam, cap. 7 de privileg. in 6, eamque ob rem, siquis adversus episcopum agat, sibique certam adserat jurisdictionis speciem, quam episcopo deneget, eum de jure singulari, puta legitima consuetudine, præscriptione, privilegio, aut similibus fidem facere perspicuam oportere, cap. 16 de offic. jud. ordin., cap. 13 de foro compet. Sunt episcopi apostolorum successores, eademque, quæ apud apostolos fuit, in episcopos jurisdictio derivavit, libere semper exercendo, quousque coercita non appareat lege publica, cui et ipsos episcopos parere necesse est, quorum auctoritas non est in Ecclesia suprema omnium, sed suos pati debet prælatos, a quibus certos modos accipiat, ita suadente Ecclesiæ utilitate, ita etiam postulante divina institutione.

Operosa res esset latissime pervagari per varia exempla, quæ sane si heic congererentur, universas propemodum ecclesiasticas caussas huc referri oporteret. Generaliter tamen dicam, in id omne graviter incumbere episcopum et posse, et debere, quod ad doctrinam fidei, morumque tuendam, servandamque, atque ad disciplinam dirigendam pertinet. Ecclesiarum omnium unitas, quam nunquam discerpere potuit divisio diœceseon, aut partitio episcopalium potestatum, sita est præprimis in uniformi professione fidei, in administratione eorundem sacramentorum, atque in concordi voluntate exequendi etiam positiva Dei præcepta. Quando hæc unitas character et nota est veræ Ecclesiæ, inde proficiscitur, ubicumque Ecclesia sit, ibi existere, apparere eorundem dogmatum professionem, eorundem sacramentorum administrationem, eandem denique voluntatem servandi divina precepta, quin ulla aut varietas, aut mutatio induci ab episcopis valeat. Non ita pendet Ecclesiæ unitas ex capitibus disciplinæ, quam constat obnoxiam esse variis vicibus, modo temporum, modo locorum, modo similium adjunctorum, qua in parte nonnihil episcoporum auctoritati tribuitur.

Sunt quædam disciplinæ capita, quæ licet non sint suapte natura unitatis ecclesiasticæ fundamenta, nihilominus aut perpetuo agnita, aut certis temporibus definita fuerunt tamquam ejusdem unitatis argumenta, ut hæc ipsa unitas notis adhuc uberioribus accedentibus demonstraretur, et magis magisque palam conspiceretur. Ad devinciendas arctius christianas provincias fuerunt in hac re selecta quædam disciplinæ capita, quæ aut opportuniora essent ratione caussarum, aut essent natura sui illustriora, in quibus concordia indiceretur, relictis inde ceteris liberæ voluntati singularium antistitum, qui populi sibi commissi indolem, rationes, sicut et adjuncta et temporum et locorum penitissime cognoscentes, prudenti arbitrio suo singula moderarentur. Quum memoro illa disciplinæ capita, quæ opportuniora sunt ratione caussarum, illa intelligo, in quibus optimum erat, christianos catholicos ab extraneæ religionis hominibus distingui; propterea quod non inde melius eruitur unius societatis unitas, quam unde distinctio ab aliis societatibus eruatur. Hanc ob caussam jam a prima sua ætate Ecclesia definivit, ut per singulas hebdomadas non dies sabbati, sed dies solis, quem propterea dominicum dicimus, sanctus et festus haberetur, atque ut per singulos annos celebratio paschatis differretur in dominicum diem, qui lunæ martiæ decimæquartæ succederet, ne cum synagoga judaica ritus communes haberet. Imo et recentioribus sæculi statuit Ecclesia, ut laici, cum ad Eucharistiam accederent, sub una panis specie communicarent, ne alias Boæmis, sive Calixtinis utramque speciem divino jure postulantibus adhærere quis videretur. Quum memoro illa disciplinæ capita, quæ sunt natura sui illustriora illa intelligo, in quibus consistit externa exercitio alicujus cultus, et quidem proximi præcipuorum fidei nostræ mysteriorum, quasi tacita quedam ex facto elicita eorumdem mysteriorum professio certis statis temporibus, certisque statis ritibus renovata. Si enim una, eademque dogmatum fides, seu professio, unitas ipsa est fidelium universorum, decuit plane, ut alterum adhuc vinculum necteretur ad unitatem ritus, saltem ratione habita publici, ac solemnis testimonii, quod reddimus in cultu disciplinæ præcipuis fidei nostræ dogmatibus, propterea quod unitas hujus ritus plurimum valet ad custodiendam tutius ipsam dogmatum unitatem. Notandum tamen est, hujus generis ritum sæpe, ac sæpius, coalescere ex pluribus actibus, ceu partibus; creditumque propterea, identidem sufficere ad argumentum illius unitatis, convenire universos in unam ritus partem, quin opus esset pariter, ut in ceteris adamussim partibus ubicumque, et quandocumque conveniretur.

Ecquidem ardua res esset, forte etiam periculi plena, definire singillatim omnia capita, quæ credamus usurpata fuisse ab Ecclesia tanquam certa hujus ita conceptæ firmioris unitatis argumenta. Duæ meo judicio statui regulæ possent. Prima est, cum certum disciplinæ caput constitutum est ad secernendam christianorum societatem a ceteris societatibus a vera fide deviis, tum caput illud tanquam argumentum unitatis existimari oportere, proptereaque locorum, seu provinciarum varietatibus obnoxium non facile fieri pos-

se. Imo etsi duæ sin in Ecclesia gentes, quæ olim de certis ritibus dimicaverint, deinde conciliatis animis ita controversiam definiverint, ut unaquaque gens suum ritum sequeretur, publica in hanc rem inita conventione, adeo unusquisque populus rito semel sibi constituto tenebitur, ut illum non facile liceat in una, vel altera diœcesi immutare. Hujusmodi est disciplina azymorum in Ecclesia latina, uti fermentati in Ecclesia græca. Altera regula est, si disciplinæ capita sint maxime conspicua natura sui, et singulari ratione dignissima, tum haberi veluti constituta unitatis argumenta, cum appareant observata et ubique, et perpetuo in Ecclesia fuisse, in ea saltem parte, in qua concors ritus adpareat. Hinc non facile mutationibus subjacerent ea disciplinæ capita, quæ ab antiquissimis temporibus, atque in omnibus liturgiis recepta deprehenduntur in celebratione eucharistici Sacrificii.

Post hæc ita generaliter tradita, concludere possum, neminem ex episcopis valere in diœcesi sua mutare ea disciplinæ capita, easque ejusdem disciplinæ partes, in quibus similitudo in omnibus Ecclesiis recepta est, ad argumentum unitatis. Quando enim unitas nihil aliud est, quam vinculum omnium diœceseon, excederet profecto episcopus diœcesanæ administrationis fines, si hujus generis mutationes induceret; propterea quod, inducta mutatione, non solum in ipsius diœcesi, sed in ceteris, et quidem omnibus, illud disciplinæ caput esse desineret propositæ servandæ unitatis argumentum.

Quod si agatur de aliis disciplinæ capitibus, quæ sunt constituta extra caussam unitatis ecclesiasticæ magis magisque firmandæ, nulla in primis dubitatio est, quin episcopus valeat eadem immutare, quoties ipsa nonnisi episcopali, ceu sua, vel decessorum suorum auctoritate definita fuerint, juxta vulgarem juris regulam, unumquodque dissolvitur eo modo, quo colligatum est, cap. 1, de regul. jur. Quoties vero superioris auctoritas, imo et universæ Ecclesiæ in concilii intercesserit, opportunum erit secernere leges a legibus. Quædam sunt leges, quæ generaliter et sine discrimine ad fidelium omnium universitatem diriguntur, aut etiam ad certum fidelium cœtum, non ad ipsas episcoporum personas. Quædam e converso sunt editæ instar præcepti episcopis propositi, quo quidquam episcopis gerendum aut præcipitur, aut prohibetur, et quamquam istæ adhuc leges dici proprie possint, atque eatenus, quatenus generale Ecclesiæ bonum continent, adhuc tamen præceptorum vim retinent, quando ad solos episcopos recta diriguntur, solosque propterea episcopos obstringunt. Prioris generis leges obnoxiæ sunt, ubi gravis, et legitima caussa subest, derogationi æque ac dispensationi antistitum pro modo diœcesanæ jurisdictionis unicuique competentis, nisi alias leges ipsæ dispensationem, derogationemve superiori reservaverint, juxta regulam Innocentii III, in cap. 29, de sentent. excom. ibi: *Quia tamen conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi*; quod et probare visi sunt tridentini patres, quum in c. 18, sess. 25, de reform. scripserunt, *a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit*, dispensationem indulgeri posse a generalis disciplinæ regulis, ubi gravis dispensandi caussa emergat. Revera, quis ignorat, multas esse in variis diœcesibus inductas, probatasque consuetudines, quæ generalibus ejus generis legibus derogaverunt? At enim certum est, consuetudinem tanti non esse ponderis, ut legem vincat, nisi saltem tacitus consensus accesserit ejus, qui præest. Porro tacitus iste consensus nonnisi episcopalis presumendus est, quando vel ipse pontifex maximus juxta phrasim Bonifacii VIII, in cap. 1, de constit. in 6, *locorum specialium consuetudines potest probabiliter ignorare.* Neque vero episcopo expresse suam sententiam aperienti denegari potest, quod tacite consentienti, atque ex præsumtione tribuitur, ne alias contra juris regulas major vis, et ratio taciti, quam expressi habeatur. Hac facultate usi identidem episcopi sunt, qua præsertim tempestate non tanta erat reservationum frequentia, uti liquet in conspectu canonis 8, dist. 28, et can. 17, caus. 1, quæst. 7, cap. 6 de institution., cap. 4, § 1 de judic. cap. 4 et 7, de immunit. eccles., cap. 59, vers. *quamvis* de electione, cap. 5, de ætate, et qualit. præficiend., juncto cap. 34, de elect. in 6, ut alia omittam numero plurima. Et quidem longe recederet ab attingenda germana episcopatus indole, quicumque in hac re distinguendum putaret inter facultatem dispensandi in certis casibus, et facultatem derogandi in tota diœcesi. Quid enim aliud est dispensandi facultas quam officium Interpretis, qui in certis caussarum adjunctis mentem legislatoris intimam rimatus declarat, ad illa legem minime extendi? At episcopalis auctoritas intra simplicis interpretis officii fines non continetur; quando regimen diœceseos, et providentia generalis, qua rebus diœcesanis undique etiam legum novarum propositione consulatur, episcopis singulis commissa est; proindeque ad episcopos semper pertinuit investigare, num lex communis diœcesi apta sit, atque opportuna, et, cum talis non videatur, tum hanc executioni non demandare, aut executioni mandatam circumscribere, juxta principia posita in cap. 6 de præbendis. Habet ista facultas modos suos, utpote quæ nonnisi gravissimis de caussis necessitatis, vel utilitatis maximæ diœcesanæ excitetur, certisque solemnitatibus, cleri

præsertim accedente consilio explicetur: ceterum in jure communi fundamentum habet, atque ordinaria est, quam qui excludere velit, ostendere debet, certa singulari lege exclusam fuisse, aut arctioribus finibus circumclusam.

Aliud dicendum est de legibus secundi generis, quæ scilicet editæ sunt instar præcepti episcopis propositi, quo quidquam gerendum episcopis aut præcipitur aut prohibetur. Quid enim aliud ageret episcopus, cum derogaret huic legi, vel ab hac lege dispensaret, quam semetipsum a superioris præcepto eximere, et onus sibi specialiter impositum declinare? Hinc nequit episcopus dispensare a generali lege, qua præcipitur, ut certis temporibus Ecclesiam visitet, ac synodum celebret, aut prohibetur, ne extra legitimas ferias sacros ordines conferat. Hinc plane intelligitur sententia pontificis maximi in cap. 2 15 de temp. ordinat. Nimirum in cap. 2 decernitur, nullam esse vim consuetudinis diœcesanæ, qua contra generalem Ecclesiæ disciplinam extra legitimas ferias episcopus sacros ordines conferret. Quæcumque consuetudinum diuturnarum ratio habenda sit, consuetudo illa parum episcopo proderat, propterea quod tacitus episcopi consensus, qualis alias consuetudinem legitimam faceret, id operari in proposita specie minime poterat, quod ne expresso quidem episcopi consensu induceretur. Similiter in cap. 15 statuitur, episcopum in eo legum genere dispensare non posse, propterea quod expresse non acceperit ex decreto canonum dispensandi facultatem.

Duo adhuc in hac re discutienda supersunt. Qui enim in primis, si dubitetur an lex generalis in bonum publicum edita reservaverit superiori prælato dispensandi, derogandive potestatem? Facile est dicere reservationem non præsumi, eamque ob rem nunquam esse ordinariæ auctoritati detractum, quousque non constet, expresse hanc coercitam, circumscriptamque fuisse. Quid deinde si dubitetur an inter veteres diœceseon consuetudines talis disciplina sit, quæ dudum fuerit generali totius Ecclesiæ constitutione inducta, an potius talis, quæ origine inspecta singulares episcopos auctores habuerit? id in dubitationem ut plurimun venit, quando nullum superest legis olim edictæ monumentum, adeo tamen disciplina generalis est, ut in suspicionem legis generalis olim editæ inducat. Ego puto, legem generalem præsumi non facile posse, illamque disciplinam tribui potius debere legi cuidam diœcesanæ utut antiquissimæ; siquidem monumenta legum diœcesanarum obnoxia fuerunt admodum injuriis temporum ad interitum usque; quod non contingit in monumentis generalium canonum, quæ fuere in Ecclesiis omnibus majore solicitudine custodita, atque servata; adeo ut qui generalium canonum codices in una, vel altera diœcesi perierunt temporum fato, in aliis sane diœcesibus a quocumque fato immunes evaserint. Quod si legis illius executio in pluribus diœcesibus, forte etiam ubique conspicitur, non est hoc perspicuum generalis legis olim editæ argumentum. Leges veteres primum edi in certa diœcesis consueverunt, ut plurimum in particularibus conciliis: ab una diœcesi in alteram facile traducebantur, imo et de provincia in provinciam, probantibus sensim episcopis singularibus; unde fiebat paullatim, ut quæ olim singularis erat disciplina, in generalem abiret, non quidem generali lege, sed consensione singulorum antistitum succedente. Quemadmodum igitur initio pendebat a singulorum episcoporum arbitrio legem illam traducere, ita arbitrium erit legem eandem abolere semel traductam, quotiescumque, quæ olim utilis extitisset, deinde minus opportuna dignoscatur, forte etiam perniciosa. Quod dici solet, nihil interesse inter definitiones ecclesiæ in unum, idest in concilium, convenientis, et definitiones Ecclesiæ late diffusæ per provincias, locum habet in doctrina fidei, et morum in qua traditio perpetua est, atque immutabilis; non vero in disciplina, quam vicissitudinibus esse obnoxiam nemo ignorat.

Itaque amplissima est episcopalis jurisdictio, cui tamen duo constituti sunt fines, ab episcopis universis minime excedendi. Primus hinc positus est in conspectu majorum dignitatum qualis est divino jure pontificatus maximus, et jure ecclesiastico archiepiscopatus, primatia, patriarchatus; illinc alter in conspectu aliorum antistitum, et ordine parium, et jurisdictione. Non opus est amplius in præsentia explicare, quid postulent fines episcopis positi in conspectu majorum dignitatem, postquam superius de potestate istarum in episcopos fusam orationem habuimus. Tantum superest, ut attingamus, quid postulent fines episcopis positi in concursu parium antistitum, quorum nimirum gratia mutuo obtinuit, ut certa diœcesis unicuique adsignaretur, intra quam quisque, extra quam nemo jurisdictionem explicaret, can. 1, et passim caussa 9, q. 2, Ecquidem divino jure nulli episcoporum sollicitudini positi erant locorum limites; missi enim erant in apostolorum persona in universum mundum, evangelium prædicaturi omni creaturæ. Opportunum tamen fuit, salva unitate et Ecclesiæ, et episcopatus, loca dividere, ne invicem sese episcopi turbarent in gerendo officio neque certa loca a pluribus episcopis regerentur, dum alia interea cura episcopali carerent. Divisione facta locorum, unusquisque episcopus intra certos tantum fines jurisdictionem exercere potuit. Hinc autem profluxit, ut si episcopus in personas alienæ diœceseos sententiam proferat diœce-

sano ignorante, aut invito, irrita eadem penitus habeatur, quasi dicta a privato homine, concilio trid. sess. 14, de ref. c. 8, c. 14 et 20, de foro compet., nisi tamen clericus in aliena diœcesi deliquisset; nihil enim repugnat, quin puniri ab episcopo possit in cujus diœcesi deliquit, dicto cap. 14, quod et ipsum dicendum est de clerico in aliena diœcesi contrahente, c. 1, vers. *Contrahens* eod. tit. in 6. Paucis dicam, eas omnes regulas in foro episcopali receptas esse in proposito quæ traditæ, receptæque fuerunt in jure civili Romanorum ubi, et qua in parte constituti fuere limites magistratuum, et judicum universorum.

Neque vero hujusmodi limites locorum positi sunt tantum in explicanda jurisdictionis potestate; verum etiam in exercenda potestate ordinis. Hinc generaliter cautum fuit, episcopum in aliena diœcesi consistentem non consentiente diœcesano loci pontificalia exercere non posse, sive ista habeantur tamquam jurisdictionis episcopalis, sive tanquam singularia ordinis episcopalis insignia, indicta, adversus exercentem pæna a concilio tridentino, primum in ses. 6, cap. 4, de reform. ut is ab exercitione pontificalium sit ipso jure suspensus, quemadmodum et ipso jure suspensi sint illi, quos episcopus in aliena diœcesi ordinavisset, deinde paullo immutata sententia, ut ordinans per annum ab exercitione pontificalium; ordinati, donec suo episcopo videbitur, ab executione ordinum ab alieno episcopo susceptorum sint ipso jure suspensi, ses. 14, c. 2, de reform., ses. 23, c. 8 de ref., adjecta exceptione in eo casu, quo episcopus alienum subditum sibi familiarem (nomine familiariis eum intelligimus, qui sine fraude, et fictione qualibet in episcopi domo ejusdem episcopi expensis alitur, cap. ult. de verb. sign. in 6.) et per triennium saltem secum commorantem ordinaret, cui tamen beneficium omni fraude cessante statim, et re ipsa conferret, dicta ses. 23, cap. 9. Dixi, non consentiente diœcesano loci cujus nomine intelligitur episcopus; in cujus territorio pontificalia exerceantur, aut etiam prælatus alter proprium territorium habens. Quid autem, si agatur de loco exemto ab episcopi jurisdictione, sed in territorio episcopi sito? Non poterit sane loci ejusdem exemti prælatus facultatem extraneo episcopo facere pontificalia exercendi, quæ semper erit ab ipso ordinario loci petenda, juxta verba laudati Trident. decreti in sess. 6, c. 4.

Memoratæ canonum leges duplicem habent partem. Prima est, extra territorium, sive extra diœcesim non posse episcopum pontificalia exercere. Id autem sine discrimine verissimum est, et ad id refertur doctrina huc usque exposita. Altera pars est, non posse episcopum in propria diœcesi pontificalia ita exercere, ut eorundem exercitione extraneis, idest aliorum episcoporum subditis, non consentientibus illorum diœcesanis, sacram ordinationem administret. Hæc sane pars pluribus illustranda est observationibus, propterea quod evenire potest, ut quis pluribus episcopi subsit, habita ratione vel domicilii, vel originis, vel beneficii, de quibus passim pragmatici disputant, atque inter istos Barbosa de offic., et auctorit. Episc. alleg. 4. ubi rem hanc universam absolvit. Originis episcopum alium dixere veteres, alium recentiores. Veteres appellabant eum, in cujus diœcesi, sive Ecclesia quis esset baptizatus, uti expresse legitur in can. 44, Concilii III Carthaginensis; quin referret alio in loco nativitatem eum fuisse sortitum. Id opportunum erat vetustis temporibus, quibus adultis baptisma conferri solebat, tum vero primum nativitas illorum attendebatur, cum essent sacramento regenerati. Sed recentioribus sæculis, postquam infantibus baptisma conferri cœpit statim ac nati sunt, sicut vix tempora baptismatis, et tempora nativitatis, ita et locus baptismi, et locus nativitatis vix distingui cœperunt, unde passim receptum est, ut episcopus originis is intelligatur, in cujus diœcesi quis natus est. Hæc recens disciplina majores vires accepit, quum Bonifacius VIII, visus est illam confirmare, tradens in cap. 3, de tempor. ordin. in 6, eum dici originis episcopum, *de cujus dioecesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus.* Majores etiam vires accepit ex eo, quod sacrorum canonum studium jungi cœpit studio juris romani, juxta quod locus nativitatis ad originis caussam referebatur, leg. 1, ff. ad municip., leg. 228, ff. de verb. signif. Qua tamen in re, ut adhuc certus honos antiquis canonibus, priscæque disciplinæ deferatur, ego censeo, utrumque episcopum originis dici posse, sive in cujus diœcesi quis natus, sive in cujus diœcesi quis baptizatus sit; nimirum episcopum loci nativitatis, quia ita sanxisse visus est Bonifacius VIII, in dicto cap. 3, et quia ita obtinuit ex uso recepto, episcopum baptismi quia non constat, veterem disciplinam fuisse abrogatam. Episcopum domicilii appellamus eum, in cujus diœcesi quisquam domicilium sibi constituit, qua in re non receditur a generalibus regulis jure romano præstitutis, quibus domiciliorum jura constituuntur. Episcopum beneficii dicimus eum, qui clerico certum beneficium contulit, et beneficii ejusdem caussa certæ Ecclesiæ in sua diœcesi constitutæ adscripsit. His generaliter positis, dico receptum esse, ut rite facta habeatur ordinatio ab episcopo sive agatur de eo, qui diœcesanus sit ratione originis, sive ratione domicilii, sive ratione beneficii, cap. 1, 2 et 3, de tempor. ordinat. in 6, juncto cap. 2, et 3, ses. 14. de reform., et c. 8 ac 9, ses. 23, de ref. in concilio tridentino.

Itaque in primis ab episcopo originis quis rite ordinatur, sive origo proprie spectetur pro loco nativitatis, sive improprie pro loco suscepti baptismatis, uti modo tradebam. Utilis in hanc rem est, et maxime notanda superius facta observatio, qua traditum est, baptismi potius episcopum, quam loci nativitatis olim fuisse legitimum ordinationis administrum, neque aliter episcopum loci nativitatis cœpisse esse legitimum quam usu recepto, ex eo quod ut plurimum unusquisque hodie baptizetur in eo loco, in quo natus est. Inde enim in primis concludere possumus nullam habendam esse rationem paternæ originis, sive nativitatis, quidquid jure romano tradi videatur in leg. 6, § 1, ff. ad municip. et in leg. 3. cod. de municipibus, et originariis, cum jus romanum in hac re diversis omnino principiis innitatur. Revera ideo, ut diximus nativitatis episcopus proprius dici potest ex eo, quod ut plurimum ibi quis baptizatur, ubi natus est; quasi locus nativitatis, et locus baptismi æque subiiciat quemquam diœcesano; atque ut episcopus nativitatis legitimus ordinationis minister diceretur, opus fuit in primis hac fictione deinde constitutione eam fixionem confirmantes, dicto c. 3, de temp. ordin. in 6. Nimis autem late hæc extenderentur, si paternæ nativitatis locus etiam attendi posset ad designandum locum originis, quando neque eadem ratio subest et lege scripta destituimur. Inde etiam mihi non inverosimile videtur, quidquid pragmatici dicant, eum, qui ex accidenti certo in loco natus est, et ibidem baptizatus, ab eo rite ordinari, in cujus diœcesi et natus est, et baptizatus, non autem ab eo episcopo in cujus diœcesi pater domicilium habet, propterea quod, suscepto baptismate, infans agnoscit diœcesanum, in cujus diocesi baptizatus est, veluti episcopum suum, seque eidem subjicit, excluso episcopo paterni domicilii, quem neque nativitas, neque baptismus proprium fecit. Aliud sane esset, siquis ex accidenti, puta in transitu matris, certo in loco nasceretur et in loco domicilii paterni baptizaretur; tunc enim episcopus baptismi tamquam ordinarius haberetur, excluso episcopo nativitatis; quoniam ut diximus, recens est disciplina, qua episcopo nativitatis ea concessa fuit jurisdictio, et fictione quadam, inducta nec propterea eo erit facile extendenda, ut locum habeat etiam, ubi ex accidenti nativitas accidit.

Secundo ubi de episcopo domicilii quæritur, nulla unquam dubitatio fuit, quin iste rite clericos in sua diœcesi domicilium habentes valeat ordinare. Si facta veterum quærimus, plurima sunt, atque inter cetera scimus, Hieronymum, dum Antiochiæ habitaret, ordinatum fuisse a Paullino episcopo antiocheno, et Paullinum Nolanum degentem in Hispania a Lampio Barcinonensi. Si canones investigamus, ex antiquissimis demonstro canones 8, et 9. concilii arausicani I, et ex recentibus capitulum 3, de tempor. ordin. in 6. Cum vero identidem fraus juri facta fuerit, et nonnulli prætexerent domicilia, ut propriorum episcoporum jurisdictionem evaderent, atque ab alienis ordinari curarent nemo non videt, in his speciebus perperam omnia gestum iri. Sacri canones inter cetera nonnihil cavendum voluerunt in ea specie, qua quis familiaris extranei episcopi fieret, idest in familiam extranei episcopi referretur: nimirum ad evitandas fraudes, quæ eo prætextu admitti possent statuerunt primo, ut, si ageretur de episcopis titularibus, qui nimirum nullam diœcesim habent, in qua consistant, ii neminem prætextu suæ familiaritatis ordinare valeant, etiamsi in aliquo loco sedem posuerint, et pontificalia exerceant de consensu diœcesani, concilio tridentino ses. 14, de ref. cap. 2; deinde, ut, si agatur de aliis episcopis et titulum, et liberam diœcesim habentibus, non aliter possint eos ordinare suos familiares, alias minime subditos nisi isti per triennium secum fuerint commorati, et beneficium, quacumque fraude cessante, statim re ipsa conferant, concilio tridentino ses. 23, de ref. cap. 9. Et quidem hæc generaliter vera sunt, et sine ullo discrimine recipienda, ubi aliquis episcopus alienum diœcesanum necdum in clero adscriptum ordinibus ecclesiasticis initiare, et clero primum adscribere vellet; ubi autem de clerico agatur jam ab uno episcopo ordinato rigidior adhuc recipienda est disciplina, uti liquebit ex mox dicendis.

Tertio, quod spectat ad episcopum beneficii, ponendum est generale principium jactum jam a vetustissimis Ecclesiæ sæculis, quo fit, ut clericus, semel ordinatus quocumque in gradu, et certæ Ecclesiæ semel ab episcopo adscriptus, ab alio episcopo advocari non possit ad aliam Ecclesiam, invito, aut ignorante primo ordinante, can. 6, dist. 71, can. 1, can. 9, qu. 2. Eam ob rem ita sanxit concilium arausicanum I, in can. 8. *Si quis alibi consistentem clericum ordinandum putaverit, prius definiat, an cum ipso habitet, nec eum sine consultatione ejus episcopi, cum quo ante habitavit, ordinare præsumat, quia non sine caussa diu ab alio non ordinatus permansit.* Similia constituta fuerunt in can. 16, concilii nicæni, in can. 15, concilii sardicensis, in can. 6, concilii taurinensis, in can. 5, concilii carthaginensis I, in can. 21, concilii carthaginensis III, apud Innocentium I, in epist. ad Victricium cap. 7, et apud Honorium III, in cap. ult. de cleric. peregrinis. Si enim episcopus, quemquam diœcesanum suum velut Ecclesiæ utilem ordinavit perenne officium præstiturum, injuria ordinatori fiebat, si vel extraneus episcopus in suam Ecclesiam ad majores ordines promovendum sine consensu

primi ordinatoris clericum transferret, vel clericus idem sponte in aliam Ecclesiam ordinandus transiret, can. 3, dist. 72. Si enim monachi semel sub abbatis obedientia constituti sine abbatis conscientia non potuerunt ab episcopo ordinari, can. 5, vers. *nullus* cau. 18, qu. 2, potiore ratione sine conscientia ordinatoris episcopi non poterant ordinari clerici ab extraneo. Exceptio tantum erat respectu eorum clericorum, qui injuria temporum dirutis forte Ecclesiis, quibus adscripti erant, in eisdem Ecclesiis amplius ministrare non poterant, proindeque facile in alias Ecclesias transibant, ab extraneis episcopis ordinandi, can. 4 et 5, dist. 71. En, quid significaret apud veteres, quod dicebatur, rite quem clericum ordinari ab episcopo beneficii, quod et confirmavit Bonifacius VIII, in dicto c. 3 de tempor. ordinat. in 6. Videlicet, siquis etiam ordinatus in una Ecclesia dimissoriis acceptis literis ab episcopo suo transisset in aliam Ecclesiam eidem Ecclesiæ ministraturus, quod ministerium idem erat, ac beneficium, idem clericus sine alia petita venia poterat ab episcopo, ad quem transisset, ordinari. Atque hæc integra permanserunt, donec clerici arctissimis residentiæ regulis tenebantur. Postquam vero media Ecclesiæ ætate clerici cœperunt huc illuc migrare, aliquando etiam sine titulo ordinari, sese recipere consueverunt in familias extraneorum episcoporum ignorante episcopo proprio; tum vero qui eos receperant, episcopi ex benevolentia, vel probata vitæ consuetudine ad ulteriores ordines promovebant suis Ecclesiis adscribentes, quasi proprius episcopus a se abdicasse omnem potestatem visus esset, qui diu sine querela passus foret, clericum suum apud extraneum permanere. Modum his adjecit tridentinum concilio in dicto cap. 9, ses. 23, de reform., ubi cautum est ne episcopus ordinet familiarem suum non subditum, nisi per triennium secum fuerit commoratus, et beneficium illi conferat statim, reipsa, et quacumque fraude cessante. Ex his duo sequuntur consectaria. Primum est, in concursu omnium episcoporum, potiorem esse episcopi beneficii rationem, statim ac enim quis beneficium in certa Ecclesia obtinuit, in qua debet necessario, et ex officio ministrare ab alio episcopo etiam originis vel domicilii ordinari non poterit, quasi episcopus beneficii ceteros episcopos vel originis, vel domicilii ordinando prævenerit. Alterum est, summo jure inspecto, episcopum beneficii illum appellari, qui beneficium quodcumque contulerit, etiam simplex; propterea quod etiam in hoc beneficiorum genere summo jure clericus residentiæ lege tenetur, quemadmodum in tractatione de beneficiis ecclesiasticis ostendam. Dixi summo jure; nam cum hodie, qui beneficium simplex obtinent, pœnis legitimis adversus non residentes constitutis non teneantur, proptereaque putent, qui ea possident, se esse a residentia immunes, cavendum est, ne, siquis hæc beneficia obtinens curet ab episcopo beneficii ordinari, fraudem adversos diœcesanum suum admittat. Eam ob rem distinguendum censeo inter eum casum, quo clericus paratus sit ad residendum penes Ecclesiam beneficii; tum vero generali regulæ adhærendum, et clericus rite ab episcopo beneficii ordinabitur; et eum casum, quo clericus beneficium simplex impetret, ab Ecclesia beneficii abfuturus, et alia in diœcesi commoraturus; tum vero episcopus beneficii non rite eundem clericum ordinabit, ne ob fraudem, et dolum episcopales in clericos diœcesanos jurisdictiones turbetur, atque evertantur, Potiore ratione censendum est, non posse clericum ordinari titulo patrimonii ab eo episcopo, in cujus diœcesi sita sunt patrimonii bona nisi quo in casu Ecclesiæ ejusdem loci clericus adscribatur ibidemque sit commoraturus, et in eadem Ecclesia ministraturus.

Hæc observanda censuî, sive in conspectu veterum canonum, sive etiam in conspectu decretorum tridentini concilii. Ceterum hodie eadem disciplina certum modum accepit ex constitutione *Speculatores* Innoc. XII, pridie nonas Novembris anni 1694. Statuit Innocentius in primis, nulli episcopo, seu cujusvis loci ordinario licere, exterum quempiam, sive non subditum ratione originis, aut domicilii, ad clericalem tonsuram promovere, cujusvis ecclesiastici beneficii ei statim, ac tonsura insignitus fuerit, conferendi, ad quod etiam a patronis jam præsentatus fuerat, prætextu. Deinde adjecit, clericum, qui jam legitime a proprio episcopo ad clericalem tonsuram, seu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non posse ab alio episcopo ratione, ac titulo cujuscumque beneficii in illius diœcesi obtenti ad ulteriores ordines promoveri, nisi ante eorundem susceptionem testimoniales literas proprii episcopi, tam originis, quam domicilii super suis natalibus, ætate, moribus, et vita sibi concedi obtinuerit, easque episcopo ordinanti in actis illius curiæ conservandas exhibuerit. Insuper declaravit, licet clericus ratione cujusvis beneficii in aliena diœcesi obtenti subjici dicatur jurisdictioni illius episcopi, in cujus diœcesi beneficium situm est, eam esse servandam regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi ordines adquirere censeatur, nisi prædictum beneficium ad congruam vitæ sustentationem juxta taxam synodalem, sive, hac deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate, quod deest, supplendi; atque episcopum sic ordinantem tam de prædictis testimonialibus literis, quam de redditu beneficii expressam in consuetis collatorum

ordinum testimoniis mentionem facere debere. At enim subditum ratione originis tantum illum esse decrevit, qui naturaliter ortus sit in ea diœcesi, in qua ad ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, nimirum occasione itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujuslibet alterius temporalis moræ ejus patris in illo loco, ita ut non fortuita nativitas, sed vera tantum, et naturalis patris origo sit attendenda; nisi pater vere domicilium, et de jure ibi contraxerit, quo in casu non origo patris, sed domicilium attendatur. Subditum ratione domicilii, ad effectum suscipiendi ordines, eum esse definivit, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem post instructas ædes in eum locum transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit; et nihilominus ulterius utroque casu, se vere animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. Ad hæc cavit, ut nullus episcopus alienæ diœceseos subditum familiarem suum, ne ad primam quidem tonsuram promovere præsumat, absque ejus proprii, originis scilicet, seu domicilii prælati testimonialibus literis, et nisi juxta tridentinum decretum cap. 9, sess. 23, de ref. familiarem per integrum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumtibus aluerit, et beneficium ad vitam sustentandam sufficiens statim, hoc est, saltem intra terminum unius mensis a die factæ ordinationis, reipsa illi conferat. Nemo hinc non intelligit, Innocentium XII, voluisse prospicere, ac mederi variis abusibus, identidem in hac parte emergentibus, unde fiebat, ut quidam clerici nonnisi dolo, ac fraude ordinationes non tam susciperent, quam surripere viderentur.

Pœna ordinantium, et ordinatorum adversus hujusmodi regulas olim ita sanciebatur, ut diceretur irrita ordinatio, can. 1 et 3, dist. 71, concilio taurinensi can. 2, quod ita intelligebatur, ut clericus ita ordinatus suspensus ab officio, et ab ordine esset, donec ad suum episcopum reverteretur, simili etiam pœna affecto ordinatore, can. 4, dist. 71. Reversis autem clericis in arbitrio erat diœcesanorum indulgere, ut in suscepto ordine ministrarent, cap. ult. de cleric. peregrin. Clemens IV, specialem edidit constitutionem adversus episcopos Italiæ, qui ultramontanum clericum ordinarent, nisi a pontifice maximo specialem licentiam habuissent, vel ab episcopo, de cujus diœcesi clericus idem traxit originem, vel in cujus diœcesi beneficiarius existit, per ejus patentes literas caussam rationabilem continentes, quare ipsum nolit, aut nequeat ordinare. Eos vero, quos contra præmissa contigerit ordinari, manere voluit absque spe dispensationis super hoc a sede apostolica obtinendæ suspensos, ac ordinantes pœnitentia condigna puniri; inhibens suis pœnitentiariis, ne absque sua licentia speciali cum talibus ordinatis dispensent, vel suas eis tradant literas, per quas cum ipsis debeat dispensari, c. 1, de tempor. ord. in 6. Generaliter Gregorius X, statuit, clericos ab episcopis non suis ordinatos pœnis veterum canonum obstringi, in ordinatores, vero pœnam indixit, qua per annum sint ab ordinum collatione suspensi, data interim facultate clericis in diœcesi constitutis adeundi vicinos alios episcopos, a quibus libere, dummodo canonicum nullum obsit impedimentum, valeant ordinari, cap. 2, de tempor. ordin. in 6. Istæ constitutiones de ordinibus concepta erant, nihil autem expresse edixerant contra episcopum, qui alienum subditum prima tonsura initiaret; quamobrem Bonifacius VIII, mentem veterum canonum secutus voluit, episcopum prima tonsura initiantem per annum a collatione dumtaxat clericalis tonsuræ esse suspensum, cap. ult. eod. tit. in 6. Pœnæ eædem renovatæ fuerunt in concilio tridentino ses. 14, de ref. cap. 2, et ses. 23, de ref. cap. 8. Præter hœc Pius II, in sua Bulla 2, adjecit, ut ita ordinati non solum sint ipso jure suspensi, sed etiam incurrant irregularitatem, imo et possint beneficiis, quæ possident, spoliari, si nihilominus ordinum non rite susceptorum munera obiverint. Addidit Sixtus V, in sua Bulla, quæ incipit *Sanctum et salutare*, ejus suspensionis absolutionem sedi apostolicæ reservari. Verum Clemens VIII, hujus constitutionis severitatem temperavit in sua Bulla, quæ incipit *romanum pontificem decet*, omnia revocans ad sanctiones tridentinas. Denique Innocentius XII, in dicta constitutione *Speculatores* sanxit, ut, si statuta negligerentur, ordinans quidem a collatione ordinum per annum, ordinatus vero a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit; aliisque gravioribus pœnis pro modo culpæ romani pontificis arbitrio infligendis uterque subjaceat.

Nondum ab hoc argumento discedo, cum adhuc ad istam rem interpretandus supersit canon 10, caus 9, qu. 2, utpote qui solet apud viros etiam eximios gravissimam facessere difficultatem. Monumentum istud eo præcipue spectat, ut quandoque patienter indulgeatur episcopis ultra suam diœcesim potestatem extendentibus. Id enim in primis suadet Urbanus II, lugdunensi antistiti; deinde exemplum profert S. episcopi Ephiphanii, qui non injuria in diœcesi S. Joannis Chrysostomi quosdam clericos ordinavisse ferebatur. Ex hoc potissimum canone non defuerunt, qui scriberent, divisionem diœceseon inter episcopos factam nihil obesse, quominus in certis

caussarum, temporum, locorumque adjunctis episcopi iidem in aliena diœcesi, ignorante, aut invito ordinario, aliquid agere possint, quum nimirum gravis Ecclesiarum utilitas id exposcat. Ita Vanespen in parte 1, juris ecclesiast. univ. tit. 16, c. 3. Hæc opinio mihi placere non potest: siquidem quoties ecclesiastica utilitas postulare videatur, ut aut ordinarii excessus cohibeatur, aut suppleatur defectus, jam parata est saluberrima providentia, qua ordinariorum superiores Ecclesiarum commodis consulant; et tantum consciis finitimis episcopis concedi poterit, ut debeant aut negligentis, aut excedentis superiorem certiorem facere, non ut ipsi jurisdictionem suam ultra positos fines extendant: secus ruere facile posset tantis vigiliis elaborata administrationum divisio, quod nonnulli ex episcopis ejusmodi caussas prætexerent ad latius explicandam auctoritatem; neque extraordinariis remediis locus aperiri debet, ubi suppetunt ordinaria. Itaque si ad laudatum canonem 10, disputatio exigatur, dixero in primis; singularem fuisse caussam propositam Urbano II, quæque nihil habet cum proposita quæstione commune. Quamquam enim ex rescripto ipso, quale apud Ivonem refertur integrum in parte 6. Decreti cap. 412, perspicue non constet, quo pertineret scopus Urbani, ex adjunctis tamen et temporum, et locorum, et personarum nonnihil colligere possumus. In primis scimus, circa annum 1079, in gallicanis provinciis constitutum fuisse pontificia auctoritate lugdunensem primatum, et episcopum lugdunensem vices apostolicas gessisse in Ecclesias rotomagensem, turonensem, ac senonensem. Item scimus, eadem ætate in varias provincias, atque etiam in Gallias, missos fuisse extra ordinem apostolicæ sedis legatos, qualis fuit inter ceteros in Gallia Amatus oloronensis episcopus, in Hispania Geraldus episcopus ostiensis, in Germania Bonifacius. Verosimile autem est, episcopos istos legatos ordinationes in lugdunensi parochia celebravisse, non vi sui episcopatus, sed vi extraordinariæ legationis suæ. Quod si nomine lugdunensis parochiæ intelligamus provinciam lugdunensi primatui subjectam, verosimile est, Hugonem lugdunensem conquestum fuisse, quod se irrequisito legati iidem extra ordinem missi clericos ordinarent in suffraganeorum utut consentientium diœcesibus, quasi legati illi recenti sui vicariatus apostolici dignitati quidquam detrahere viderentur. Aliam adjicere possum singularem caussam. Nimirum cœperunt tunc temporis monasteria quædam exemptionum privilegia producere, quibus episcopalem jurisdictionem evaderent; quamobrem quoties ordinari clericos in monasteriis hujusmodi decebat, monachi ordinationes non a diœcesano, sed ab extraneo episcopo postulabant, veriti, ne si diœcesanum adivissent caussa ordinationis, renunciasse tacite suo privilegio viderentur. Id manifeste liquet ex concilio apud urbem Ansam celebrato in diœcesi lugdunensi anni 1025. Conquestus fuit in eo concilio coram Burchardo lugdunensi archiepiscopo Gauslenus episcopus matisconensis de Burchardo archiepiscopo viennensi, quod sine suo adsensu ordinationes monachorum fecisset in sua diœcesi, in cœnobio cluniacensi. Cum autem præsens esset Odo cluniacensis abbas, privilegia exemptionis opposuit, quibus liquebat, potuisse monachos cluniacenses quemcumque episcopum accire caussa sacrarum ordinationum; licet tamen deinde res synodali judicio eo deveniret, ut Burchardus veniam peteret, et Gausleno satisfaceret. Igitur suspicari poscumus, Hugonem lugdunensem simili de caussa conquestum fuisse apud Urbanum; ipsum autem Urbanum, qui auctor monasticorum quorundam privilegiorum esse poterat, aut saltem intellexerat, propositas exemtiones fuisse, velut obtentas ab apostolica sede, voluisse illos episcopos, quoad fieri posset, excusare, qui privilegiis fidentes ad ordinationes in aliena diœcesi celebrandas accesserant. Quod spectat Epiphanii exemplum, qui ordinavisse in dicto canone dicitur in diœcesi Joannis Chrysostomi, agnoscendus est error facti; nam non in diœcesi Joannis Chrysostomi, sed in diœcesi Joannis Hierosolymitani fertur Epiphanius ordinavisse; error quidem excusatione dignus; quippe cum tempore Epiphanii Salaminæ in Cypro episcopi episcopus Constantinopoleos esset Joannes Chrysostomus, Hierosolymitanum vero episcopatum gereret Joannes II, facile erat decipi, ita ut pro Joanne hierosolymitano Joannes constantinopolitanus, sive Chrysostomus diceretur. Laudo auctorem Hieronymum Epiphanio ipsi contemporaneum, tum in epistola ad Pammachium adversus errores Joannis hierosolymitani, tum in epistola ad Theophilum adversus eundem Joannem. Laudo præterea Epiphanium ipsum in epistola ad Joannem hierosolymitanum, ex quibus monumentis hæc facti series colligitur. Joannes hierosolymitanus Origenis erroribus obvolvebatur. Prope ejus provinciam in loco eremo ab hominum consortio dissito monachi quidam morabantur sacri alicujus administri officio destituti, nemine ex ipsis patiente, pro ea, qua unusquisque de se demisse sentiebat, animi humilitate, se sacris ordinibus initiari. Epiphanius ut monasterii illius, et monachorum utilitati consuleret, arbitratus, se alienam provinciam minime ingredi, ibidem invitum quemdam monachum diaconum primum, deinde sacerdotem ordinavit. Ceterum monasterium illud tantum erat hierosolymitanæ diœcesi conterminum, non intra diœcesim constitutum, nimirum, in eleuteropolitano territorio, ut scribit Hieronymus in dicta epistola ad Theophilum. Hinc Joannes hierosolymitanus, qui

probe noverat, Epiphanium Origenis doctrinam, quam ipse excolebat, detestari, cœpit ea oblata occasione eundem episcopum tanquam alienæ diœceseos invasorem, aut turbatorem prædicare, ut sic facilius, et veluti digressus, Epiphanium premeret, unumque ex præcipuis Origenis hostibus deterreret, atque in eum, si fieri posset, multorum odia concitaret. Id ubi novit Epiphanius, statim epistolam ad Joannem scripsit, candide facti seriem enarrans, de jure edocens, uno verbo certiorem reddens de re legitime gesta, imo exinde occasionem sumens acrius erga ipsum tanquam origenianæ doctrinæ adhærentem disserere: qua in re duplex fuit Epiphanio propositum: primum, ut traderet, non in aliena diœcesi se clericum ordinavisse; quasi conveniret in eo, quod nemo episcopus debeat in ordinationibus fines suos excedere, et tantum disputaret, an ipse excessisse dicendus esset, dum in eleuteropolitano territorio clericum ordinaverat; alterum, ut traderet, servandam esse inter episcopos unitatem, potissimum vero, ne in sana doctrina quidquam iidem discrepent, et ne privatarum contentionum caussa prætexant de violatis diœceseon finibus excusationes.

CAPUT III.

De auctoritate episcoporum in Ecclesias.

Huc referendus est titulus 39, lib. 3.

Ecclesiæ nomen proprie quidem significat aut generaliter fidelium omnium cœtum, in una fidei et sacramentorum communione consistentium sub legitimis pastoribus, aut specialiter cœtum clericorum quasi præcipuam, seu nobiliorem gregis dominici partem, imo eam, quæ in grege universo regendo pastores adjuvat; minus proprie tamen significat sacras ædes, aliquando etiam religiosas, quarum respectu bona quædam, et jura esse dicuntur Ecclesiarum, vel ad cultum sacrarum earundem ædium, vel ad alimenta administrorum, vel ad pios usus destinata. Quocumque modo Ecclesia dicatur, certum est penes episcopos esse ordinariam in eam auctoritatem, curam, jurisdictionem, cujus respectu vulgata est traditio, divino jure ad residendum in diœcesi episcopos obligari, can. 11, caus. 3, q. 1, cap. 1 et 9, de cleric. non resid. Concilio tridentino sess. 6, cap. 1, et sess. 23, cap. 1 de reform. Hinc nulla Basilica, aut Ecclesia, aut officium, seu beneficium erigi potest sine episcopi auctoritate, can. 9, de consecr. dist. 1, cap. 8, de excess. Prælat. et semel erectæ Ecclesiæ, officia, ac beneficia sub ejusdem regimine consistunt, can. 10, et 11, caus. 16, qu. 7, et bona, et jura Ecclesiarum, beneficiorumve, utut administrorum minorum curæ commissa, ab episcopo tamen plurimum pendent, cau. 23 et 24, cau. 12, q. 1. Non diu moror in hac parte episcopalis sollicitudinis explicanda; etenim de ea commodius et latius agendum mihi erit in tractatione de Beneficiis ecclesiasticis. Potius nonnulla dicenda sunt de regimine generali, quod episcopis competit in iis, quæ pertinent ad hoc, ut fidelis populus in fide erudiatur, vel confirmetur, morum doctrinam servet, et sequatur, atque a disciplina minime recedat; item ad hoc, ut clerus universus suis muneribus satisfaciat.

Itaque ad officium episcoporum primum pertinet, ut ipsi divinum Evangelium prædicent per se, quoad fieri possit, nisi legitime impediantur, quo casu teneantur viris doctis maturo consilio selectis id munus demandare, can. 6, dist. 88, cap. 15, de offic. jud. ordin. Concilio tridentino sess. 5, de ref. cap. 2. Et quidem in singulis parochiis parochos ipsos adjutores habent ordinarios; extra ordinem autem alios vel ipsi designant, vel ab aliis eligi sinunt, qui id honoris mereantur propter certas adsignatas concionatoribus eligendis præstationes, ab episcopis tamen ipsis quocumque casu probandos, exemplo jurispatronatus in beneficiis adquisiti, vi cujus patronus clericum præsentat ab episcopo probandum, atque instituendum, concilio tridentino sess. 24, de ref. cap. 4. Præterea ad episcoporum munus pertinet orare pro populo sibi commisso, dicto can. 6, dist. 88, quod vel ex ipsis apostolorum institutionibus manifeste liquet, utpote qui ministerium mensarum ordinatis diaconis concesserunt, ut ipsi *orationi, et ministerio verbi instantes essent*, actorum cap. 6. Adde epistolam Pauli ad Colossenses cap. 1, vers. 9. Idque est, quod dici solet, solemnem populi benedictionem ad episcopum pertinere, seu in populum bona a Deo precari, clement. 2, de privilegiis; cumque præcipua christianæ religionis oratio apud Deum sit oblatio sacrificii, non est dubitandum, quin episcopi, quam frequentissime possunt, offerre pro populo debeant, ad eum enim potissimum finem respicit episcopale illud privilegium, de quo in cap. ult. de privileg. in 6, ut altare viaticum habere ubicumque, et quandocumque etiam interdicti tempore possint, quo commodius tanto muneri satisfaciant. Sacramentorum quoque collatio, divinorum officiorum celebratio, et ritus, morum correctio, et reformatio episcopali curæ committuntur, cap. 1, et passim de offic. jud. ordin. sive hæc omnia fiant editis constitutionibus in tota diœcesi observandis, sive singularibus mandatis pro opportunitate factis, sive extra synodos, sive in synodis, uti superius dictum est.

Operosa, uti videtur, est tanta ecclesiarum sollicitudo, quæ cum per unum episcopum impleri undecumque non possit, necessarium semper fuit, ut seligerentur administri episcoporum adjutores, quales sunt canonici seu

cathedralis, seu collegiatarum Ecclesiarum, item parochi, universi etiam clerici, pro modo singulorum, sive ordinem spectes, sive potestatem qualitati beneficiorum accommodatam. Ceterum et in hac sacræ hierarchiæ sub episcopo constitutæ distributione summa semper potestas, sicut et summum sacerdotium penes episcopos remansit, quorum vigilantiæ committitur, ut investigent, an per adjutores illos cuncta ecclesiastica munera impleantur. Hinc vero orta obligatio, qua episcopus, ad visitandas universas diœceseos Ecclesias teneatur, can. 4, caus. 10, q. 1, concilio tridentino sess. 24, de ref. cap. 3, quod officium antistites vel per se, vel per suos delegatos, ut plurimum archidiaconos, singulis annis obibant olim, quando singulis annis diœcesana synodus habebatur, ut in synodo consulerent necessitatibus, vel utilitatibus Ecclesiarum, quibus consulendum visitando intellexerant, cap. 16, de offic. judic. ordina.; eamque ipsam ob rem cum in tridentino concilio session. 24, de reformat. Cap. 2, definiendum fuisset, ut vetus disciplina de celebrandis quotannis diœcesanis synodis renovaretur, renovanda quoque fuit disciplina de annua visitatione, sess. 7, c. 8, de reform. Sed quemadmodum ante concilium tridentinum cum disciplina annuarum synodorum negligi cœpit, ab annua quoque visitatione cessatum est, ita et post tridentinum concilium cum non semper, et ubique commodum fuerit, annuam diœcesanam synodum celebrare, neque annuæ visitationi satisfactum est, præsertim ubi amplæ diœceses essent; neque enim id visum est repugnare menti patrum tridentinorum, qui in cap. 3, sess. 24, de reform. ubi æqua subesset caussa, ad biennium visitationis tempora prorogaverunt. Ex frequentibus delegationibus episcoporum visitationis mandandæ caussa in archidiaconos factis, obtinuit quibusdam in diœcesibus, ut archidiaconi etiam jus visitandi sibi jure ordinario vindicarent, Cap 6, de censibus, non quidem ita, ut episcopi excluderent, sed ut par fere cum episcopo jus explicarent. Ceterum inter archidiaconos, vel alios inferiores prælatos simile jus explicantes, atque inter episcopum illud discriminis intercedit, ut in primis libera sit episcopis facultas visitandi, ubi expedire judicetur etiam pluries in anno, quod tamen prælatis illis inferioribus minime conceditur, ne forte isti ob frequentes visitationes molesti visitatis parochis videantur, cap. 6, de offic. Archidiac. præterea, ut archidiaconi aliis nequeant visitationem demandare, sive quod regula sit, delegatum subdelegare non posse, sive quod archidiaconis legitime impeditis episcopus aliis visitationem demandare facile possit, imo et in tridentino concilio illud salubriter adjectum fuit, ut quoties ad archidiaconos aliosve hujus generis prælatos inferiores visitandi jus fuerit adquisitum, non aliter isti visitationem peragant, quam episcopi consensus accesserit, sess. 24, cap. 3 de reform.

Subsunt visitationibus et Ecclesiæ, et personæ Ecclesiis adscriptæ: sicut enim curandum est a visitatore, ut illæ sartæ tectæque sint, et ad res sacras obeundas undecumque idoneæ, ita satagendum, ut istæ rite, recteque munere suo fungantur. Quamobrem in primis visitabit episcopus Ecclesiam cathedralem, et capitulum cathedralis Ecclesiæ, etiamsi forte istud ab episcopali jurisdictione exemtum proponatur, concilio tridentino sess. 6, cap. 4, sess. 14, cap. 4 de reform., quo casu id facere poterit episcopus vel per se solum, vel iis adjunctis prudentibus viris, quos ipse judicaverit; quamquam enim extra caussam visitationis in personas capituli exempti nequeat procedere episcopus, nisi servata forma tridentinæ sessionis 25, cap 6 de reform., non idem tamen recipiendum est in ipso visitationis actu, dicto cap. 4, sess. 6. Neque forte in contrarium dicas, concilium tridentinum in dicto cap. 4, voluisse, ut visitaretur capitulum cathedralis Ecclesiæ *juxta Canonicas sanctiones*; alias autem canonicis sanctionibus præstitutum fuisse, ut episcopus cathedralem Ecclesiam visitans, duos vel tres canonicos de eadem Ecclesia sibi socios adjungat, cap. 17, de offic. jud. ordin., extravag. 1, eod. tit. int. comm., etenim verba illa *juxta canonicas sanctiones* referenda potius sunt ad verba subsequentia tridentini capitis, *toties quoties opus fuerit etc.*, quam ad præcedentia, ne contingat, sibimetipsis adversatos fuisse tridentinos antistites, qui in præcedentibus dixerant, *etiam per se ipsos solos* posse episcopos capitula quomodocumque exemta visitare. Quamobrem concludere possumus, disciplinam veterem dicti capituli 7, et dictæ extravagantis 1, in ea parte fuisse a tridentinis patribus abrogatam. Caussa vero, ob quam tridentinum concilium ea verba adjecerit *juxta canonicas sanctiones..... toties, quoties opus fuerit,* illa erat, quia episcopi in eo officio videri potuissent extra ordinem agere, et veluti pontificii delegati; alias autem iis, qui extra ordinem, et legationis jure visitant, nonnisi annua visitatio permittitur, argumento cap. 6, de offic. archid. Ne igitur ita coercita videretur visitandi potestas ratione episcoporum, additum est, ut toties, quoties opus fuerit, capitula utut exemta visitare valerent juxta canonicas generales sanctiones, quæ nulla tempora visitaturis episcopis definiverunt. Quod dictum est de cathedralibus ecclesiis, earumque capitulis, idipsum dicendum est de Ecclesiis collegiatis, et de canonicis eisdem adscriptis, concilio tridentino sess. 22, cap. 8 de reform. Si de ceteris Ecclesiis, aut beneficiis, item de aliis clericis sacra officia in illis obeuntibus sermo sit, certum est, omnibus visitatione sua episco-

pum, prout expedire intellexerit, posse consulere, ubi nulla obsit singularis exemtio, cap. 13, de offic. judic. ordin. Quid tamen, si certa loca, aut personæ exemtæ proponantur? Distinguendæ sunt Ecclesiæ, aut beneficia regularia, seu adnexa monasteriis, in quibus viget regularis observantia, ab Ecclesiis sæcularibus. Sæculares Ecclesiæ, quæcumque illæ sint, subjacent episcopi visitationi, concilio tridentino sess. 7, c. 7 de reform., quod verum est, etiamsi agatur de Ecclesiis commendatis, concilio tridentino sess. 21, cap. 8 de reform., aut etiam de Ecclesiis, quæ in nullius diœcesi esse dicuntur, quæ regulariter ejus episcopi, cujus cathedralis Ecclesia est proximior, visitationi subjacent, concilio tridentino sess. 24, c. 9 de reform., quod tamen decretum de iis Ecclesiis intelligitur, quæ tantum ab episcoporum jurisdictione exemtæ sint, non etiam subsint prælato cuiquam jurisdictionem quasi episcopalem, et diœcesim separatam habenti. Si enim eum habent prælatum, ab isto, non a proximioris Ecclesiæ cathedralia episcopo visitabuntur. At si agatur de Ecclesiis adnexis monasteriis, in quibus viget regularis observantia, has non visitat episcopus; quamquam enim in cap. 8, sess. 7, de reform. concilium tridentinum facultatem fecerit episcopis universas Ecclesias exemtas visitandi, id tamen de sæcularibus tantum Ecclesiis intelligendum esse, declaravisse visi sunt iidem tridentini antistites in cap. 9, sess. 24 de reformat. Exceptio est in Ecclesiis regularium, quibus cura animarum adnexa sit in personas etiam extra claustra monasterii consistentes exercenda; si quidem et istas, et regulares ipsos animarum rectores visitabit episcopus, tantummodo tamen in iis, quæ ad curam pertinent animarum, concilio tridentino sess. 7, c. 7 et 8, de reformat. sess. 25, cap. 11 de regularibus. Eadem ratione receptum est, ut si forte in regularium Ecclesiis erectæ sint confraternitates, ut vocant, laicorum, istæ æque visitationibus episcoporum subsint, ac si in alia quacumque Ecclesia erectæ fuissent. An monasteria, seu virorum, seu mulierum, an præterea loca religiosa visitationibus episcoporum subjaceant, inferius observabimus, quum de jurisdictione episcoporum in illa agendum erit.

Visitationis episcopalis finis est reformatio morum, præsertim in clero, et ecclesiasticæ disciplinæ custodia; non ita quidem, ut visitans judiciario more procedat, sed potius more vigilantissimi æque ac prudentissimi pastoris ac patris; unde primo deducitur, maxima opus esse rerum agendarum moderatione, cap. 17, de offic. judic. ordin., et pœnas adversus reos inferendas pœnitentiæ potius salutaris rationem habere debere, quam pœnæ; imo et quoties pœna inferenda esset ob graviorum quorundam criminum atrocitatem, vel ob pertinaciorem reorum contumaciam, illam esse lenitate quadam attemperandam, nec summum juris rigorem esse sequendum, cap. 13, de offic. judic. ordin., cap. 1, vers. *Sane* de censibus in 6, juncto cap. 21, de accusationibus, secundo a correctione subditorum, tempore visitationis facta appellationem non dari, quod attinet ad effectum executivum, quamquam effectus appellationis, ut inquiunt, devolutivus minime denegetur dicto cap. 13, de offic. judic. ordin., concilio tridentino sess. 24 de ref., cap. 10; tertio ita faciendam ut non omittatur quidem debita sollicitudo, omnia tamen quam celerrime expediantur, ne forte ordinarius visitans cuiquam molestus, aut gravis videatur, can. 7, 8, can. 10, qu. 3, concil. trident. sess. 24, de ref. cap. 3. Illud inter cetera cavendum est, ne in procurationibus accipiendis aut veteribus, aut tridentinis canonibus fraus fiat. Ecquidem verum est, vel ab ipsis apostolorum temporibus ecclesiarum antistites ab iis, quos lustrando doctrinis evangelicis imbuebant, alimenta percepisse ex Christi mandato, Lucæ c. 10, v. 7 et 8, quod sine discrimine obtinuit, quousque ecclesiæ seu cathedrales, seu cathedralibus inferiores certos ac sufficientes redditus ad ministros sacros exhibendos non haberent. Ubi vero Ecclesiæ redditibus abundare cœperunt varia disciplina cœpit induci pro varietate Eccl. aut personarum, seu quæ visitarent, seu quæ visitarentur. Illud regulariter cavendum fuit, ut ea tantum visitantes episcopi ab Ecclesiis procurationum titulo exigerent, quæ necessaria ipsis essent ad victum, et commeatum, ne alias visitans aut gravaretur ipse majoribus sumtibus, aut negotiis aliis in visitando distraheretur, dummodo tamen sive in victualibus, sive in commeatu modus servaretur, cap. 16 de offic. jud. ordin., cap. 16, de præscript., cap. 6 et 17 de censibus. Observandum autem est, in dictum capitulum 6, grave mendum irrepsisse; ubi enim in codicibus vulgatis legitur 40, *vel* 50, *evictionum numerum, Episcopi autem* 20 *vel* 30 *etc.*, in ipsis lateranensis concilii editionibus habetur, 4. *vel* 5, *evictionum numerum, Episcopi autem* 2 *vel* 3 *etc.* Quis enim dixerit, Patres lateranenses ibidem maxime sollicitos, ut impensas minuerent visitationum, tot vel archiepiscopis vel episcopis indulsisse, ut traditur, evictiones, sive stratos equos, ut regio quodam fastu ad Ecclesias visitandas accederent? Cœperunt hinc nonnulli episcopi pacisci, ut vice victualium et commeatuum quidquam a visitatis præstaretur in numerata pecunia, quod tamen displicuit lugdunensi concilio proptereaque damnatum, cap. 2 de censibus in 6. Verum cum deinde plurimi etiam ex visitatis conquererentur, quod ipsorum interesset potius in numerata pecunia procurationem luere, Bonifacius VIII, in cap. 3, eod. tit. iterum permisit de pecunia numerata pacisci, dummodo

in ea pactione honesta et modus servaretur. Hodie ex concilii tridentini constitutione in cap. 3, sess. 24, juncto cap. 1, sess. 25 de ref. viget, ut episcopi visitantes paterna charitate, christianoque zelo omnes amplectantur; ideoque modesto equitatu contenti, famulatuque studeant visitationem absolvere, interimque caveant, ne inutilibus sumtibus cuiquam graves, onerosive sint, neve ipsi, aut quisquam suorum quidquam procurationis caussa pro visitatione, nec pecuniam, nec munus, quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili; exceptis tantum victualibus, quæ sibi, aut sui frugaliter moderateque pro temporis tantum necessitate, et non ultra, erunt ministranda; sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint, solvere id, quod erat ab ipsis antea solvi certa pecunia taxata consuetum, an vero prædicta victualia ministrare, salvo item jure conventionum antiquarum cum monasteriis, aliisve piis locis, aut Ecclesiis non parochialibus inito; in iis vero loci, seu provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud a visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id observetur. Quamobrem hodie frustra quæreretur, an ab Ecclesia cathedrali procuratio episcopo debeatur; neque enim visitans episcopus extra ordinem gravatur in ea visitanda; quamquam si aliæ sint Ecclesiæ prope cathedralem sitæ, et visitationi obnoxiæ, procurationem luere debeant, quoties adeo distent a cathedrali, ut episcopus commode ad eas ire, et brevi temporis spatio domum redire non possit, quam ad speciem referri commode potest capitulum 24, de censibus, ubi episcopus jure procurationem petebat ab abbate, et conventu de cultura, utut in villa cenomanensi situs conventus esset. At enim vero adhuc observari potest, diversis olim principiis innixa fuisse jura episcopalium procurationum ab iis, quibus hodie, præsertim post tridentinum concilium innituntur. Olim procuratio debebatur episcopis in vestigium prisci juris episcopalis, quo episcopi ad se derivabant universarum Ecclesiarum, et bonorum ad diœcesanas Ecclesias pertinentium administrationem, quemadmodum ostendam in tractatione de beneficiis Ecclesiasticis, et quando clericis inferioribus certa bona ecclesiastica ad usum concesserunt, reservarunt sibi jura quædam, quæ modo in cathedratico, modo in procuratione, modo in similibus præstationibus consistebant, cap. 16 de offic. jud. ordinar., cap. 16, de præscription. Ast hodie alia ex caussa debetur procuratio; ideo nimirum, ut episcopus visitans non de alia re sollicitus esse possit quam de visitatione ecclesiæ, neque ab hac distrahatur, si de victu extra domum suam quærendo sollicitudinem habere deberet; unde profluxit, nullam procurationem deberi ab iis Ecclesiis, quæ sitæ sunt in cathedrali urbe seu, quod idem est, non procul ab habitatione episcopali. Quæ cum ita sint, intelligitur sententia dicti capituli 24 de censibus ad nostra tempora minime accommodandi; siquidem temporibus Honorii III, adhuc ob vestigium disciplinæ veteris, seu generalis administrationis episcopalis, procuratio debebatur, eandemque ob caussam conventus in villa cenomanensi situs episcopo cenomanensi visitanti procurationem debebat. De aliis Ecclesiis, aut locis extra urbem episcopalem sitis, nulla esse dubitatio potest, quin procurationem generaliter debeant; ex quibus tamen, si plures uno die visitentur, unica tantum pro virili parte procuratio luetur, cap. 3, de censibus in 6, excipiuntur a procurationibus præstandis Ecclesiæ pauperes, can. 1, cau. 1, quæst. 2, can. 7, cau. 10, quæst. 3, cap. 6 de censib., cap. 11, vers. *Insuper* de rescript. in 6, item loca pia, ac religiosa, quorum redditus pauperum usibus serviunt, et sanctimonialium monasteria; quod tamen, sive in locis religiosis, sive in monasteriis sanctimonialium verum est, nisi in illis quædam erecta sint beneficia certis redditibus adsignatis; tunc enim clericus beneficiarius ex redditibus beneficii procurationem præstabit, sive bona illa rectori clerico in titulum concessa sint, sive in commendam, uti in specie clementinæ, 2, de religios. domib. Quod si visitatores procurationis titulo quidquam amplius accipiant, ex censura canonum maledictionis sententiæ subjiciuntur, sive id a visitantibus fiat, sive a visitantium familiaribus, quousque duplum restituant, c. 3, vers. *Procurationes* de censibus in 6. Clarius Gregorius X. in cap. 2, eod. tit. in 6 sanctionem expressit, obligari statuens visitatores, aut eorum comites, ut, cum quid amplius exegerint, duplum intra mensem Ecclesiæ visitatæ restituerent, qua restitutione non facta interdicti ipso jure ab ingressu Ecclesiæ intelligerentur; et quamquam hæc constitutio in parte mutata sit a Bonifacio VIII, in cap. subsequente uti modo observabam, in sanctione tamen pœnali confirmata dignoscitur. Addidit concilium tridentinum, præter memoratas pœnas, eos omnes, qui visitando quid amplius, quam quod lege permittitur, acceperint, in synodo provinciali arbitrio synodi absque ulla spe veniæ esse mulctandos, dicto cap. 3, sess. 24 de reformat.

CAPUT IV.

De auctoritate episcoporum in clericos diœcesanos.

Huc referendus est titulus 1 et 2, lib. 2.

Quid aliud est, episcopos clericorum universorum in diœcesi consistentium principes

dici, quam sicut clerici iidem obedientiam et reverentiam suo episcopo debent, ita episcopos in eos potestatem ordinariam explicare? Et quidem in negotiis ecclesiasticis ingenita est episcopalis hujusmodi jurisdictio, cap. 2, 4 et 8, de judiciis, cap. 10, de constitution., ad episcopos enim et pertinet, et semper pertinuit, clericos monere primum, deinde, si monita non sufficiant, terrere censuris, ac tandem pugnaces pœna depositionis, aliquando etiam anathematis, plectere, si forte in officio aut ordinis, aut beneficii caussa mandato delinquant, cap. 10 de judiciis, eo tamen in puniendo servato modo, quem sancti patres præstituerunt, can. 1, 2, 3, 4, 6, 8, et passim dist. 45. Id adeo verum est, ut, etiamsi forte in aliqua diœcesi ad quosdam prælatos inferiores aut ad capitulum cathedralis Ecclesiæ, corrigendi facultas singulari jure pertineat, eisdem quidem integra manere, et sine fraude, jurisdictio debeat, cap. 13, de foro compet., ipsis tamen negligentibus episcopus et corrigere possit, et punire, cap. 13, de offic. judic. ordinar.

Sunt tamen caussæ quædam singulares, in quibus ordinaria episcopi jurisdictio cessat, quod potissimum evenit, vel cum clericus exemptionis legitimo privilegio gaudeat, vel cum alter prælatus adversus episcopum speciali titulo eam jurisdictionem ad se traxerit. Ecquidem si quisquam clericus specialis exemtionis privilegium a sede apostolica obtinuerit; saltem post concilium lugdunense et tridentinum, cujus jure utimur, obtinuit, ut episcopus tanquam in hac specie apostolicus delegatus in eum animadvertere possit, si adversus disciplinam ecclesiasticam delinquat, etiam extra casum visitationis, cap. 1, de privileg. in 6, concilio tridentino sess. 6, cap. 3, sess. 14, c. 4, 5, 6, et sess. 24 c. 11 de reform., sed hæc tum demum vera sunt, cum clericus ab episcopo exemtus alteri prælato subjectus minime fuerit. Id ut clarius explicetur, observandum est, triplicem esse exemptorum speciem, alii enim singulari apostolico privilegio exempti dicuntur, quod honoraria quædam officia in romana curia obtinuerint, veluti protonotariorum, acolytorum, comitum palatinorum, et similia. Isti sane ex concilii tridentini constitutionibus modo laudatis in criminali caussa episcopo tanquam delegato sedis apostolicæ subjiciuntur. Alii exempti sunt abs jurisdictione ordinarii, quod regum cappellis addicti sint, eisque deserviant. Quoad istos concilium tridentinum in dicto cap. 11, sess. 24, servandum voluit Innocentius III, rescriptum, quod extat in cap. 16, de privilegiis, quo fit ut tantum episcopo subjiciantur ratione parochialium ecclesiarum, aut beneficiorum, quas, vel quæ ab episcopis ipsis obtinuerint, non in aliis caussis. Alii exempti sunt ab episcopali jurisdictione, quod monasteriis, aliisve locis exemtis addicti sint, qualia esse possunt hospitalia, militiæ collegia. Hi autem episcopo minime subjiciuntur, quoties actu serviant, et intra monasteriorum, militiarum, et ospitalium septa ac domos resideant, et sub obedientia vivant, dicto cap. 11, sessionis tridentinæ 24.

Perspicua hæc sunt, si sermo sit de ecclesiasticis caussis. Intricatam vero quæstionem adgrederemur quoties de non ecclesiasticis caussis agendum esset, quod sane potius ex variis provinciarum concordatis, vel receptis usibus definiri consuevit, unde non prudentior regula constituatur jureconsulto consilium clientibus allaturo, quam servandam esse illam in unaquaque diœcesi disciplinam, quæ moribus confirmata deprehendatur. Sane veteres canones usque ad Gratiani collectionem editi non omnes in primis eadem pollent auctoritate, quod germanis multi intermixti apocryphi sint; deinde non invicem universi undecumque consonant, denique variis obnoxii interpretationibus fiunt. Imperatoriæ leges, non dixerim æthnicorum, sed religiosorum principum, qui multa Ecclesiarum, et clericorum gratia definiverunt, modo contractam, modo latius extensam episcoporum in clericos jurisdictionem designant; eædemque constantinianis temporibus editæ reformatæ fuerunt theodosianis, aut justinianeis, aut carolinis, in qua reformatione non statim ob divisiones, quibus subjacuit Imperium, recipi ubicumque potuerunt. Gratianus in suo decreto, ubi ad eam disputationem devenit in caussa 11, qu. 1, ita scripsit, ut multa sine discrimine aut temporum, aut caussarum, aut monumentorum congereret quidem, sed vix definiret, nam post canonem 30, concludebat ex iis, quos antea recensuerat, canonibus, clericum in civili caussa ante civilem judicem conveniendum esse, propterea quod sicut ecclesiasticarum legum ecclesiasticus judex est administrator, ita civilium nonnisi civilis debeat esse executor; et sicut ille solus habet jus interpretandi canones, qui habet potestatem condendi eos, ita ille solus civilium legum debeat esse interpres, qui eis jus, et auctoritatem impertit; in criminali vero caussa nonnisi ante episcopum esse clericum examinandum, nisi forte episcopus consentiat, clericum ad publicos magistratus trahi, veluti quando incorrigibilis est, et detracto officio tradendus est curiæ seculari; deinde nescio an mutata sententia, an alia edita opinione, quam probabilem judicaret, aut quam suos, sicut præcedentem, habere patronos intelligeret, non destitutam gravibus monumentis, conclusit post canonem 47, clericum ad pubblica judicia nec in civili, nec in criminali caussa producendum esse, nisi forte civilem caussam decidere episcopus noluerit, vel in criminali sui honoris cingulo eum nudaverit, idest a clericali officio deposuerit, seu a foro suo abjece-

rit: quodque mirum est, in subsequentibus canonibus 48, 49 et 50, nihil singulare adjecit de foro ecclesiastico, vel sæculari, contentus tradere generaliter, et clericos, et laicos in foro suo esse audiendos. Si pandantur aut Gregorii IX, aut sequentium pontificum decretales, late explicatam jurisdictionem episcopalem agnoscemus. Si enim causse utut per se non spirituales, sive ecclesiasticæ, dummodo cum re spirituali quandam connexionem haberent, subjici episcopali judicio visæ sunt; uti liquet in jurepatronatus, cap. 3, de judiciis, quamquam Florentini illud non admiserint, ubi non de ipso jure, sed de jurispatronatus possessione quæstio fieret, cap. ult. eod. tit.; uti contingit in controversiis conjugiorum, quod conjugii contractus inter christifideles sacramento perficitur, et quidem non solum, ubi agendum de matrimonii vinculo esset, can. 10, caus. 35, quæst. 6, cap. 3, de divortiis, sed etiam, ubi de vinculo sponsalium tractaretur, cap. 10, et passim de sponsal. aliquando etiam ubi dotium, successionum, donationum propter nuptias, ac legitimæ nativitatis controversia fieret, quasi hæc omnia matrimonii consectaria forent, cap. 1, et passim qui filii sint legit., cap. 3 et 7, de donation. int. vir. et uxor., uti contingit in caussis miserabilium personarum, cap. 15 de foro compet., ubi præsertim conquererentur istæ de laicis magistratibus, c. 10, et 11, eod. tit.; uti contingit in caussis universorum pactorum, quibus jurisjurandi religio accessisset, cap. 13, de judic., cap. 3, de foro compet. in 6, unde fere universæ caussæ contractuum, quibus ut plurimum jusjurandum accedebat, ad tribunal ecclesiasticum trahi solebant; simili ratione id receperunt in caussis clericorum utut minime ecclesiasticis, sive criminales essent, sive civiles, quod personam ipsam clerici episcopali judicio subjectam caussæ ipsæ sequerentur, adeo ut rigorem juris aliquando dixerint disciplinam illam, qua clericus laicum coram magistratu publico conveniret, cui in plerisque partibus recepta consuetudo derogaverat, cap. 5, de foro competente; adeo insuper, ut traditum fuerit, clericum ne eo quidem casu ad magistratus publicos posse confugere, quo justam haberet denegatæ in foro suo justitiæ quærelam, c. 17, de judiciis, licet eam exceptionem Gratianus olim probavisset post canonem 47, dicta cau. 11, qu. 1, adeo denique, ut traditum fuerit, non posse clericos illi privilegio fori pro se introducto renunciare, etiamsi renunciatio sit jurejurando firmata, cap. 12 de foro compet., quamquam aliter placuerit olim Justiniano imperatori in leg. penult. eod. de pactis, et leg. 51, cod. de episcopis, et clericis.

Historici potius, quam Interpretis in hac re officium gessi, ut unusquisque statim exinde intelligeret, laudata Gregorii IX, capitula non ubique obtinuisse, proptereaque eadem non ubique tuto in foro posse laudari: pauca tantum in aliquibus provinciis obtinuerunt, in aliquibus plura, in aliquibus fere universa, imo et ea, quæ quandoque alicubi diu observata fuerunt, in parte ab usu recesserunt, aut in aliam immutata formam deprehenduntur. Ut plurimum obtinuit, ut in criminali caussa clericus coram episcopo conveniatur sententiam pronunciaturo, et quo casu atrocissimum crimen sit, episcopus ad depositionem procedat, ita ut post istam reus omni privilegio privatus sæculari curiæ tradatur juxta leges puniendus, in civili autem caussa distinguatur inter reales, et personales actiones in judicio edendas. Ubi de reali actione agitur, ea præsertim, quæ ad possessionem aut retinendam, aut recuperandam tendit, plerumque obtinuit, ut etiamsi clericus rei, seu possessionis caussa conveniatur, nihilominus laico magistratui subjaceat. Si vero personalis actio sit, actor forum rei sequatur, nimirum conveniatur clericus apud episcopum, et laicus a clerico apud laicum magistratum, quo casu, ne judicia distrahantur, et reconventionibus locus ex tribunalium disciplina conceditur. Quoad nostrates provincias attinet, observamus recentia utriusque potestatis concordata.

Non debeo tamen quædam omittere, quæ de foro episcopali in concilio tridentino constituta fuerunt, non quidem in concursu fori episcopalis, et fori publici magistratus, sed in concursu fori episcopalis et alterius cujuscumque ecclesiasticæ personæ, quæ singulari jure facultatem judicandi obtinuerit. Primum est, quod habetur in cap. 20, sess. 24, de reformat., ubi statuitur, ut caussæ omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, exceptis quibusdam caussis ex sanctionibus, canonum ad romanam curiam referendis, aut in quibus ex urgenti et rationabili caussa judicaverit summus pontifex judicium ad se advocare, aut alicui committere; item ut caussæ matrimoniales, non decani, aut archidiaconi aut aliorum inferiorum judicio, sed episcoporum tantum examini et jurisdictioni relinquantur. Quod decretum interpretes ita intelligunt, non quidem ut has caussas alicui inferiori demandare episcopus nequeat, argumento capituli 1, de frigid., et malefic., et capituli ult. de cognatione spirituali, sed ut prælati illi inferiores alias jurisdictionem pene dixerim ordinariam nacti, non consentiente episcopo, a tractandis ejus generis caussis abstineant. Alterum est, quod legitur in cap. 5, sess. 14, de reformat., ubi definitum deprehendimus, ut si forte a sede apostolica quorundam clericorum gratia dati sint Judices rerum, ac jurium conservatores, nihilominus in caussis criminalibus, aut mixtis

iidem clerici conveniri coram episcopo possint; in caussis autem civilibus conveniantur quidem ipsi coram conservatoribus suis; sed ubi actores ipsi sint, alios coram episcopo, non coram conservatore conveniant; præterea ut obtentæ conservatoriæ literæ non ultra quinquennium obtinentibus prosint, item ut dati conservatores nullum tribunal erectum habere possint. Insuper innovaverunt tridentini patres decretum aliud, quod habetur in sess. 7, c. 14, de reform., ubi cautum est, ut clerici quicumque, etiam exemti, etiam illi, qui singulares conservatores a sede apostolica obtinuerint, libere coram episcopo conveniri possint in caussis civilibus, si istæ sint caussæ mercedum, vel miserabilium personarum. Denique adjecerunt tridentini antistites, a disciplina dicti capitis 5, sess. 14, de reformat., se excipere universitates generales, et collegia doctorum, seu scholarium, et regularia loca, nec non hospitalia actu hospitalitatem servantia, ac universitatum, collegiorum, locorum, et hospitalium hujusmodi personas, quas exemtas omnino esse voluerunt.

Post hæc nemo sciscitetur, quid dicendum sit de clericis in judicium accedentibus non tamquam actoribus, aut tamquam reis, sed tamquam testibus, præsertim in iis casibus, in quibus qui testificari possint, abs judice compelluntur, toto titulo de testibus cogendis. Postquam enim recessum est in tribunalibus ecclesiasticis a disciplina Isidori mercatoris, qui in caussis laicorum clericos, in caussis clericorum laicos testes admitti noluit, can. 51, cau. 2, qu. 7, can. 9, cau. 11, qu. 1, et in caussis laicorum civilibus admissi fuere clerici ad testificandum; simili ratione non ubique eadem recepta fuit disciplina, sive de testibus conveniendis agatur, sive de jurejurando a testibus exigendo; jamdium enim traditum est, testes omnes etiam religiosos, quod testificantur, jurejurando confirmare oportere, cap. 51, de testibus. In jure pauca sunt monumenta, ex quibus definiri hujus generis quæstiones possint. Apud Theodosium Magnum definitum fuerat, ne episcopus ad dicendum testimonium flagitaretur, leg. 7, cod. de episc. et cleric. De presbyteris autem sanxit, ut ipsi quidem admitterentur, sed citra injuriam quæstionis; in inferioribus clericis eadem quæ in ceteris testibus, disciplina servata, leg. 8, cod. eod. tit. Clarius rem explicavit Justinianus in nov. 123, cap. 7 et 20., unde sumpta autentica *Sed judex*, et authenthica *Presbyteri* cod. eod. tit., statuens, nulli judicum licere episcopos cogere ad judicium venire pro exhibendo testimonio, sed judicem mittere ad eos quosdam ex personis ministrantium sibi ut propositis sanctis evangeliis, secundum quod decet sacerdotes, dicant quæ noverint; deinde subjiciens, presbyteros, aut diaconos falsum testimonium in pecuniaria caussa ferentes a sacris officiis triennio separari, et monasteriis tradi; in criminali autem caussa a clero dejici, et dejectos pœnis legitimis subjici, denique reliquos clericos diaconis inferiores falsum testimonium in qualibet caussa seu civili, seu criminali ferentes statim ab ecclesiastico officio repellendos esse atque repulsos pœnis corporalibus esse affligendos. Notandum est, quod dicitur in dicto cap. 7, nimirum episcopos jurejurando testatos fuisse *propositis Evangeliis*, non quidem tactis quod ab aliis jurantibus fieri solebat, leg. 14, § 1, cod. de judiciis. Hæc omnia referuntur apud Gratianum post canonem 9, cau. 11, qu. 1. Seculo Ecclesiæ undecimo disputari cœpit inter scholasticos de jure jurando, an scilicet homini christiano jurare liceret, ob illa verba Christi Domini apud Matthæum cap. 5. *Sit sermo vester, est, est, non, non. quod autem amplius est, a malo est*, et similia verba Jacobi apostoli in cap. 5, epistolæ. Videsis Gratianum quæstione 1, caussæ 22. Præ ceteris vero videbantur clerici esse debere alieni abs jurejurando, utpote quorum simplicior deberet esse sermo, ac fides. Hinc Honorius papa, sive II, sit, sive III, in cap. 1, de juramento calumniæ cum respexisset ad Marciani constitutionem (perperam in dicto cap. 1, pro nomine Marciani legitur nomen Marci), quæ habetur in leg. 25, cod. de episc., et Cler., ubi legitur, clericos prohiberi, ne jurent, ita eam interpretatus est, ne scilicet episcopus inconsulto romano pontifice, vel quisque clericus inconsulto prælato suo jurare audeant. Deinde Gregorius IX, in cap. ult. eod. tit. cavit, ut, quoties ab episcopo jurandum esset, jusjurandum non tactis, sed propositis Evangeliis fieret, quod consonat laudatæ justinianeæ novellæ cap. 7. Qui hæc omnia cum receptis tribunalium usibus, et quidem valde difformibus comparare voluerit, vix tradere generalem regulam poterit ubique custodiendam; quamobrem et in hac re provinciarum usus unusquisque data occasione sequetur.

Ceterum universa quæ obtinent, fori episcopalis privilegia sicut statim adquiruntur, ac quis vere clericus dici potest, idest, quidquid olim vigeret, cum prima tonsura initiatur, cap. 11 ed æt. et qualit. præfic., dummodo clericalem habitum et tonsuram deferens aut beneficium habeat, aut alicui Ecclesiæ ex mandato episcopi inserviat, aut in seminario clericorum, vel in aliqua schola, vel universitate de licentia episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos, versetur, concilio tridentino sess. 23, cap. 6 de reform., ita amittuntur a clericis universis, si fuerint a gradu suo sententia episcopi dejecti, seu degradati, non quidem verbali, sed reali degradatione, cap. 2 de pœnis in 6. Præterea amittuntur a clericis in minoribus ordinibus constitutis, quoties isti, utut tertio commo-

niti ab episcopo suo, in habitu clericali minime incedunt. cap. 25 et 45 de sent. excomm., aut quoties ita isti habitum clericalem dimittunt, ut perpetuo abjecisse, seu animum dimittendi ecclesiasticam conditionem habere credantur, argumento capituli 12 de sentent. excomm. in 6, cap. ult. de vita, et honest. cleric., ita tamen ut hac in specie iterum fori privilegio gaudeant, si et habitum clericalem iterum adsumant, et vitam clericalem iterum ineant, dummodo fraus absit, qualis præsumeretur in eo, qui clericalem vitam inire se potius iterum simulat, ut publicorum magistratuum jurisdictionem evadat, argumento capituli unici de obligatis ad ratiocinia. Ex jure quoque communi clerici conjugium contrahentes a privilegio fori cadebant, etiamsi habitum, et tonsuram clericalem retinuissent, cap. 7 et 9 de clericis conjugatis. Aliud visum fuit Bonifacio VIII in cap. un. eod. tit. in 6 statuenti, ut in personalibus judiciis sive civilibus, sive criminalibus adhuc gaudeant privilegio fori, dummodo et unicam, et virginem uxorem duxissent dummodo etiam in habitu, et in tonsura clericali incederent; atque hanc constitutionem confirmaverunt tridentini patres in dicto cap. 6, sess. 23 de ref., eo tamen adjecto, ut non aliter conjugati iidem clerici eo privilegio uterentur, quam si ab episcopo deputati alicujus Ecclesiæ servitio ministeriove fuissent.

Ad rei hujus universæ coronidem nonnulla subjicere juvat de intimo Ecclesiæ spiritu, cui morem gesserunt religiosi principes in caussis, quibus clericos decuit hoc episcopalis fori privilegio gaudere. Distinguenda sunt criminalia a civilibus judiciis. In judiciis criminalibus non visum est decere, ut clerici pœnis publicis coercerentur; vel quod, si non atrocissima delicta essent, satis episcopi consuluissent ecclesiasticæ utilitati, modo censuris coercendo reos clericos, modo etiam ab officiis deponendo; vel quod si delicta essent gravissima, ita a clericali ordine dejecissent episcopi clericos suos, ut puniendos magistratui publico traderent, l. 12, cod. theodos. de epis. et cler., l. 8, 20, cod. de episc. et cler., l. 29, cod. de episc. audient., Nov. 83, principio § 2, Nov. 123, cap. 8, 20, 21, § 1, cap. 22 et 23, can. 5, 6, 21, 23, 43 et 44, cau. 11, qu. 1, cap. 7 de crimine falsi et alibi passim. In judiciis civilibus a foro publico abstinere clerici jussi sunt, quod non deceret aut occasione litium clericos ab Ecclesia abesse, propterea que a divinis officiis vacare; quod item non deceret, passim, et sine justissima caussa controversiis obvolvi clericos, et jurgiis sæcularis fori implicari, quorum animus esse mitissimus debet et fidelibus laicis quasi mansuetudinis, et æquabilitatis exemplar. Ubi autem apud episcopum dirimendæ essent clericorum caussæ; nihil oberat, quominus ecclesiasticis officiis perpetuo deservirent, et in Ecclesia una cum episcopo suo consisterent; item si caussa inter clericos et clericos esset dirimenda, facile episcopus prudenti arbitrio suo conciliabat animos, et controversias sine strepitu dirimebat: si laicus convenire clericum vellet, aditus episcopus cognita caussæ æquitate clericum commodius obstringebat; si versavice a clerico conveniendus esset laicus, non primum permittebatur clerico laicum in foro publico convenire, quam episcopus de bona clericis caussa a clerico ipso certior factus esset, ne alias clericus temere litigaret cum injuria clericalis nominis atque existimationis. Huc pene universa collimabant vetera jura, quibus episcopale forum adstruitur. Obtinuerat ex constitutione Zenonis, ut silentiarii non coram ordinariis magistratibus, sed coram magistris officiorum caussas agerent, ne a sacro palatio, cui quotidiano officio inserviebant, abstraherentur, l. 4 cod. de silentiariis. Cur non idipsum recipi decuit inter clericos, ut in Ecclesia ipsa judicem haberent constitutum, ne ab Ecclesia abscedere teneretur? Id insinuare visus est Marcianus in l. 25 cod. de Episc. et cleric., item Leo, et Anthemius in l. 33, cod. eod., nec non Justinianus in Nov. 79, 83, 86 et 123, cap. 24, adde canonem 45 et 46, caus. 11, qu. 1. Item arbitrio suo æquissimo facilem occasionem præbebant episcopi, ut quam citissime finirentur lites inter clericos et clericos, et quam citissime clericus apud se a laico actore conventus satisfaceret, ut nunquam temere clericus ad laicum conveniendum in foro publico accederet. Erant istæ apostolicæ Pauli institutiones, qui ad Corinthios scribens in epis. 1, cap. 6, ægre patiebatur, etiam laicos fideles apud æthnicos magistratus in foro jurgari, optabat autem potius, ut controversiæ omnes quiete, et sine strepitu apud sanctos viros veluti electos arbitros finirentur, utut electi arbitri humiliores essent, et propemodum contemtibiles: atque hoc ipsum exemplum est, quod carthaginenses patres africanis clericis proponebant in can. 43, cau. 11, qu. 1. Marcianus imperator in dicta l. 25, cod. de episc. et cler. statuit, præfectum prætorio adeundum esse a laico clericum conveniente tum demum cum eidem actori episcopalis audientia non placuisset; quod ipsum voluit observandum Justinianus, cum pactum aliquod in negotio adjectum fuisset, l. 51, cod. eod. et l. penul. cod. de pactis. Arcadius, Honorius et Theodosius in l. 7 et 8, cod. de episcop. audient. eadem ratione universis facultatem fecerunt episcopos quasi dirimendarum controversiarum arbitros eligendi, et Marcianus iterum in l. 13 cod. eod. tit. volentibus actoribus definivit, patere posse judicium episcopi geminas acturi partes, et sacerdotis et judicis. Rursus Justinianus in civilibus caussis pati

se professus est, si volentes coram episcopo actor et reus controversiam dirimendam exponant, l. 29, § 4, cod. eod. tit. Similes constitutiones referuntur apud Innocentium III in cap. 13 de judiciis, et apud Gregorium Magnum in can. 38, caus. 11, q. 1. Item Justinianus in Nov. 83, protraxit ad clericos, quod de monachis et sanctimonialibus sanxerat in Nov. 79, eo adicto, ut *ex non scripto* judicium fieret, imo et acciperet *formam forsan etiam scriptam, et si hoc quoque partes voluerint, et poposcerint;* tum demum vero coram civili judice negotium terminaretur, quoties decidi ab episcopo, aut propter caussæ naturam, aut propter gravem difficultatem minime potuisset. De *amicabili conventu* episcoporum, et judicium mentio etiam fit in Nov. 86, cap. 2. Denique Justinianus idem in c. 21. Novellæ 123 non primum conveniendos voluit clericos, quemadmodum et monachos, et sanctimoniales apud civilem Judicem, quam si episcopus adiretur, quo judicante loci judex sententiam exequeretur, si utraque pars judicatis adquieverit, alias, non adquiescente alterutra parte, ordinaria fieret penes judicem publicum judicii forma.

Neque vero canonum auctores aliter suam sententiam olim explicaverunt. Uti enim publicis pœnitentibus, qui in templo merebant, suadebatur, ut quæ litigia habuissent, episcoporum arbitrio dirimenda proponerent, ne forte alias devotionem animi jurgiorum forensium occasione labefactarent, can. 34, caus. 11, qu. 1, ita clericis universis idipsum facile proponebant, propterea quod clericorum vita mitis esse deberet, et ab omni contentione aliena. Non memoro canones 1, 3, 7, 8, 9, 10, 14, 18, 29, 30, 31, 32, 33, caus. 11, qu. 1, sunt enim universi ex Mercatoris penu deprompti: neque memoro canonem 4, eadem caussa, et quæstione, utpote qui falso tributus fuerit nicæno concilio, et potius referendus sit ad epistolam Julio papæ adscriptam a Mercatore. Neque ad hanc rem pertinet canon 26, ibidem, in quo cum laudatur canon nicæni concilii, species eadem ponenda est, quam tractabat nicænum concilium in can. 73, caus. 11, q 3, nimirum ut intelligatur, reservari judicio episcoporum caussas illas, in quibus de excommunicatione ageretur. Memorabo potius africana concilia, quorum extant monumenta in dicta q. 1, can. 42, 43 et 44. Canon 42, sive milevitani concilii sit sive verius toletani, graviter monet clericos ne conclericos suos ad judices publicos trahant, sed coram episcopo curent finiri litem. Idipsum canones 43 et 44 carthaginensis concilii statuerunt. Memorabo itidem canonem 46, ibidem, sive capitulum 1, de foro compet. quod est concilii chalcedonensis, et quod adhuc clarius, aut Beveregius in suis canonum pandectis, aut Josephus Ægyptiacus in sua paraphrasi arabica expressit, ut ex eo eruatur, sublatam fuisse clericis quamcumque inter se jurgandi occasionem. Memorabo insuper canonem 17 et 47, ibidem, qui est concilii agathensis, dummodo in eo agnoscatur gravissimum Gratiani mendum; qui aliter canonem descripsit, quam in concilio legeretur; uti liquet ex collatione gratianei monumenti cum canone ipso concilii. Ita scripserat Gratianus: *Clericum nullus præsumat apud sæcularem judicem episcopo non permittenter pulsare: sed si pulsatus fuerit, non respondeat, nec proponat; nec audeat criminale negotium in judicio sæculari proponere.* Ita vero edixerant agathenses antistites: *Clericus ne quemquam præsumat apud sæcularem judicem episcopo non permittente pulsare: sed si pulsatus fuerit respondeat, non proponat, nec audeat criminale negotium in judicio sæculari proponere etc.* Perspicue item idipsum deducitur ex can. 6, ejusdem quæstionis concilii matisconensis, et ex can. 2, seu ex cap. 2, de foro compet., quod est concilii parisiensis anni 615, confirmatum deinde a Carolo Magno in capitulari anni 769, siquidem et Carolus Magnus veterem Theodosi Imperatoris laudatam legem innovavit can. 37, juncto can. 35, dicta caus. 11, qu. 1. Ex pontificibus maximis laudare possum Gregorium magnum in can. 39, 40 et 41, maxime sollicitum, ut clerici, vel clericos convientes honorem episcopo deferant. Consulto omitto canones 12 et 13, propterea quod canones isti, licet Gelasii nomen inscriptum præseferant, ab eruditis tamen a Gelasio abjudicentur. Possent tamen adduci canones 15 et 16, dummodo Pelagio non primo, sed secundo adscribantur, qui vixit post editas Justiniani Novellas, et eo tempore, quo defensores bonorum ecclesiasticorum imperiali accedente auctoritate constituti fuerant ad tutanda bona ecclesiarum, quorum officium jampridem postulaverunt carthaginenses antistites, can. 10. cau. 23, quæst. 3. Addere his omnibus possum electo ab omnibus ex consensu episcopali arbitrio, atque huic acquiescentibus, collitigantibus sublatas fuisse omnes litium ambages, quibus appellationes longæ occasionem præbebant, l. 23, ff. de appellation. cap. 14, de sentent., et re judic., et hoc est quod ajebat Justinianus in Nov. 123, cap. 21, sententiam episcopi abs judice confirmatam nulli amplius appellationi subesse.

CAPUT V.

De auctoritate episcoporum in monachos, aliosve regulares.

Huc referendi sunt tit. 34, 35 et 36, lib. 3.

Sive ad ea tempora respiciamus, quibus monachi nullis ecclesiasticis ordinibus plerumque

initiabantur, quo pertinent canones 1, 2, 4, 5, 6, 8, 11, 19, caus. 16, qu. 1, sive ad ea, quibus monachi etiam sacerdotio insigniti cœperunt, quo pertinent canones 3, 9, 21, 22, 23, 24, 26, 27, 28, 29, 30 et 31, ead. caus. et quæst., certum est, per plura sæcula eosdem episcoporum, in quorum diœcesibus degebant, jusisdictioni fuisse subjectos, can. 12, caus. 16, qu. 1, can. 1, 2, 8, 10, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 19, 28, 29, caus. 18, qu. 2, l. 40 Cod. de episc. et cler., l. 6, cod. de episc. audient., Nov. 123, cap. 34 et 36. Et quidem ubi ad ecclesiasticos ordines, seu ad sacra ministeria promoti fuere monachi, uti per episcopos diœcesanos ordinabantur, ita in sacris ministeriis exequendis ab eisdem diœcesanis pendebant; eodem jure, quo omnis sacrorum cura ad episcopum unumquemque spectabat, can. 10, caus. 16, qu. 7, can. 6 et 7, cau. 16, qu. 2. Ubi vero monachi ecclesiasticis ordinibus non initiarentur, eodem jure episcopis et ipsi et monasteria suberant, quo piorum quorumcumque operum, et religiosarum personarum moderatio episcoporum vigilantiæ commissa etiam ab antiquissimis sæculis deprehenditur, argumento legis 28, 35, 46, Cod. de Episc. et Cleric., Nov. 123, cap. 23, cap. 3, de religios. domib. Quamquam enim singulis monasteriis. præfecti abbates essent, quorum officio commendaretur et monachorum vita et regimen monasteriorum, ipsi tamen episcopis obtemperabant, et rationem administrationis reddebant, dicta l. 46, cod. de episc. et cleric., eadem fere ratione, qua in cathedralibus Ecclesiis quum vita communis inter clericos institui cœpit, constituti fuerunt canonicorum præpositi, quibus sine diminutione episcopalium jurium omnes clerici suberant, quæ similitudo non solum rem propositam illustrat verum etiam probat, quando scimus, clericos in communi viventes imitari consuevisse mores institutionesque monachorum. Primus Gregorius Magnus, qui in adolescentia monasticam vitam professus est, episcoporum jurisdictionem in monasteria amplissimam aliquantisper coercere cœpit, non quidem illa ab eadem eximens, sed tantum caveas, ne episcopi potestatem suam ita exercerent, ut solitarium monachorum vitam turbarent. Siquidem cum nonnulli episcopi frequens ad monasteria utplurimum extra urbes, et in sylvis sita accederent, sacra ibidem celebraturi non sine magno cleri et populi conventu, unde monachi a quieta oratione distrahebantur, salubriter constituit, ne sacra solemnia per episcopos apud monachos celebrarentur, can. 3, 5, 6, caus. 18, qu. 2, Id usque ad sæculum nonum sine discrimine observatum scimus recentiore tamen ætate factum est, ut monachi a potestate episcoporum eximerentur, et immediate subjicerentur apostolicæ sedi, non quidem jure communi, sed primum singularibus fundationum tabulis, aut peculiaribus privilegiis obtentis, aut etiam iis deficientibus non omittebant monachi, vel præscriptione vel consuetudine adversus ecclesiarum antistites se tueri, sive ut in totum sibi libertatem adsererent, sive ut a quibusdam episcopalibus juribus se exemptos clamarent, unde distinctio illa processit legis diœcesanæ, et legis jurisdictionis, veteribus canonibus prorsus ignota, de qua superius actum est in prima dissertatione, cap. 16, 17, 18, de offic. judic. ordin., cap. 15, 16, 18, de præscription., cap. 6, 7, 8, de religios. domib., cap. 3, de privilegiis, utinam nunquam privilegia ementiti fuissent falsis scripturis, et de industria confectis, aut corruptis, quemadmodum ita ementitos deprehendit Innocentius III, in cap. 6, de fide instrumentorum, et pluries alias ementitos adnotat Juretus in observationibus in epistolas Ivonis carnotensis. Ceterum temporibus Gregorii IX, nondum generalis fuerat exemptio monachorum et monasteriorum ab episcopali potestate, cap. 7, 17, de offic. jud. ordin., cap. 9, de major. et obed., cap. 15, 16, 18, de præscription., cap. 7, 8, de statu monach., cap. 6, 7, 8, de relig. domib., cap. 4, de cappellis monach, cap. 43, de simonia, cap. 16, de excess. Prælat. cap. 19, de privileg., cap. 1, de supplen. neglig. prælat., et alibi passim, imo et duodecimo, et decimotertio sæculo nonnulli sancti monachi, et monachorum institutores has exemptiones sensim gliscentes, et conatus monachorum ad easdem obtinendas minime probaverunt inter ceteros S. Bernardus in libris de consideratione ad Eugenium papam. Paullatim eo res devenit, ut generalia privilegia exemtionum obtinerentur, ex quibus vix quædam potestatis species in episcopis hodie superesse videtur qui vel ordinaria, vel delegata jurisdictione utuntur, præsertim post plures tridentini concilii constitutiones, quibus curatum est, ut, quoad fieri posset, episcopis sua restitueretur auctoritas in iis saltem casibus, in quibus optima Ecclesiarum administratio, et monasteriorum, ipsorum etiam monachorum utilitas postulabat. Regula generalis in hac re constitui potest, etiam hodie nec monasteria, nec monachos exemptos dici ab episcoporum jurisdictione, nisi in quibus jus singulare, scilicet privilegia, consuetudines, præscriptiones, ac legitimas fundationum tabulas allegent, ac probent, ita ut eadem singularia jura strictam interpetationem patiantur; quæ ratio fuit, cur Innocentius III, in cap. 17, de privil. etiam post probatam monasterii exemtionem definiverit, adhuc cappellas a monasterio pendentes non ideo exemtas intelligi. Deinde altera regula subjicitur, in iis, quæ contra privilegia monachorum, aut monasteriorum recentioribus constitutionibus edita sunt, præsertim in concilio tridentino eam capiendam esse interpretationem quæ facile episcopis faveat, ob facilem uniuscujusque rei ad sua principia regressum.

Ut hæc rite et ordinate expendamus, quin-

que distinguenda sunt. Primum est generalis regularum monasticarum institutio. Secundum monasteriorum erectio, et monachorum in erecta monasteria inductio. Tertium bonorum monasterii administratio. Quartum cura monachorum vitæ, ac morum. Postremum sacra officia vel in privatis monachorum oratoriis, vel in publicis monasteriorum Ecclesiis, ad quæ etiam populi conventus admittitur, obeunda.

Quod ad primum attinet, olim nullæ erant regulæ generales aut monasteriis, aut monachis præstitutæ, sed universa in præpositi, sive abbatis arbitrium conferebantur; uti enim scribit Augustinus in lib. 1, de moribus Ecclesiæ c. 31, vita monastica instituebatur magna in jubendo auctoritate eorum, qui monasteriis præerant, et magna monachorum subjectorum in obtemperando voluntate. Quamobrem Lucas Holstenius, ubi codicem veterum regularum monasticarum edidit, in cap. 3, præfationis recte adnotavit, illas proprie generales regulas dici non posse, sed singularia quædam præcepta singulis monachis data, ad quæ iidem vitæ suæ rationem exigerent, quamquam ea ipsa præcepta monachi deinde scriptis servarent, mutuoque inter se conversando, confabulandoque communicarent, quasi sequendæ regulæ loco; eandemque ob rem eruditorum nemo miratur, cum legit apud Gregorium turonensem lib. 10, historiæ c. 29, in uno eodemque monasterio modo unam, modo alteram regulam fuisse pro monachorum lubitu servatam, modo plures una et semel propositas, quas pro arbitrio monachi sequerentur. Primus in occidente S. Benedictus regulam composuit adamussim servandam ab iis, qui in cassinensi, cui ipse præerat, cenobio consistebant, paullatim ad alia cœnobia post cassinense fundata traductam. His institutis vixerunt monachi usque ad sæculum ecclesiæ undecimum, ut plurimum S. Benedicti regulæ adhærentes. Quum vero sæculo undecimo prodierint diversi monachorum ordines, quorum alii solitariam vitam procul ab urbibus agere pergerent, alii ad Clericorum adjutorium et monasticam, et ecclesiasticam vitâm degentes in urbibus, aut pagis junxerint, variæque regulæ editæ pro arbitrio fundatorum fuerint, quorum aliquæ probari nullo modo potuerunt, propterea quod sub prætextu religiosæ vitæ schismata, et hæreses in Ecclesiam emergerent, quales illæ fuerunt, quas fratres ediderant dicti *Pauperes de Lugduno* tanquam hæretici damnati a Lucio III, in Cap. 9, de hæreticis, salubriter cavendum fuit in concilio lateranensi sub Innocentio III, celebrato, ut nulla amplius nova religio institueretur, nisi cujus regula auctoritate sedis apostolicæ probaretur, Cap. ult. de religios. domib. quod et confirmavit concilium lugdunense sub Gregorio X, in Cap. unico eod. tit. in 6, et Bonifacius VIII, in Cap. un. de voto in 6. Itaque in hac re et abbates, et religionum fundatores omni carent potestate, et episcopis universis demta facultas novas regulas adprobandi, quidquid olim vigeret, argumento can. 1, junctis romanorum correctorum notis cau. 10 qu. 1, hac facultate uni sedi apostolicæ reservata; quod tamen locum non habet in regulis ante Innocentium III, constitutis, quod tum necdum hæc reservatio prodiisset, uti notat Gregorius X, in dicto Cap. un. de relig. domib. in 6, dummodo talis religio fuerit, cujus damnatæ institutiones non deprehendantur, dicto Cap. 9, de hæreticis.

Quoties de monasteriis erigendis agatur, et de monachis in erecta monasteria inducendis, certissimum est, id fieri neutiquam, posse, nisi diœcesanorum consensus accedat sive veterem disciplinam respiciamus in concilio chalcedonensi constitutam, can 10, cau. 18, qu. 2, sive recentem in tridentino concilio confirmatam, sess. 25, c. 3, in fine de segular. Sed præterea ubi receptæ sunt constitutiones, Bonifacii VIII, in cap. un. §, *confirmatos* de religios. domib. et Cap. unico de excess. Prœlat. in 6, item recentiores constitutiones, *Quoniam institutum* Clementis VIII. *Cum alias* Gregorii XV. *Romanus pontifex* Urbani VIII, ab Innocentio X, confirmatæ in ejus Bulla 27, obtinet, ut præterea apostolicæ sedis consensus interveniet, item ut parochi clerus, ac populus minime contradicant; imo etiam consentiant regulares alii jam in certam urbem, vel oppidum recepti, pro qualitate eorum, qui admitti postulant; nimirum si isti vere mendicantes sint, et quoties admittantur, jam erectis monasteriis ingerere detrimentum quodpiam possint, argumento canonis 44, cau. 16, qu. 1. Præ ceteris autem requiritur beneplacitum principis, quod jam constitutum fuisse puto in concilio chalcedonensi in canone 1, ex illis tribus, qui subjecti sunt actioni 6, ibi: *Quoniam vero quidam sub prætextu solitariæ vitæ et Ecclesias, et communes perturbant caussas, placuit, nullum quidem ædificare monasterium præter voluntatem Domini possessionis.* Quod vero dictum est de necessitate consensus apostolicæ sedis, etiam ubi ea disciplina recepta est, minime locum habet, quoties non proprie monasterium erigatur, sed tantum hospitium quoddam erigendum ad commodum regularium iter habentium, quemadmodum testatur Benedictus XIV, in lib. 9, de Synodo diocesana Cap. 1, in fine.

In bona Monasteriorum olim ab episcopis eadem fere exercebatur potestas, qualis in bona ecclesiarum beneficiariis clericis concessa: Nimirum abbatibus, aliisque monasteriorum officialibus, seu curatoribus administratio competebat, ita tamen ut diœcesanus antistes, et rationes petere ab illis posset, eaque de caussa monasteria, ac monachos visitare, et procura-

tiones, quartamque oblationum monasteriis factarum juxta morem in unaquaque diœcesi receptum exigere, can. 12, caus. 16, qu. 1, can. 15, 16, 17, 19, 28, 29. cau. 18, qu. 2, c. 16 et 17, de offic. jud. ordinar. Hodie vero ad excludendos ab his juribus ordinarios recentes tetendisse noscuntur exemtiones, quibus factum est, ut episcopi abstinere debeant a quacumque petenda a monachis administrationis ratione, et a memoratis juribus seu visitationis, seu procurationis, seu quartæ oblationum. Nihil adjicio de facultate alienandi bona monasteriorum; licet enim olim justa postulante caussa monasteriis præfecti ad alienationem devenire possent, obtenta ab episcopo, qui de eadem caussa cognovisset, facultate, tamen postquam obtinuit, ut bona ecclesiarum non aliter alienari a quoquam possent, quam interveniente apostolicæ sedis auctoritate, eodem jure censeri debuerunt bona monasteriorum, extravag. unic. de rebus eccles. non alien. int. comm. cujus interpretationem tradam in tractatione de beneficiis ecclesiasticis. In concilio tridentino cautum episcoporum gratia fuit in cap. 16, sess. 25, de regular. ut novitii nec ullam renunciationem bonorum facerent, nec ullam obligationem inirent etiam jurejurando firmandam, etiam in pias caussas conferendam, sine licentia episcopi, vel ejus vicarii, secus autem irrita esset, et prorsus inanis; quod decretum tamen minime obtinet, aut in quibuscumque ultimæ voluntatis dispositionibus, quæ professione demum secuta vires obtineant, juxta Novellam 5, cap. 5, aut in renunciationibus inter vivos conditionalibus, seu sub conditione futuræ professionis ante ingressum in monasteria factis. Non dubito autem, quin per hoc decretum derogatum sit cap. 4, de regularibus in 6, in quo per susceptionem monastici habitus eum, qui beneficium ecclesiasticum possidebat, beneficio ipso jure cecidisse definiebatur. Præterea postquam monachi in bonis monasteriorum privilegiatis exemtiones obtinuerunt, cavendum fuit, ut quandoque a sede apostolica constituerentur jurium monasticorum conservatores, de quibus mentio fit in cap. 1 et 15, de offic. jud. deleg. in 6, et in concilio tridentino sess. 7, de reform. Cap. 14. Isti sane ex dicto cap. 15, eligi non possunt a monachis, nisi episcopi, qui olim jure ordinario munus illud gerebant, cap. 7, de statu monach. vel episcoporum superiores, vel abbates, vel dignitates in cathedralibus, aut collegiatis ecclesiis obtinentes: neque ii possunt illorum conservatores esse, quos vicissim iidem conservatores suos elegissent, vel quorum alias sunt jurisdictioni subjecti. Conservatorum potestas in eo sita est, ut valeant monachos, a quibus ad conservatoris gerendum officium electi sunt, a manifestis injuriis apostolica auctoritate tueri, ita ut non prius conservator jurisdictionem, explicare valeat quam de illata in monasteriis, vel monachos manifesta injuria constet, non autem valeant caussas discutere, quæ judicialem postulant indagationem; imo nec illa potestas ad aliam diœcesim, aut civitatem, quam in qua sita monasteria sunt, neque ad alias personas, quam eorum, quorum gratia designati sunt conservatores, extenditur; nec regulariter conservatores alteri vices suas delegare possunt, exceptis tantummodo citationibus, et denunciationibus sententiarum. Nonnulla ad hanc rem statuit, et innovavit Gregorius XV, in sua constitutione, quæ incipit *Sanctissimus in Christo Pater;* decernens in posterum, neminem posse in conservatorem a regularibus eligi, nisi qui judex synodalis, aut in provincialibus, aut in diœcesanis conciliis fuerit designatus, item nomina judicum conservatorum a regularibus electorum intra sex menses a die electionis computandos penes acta curiæ ordinariorum una cum documento electionis referenda esse, ac recensenda, adeo ut hodie si in diœcesi nulli sint forte judices synodales constituti, regulares eligendi quemquam facultate destituantur. Hinc hodie non amplius permittitur, episcopos non diœcesanos, etiamsi sint diœcesanis majores, in conservatores eligere, præsertim quod Gregorius XV, in dicta constitutione adjecerit, conservatorem electum non posse conservatoris officio fungi, quam in ea diœcesi, in qua fuerit deputatus. Nihil adjicio de monasteriis commendatis, da quibus concepta sunt concilii tridentini decreta in cap. 8, sess. 21, de reform. et in cap. 20, sess. 25, de regularibus; de istis enim alibi opportunius sermo instituetur.

Cura monachorum vitæ, et morum, sive regularem disciplinam, sive universas rerum agendarum rationes spectaret, ad monasteriorum quidem præfectos olim maxima in parte pertinebat, ita tamen, ut episcopus, in cujus diœcesi siti monachi essent, jurisdictionem exerceret eodem modo, quo in clericos diœcesanos, diviso quodammodo inter præfectus monasteriis paternam sollicitudinem gereret veluti in familiam sub se constitutam, episcopus veram jurisdictionem explicare. At post invectas exemtiones auctoritas ista episcopalis propemodum interiisse visa est, certis negotiis romano antistiti reservatis, certis vero ad monasteriorum prælatos regulares devolutis, donec recentioribus sæculis episcopi iterum certam jurisdictionem in monachos, et regulares exercendam sumserint, aut ex sanctionibus concilii tridentini, aut ex constitutionibus pontificum maximorum, qua in specie ut plurimum episcopi vices apostolicæ sedis potius gerere, quam ordinariam explicare potestatem intelliguntur. Ita postulavit diœceson utilitas, quam turbabant nimis provectæ ejus generis exemtiones: quamquam enim potuerint apo-

stolica privilegia eximere monachorum collegia, et monachos ab episcoporum jurisdictione, quod in jure consistit; non potuerunt tamen fingi monasteria esse extra diœcesim, quod consistit in facto. Isthæc iterum attributa episcoporum potestas ad summa tria capita redigitur. Primo enim afficere potest non tam singulares ipsas monachorum personas, quam monachorum in communi viventium universitatem, seu collegium: secundo singulares monachorum personas, cum tantummodo extra claustra degentes prælati jurisdictionem excitare possunt: tertio singulares monachorum personas etiam cum intra claustra manent, et in regularis præpositi obsequio. Ad primum refertur, quod definitum est in concilio tridentino cap. 13, sess. 25, de regular. ut possint episcopi monachos ad publicas processiones vocare, atque compellere, eodemque tempore controversias, quæ de præcedentia inter monachorum ordines suboriantur, dirimere. Qua in re duæ exceptiones receptæ sunt, una ex æquitate, ex qua admittitur, monachos extra urbes vel oppida ultra dimidium milliaris constitutos minime compelli; altera ex constitutione Pii V, anni 1567, 17. Cal. Junii, quæ incipit *Etsi mendicantium*, juxta quam nonnulli ordines singulari privilegio obtinuerunt, ut ad id compelli non possint. Quod vero ad processiones attinet a regularibus faciendas, receptum est, ut eas facere nequeant per parochiæ vicos, nisi de episcoporum, vel parochorum consensu, aut legitimo accedente privilegio, vel consuetudine vim privilegii obtinente, quamquam regulariter eas facere possint per claustra, siquæ sint, suarum Ecclesiarum, sin minus, circa muros earundem. Itidem refertur, ut episcopi cogere possint monasteriorum præfectos, ut curent in monasteriis, in quibus commode id fieri potest, sacram scripturam legi, juxta concilii tridentini decretum in sess. 5, de ref. cap. 1, vers. *In monasteriis*. Præterea, ut teneantur regulares dies festos ab episcopo indictos, argumento canonis 1, de consecr. dist. 3, et capituli 5, de feriis, etiam in suis monasteriis observare, dicto concilio tridentino sess. 25, de regul. c. 12. Insuper, ut irrequisito episcopo non plures campanas habeant ad populi convocationem, quam quæ statutis, aut moribus permittuntur, cap. 10, de privilegiis, juncta extravag. un. de officio custodis inter communes, easdemque, quas habent, in die sabbati sancti pulsare nequeant ante signum a matrice ecclesia datum, juxta constitutionem 17, Leonis X, itidem ut irrequisito episcopo apostolicas indulgentias minime possint promulgare, juxta decreta concilii tridentini in sess. 6, de ref. cap. 3, et sess. 24, de ref. cap. 11. Additur his, universitates, seu collegia monachorum subjici episcopis, in quorum diœcesi monasteria sunt; in iis, quæ sunt ordinis episcopalis, nec singulari privilegio regularibus prælatis competunt, qualis est petitio chrismatis, consecratio Ecclesiarum, susceptio sacrorum ordinum, argumento canonis 18, cau. 18, qu. 2, cap. 19, de prescription., cujus rei etiam argumento est quod episcopi ordinis potestatem explicare in monasteriis et monasteriorum ecclesiis possint petentibus regularibus prælatis, quasi in loco suæ dioeceseos id muneris obeant. argumento clementinæ 2, de privileg. Denique, ut monachi, qui instantibus metropolitanis non curaverunt se in congregationes redigere quolibet triennio convocandas, subjaceant omnino episcoporum potestati, juxta caput 8, sess. 25, de regular. in tridentino concilio, quemadmodum et subjaceant ex recentioribus pontificum maximorum Urbani VIII et Innocentii X, constitutionibus, qui in monasteriis non legitime erectis habitant, aut qui non in eo numero sunt, qui eisdem constitutionibus definitus est caussa observantiæ regularis. Ad alterum caput, videlicet ad jurisdictionem episcopi exercendam in singulares personas monachorum extra claustra degentium, tria referuntur concilii tridentini decreta. Primum est in c. 3, sess. 6, de ref. ubi statutum est, ut regulares extra monasterium degentes etiam sui ordinis privilegii prætextu tuti non censeantur, quominus si deliquerint, ab ordinario secundum canonicas sanctiones visitari, puniri et corrigi valeant: quod adeo verum est, ut locum habeat etiam in ea specie, qua justa de caussa monachus extra monasterium obtenta a suo superiore facultate degat, puta caussa novi monasterii erigendi, nisi jam in novum erectum monasterium invecta observantia regularis fuerit, constitutusque regularis prælatus, aut nisi agatur de monacho degente in membro monasterii utut separato a monasterio qualia sunt, aut rustica prædia (*Grangias* appellant), aut hospitia a monasteriis pendentia; hoc enim in casu regularis adhuc sub sui superioris regimine constitutus esse videtur. Secundum extat in cap. 4, sess. 25, de regular. ubi postquam cautum fuit, ut nemo ex regularibus a suis conventibus recedat, nisi a superioribus missus, aut vocatus fuerit, subjicitur, contrafacientem ab ordinario tanquam desertorem sui ordinis posse puniri; item eos, qui ad universitates studiorum caussa mittuntur, si in conventibus non habitent, jurisdictioni ordinariorum subjacere. Tertium extat in cap. 14, sess. 25, de regularibus, ubi legimus, regularem non subditum episcopo, qui intra claustra monasterii degit, sed extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, episcopo instante a prælato regulari intra tempus ab ebiscopo præfigendum severe puniri, ac de punitione episcopum certiorem fieri oportere; sin minus, prælatum regularem non punientem officio a superiore esse privan-

dum, et regularem delinquentem ab episcopo posse puniri. Ad postremum caput, videlicet ad jurisdictionem ab episcopo exercendam in singulares monachorum personas in claustris degentium, plures sunt casus, quibus monachorum exemtio locum non habet, et ordinarii in eos explicant potestatem. Hos casus ego ad duo summa capita exigo, quorum primum proficiscitur ex generali quadam ratione legibus confirmata, alterum ex singularibus facultatibus, quæ ordinariis, sive episcopis fuere concessæ. Rationem generalem a legibus confirmatam in primis dico, quoties monachus in monasterio degens episcopalia sibi, vel parochialia jura vindicet. Quid enim magis juri, et rationi consentaneum videtur, quam injuriam in potestatem certam publicam illatam vindicare, inferentesque compescere? Si enim jure romano quamquam non liceret magistratibus in caussa propria judicare, id tamen licebat, quoties ageretur de vindicanda injuria in magistratus ipsos illata, eadem ratione quamquam generaliter cautum sit, episcopos non habere jurisdictionem in monachos, in eo tamen casu jurisdictionem episcopi explicabunt. Id confirmatum est in cap. 3, § ult. in fine de privileg. ubi episcopis facultas conceditur coercendi regulares jura episcopalia sibi usurpantes, et in clement. 1, eod. tit. ubi religiosi jura parochialia præter suorum privilegiorum formam sibi vindicantes nullo exemtionis privilegio suffragante denunciari ab episcopo possunt, tanquam ii, qui in indictas eo canone censuras inciderunt. Secundo generalem rationem a legibus confirmatam dico, quoties monachus in eo casu versatur, in quo prælati regularis nulla est jurisdictio, alias autem non agatur de re pontifici maximo reservata. Cum enim exemtio regularium prodierit gratia prælati regularis, quid obest, quominus episcopus, cum deest prælati regularis potestas, tum jurisdictionem exerceat? Huc pertinet, quod passim receptum est, juxta caput 8 et 10, sess. 23, de ref. in concilio tridentino, ordinationem clericalem monachorum, et regularium petendam esse ab episcopo, in cujus diœcesi situm est monasterium, in quo regularis, aut monachus degit, si facultate ordinandi prælatus regularis non polleat, aut, si iste facultate polleat minores ordines conferendi, petendam esse ab eodem episcopo ordinationem sacrorum. Et quamquam Pius V Mendicantibus privilegium indulsisset petendi ordines a quocumque episcopo in sua Bulla 37, quæ incipit *Etsi mendicantium ordo*, tamen Gregorius XIII, in sua Bulla 38, quæ incipit *In tanta rerum* omnia redegit ad formam juris communis et tridentini. Quamobrem sub Clemente VIII, definivit congregatio concilii tridentini, licere prælatis regularibus dimissorias literas concedere regularibus sibi subditis ordinandis, ad episcopum tamen ordinarium tantum, nisi dioecesanus absit, aut ordinationem non faciat, dummodo de industria prælati regulares id non distulerint in tempus absentiæ, vel non habitæ ordinationis. Ad eandem regulam pertinet, quod tradi solet, in iis, quæ spectant externam Ecclesiæ politiam, seu fidelis populi episcopis, parochisve subjectis utilitatem, et commodum, in parte certa in eundem populum ecclesiastica potestas, et jurisdictio versaretur, monachos, et regulares ea attingere non posse, nisi obtenta ab episcopo facultate, similem enim potestatem a prælatis suis obtinere non possent. Sic regulares quemquam nequeunt ex sæcularibus in sacramento pœnitentiæ absolvere, nisi ab ordinario eam obtinuerunt facultatem, concilio tridentino sess. 23, cap. 15 de reform. Sic etiam nequeunt prædicare publice evangelium in Ecclesiis, quæ sui ordinis non sunt, non petita primum ab episcopo facultate, imo neque in ecclesiis, suorum ordinum non petita primum ab episcopo benedictione, concilio tridentino sess. 5, de ref. cap. 2, vers. *Regulares vero*. Additum fuit in sess. 24 de ref., c. 4, vers. *Nullus autem*, neminem ex regularibus etiam in Ecclesiis suorum ordinum prædicare posse episcopo contradicente. Preterea ad eam regulam pertinet, quod legimus in cap. 21, de sentent. excom. in 6, ubi conceditur episcopo, ut quo casu absolvere posset a sententia excommunicationis sæcularem clericum conclericum suum percutientem, eodem possit absolvere regularem, si clericum sæcularem percussisset; insuper quod dicitur in c. 9, in fine de hæreticis, juncto cap. 11, vers. *denique* eod. tit. in 6, ubi facultas fit episcopis, aut inquisitoribus adversus hæreticos constitutis in caussa hæreseos, etiam contra monachos procedendi: atque idipsum voluit constitutione sua Gregorius XV, observandum in gravissimo crimine sollicitationis occasione sacramenti pœnitentiæ factæ; neque enim in his omnibus speciebus aliqua inest penes prælatos regulares in suos subditos jurisdictio. Quod attinet ad secundum caput, sive ad singulares facultates ordinariis jure concessas, adferre possem in primis capitulum 1, de privilegiis in 6, ubi caverat Innocentius IV, ut quomodocumque exempti, sive ratione delicti, sive ratione contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, possent coram ordinariis conveniri. Verum licet hæc constitutio confirmata fuerit in concilio tridentino sess. 7, cap. 14 de ref. generaliter respectu clericorum sæcularium, in regularibus tamen declaratum est eam locum non habere, nisi extra monasterium degant. Ast nihilominus observant pragmatici numero plures, episcopos posse vi dicti capituli 1, jurisdictionem suam in civilibus negotiis, seu controversiis, quæ ex monachorum contractibus, vel quasi contractibus oriuntur, explicare

ex defectu, ut ajunt, justitiæ, scilicet quoties non facile potest haberi recursus ad apostolicam sedem, aut ad designatos eorundem regularium superiores; propterea quod hæ et similes species videantur esse omnino extra mentem patrum tridentinorum in dicto cap. 14. Præterea ad idem secundum caput refertur Clementina unica de testamentis, ubi cautum est, regulares utut exemtos ad executiones ultimarum voluntatum deputatos circa ipsum executionis officium (quod utique nonnisi petita et obtenta a suo superiore licentia suscipere nequeunt), rationem reddere locorum ordinariis debere, imo et si dolum, fraudem, aut negligentiam admiserint, ab eisdem posse puniri. Denique ad idem caput refertur decretum concili tridentini in cap. 19, sess. 25 de regul. ex quo obtinet, ut si forte quisquam ex regularibus irritam esse allegat professionem suam, caussa proponat coram ordinario, una et coram suo superiore.

Dicendum adhuc superest vel de oratoriis, vel de ecclesiis publicis monasteriorum, ad quas etiam populi conventus admittitur. Non amplius hoc in loco sermonem instituo de ecclesiis parochialibus monasterio adnexis, de his enim jam superius actum est in c. 3. De ceteris tantum loquor, quæ ad tria genera reduci possunt. Vel enim agitur de templis publicis, ad quæ fidelis populi conventus admittitur vel de privatis monasteriorum cappellis, seu oratoriis intra claustra constitutis, et tantum, gratia regularium erectis, vel denique de cappellis, seu oratoriis, quæ sitæ sunt in prædiis rusticis monasteriorum, vulgo *grangiis*. In primis generaliter certum est, sine consensu episcopi sæculares, ut ajunt, ecclesias jam erectas monachos, seu monasteria adquirere non posse sive a clericis, sive a laicis, utut earundem ecclesiarum patronis, ne exinde fraus episcopalibus juribus fiat, can. 39, cau. 16, quæst. 7, cap. 5, 8, 11 17, de jurepatron., cap. 3, princ. vers. *ecclesias* de privilegiis, quamquam laicis patronis liceat irrequisito episcopo juspatronatus sibi competens in monasteria transferre, dicto cap. 8, de jurepatron., cap. 1, eod. tit. in 6. Secundo deveniendo ad singula ecclesiarum genera modo designata, certum olim erat ante inductas monasticas exemptiones, ecclesias ipsas monasteriorum in potestate episcoporum constitisse, can. 10, caus. 16, quæst 7. At post receptas monasteriorum exemptiones, exemptæ quoque fuerunt monasteriorum Ecclesiæ, etiam illæ, ad quas fidelis populi conventus admittitur, etiamsi in iis clericales functiones a monachis obeantur; ex quo sequitur, episcopos non posse illas visitare, ne quod attinet quidem ad sacræ Eucharistiæ custodiam, aut loca excipiendis fidelium confessionibus apta, ac destinata. Tantum quædam episcopis reservata sunt, presertim post concilium tridentinum, in quo passim certus modus monasticis exemptionibus fuit impositus. Huc pertinet, quod pragmatici tradunt, regulares puniri arbitrio episcoporum posse, quoties in eisdem Ecclesiis contra disciplinam ecclesiasticam in sacramentorum collatione, vel confectione delinquunt; item neminem ex regularibus prædicare in iis evangelium posse, nisi primum benedictionem episcopalem petierint, nec posse publice eucharistiam populo adorandam exponere, nisi ex caussa publica, eaque ab episcopo adprobata: præterea neminem ex regularibus posse fidelibus convenientibus sæcularibus sacramentum pœnitentiæ administrare, nisi ab episcopo ad id adprobati fuerint, et administrandi facultatem acceperint; insuper non posse quemquam ab episcopo excommunicatum, aut nominatim interdictum in Ecclesias suas admittere, aut defuncti excommunicati, vel interdicti cadaver sepultura donare, cap. 3, vers. *excommunicatos* de privileg., cap. 8, eod. tit. in 6, denique teneri regulares in eisdem Ecclesiis ad observandos dies festos ab episcopo præstitutos, atque ad morem gerendum locali interdicto ab episcopo imposito, concil. trid. sess. 25, de regular. cap. 12, unde liquet per concilium tridentinum derogatum fuisse veteribus privilegiis hac in re specialiter concessis gratia regularium, cap. 22, ejusdem sessionis 25, neque alias suffragari posse regularibus privilegia, nisi post tridentinum concilium obtenta fuerint, adjecta derogatione tridentinarum constitutionum. Tertio quod attinet ad privata oratoria in claustris monachorum constituta ad usum tantum religiosorum, eorumve, qui in claustris sub obedientia degunt, ista duplicis generis sunt; vel enim sunt tantum loca religiosa claustralium orationibus, et piis exercitationibus destinata, qualia hoc nomine apud veteres appellabantur, can. 6 et 7, dist. 42, hæc autem semper ad curam prælatorum regularium pertinuerunt: nec major in illa ante invectas exemtiones episcopis tributa fuit potestas, quam in monasteria ipsa traderetur. Ut enim ipsa dici non poterant loca sacra, neque auctoritate sacerdotali consecrabantur, ita nec singulari jure episcopis suberant, tantum in silentio, et in oratione ibidem monachi versabantur, prælato monastico satagente, ne in alium usum eorundem institutio flecteretur. Vel sunt loca sacra, in quibus eucharistia conficitur. Ista autem ante invectas exemtiones ita episcoporum jurisdictioni suberant, sicut ceteræ ecclesiæ diœcesanæ, can. 10, cau. 16, qu. 7, propterea quod et episcopali auctoritate aut benedicerentur, aut consecrarentur. Ast hodie post receptas exemtiones, sicuti cura animarum eurum, qui in claustris degunt, prælatis regularibus generaliter inest, etiam ratione habita sacri ministerii in ea parte, quæ episcopali ordini non reservatur, ita et ecclesiolæ, seu cap-

pellæ ad spirituales, et sacros regularium usus destinatæ penitus exemtæ censentur; dummodo regulares semper caveant, ne quoquo modo forma quædam publici conventus in eisdem cappellis constituatur; cujus rei argumento est, quod ad indicendum ad cappellas illas conventum nullam possint campanam adponere, c. 10, de privilegiis. Quarto quod attinet ad cappellas, seu, oratoria sita in prædiis rusticis monachorum, sive grangiis, distinguenda sunt duo genera locorum, sive grangiarum, distinguenda itidem tempora, quibus variæ in hac parte constitutiones, et placita prodierunt. Olim grangiæ proprie appellabantur prædia rustica monasteriorum a monasteriis separata cum ædificiis, in quibus unus, alterve monachus, quasi bonorum curator, aut perpetuo, aut certis temporibus moraretur, vel ad quæ oblectationis caussa identidem quidam ex monachis convenirent. Istæ sane grangiæ si nullas haberent sacras ecclesiolas vel publicas, vel privatas, sed tantum privata oratoria, idest diversoria quædam orationi, ac silentio destinata, post invectas monasticas exemtiones non subjiciebantur jurisdictioni episcoporum; ex quo enim concessa fuit monasteriis, et monachis exemptio, exempta quoque a potestate episcopi fuerunt bona monasteriorum et monachorum. Sed quoties in illis essent constitutæ ecclesiolæ sive publicæ, sive privatæ, quoad istas jurisdictioni episcopali suberant; neque enim exemptis Ecclesiis monasterii seu publicis, seu privatis, eo ipso censebantur exemtæ ecclesiæ grangiarum, cap. ult. de censibus, cap. 17, de privileg., cap. 4, de verb. signif. in 6. Recentioribus sæculis monachi, et regulares plurimi curaverunt ut harum quoque cappellarum exemtionem singulari privilegio a sede apostolica impetrarent, qua impetrata alii plures eodem se jure gaudere censuerunt, ex eo quod generaliter impetraverunt, ut sibi communia fierent privilegia eorum, qui uberioribus privilegiis distinguerentur. Sed de privilegiis istis actum esse videtur post decretum tridentinum de observandis in celebratione missæ sess. 22., ubi statutum est, ne episcopi permittant privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem episcopis designanda; et visitanda, sanctum sacrificium a sæcularibus, *aut regularibus quibuscumque* peragi. Post concilium tridentinum nonnulli religiosorum ordines similia privilegia iterum obtinuerunt vel specialiter, vel generaliter, nimirum impetrantes omnia privilegia certo ordini etiam post tridentinum concilium concessa, quasi et sibi communia. Quamobrem hodie regula recepta est, non aliter ecclesiolas in grangiis illis erigi sola prælatorum regularium auctoritate posse, et erectas abs jurisdictione ordinarii exemptas esse, quam si vel de singulari, vel de generali et quidem alterutro post tridentinum concilium obtento privilegio constet. Hinc si quisquam regularis ordo post tridentinum concilium obtinuerit, ut suis prælatis liceat eas ecclesiolas erigere, et habere a diœcesani jurisdictione exemtas; alter autem ordo ante concilium tridentinum obtinuisset, ut sibi essent communia illius ordinis privilegia, hæc privilegiorum communio alteri ordini non sufficeret, ut hodie posset ecclesiolas erigere, exemtasve habere. Altera est grangiarum minus propria species a temporibus potissimum Urbani VIII, institutarum. Cum enim tunc temporis, seu anno 1625, die 21 Junii in romana congregatione interpretum concilii tridentini statutum fuisset ut monasteria, in quibus duodecim religiosi viri alii minime possent, subderentur episcoporum jurisdictioni, plura monasteriola eum monachorum numerum non habentia grangiarum nomine donari cœperunt, in quibus pauciores numero monachi non tanquam in monasteriis consistere viderentur, sed tanquam in quibusdam membris monasterii majoris, a quo monasteriola, sive grangiæ penderent; quod monachi plurimi curaverunt, ut laudatum decretum eluderent, et nihilominus in monasteriolis habitantes mutato monasteriorum nomine episcoporum jurisdictionem evaderent. In istis sane grangiis monasteriorum adhuc formam habentibus ecclesiolas monachi auctoritate sua erigebant, aut erectas regebant, quousque Innocentius X, ea omnia monasteriola suppressit. Porro anno 1652 idibus octobris prodiit constitutio Innocentii, quæ incipit *Instaurandæ*, qua, suppressis ejusmodi grangiis in Italia, insulisque adjacentibus, cautum fuit, ut si iterum ejus generis monasteriola erigerentur, ead quoad omnia episcoporum jurisdictioni subjacerent. Plurimum, vehementerque turbavit monachos innocentiana constitutio, qui biennio post, seu anno 1654, nullum non lapidem moverunt ut et illa monasteriola adhuc subsisterent, et episcoporum auctoritati minime subessent. Ajebant aliqui, in iis quidem monasteriolis non consistere duodecim monachos, id vero ex injuria temporum proficisci, quibus redditus monasterii erant imminuti, nec pares ad tot monachos sustentandos, ceterum spem sibi maximam fore, ut brevi redditus augerentur ad duodecim alendos sufficientes. Ajebant alii se in eo monasterio habitare, in quo temporibus Urbani VIII, duodecim monachi vivebant, et in quo duodenarius numerus esse desiit nonnisi post constitutionem Urbani, proinde se facile non contineri in constitutione Innocentii, utpote quæ sequela erat constitutionis Urbani. His, similibusve de caussis postulabant apud Innocentium, ne ea monasteriola supprimerentur, et non suppressa adhuc exemtionibus suis potirentur. Annuit in parte Inno-

centius, in parte autem respuit monachorum preces. Videlicet concessit, ut monasteriola illa adhuc incolumia consisterent, et in iis monachi habitarent, dummodo in iis manerent sex saltem religiosi provectæ ætatis, probatæque vitæ, quorum quatuor saltem sacerdotes essent; adjiciens tamen, ut ista monasteriola minime suppressa episcopo tanquam sedis apostolicæ delegato subjicerentur, quo factum est, ut specie tenus monasteria viderentur exemta ab ordinarii jurisdictione, concessa episcopis auctoritate delegata, ex qua integra manerent privilegia; revera autem monasteria subiecta essent episcopis, qui jure delegato suscepto eandem potestatem explicabant, quam secluso privilegio jure ordinario explicavissent. Concludemus igitur, in istis hodie sine ordinarii facultate tanquam sedis apostolicæ delegati vel Ecclesias, vel altaria erigi minime posse, nisi forte innocentianæ constitutioni singulari aliquorum monasteriorum gratia, et privilegio derogatum deprehendatur.

CAPUT VI.

De auctoritate episcoporum in sanctimoniales.

Huc iterum referendi sunt tituli 31, 35 et 36, lib. 3.

Multa quidem sunt monasteriis sacrarum virginum, et monasteriis virorum, item multa sunt sanctimonialium, et monachorum vitæ, atque institutionibus æque communia, quasi plerumque, seu tantum exceptis iis, quæ singularem personarum conditionem spectant, saluberrimæ leges pro monachis, eorumque cœnobiis editæ ad sanctimoniales, et ipsarum monasteria protrahantur, cap. 8, in fine de statu monachor., unde s. Basilius de institutione monachorum ita scribebat: *Quoniam non virorum modo conventus sunt, sed etiam virginum, cetera quidem omnia, quæ hactenus præcepta tradidimus, æque utrisque communia sint.* Id evenit ex eo potissimum, quod eodem fere tempore sive in viris, sive in fœminis prodiit monasticarum institutionum origo, imo et iisdem fere regularum auctoribus utraque monasteria dirigi cœperunt; et virgines profitentes non novum amplecti statum, sed statum virorum imitati visæ fuerunt. Hinc quæ de proponenda certa regula pontificia auctoritate probata, de erigendis monasteriis auctoritate episcoporum, vel pontificum maximorum, atque in ea semel erecta inducendis professis, aut professuris de ætate profitentium, annove tyrocinii, seu novitiatus, de prælatis, sive abbatibus eligendis, confirmandis, instituendis, eorumve officiis in inferiores, ac monasteria exercendis, de tribus votis, quæ ad substantiam status monastici pertinent, aliisve similibus respectu monachorum obtinent, etiam respectu sanctimonialium obtinere deprehenduntur, cap. ult. de religios. domib. cap. unic. eod. tit. in 6, cap. 43, vers. *supradicta* de elect. in 6, can. 25, caus. 18 quæst. 2, concilio tridentino sess. 25, de regular. cap. 3. Ceterum quædam sunt sanctimonialibus, earumque cœnobiis singularia, quæ certas sanciri leges monachis non communes postulaverunt, sive quod non æque sanctimonialibus concedi potuit jurisdictio rerum spiritualium, et sacrarum, quæ concedi potuit monachis, ac præsertim monachorum prælatis, sive quod administrationis bonorum monasticorum munus non æque opportune visum fuit fœminis committendum, sive quod sexus debilioris infirmitas rigidiorem clausuræ legem postulavit, sive denique quod a sanctimonialibus perraro curatum est, ut privilegia exemtionum ab episcopali jurisdictione obtinerent; quamobrem hodie, paucis monasteriis exceptis, adhuc illæ obnoxiæ sunt ordinariorum potestati juxta veterum canonum disciplinam; neque enim privilegia viris, eorumque monasteriis concessa, ad sanctimoniales, earumque monasteria vi sua extenduntur, argumento canonis 8, dist. 100.

Itaque in primis singulare est in sanctimonialibus, ut rerum sacrarum, et jurium spiritualium potestas in episcopo resideat, ad cujus officium spectet, jurisdictionem sive in interno, sive in externo foro explicare. Ut rite ordinateque omnia observentur, triplex in hoc proposito est jurium seu potestatum genus. Alia enim jura pertinent ad functiones ecclesiasticas hierarchicas, et clericali ordini adnexas. Alia spectant ad functiones quidem hierarchicas, sed clericali ordini minime adnexas. Alia denique pertinent ad monita quædam, ac consilia in levioribus præsertim negotiis præstanda. Sane si de rebus omnino sacris, et quæ ab ordine clericali pendent, loquamur, sive sacramenta illa sint, sive sacramentalia, ea administranda sunt a sacerdote ab episcopo designato, can. 11, cau. 18, qu. 2, cap. 10, de pœnitent. et remission. et quidem specialiter, jamdiu enim obtinuit, ut sacerdotes ab episcopo designati caussa administrandorum sacramentorum in diœcesi nequeant vi generalis designationis potestatem sibi factam in moniales, et in earum ecclesiis exercere, imo ut, si quis ad certum tempus, vel ad certam caussam specialiter designatus fuerit, nova indigeat speciali designatione, ut elapso tempore, vel absoluta caussa exercere officium pergat. Hac in parte observanda ab episcopo erunt tridentina decreta, nimirum curandum, ut monialibas minime concedatur in ecclesia interiore, seu intra clausuram monasterii sacrosanctum missæ sacrificium celebrari, sacramve eucharistiam custodiri, sess. 25 de regular., c. 10, eamque ob caussam minime concedatur sanctimonialibus

sacri tabernaculi clavim servare, a sacerdotibus, ad quos sacramenti administratio pertinet, detinendam, item ut moneantur sanctimoniales, quo saltem semel singulis mensibus ad pœnitentiæ, et eucharistiæ sacramenta accedant, Clement. 1, § *Sane* de statu monachor., denique ut præter ordinarium confessarium alius extraordinarius bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat, dicto cap. 10 tridentino. Addunt nonnulli argumento canonis 19, et 25, cau. 18, qu. 2, cavendum esse episcopis, ne laicorum confraternitates in Ecclesiis sanctimonialium erigant, quo tutius sacrarum virginum solitudini consulatur; insuper cavendum esse, ut singulis diebus in sanctimonialium Ecclesiis missæ sacrificium celebretur de more conventualium Ecclesiarum, argumento capituli 11, de celebrat. missar., eademque ratione, ut a monialibus opera detur psalmodiæ quotidianæ, juxta receptum in unaquaque Ecclesia ritum, cap. 9, juncta clementina 1, eod. tit. In aliis, quæ proprie sacra, ac spiritualia munera ordinique adnexa dici non possunt, sed fere sacra, aut sacris cohærentia, modo receptum est, ut per abbatissam, sive præfectam monasterio exerceantur, modo etiam per totum sanctimonialium collegium, modo per episcopum, modo etiam ita, ut abbatissa gerente munus, vel collegio suffragia ferente auctoritas, aut præsentia episcopi accedat; habet autem abbatissa regulariter quasi matrisfamilias potestatem, qua prædita moniales corrigere, atque ad observandam monasterii disciplinam salubribus præceptis urgere possit, præsertim ubi leviora negotia sint, et quotidiana consueta ministeria; imo et aliquando aut ex consuetudine, aut ex privilegio jus adquirere potuit instituendi in beneficiis a monasterio pendentibus, vel leviores quasdam censuras, dixerim potius censurarum imagines, inferendi, cap. 12, de major. et obed. cap. 14, de excess. prælat., juncto cap. 33, de sentent. excommunic., quod potissimum, uti ex citatis capitibus liquet, in Gallia obtinuit, in qua fœminæ nobiliores aliquando jurisdictionem saltem per modum arbitrii exercere potuerunt, cap. 4, de arbitris, cui jungi potest capitulum 13, de foro compet. Scimus etiam abbatissæ aliquando permissum, ut decimas semel monasterio quæsitas alicui concedat, cap. 2, de his, quæ fiunt a prælatis, item ut procuratoris vices pro monasterio peragat, cap. 4, de confirmat. utili, vel inut. Collegium quoque monialium certa potest exercere jura spiritualibus adnexa, veluti juspatronatus, jus electionis prælatæ, vel admissionis sororum, aut his similia. Verum ubi negotium aut gravius videtur, aut fere ad res sacras, et religiosas accedit, tunc plerumque episcopalem judicium postulat. Hinc primo ad episcopi jurisdictionem pertinebit, certum sanctimonialium numerum præstituere, ultra quem nulla recipiatur, cap. un. vers. *Sane* de statu regular. in 6, concilio tridentino sess. 25, de regular. cap. 3, juncto argumento capituli 9, de constitut.; secundo curare, ut nulla puella ante annum duodecimum ætatis suæ ad suscipiendum monasticum habitum admittatur, quemadmodum neque ad professionem ante annum decimumsextum, et quidem nonnisi post absolutum tyrocinii annum, concilio tridentino sess. 25, de regular. cap. 15 et 17, abrogatis vetustis, canonibus, quibus aut puellæ adhuc intra infantiam admittebantur, can. 2, cau. 20, qu. 1, aut anno tyrocinii renunciari a profitentibus poterat, cap. 16, de regularibus. Sunt, non ignoro, qui senserunt, attenta concilii tridentini constitutione adhuc permitti posse, ut puella minor duodecim annis habitum monachalem suscipiat, propterea quod in dicto cap. 17, legatur, nec majorem duodecim annis, neque *aliam* admittendam esse, prîusquam etc. Verum dum tridentini antistites *Aliam* designaverunt, non minorem annis duodecim, sed aliam quamcumque etiam multo majorem designare voluerunt, quemadmodum recepta docet tridentini capitis interpretatio, et quidem juxta mentem concilii quod nullam ætatem etiam provectiorem exemtam voluit ab examinatione episcopali, uti in eo capite traditur. Tertio ex dicto c. 17, nulla puella vel ad susceptionem habitus, vel ad professionem admittenda est, nisi primum sincera ejus profitendi voluntas ab episcopo explorata fuerit, ac comprobata, unde liquet, bis ab episcopo explorandam esse puellæ voluntatem, scilicet primum ante susceptionem habitus, deinde ante professionem. Quarto licet verum sit, nullam puellam admitti posse seu ad suscipiendam habitum, seu ad professionem, nisi sanctimoniales consenserint capitulariter, et post edita perspectaque majoris partis suffragia, præcedere tamen episcopi consensum oportet; imo et dum puella habitum suscipit, vel professionem emittit, episcopi erit et habitum donare, et professionem excipere, can. 3, cau. 20, quæst. 2, nisi forte potestatem hanc vel consuetudine, vel privilegio abbatissa sibi fecerit singularem, argumento capituli 4, qui clerici vel voventes. Idipsum de abbatissæ electione dicendum est. Quamquam enim illa jure a monialibus suffragium secretum ferentibus facienda sit, cap. 43, de elect. in 6, concilio tridentino sess. 25, de regular. cap. 6 et 7, ad episcopum tamen pertinet electioni præesse; dicto cap. 7, in fine, et electionem confirmare, quam confirmationem intra annum petere electa tenetur, clement. 2, de statu monachor. In his autem rebus in eo versabitur episcopi officium, ut investiget, ac curet, ne quidquam contra canonum statuta geratur, ex. gr. ne ante professionem puellæ quidquam a monasterio exi-

gatur, præter ea, quæ ad victum, et vestitum necessaria sunt, concilio tridentino sess. 25, de regular. cap. 16, ne minor annis quadraginta regulariter, et ante annos octo ab expressa professione numerandos, aut extra ordinem ne minor annis triginta, et ante annos quinque a professione eadem numerandos abbatissa eligatur, dicta sess. 25, cap. 7, ne regulariter ab alio monasterio advocetur præficienda, nunquam autem duobus monasteriis quæquam præficiatur, dicto cap. 7. Omittere non debeo, olim multiplex fuisse elum, quod ab episcopis erat fœminis concedendum, nimirum receptionis, professionis, consecrationis, continentiæ, ordinationis, prælationis, addi potest, et pœnitentiæ. Hodie superfuerunt priora duo; receptionis, quod habitum induentibus; professionis, quod profitentibus, et voventibus imponitur. Alicubi etiam conceditur pœnitentiæ velum, quod fœminis datur, quæ *convertitæ* appellantur, et quarum mentio fit in concilio tridentino sess. 25, de regular. cap. 18. Velum consecrationis olim concedebatur puellis jamdiu professis, et quidem post annum vigesimumquintum, si virgines essent, can. 11 et 14, caus. 20, quæst. 1, quemadmodum si essent viduæ de solitaria amplectenda vita sollicitæ, velum, quod imponendum erat, velum continentiæ dicebatur, can. 34, cau. 27, qu. 1. Velum ordinationis simile erat velo diaconissarum, quo fœminæ ordinationem quandam instar diaconalis suscipiebant post annum ætatis suæ quadragesimum, can. 23, cau. 27, qu. 1, ad quam speciem referendum puto canonem 13, cau. 20, qu. 1. Officium autem hoc velo indutarum erat, ut homilias publice in Ecclesia monasterii legerent. Denique velum prælationis abbatissis concedebatur post annum ætatis sexagesimum, can. 12, cau. 20, quæst. 1. In conspectu istorum omnium facile concluditur, ad prælatas monasteriorum pertinere jure ordinario sanctimoniales corrigere, monitis ad regulæ observationem, et monasticæ vitæ cultum hortari instar matrisfamilias, non veram et propriam jurisdictionem in easdem exercere; deinde abstinere omnino illas oportere ab iis, quæ hierarchiæ clericalis sunt utpote quorum fœminæ sunt penitus incapaces; in iis denique quæ ita dixerim, medio loco sunt posita, et hinc proxime ad hierarchicas functiones accedere videntur, illinc etiam non clericis posse competere saltem jure singulari, plurimum dandum esse locorum consuetudinibus, monasticis statutis auctoritate ecclesiastica confirmatis, privilegiis, aliisque similibus juribus, quibus tamen deficientibus nulla competat sanctimonialibus jurisdictio, atque omnia in potestatem episcopi conferantur.

Administratio bonorum temporalium ad monasteria pertinentium eodem jure ad abbatissas pertinet, quo pertinebat olim ante invectas monasticas exemptiones ad abbates administratio bonorum ad monasteria virorum spectantium, cap. 2, de his, quæ fiunt a prælatis, c. 4, de confirm. ut. vel inut. Verum sexus muliebris infirmitas, et singularis sanctimonialium clausuræ lex postulavit, ut ab eo generali jure recederetur. Quamobrem obtinuit, ut, si de re gravi agatur, consilium et auctoritas episcopi intercederet, cujus quoque auctoritate, aut consensu curatores bonorum constituantur, et coram quo administrationis ratio reddatur. Vix memoro vulgatum justiniani imperatoris privilegium novella 79, quo scilicet indultum fuit, ut lites sanctimonialium ab episcopo definirentur.

Opportunum quoque fuit, ita sacrarum virginum conditioni prospicere, ut singularis clausuræ lex custodiretur. Ad illam perpetuo hortati sunt sanctimoniales veteres ecclesiastici patres, non tamen eam firma, et generali lege induxerunt. Primo cautum fuit sæculo quinto et sexto tum ecclesiastica, tum imperatoria auctoritate, ut abolerentur duplicia monasteria ea scilicet, in quibus et monachi, et sanctimoniales habitarent, can. 21, 22, 23 et 25, cau. 18, q. 2. Deinde primum sub Bonifacio VIII, constitutum, ut clausura a quibuscumque sanctimonialibus observaretur, cap. 1, de statu regular. in 6, quod confirmatum fuit in concilio tridentino sess. 25, de regular. cap. 5, et pluribus recentioribus maximorum pontificum constitutionibus; imo et addidit concilium tridentinum in dicto cap. 5, curandum episcopis esse, ut extra mœnia urbium, vel oppidorum virginum monasteria non erigantur, et ab erectis, quoad fieri commode possit sanctimoniales ad alia intra urbes, vel oppida sita transferantur. Episcoporum autem potissimum curæ mandatum est, ut leges, quibus ea solitudinis ratio firmata est, observentur. Duas habent partes leges istæ: Prima est, ut nulla ex sacris virginibus monasterium egrediatur; altera, ut nemo extraneus introire monasterium possit. Quod si sacra virgo egrediatur monasterium, non solum ab officiis, sique habet, monasticis cadit, aut ad ea obtinenda inhabilis redditur, sed et excommunicationem incurrit; similique excommunicationi extranei subjacent, qui monasterium ingredi ausi fuerint, dicto cap. 5, concilii tridentini. Sunt tamen quædam receptæ et quidem in utraque parte, generalis regulæ exceptiones. Olim vigebat, utim pœnam certi criminis de monasterio in arctius monasterium moniales auctoritate episcopi transferri possent, uti in ea specie, qua simonia in receptione sororum admissa fuisset, cap. 40, de simonia; non tamen abbatissæ solius auctoritate sanctimonialis de monasterio in monasterium transferri poterat quamcumque ob caussam; visa enim fuit hæc res gravis, inconsulto episcopo non gerenda. Sed hodie aliud

viget, postquam firmioribus legibus constituta fuit clausuræ ratio ita, ut, etiamsi sanctimonialis e laxiore monasterio in arctius transferri se postulet, consensus sedis apostolicæ requiratur : quamobrem ea regula hodie tradi solet, ut tantum in casibus in jure expressis episcopus possit egrediendi facultatem concedere, aut tum demum cum necessaria emergat caussa, cui minime consuleretur, si esset apostolicæ sedis dispensatio diutius expectanda. Quænam sint caussæ in jure probatæ, liquet ex cap. unico de statu regular. in 6, ex concilio tridentino sess 25, de regular. cap 5, ex Bulla Pii V, quæ incipit *Circa pastoralis*, et alia, quæ incipit *Decori*, nimirum caussa, magni incendii, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ. Non adeo angustis finibus circumscribitur episcoporum potestas in dispensando ab altera legis parte, qua quis extraneus prohibetur, ne monialium monasteria ingrediatur. Cum enim quotidiana fere emergere negotia possint, quæ postulent, necessario eam legis partem relaxari, visum id fuit episcoporum arbitrio reservandum ; qui tamen illud semper præ oculis habebunt ut nunquam ea utantur facultate, nisi justa subsit, eademque necessaria caussa. Hinc licet visitaturis episcopis ad ea monasteria ingressus patere debeat, si tamen agatur de electione abbatissæ, cui extra claustra monasterii intervenire episcopus potest, vetitum eidem fuit, ne ob eam caussam monasterium ingrediatur, conc. trident. sess. 25, de regular. cap. 7, ex quo regula confici potest, parcius episcopos uti debere facta sibi canonibus facultate, ac nonnisi tum, cum necessarium videatur, et extra monasterii clausuram prospicere utilitati sanctimonialium minime possint. Respectu virorum ab episcopo conceditur monasteria ingrediendi facultas confessario, medico, ceterisque periclitanti moniali subventuris, ubi justa sit et necessaria caussa : imo et quicumque sacerdos in supremo necessitatis casu, si præsto non sit ordinarius minister, seu ille, qui ex speciali episcopi mandatu curam spiritualem monasterii gerit, unius abbatissæ concessione ingredi monasterium libere poterit sacramentum pœnitentiæ proxime morituræ administraturus. Item conceditur ab episcopo ex necessaria caussa monasterii œconomis, syndicis, actoribus, villicis, atque opificibus universis, ubi alias opus illorum extra monasterium peragi nullo modo posset. Adde casum, quo puella educationis caussa in monasterio consistens vellet testamentum facere ; tunc enim notario, ac testibus ingrediendi facultas deneganda non esset, quoties puella testatrix gravi infirmitate detineretur, ne ad exteriorem januam, aut ad loca colloquiis destinata accedere valeret. Facilius ea facultas feminis ab episcopo conceditur. Non memoro in primis speciem de puella monasterium ingressura caussa suscipiendi habitus, ineundique tyrocinii ; de hac enim re nulla subest dubitatio. Dico, et posse illud concedi famulabus, quæ in monialium obsequio sunt, quibus etiam libere indulgetur, ut pro necessitate, aut utilitate sacrarum virginum modo a monasterio exeant, modo monasterium ingrediantur ; item idipsum posse concedi puellis ingressuris caussa educationis, dummodo sanctimoniales collegiali forma eas admittere velint, eademque ratione viduis probatæ vitæ ; non autem nuptis, ignorante, vel dissentiente marito, nisi forte istæ a marito aut iniquam vim, aut insidias patiantur. Quænam conditiones in iis puellis admittendis requirantur, fuse explicat Barbosa de offic. et potest. episcop. allegat. 102, num. 63, 64 et 65.

Generalia hæc sunt, ad sanctimoniales episcoporum jurisdictioni subjectas pertinentia. Sunt monasteria quædam ab episcoporum jurisdictione singulari privilegio exempta, et subjecta vel prælatis regularibus, vel immediate apostolicæ sedi. Ut apostolicæ sedi immediate subjicerentur, obtinuerunt nonnulla monasteria, vel impetratis ab eadem sede apostolica privilegiis singularibus, vel ea conditione adposita in limine fundationis. Ut subjicerentur prælatis regularibus, id quidem aliquando in limine fundationis cautum est, vel specialis sedis apostolicæ privilegio indultum; aliquando tamen sensim contigit. Siquidem apud veteres, ubi erant duplicia monasteria, virorum scilicet, ac feminarum ejusdem ordinis, sanctimoniales a monachis regebantur, quasi cum communes essent monasticæ institutiones observandæ, istæ commodius a monachis proponerentur, qui etiam curam bonorum temporalium opportunius suscipiebant, ac gerebant. Imo et ubi nulla erant monasteria duplicia, sed in eodem oppido, vel in eadem urbe monasteria virorum et feminarum proxima essent, alicubi obtinuit, ut monasteria feminarum sub regimine monachorum constituerentur, can. 24, cau. 18, qu. 2, quod tamen ante invectas monasticas exemtiones ita fiebat, ut monachi iidem æque ac sanctimoniales episcoporum jurisdictioni subessent, ac nonnisi serius factum est, ut monachi cum primum ipsi exemtionum privilegia impetravissent, tum etiam curarent, ut sanctimoniales regimini suo commissæ ab episcopali quoque jurisdictione eximerentur. Itaque in iis monasteriis, quæ immediate sedi apostolicæ subjecta sunt, solent hodie episcopi jure delegato omnia peragere, quæ jure ordinario peragunt in monasteriis suæ jurisdictioni subjectis. In iis autem monasteriis, quæ non tam exemta ab ordinario sunt, quam prælato regulari subjecta, quamquam generaliter privilegii tenor sit spectandus, cap. 7, de privilegiis, regulam ponimus, qua fiat, ut, quæ in monasteriis ordinario subjectis geruntur ab ordinario, in

ejus generis exemtis fiant a prælato regulari, iis exceptis, quæ singulari jure episcopo vel privative reservata sunt, vel cumulative cum prælato regulari concessa, quemadmodum demonstrant plura concilii tridentini capita, item plures recentiores pontificum maximorum constitutiones. In primis obtinuit, ut nulla ne exemtarum quidem monialium monasteria in diœcesi, non consentiente episcopo, construantur, dicto concilio tridentino sess. 25, de Regular. cap. 3, præterea, ut regulares in ecclesia monialium prædicaturi benedictionem ab episcopo petere teneantur, dicto tridentino concilio sess. 5, de reform. cap. 2, item ut confessarii exemtarum, utut a prælato regulari electi, probari, ac confirmari ab episcopo debeant, sive illi ordinarii sint, sive extra ordinem dati, constitutione *Inscrutabili* Gregorii XV, ubi etiam legitur, posse episcopos monere prælatos regulares, ut pravos administratores amoveant, iisque non amoventibus recta amovere, atque una cum prælato regulari rationem sibi reddi administrationis postulare; insuper posse episcopum intervenire si velit, una cum prælato regulari electioni abbatissæ, licet hæc per prælatum regularem sit confirmanda. Non videtur quoque denegandum episcopo, ut una cum prælato regulari curet, ne statutus monialium in singulis monasteriis numerus excedatur, juxta caput 3. tridentinæ sessionis 25. de regular., item ut per se consensum virginis exploret, sive abitum suscepturæ, sive professionem emissuræ, cap. 17, ejusdem sessionis. Præ ceteris clausuræ lex, sive ut eadem observetur, sive ut ab eadem ex caussa legitima dispensetur, episcopali curæ, excluso regulari prælato, committitur, c. un. de statu regul. in 6, cap. 5, dictæ tridentinæ sessionis, et constitutione Pii V, quæ incipit *Circa Pastoralis*, adeo ut episcopus possit etiam regulares adversus eam legem delinquentes punire, dicta constitutione *Inscrutabili* Gregorii XV. Hinc episcopus poterit clausuræ caussa ea monasteria visitare, eam servandam, atque, ubi opus, restituendam mandare; et, si quando contingat, sanctimonialem ex justa caussa e monasterio exire debere, episcopi necessaria erit auctoritas, eodem modo, et quibus in casibus, quibus diximus de sanctimonialibus minime exemtis. Quod vero attinet ad facultatem aliquibus concedendam, ut monasterium ingredi possint, id quidem semel in anno visitatori regulari permittitur, quemadmodum et confessario, quotiescumque necessitas postulet, juxta constitutionem 156 Alexandri VII, quæ incipit *Felici*; sed si visitator e re esse censeat, ut pluries in anno visitet, id demum facere poterit cum præsentia episcopi, vel alterius ecclesiasticæ personæ ab episcopo designandæ. In ceteris speciebus, quibus alicui permittendum sit ex caussa jure probata, ut monasterium ingrediatur, aliquando receptum fuit, ut ea facultas a prælato regulari concederetur, juxta interpretationem quæ adfingebatur ad ea verba tridentini concilii sess. 25, cap. 5, de regular. *sine Episcopi, vel Superioris licentia.* Hodie vero, uti observavit Benedictus XIV, in lib. 13 de synodo diœcesana cap. 12, num. 23, receptum est, ut, ubi consuetudo viguit, facultatem obtineri a solo episcopo, ea consuetudo firma consistat, ubi vero consuetudo viguit, facultatem a solo prælato regulari concedi, ita consuetudo eadem temperetur, ut non aliter cuiquam suffragetur facultas a prælato regulari concessa, quam si præterea fuerit ab episcopo comprobata.

CAPUT VII.

De auctoritate episcoporum in opera pia, ac religiosa.

Huc referendus est titulus 36, libri 3.

Nomine piorum operum, ac religiosorum intelligo, vel quæ vulgo hospitalia appellantur, vel quæ dicuntur laicorum confraternitates. Addi possunt legata pia perpetua quæcumque, quibus adcensendæ essent laicæ cappellaniæ. Sed quoniam de legatis quibusdam piis, et de laicis cappellaniis in tractatione de beneficiis ecclesiasticis commodius agendum erit, ideo ad hospitalia, et confraternitates oratio coërcebitur.

Non esse hospitalium originem quarto sæculo antiquiorem, facile est conjicere ex veterum silentio, specialiter autem priscarum romanarum legum, in quibus licet omnium, et singulorum operum publicorum mentio facta fuerit, nullibi tamen vel nomen scriptum invenitur aptum ad significanda domicilia, vel diversoria ad sustentationem pauperum destinata; unde hæc recentioribus temporibus non latinis nominibus, quæ deficiebant re apud Latinos incognita, sed nominibus Græcis ex dictionibus compositis appellata fuerunt, videlicet, si pro peregrinis erigerentur, *Xenodochia*, si pro orphanis, *Orphanotrophia*, si pro pauperibus corpore debilibus, *Ptocotrophia*, si pro senibus, *Gerontocomia*, si denique pro infirmis, *Nosocomia*, aut *Leprosaria*, quoties pro iis, qui speciali lepræ morbo laborarent. Cœpit quidem in primis christianis, specialiter in clericis, singularis charitas excitari, qua consueverunt adsignare certam bonorum, præsertim ecclesiasticorum proventuum portionem, qualiscumque, et quantulacumque tunc esset, aut ad quotidiana pauperum, pupillorum, orphanorum, ac viduarum alimenta aut ad opportunum ægrotantium hic illic constitutorum subsidia, aut ad peregrinorum levamen; unde viri illi apostolici hospitales, seu hospitalitati studentes dicebantur; id tamen

nihil habet cum hospitalium deinde erectorum disciplina commune. Erat potius illa quædam prima, et rudis recentium hospitalium forma, et imago, quæ tum demum perfici visa est, quum paratis Ecclesiæ rebus, fusioribus eleemosynis in Ecclesias tributis, potuerunt ad ea pia ac religiosa officia loca publica ædificari, et ædificata muniri providis legibus, et prudentibus curatoribus commendari: atque idipsum accidit portioni proventuum ecclesiasticorum in pauperum usus conferendæ, quod accidit illis temporibus portioni ad alimenta clericorum destinatæ, quæ primum inter clericos pro virili uniuscujusque parte, idest habita ratione gradus et indigentiæ dividebatur, deinde eisdem fuit in communi utenda concessa, quando clericorum collegia instituta fuerunt. Id autem esse puto, quod sanctus Augustinus ajebat in tractatu 97, in Joannem, ubi ait, nomina hospitalium substantia, et inductione hospitalium eorundem esse multo recentiora. Nemo mihi objiciat in hac re testimonium Julii Africani scriptoris tertii sæculi apud Du-Cange in verbo *Hospitale*, ubi legitur, loquentibus apostolis Magos fuisse ad *hospitalia* deportatos, quasi hospitalia apostolicis temporibus jam erecta fuisse, exinde demonstretur: etenim, præterquamquod quæ ibidem occurrit, mentio hospitalium tribuenda potius sit latino longe recentiori græci sermonis interpreti, erant illa diversoria quædam, seu loca ab urbe remota in agris, et villis sita, omnino privata, illi sane similia, quo de Varrone Cicero scribebat, processisse in villam, quasi in studiorum,non libidinum diversorium. Ceterum ex lege 24, cod. de episcop. et cleric. deduci facile potest, temporibus Valentiniani, et Marciani imperatorum vix hospitalia pauperum erigi cœpisse, quando ibidem constitutum primum adparet, non videri incertis personis relicta, quæ pauperibus testamento, vel codicillis relinquerentur.

Hac ratione erectis hospitalibus, nobiliorem, ita dixerim, speciem sumsit christiana charitas, qua concitati religiosi imperatores facultatem adquirendi eisdem expresse dederunt, dicta l. 24, cod. de episc. et cler. Præcipue vero eadem charitate ferventes sancti ecclesiarum antistites nova opera in dies ad eundem finem moliebantur, ac construebant; legimus enim erectas gratia pauperum domos a Basilio Magno, ab Joanne Chrysostomo, a Pelagio II, Pontifice maximo, et aliis numero plurimis, quorum, optimum, et efficax exemplum sæcuti fuerunt eadem ætate laici religiosiores, alii collatis inter vivos egregiis donationibus, alii pinguibus relictis hereditatibus, vel legatis, nunc nova hospitalia erigentes, nunc erecta amplificantes, aut locupletantes, quemadmodum de Fabiola scripsit S. Hieronymus, et de rege Galliarum Childeberto perspicuum testimonium reddidit concilium aurelianense V, anni 549. Quamobrem jam tunc tria hospitalium genera agnosci, ac distingui cœperunt, ecclesiastica nimirum, laicalia, et mixta; ecclesiastica erecta a clericis ex bonis ecclesiarum; viri enim ecclesiastici vel ipsas ecclesiasticas obventiones in eum usum redigi optimum ducebant; laica erecta a laicis, et ex bonis familiaribus; mixta, ad quæ erigenda, vel amplificanda ecclesiastici simul, laicique viri convenerant. Et quemadmodum hospitalia ecclesiastica erant undecumque sub clericorum regimine, specialiter diaconorum, uti sæpe scripsit Gregorius Magnus atque hospitalia laica administrabantur a laicis curatoribus, ut plurimum fundatorum heredibus, qui curatores in imperialibus legibus proprio nomine *Parabolani* appellantur; ita hospitalia mixta ut plurimum subjacebant regimini tam clericorum, quam fundatorum, aut eorum, qui caussam a fundatoribus habuissent.

Diu et constantissime perseveravisset hæc administrationis bene ordinateque constitutæ disciplina, si laicorum,fundatorum heredes etiam remotissimi accurate omnia et bona fide implevissent. Quis autem ignorat, quales in rebus humanis pati imminutiones soleant, utinam nusquam ad interitum usque, optimæ institutiones, quando perpetua successione sunt de heredibus in heredes etiam seros traducendæ? Verum istorum oscitantia occasionem dedit imperatoribus, ut legibus opportunis editis pias defunctorum voluntates prope labentes tuerentur, ac sustinerent. Justinianus imperator hinc apprime gnarus, publicos magistratus gravissimorum negotiorum numero implicatos non omnem industriam impendere in ea opera posse; illinc diuturna experientia edoctus, quæ, et quanta foret sollicitudo episcoporum in curanda pauperum utilitate, quorum gratia intuebatur; ipsas etiam ecclesiasticas facultates impendi, identidem usque ad sacrorum vasorum, ubi opus esset, distractionem, episcoporum eorundem curæ hospitalia commendavit, præcipiens etiam, ut, si cujuscumque liberalitate quidquam generaliter pauperibus concederetur, id totum in antistitum administrationem, et curam executionis caussa conferretur, l. 46, cod. de episcop. et cler., Nov. 131, cap. 11. In hoc rerum statu non solum hospitalia ab Ecclesia erecta suberant legitimæ et ordinariæ, uti decebant, episcoporum potestati ac regimini, sed etiam suberant hospitalia universa etiam laicæ fundationis, ob singularem commendationem episcopis factam auctoritate principum, qui singulari providentia ad curam horum publicorum operum vigilabant. Sed utinam priscorum antistitum charitatem, et curam in pauperes plane paternam secuti fuissent perpetuo recentiores! Deventum est ad ea tempora, quorum tristis memoria Ecclesiæ superest, sæcula dico decimum et undecimum, quibus episcopi plures parum sol-

liciti de Ecclesiarum utilitatibus minus adhuc solliciti fuerunt de solerti hospitalium et bonorum ad hospitalia pertinentium administratione, ad hæc tantum respicientes in iis, ex quibus privata sui commoda referebant, proptereaque hospitalia nedum non juvabant, sed gravando premebant, exigentes ab iis decimas et reales, et personales, mortuaria, portiones canonicas, procurationes, cathedratica, et alias hujus generis pensitationes. Quamobrem administratores, aut defensores hospitalium erectorum nihil dubitaverunt, quominus privilegia exemtionis abs jurisdictione episcoporum hospitalium gratia peterent, quæ facile obtinuerunt. Ipsi etiam fundatores nova hospitalia erecturi tabulas fundationum pactionibus et clausulis muniverunt quibus declararent, se nolle nova opera episcopis ulla ratione subjicere, alios curatores pro voluntate, et arbitrio suo hospitalibus designantes. His privilegiis, et juribus singularibus exemplo fuerunt exemptiones, quas monachi circa sæculum duodecimum impetrabant gratia monasteriorum quæ olim etiam episcoporum suberant potestati; quando et monasteriorum, et hospitalium eximendorum videbatur esse eadem caussa, nimirum nimis protractæ in utraque episcopalis auctoritatis abusus; atque id eo facilius locum sibi vindicavit, quo commodius hospitalia adnecti potuerunt alicui ordini regulari, et ab episcoporum auctoritate exemto, quemadmodum revera plura adnexa fuerunt ordini theutonicorum, plura ordinis S. Antonii, plura ordini S. Joannis de Deo, plura denique, ut alia omittam, ordini S. Joannis Hierosolymitani. Noverunt tunc episcopi, quantum jurisdictioni suæ detraxerit nonnullorum prædecessorum negligentia, studueruntque navando in pauperum curam solertiorem operam, ut auctoritatem pristinam recuperarent, modo declamando adversus novos administratores, quasi gravis desidiæ reos, modo pollicendo, omnem industriam se in pauperum subsidia collaturos, si suæ iterum curæ hospitalia committerentur, quemadmodum liquet ex concilio viennensi in clementin. 2, de religios. domibus. Deducta tandem res fuit ad concilium tridentinum, in quo pristina episcopis restitui auctoritas visa est, sess. 22, cap. 8 et 9, de reform., delegata etiam potestate cum ordinaria cumulata, quamquam non omnino amplissima potestas restituta fuerit qualis olim concessa fuerat; eamque ob rem adhuc superfuerunt non leves controversiæ, quæ nec potuerunt unanimi interpretum suffragio dirimi, neque consuetudinibus nationum, utpote variis definiri, neque a romana congregatione interpretum concilii tridentini enodatæ fuerunt, cujus decreta etsi numero plurima prodierint, non tamen generalia sunt, sed specialibus facti, prout res incidit, emergentibus accommodata; unde controversiæ eædem compositæ potius fuerunt utriusque potestatis publicis pactionibus ac concordatis.

Generalia sunt, quæ hucusque attigimus et veluti totius materiæ præcipua fundamenta. Jam vero, ut ad singularia descendamus, utque de ecclesiasticis xenodochiis primum dicam, observo, non illa singula esse in eodem genere; alia enim ecclesiastica dicuntur, quod a viris ecclesiasticis, et de bonis ecclesiæ erecta sunt; alia, quod fundata sunt a laicis, præhabito episcoporum consensu, et requisita in limine fundationis ecclesiastica auctoritate; alia denique, quod licet initio, et a prima sui institutione laica fuerint, progressu tamen temporum ecclesiasticorum virorum administrationi commendata fuerunt. In primis quoties hospitalia ecclesiastica sunt ita, ut a viris ecclesiasticis, et de bonis ecclesiæ erecta proponantur, talis ac tanta in ea est episcopi potestas ac jurisdictio, qualis ac quanta est in cetera ecclesiarum bona. Jam a sæculis antiquioribus nulla erat ecclesiaticorum bonorum portio quæ non subjaceret regimini episcoporum, can. 23, cau. 12, qu. 1. Distribuebantur plerumque eadem bona in quatuor partes, quarum prima episcopo, secunda clericis, tertia pauperibus, quarta templorum fabricis cederet, can. 27, et seq. cau. 12, qu. 2, in omnibus autem his portionibus auctoritas episcopi enitebat, cujus adhuc hodie perspicua vestigia supersunt in collationibus beneficiorum, visitationibus templorum: cur non etiam in eleemosynis gratia pauperum destinatis? Quamobrem ad episcopum præcipue pertinebit, in iis curatores, seu administratores constituere, aut removere, in eorum operam invigilare, rationesque postulare dummodo tamen discrimen observet inter hospitalia concessa titulo benefici, et concessa in simplicem administrationem; etenim in prioribus ad removendum administrum caussam gravem subesse necesse est, eamque, qualis a sacris canonibus requitur ad removendum quemcumque beneficiarium; in posterioribus autem multum tribuitur arbitrio, et beneplacito episcopi, tanquam penes episcopum actualis censeatur esse administratio, constitutique administratores, veluti vices, episcopi gerant. Præterea, licet ubi inter pauperes in communi in his hospitalibus viventes jurgia oriantur, et lites non ideo pauperes jurisdictioni episcopi in eo subdantur; bona tamen hospitalis ita ab episcopo defendentur, ejusdemque jurisdictioni subjacebunt æque ac subjacent bona ecclesiarum ac beneficiorum, quasi illa adhuc penes ecclesiam indivisa a bonis ecclesiasticis perseverent. Hinc etiam in alienatione bonorum ad ea hospitalia pertinentium ea omnia observari debebunt, quæ observantur sive ex jure communi, sive ex recentioribus constitutionibus in alienatione bonorum ecclesiæ. Singulare illud est in hac specie, ut nomine alienationis

etiam veniat concessio hospitalis titulo beneficii perpetui, si forte antea concedi eo titulo non consuevisset, clem. 2 de præbendis, clement. 2, vers *Ut autem* de religios. domin.

Si vero agatur de illis hospitalibus, quæ eatenus ecclesiastica dicuntur, quatenus fundatores initio ab episcopo erigendi facultatem impetraverunt, atque obtinuerunt, quoties hæc facultas generalis fuerit, idest ad omnia hospitalium officia gerenda petita, atque impetrata, non collata in unam sacramentorum administrationem, erunt eadem ejusdem naturæ, cujus sunt hospitalia ecclesiastica primi generis superius commemorata, inter utraque non alio intercedente discrimine, quam quod superius memorata hospitalia erecta fuerint ex bonis, quæ ante erectionem jam erant ecclesiastica; ista vero ex bonis, quæ tum primum ecclesiastica esse incipiunt, cum hospitalia eriguntur. Revera statim ac fundator in limine fundationis rogavit episcopum, ut in suam fidem hospitalis erectionem in universum reciperet, nihil aliud voluisse præsumitur, quam cedere certa bona ecclesiæ, ut pium illud opus exinde construeretur, quod cedens ipse indicaret. Quare incolumi manente penes fundatorem jurepatronatus, una cum ceteris pactionibus, et reservationibus in tabulis fundationis adjectis, omnia accommodantur hujus generis hospitalibus, quæ de hospitalibus primi generis ecclesiasticis modo observata fuerunt.

Singulares sunt observationes faciendæ circa hospitalia ecclesiastica tertiæ speciei, ea nimirum, quæ nec erecta fuerunt a personis ecclesiasticis de bonis Ecclesiæ, neque a personis laicis impetrata in limine fundationis ecclesiæ auctoritate, sed erecta, et dotata caussa executionis piæ cujusquam generalis voluntatis unius, aut plurium testatorum, qui forte instituerint heredes pauperes, vel pauperibus pingue aliquod legatum reliquerint, nulla facta mentione hospitalis erigendi, et ex eo in vigilem episcoporum providentiam et pauperes charitatem collatæ juxta generales legum dispositiones, l. 46, cod. de epis. et cler. Nov. 131, cap. 11. Quando vero in hac specie episcopi auctoritate sua intercedunt non tam vi ingenitæ dignitatis atque officii episcopalis, quam vi concessionum, deputationum et commendationum a principibus factarum, dicta leg. 46, et Nov. 131; facile mihi persuadeo, hujus generis hospitalia nonnisi improprie, et latiore quadam significatione ecclesiastica dici, nec propterea solos episcopos in iis jurisdictionem exercere, ac potestatem; eodem fere modo quo, servi manumissio, actus profecto suapte natura publicorum magistratuum jurisdictioni obnoxius apud Romanos, non ideo recenseri debuit recentioribus temporibus tanquam res mere et proprie ecclesiastica, propterea quod extra ordinem commendari cœperit tanquam res pia sacris administris, seu, quod idem est, manumissio fieri cœperit in sacrosanctis Ecclesiis, l. 1 et 2, cod. de his, qui in Eccles. manumitt. Hinc proficiscitur, posse quidem episcopos designare in iis administratores corrigere, ubi opus sit, et removere, visitare hospitalia, et ea omnia gerere, quæ ad rectam administrationem conducere judicantur, ab eisdem tamen officiis excludi non posse publicos magistratus, quoties istis similia munera a principe commendentur vel generaliter, vel certis in emergentibus caussis, quum non agatur de rebus suapte natura ecclesiasticis, sed ideo ecclesiasticis, quia viris ecclesiasticis extra ordinem commendatis. Imo quoties principes ipsi observarent, induci in ea hospitalia quosdam abusus collectis pauperibus perniciosos ob alicujus episcopi oscitantiam, si opportunum, aut necessarium putarent, possent sane ad se auctoritatem universam advocare, sive, ut melius dicam, pristinam suam supremam auctoritatem sibi in omnia opera publica competentem ex integro repetere, observatis iis regulis, quæ in suspendendis, vel removendis magistratibus de negligentia suspectis, aut reis æque a supremo jure, ac sagaci prudentia solet observari. Hinc præterea sequitur, administratores utut ab episcopis designatos, tam in realibus, quam in personalibus actionibus, rationes, ubi petantur, reddere etiam debere magistratibus publicis a principe ad id designatis. Denique etiam sequitur, ubi agitur de alienatione rerum ad hujus generis hospitalia pertinentium, non posse hanc celebrari, nisi consensus illorum accedat, qui ex mandato principis operibus publicis præsunt, eaque tuentur ex officio. Non erunt tamen necessariæ solemnitates in rerum ecclesiasticarum alienationes ex pontificiis constitutionibus receptæ; siquidem constitutiones pontificiæ, et ex eis pendentes reservationes ad res et jura mere ecclesiastica pertinent, non ad ea, quæ ad episcopalem auctoritatem accesserunt extra ordinem, et ex quadam providentia singulari.

Ita explicatis diversis ecclesiasticorum hospitalium qualitatibus, in aperta etiam luce collocata sunt diversa eorundem jura. At enim vero contingere potest, ut satis non constet, sed prudenter dubitetur de alicujus hospitalis natura, ex quo certæ statuendæ sunt regulæ, unde una ecclesiastici hospitalis species ab altera discernatur. Itaque juvabit præ ceteris in monumenta fundationum inquirere, quibus deficientibus consideranda erunt adjuncta locorum, bonorum, administratorum, et his similia. In adjunctis locorum observabitur an hospitalia cohæreant ecclesiasticis, religiosisve domibus, qualia sunt ædes sacræ, episcopia, collegia seu clericorum, seu monachorum; in adjunctis bonorum, an hospitalia dotis titulo possideant bona e bonis ecclesiasticis divisa; in adjunctis administratorum,

an isti clerici sint, an beneficiarii: hæc enim omnia graves porrigerent ad definiendum conjecturas. Post hæc si satis necdum constare possit de qualitate hospitalis, et adhuc in dubio versetur judex, censerem hospitale existimandum esse ecclesiasticum tertiæ speciei, sive quod major hospitalium pars hujus naturæ sit, sive quod in hac re sequeremur principia imperatoris Justiniani, qui in nov. 131 cap. 11, in specie, qua testator aliquid pauperibus reliquisset, quin personas, et modos consequendi legati caussa expresse explicavisset, in dubio commendatum id voluit fidei episcoporum, tanquam illorum, qui piarum volontatum publice constituti sunt executores.

Quotiescumque hæ similesve controversiæ emergant, in quibus de natura hospitalium disceptetur, varietas ipsa judicum, ac magistratuum ecclesiasticorum æque, ac laicorum quorum interesse potest, occasionem præbebit præventionibus, juxta regulas juris generales quæ suadent, in concursu plurium jurisdictionem habentium fieri præventioni locum ut exemplum proferam, si hospitale contra laicum ageret vindicatione proposita bonorum ab eodem laico emtorum, ac possessorum et allegaret, irritam fuisse venditionem ob defectum ecclesiasticarum solemnitatum, allegaret præterea hospitale illud esse ecclesiasticum, et ejus naturæ, cujus respectu necesse sit canonum solemnitates intercedere; e contrario laicus excipiens diceret, hospitale illud esse laicum, aut solemnitatibus a canonibus præstitutis minime obnoxium, præjudicialis hæc quæstio a laico magistratu posset jure definiri.

Sequitur nunc, ut de laicis hospitalibus verba faciam. Quamquam quodammodo laica vocari illa possint, que ab initio nulla intercedente ecclesiastica auctoritate erecta fuerint, utut deinde in fidem episcoporum recepta, proprie tamen hoc in loco intelligenda sunt ea, quæ a suis fundatoribus commendata fuerunt laicarum personarum regimini, exclusis episcopis, vel aliis personis ecclesiasticis. Et quemadmodum ista erigi possunt, quin ulla ab episcopis facultas petatur, sicut contingit in ceteris operibus publicis ad utilitatem alicujus civitatis, vel populi ordinandis, dummodo consensus obtineatur publicorum magistratuum, qui universis publicis operibus ex mandatis principum præsunt idque multo potiore jure, quam quod in laicis cappellaniis observatur, ita hospitalia eadam sine ulla episcoporum auctoritate regi erecta poterunt illis conditionibus, quæ aut legibus publicis, aut ipsa fundatorum voluntate præstitutæ deprehendantur. Nemo ignorat, quæ et quanta sit facultas fundatoribus concessa a sacris canonibus, etiam quoties agatur de erigendis ecclesiasticis beneficiis, quorum respectu si iis permittitur adjicere clausulas communi disciplinæ contrarias, dummodo nec turpes, nec inhonestas, facilius permittetur similes clausulas adjicere in erectione hospitalium, quæ suapte natura inter res ecclesiasticas minime recensentur. Perspicuæ sunt in hanc rem romanæ leges, l. 28, § 1. Cod. de episc. et cler. atque ipsum tridentinum concilium, quod episcopalem potestatem stabilivit, renovavit, promovit sæpe, ac sæpius ab hac exemtos voluit speciales casus fundationum, sess. 25 cap. 8, et sess. 22, cap. 9, de ref. et juxta hæc principia perpetuo respondit sacra ejusdem concilii congregatio apud Fagnanum ad cap. 4, de religios. dom. expedit enim ita excitare pios homines ad nova opera ad publicam utilitatem, decet etiam unumquemque de rebus suis, salvis legibus honestatis, pro arbitrio posse disponere. Revera ut honor fundatoribus exhibeatur, receptum perpetuo fuit, ut fundator, quamdiu vivit, disponere pro arbitrio valeat de rebus hospitali addictis, quin aut visitationibus publicis, aut rationum redditionibus subsit, eodem modo, quo liberalis bonorum donator, qui sibi reservavisset bonorum donatorum usumfructum, minime obstringitur cautionibus, quas ususfructuarii præstare generaliter debent ex disciplina legum romanarum; uti tradit Fagnanus ad capitulum 4, de religios. dom. num. 53, qui ulterius testatur, definitum aliquando fuisse, ut liceret fundatori in usus profanos convertere quod ipse in hospitale contulerat, quamquam hujusmodi facultas, fundatorum hæredibus denegetur. Hinc proficiscitur, ea, quæ gratia fundatoris recepta sunt singularia, ad heredes minime extendi. Quamobrem si fundator expresse heredes suos (idipsum intelligas de extraneis ab eodem fundatore designatis) excluso episcopo hospitalis a se erecti regimini præfecisset, hæc conditio strictam interpretationem pateretur, quia strictam interpretationem patiuntur, quæcumque disciplinæ communi adversantur, et derogant. Finge enim vero fundatorem nominavisse administratores hospitalis, ordinata perenni successione personarum, non ideo erunt administratores exempti a visitationibus ordinarii, quia ab ipsis non fuerunt specialiter exemti; quando autem etiam specialiter exemti a visitationibus fuissent, non ideo immunes erunt a reddendis rationibus, nisi istæ etiam expresse remissæ adparerent. Imo quoties fundatores omni ex parte a quocumque officio episcopos exclusissent, exclusi episcopi intelligerentur tantum in casibus ordinariis, non in iis, qui extra ordinem emergunt, idest quando perspicue constaret de abusu administratorum cap. 17, de testamentis, quum non sit verosimile, fundatores præcipue sollicitos de perennitate publicis operis a se erecti voluisse ea præsidia omnino de medio tollere, quibus opus idem publicum, ubi in interitum corrueret, sustineri valeret; atque hæc mens fuisse

videtur tridentinorum patrum, dum etiam in hospitalibus laicorum administrationi commendatis, certa jura episcoporum gratia reservaverunt, uti expresse legimus in cap. 8 et 9, sess. 22, de ref. etiamsi vero in hac hospitalium specie certa adhuc sint penes episcopos jura, non ideo tamen excludentur ab exercendo certo potestatis genere publici magistratus, quibus publicorum operum cura auctoritate principum commendatur; siquidem principes, ubi episcoporum sollicitudinem in hospitalia concitaverunt, potestatem suam minime abdicavisse, et in eos penitus transtulisse præsumuntur. Non opus demonstratione in hac parte, quando refert Fagnanus, ita jam definitum fuisse a sacra congregatione tridentini concilii ad cap. 4, de religios. domib. num. 12.

Quacumque de caussa laica hospitalia episcoporum potestati obnoxia sint, nunquam in bonorum ecclesiasticorum numero censebuntur, ex quibus canonicas obventiones iidem episcopi recipiant, eo jure, quo ex beneficiis ecclesiasticis recipiunt. Jura episcoporum, de quibus quæri potest, ad duas species rediguntur, alia enim debentur in vestigium antiquæ generalis administrationis bonorum Ecclesiæ, quæ olim adnexa erat dignitati episcopalis veluti cathedraticum, seu synodaticum, subsidium, ut vocant, charitativum, et quarta mortuariorum; alia adnexa sunt exercitioni jurisdictionis episcopalis, quale hodie est jus procurationis, prout hodie nihil aliud sonat, quam jus episcopis alimenta petentis in actu visitationis. Jura prioris speciei non debentur episcopis ab hospitalibus laicis, cum de bonis agatur, quorum nunquam episcopis commissa administratio fuerit, cumque ii, qui bona administrant, nunquam ministerium ex episcoporum mandato, vel concessione susceperint. At jura secundæ speciei deberi non repugnant, proindeque debentur, ubi æqua id receperit consuetudo, neque enim decet episcopum visitantem, dum gravissimo muneri incumbit, distrahi alio, ut extra locum visitatum sibi quærat alimenta, dummodo observentur providæ sanctiones concilii tridentini, quibus æque consultum est, et indemnitati visitantium, et locorum visitatorum utilitati, sess. 24, de ref. cap. 3. Quod si hæc hospitalia non considerantur tanquam res ecclesiasticæ, necessario consequitur, in alienandis eorum bonis solemnitates observari non oportere ad alienationem bonorum ecclesiasticorum præstitutas, tantum iis cautionibus alienationes fient, quæ receptæ sunt in alienationibus bonorum ad minores pertinentium, quorum privilegia hodie sunt et hospitalibus communia. Videatur cardinalis de Luca de alienat. disc. 1, num. 13, et de regalibus disc. 81, n. 12. Imo ubi constitutus sit magistratus quidam, cui principum auctoritate mandata fuerit cura operum publicorum, nonnisi hujus intercedente consensu alienatio rata erit, instar pupillorum, vel minorennium, quorum alienationes sine consensu tutorum, aut curatorum carent effectu.

Mixta, sive partim ecclesiastica, partim laicalia, hospitalia dici possunt ob duplicem caussam. Primo ratione bonorum, ex quibus hospitalia ipsa erecta sint, secundo ratione finis, ad quem dirigantur. Mixta ratione bonorum, ex quibus erecta sint, appellantur ea, ad quæ erigenda et ecclesiæ bona viri ecclesiastici, et patrimonialia sua viri laici contulerunt, eodem modo, quo mixti jurespatronatus appellamus beneficium illud, quod et laici de propriis, et clerici de ecclesiasticis bonis erexerunt. In hoc hospitalium genere privilegia communicabuntur, ita ut, ubi ecclesiastica hospitalia certo privilegio gaudent, mixtis etiam privilegium competat, et e converso. Idipsum dicendum est, quoties ex duobus hospitalibus diverso tempore erectis, uno laico, altero ecclesiastico, perpetua et æque principalis unio fiat, quemadmodum recipitur in unione perpetua, quæ æque principaliter fiat, ecclesiarum. Quo vero casu unio per accessionem fiat, quod accedit, tanquam suppressum habebitur una cum suis juribus et privilegiis, integris remanentibus juribus et privilegiis principalis. Quod si pii quidam laici variis bonis locupletent, augeantve quocumque modo hospitale aliquod ecclesiasticum, nisi aliud largitionum tempore legitime conventum fuerit, pristinam indolem suam hospitale retinebit, et perget tamquam ecclesiasticum perpetuo recenseri. Similiter si laicum hospitale bonis ecclesiasticis subinde ditetur, omni ex parte suam qualitatem retinebit, nisi aliud largitionum tempore placitum dignoscatur. Mixta hospitalia ratione finis, ad quem dirigantur, tunc dicentur, cum a laicis fundatoribus erecta fuerint non solum ad subsidium publicum indigentium, verum etiam ad quandam singularem religionis utilitatem, vel incrementum, veluti hospitalia illa, in quæ recipiendi sint inopes catechumeni, qui eodem tempore ab inopia subleventur, et opportunis documentis ad sacrum regenerationis lavacrum præparentur. Hujus generis hospitalia, quemadmodum ratione bonorum, et eorundem administrationis sunt præcipue obnoxia laicis fundatoribus et iis, qui a fundatoribus caussam habent, sub auctoritate publicorum magistratuum; ita ratione spiritualis finis, ad quem diriguntur, omnino obnoxia erunt episcopis, ad quorum jurisdictionem pertinebit non solum curare, ut vera doctrina ibidem tradatur, ut animarum salus optimis subsidiis adjuvetur; verum etiam ut seligantur ad eundem finem idonei sacrorum administri, qua tamen in re plurimum concedetur nominationibus fundatorum, et illorum, qui fundatoribus in eo jure

successerint, eodem modo, quo plurimum conceditur in beneficiis ecclesiasticis fundatoribus eorundem, caussa præsertim nominationum, ac præsentationum.

Quæ loca in hospitalibus potissimum subsunt episcoporum auctoritati, sunt sacræ ædes, sive templa sacris et hierarchicis functionibus destinata. Harum sane nomine non intelligo loca illa religiosa, ad quæ convenire solent, pauperes in communi viventes caussa orationis, aut instructionis privatæ, ubi scilicet sanctum missæ sacrificium non celebratur, propterea quod sacerdotali prece nec consecrata fuerint, nec benedicta. Potius ista sunt privata oratoria, privatique instar familiarium conventus, qui iniri possunt vel ejus unius auctoritate, qui hospitalia legitime erexit, aut hospitalibus præsidet, etiamsi laicus sit, can. 33, de cons. dist. 1. Nomine sacrarum ædium proprie venit, aut cappella interior intra muros hospitalis constructa ad sancti sacrificii celebrationem, aut quodcumque aliud templum etiam publice patens sub regimine, seu ministerio illorum, qui in hospitali præficiuntur. Hæ ecclesiæ, vel altaria erigi nequeunt sine episcopi auctoritate, a qua solum locorum sacrorum constitutiones pendent juxta canonum, seu priscorum, seu recentium disciplinam, integris semper remanentibus reservationibus pontificiis, ubi recepta sunt, seu ratione privatarum cappellarum, seu ratione custodiæ sacræ Eucharistiæ. Quomodo distinguantur Ecclesiæ publicæ ab ecclesiolis privatis in hospitalibus, facile, prout res incidit, deducetur ex generalibus pragmaticorum principiis, quorum in conspectu publicæ habebuntur illæ, ad quas et universus populus jus habet conveniendi, et qui eisdem præsidet, jus habet populum convocandi, quod facile ex usu, præcipue autem ex situ Ecclesiæ, qua in publico, qua in privato loco dignoscitur, item ex numero, et qualitate campanarum, ac denique ex functionibus ecclesiasticis fieri ibidem consuetis, investigando, an istæ ex iis sint, quæ tantum in publicis ecclesiis fieri solent, an ex iis, quæ fieri solent in ecclesiolis privatis. Episcopalis hæc jurisdictio in ecclesias hospitalium, qua publicas, qua privatas, non solum sita est in benedictione, vel dedicatione earundem, sed etiam in ipsarum visitatione, cui locus erit; etiamsi hospitale fuerit per exemptum, nisi alias demonstretur, ecclesias illas speciali etiam exemptione muniri; quum aliud omnino sit exemptio hospitalis, aut bonorum ad hospitale pertinentium, et exemtio ecclesiarum. Hinc ecclesiastici administri illis ecclesiis addicendi, quoties titulo beneficii perpetui munus suum forent executuri, institutionem ab ordinario petere debent, post præsentationem a fundatoribus, vel fundatorum successoribus factam; addicti autem jus habebunt administrandi ea sacramenta, quorum ministerium fuerit in fundationum tabulis concessum, aut tabulis fundationum deficientibus, arbitrio ordinarii concedatur. Ast ubi sacri administri qualitatem beneficiariorum non habeant, poterunt ipsi ea sacramenta, aut res sacras administrare, in quibus nec jurisdictio ecclesiastica, nec officium parochiale versatur, nisi aliqua ex his fiant, aut ex episcopi concessione, vel obtento rite pontificis maximi privilegio, aut etiam ex consuetudine legitime præscripta, quæ facile privilegium imitatur. Hinc facile colligitur, generaliter non licere in his Ecclesiis cadavera pauperum utut in hospitali defunctorum sepelire, quod id hodie inter jura parochialia recensetur. Sed de juribus parochialibus inferius suo loco sermo erit. Tantum dicam in præsentia, quoniam aliquando contingit, ut hospitalia quædam ab juribus parochialibus ex singulari titulo eximantur, eo in casu decimas ab hospitalibus persolvi parochis non debere, seclusa consuetudine, aut alio quocumque justo titulo, propterea quod decimæ ideo parochis præstari soleant, quod parochi curam gerant animarum et ab iis, quibus a parochis sacra administrantur.

Qui curam hospitalium gerunt, regimen suscipere solent aut ab episcopis, aut a protectoribus, aut a fundatoribus ipsis, eorumve heredibus pro qualitate hospitalium eorumdem, præsertim autem pro conditionibus in limine singularem fundationum adpositis. Aliquando etiam deputari solet congregatio selectarum personarum permanens ac perpetua, concesso eidem jure substituendi collegas collegis deficientibus. Quicumque his officiis addicatur, priusquam res hospitalium administret, solet jurejurando fidem suam obstringere, spondens, se rite recteque administraturum; cujus jurisjurandi formula varia est juxta locorum diversitatem, neque enim in jure communi quidquam generaliter in hac parte definitum invenio. Sunt administratores hospitalium instar tutorum, et curatorum, cum et ipsa hospitalia minorum privilegio, uti dictum est superius, gaudeant, nisi quod tutores, et curatores reddere solent rationes finita tutela, vel cura; at administratores hospitalium plerumque episcopo rationes reddere debent singulis annis, juxta tridentinam constitutionem in cap. 9, sess. 22, de reform. Hinc est, administratores ipsos alienare minime posse bona immobilia, aut quæ immobilium jure censentur, aut quæ ad perpetuum pauperum usum sunt destinata, præter casum necessitatis, aut evidentis gravis utilitatis, tum vero solemnitatibus intervenientibus a lege præstitutis, observato semper discrimine inter laicalia, et ecclesiastica hospitalia, quemadmodum superius observandum fuit. Quod si contingat, administratorem officio suo deesse, et sibi vindicare bona hospitalis, vel in alias personas eadem transferre, subja-

cebit ipse pœnis in tridentino concilio præstitutis, etiamsi ipse patronatu gaudeat, c. 11, sess. 22 de reform. quæ tamen pœnæ cum gravissimæ sint locum tum demum meo judicio habebunt, cum dolus inerit, non culpa tantum, aut negligentia etiam lata, quo casu extra ordinem puniendus esset ordinarii arbitrio, modo suspensione, modo etiam depositione ab officio pro ut facti, vel negligentiæ qualitas postulaverit.

Sunt adhuc hospitalia quædam, quæ privilegiata dicuntur, et in quibus nonnulla obtinent singularia. Vix loquor heic de iis, quæ post sæculum Ecclesiæ sextum sublata fuerunt abs jurisdictione episcopum aut ex speciali privilegio, aut similibus juribus, scilicet consuetudine, aut præscriptione, aut tabulis fundationum, de his enim jam superius multa tradita sunt. Tantum adnotabo, in iis hospitalibus, quorum gratia impetrata fuerunt exemtionis privilegia, nostris temporibus non ordinariam quidem, sed delegatam exerceri ab episcopis jurisdictionem, concilio trident. sess. 22 de ref. cap. 8 et 9, quod tantum locum habet, ubi privilegium concessum fuisset tantum gratia hospitalis; nam si etiam concessum esset gratia alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, cujus regimini excluso episcopo, hospitale subjectum fuisset, laudatæ tridentinæ constitutiones hunc modum accipiunt, ut episcopus cum eadem dignitate concurrat, id est, ut loquuntur pragmatici, cumulativam, non privativam habeat potestatem. Item concilii tridentini decreta locum habent in iis tantum privilegiis, quæ fuerant ante concilii concessa, non quæ deinde legitime impetrata fuissent, etiam auctoritate episcoporum; non enim præsumitur, concilium maxime sollicitum de tuenda, restaurandaque potestate episcopali, hanc concedendarum exemtionum potestatem voluisse ab episcopis demere, ob notas juris regulas, quæ docent, non debere in alicujus dispendium detorqueri, quæ ejusdem gratia constituta sunt. Quod de privilegio dicitur, idipsum dicendum est de consuetudine, ac præscriptione, adversus quas etiam concilium tridentinum delegatam facultatem episcopis impertivit, dicto cap. 8 et 9, adeo ut etiam ibidem legatur, nullam adversus episcopos suffragari exemtis hospitalibus posse immemorialem præscriptionem, quamquam ista titulus omnium optimus esse dicatur. Durum nimis forte videbitur in hac postrema parte tridentinum decretum; propertereaque ego censerem, tentari adhuc posse, tridentinos patres in ea tantum mente fuisse, quoties ageretur de eo, qui exemtum hospitale contenderet, mera et nuda immemoriali præscriptione innixus, non vero si præscriptio immemorialis allegaretur, tanquam adminiculum ad probandam exemtionem in tabulis fundationum expresse constitutam, alias autem, seclusa præscriptione, perspicua tabularum fundationum exhibitio, et ex exhibitione probatio fieri non posset; neque enim novum est, quædam directo et per se non operari, quæ indirecte prosint.

Fuerunt exemta privilegiis singularibus abs iurisdictione episcoporum hospitalia plura adnexa ordini alicui religioso, vel militari, vel monastico, eodem modo, quo exemta fuit militia, vel monasterium; qua in re omnis erit definienda controversia ex singularibus potissimum ordinum eorundem statutis, et juribus, cum ob eorundum varietatem certa et generalis regula præstitui nequeat. Et quamquam concilium tridentinum valde imminuerit hospitalium exemtiones, nihil tamen in eo detractum fuit hospitalibus hujus generis, dicto cap. 8, sess. 25, de ref. in quibus propterea solus regularis prælatus jurisdictionem exercebit, clement. 2, § *præmissa* de relig. dom. quod observavit cardinalis de Luca de parochis disc. 23, num. 3. Itaque prælatus regularis curam geret universam quasi episcopalem non solum ratione habita administrationis bonorum, sed etiam visitationis seu hospitalis, seu Ecclesiæ hospitali adnexæ, item ratione habita sacramentorum ibidem administrandorum pauperibus in hospitali collectis, denique ratione sepulturarum, eamque ob rem cadavera pauperum ibidem demortuorum sine interventu, aut licentia parochi a regularibus quasi parochi officium gerentibus tumulabuntur.

Et quidem hospitalia ista privilegiata hucusque commemorata vere ac proprie privilegiata dici possunt. Nolim tamen, cum istis confunderentur duo alia hospitalium genera, quæ aut exemta sunt ab episcopali potestate ex lege in tabulis fundationum dicta, aut ex eo, quod in supremorum principum fidem recepta fuerint, dicunturque immediato regum patrocinio frui. Etenim quamquam hæc privilegiata quodammodo dici possint, quia non sicuti cetera episcopis subsunt, verius tamen meo judicio privilegiata non sunt. Quod ut candide aperteque explicetur, observandum est, olim, cum primum publicis legibus episcoporum curæ commendata fuerunt hospitalia in universum, jam tum dici potuisse, publicas easdem leges non comprehendisse hospitalia in immediatam supremorum principum fidem collata, ac protectionem; neque hospitalia, quibus singulares, et contrariæ dictæ fuissent ab ipsis fundatoribus conditiones. Revera publicæ illæ leges non expressam fecerunt de his hospitalibus mentionem, quæ sane fieri debuisset, si a legibus ipsis minime exciperentur; deinde perpetuus usus legum optimus interpres id apertissime demonstravit. Hanc ob rem tuto adfirmari potest, non his hospitalibus concessum fuisse privilegium, sed remansisse vetustissimam libertatem a potestate episcoporum

immunem, eam, inquam, libertatem, quæ episcopalem jurisdictionem recentius quæsitam, tempore antevertit; ex quo proficiscitur, exemtiones hujus generis latius interpretari posse, propterea quod privilegiorum naturam non habeant.

Itaque in primis in hospitalibus, quæ ex lege fundationis exemta sunt ab episcopali jurisdictione, observandum est, tridentinum concilium expresse declarasse, istis exemtionibus se minime derogare, sess. 22, de reform. cap. 9, quemadmodum etiam declaravit sacra concilii congregatio apud Fagnanum, in cap. 4, de relig. dom. num. 44. Et quamquam in eodem concilio dicta sess. 22, cap. 8, nulla exceptio appareat hospitalium ex fundatione exemtorum, quod tamen deest in dicto cap. 8, supplendum est ex 9, subsequente, ubi expressa exceptio deprehenditur, quod jam observavit cardinalis de Luca de jurisdict. disc. 95, n. 5. Hæc quidem generaliter vera sunt: at nihilominus puto, episcopos certis in caussarum adjunctis posse hujus generis hospitalia visitare; et primum si suboriretur suspicio conventuum celebratorum in hospitali adversus sanam doctrinam fidei, aut morum: secundo, si evidenter publica ferente fama constaret, administratores perdere, et susdeque vertere bona, ac jura hospitalis, unde brevi verendum, ne istud corrueret, propterea quod præsumendum non est voluntatem fundatoris curam episcopalem excludentis ad hanc speciem extendi. Observatione quoque dignum est, ubi agitur de exemtione adjecta in tabulis fundationum, posse quidem istam effectum sortiri, etiam non obtenta ab episcopo facultate, si tantum ad bonorum administrationem referatur, non vero si referatur ad administrationem sacramentorum, aliaque ecclesiastica officia, a quibus si fundator velit hospitale eximere, obtineat ab episcopo facultatem necesse est, vel ea deficiente, singulare jus impetret a sede apostolica, quod et adnotavit cardinalis De-Luca de jurisdictione disc. 40.

Quod spectat hospitalia ideo exemta abs jurisdictione episcopali, quod collata sint in fidem immediatam, ac patrocinium regum, nulla erit in eadem episcoporum jurisdictio. Non opus fuit in hac parte singularibus privilegiis. Nam cum, uti initio diximus, generaliter in hospitalibus ex concessione principum obtinuerint episcopi potestatem, non censentur principes similem potestatem concessisse in ea, quæ singulari tutelæ suæ, ac curæ reservaverunt: secus quid interesset inter hospitalia immediate regio patrocinio donata, et inter cetera, quorum generaliter, et semper regium patrocinium etiam est, quod ideo mediatum dicitur, quia non per se principes, sed per alios regi eadem voluerunt? Si nihilominus quisquam investigare velit canonum monumenta, altum video de hac re apud veteres silentium, ac nunquam adparet de jurisdictione episcoporum in ea hospitalia exercenda. Unicum invenio testimonium concilii regiaticini an. 850. can. 16, ubi sermo est de eisdem hospitalibus, quorum respectu ita sanctio concepta est, ut liqueat, illa solius regis cura ac providentia dirigi. Id recentioribus sæculis declaravit concilium tridentinum in cap. 8, sess. 22 de reform., ubi expresse traditur, a visitationibus episcoporum immunia fore; et quamquam in cap. 9, sequente similiter non declaretur, immunia esse a reddendis rationibus apud episcopum, id tamen tacite subintelligitur, quasi exceptio facta in cap. 8, repetita credatur in cap. 9, quod est præcedentis capitis sequela et appendix. Hinc passim interpretes ista capita jungenda voluerunt, et alterum ex altero explicanda, quemadmodum normam præbuit cardinalis De-Luca de jurisdictione dic. 95, num. 5. Mentionem fecit concilium hospitalium, *quæ sub regum immediata protectione sunt.* Ait in primis *regum*, quo nomine designantur supremi principes, regalium jure potiti, exclusis iis, qui regalia majora non habent, quales sunt vassalli regum ac principum, communitates, universitates, et similia corpora, cum non sit istorum æqualis, ac supremorum principum ratio, uti notavit Fagnanus ad cap. 4 de religios. domib. num. 16 et 18. Deinde ait *sub immediata protectione*, cujus nomine apud nos veniunt hospitalia, quæ regiis bonis arecta sunt, et præterea illa, in quorum erectione regium patrocinium specialiter imploratum fuit, atque impetratum. Quod si in controversiam deducatur, an hospitale immediate regali patrocinio subsit, an minus, refert Van-Espen parte 2, juris eccles. univ. tit. 37, cap. 2, num. 33, definitum fuisse a romana congregatione concilii, quæstionem episcopali judicio dirimi; subjicit tamen, id tantum verum esse in ea specie, in qua incidenter contra episcopum visitantem ea exceptio proponeretur, quod et notat Zippæus de jure novo, titulo de religiosis domibus.

Alia sunt religiosa loca, quæ proprie hospitalia non dicuntur, sed aliis nominibus appellantur, ex. gr. Congregationes charitatis, pietatis, aut similibus, ideo instituta, non ut pauperibus in communi viventibus consulatur, sed ut pauperes, distributis vel clam, vel palam certis pro modo singulorum portionibus adjuventur; quod fit aut statis exibitis eleemosynis, aut designatis dotibus, aut mutua ad certum tempus data pecunia, aut similibus. Horum locorum origo multo antiquior est origine hospitalium. Etenim jam olim Romani veteres vetustioribus etiam sæculis in more habebant, ut panes publice distribuerent certis personarum generibus, qui, quoniam e quibusdam gradibus dispensabatur, vulgo appellabatur panis gradilis, de quo mentio fit in tit. 17, lib. 14, codicis theodosiani, ad quem

usum respiciens Prudentius de inope vulgo ita scribebat:

Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis.

Neque a vero aberraret, qui putaret, de iis, qui pani dispensando præerant, conceptam esse legem 18, § 7, ff. de muner. et honor., ubi qui præsunt pani, episcopi nominantur. Atque ut prætermittam hæc publica pietatis opera ab æthnicis hominibus instituta, quid aliud erant *Loculi*, quos apostoli, ipse etiam christus Dominus, habuisse leguntur, quid *corbona* apud S. Cyprianum ad imitationem sacerdotum Judæorum, quid *Arca* apud Tertullianum, et denique quid *Concha* apud eliberitanos antististes (quæcumque sit eliberitani concilii fides, et auctoritas), nisi piæ quædam eleemosynæ pauperum usibus destinatæ? Hodie harum congregationum duæ sunt species; quarum aliæ adnexæ sunt xenodochiis, monasteriis, militiis, collegiis, confraternitatibus, ceterisve corporibus: istas autem brevi dixero eandem naturam habere, iisdemque gaudere juribus ac privilegiis, quæ habent xenodochia, monasteria, militiæ, collegia, confraternitates, et corpora, quibus cohærent: aliæ per se subsistunt sub regimine certarum personarum ad id specialiter designatarum. Hæ sane instar hospitalium dividi pariter possunt, in ecclesiasticas, laicales et mixtas, in privilegiatas et non privilegiatas, eamque ob rem eædem regulæ, quæ pro hospitalibus præjactæ superius fuerunt, facile et istis congregationibus pro singularum modo, et servata proportione accommodabuntur, ita ut nihil in hac parte singulare supersit adjiciendum.

Dicendum adhuc superest de confraternitatibus laicorum, quarum nomine veniunt quædam laicorum collegia non quidem in communi viventium, sed identidem certum in locum, et certum in finem convenientium, piarum exercitationum caussa instituta. Harum originem antiquissimam esse non dubito. Jam enim apud Romanos veteres vigebant illæ, quamquam apud illas gentes superstitionibus obrutas inanem tantum speciem religionis haberent. Extat inter fragmenta legum duodecim tabularum monumentum, quo de sodalitiis mentio fit, ita conceptum: *Sodales, legem, quam volent, dum nequid ex publica lege corrumpant, sibi ferunto.* Quamobrem cum legimus Ciceronem ita scribentem in libro de senectute, *Sodalitates, me questore, constitutæ sunt*, intelligemus, aut nova sodalitia tunc instituta fuisse, aut tunc fuisse restaurata, quæ jampridem invaluissent, et ob injuriam temporum lapsa deprehenderentur. Marcianus in l. 1. ff. de colleg., et corpor. meminit sodalitiorum, quibus adscripti stipem menstruam conferebant, et semel in mense coibant, etiam religionis caussa, quibus tamen indicebatur, nequid facerent contra senatusconsultum, quo illicita collegia arcentur. Et Gajus in leg. ult. ff. eod. tit. legem laudatam duodecim tabularum altius repetit, refertque ad Solonis institutiones. Ulpianus quoque in l. 20, ff. de rebus dubiis refert, temporibus D. Marci auctoritate senatus permissum fuisse, legata relinquere collegiis, dummodo talia essent, quibus coire liceret, seu, quod idem est, quæ auctoritate publica interveniente erecta fuissent. A gentibus ad Ecclesiam hujus generis institutiones traductæ sunt, nominabantur autem primis Ecclesiæ sæculis *Collectæ*, quasi ex collectis hominibus constitutæ, deinde sæculo octavo et nono *Geldæ*, alias *Gildæ, Gildoniæ, Gildoniæ, Gildscyræ* theutonicis, et saxonicis nominibus, adeo ut propemodum ignoretur, quo primum tempore invaluerint, unde colligitur, apostostolicam ipsam ætatem attingere. Revera quicumque canones de iis mentionem fecerunt, ita compositi sunt, ut eisdem veluti jamdiu erectis certos modos imponant, abususque corrigant, ac sodales intra certos fines coerceant, non ut sodalitiorum erigendorum formam veluti rem novam decernant, uti liquet ex can. 15. concilii nannetensis, cui jungi potest can. 7, dist. 44, seu canon. 35, de cons. dist. 5, item ex Hincmaro Rhemensi in capitulis ad presbyteros cap. 16, ex libro 5. capitularium Francorum cap. 200, ex libro 1, legum longobardarum titulo 18, cap. 7. Quemadmodum vero nihil a collegiis istis prætextu pietatis statui potest, quod publicam turbet tranquillitatem, juxta laudata romani juris principia, ita nihil definiri potest, quod legibus divinis, aut ecclesiasticis adversetur. Ad avertendas turbarum occasiones, jam caverunt prudentissime gallicani antistites apud montem Pessulanum convocati a Petro Beneventano legato apostolico anno 1214. canone 45, ut sodalitia non erigerentur, *nisi de voluntate dominorum locorum.* Scribo ipsa concilii ejusdem verba: *Quia propter conjurationes, et conspirationes, quæ confratriæ vocantur in civitatibus, villis et castris, quandoque multa discordiæ materia suscitatur, præsens synodus sub anathematis interminatione constituit, ut in civitatibus, villis et castris non fiant de cetero confratriæ, nisi de voluntate dominorum locorum ipsorum, et diœcesani episcopi, propter urgentem necessitatem, et evidentem utilitatem id fiat. De his autem confratriis, quæ hactenus factæ sunt, et de quibus querelam audivimus, caussa cognita, quod juxtum fuerit, faciemus.* Obtinuit etiam, ut non aliter instituantur, quam si diœcesani consensus, et auctoritas intercedat, adeo ut Clemens VIII, in sua constitutione 115, quæ incipit *Quicumque*, salubriter sanxerit, etiam eos, qui ex privilegio apostolicæ sedis facultatem habent erigendi, aut adgregandi confraternitates, quales quandoque sunt vel archiconfraternitates jam erectæ, vel prælati regulares,

nullo modo ad erectionem, aut adgregationem illarum devenire posse, nisi de consensu ordinarii loci, et cum literis ejus testimonialibus, quibus erigendæ, aut adgregandæ confraternitatis officia commendentur. Addidit prudentissimus pontifex ad evitanda confratrum dissidia, in una eademque civitate, vel loco nonnisi unicam ejusdem instituti, seu tituli confraternitatem erigi posse, a qua tamen regula excipiuntur confraternitates sacræ eucharistiæ, aut doctrinæ christianæ, quæ in unaquaque parochiali ecclesia laudantur. Illud quoque olim constitutum scimus in laudato concilio nannetensi, et Francorum principum capitularibus, ne confratres ad statutorum executionem jurejurando obstringerentur, ne facilis perjuriis daretur occasio. Quod vero potissimum est, in hac re hodie observandum est, in eo consistit, ut a confratribus nihil sponte attingatur, quod vergat in juris aut episcopalis, aut parochialis detrimentum, nisi forte singulari privilegio ab eo, qui concedendi potestatem habet, obtento, detractum alterutri juri deprehendatur. Quod ut in aperta luce collocetur, distinguendum est inter singulares confratrum personas, item collegium ipsum, ac bona collegio adnexa: atque inter ecclesias a confratribus erectas una cum bonis ecclesiis eisdem adsignatis (idem dicas de altaribus), item hospitalia, seu loca religiosa, quorum cura est confratribus demandata; adde opera pietatis pro confratrum institutionibus, vel moribus exercenda. Quoties agatur de singularibus confratrum personis, imo et de ipso confratrum collegio, aut etiam de bonis collegii, neque personæ singulares, neque collegium, neque bona collegii ecclesiasticorum jure censentur, cum nullibi tanquam talia haberi præceptum sit; quamobrem privilegia, et jura personarum, collegiorum, bonorumve ecclesiasticorum iis confratrum personis, collegiis, ac bonis collegiorum minime adcommodantur, proptereaque, et eadem fratrum collegia coram magistratibus publicis conveniuntur, quod neque inficiatus est Marta de jurisdictione parte 4, centuria 2. casu 113. Id verum est, etiamsi in erectione collegii intervenerit ecclesiastici superioris, quicumque iste dicatur, auctoritas; etenim hæc auctoritas in caussa quidem est, ut collegium auctoritate etiam ecclesiastica licitum, et probatum intelligatur; non ut tanquam collegium vere ecclesiasticum habeatur. Quod si agatur de hospitalibus, locisve religiosis collegio adnexis, ea vigere debent, quæ superius generaliter de iisdem observatæ sunt. At respectu Ecclesiarum, ac bonorum Ecclesiis ipsis addictorum, item respectu piorum operum a confratribus exercendorum, præsertim in Ecclesia collegio adsignata, nulla dubitatio est, quin hæc omnia tanquam vere ecclesiastica episcopali jurisdictioni, et parochorum juribus obnoxia sint, cap. 3 et 4, de religios. domib. Hæc ratio est, quare in concilio tridentino sess. 22, cap. 8 de reform. cautum fuit, ut episcopi habeant jus visitandi confraternitates laicorum, etiam quas scholas, sive quocumque alio nomine vocant, iis exceptis, quæ sub immediata regum protectione sunt; item quare in cap. 9, ejusdem sessionis statutum fuit, administratores confraternitatum teneri singulis annis reddere ordinario administrationis suæ rationem; item quare confraternitates nequeunt præter consuetas ducere alias processiones, non impetrata ab episcopo facultate; et quamquam ab episcopo cogi nequeant, ut ad publicas processiones accedant; sed tantum invitari soleant; ubi tamen receptum est concilii tridentini decretum sess. 25 de regular. c. 13, alicubi idem extensum fuit eo, ut controversiæ de præcedentia inter confratres subortæ ab episcopo componantur. Hæc adeo vera sunt, ut etiam locum habeant, ubi agitur de confraternitatibus in ecclesiis regularium exemtorum erectis; quamquam enim episcopus abstinere debeat ab iis, in quibus alias monachorum exemtioni fraus fieret, in iis tamen, quæ ad onera confraternitatum pertinent, poterit jurisdictionem suam libere exercere. Non ideo quoque confraternitas ab episcopi jurisdictione exemta censebitur, quod exemtæ cuidam archiconfraternitati adgregata fuerit; etenim adgregatio tantum prodest confratribus respectu spiritualium beneficiorum, qualia ex. gr. sunt indulgentiæ adgreganti concessæ; non eo etiam extenditur, ut adgregatum sodalitium ab ordinario eximatur. Parochi item jure communi inspecto in confratres, et in Ecclesiis confraternitatum intra parochiæ limites constitutis jura parochialia exerceant, adeo ut, qui adversus parochum agit, nunquam victurus sit, nisi singulare jus quæsitum alleget, ac demonstret, quale esset privilegii, fundationis probatæ, legitimæ consuetudinis, vel præscriptionis. Hinc ex. gr. licet confratribus concessum adpareat jus excavandi sepulchri in Ecclesia propria, non ideo tamen ibidem sepelienda erunt defunctorum fratrum cadavera, non electa primum ibidem sepultura; neque ideo censebitur detractum juribus, quæ occasione sepulturæ parochis competunt, argumento capituli 19 de privilegiis, et clement. 2, de sepulturis. In controversiis hujus generis plurimum intererit observare, an confraternitates propriam ecclesiam habeant a parochiali distinctam; an in ipsa parochiali ecclesia tantum altare erexerint, aut ad altare jam erectum ipsæ accesserint caussa piarum exercitationum ad illud peragendarum. In priore specie majora quædam jura confratribus conceduntur, quale est in publicis processionibus propriam crucem erigere, certos sacerdotes designare, per quos minora quædam sacra, non tamen propria parochialia, officia gerantur; at in

posteriore specie regulariter sub parochiali cruce incedere debent, et ad parochum privative, ut ajunt, pertinebit sacris officiis præesse, nisi aliud singulari quodam jure obtinuerit. Quod autem statuimus gratia parochorum, ubi agitur de confraternitate in ecclesia parochiali erecta, idipsum unusquisque intelliget observandum gratia canonicorum, ubi agatur de confraternitate erecta in ecclesia collegiata. Quod si eadem ecclesia, et parochialis sit, et collegiata, distinctione habita munerum, quæ aut parochi, aut canonicorum propria sunt, controversia omnis facile dirimetur.

CAPUT VIII.

De electione, vel postulatione, confirmatione, vel admissione, consecratione, et translatione episcoporum.

Huc referendi sunt tituli 5, 6, 7 et 12, lib. 1.

Non una perpetuo fuit ratio eligendorum episcoporum, sive consideremus personas eligentium, sive personam electi, sive gradus, graduumque modos, per quos electus episcopus ad adeptionem episcopalium jurium progrediatur, sive tempora ad eosdem absolvendos gradus præstituta, aliaque hujus generis inaugurationis episcopalis adjuncta. Per quatuor veluti gradus regulariter ad episcopatus adeptionem devenitur, nimirum electionem, confirmationem electionis, electi confirmati ordinationem, seu consecrationem, et corporalem episcopatus adprehensam quasi possessionem. Quandoque autem aliquis ex his gradibus prætermittitur, aut aliam induit formam, uti ex. gr. contingit in episcopo de una in aliam ecclesiam translato, respectu cujus utpote jam consecrati nova opus non est consecratione; item in eligendo eo, qui non omnes qualitates habet, quæ in episcopo ex disciplina canonum requiruntur; uti enim in hac specie necessaria est dispensatio, ita non proprie electionem, sed postulationem fieri dicitur, non confirmationem electionis, sed postulationis admissionem.

Si in primis de personis quæratur, ad quas electio, aut postulatio, confirmatio electionis, vel postulationis admissio, item consecratio pertinet, longe diversa a recentioribus ecclesiarum moribus erat vetus consuetudo, cum aliud apostolicis temporibus obtinuerit, aliud circa quintum Ecclesiæ sæculum, aliud sæculo duodecimo, aliud in pluribus provinciis postrema ætate. Veluti forma, et archetypus electionum episcopalium expressum cernitur in capite 1. actuum apostolicorum factum apostolicum, quo collectis fidelibus universis in urbe Hierosolymorum consistentibus Matthias proditori Judæ in apostolatus munere suffectus est. Id imitati apostolorum successores a clero simul et populo eligendos episcopos voluerunt, discreto tamen et clerici et populi officio, quemadmodum clarius demonstravit usus Ecclesiarum, can. 26 et 28, cau. 16, quæst. 1, scilicet clericis vere suffragium ferentibus, populo tamen universo data facultate opponendi, si quod forte vitium ad ordinationis obicem, vel aliquod impedimentum, clamante populo, detegeretur, uti colligitur ex S. Cypriano lib. 1, epistola 4. Nomine cleri eligentis post divisas provincias, ac diœceses veniebat clerus addictus Ecclesiæ, cui erat præficiendus episcopus. Secuta electione ad metropolitanum cum suffraganeis in provinciali concilio constitutum et confirmatio, et consecratio pertinebat; quod si commode concilium celebrari non posset, et confirmatio, et consecratio a metropolitano una cum duobus saltem suffraganeis, qui provincialem quodammodo synodum repræsentabant, erat facienda, can. 1, et seq. dist. 64, can. 1, et seq. dist. 65. Sunt, qui putant, post concilium nicænum, seu post editum in eo concilio canonem 1, dist. 64, cœpisse abrogari veterem disciplinam in ea parte, qua populus ad electionem conveniebat, et deinceps populum rejici ab electione cœpisse. Verum præterquamquod scimus ex universa propemodum ecclesiarum historia, etiam post concilium nicænum passim populum consuevisse ad eas electiones admitti, uti manifeste liquet inter cetera ex epistola Leonis Magni ad episcopos provinciæ viennensis 10, apud Quesnellium, ex epistola Cœlestini I. in can. 13, dist. 61, et can. 1, dist. 62, ex ordine romano cap. 2, tit. 4, ex epistola Hincmari rhemensis ad Hedenulphum laudenensem episcopum, et aliunde passim, concilium nicænum tantum egit de consecratione, et confirmatione episcoporum, prout occasio Melantiani tunc suborti schismatis postulabat, non de electione. Nimirum initio quarti sæculi Meletius in Thebaide constitutus solus sine coepiscopis concitandarum turbarum caussa episcopos consecrabat. Ad has Meletii ordinationes coercendas editus fuit nicænus canon, quo præstitueretur, non sine conventu suffraganeorum episcopales ordinationes haberi, non eo ulterius progressum est, ut populus ab electione subduceretur. Quinto primum Ecclesiæ sæculo fieri cœpit, ut turbæ laicorum ab electionibus removerentur; tantum vice populi admitterentur honoratiores, sive populi proceres, ne alia seditionibus locus fieret, postquam scilicet canones laodiceni concilii passim recepti fuerunt, in codicibus canonum sive apud Græcos sive apud Latinos inserti, can. 6, dist. 63, ad quem respiciens Justinianus in Novell. 123, cap. I, ad electiones episcoporum una cum clero primates civitatis intervenire tum consuevisse testificatur. Demum in Oriente post concilium nicænum II, juxta illius canonem 22, in Or-

cidente autem sæculo duodecimo receptum est, ut exclusis laicis omnibus solus clerus ad eligendum admitteretur; quod nonnulli putant constitutum fuisse ab Innocentio II, in can. 35, dist. 63, qui tamen meo judicio, hallucinantur, cum nihil tale ibidem constitutum appareat. Cautum ibidem legitur, ne canonici ab electione episcoporum excluderent *Viros religiosos*. Exinde deduxerunt argumentum, concludentes, *non religiosos*, idest laicos, excludi rite potuisse. Docere primum oporteret, antequam hoc consectarium deduceretur, concilium lateranense Innocentii nomine *religiosorum* clericos intellexisse, neque in eo vocabulo laicos contineri potuisse. Nolo inquirere in ingenitam ejus vocabuli significationem. Tantum inquirendum, quid hoc nomen tunc temporis, et apud lateranenses antistites sonaret. Scio enim vocabulorum significationem variam esse aliquando, et aliud uno vel in loco, vel tempore, aliud in alio quibusdam vocibus significari. Plane lateranenses iidem patres etiam religiosorum nomine laicos intellexisse liquet ex eorundem canone 25, ita concepto: *Laici, quamvis religiosi sint, nullam tamen habent disponendi de ecclesiasticis facultatibus potestatem*. Si caussam quæris adjecti hujus vocabuli, quo fieret, ut etiam laici in duas veluti classes tunc distinguerentur, et illorum aliqui *religiosi* dicerentur, alii ab ea appellationem removerentur, facile erit indicare, prodierat ea ætate Arnaldus Brixiensis, qui turbas adversus clericum concitaverat, et bellum quoddam acerrimum adversus ecclesiasticas quascumque personas indixerat. Quemadmodum autem multi Arnaldo adhærebant, hos religiosorum nomine appellare nefas erat: potius appellabantur tales, quicumque vel apud Arnaldum minime defecerant, vel etiam contra Arnaldum obstiterant. Hos tantum postremos, exclusis primis, voluit jure lateranense concilium ad episcoporum electione admittendos. Qualiscumque autem sit lateranensis canonis sententia, non ibo inficias, sæculo duodecimo exclusos fuisse ab electionibus laicos universos, sed consuetudine potius, quam jure scripto. Porro eo tempore et confirmatio, et consecratio electi metropolitano in provinciali concilio, aut extra concilium duobus saltem suffraganeis intervenientibus, reservabatur, cap. 41, de electione; imo et is honor principibus deferebatur, ut et ipsi electioni, quasi vice populi annuerent, cap. 44 et 28, eod. tit. Interea post duodecimum sæculum clericorum quasi duplex agnitus ordo fuerat, quorum alii titulo beneficii ordinarentur, alii titulo patrimonii, priores appellati *canonici*, quasi in canone, seu matricula cathedralis Ecclesiæ descripti, posteriores *Simplices* dicti, quasi isti non constituerent adeo arctam cum episcopo societatem, sed jam constitutæ societati accessissent. Hanc cleri partem canonici, quasi extra suam collegium positam, ab electionibus rejecerunt, adeo ut paullatim etiam rejicere non dubitaverint eos, qui minoribus ecclesiis in civitate ipsa constitutis deservirent, cap. 3, de caussa possess., et propriet. En caussam, quare passim in titulis decretalium Gregorii IX et Bonifacii VIII, de electione, et postulatione legamus plurima de electione a canonicis cathedralium ecclesiarum facienda, disciplina sane et gregorianis, et bonifacianis temporibus accommodata. Perduravit hæc eligendi ratio usque ad Clementis V, ætatem: Primus enim Clemens statuit, ut, si episcopatus in curia romana vacaret, novus episcopus a romano pontifice libere ordinaretur, extravag. 3, de præbend. int. communes; quam constitutionem renovavit Benedictus XII, in extravag. 13, eod. tit., et Joannes XXII, extravag. 4, de electione inter communes. Idem Clemens V, apostolicæ etiam Sedi reservavit cathedrales Ecclesias, quæ clero, et populo christiano carerent, clement. 5, de electione: inde Benedictus XI, singulari decreto sanxit, ut, quoties ageretur de quatuor patriarchalibus ecclesiis, nemo posset ibidem episcopum eligere romano pontifice inconsulto, extravag. 3, de elect. int. com., paullatim autem factum est, ut omnes episcopales Ecclesiæ sedi apostolicæ reservarentur, uti liquet ex Regula 2. Cancellariæ. Tum vero sicut de juribus eligendi, quæ capitulis competebant, ita de juribus confirmandi, et consecrandi, quæ spectabant ad metropolitas, actum est, neque enim honestum visum fuit ut electio antistitis a romano pontifice facta confirmaretur a minore prælato, qualis erat metropolitanus. Recens hæc disciplina non ubicumque executioni demandata est; alicubi enim restituta fuerunt capitulis cathedralium pristina jura, dummodo confirmatio, et consecratio semper ab apostolica sede penderet, alicubi religiosi principes obtinuerunt, ut ipsi episcopos nominarent, nominationemque factam confirmandam pontifici maximo exhiberent, quod unusquisque deducet ex privilegiis, indultis, et concordatis, quæ sunt unicuique nationi singularia, quæque propterea minime possunt generalem disciplinam constituere.

Quum jure commune ad capitula cathedralium Ecclesiarum electio pertinebat, plures erant in electione regulæ observandæ. In primis quemadmodum, ne diutius Ecclesiæ vacarent, cautum erat, ut intra certum tempus, quod olim semestre fuit, nov. 123. cap. 1, deinde trimestre, cap. 41, de election., electio fieret, quo elapso eligendi facultas ad proximum superiorem devolveretur; ita constitutum scimus, ne præpropere novus episcopus eligeretur, idest ante celebratum defuncti episcopi funus, sive ejusdem sepulturam, c. 36, de elect., can. 7, dist. 79, qua tamen in specie mihi non displicet Glossæ sententia, qua

adnotatur ad dictum capit. 36, non ex eo solo irritam electionem dici, quod ante tempus celebrata, fuerit, sed potissimum quod in eadem facienda peccatum adpareret in forma convocationis canonicorum. Secundo vocandi erant omnes, qui essent de collegio, adeo ut uno non vocato irrita foret electio, etiamsi vocati et intervenientes communibus concordibusque suffragiis elegissent, dicto cap. 36, nisi tamen non vocati electionis deinde conscii facti in electum consenserint, argumento capituli 33. de præbend. in 6. Tertio receptum fuit, ut ii tantum suffragium ferrent, qui vere essent de capitulo, et canonici dicerentur; adeo ut aliquando dignitates, quæ canonicatum adnexum minime haberent, pati debuerint, se a ferendo suffragio excludi, si aliter in fundatione illarum, vel statutis cathedralis ecclesiæ cautum non fuisset, quemadmodum observat cum aliis pragmaticis Rebuffus in tractatu de nominationibus quæst. 8, num. 32, imo ut et canonici ipsi non aliter suffragium ferre valerent, quam si in subdiaconatus ordine jam essent constituti, clement. 2, de ætate, et qualit. præficiend., concilio tridentino sess. 22, de reform. cap. 4. Quarto vocatio canonicorum fieri debuit per signa consueta, sive campanæ, sive per nuncium, sive viva voce pro moribus in unaquaque cathedrali receptis: absentes quoque vocari debuerunt vel per literas, vel per nuncium, nisi aliud vel consuetudine, vel statutis obtineret; quod si ignoraretur, ubinam consisteret absens, observanda erat disciplina, quæ in foro obtinet, ubi citandi sint absentes, scilicet aut per publica edicta ad valvas cathedralis Ecclesiæ adpensa, aut per edicta singularia consuetæ habitationi vocati adfixa. Nomine tamen absentum necessario vocandorum ii tantum veniebant, qui intra provinciam degerent, argumento capituli 35, de electione. Quinto, facta vocatione, elapsoque termino præstituto, modo competens esset, ad electionem procedebatur, etiamsi non omnes vocati accessissent. Qui autem accesserant, per modum collegii electionem celebrare debebant, ut actus vere capitularis diceretur, cap. 55, de electione. Hinc regulariter neque per procuratorem admittebatur quis ad suffragium ferendum, nisi quis absens esset, in provincia tamen consistens, et legitimum allegaret impedimentum, quominus ad cathedralem Ecclesiam accedere valeret, et unum de collegiis nomine absentis suffragium laturum constitueret, cap. 42, § 1, de elect., cap. 46, eod. tit. in 6. Hanc disciplinam expendens Bonifacius VIII, in dicto cap. 46, sanxit, ut quoties plures ab absente procuratores constituerentur, iis daretur in solidum eligendi facultas, ita ut non uterque suffragium ferret, sed ejus suffragium admitteretur, qui prævenisset. Addidit insuper, canonicum procuratorem constitutum duos eligere non potuisse, alterum suo, alterum principalis nomine; cum enim unusquisque eligere teneatur quem dignissimum potet utroque nomine in dignissimum consentire eligentem necesse est, nisi tamen mandans literis cum designaverit, qui suo nomine eligeretur. Quid vero, si nemo de collegio mandatum absentis acceptaret? ait Bonifacius, extraneum non fuisse admittendum, si capitulum, dissensisset, ex quo a contrario sensu glossographus argumentatur, extraneum in proposito admitti potuisse consentiente capitulo. Quæri præterea potest, num dissentiente capitulo, per litteras absens admitteretur ad eligendum. Negavit Bonifacius, adjecta ratione, quod electio actus legitimus sit, et tempore scrutinii fieri debeat. Sexto, electione secuta, ille pro electo habebatur, in quem omnes, vel major, et sanior capituli pars consensisset, cap. 42, de elect., juncto canone 11, dist. 61, ex quibus constat, minorem partem, si sanior esset, etiam majori consuevisse præferri. Hinc facile concertationes emergebant, quoties in duas partes capitulum scinderetur, et in duos suffragia conferrentur, utut inæqualia, unaquaque parte se saniorem prædicante. Quæ contentiones ut imminuerentur, ac si fieri posset, penitus averterentur, Bonifac. VIII, declaravit, majorem partem saniorem præsumi, nec alias vinci a minore posse, quam si aperte constaret, suffragia majoris partis in indignum, aut immerentem fuisse collata, cap. 43, § 1, in fine de elect. in 6. Septimo, ut legitime suffragia ferrentur, et sine fraude, receptum fuit, ut tres præstituerentur integræ fidei scrutatores de eligentium numero, dicto cap. 42, de elect. ad quorum officium pertineret, ut singulorum suffragia solerter et secreto inquirerent, atque in scripta redigerent. Octavo cautum fuit, ut suffragia eligentium absoluta esse deberent atque determinata, rejectis suffragiis conditionalibus et incertis, juxta capitulum 2 de elect. in 6. Denique peracto scrutinio debebat electio publicari in communi, nimirum in cœtu eligentium canonicorum, dicto c. 42 et quidem statim, quæ publicatio actum electionis perficiebat, ac consummabat.

Hæc omnia adamussim erant observanda, quoties electio per scrutinium celebrari dicebatur. Erant autem duæ aliæ eligendi formulæ, cum aut per compromissum, aut per singularem et extraordinariam Dei inspirationem electio celebraretur, cap. 42 de elect. Ut plurimum per compromissum ad electionem devenitur, ut locus præcludatur contentionibus, quæ forte inter eligentes emergerent, translata facultate eligendi nomine capituli in unum, tres, aut plures, cujus eligendi formulæ uti mentio fit in dicto cap. 42, ita confirmatio adparet in cap. 29, eod. tit. in 6. Compromissi leges istæ sunt. Prima, ut com-

promissarii non nomine suo, sed capituli, imo et singulorum de capitulo eligere intelligantur, cap. 30 de elect., unde fluit, non valere compromissum, nisi omnes canonici ad unum usque consenserint, et non posse compromissarios ad electionem devenire, nisi servata forma mandati, cap. 32 de elect. Secunda lex est, formulam, quæ in electione præstituitur a legibus, quoties electio est a capitulo facienda, eandem observandam esse a compromissariis; ubi plures isti fuerint designati. Hinc electus a majore et saniore parte compromissariorum pro rite electo habebitur. Ex duabus memoratis prioribus regulis pendet germana interpretatio cap. 33 de electione. Defuncto cujusdam Ecclesiæ decano, cujus electio ad capitulum spectabat, ejusdem Ecclesiæ capitulum in septem ex ipsis canonicis compromiserat sub hac forma mandati, ut illum, quem ex se, vel aliis de gremio ipsius Ecclesiæ omnes pariter, vel major eorum pars nominaret, eundem capitulum reciperet in decanum. Unum ex septem compromissariis nominatus fuerat a tribus compromissariis: tres alii compromissarii nominaverant extraneum, idest eum, qui non erat de gremio illius Ecclesiæ: Septimus ex compromissariis, qui a tribus iam nominatus fuerat, neminem nominaverat, tantum nominationi suæ a tribus factæ consenserat. Jure respondit Innocentius III, compromissarium nominatum debere in decanum assumi, si nullum impedimentum canonicum obstitisset. Etenim, quemadmodum qui septimum illum elegerant ex sui numero, servaverant formam compromissi, qua mandatum erat, ut unus de numero eorundem, vel de gremio illius Ecclesiæ eligeretur, ita qui elegerant extraneum, mandati fines excesserant, eamque ob rem abs jure eligendi ceciderant, ita ut tota eligendi potestas penes priores tres jure quodammodo adcrescendi solida foret, et qui ex numero compromissariorum a tribus electus erat, haberetur, ac si fuisset ab omnibus concordi suffragio nominatus. Scio, plures interpretes in conspectu hujus capituli tradidisse, in compromisso consensum unius compromissarii in sui electionem quasi suffragium haberi, proindeque septimum electum a tribus compromissariis ex septem, et suæ electioni consentientem, haberi quasi electum a quatuor, et propterea a majori parte. Hæc interpretatio supponit, in proposita species tres extraneum eligentes elegisse unum, qui non esset quidem de numero compromissariorum, sed esset de gremio ejusdem Ecclesiæ, quod deduxerunt ex illis capituli verbis, et *alius qui non erat de numero eorundem*. Mihi non placet hoec facti positio, hæc enim designata capituli verba non indicant, electum a tribus tantum non fuisse de numero compromissariorum, sed nec fuisse de numero canonicorum illius Ecclesiæ. Quidquod enim Innocentius III, initio rescripti mirari se professus est, quod de re interrogaretur, quæ plana esset, et nullam difficultatem involveret? Non adeo facilis definitio fuisset, si tres compromissarii septimum elegissent, tres alii alium nominavissent de gremio Ecclesiæ. Servavisset utraque compromissariorum pars compromissi tenorem; æqualiter divisa forent suffragia, nec ex vi mandati alteruter nominatus dici posset, quando nec omnes compromissarii, nec major eorundem pars unum nominavisse deprehenderentur. Neque dicendum est, consensum compromissarii a tribus nominati pro suffragio haberi; id enim ita absonum est; uti absonum est, quemquam semetipsum eligere posse. Et quamquam id probabiliter in proposito recipiendum videretur, quis diceret, id adeo sine difficultate potuisse proponi, ut diceret Innocentius *se mirari, quod consuleretur super articulis, qui nihil, aut modicum dubitationis continere noscuntur*. Quidquod præterea idem Innocentius respondit, ideo nominatum compromissarium rite electum haberi, quia nominatus erat *juxta compromissi tenorem?* Argumento id est perspicuo, unde colligatur, alterum nominatum nec fuisse de gremio Ecclesiæ; si enim de gremio Ecclesiæ nominatus fuisset, adhuc juxta compromissi tenorem nominatus iste haberetur, et forte utraque nominatio in irritum cecidisset ob suffragia æque divisa compromissariorum. Tertia compromissi lex a nonnullis ponitur, posse compromitti etiam in quecumque extraneum, dummodo clericum, licet de capitulo non sit. Cum vero fundamentum hujus legis ponatur in cap. 8 et 21, de elect., ibi autem adpareat compromissum in superiorem capituli, legem istam tuto recipiemus tantum in ea specie, qua ad superiorem capituli eligendi potestas ex compromisso transferatur; facilius enim hic honor superiori capituli tribui posse videtur, quam alteri, et cuicumque extraneo. Quarta lex est, compromissum re quidem integra revocari posse, non tamen postquam compromissarii jam cœperint de electione tractare, cap. 30, eod. tit. Postrema lex est, si compromissarii intra legitimum tempus non elegerint, non solum ipsos, sed et compromittentes abs jure eligendi cadere, potestatemque eligendi ad proximum superiorem devolvi, secus ac contingat ubi compromissarii eligant indignum, aut dignum quidem, sed qui electioni consentire noluerit; tunc enim eligendi facultas ad compromittentes revertitur; nisi isti electionis in indignum collatæ participes fuerint, cap. 37 de elect. in 6. Per divinam inspirationem electionem celebrari dicimus juxta dictum capitulum 42, non quotiescumque invocatio Sancti Spiritus ab electuris præhabetur, id enim regulariter in omni electione fieri solet, cap. 14 et 18 de elect., cap. 3, de caussa possess.,

et propriet., sed quando divina inspiratio videtur extra ordinem facta, idest cum repente electuri convenientes sine prævia tractatione in unum communi voce, et nemine dissentiente, quasi Deo in singulorum ore clamante, suffragia conferunt. Nihil adjicio de electione, quæ per sortem fiat: hæc enim est sacris canonibus improbata, neque enim fato cuidam committendæ sunt electiones ministrorum Ecclesiæ, sed mature, ac prudentissime fieri debent.

Quæ hucusque de electione dicta fuerunt, fere universa sunt et postulationi communia, siquidem in eo tantum postulatio ab electione distinguitur, quod electio fit personæ dignæ, et idoneæ, qualem designaverunt tridentini patres in cap. 2, sess. 22 de ref., postulatio vero fit personæ quidem dignæ, non tamen undecumque idoneæ; quamobrem in postulatione illud potissimum versatur, ut ii, qui jus habent eligendi, dum minus idoneam personam designant, a superiore petant, ut super impedimento dispenset, unde dici solet, postulationem plurimum a gratia pendere. Porro dispensatio tum demum sperari, obtinerive a superiore potest, aut debet, cum utilitati, aut necessitati Ecclesiæ vacantis per eam salubriter consulatur. Hæc ratio est, quare postulari nequeat indignus, aut undecumque inidoneus, qualis esset furiosus, vel amens, vel ætate minor, vel consilio imprudens. Eam ob rem cautum est ecclesiasticis canonibus, ut licet eligendus in episcopum excedere debeat annum ætatis trigesimum, c. 7 de electione; si tamen postulatio fiat, is admitti possit, qui vigesimumseptimum attigerit, extravag. unica de postulat. int. com. Uno verbo talis esset debet postulatus, ut sublato per dispensationem impedimento, magna exinde utilitas in Ecclesiam derivet, et tanta, quanta compenset jacturam boni publici, quod servatis undecumque canonum regulis speraretur. Postulatio autem triplex esse potest, vel enim quis postulatur communi suffragio, et nemine dissentiente; vel quis postulatur suffragantibus nonnullis, nemine tamen cum postulato concurrente; vel denique postulatur quis suffragantibus nonnullis aliis autem alium postulantibus, vel eligentibus. In prima specie facilius dispensatio obtinetur, cum facilius indulgendum sit votis universorum: in altera paullo difficilius, et nonnisi saltem major canonicorum pars suffragata fuerit: in postrema, si postulatus cum alio postulato concurrat, erit habenda potior ratio postulati a majore parte; at si postulatus cum electo concurrat, idest cum digno, et idoneo designato non aliter habebitur postulati ratio, quam si duæ ex tribus partibus canonicorum in postulatum consenserint, cap. 40, de elect. Finge igitur duodecim eligentes, quorum septem unum postulaverint, quinque alium elegerint; nulla habebitur postulati ratio, quia a duabus electorum partibus postulatus minime fuerit, quamquam neque ratio habeatur electi, quia electus non fuerit a majore parte, resque adhuc integra erit, ac si nihil eo usque actum foret.

Ad postulationem facile refertur translatio episcoporum, cum enim vetitum canonibus sit, ne episcopus de una in aliam Ecclesiam transferatur, quid aliud eligentes agunt, quando eligunt vacanti Ecclesiæ præficiendum eum, qui jam alteri Ecclesiæ præest, quam ut ex dispensatione electio ejusdem admittatur? cap. 1 de postulat. Præl. Nisi quod gravior adhuc intercedit in translatione caussæ cognitio, cum duo in admittenda translatione observanda occurrant, primum, quod est ceteris postulationibus commune, an postulati merita talia sint, ut postulati gratia dispensetur, dignusque is habeatur qui vacanti Ecclesiæ præficiatur, alterum, quod translationi singulare est, an utilitati Ecclesiæ congruat, dissolvi vinculum, quo episcopus transferendus Ecclesiæ jam adeptæ adstringitur. Equidem prioribus Ecclesiæ sæculis nullibi constat, prohibitas translationes ex canonum disciplina fuisse; quamquam interdiceretur post divisas diœceses, ne quisquam episcopus sponte, aut semel susceptam diœcesim desereret, aut alienam invaderet. Quarto primum sæculo, ubi ariana hæresis plures episcopos invasisset, atque inter episcopos ipsos illinc hæreticos, hinc catholicos controversiæ exarsissent, passimque ariani curarent, ut ejectorum catholicorum antistitum sedes ab arianis occuparentur, transferebantur auctoritate consortium ariani episcopi de sede in sedem, quo facilius serpens Arianum virus ubique fere propinaretur, uti refert Athanasius in 2, apologia de fuga sua, et in epistola ad vitam solitariam agentes. Hæc fuit occasio, qua translationes, alias utiles, regulariter prohiberi in nicæno I, concilio cœperint, an. 19, caus. 7, qu. 1, cui tamen nolim quisquam eam interpretationem affingat cum græco interprete Balsamone, qua tradat, ibidem vetitum, tantum, ne episcopus sponte transiret, non vero metropolitani, uti olim vigebat auctoritate atque accedente populi suffragio transferretur, derivata hac interpretatione ex verbo *transeat*, quod, et in gratianea editione, et in beveregianis græcorum canonum codicibus occurrit: etenim aliter legit Dionysius Exiguus, nimirum *transferatur*, cui consonant Hieronymus in epist. ad Oceanum ita scribens: *In nicæna synodo a patribus decretum, ne de alia in aliam Ecclesiam episcopus transferatur*, et Josephus Egyptius in sua paraphrasi arabica referens nicænum eundem canonem rem ita exprimit definitam, ut episcopus de semel suscepta Ecclesia in aliam minime pergat, neque sua neque aliena voluntate, et quando sua voluntate prohibetur episcopus, ne pergat, intelligimus transitionem,

quando aliena voluntate, intelligemus etiam translationem improbatam. Imo præfatio nicæni canonis omissa a Gratiano perspicue indicat, agi ibidem de episcopis suffragio populi præcedente translatis, quando ibidem legimus, translationes fieri non licere ad evitandos tumultus, seu perturbationes, quæ fiunt à plebibus, quoties episcopus uni populo, seu Ecclesiæ regendæ addictus, ab altero populo, seu Ecclesia advocatur. His accedit, Constantinum imperatorem laudavisse Eusebium cæsariensem, quod recusavisset relicta cæsariensi Ecclesia suscipere sibi oblatam anthiochenam, ne quidquam contra canones nicænos admitteret, lib. 3, de vita Constantini apud Eusebium c. 61. Et quidem concilium nicænum nullam translatis pœnam adjecerat; tantum voluit, ut acta irrita penitus essent, et translatus episcopus priori Ecclesiæ restitueretur. Cum vero Ariani nicænas regulas spernerent, in sardicensi concilio non solum renovata fuit constitutio nicæna in canone 1, sive in cap. 1, de cleric. non resid., sed et in canone 2, adjectum est, ut translatus *nec laicam in fine communionem accipiat*, cap. 2, de electione, ubi apud Gregorium IX adjectam legimus clausulam, *nisi de hoc pœnituerit*, quæ, uti advertit Joannes Andreæ, in vetustis collectionibus glossa erat marginalis, primum in textum traducta ab Alano, Vincentio, et Gofredo, retenta deinde a Raymundo Pennafortensi, ut exinde asperitas vetusti canonis adversus pervicacissimos Arianos editi paullisper lenita recentioribus sæculis adpareret. Occidentalium disciplinam in concilio sardicensi probatam confirmaverunt orientales in concilio antiocheno, can. 25, cau. 7, qu. 2, quamquam ibidem non eadem pœna excommunicationis adjecta fuerit. Patres africani quinto sæculo adeo oderunt translationes, ut eas rebaptizationibus, ac reordinationibus fere æquiparavisse videantur, can. 107, de cons. dist. 4, et Stephanus VII, in concilio romano anni 904, excusans factum prædecessoris sui Formosi a portuensi Ecclesia ad romanam translati, statuit, non esse eam rem facile trahendam in exemplum. Videsis opera auxilii de translatione Formosi in t. 17. Bibliothecæ patrum; item apud Mabillonium in tomo 4. Analectorum. Interea cœpit translatio episcoporum recenseri inter caussas majores, proinde ceterarum exemplo romano antistiti reservari, uti passim tradidit Isidorus Mercator, qui primus speciosum illud argumentum invenit non facile dissolvendi spiritualis vinculi, quod inter episcopum, et ecclesiam intercedit, can. 11, 34, 35, 36 et 39, cau. 7, qu. 1. Ita ille argumentum instituebat. Episcopus semel cathedrali ecclesiæ addictus fit ejusdem Ecclesiæ sponsus, et spirituale conjugium cum eadem contrahit: ergo si ad aliam Ecclesiam progrediatur, adulterii reus est. Quod sane nescio, an ad sanioris philosophiæ regulas exactum, alicui recte conceptum videri poterit; neque enim Ecclesiæ multæ sunt, sed una Ecclesia est Christi sponsa, neque aliter episcopi sponsi dicuntur Ecclesiarum, quam symbolo quodam, nimirum propterea quod vice Christi easdem Ecclesias moderantur ac regunt. Qui tamen? Isidori Mercatoris argumenta passim in ore omnium versabantur sæculo duodecimo, adeo ut eadem persecuti fuerint pontifices maximi in c. 1, et sequentibus de translat. episc. Inter ceteros persecutus est, qui exarabat rescripta Innocentii III, in c. 2, de translat. episc. ubi cum docere vellet, translationem episcoporum esse pontifici maximo reservatam, his argumentationum generibus uti non dubitavit. Ajebat ille: validius est conjugium spirituale, quam carnale, ergo difficilius illud quam hoc dissolvetur, atqui episcopus in certa Ecclesia constitutus conjugio spirituali cum eadem obstringitur; ergo difficilius eandem deseret, et transferetur ad aliam, quam maritus relinquere uxorem possit, et aliam ducere. Pergebat: dissolutionem carnalis conjugii humana auctoritate indici non posse certum est, utpote quod Deus dixerit: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*: ergo non humana auctoritate, sed divina tantum episcopus de una in aliam Ecclesiam transferri poterit. Concludebat ex his: romanus antistes Dei vices gerit: ergo transferri episcopi poterunt unius romani antistitis auctoritate. Nolo in hoc argumento expendendo diutius immorari; statim enim unusquisque intuetur emblemata, quæ in eo exhibentur, et quibus involucris rem offundat innocentianis rescriptis exarandis addictus. Melius meo judicio dixisset, si parcius rem illam prosequens hoc brevi argumento omnia conclusisset. Translatio episcoporum post multiplices canonum prohibitiones caussis majoribus visa fuit jamdiu accenseri: obtinuit, ut caussæ majores pontifici maximo reserventur: ergo decet, translationem episcoporum pontifici maximo reservari. Revera ita obtinuit, adeo ut ne admissum quidem fuerit, legatos a latere ceteroqui non mediocri potestate præditos posse regulariter transferendis episcopis auctoritatem suam alias amplissimam interponere, cap. 3, de offic. legati. Exinde nemo non intelligit, caussam maxime gravem in translatione requiri, quam scilicet necessitas Ecclesiæ vel saltem utilitas non mediocris probabilem faciat, et qua decretum, pontificis maximi in translatione admittenda innitatur. Videatur in hanc rem caput 16, libri 13, de synodo diœcesana num. 5, Benedicti XIV, ubi concludit cum Vanespen his verbis: *Porro licet mutata nonnihil sit disciplina, quoad ipsam translationis formam, semper tamen mansit, et manebit inconcussa patrum regula, quod nonnisi necessitate, aut utilitate cogente*

translationes episcoporum fieri possint; nec minus hodie, quam sanctorum patrum ætate culpabiles sunt episcopi, qui avaritia, aut ambitione ducti de una Ecclesia migrant in aliam.

Certæ præstitutæ sunt pœnæ adversus eos vel qui statuto tempore non elegerint, vel qui elegerint inidoneum, vel qui indignum sive elegerint, sive postulaverint, vel qui statutam electionis formam minime servaverint. Nimirum, si per statutum tempus canonici ad electionem, postulationemve non devenerint (quod tamen tempus non continuo, sed utiliter fluit), devolvitur jus eligendi ad proximum superiorem; cap. 41, de lect., cap. 37, eod. tit. in 6. Si inidoneus electus est, vel indignus aut electus, aut postulatus, canonici ipso jure, et per triennium a beneficiis quæ possident, sunt suspensi, et jure eligendi cadunt pro ea vice, devoluta ad pontificem maximum eligendi potestate, cap. 7, in fine, et cap. 18, de electione in 6, nisi pontifex item ex. gratia canonicos ad aliam electionem, vel postulationem rite celebrandam admittat, cap. 14, de majorit., et obed., aut nisi divisis capituli suffragiis pars quidem canonicorum indignum elegerit, altera pars utut minima dignum et idoneum; hoc enim in casu insuper habitis suffragiis in indignum collatis sustinetur electio digni et idonei, licet a perpaucis facta, cujus rite confirmatio petitur, et impetratur, quasi eligentes dignum et idoneum jure adcrescendi totam sibi vindicent potestatem, cap. 22, 23 et 53, de elect. Denique si dignus quidem et idoneus electus fuerit, aut dignus non tamen idoneus postulatus sed forma electionis, vel postulationis servata non fuerit, qui elegerunt, vel postularunt, pro ea vice cadunt a potestate eligendi, vel postulandi, non ipso jure, sed sententia judicis, cap. 42 et 50, de elect., qua etiam in specie facultas eligendi ad pontificem maximum, devolvitur, cap. 48, eod. tit. in 6. Si caussa a me quæratur, quare electione intra legitimum tempus non facta, devolvitur jus ad proximum superiorem; at facta electioni indigni, vel non servata electionis forma devolvatur jus ad pontificem maximum, fateor candide me ignorare, contentus dicere, ita constitutum fuisse a Bonifacio VIII, in dicto cap. 18, neque enim mihi placere potest, quod tradit in hanc rem vulgus interpretum; ideo in his posterioribus casibus jus devolvi ad romanum antistitem, quia romanus antistes suas partes incipit interponere in caussa cognoscenda, an dignus, an indignus sit electus, an electio canonice celebrata fuerit, an minus. Hodie quidem hæc adferri possent, si de recentiore constitutione interpretanda ageretur, nimirum edita, postquam et confirmationes, et consecrationes episcoporum fuerunt reservatæ pontifici maximo. At temporibus Bonifacii VIII, cujus definitio interpretanda est juxta disciplinam illius ætatis, adhuc a proximo superiore pendebat et confirmatio electionis, et consecratio, unde ea ratio passim adducta locum habere posse non videtur. Ita accidere solet interpretibus illis qui aliter non norunt explicare veterum decreta, quam ex adjunctis recentissimæ et quæ nostræ ætati tantum congruit disciplinæ.

Qui rite electus est, aut postulatus, intra mensem utilem tenetur electioni, vel postulationi de se factæ consentire; aliter jure suo penitus cadet, cap. 6, de elect. in 6, quo præstito consensu, debet intra trimestre petere vel electionis confirmationem, vel postulationis admissionem, cap. 41, et ult. de elect., cap. 6, et 16, de lect. in 6, juncto canone 11, dist. 50. Porro in confirmatione facienda eæ erunt partes superioris ut investiget, an electus sit undecumque dignus et idoneus, aut an postulatus sit undecumque dignus, et talis, cujus respectu utilis Ecclesiæ futura impedimenti dispensatio videatur can. 3, dist. 78, cap. 19, 44, de electione, concilio tridentino sess. 22, cap. 2, de ref. atque eo pertinet integer titulus decretalium de scrutinio in ordine faciendo. Olim confirmatio ista fiebat a proximo superiore, ex. gr. si de episcopis ageretur, a metropolitano, can. 5 et 8, dist. 64, hodie vero cum sit reservata pontifici maximo, obtinuit, ut confirmatio, sicut et scrutinium fiat in pontificio consistorio, unde profluxit, recentioribus sæculis etiam ex caussa affectionis, quod superius adstruebatur, facta a capitulo electione indigni, ad eundem pontificem maximum electionem devolvi. Secuta confirmatione electionis seu admissione postulationis, trimestre ad consecrationem conceditur, can. 2, dist. 75, can. 1, dist. 100, concilio tridentino sess. 7, cap. 9, et sess. 23, c. 2, de ref. ubi pœna adversus eos decernitur, qui diutius distulerint consecrari, nimirum, ut ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur, et si intra totidem menses adhuc negligentes fuerint, Ecclesiis sint ipso jure privati. Locus consecrationis olim a metropolitano designabatur, quando consecratio a metropolitano præsentibus suffraganeis saltem tribus fiebat, aut si ageretur de metropolitano ipso consecrando, erat Ecclesia metropolitana, can. 5, dist. 51. Hodie cum consecratio romano pontifici reservetur, aut fit in curia romana, aut si extra curiam romanam facienda committitur, optaverunt tridentini patres, ut fiat in Ecclesia, ad quam episcopus promovetur, aut saltem in provincia, si id commode fieri possit, dicto cap. 2, sess. 23. Imo etsi hodie ex mandato papæ consecratio fiat, superest integra antiqua disciplina in ea parte, qua tres episcopi consecrationem celebrent, dicto can. 5, dist. 51, can. 1, dist. 64, cap. 6 et 7, de tempor. ordinat. Tempus consecrationis episcopalis est dies do-

minicus, dicto can. 5, dist. 51, can. 5, dist. 75, ubi nomine dominicæ resurrectionis, non intelligitur annua dies paschalis solemnitatis, sed hebdomadaria dominicæ resurrectionis memoria, argumento canonis 13, in fine de consecr. dist. 3. Hanc ad rem utile est observare, olim die dominico celebrari consuevisse etiam diaconorum, et presbyterorum ordinationes, scilicet in nocturna vigilia diei dominicæ, reservata in horam tertiam matutinam consecratione episcoporum. Sed recentiore ætate sublata nocturnarum vigiliarum consuetudine, ad diem sabbati præcedentis pertinere cœperunt, quæ sub noctem fieri consueverant, cujus disciplinæ vestigia adhuc hodie quædam adparent in officiis ecclesiasticis sabbati, quod paschalem diem, et sabbati, quod solemnem pentecosten præcedit. Tantum discrimen intercedebat inter consecrationes episcoporum, et ordinationes, seu præsbyterorum, seu diaconorum, quod ordinationes præsbyterorum, et diaconorum faciendæ fere essent, ut hodie etiam observatur, post legitimas jejuniorum ferias; at certæ feriæ non essent adsignatæ ad consecrationes episcoporum, ex eo, ut arbitror, quod consecrationes episcoporum debebant fieri in conciliis provincialibus, quorum cum tempora designata erant, eadem tempora pro eisdem consecrationibus designata tacite censebantur, aut cum tempora prorogari quibusdam ex caussis aliquando deberent, non expediebat talia tempora consecrationibus episcoporum præstituere, quæ nunquam transgredi fas ordinatoribus esset.

Ex sola electione, eove magis ex sola postulatione nullum jus electo, aut postulato adquiritur, adeo ut neque temporalia bona Ecclesiæ, neque spirituales caussas administret, cap. 17 et 44 de elect., ne sub specie quidem œconomatus, aut procurationis, cap. 5, eod. tit. in 6, ubi pœna adjecta est adversus administrantes, qua ipso jure cadant a quocumque jure, quod ex caussa electionis obtinuerint. Exceptio est in electis ultra Italiam constitutis, dummodo electi sint concordibus suffragiis, et confirmationem electionis petere debeant ab apostolica sede; his enim ex dispensatione conceditur Ecclesiarum administratio, ac si electio confirmata fuisset, una demta alienandi facultate, dicto cap. 44. Regulariter habet electus, postquam electioni consensit, jus tantum ad rem, sive adpetendam confirmationem, cujus juris effectus is est ut eligentes ad novam electionem devenire nequeant, cap. 21 et 22, de elect., contra quam contingat, siquis tantum fuerit postulatus, et nondum ad superiorem delata postulatio proponatur, cap. 4, de postulat. prælat. Secuta autem confirmatione electionis, seu admissione postulationis, quamquam confirmatus, vel admissus ea agere nequeat, quæ ad ordinem pertinent episcopalem, jure tamen decretalium ea peragere potest, quæ sunt episcopalis jurisdictionis, dicto cap. 44. Quid vero est, quod legimus in cap. 7, de foro compet. cognitionem caussæ feudalis ad episcopum pertinere, *ex quo fuerit consecratus?* Difficultas evanesceret, si juxta codicem Barberinum, uti eruditi viri jam adnotaverunt, emendaretur, textus, ac legeretur; *ex quo episcopus fuerit in Ecclesia consecratus, vel confirmatus.* Sed quoniam neque in vulgata gregoriana editione hoc habetur addimentum, neque in secunda collectione decretalium cap. 3 eod. tit., tutius erit dicere, vel referendum esse caput ad ea tempora, quibus a confirmatione non sejungebatur consecratio, ac simul utraque a metropolitano fiebat; vel agnoscendam esse singularem exceptionem in caussis feudalibus, quæ extraordinario jure ab episcopis dirimebantur. Hujus rei gravissimum argumentum est, quod sede vacante non ad capitulum cathedralis Ecclesiæ, sed ad imperiale tribunal devolvebantur, uti ex eodem cap. 7, manifeste liquet. Cum enim universa episcopalis jurisdictio capitulo sede vacante adquiratur, et non adquireretur feudalium caussarum cognitio, procul dubio est, istam singulare jure censeri. Ut enim caussæ feudales potissimum ex juramento præstitæ fidelitatis pendebant, non facile subdebantur judicio electi confirmati, qui nondum Ecclesiæ, ad quam promovebatur, jurejurando obstrictus fuerat, quod jusjurandum in actu demum consecrationis fiebat, cap. 13, de majorit. et obed. cap. 4, de jureiurando. Imo cum feuda ecclesiastica plura potius essent subfeuda, et ab Imperio pendentia, qualia erant illa, de quibus agebatur in dicto cap. 7, uti liquet ex postremis capituli verbis, non facile recipiebatur eorum cognitio ab eo, qui necdum erat consecratus, quando nonnisi post consecrationem ratione feudorum episcopus imperatori jurejurando se obstringeret. Adjice his ab anno 1122 inter Callixtum II, et imperatorem Henricum V, ita rem fuisse compositam in feudis episcopalibus, ut episcopus nonnisi post consecrationem investituram acciperet regalium, uti tradit Muratorius in annalibus Italiæ ad eundem annum. Respiciunt hæc universa jus commune decretalium, cui derogavit Bonifacius VIII, in extravag. 1, de elect. int. com., ubi voluit, episcopos non antea posse bona, juraque Ecclesiæ administrare, quam possessionem episcopatus ceperint, seu præstito juxta consuetam formam jurejurando suæ confirmationis, et consecrationis in Ecclesia, ad quam promoventur, fidem fecerint. Hæc vero constitutio singularis est, et concepta de iis, qui apud sedem apostolicam promoventur. Quamobrem quibus in provinciis adhuc viget jus decretalium de confirmatione, ac consecratione a metropolitanis facienda, viget quoque jus decretalium in altera parte de exercenda episcopali jurisdictione, statim ab electione confirmata.

DISSERTATIO QUINTA

DE PRÆLATIS EPISCOPO INFERIORIBUS,

VEL EPISCOPALEM NACTIS,

VEL QUASI EPISCOPALEM JURISDICTIONEM

CAPUT I.

De Vicariis Episcoporum.

Huc referendus est titulus 38, lib. 1.

Episcopalem ipsam jurisdictionem exercent episcoporum vicarii, a quibus propterea non ad episcopos, sed ad superiores episcoporum appellatio fieri debet, cap. 3, de appellation. in 6, cap. 2, de consuetudine in 6. Horum origo, si officium spectemus, est antiquissima; ab ipsis enim primis Ecclesiæ sæculis episcopi negotiorum copia pressi aliorum opera utebantur, quos, si temporalia Ecclesiæ negotia administrarent, œconomos, vicedominos, vel majores domus nominabant, can. 2, dist. 89; can. 21 et 22, caus. 16, qu. 7, can. 3, can. 9, quæst. 3, si vero caussas ecclesiasticas in jure dirimerent, præsertim post Novellam Justiniani 123, defensores, vel missos dicebant, can. 20, caus. 16, quæst. 1, cap. 2, de regular., c. 1, de frigid. et malefic. Postquam vero in ecclesiis cathedralibus certæ dignitates institutæ fuerunt, iis adnexum fuit vicariatus episcopalis officium, præsertim archipresbyteris, et archidiaconis, quorum priores in spiritualibus, posteriores in temporalibus Ecclesiæ juribus episcopos adjuvabant, cap. 1, et passim de offic. Archipresbyt., cap. 1, et toto titulo de officio archidiac., juncto canone 1, dist. 25. Forte etiam hodie hæc archipresbyterorum, et archidiaconorum officia exercerentur, nisi qui in his dignitatibus constituti essent, episcopalem jurisdictionem ad se transferre, quasi jure proprio, conati fuissent; cum enim veluti ordinarii haberi cœpissent, quorum jurisdictio mortuo episcopo non expirabat, et a quibus non ad superiorem episcopi, sed ad episcopum appellabatur, cap. 3, § 1, de appellation. in 6, grave episcopis eisdem videri cœpit, quasi non aliis delegata, sed in alios translata sua jurisdictio videretur. Hinc ipsi adamaverunt, certas constituere lubitu suo personas, quas etiam lubitu removerent, quibus insuper quam vellent, jurisdictionem mandarent, quam præterea vellent, denegarent, atque istas vicarios, seu procuratores generales appellaverunt, cap. 9, de procurator., aliquando etiam officiales, cap. 2 et 3, de offic. Vicar. in 6, quamquam proprie officiales dici obtinuerit, qui contentiosam, vicarios, qui voluntariam jurisdictionem exercerent: quod discrimen adhuc hodie servatur in iis diœcesibus, in quibus discreta vicariorum, et officialium munera deprehenduntur.

Itaque hodie vicarios generales eos dicimus, quibus generaliter data facultas ab episcopis est administrandi sive in spiritualibus, sive in temporalibus Ecclesiæ caussis jurisdictionem. Qui disputant, an vicariorum jurisdictio ordinaria dicenda sit, an delegata, mihi videntur de vocabulis litem inferre, quando alias in rem, in caussam, inque effectus omnes consentiunt. Utraque disputantium pars unum idemque consistorium, sive forum et vicario, et episcopo asserit, dicto cap. 2, de consuetud. in 6, dicto cap. 3, de appellat. in 6, unde a Vicario ad episcopum appellatio denegetur, contra quam olim in institutis archidiaconis vigeret, dicto cap. 3, § 1. Utraque pars admittit, mortuo episcopo, aut quomodocumque extincta episcopali jurisdictione, vicarii quoque potestatem extingui, cap. 20, de offic. et pot. jud. deleg., qui sane sunt jurisdictionis delegatæ characteres. Quonam igitur disputatio spectabit, nisi ad subtilius investigandum, an a lege, an ab homine vicariorum jurisdictio derivet? Qui vicarium delegatum dicunt, ab homine, idest ab episcopo, derivatam jurisdictionem fatentur; qui ordinarium dicunt, non inficiantur, vicarium ab episcopo designari, sed episcopi partes in una designatione concludunt, qua secuta, vi et potestate legis jurisdictio transferatur. Sunt isti meo judicio lusus verborum, quorum si velimus intimum sensum exprimere, nihil aliud concludetur, quam, ubi episcopus vicarium constituat, hanc constitutionem lege probari, qua in propositione universos consentientes invenies. Utilius est inquirere, an episcopus cogatur ad constituendum vicarium generalem, ita ut si non constituat, possit a superiore coerceri, imo et si contumax episcopus sit, possit superior vicarium ipse constituere. Nullibi in jure hæc obligatio episcopis imposita deprehenditur; quod enim legimus in can. 2, dist. 89, de rerum temporalium œconomo, non de vicario intelligendum est; œconomus autem ab episcopis ex canone 27, concilii chalcedonensis necessario constituendus erat, ne res Ecclesiæ temporales sine teste ab episcopis administra-

tæ episcopum ipsum in quandam perfidiæ suspicionem inducerent. Additur, Gregorii Magni mandatum extra ordinem datum fuisse, nec facile protrahendum ad constituendam regulam generalem: videlicet, voluit ibidem sanctus pontifex cohibere ea singulari providentia Paschasium episcopum neapolitanum, propterea quod ipse esset maxime deses in exercendo munere episcopali, uti liquet in conspectu canonis 1, dist. 84. Insuper de rerum temporalium œconomo conceptus est canon. 3, caus. 9, quæst. 3, et can. 22, cau. 16, qu. 7, perperam a nonnullis interpretibus traductus ad vicarios generales. Illi, quibus contrarium placet, tradere solent, episcopum ecclesiasticis negotiis valde gravari, proindeque vicarium constituere sibi debere, ut par omnibus esse possit. Quid inde? Non id regulam figet, sed potius regulæ exceptionem, ut concludatur, tum demum episcopum ad constituendum vicarium teneri, quando per se gerere omnia nequeat, idque in vim non singularis præcepti, et obligationis, sed in vim obligationis generalis, qua tenetur episcopus, ut rectæ diœceseos administrationi utiliter consulat, cap. 14 et 15, de offic. jud. ordin. Ex eo vero, quod constitutio vicarii in facultate episcopi sit, deducitur, et plures vicarios sibi constituere episcopum posse, ubi præsertim diœcesis late extenditur, aut ubi varii sunt in diœcesi populi diversis ritibus utentes, dicto cap. 14, de officio judicis ordinarii, cap. 7, eodem titulo in 6.

Qui in vicarium generalem eligendus est, debet primum esse clericus, videlicet prima saltem tonsura initiatus, can. 22, caus. 16, quæst. 7, cap. 2, de judiciis, quamquam vulgo tradatur, laicum posse esse episcopi, vel ejus vicarii adsessorem, quasi adsessor non proprie jurisdictionem explicet, sed jurisdictionem exercenti consilium, opemque suppeditet, eodem modo, quo laicus arbiter rite constituitur in iis caussis, quæ abs judice ecclesiastico dirimi debent, cap. 9, de arbitris. Secundo vicarius esse debet non minor annis vigintiquinque, cap. 7, vers. *inferiora* de electione, juncta clementina 1, de officio vicarii. Tertio esse debet aut doctor, aut prolyta in jure canonico; quamquam enim magistris in sacra theologia arbitrorum officio fungi concedatur in ecclesiasticis caussis, sunt tamen caussæ quædam veluti matrimoniales, criminales, et liberales, quæ vero dirimi judicio, non arbitrio debent; alias autem veri judicii capaces non sunt, nisi qui saltem prolytæ in jure sunt renunciati, cap. 9, in fine de in integrum restituit. Addatur constitutio Clementis VIII, 60, § 19. Quod si hac qualitate præditum episcopus commode non inveniat, poterit alias, quoad melius fieri possit, ad munus illud obeundum idoneum, designare, dummodo ita designato detur jurisperitus adsessor. Atque hoc in casu nec denegandum episcopo est, regularem, aut monachum constituere, dummodo prælati regularis consensus accedat, argumento canonis 2, dist. 58, can. 20, cau. 16, q. 1, nisi agatur de mendicantibus ob singularem Clementis V. constitutionem in clement. unica de regularibus. Præterea ad evadendam quamcumque suspicionem receptum est, non decere episcopum eligere vicarium aut fratrem aut nepotem suum, aut patruelem, vel quemquam arctissima sanguinis necessitudine sibi conjunctum, uti tradit Peregrinus in praxi vicariorum parte 1, monitoriorum generalium monitorio 1, num. 6. Item clerici conjugati, quod privilegiis clericalibus minime gaudeant, in vicarios adsumi nequeunt, quemadmodum nec monachi, quorum natalia justa, legitimaque non sunt, etsi certos ad fines tanquam legitimi post monasticam professionem haberi possint, cap. 1, de filiis presbyter., juncto c. 1, eod. tit. in 6. Ex aliena diœcesi vicarium advocandum esse voluit S. Carolus mediolanensis, ne facile conjunctorum necessitudine originarius corrumperetur. Hæc vero fuit singularis mediolanensis Ecclesiæ disciplina, quæ non alibi recepta est, ex eo etiam, quod originarii in diœcesis, vel provinciæ suæ moribus magis edocti præsumuntur. Insuper tradunt, non posse in vicarium adsumi pœnitentiarium cathedralis Ecclesiæ, ne suspicio suboriatur, futurum, ut is scientia confessionis in dirimendis præsertim criminalibus caussis utatur, eademque fere ratione solent ab eodem officio excludi parochi, præsertim etiam, quod isti a parochiali officio non sint distrahendi. Ceterum istæ traditiones, quoniam non expresse canonum decretis confirmantur, sed sola pragmaticorum auctoritate prodierint, suas habent probabiles exceptiones, quæ aut singularibus eligendæ personæ meritis, aut gravi Ecclesiæ utilitati, vel necessitati innituntur. Denique opus non est adjicere, vicarios generales, præter scientiam eximiam, ceteris qualitatibus præstare oportere, quæ virum prudentem, ac gravem moribus, ac vite integerrimum faciunt; sunt enim istæ qualitates vicariatus officio velut ingenitæ, ac sine quibus illud recte administrari vix posset.

Vicariorum generalium potestatem a literis vicariatus metimur, ut tanta illis competat, quanta literis continetur. Porro sicuti literis duobus saltem testibus firmatis vicarius constituitur, ita exhibitione literarum, præsertim coram capitulo cathedralis Ecclesiæ facta, earundemque relatione in acta curiæ vicariatus possessio capitur. Quoniam vero generalis esse solet vicariorum constituendorum formula, cum ex. gr. scribit episcopus, se generalem constituere vicarium, eam jurisdictionem mandando, quæ vicariis generalibus competit ex usu receptu curiarum, aperitur disputationi locus, an generale mandatum ad omnes, et sin-

gulas, ad unam usque, jurisdictionis episcopalis species extendatur. Equidem definivit Bonifac. VIII, in c. 1 et 2, de offic. vicar. in 6, in ea generali concessione non ea etiam contineri, quæ graviora sunt, utpote quæ non facile concessa ab episcopis præsumuntur, quod Bonifacius derivavit ex doctrina veterum jureconsultorum, qui tradiderunt, procuratorem generaliter constitutum certa non posse negotia graviora gerere, nisi speciale ad ea mandatum accesserit, l. 60, ff. de procurator., et l. 7, § 1, quib. mod. pign. vel hypoth. solv. Sed hic iterum nova disputatio emergit, quænam illa sint, quæ tanquam graviora negotia censentur. Anceps profecto esset definitio, si ex libero uniuscujusque judicio penderet, cum grave negotium alicui videri posset, et reservatum, quod alteri minus grave, propterea-que non reservatum videretur. Quid ergo? Ego puto, standum esse æque et juri scripto et generalibus interpretum placitis, quæ mores ecclesiarum firmaverunt. Etenim cum interpretatio literarum episcopalium tota consistat in voluntate episcoporum mandantium vestiganda, præsumitur, episcopos eam mandavisse generali mandato, quam aut mandatam jus scriptum declaraverit, aut pragmatici mandatam tradiderint, eamque reservavisse, quam reservatam et jus sanxerit, et pragmatici communi suffragio dixerint. In primis enim si jus scriptum certam declaraverit potestatem generali mandato non contineri, veluti graviorem, ad idem jus scriptum censetur episcopus mandatum suum exegisse, cum acta quæcumque interpretationem sumant ex generalis juris scripti disciplina, ad quam agentes respicere præsumuntur in iis omnibus, in quibus expresse abs jure scripto non recesserunt. Deinde si pragmatici communi suffragio tradiderunt, certum negotium ex gravioribus esse, propereaque generali mandato non contineri, non dicam, ipsos habere juris auctoritatem; neque enim tantus honor dandus est iis, quos non omnibus eximia juris scientia pollere compertum est, sed dicam, testimonium ipsos ferre receptarum in curiis consuetudinum, ad quas episcopi exegisse sua mandata facile præsumuntur, nisi contrarium expresse dixerint; nemo autem ignorat, quantum valeant mores provinciarum ad interpretandam dubiam voluntatem eorum, qui in eisdem provinciis degunt. Atque in his, ac similibus speciebus verum est, quod ait jureconsultus, errorem jus facere, in l. 3, in fine ff. de suppellectile legata. Finge enim vero erravisse pragmaticos, certumque negotium inter gravia et reservata retulisse, quod tamen revera grave non sit. Statim ac tamen consuetudo induxit, ut vulgo inter gravia recenseretur, ac reservaretur, non sane censebitur mandato generali contineri, quia deest voluntas mandantis a vulgari consuetudine modum, et interpretationem accipiens. Itaque ad hanc diluendam quæstionem recensenda sunt, quæ sive jure scripto, sive ex pragmaticorum traditionibus graviora, et propterea reservata censentur. Hujusmodi in primis est potestas ordinis episcopalis; etiam in eo casu, quo constitutus vicarius ordine esset episcopalis insignitus. Deinde ex iis, quæ ad jurisdictionem pertinent, reservata censetur potestas conferendi beneficia, beneficiarios removendi, corrigendi, puniendi vel clericos, aut in eos inquirendi, dicto cap. 1 et 2, de offic. vicar. in 6, potestas alienandi res ecclesiasticas, immutandi beneficiorum status, ex. gr. beneficium in vicariam perpetuam erigendi, item admittendi resignationes beneficiorum, aut illorum permutationes, beneficia, vel ecclesias, uniendi, vel dividendi, coadjutores inidoneis rectoribus Ecclesiarum deputandi, beneficia, vel Ecclesias supprimendi, jurispatronatus Ecclesias, vel beneficia subjiciendi, donationi jurispatronatus auctoritatem interponendi, aut reservandi juspatronatus in erectione Ecclesiarum seu beneficiorum, item novas parochias erigendi, pensionibus beneficiarios gravandi, œconomum vacanti Ecclesiæ constituendi, novum beneficium, aut ecclesiam erigendi, de una in aliam ecclesiam beneficium transferendi, præsentandi ad beneficia, ad quæ episcopus speciali quodam jure præsentat, publicas pœnitentias imponendi, publice reconciliandi pœnitentes, inquirendi de crimine hæreseos, explorandi voluntatem puellarum caussa religiosæ professionis, interponendi auctoritatem erectionibus monasteriorum, conferendi indulgentias, dimissorias, seu commendatitias literas clericis ad suscipiendos ordines a non diœcesano episcopo concedendi, alium vicarium substituendi ad longum tempus, nisi agatur de singulari certæ caussæ diremtione, visitandi Ecclesias. synodum diœcesanum convocandi, exequendi, vel commutandi ultimas voluntates, dispensandi ab irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, restituendi in integrum, argumento l. 25, § 1, ff. de minoribus, cognoscendi ea, in quibus episcopus fuerit specialiter delegatus, cognoscendi caussas feudales, impertiendi auctoritatem exemplaribus, ut eandem vim habeant in foro, quam archetypus, cap. ult. de fide instrument., absolvendi a casibus episcopo reservatis, cap. 2, de pœnit. et remiss. in 6, imponendi, exigendive charitativum subsidium, aut synodaticum, ac denique, ea peragendi, quæ dispensationem a generalibus juris regulis spectant. Hæc omnia tum demum ageretur vicarius generalis poterit, cum mandatum abuerit speciale; adeo ut si aliqua nominatim ab episcopo concedantur, non exinde tacite concessa etiam cetera intelligantur, ne caussa quidem similitudinis. Hinc ex. gr. qui expresse facultatem obtinuerit instituendi clericos in beneficiis, præsentare non

poterit clericum, quo casu ad episcopum singulari jure præsentatio pertineat. Quid vero, si episcopus in generali concessione potestatis *liberam* se conferre potestatem profiteatur, aut generaliter eas omnes facultates, quæ speciale mandatum requirunt? Ubi *libera* potestas concessa fuerit, ego non puto, ex eo potestatem ad eas species extendi, quæ singulare mandatum desiderant, cum idem effectus sit concessæ administrationis generalis ac liberæ, l. 58 et 59, ff. de procuratorib. juncta l. 87, de solution., et l. 18, § ult. ff. de pignorat. actione. Et revera vocabulum *liberæ* vi suæ ingenitæ significationis non significat extensionem potestatis ad plures potestatum species, sed potius facultatis concessionem pro arbitrio exercendæ, ita ut vicarius agere in casibus permissis possit etiam episcopo irrequisito. Neque his obstat capitulum 4, in fine de procurat. in 6, ibi: *Procurator quoque absque speciali mandato juramentum deferre, transigere, vel pacisci non potest, nisi ei bonorum, vel caussæ administratio libere* (legunt alii, *libera*) *sit concessa.* Siquidem verba ista eam recipere debent interpretationem, quæ præcedentibus congruat, nimirum valere id in ea specie, qua adeo lata fuerit formula mandati, ut etiam ad specialia protrahatur, quemadmodum modo dicendum erit. Nimirum si episcopus vicarium constituens (et en alterius propositæ quæstionis diremtionem) facultatem generaliter dederit etiam faciendi, quæ speciale mandatum requirunt, tum demum voluit Bonifacius VIII, in dicto cap. 4, extendi ad speciales caussas, cum plures designatæ fuerint, quasi exempla, a quibus ad similia voluntas episcopi extendatur, clement. 2, de procurator. Ceterum etiam in proposita specie ab ordinariis negotiis ad extraordinaria non erit porrigendum mandatum, hinc ex. gr. si vicario episcopus expresse committat beneficiorum collationem, non exinde vicarius conferre poterit beneficia, quæ ex devolutione ad episcopi pertinent collationem, nisi et id specialiter exprimatur.

Vicarii jurisdictio tota abs jurisdictione episcopi pendet, cujus rei argumentum est, quod vicarius ab episcopo salarium petat, c. 15, de offic. judic. ord. c. 6, eod. tit. in 6. Gravius argumentum ex eo deducitur, quod iis omnibus modis, quibus episcopi jurisdictio deficiat, nimirum ejus morte, renunciatione, translatione, ingressu in religionem, captivitate, excommunicatione, suspensione, interdicto, eisdem ipso jure vicarii jurisdictio expiret; neque enim mihi placere potest illorum opinio, qui putant, jurisdictionem vicarii, etiam mortuo ex. gr. episcopo, perdurare, quousque a capitulo alius constituatur; imo et id adeo verum est, ut vicarius neque cœpta negotia, neque lites jam contestatas absolvere, ac dirimere possit, clementina ultima de procurator., quamquam aliud observetur in judicibus ab apostolica sede delegatis, cap. 19, et 20, de offic. et potest. jud. deleg. quia delegatio apostolica personæ cohæret; at caussarum cognitio vicario concessa, non personæ, sed officio datur. Revocatione quoque ab episcopo facta, cessat vicarii jurisdictio, sive expressa revocatio sit, sive tacita. Qua in re quæri solet, an per alterius vicarii constitutionem tacite revocatus censeatur, qui primum fuerat constitutus. Sane, quamquam si eodem tempore constituantur duo vicarii, uterque vicarius revera sit, argumento capituli 14, de procurator. l. 46, in fine, et l. 47, ff. eod. tit. quemadmodum et si diverso quidem tempore constituantur, sed sub diversis nominibus, vel diversis caussis uni, alterique mandati, uterque vicarius habeatur; si tamen diversis temporibus ex longo præsertim intervallo, eisdem datis nominibus ac titulis secundi vicarii designatio fiat, præsumtio suboritur, voluisse episcopum dejicere vicarium antea constitutum, quando secundi constituti vicarii certior ipse reddatur, quæ presumtio locum haberet, ubi voluntas episcopi prorsus dubia esset; atque his principiis accommodari facile potest seu capitulum 14, de procuratoribus, seu lex 31, § 2, ff. eod. tit. Ceterum ad eruendam episcopi voluntatem, a qua hujus quæstionis tota definitio pendet, puto inquirendum esse in caussam, cur ad alterius vicarii constitutionem episcopus devenerit? Nam si ex. gr. ideo deveniret, ut facilius per alterum plura, quæ imminent agenda, negotia dirimantur, confirmatam potius censeo potestatem primi vicarii, quam eidem fuerit derogatum.

Pertinent hæc universa ad vicarios generales. Quædam adhuc subjicenda sunt de vicariis episcoporum, qui foranei nominantur, cap. 1, de officio ordinarii in 6, clement. 2, de rescriptis. Constituuntur autem in certa diœceseos parte, caussa non generalis administrandæ episcopalis jurisdictionis, sed adjuvandi episcopi in minoribus caussis, levioribusque negotiis, qui proinde non in dignitate, sed potius in officio constituti dicuntur; quamobrem justa capitulum 11, de rescriptis in 6, olim delegari non poterant ad dirimendas auctoritate sedis apostolicæ controversias, dicta clementina 2. Solet in civilibus clericorum negotiis ab episcopis mandari eisdem, ut usque ad certam summam sex ducatis regulariter non majorem judicent; in criminalibus autem ut acta conficiant, non tamen pronuncient sententiam, sed acta confecta ad istruendam caussam ad episcopum referant. Hinc ab illis, cum non unum auditorium cum episcopo faciant, ad episcopum, vel ejus vicarium generalem appellatio admittitur, cap. 3, de appellation. in 6, § 1. Horum originem Thomassinus in parte 1, lib. 2, cap. 6, n. 3, de vetere et nova

Ecclesiæ disciplina retulit ad statuta S. Caroli mediolanensis. Verum communi eruditorum judicio gravissime erravit vir ceteroqui doctissimus, quando constat tum apud Bonifacium VIII, in dicto cap. 1, de offic. Ordin. in 6, tum apud Clementem V, in dicta clementina 2, de rescriptis, expressam fieri vicariorum foraneorum mentionem. Ego puto, horum vicariorum officium primo olim institutum fuisse in persona chorepiscoporum, quorum antiquissima mentio est in concilii neocæsariensi, niceno I, et chalcedonensi. Id ut perspicue explicetur, non sunt confundendi chorepiscopi cum chorepiscopis, horum enim duo genera variis Ecclesiæ temporibus prodierunt, quorum alii laudabiliter instituti prioribus Ecclesiæ sæculis fuerunt, alii nonnisi ex morum corruptela sequiore ætate, quorum propterea officium detestari primum a viris prudentibus debuit, deinde ecclesiastica auctoritate deleri. Primum genus chorepiscoporum, de quo mentio fit in concilio antiocheno anni 341, in concilio neocæsariensi, quod Nicæno 1, vetustius est, et in concilio chalcedonensi can. 2, invaluit primis Ecclesiæ sæculis, quando episcopi in Ecclesia cathedrali, seu in civitate sacra ministeria obeuntes, mittebant sacerdotes in vicos, et pagos vice episcopi administraturos res sacras christianis rure degentibus, unde chorepiscoporum derivatum est nomen, quasi illi essent episcopi ruris, atque villarum, et commode parochis fere universis recentioris ætatis æquiparantur. Hinc in canone 10. laudati antiocheni concilii legimus: *qui in vicis, vel possessionibus chorepiscopi nominantur.* Quis porro horum chorepiscoporum institutionem reprehendat, imo non laudet, quicumque non est reprehensurus, sed laudaturus, et parochorum, et parochiarum chorepiscoporum officiis similes institutiones? Alterum genus chorepiscoporum invaluit sequiore Ecclesiæ ætate, qua cum episcopi locupletiores facti fuissent, et parum sollicitos sese exhiberent de rerum sacrarum ministerio etiam in Ecclesia cathedrali, atque ut impensius quieti vacarent, imo et deliciis, et episcopalibus commodis fruerentur, chorepiscopos constituerunt civitatenses, improprie dato eo nomine, et nonnisi ad exemplum rusticanorum chorepiscoporum, eos scilicet, ad quos civitatis, et Ecclesiæ præsertim cathedralis cura, et administratio in spiritualibus pertineret, ut dum chorepiscopus verbi divini præco esset disertissimus, vigilanterque ecclesiasticæ utilitati deserviret, episcopus ipse otiosam vitam delicatamque traduceret. Hinc legimus in capitulari Caroli Magni anni 799. cap. 1, seu cap. 121, lib. 6, capitularium baluzianæ editionis de chorepiscopis; *a suis quietibus, et delectationibus inhærentibus facti sunt.* Quis horum chorepiscoporum institutiones et officia ex abusu episcoporum inducta probavisset? quæ longe sane diversa erant ab offiiis veterum; ubi enim chorepiscopi veteres ob pagorum, vicorumque utilitatem constituti fuerunt, ut episcopus impensius cathedrali Ecclesiæ, et civitati prospiceret, hi potius ideo eligi cœperunt, ut episcopi in indigno penitus otio marcescerent. De his mentio fit in can. 5, dist. 68, perperam Damaso papæ tributo, ac verius tribuendo auctori illorum sæculorum, quibus secundum hoc chorepiscoporum genus invectum est. Ad hæc chorepiscoporum discrimina si solerter animadvertissent viri ceteroquin eruditi, non adeo laborarent in definienda controversia, num chorepiscopi episcopatus essent ordine insigniti, aut tantum in presbyteratus ordine constituti, veterum enim monumenta modo chorepiscopos exhibent episcopatu insignitos, modo tantum sacerdotio initiatos, sive de chorepiscopis primi, sive de chorepiscopis secundi generis agatur. Ubi sermo sit de chorepiscopis primi generis, distinguenda sunt tempora, quæ precesserunt. Sardicense concilium, aut sardicensium canonum receptionem, et usum, a temporibus, quæ subsecuta fuerunt sardicense concilium, et hujus concilii canonum disciplinam plane salutarem. Ante sardicense concilium episcopi diœcesani sine discrimine in vicos, ac pagos mittebant chorepiscopos, modo episcopatus ordine insignitos, modo tantum presbyteros ordinatos, ratione habita modo necessitatis, vel utilitatis rusticani populi, cui melius aliquando ordinati episcopi prospexissent, aliquando satis erat presbyteros præfici; modo ratione habita illius, qui mittendus erat in vicos, et pagos; si enim forte episcopus quidam e sua diœcesi ejectus se in alienam diœcesim recepisset, ibidem ecclesiasticis muneribus de diœcesani consensu functurus, mittebatur iste a diœcesano in villas, et pagos, concessa facultate exercendi ordinem episcopalem, dummodo non libere ea facultate uteretur, sed juxta modum sibi a diœcesano præstitutum, quo pertinent verba illa canonis 10, antiocheni: *qui in vicis vel possessionibus chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem episcoporum perceperint, et ut episcopi consecrati sunt; tamen sanctæ synodo placuit, ut modum proprium recognoscant etc.* Aliud obtinere debuit post sardicense concilium, et in iis locis, in quibus recepti fuerunt canones sardicenses; postquam enim in canone 6, huius synodi cautum est, ut nonnisi in civitatibus episcopi constituerentur, in pagos, et villas mittebantur presbyteri, aut si forte mittendus esset episcopus a sua diœcesi Barbarorum, aut gentium vi expulsus, ita mittebatur, ut ab episcopali ordine exercendo abstineret, quo pertinet sententia Leonis Magni in can. 4, dist. 68. Ubi vero sermo sit de corepiscopis secundi generis, quoniam isti in civitatibus constitui

cœperunt pro lubitu oscitantium quorundam episcoporum, nihil tale jubentibus, aut patientibus sanctionibus canonum, pro lubitu etiam episcoporum modo in episcopos ordinabantur, modo sine episcopali ordinatione eligebantur, prout episcopi iidem sua interesse censebant. Siquidem quicumque omnino vacare ab episcopalibus functionibus volebant, chorepiscopos ita electos etiam episcopos ordinabant, a quibus inde ordinarentur clerici, sacramentum confirmationis administraretur, et similia obirentur officia episcopali ordini reservata. Quicumque vero munera episcopalis ordinis obire voluissent, in reliquis officiis curam mandare chorepiscopis, parum solliciti erant, ut chorepiscopi sui episcopali ordine insignirentur, contenti eos esse in presbyteratus ordine constitutos. Itaque post quintum Ecclesiæ sæculum cessavit in vicis et pagis chorepiscoporum nomen in Ecclesia occidentali, et retentum fuit illorum officium penes parochos; accessit etiam, ut inter parochos constituerentur archipresbyteri, ideo dicti archipresbyteri ruris ad quos plurium parochiarum regimen pertineret, suscepta sollicitudine penes eosdem archipresbyteros, qua ipsi siquod in finitimis parochiis emergeret, de eo episcopum redderent certiorem. Octavo, et nono Ecclesiæ sæculo cœperunt, ut diximus, institui chorepiscopi civitatenses in Ecclesia occidentali, ad quos universa episcoporum cura transferebatur. Hinc autem gravissimæ subortæ sunt controversiæ, diversæ *excitatæ sunt sectæ*, ut utar verbis Hrabani Mauri in libro de chorepiscopis, *invidiæ, iræ, rixæ, æmulationes, dissensiones, contentiones.* Quicumque enim lugebant talem tantamque episcoporum incuriam, atque oscitantiam, novam hanc recentium chorepiscoporum disciplinam, tanquam teterrimam Ecclesiarum omnium luem, detestabantur. Qui, e contrario, episcoporum quieti favebant, ea, quæ in honorem veterum chorepiscoporum ab antiquissimis conciliis constituta fuerant, his posterioris ætatis chorepiscopis sine discrimine accommodabant, quasi chorepiscopi istius generis jamdiu apud vetustos patres probatissimi viderentur. Hæc dira contentio gravissimos utrimque habuit, et strenuos defensores, aliis de episcopali cura sollicitis, atque ideo vicariam chorepiscoporum operam improbantibus, aliis contra conantibus, ut chorepiscoporum officia sustinerent, veritis, ne si improbavissent, damnare viderentur canones veterum, quibus chorepiscoporum dignitas honesta prædicabatur. Eo devenit controversia, ut ob Ecclesiarum tranquillitatem ad summum pontificem dirimenda deferretur. Tenebat tunc pontificatum maximum Leo III, ad quem Carolus Magnus in chorepiscoporum causa misit Arnonem archiepiscopum juvavensem aliosque anno 799, ut ejus sententia controversiæ finis imponeretur. Tandem vero eo plerumque deventum est, ut chorepiscopi etiam in civitatibus nulli amplius eligerentur, uti liquet ex capitulari anni 799, seu ex cap. 121, lib. 6, capitularium Francorum in editione balutiana. Cum tamen hæc disciplina generalis non esset, nec ubicumque recepta, in ea caussa novæ controversiæ emerserunt, uti liquet ex concilio parisiensi anni 829, lib. 1, cap 27, et ex epistola Nicolai I, ad Rodulphum episcopum bituricensem cap. 4. Erant enim adhuc, qui chorepiscopis favebant, licet non omnes eadem voluntate; alii scilicet, præsertim episcopi, ut coadjutores ministerii haberent, et chorepiscopis tanquam vicariis uterentur, seseque ab ecclesiasticis muneribus obeundis eximerent; alii ut veterem disciplinam, qua chorepiscopi et admittebantur, et laudabantur, incolumem custodiendam curarent. Hujusmodi inter ceteros fuit laudatus Hrabanus Maurus, cujus est liber singularis ad Drogonem Metensem episcopum directus *de Chorepiscopis, et dignitate, atque officio eorum;* ex quibus omnibus facile constat, chorepiscoporum officium, atque institutionem in civitatibus nonnisi tardius defecisse. Igitur, ut ad propositum revertar, civitatenses, et rusticanæ, seu diœcesanæ ecclesiæ communibus fere institutionibus regebantur, et quemadmodum episcopi chorepiscopos in civitatibus constituerunt exemplo chorepiscoporum rusticanorum, ita eosdem exemplo rusticanorum aboleverunt. In ecclesiis civitatensibus chorepiscoporum civitatensium officium in archipresbyteros civitatenses, seu in cathedrali Ecclesia constitutos derivavit, quorum opera adjuvaretur officium episcopale, adjunctis archidiaconis ratione certarum caussarum, præsertim temporalium; eadem ratione, qua in Ecclesiis rusticanis pro chorepiscopis ruralibus rurales constituti sunt archipresbyteri. Denique cum in Ecclesiis cathedralibus noluerunt amplius episcopi vicarium operam cathedralis Ecclesiæ archipresbyteris, vel archidiaconis commendare, sed pro illis adamaverunt vicarios generales constituere, quos pro arbitrio eligerent, pro arbitrio etiam ab officio removerent, eandem formam, aut similem induxerunt in Ecclesias rusticanas, ut pro rusticanis archipresbyteris constituerent ibidem vicarios, quos foraneos appellarunt pro arbitrio æque eligendos, ac destituendos. Quamobrem concludere possumus, chorepiscopis primum ruralibus successisse rurales archipresbyteros, archipresbyteris autem ruralibus vicarios foraneos recentioribus sæculis successisse, atque juxta hæc principia regi hodiernam disciplinam.

CAPUT II.

De capitulis, seu collegiis ecclesiarum cathedralium.

Huc referendi sunt tituli 9, 10 et 11, libri 3.

Quo tempore una erat in singulis diœcesibus clericorum ecclesia, quæ a cathedra episcopi ibidem præsidentis cathedralis appellabatur, solus ordo clericos sub episcopo constitutos invicem distinguebat; atque ut omittam inferiora officia ab inferioribus clericis gesta, diaconi temporales tantum res ecclesiasticas administrabant, presbyteri autem non solum sacramentis ordini suo congruentibus conferendis vacabant, sed et quod ad jurisdictionem sacrorum explicandam attinet, opera, consilio, suffragiis episcopum adjuvabant. Unum erat et solidum episcoporum et presbyterorum ministerium, nisi quod episcopus veluti princeps, presbyteri veluti senatores Ecclesiæ habebantur, uti eleganter scribebat Hieronymus in can. 7, dist. 95. Hanc ad rem ita ad presbyteros diaconosque suo scribebat Cyprianus in epistola 5. *Quamquam caussa compelleret, ut ipse ad vos properare, et venire deberem; primo cupiditate, et desiderio vestri, quæ res in votis meis summa est, tum deinde, ut ea, quæ circa Ecclesiæ gubernaculum utilitas communis exposcit, tractare simul, et plurimorum consilio limare possemus etc.* Huc quoque pertinebat anxia illa Ecclesiæ sollicitudo, qua curabatur, ut frequens esset diocœsanorum synodorum celebratio, etiam bis singulis annis, uti suo in loco observatum est, disciplina sane ab ipsis apostolis derivata, qui in rebus gravioribus seniores convocare, audireque, unaque cum ipsis sententiam proferre solebant, can. 5, dist. 95. Paullatim, partim ex eo, quod nonnulli ex episcopis presbyteros temnerent, quod luget pressis verbis Hieronymus in can. 6 et 7, dist. 95, partim ex eo, quod ex complurium suffragiis schismata identidem suborirentur, ut iterum scribit Hieronymus in dicto can. 5, factum est, ut episcopi rerum sacrarum curam ad se traherent fere universam, ipsique quasi soli jurisdictionem ecclesiasticam explicarent; quamquam tamen in hac re non ubique conformes esse potuerunt mores vel quod alicubi moratiores episcopi, si non integram servaverunt veterem disciplinam, quædam saltem disciplinæ veteris vestigia manere voluerunt, ex. gr. in definiendis rebus investigantes, quid presbyteri sentirent, reservata sibi facultate pro arbitrio definiendi, vel quod alicubi presbyteri episcoporum voluntati obtiterunt; unde profluxit, ut conventionibus, et transactionibus initis aliqua episcopo concederentur, aliqua in liberam presbyterorum potestatem venirent, ex quo repetenda sunt varia, quæ passim occurrunt, ecclesiarum cathedralium jura consuetudinibus diuturnis confirmata. Interea in oppidis, vicis, ac pagis constitutæ fuere parochiæ circa quartum, aut quintum ecclesiæ sæculum; tum vero civitatenses presbyteri, quasi episcopi adsidentes, a tractandis diœcesanis negotiis abstinere voluerunt rusticanos, quasi apud cathedralem unam Ecclesiam ingenita inesset sacra jurisdictio; imo et ubi in civitate plures erigi cœperunt Ecclesiæ, atque in eisdem Ecclesiis collegia clericorum, clerici cathedrali Ecclesiæ adscripti alios simili ratione a rebus diœcesanis tractandis abstinere oportere censuerunt, cujus rei vestigia adparent in cap. 3, de caussa possess. et propriet. Sæculo Ecclesiæ duodecimo, quando clerici titulo patrimonii, vel recens institutorum beneficiorum, præsertim patronalium, ordinati sunt, et isti exclusi ab ea jurisdictionis parte fuerunt, et quoniam majores cathedralium ecclesiarum clerici canonicorum, quasi in canonem, seu matriculam Ecclesiæ redacti, nomen adsumserunt, ut ab aliis secernerentur, traditum inde fuit, in capitulo cathedralis Ecclesiæ senatum quendam Ecclesiæ exhiberi, ita ut ipsi unum cum episcopo corpus, quasi potiora membra cum capite constituerent, cap. 4, de his, quæ fiunt a prælatis: imo ex hoc profluisse reor *Capituli* nomen; quemadmodum enim episcopus *Caput* seu princeps Ecclesiæ dicebatur, ita collegium canonicorum dici potuit *Capitulum* quasi caput secundi ordinis, et post episcopum supra ceteros clericos excellens. Eam ob rem canonicorum consilio episcopus utebatur in beneficiis conferendis, in clericis ordinandis, in beneficiariis ex caussa suspendendis, aut destituendis, in rebus Ecclesiæ distrahendis, in constitutionibus edendis, aliisve similibus, cap. 1, et passim eod. tit. Cap. 2 et 4, de his, quæ fiunt a majore parte capituli, cap. 1 et 12, de reb. Eccles. non alien. clement. 2, eod. tit. Cap. 1, de excess. Prælat. Neque recesserunt ab his regulis tridentini patres, quando sanxerunt, sine præsentia canonicorum, aut clericorum non fieri ordinationes, sess. 23, de ref. cap. 8, sine illorum consilio indulgentias non publicari, sess. 21, de ref. cap. 9, non institui seminaria, eorundemve jura firmari, sess. 23, de ref. cap. 18, non designari, quo quisque ex canonicis ordine insignitus esse debeat, sess. 24, de ref. cap. 12, et pias voluntates non commutari, sess. 25, de ref. cap. 8.

Sunt istæ generales juris ecclesiastici regulæ quibus in omnibus casibus aliquid peracturus episcopus exquirere capituli suffragia tenetur; unde manet penes episcopum facultas convocandi capitulum, quotiescumque id ipsi expedire videatur, dummodo non agatur de re

ad episcopi ejusdem, vel suorum commodum pertinente, in qua sicut episcopus judicium ferre non potest, ita nequit canonicorum consilium exposcere, concilio tridentino sess. 25, de ref. cap. 6, ubi præceptum legimus, *ut episcopi ipsi capitulum convocent, vota exquirant, et juxta ea concludant.* Neque ego aliam probabilem invenire possum exceptionem, nisi ubi agatur de dirimendis in judicio clericorum caussis, non quidem ecclesiasticis; de his enim tanquam episcopali dignitati ingenitis expressum deprehendo concilii carthaginensis decretum in can. 6, cau. 15, qu. 7, ita conceptum: *episcopus nullius caussam audiat absque præsentia suorum clericorum; alioquin irrita erit sententia episcopi, nisi clericorum præsentia confirmetur*; sed ubi agatur de caussis civilibus juxta novellam Justiniani 83, nam cum hæc potestas tum explicari visa est, cum ejus imperatoris leges prodierunt verbis earundem legum inhærebatur, quæ de uno episcopo faciunt mentionem, quemadmodum et de uno episcopo fit passim mentio in titulo codicis de episcopali audientia. Ceterum in Decretalibus, ubi de potestate episcoporum agitur, constans disciplina adparet de exquirendo generaliter consensu capituli: et quamquam passim legamus, episcopos sæpe ac sæpius molitos fuisse, ut ipsi soli certa ecclesiastica negotia gererent, tamen observamus, pontifices maximos cohibuisse illorum conatus, cap. 4, 5, 8, de his, quæ fiunt a prelatis, cap. 2, de his, quæ fiunt a majore parte capituli, cap. 1, de reb. eccles. non alien. cap. 2 et 7, de donation., nisi ageretur de episcopis, qui certa negotia gerere voluissent facultate speciali obtenta ab apostolica sede, quæ facultas quandam dispensationis speciem exhibebat, cap. 9, in fine de his, quæ fiunt a prælat. Cap. 2, de reb. eccles. non alien. in 6, aut nisi ageretur de episcopis, qui eam potestatem excludendi capitulum legitima consuetudine, vel præscriptione sibi vindicavissent, cap. 3, de consuetud. in 6, hæ enim jurisdictionum species consuetudinum, et præscriptionum vicibus facile subsunt, cap. 6, de his, quæ fiunt a prælatis, aut nisi ageretur de contrariis statutis cathedralis alicujus ecclesiæ; etenim cum in hoc canonicorum concursu sæpe inter episcopos, et capitula contentiones emergerent, alicubi opus fuit negotia partiri, ut, dum quædam regenda libere canonicis relinquerentur, cetera ad liberam jurisdictionem episcopi referrentur; aut denique nisi specialiter ageretur de rebus ecclesiasticis jamdiu temporum injuria possessis, et detentis sub laicorum potestate, in monasteria transferendis. In hac enim specie quicumque non ignorat, quanta decimotertio sæculo fuerit pontificum cura, ut tandem aliquando bona ecclesiastica a laicis usurpata ad ecclesiam reverterentur, patientes ea restitui apud monasteria, et gratia monachorum, quando laici ægre admodum ferebant in clericorum potestatem reduci; facile percipit, quam opportunum fuerit, generales regulas relaxari, cap. 7 de his, quæ fiunt a prælatis, eodem modo, quo ob singularem Ecclesiæ utilitatem receptum fuit, ut etiam sine consensu episcopi juspatronatus a laicis vel Ecclesiæ, vel religioso loco cederetur, cap. unico de jurepatron. in 6.

Optimum hoc Ecclesiarum regimen, juxta quod nonnisi integrum potest esse judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur, uti scribebat Cœlestinus III, in cap. 21, de offic. deleg. paullisper placitis suis turbaverunt sequioris ætatis interpretes, qui cum infitiari non possent, teneri episcopos regulariter requisito capitulo omnia gerere, invenissent autem canones modo ita conceptos, ut *consilium*, modo ita, ut *consensus* capituli exquireretur, quasi aucupes formularum, distinxerunt inter consilium, et consensum, consilium dicentes suffragia capituli, quibus exploratis morem gerere episcopus nunquam teneretur, consensum vero suffragia capituli, quibus esset ab episcopo necessario adhærendum. Hinc regulam adstruxerunt juxta quam generaliter episcopus consilium capituli exposcere teneretur, nunquam consensum, nisi in iis casibus, in quibus expresse in jure cautum deprehenderetur, consensum esse exposcendum. Mihi non omnino placere potest ista consensus, et consilii differentia, imo et indita major consensui, quam consilio vis, et ratio, quando novi, consilium esse quendam consensum prestantiorem, idest consensum præstitum præhabita deliberatione, uti scribit Cicero in lib. 2, de inventione. Olim quando populus universus, ipsa etiam plebs in publicis ecclesiasticis conventibus interveniebat una cum clero, cujus potiora erant munera, ad secernenda populi, et clericorum officia, clero consilium, veluti quidquam excellentius, populo consensus tribuebatur. Ita invenio apud Ciprianum in Epist. ad præsbyteros, et diaconos suos ita scribentem: *ad id vero, quod scripserunt mihi compresbyteri nostri Donatus, et Fortunatus, Novatus, et Gordius, solus rescribere nihil potui, quando a primordio episcopatus mei statuerim, nihil sine consilio vestro, et sine consensu plebis mea privatim sententia gerere.* Igitur qui in consilio minorem potestatem agnoscunt, quam in consensu, eo abibunt, ut majorem plebi, quam clero potestatem in vetere Ecclesia tribuere teneantur. Semota a comitiis plebe, promiscue ecclesiastici patres et consensus, et consilii nomen usurpaverunt. Neque enim deinceps necessaria videbatur distinctio ad secernenda jura personarum. Quidquod enim Martinus Bracharensis in can. 1, cau. 9, q. 3, de suffragiis episcoporum loquens, ea *consi-*

lium appellavit? Quidquod illud, quod *consilium* sacerdotum nominatur in can. 2, cau. 9, qu. 3, in alia canonis interpretatione a romanis correctoribus ex græco textu subjecta *sententia* nominatur? Quidquod illud, quod dicitur in concilio antiocheno can. 23, cau. 12. qu. 1, nimirum episcopos res ecclesiasticas pertractare debere cum *conscientia* presbyterorum, ac diaconorum, ita apud Leonem Magnum in can. 52, cau. 12, qu. 2. effertur, ut nequeat episcopus de eisdem rebus disponere absque *connivenlia, et subscriptione* clericorum? Nonne cum Bonifacius VIII, in cap. 3, de suppl. negl. prælat. in 6, consulendam apostolicam sedem mandavit in *consilio* apostolicæ sedis collocatam a nemine contemnendam auctoritatem censuit? Nonne in cap. 8, § ult. de reb. Eccles. non alien. statuitur, episcopos alienare posse de *adsensu* fratrum, alibi autem, idest, in cap. 2, de donation. cavetur, ne episcopi ad donationes procedant canonicis *inconsultis*? Quis insuper diceret in conspectu capituli 9, de reb. eccles. non alien. ubi legitur, canonicum non posse locare in perpetuum bona Ecclesiæ in fraudem aliorum canonicorum concanonicis *inconsultis*, ita id intelligendum esse, quasi canonicus teneatur exquirere, non sequi consensum collegarum? Adde his consensum, et consilium promiscue sumi ab imperatoribus in l. 8, cod. de legibus. Video tamen, qua ratione commoti fuerint, aut commoveri potuerint, qui contra sentiunt, ut eam consilii, ac consensus differentiam inveherent. Aliquos forte movere potuit commune adagium, quo fertur, consilium non esse obligatorium, quod derivaverunt ex Justiniani principiis in § 6, instit. mandati. Verum qui hoc argumenti genere uteretur, parum aptam probatione adferret, imo et a proposito Justiniani longe distaret. Est in primis parum apta probatio, propterea quod aliud est loqui de consilio privatorum ad caussas privatas adhibito, quod sane neminem obstringit; aliud loqui de consilio publico ad caussas publicas ex legum constitutionibus adhibendo; quod et quidam petere necessario debent, et qui interrogantur, ex officio præstare tenentur; tunc enim ne consilium supervacaneum dicatur, obligare sane debebit eum, qui petit, ut saniorem partem sequatur. Deinde distaret a proposito Justiniani qui sollicitus erat in investigando, non an qui consilium petiit, consilium sequi teneretur; sed an qui consilium dedit, ex præstito consilio quasi mandati actione obligaretur, atque hoc in sensu dixit, consilium nullam obligationem inducere. Alii ideo episcopum sequendo capituli consilio non obstrictum adfirmaverunt, propterea quod vererentur, actum esse de auctoritate episcoporum, et de eorundem supra presbyteros prærogativa divino jure constituta, si episcopum obligarent ad sequendum consilium capituli, quasi tunc episcopi auctoritas a capituli potestate penderet. Verum statim ac vel ipsis fatentibus, qui ita argumentantur, multi sunt casus, in quibus expressa sanctione canonum episcopus tenetur sequi sanioris partis consensum, quin tamen exinde sequatur, in ea re imminutam episcopalem auctoritatem, et subjectam auctoritati minorum clericorum; ita vel iidem etiam fateri debent non esse duo ista adeo contraria, habere jurisdictionem in clericos, et teneri sequi clericorum sententiam, ut unum alteri cohærere non possit. Supponere in primis oportet divinam potestatem, qua episcopi gaudent ipsam etiam a Deo institutam episcopalem supra presbyteros prærogativam, non ita effrænem esse, et liberam, ut valeant episcopi etiam a prudentiæ regulis deflectere, contemnere saniorum consilia, et omnia pro lubitu gerere. *Reges gentium,* ajebat Christus apostolos alloquens, *dominantur eorum, vos autem non sic.* His autem positis, facile erit concludere, canonum doctrinam, qua tradatur, episcopum teneri ad sequendum capituli consilium, nihil officere auctoritati, et jurisdictioni episcopali, cum aliud sit, certos modos exercendæ jurisdictioni adjicere, aliud sit jurisdictionem auferre. Alii denique ideo episcopum eximunt a sequendo capituli consilio, quod putent, rem ita definitam fuisse auctoritate tum capituli 7, de arbitris, tum capituli 1, de cappellis monachor. Ego sane non video in his monumentis rem definitam, nullibi enim de canonicis agitur, sed in dicto cap. 7, de familia hospitalis consilium latura priori, seu præposito suo, et in dicto capitulo 1, de monachis, quorum consilio in Ecclesiis, ubi monachi habitant, episcopi rectores animarum instituturi sint. Quid commune habet venerabilis clericorum ad cathedralis Ecclesiæ ministeria selectorum cœtus, qui a vetustis patribus senatus Ecclesiæ appellatur, cum familia hospitalis, de cujus juribus agebatur in dicto capitulo 7? Erat in ea specie habenda præcipua prioris, seu præpositi ratio, qui licet tractare debuisset de electione facienda cum familia, tamen, tractatione facta, libere eligere poterat, ita forte ferentibus hospitalis statutis, quæ veluti singularia jus commune Ecclesiarium cathedralium minime lædunt. Quid præterea commune habet idem cœtus canonicorum cum collegio monachorum, præsertim in gerenda cura animarum, de quibus negotiis agitur in dicto cap. 1? Erat in ea specie considerandum, monachos jure decretalium a cura animarum fuisse semotos, quorum vita solitaria erat, et a rebus clericalibus penitus aliena. Quod si in verba capituli 1, impensiore criterio intendas, agnosces, paullo aliter apud Gratianum sub nomine Urbani papæ referri in can. 6, cau. 16, qu. 2, nam si apud Gregorium IX, legitur, cappellanum qui populum regat, esse ab epi-

scopo instituendum *per consilium monachorum*, apud Gratianum legitur, monachos non posse in parochialibus Ecclesiis, quas tenent, *absque episcoporum consilio* presbyteros collocare. Quemadmodum ergo longe a sententia gratianei canonis ergo recederem, si dicerem, ab episcopo consilium exquirendum esse, non sequendum, propterea quod episcopalis *consilii* nomen ibidem occurrit, cur non similiter dicam, neque satis attingere germanam mentem Urbani in dicto cap. 1, de cappel. Monach. eum, qui concluderet, episcopum consilium petere debere a monachis, non consensum expectare ex eo, quod ibidem fit mentio *consilii* monachorum? Paucis dicam, ibidem monachos veluti patronos considerari, ad quos propterea præsentatio spectaret, reservata institutione, et jurisdictione sacrorum gratia episcoporum. Itaque quamquam non ignorem, hanc opinionem, quam hucusque exagitavi, moribus fuisse recepta propterea quod ita scripserit interpretum vulgus, quorum maxima esse solet in rebus agendis auctoritas, concludere tamen possum, attenta germana sententia canonum præsertim veterum, teneri generaliter episcopum consilium sui capituli in rebus Ecclesiæ administrandis juxta ingenitam episcopatus potestatem exquirere, et juxta majoris, seu sanioris partis vota concludere, quemadmodum expresse definiverunt, et quidem sine injuria episcopalis jurisdictionis, Patres tridentini in cap. 6, de ref. sess. 25, vers. *Quod si aliquid*, nisi forte episcopi aliud legitima consuetudine vel præscriptione inductum esse demonstrent; uti enim capitula ex consuetudine, aut præscriptione excludere potuerunt ceteros clericos olim ad ferendum episcopo consilium accedentes, ita nec ægre pati debent, se simili jure aliquando excludi, aliosque prudentes clericos consilii caussa ab episcopo adsumi, quemadmodum expresse ita præcipiente lege contingit in collationibus beneficiorum parochialium, in qua multum defertur suffragio examinatorum synodalium etiam sine injuria episcopalis potestatis; aut nisi agatur de iis quæ superiorum judicio probata jam sunt, qualia essent negotia jam auctoritate provincialis concilii, vel sedis apostolicæ comprobata, cap. 9, in fine de his, quæ fiunt a prælat. neque enim debent inferiorum contradicto judicio discuti, quæ fuerint jam apud superiorem discussa, ac definita, aut denique nisi agatur de iis, quæ expresse in sacris canonibus unius episcopi voluntati remissa censentur, uti in specie capituli 7, de his, quæ fiunt a prælatis. Obiter hoc in loco observare juvat, quanta sollicitudine curandum sit, ut canonici cathedralis Ecclesiæ insigni rerum sacrarum peritia, ac prudentia præstent: recte enim eos monebat Guillelmus Lindanus Gandensium antistes, dum corruptam decimisexti sæculi disciplinam lugebat, *ut nulla ratione putarent, se apud Deum excusari, si solum officio recitando occupentur*. Hinc inter articulos reformationis nomine Caroli IX. regis Galliæ patribus tridentinis propositos, quibus iidem patres morem gessisse visi sunt in sess. 24, de reform. c. 12, erat hic ordine vigesimus septimus his verbis expressus: *Cum episcopus ea jurisdictione uti non debeat secundum antiqua decreta, nisi consulto capitulo, quemadmodum nec alia suæ diœcesis gravia negotia tractare, danda est diligens opera, ut canonici cathedralium Ecclesiarum sint assidui in ecclesia cathedrali bonis moribus, et scientia præditi, quique saltem vigesimumquintum annum attingant, nam ante illam ætatem cum non possint per leges humanas rebus suis prospicere, quomodo episcopo suo consulere poterunt*? Si sequioribus Ecclesiæ sæculis ante concilium tridentinum sine delecto eligebantur, atque instituebantur canonici cathedralium Ecclesiarum, atque exinde; ut puto, factum est, ut eorundem velut tunc parum idoneorum consilia negligerentur; ubi e contrario post tridentinum concilium canonum in eo editorum ratio habeatur, et ii eligantur in cathedralibus Ecclesiis, qui sint tanto muneri pares, sperandum fidenter erit, ut veterum canonum disciplina undecumque instauretur, restituatur.

Non hic finitur canonicorum Ecclesiæ cathedralis officium; illa enim superest explicanda gravissima muneris pars, quæ exercetur sede episcopali vacante, sive revera, et jure vacet, uti contingit post episcopi obitum, vel renunciationem, vel translationem, vel depositionem; sive facto pro vacante habeatur, uti contingit, cum episcopus a paganis, vel schismaticis capitur, aut nullo constituto vicario ita abest, ut Ecclesiæ necessitatibus, vel utilitatibus minime prospiciat, cap. 2 et 3, de suppl. neglig. Præl. in 6, his enim in casibus tota episcopalis jurisdictionis potestas, quantacumque sit, ad capitulum devolvitur, quasi ea, quæ in solidum administrari videbatur et ab episcopo, et a capitulo, jure adcrescendi in canonicis incipiat universa consistere. Non ergo devolvitur jurisdictio ad metropolitanum, quia diœcesi unicuique potestas sacrorum cohæret; unde diluitur argumentum, quod in contrarium erui posset ex cap. 11, de major., et obed., ubi traditur, clericos Ecclesiis titularibus cardinalium adscriptos, mortuo cardinali, minime succedere in defuncti prælati jurisdictionem, cum cardinalitii tituli in urbe Roma siti in diœcesi romani antistitis sint constituti, et jurisdictio cardinalium non in vim diœcesanæ administrationis competat sed privilegii singularis. Sicui difficultatem faceret can. 15, cau. 6, q. 3, referendus ad concilium carthaginense anni 418, ubi statutum deprehenditur, licere vicinis episcopis occupa-

re diœcesim illius, qui negligens fuerit, is observare debebit, ibidem agi non de episcopo absente a diœcesi, sed de eo, qui partem diœcesis ab hæreticis occupatam recuperare neglexerit; quamobrem vicinis episcopis extra ordinem data fuit certam diœcesim occupandi facultas in Africa, in qua nulla erat certa metropolitica civitas, sed qui senior esset, uno excepto carthaginensi antistite, metropolitanus habebatur. Item siquis in conspectu canonis 5, dist. 71, putet, episcopo ab hostibus ejecto neminem esse, qui jura Ecclesiæ exerceat, atque ejus jura ad alios extra civitatem devolvi, eamque ob rem Fortunatum neapolitanum episcopum ad suam ecclesiam transtulisse diaconum quendam venafranæ ecclesiæ vacantis, observet, ibidem non episcopum tantum ejectum fuisse, sed et clericos universos armorum vi impeditos, ne potestatem ecclesiasticam exercerent, ac proinde extra ordinem consuli certis personarum ecclesiasticarum officiis debuisse. Itaque iis demptis, quæ ad potestatem episcopalis ordinis spectant, universa jurisdictio a capitulo exercebitur, can. 7, cau. 7, q. 1, quod cum ex jure communi proficiscatur, regulam conficimus, ut omnia capitulo liceant, nisi quædam proponantur singulari jure reservata, cap. un. de major. et obed. in 6. Hinc poterit capitulum, nisi ad alium id singulari jure pertineat, redditus vacantis Ecclesiæ percipere successori, deinde episcopo concedendos, can. 2, dist. 75, concilio tridentino sess. 24, cap. 16, de reform., confirmare electiones, quas vivens episcopus confirmaret, cap. 14, de majorit., et obed., absolvere ab excommunicatione episcopo reservata, cap. un. eod. tit. in 6., episcopis extraneis concedere, ut in diœcesi vacante pontificalia, et ordinis potestatem exerceant, consentire, ut beneficia, vel Ecclesiæ erigantur reservato erigentibus jurepatronatus, judicare in caussis hæreticorum in quibus judicare episcopi possunt, cap. 9, de Hæret., clement. 1, vers. *Propter* eod. tit. eademque ratione de emergentibus caussis, etiam matrimonialibus judicare, cap. 7, de eo, qui duxit etc., visitare diœcesim, synodum celebrare, atque in ea examinatores synodales instar episcoporum eligere, ut paucis dicam, ea omnia facere quæ jure communi, et ordinario jurisdictioni episcoporum adhærent.

Sunt autem receptæ plures generalis rægulæ exceptiones. Non heic loquar de collactione beneficiorum, de hac enim fuse in tractatione de beneficiis ecclesiasticis disseram. Prima exceptio est, non posse capitulum infra annum dimissorias literas ordinandis clericis concedere, nisi de iis agatur, qui caussa, vel recepti, vel recipiendi beneficii arctati dicuntur, concilio tridentino sess. 7, cau. 10, juncto cap. 10, sess. 23, de reform., quibus capitibus abrogata est vetus jurisprudentia, quæ temporibus adhuc Bonifacii VIII, vigebat juxta capitulum 3, de tempor. ordinat. in 6. Altera exceptio est in iis, quæ si a capitulo fierent, via aperiretur ut jura episcopalia, aut cathedralis Ecclesiæ paterentur detrimentum, vel immutationem. Quemadmodum enim vetustis jam canonibus cautum scimus, ut mortuo episcopo rerum episcopalium inventarium a clericis fiat, nequid ex illis quandoque depereat, aut nequid a clericis eisdem in proprios usus convertatur, canon. 45, cau. 12, qu. 2, cap. 9, de offic. ord. in 6, ita cavendum semper fuit, ne sede vacante Ecclesiæ status quoquo modo immutetur, cap. 2, ne sede vacante, juncto, c. ult. de regul. in 6, unde emersit adagium ne præscriptionem quidem sepe vacante currere, seu tempora sedis vacantis inter tempora, quibus præscriptio conficitur, non computari, quasi Ecclesia tunc careat defensore; cap. 1, et ult. ne sede vacante, cap. 1, 4 et 15, de præscript. Istas exceptiones sacri canones invexerunt ob varios clericorum abusus, qui liberius, quam par esset, de episcopalibus juribus ad se sede vacante devolutis disponebant; unde identidem cavendum fuit, ut inter cetera, episcoporum bona commendarentur fidei, ac tutelæ religiosorum principum, quorum præsidio sarta tectaque custodirentur. Hinc capitulo nulla permittitur alienatio, etiamsi ageretur de rebus et episcopo, et capitulo communibus, dicto cap. 1, et ult. ne sede vacante; item non permittendum capitulo, ut auctoritatem interponat donationi jurispatronatus de laico in laicum transferendi; præterea non permittendum, ut beneficia supprimat, ne in specie quidem capitis 15, sessionis 24, tridentinæ de reform., neque ut beneficia uniat, quibus in casibus potestati episcopali quidquam detraheretur, uti nostri passim tradunt ad clementinam 1, de statu monach. Simili ratione receptum est, ut capitulum excipere nequeat liberas beneficiorum resignationes, nisi duobus in casibus, primo nimirum, cum caussa subsit necessaria; secundo cum de eo beneficio agatur, cujus collatio ad capitulum simul, et ad episcopum pertinet. Patet ex his, quid sentiendum sit de vulgari pragmaticorum doctrina, qui in hac re cum observarent modo in jure certa negotia gerenda committi capitulo, modo denegari, ut certam regulam conficerent, distinxerunt duplicem jurisdictionis episcopalis speciem, unam voluntariam, necessariam alteram appellantes, ac deinde necessariam jurisdictionem capitulis adserentes, voluntariam denegantes. Distinctio ista, et distinctioni accommodata traditio nullibi in ecclesiasticis canonibus demonstratur, imo et variis ambagibus plurima involvit, cum difficile admodum sit indicare, quæ ad voluntariam, quæque ad necessariam pertinent jurisdictionem. Adde, ab eisdem

pragmaticis multa concedi capitulis, quæ sane nonnisi voluntariæ jurisdictionis esse possunt, veluti facultas prædicatoribus evangelicis permittendi, ut in diœcesi populum doceant, etiam in adjutorium parochorum, facultas eligendi sacerdotes ad excipiendas fidelium confessiones, et alia his similia bene multa; item multa denegari capitulis, quæ necessaria videntur; unde simplicior erit regula superius stabilita, qua concludatur, jurisdictionem episcopalem universam devolvi in capitulum vacante sede, iis tantum negotiis exceptis, quæ expresse denegata in jure deprehenduntur.

Pluribus obnoxia ex difficultatibus vulgaris nostrorum disputatio, num capitulum ea gerere possit, quæ episcopis gerenda commissa fuerunt in tridentino concilio, ubi modo extra ordinem certa jurisdictio episcopis data est, modo quæ eisdem olim inerat, et recentioribus sæculis sublata fuit restituta, modo eisdem pontificia delegatio accessit. Non in omnibus omnino casibus eadem accommodari definitio potest. In primis dico, quoties in concilio tridentino certa datur generaliter episcopo facultas, quasi ipsa non personæ, sed dignitati, et officio commissa videatur, eam in capitulum sede vacante transire, cum totum transeat una cum officio episcopali quidquid eidem officio cohæret. Id contingit ex. gr. in potestate convocandæ synodi, et constituendorum examinatorum, aut judicum synodalium, in facultate indicendi concursus in parochialibus beneficiis vel deputandi æconomos vacantibus parochialibus ecclesiis, in potestate dispensandi a denunciationibus matrimoniorum, in concessionibus monitoriorum, item in illis dispensationibus indulgendis, de quibus mentio fit in cap. 6, sess. 24, de ref. Deinde dico, quoties in tridentino concilio singulari jure, restitutum est episcopo, quod antea ob reservationes, aut consuetudines sublatum episcopo fuerat, adjecta ex. gr. clausula *non obstantibus reservationibus, sublata reservatione,* aut simili, tunc capitulum eandem potestatem explicaturum. Etenim sublata reservatione, aut abolita consuetudine res reducitur ad formam juris veteris, quo attento sicut penes episcopum jurisdictio erat, ita et in capitulum sede vacante transibat. Id occurrit in specie capitis 2, in fine sess. 5, de reform., ubi facultas et episcopis, et ordinariis locorum, opportunis remediis arcendi quæstores tridentino decreto inobedientes, *privilegiis quibuscumque non obstantibus*: insuper in specie capitis 5, sess. 7, de ref., ubi episcopis mandatum est, ut inquirerent in possessores plurium beneficiorum curatorum, aut alias incompatibilium, et certis modis providerent, ne beneficia ipsa debitis obsequiis defraudarentur, *appellationibus, privilegiis, exemptionibus quibuscumque nemini suffragantibus*; et in species capitis 7, eadem sess. 7, ubi simili clausula adjecta mandatur episcopis, ut singulis annis visitent beneficia ecclesiastica curata, quæ cathedralibus, collegiatis, vel monasteriis unita fuerint perpetuo, et adnexa, curentque, ut in iis per idoneos vicarios animarum cura exerceatur. Atque hæc ipsa regula etiam recipienda est in specie clementinæ unicæ de testamentis, ubi episcopis jurisdictio datur in religiosos etiam exemtos ad executionem ultimarum voluntatum deputatos circa ipsius executionis officium, *quocumque non obstante privilegio,* et in specie clementinæ 1, de sepultur., ubi certa jurisdictio episcopo tribuitur in eos, qui contra censuras quemquam sepelire præsumerent, *nullo exemptionis, vel quovis alio privilegio, aliqualiter suffragante.* Tertio dico, quoties in tridentino concilio aliquid concessum episcopis fuit adjecta particula, *etiam tanquam apostolicæ sedis delegatis,* cujus vi episcopi et ordinaria simul, et delegata pontificia potestate agere possunt, eam potestatem capitulo sede vacante competere; etenim accessio delegationis apostolicæ firmat quidem magis, non tamen immutat qualitatem ordinariæ jurisdictionis, argumento cap. 12, de officio judicis ordinar., et cap. 4, de rescriptis in 6. Id contingit in specie capitis 4, sess. 6, de ref., ubi episcopis *etiam auctoritate apostolica* jus visitandi capitula cathedralium conceditur, nullis obstantibus exemtionibus, aut consuetudinibus, in specie capitis 5, sess. 21, de ref., ubi episcopis conceditur, *etiam tanquam apostolicæ sedis delegatis*, uniones perpetuas certis in casibus facere beneficiorum curatorum; in specie capitis 7, ejusdem sessionis, ubi episcopis datur potestas, *etiam tanquam sedis apostolicæ delegatis*, transferendi certis in casibus beneficia de una ad alteram ecclesiam; in specie capitis 8, ejusdem sessionis, ubi sermo fit de visitatione episcoporum, qui ad eam caussam dicuntur *etiam tanquam sedis apostolicæ delegati*; in specie designandarum quarundam portiorum in quotidianas distributiones convertendarum, juxta caput 3, sess. 22, de ref. visitandorum hospitalium, locorumque piorum, juxta caput 8, ejusdem sessionis, coercendarum quarundam personarum in officio delinquentium, quibus in locis receptum est caput 10, ejusdem sessionis, et visitationum in diœcesi habendarum, juxta caput 10, sess. 24, de ref., quibus omnibus in capitibus episcopis, *etiam tanquam sedis apostolicæ delegatis*, certa officia gerenda mandantur. Denique dico, ad capitulum non transire eam potestatem quæ tantum ex delegatione apostolica episcopo competebat, uti in specie deputationis vicariorum in iis beneficiis, in quibus beneficiarii ex apostolico indulto non resident, juxta caput 2, sess. 6, de ref., in specie corrigendorum exemtorum, juxta caput 3, ejusdem sessionis, in specie vi-

sitandarum certarum ecclesiarum, juxta caput 8, sess. 7, de ref., examinandarum unionum juxta caput 6, ejusdem sessionis, et ferendæ sententiæ in caussis exemtorum, juxta caput 14, ejusdem sess. in specie corrigendorum exemtorum, juxta caput 4, sess. 14, de ref, in specie cognoscendarum dispensationum pontificiarum, juxta caput 5 et 6, de ref. sess. 22, in specie visitationum ecclesiarum in nullius diœcesi sitarum, jurisdictionis exercendæ in certas personas honorariis titulis, et subinde privilegiis insignitas, et cognoscendorum certorum privilegiorum a sede apostolica impetratorum, juxta caput 9, 11 et 14, in fine sess. 24, de ref., in specie tuendæ monialium exemtarum clausuræ, visitandi certis in casibus regulares exemtos, et regendi monialium monasteria sedi apostolicæ immediate subjecta, juxta caput 5, 8 et 9, sess. 25, de regular., ac denique in specie revidendarum atque examinandarum quarundam unionum beneficiorum, juxta caput 9, ver. *quæ vero* sess. 25, de ref., quibus omnibus in speciebus jurisdictio datur episcopis præcise *tanquam sedis apostolicae delegatis.* Similis jurisprudentia servanda erit in aliis casibus ante concilium tridentinum expressis, ubi eadem formula concepta in episcopalem potestatem veluti a sede apostolica delegatam certa negotia collata fuerunt, ut in specie capituli 13, ver. *ceterum* de officio judic. ordinar., ubi certa in canonicos ecclesiæ cathedralis suffraganeæ metropolitano potestas adseritur, in specie capituli 9, in fine de hæreticis, ubi episcopi in exemtos hæreseos criminis reos procedere valent, in specie capituli unici §. ult. de statu regular. in 6, ubi episcoporum dignitas designatur ad regenda monasteria monialium apostolicæ sedi immediate subjecta, in specie clementinæ unicæ de suppl. neglig. prælat.; ubi episcopi tribuitur beneficia conferre vi devolutionis, quæ ad prælatorum exemtorum collationem pertinebant, quum isti intra tempus legitimum non contulerint, in specie clementinæ 2, de statu monach., ubi episcopis commendatur visitatio monialium, quæ dicuntur canonicæ sæculares, ac denique in specie clementinæ 2, in fine principii de religios. domib., in caussa reformandorum piorum quorundam locorum alias ab ordinarii jurisdictione exemtorum. Ecquidem in conspectu harum omnium specierum scio, nonnullos scripsisse, per delegationem apostolicæ sedis episcopis factam iterum excitatam fuisse ordinariam episcoporum jurisdictionem, quasi reservatione, exemtione, atque universis singularibus juribus, privilegiisque cessantibus, adeoque vacante sede episcopalem istam potestatem devolvi ad capitulum. Verum mihi non satis tuta videtur hæc opinio; statim hac enim romanus antistes constituit in iis casibus episcopos tanquam delegatos suos, reservationem potius confirmavisse deprehenditur, quando episcopus vi susceptæ delegationis non propriam induit personam, sed tantum agit nomine illius, cujus gratia facta olim fuit reservatio.

Generalis hæc capitulorum jurisdictio olim per canonicos in communi gerebatur, cap. 3, et 4, de suppl. neglig. prælat. in 6. Tantum in rebus temporalibus administrandis præficiebatur œconomus, can. 2, dist. 75, aut vicarius quidam præstituebatur vel a metropolitano, vel a pontifice maximo sub visitatoris nomine, si capitulum negligens in administratione fuisset, aut si gravis quædam caussa constituendi visitatoris apostolici emersisset, dicto cap. 3 et 4, de suppl. neglig. prælat. Hodie vero utimur jure constituto in concilio tridentino in cap. 16, sess. 24, de ref. Nimirum capitulum, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, œconomum unum, vel plures fideles ac diligentes decernere debet, qui rerum ecclesiasticarum, et proventuum curam gerant, quorum rationes ei, ad quem pertinebit, sint reddituri; ex quo constat, in iis provinciis, in quibus, uti apud nos viget, favore principum receptum est, ut ipsi curam temporalium ecclesiæ bonorum suscipiant, eam disciplinam minime servari. Deinde ad capitulum pertinebit, officialem, seu vicarium intra octo dies post mortem episcopi constituere, vel existentem confirmare, qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias quantum fieri possit idoneus, ita ut si secus a capitulo factum fuerit, ad metropolitanum potestas hujusmodi devolvatur, aut ad episcopum antiquiorem ex suffraganeis, si agatur de metropolitana ipsa ecclesia, aut a propinquiorem episcopum, si agatur de ecclesia exemta, unus tantum, non plures, a capitulo vicarius est constituendus, nisi tamen alicubi plurium eligendorum consuetudo viguerit, aut nisi alter eligatur quasi subrogatus, tum demum scilicet jurisdictionem administraturus cum vicarius electus illam exercere non possit. Ex quo liquet, non esse in potestate capituli, quantam voluerit, constituto vicario jurisdictionem mandare, sed ad universam mandandam teneri, et quidem perpetuo, idest, donec ecclesia vacaverit, ne forte vicarius a capitulo pendere videatur, et minus libere agere, quod agendum ecclesiæ utilitas suadet. Non est tamen dubitandum, quin capitulum alium eligere vicarium possit, quoties electus moriatur, aut munere suo fungi amplius non valeat, aut ita in munere versetur, ut perperam jurisdictionem administret, tum scilicet et iis in casibus, cum et in quibus quilibet ordinarius jurisdictione esset sua ex canonum censura privandus; eademque ratione si in certa caussa vicarius tanquam suspectus a litigantibus allegetur, ad capitulum spectabit, seu arbitros ad

cognoscendas suspicionis caussas constituere, seu caussis cognitis novum judicem dare. Hinc deducitur, vicarium capitularem tanquam ordinarium habendum esse, licet talis non habeatur vicarius generalis ab episcopo constitutus; quoniam non ita a voluntate capituli vicarii capitularis officium pendet, uti a voluntate episcopi pendet officium vicarii episcopalis. Quamobrem merito profitetur Benedictus XIV, in lib. 2, de synodo diœcesana, cap. 9, num. 3, se non percipere, quare dataria apostolica dispensationes, quæ ex mente tridentini concilii, sess. 22, de reform. cap. 5, extra curiam committendæ sunt ordinariis locorum, nunquam committere consueverit vicariis capitularibus, quamvis eas committere soleat vicariis generalibus episcoporum. Ceterum sive œconomi, ubi a capitulis constituuntur, sive vicarii capitulares, rationes administrationis suæ reddere tenentur episcopo successori, quin illis remissio a capitulo facta suffragetur, dicto cap. 16. Tridentinæ sessionis 24, adeo ut emolumenta ex jurisdictione, aut sigillo provenientia eidem successori episcopo cedant, reservato congruo salario favore vicarii, can. 45, cau. 12, qu. 2.

Dixi modo, aliquando, et extra ordinem auctoritate sedis apostolicæ vicarium vacanti ecclesiæ præfici, qui ideo apostolicus nominatur, seu visitator, seu dispensator, cap. ult. de suppl. negligent. Prælator. in 6, can. 1, cau. 7, qu. 1, can. 19, dist. 61, cap. 42, de elect. in 6, caussas vicarii apostolici constituendi enumerat Peregrinus in praxi vicariorum parte 1, sect. 6, sive de eo agatur, qui sede plena, et suspenso episcopo, sive de eo agatur, qui sede vacante præficitur. Quoties autem is constituatur, majore jurisdictione pollet, quam vicarius a capitulo constitutus, ille enim libere potest beneficia ad collationem episcopi pertinentia conferre, dicto cap. 4, in fine de suppl. neglig. prælat., atque, ut paucis dicam, ea omnia peragere, quæ ex juris communis disciplina præstare potest episcopus electus confirmatus, una demta ecclesiasticarum rerum alienatione, dicto cap. 42, de elect. in 6. Ceterum, in investiganda facultate, quæ vicario apostolico competit, plurimum semper juvabit perpendere literas apostolicæ sedis, quibus constituitur: modo enim in iis amplior, modo minor potestas concedi solet, prout adjuncta temporum ferunt, vel locorum, vel caussarum, aliquando etiam personarum.

CAPUT IV.

De Prælatis non episcopis quasi episcopalem jurisdictionem exercentibus.

Huc referendus est titulus 35, lib. 5, tit. 31 et 35, lib. 3.

Quamquam prælati nomen, si latissime sumatur, ad parochos etiam referri facile possit, cap. 3, de offic. judic. ordinar., cap. 4, de clerico ægrotante, proprie tamen de iis intelligitur, qui jurisdictionem quasi episcopalem, et in foro externo nacti fuerunt, quæcumque tandem fuerit nanciscendæ jurisdictionis caussa. Horum quatuor veluti genera demonstrantur. Primi generis sunt prælati regulares, seu monasteriorum superiores cap. 5, de tempor. ordinat. Secundi generis sunt præpositi sæculares, seu abbates, seu decani nuncupati in collegiatis ecclesiis certas jurisdictionis species exercentes sub episcopo. Tertii generis sunt, qui in diœcesi episcopi consistunt, certum adsignatum territorium instar diœcesis habentes, in quo in clerum, et populum jurisdictionem ecclesiasticam etiam in foro externo explicant. Postremi generis sunt, qui episcopalem jurisdictionem exercent in certo territorio a diœcesi cujuscumque episcopi separato; et singulari, ac proprio nomine appellantur *nullius diœcesis*. Imo nec repugnat esse prælatos quosdam, qui ad tertium æque, ac quartum prælatorum genus referri possunt, propterea quod et in diœcesi episcopi jurisdictionem exercent, et in territorio *nullius*, habito scilicet respectu locorum, cum quandoque contingat, ut certa loca regimini horum prælatorum subjecta sita sint in diœcesi episcopi, alia extra diœcesim cujuscumque episcopi constituta. Atque in his casibus obtinet, ut prelatus hujus generis in ea parte administrationis suæ, quæ sita est in diœcesi episcopi, consideretur tanquam prælatus tertii generis, in altera parte, quæ dicitur *diœcesis nullius*, consideretur tanquam prælatus postremi generis, sive *nullius*.

Prælatorum regularium, ut ab iis exordiar, jurisdictio major esse cœpit in monachos post proditas regularium exemptiones, cap. 7, de Off. jud. ord. Licet enim olim monachi universi in episcoporum jurisdictione consisterent, can. 12, cau. 16, qu. 1, can. 16, 17, cau. 18, quæst. 2, posteriora tamen pontificia privilegia ita monachorum personas, et collegia monasteriorum præfectis subjecerunt, ut respectu illorum episcopalis jurisdictio pene interierit, certis exceptis casibus, in quibus ex concilio tridentino, aliisve recentioribus pontificiis constitutionibus episcopi tanquam sedis apostolicæ delegati pristinam jurisdictionem receperunt. Non iterum memoranda sunt hoc in loco, quæ gratia episcoporum consti-

tuta fuerunt, quando fusius persecutus eadem fui superius, cum de jurisdictione episcopali in monachos agerem. Generaliter tantum hic dicam, universam monachorum et monasteriorum curam ad prælatos regulares pertinere, iis, dumtaxat exceptis, quæ ordinem episcopalem requirunt; ea enim episcopis reservantur agenda, in quorum diœcesi, aut monachi morantur, aut sita sunt monasteria. Hinc prælati regulares monachis ea administrant, aut aliis ministranda demandant, quæ ad curam pertinent animarum, uti sunt sacramenta pœnitentiæ, eucharistiæ, olei infirmorum; certos quoque sibi reservant casus, a quibus monachos ipsi tantum absolvant; censuras in eos infligunt, aut a censuris absolvunt, nisi sint superiori reservatæ; monasteria visitant, et monachos ad eum ferme modum, quo episcopi diœceses, et clericos diœcesanos; facultatem concedunt monachis transferendi se ab uno ad aliud monasterium, aut certis officiis se extra monasterium addicendi, cap. 4 et 20, sess. 25, de regularibus in concilio tridentino. Præ ceteris autem in illud incumbunt, ut monastica regula ab omnibus custodiatur, sive in electionibus præficiendorum, quarum forma præstituitur in concilio tridentino, dicta sess 25, cap. 6, sive in admissione novitiorum. Quæ omnia ut accurate observentur, non erit abs re heic nonnulla subjicere, quæ spectant ad receptionem monachorum, et ad obbligationes professis impositas ex ecclesiasticorum canonum disciplina.

Quod non simulata, aut fallax mens esse debeat illorum, qui monasterium ingrediuntur religionem monasticam professuri, uti ait S. Basilius in regulis fusius disputatis interrogat. 10, judicatum semper fuit a providis monachorum parentibus, atque institutoribus, probandum esse gravibus argumentis eorundem spiritum, inter ceteros a S. Benedicto in cap. 58. Regulæ, optime noscentibus, vel collabentis, vel collapsæ disciplinæ monasticæ caussas potissimum derivatas fuisse ex præcipiti, eaque improvida ad religionem admissione. Anceps fuit, nec unquam communi prudentum suffragio apud veteres definita quæstio, an impuberes voluntate parentum ita addici monasterio possent, ut ab eo recedere amplius non liceret; neque enim sancti ecclesiæ patres communi consensione in eandem iverunt sententiam, sese, uti arbitror, moribus suarum provinciarum accommodantes. Qua in re duo principia recte statui posse puto. Primum est, quibus in provinciis, et quo tempore patria potestas in liberos durior fuit, facilius admissum fuisse, ut liberi, licet consensus proprii incapaces, voluntate parentum perpetuo monasteriis addicerentur, et ad religiosam tenendam aliena voluntate factam professionem adigerentur. Alterum est, quibus in provinciis, et quo tempore in tardiorem ætatem pubertas, seu ætas legitima differebatur, plurimum voluntati paternæ erga liberos fuisse concessum. Juxta prius jactum principium observo, apud romanos veteres asperrima fuisse jura patriæ potestatis, quando scimus, licuisse romanis parentibus liberos suos impune exheredare, exponere, abdicare, imo etiam occidere, argumento l. 11. ff. de liber. et posth. Quid igitur mirum, si ubi romanum jus omnino vigebat, aut saltem quædam ejus juris reliquiæ supererant, obtineret quoque, ut filii impuberes parentum voluntate monasteriis perpetuo addicerentur? Quamobrem cum diutius apud Hispanos jus romanum custoditum fuit, deprehendimus, eam disciplinam et conciliorum toletanorum, et S. Isidori hispalensis auctoritate fuisse firmatam, can. 3 et 4, cau. 20, quæst. 1, can. 1, cau. 20, qu. 2. Adeo aspera apud Græcos non erat patria potestas, apud quos proinde, licet identidem infantes oblati a parentibus in monasteria reciperentur; uti S. Basilius docet in cap. 15. Regularum fusius disputatarum, unde depromtus est canon 4, cau. 20, qu. 2, et valde corruptus, et perperam nonæ synodo adscriptus; non tamen obtinuit, ut inviti ibidem detinerentur; neque enim aptam religiosæ professioni aliam ætatem censuerunt, quam quæ ad contrahendas nuptias requirebatur, uti iterum S. Basilius tradidit in can. 1, cau. 20, qu. 1, falso adscripto nonæ synodo. Interea non defuerunt Latini quidam, qui cum essent eruditi in disciplina Græcorum, alias autem Latinorum disciplinæ sese accommodare vellent, orientalem cum occidentali infantum ad monasteria admittendorum, vel non admittendorum consuetudinem componere voluerunt. Laudo Theodorum cantuariensem, qui tradidit, licere quidem parenti filium infantem monasterio devovere, sed superesse adhuc facultatem commutandi votum, unum ex liberis pro altero in monasterio subrogando, can. 7, cau. 20, quæst. 1, juxta posterius jactum principium observo, medio ecclesiæ ævo nonnullas extitisse occidentales provincias, in quibus pueritia in tardiorem ætatem producebatur, nimirum usque ad annum decimumnonum, infra quem constituti adhuc infantum nomine donabantur, lib. 2, legum longobardarum tit. 29, l. 1, et sequentibus, quæ auctorem habent Luitprandum regem: ibidem autem vigebat, ut novemdecim annis minores nihil rite peragere possent, nisi ex consensione, seu auctoritate parentum, licet una cum parentibus consentirent. Ad illa tempora, atque ad illas provincias refero epistolam Gregorii III, ad Bonifacium in Germania legatum, qua cautum legimus, ne filii in infantia monasteriis oblati a parentibus aliquando a professione sua recederent. Refertur ejus fragmentum in can. 2, cau. 20, quæst. 1, sub nomine Gregorii Magni scribentis ad Augu-

stinum Anglorum episcopum: ceterum tribuendum est verius Gregorio III, scribenti ad Bonifacium in Germania legatum. Eo autem libentius in eam gregorianæ epistolæ interpretationem descendo, quo liquidius ex historicorum monumentis constat, opportunum fuisse Gregorio III, legibus Luitprandi regis infantiam ad annum decimumnonum extendentibus morem gerere, ne Luitprandi animum jam apostolicæ sedi, et Gregorio infensum acrius exasperaret. Itaque his principiis instituta Germanorum ecclesia, nil mirum esse debet, si sequente sæculo nonnulla in triburiensi concilio de duriore quadam in liberos parentum potestate receperit, quemadmodum Gratianus Reginonem secutus ostendit in can. 6, cau. 20, quæst. 1, can. 2, cau. 20, qu. 2, juncta appendice Reginonis c. 37 et 38, de eccles. discipl. Paullatim et sensim imminui cœpit parentum potestas in liberos primumque temporibus Caroli Magni constitutum, ut infantes ad monasticam professionem non admitterentur, adjecta tamen clausula, *salva canonica auctoritate*, lib. 3, tit. 1, n. 6, legum longobardarum, lib. 1, cap. 104, capitularium Francorum, quam clausulam adjecerunt, ne quidquam adversus aliquot veteres canones reverentiæ detraheretur; ex quo factum esse censeo, ut collectores canonum traderent, puerulos monasteriis olim addictos in adultiore adolescentia interrogandos esse, an velint in suscepto habitu permanere, ut vel consentientes in monasterio consisterent, vel dissentientibus liceret a monasterio recedere, can. 10, cau. 20, qu. 1, quem perperam Marcello papæ Gratianus adscripsit, quam deinde disciplinam probavit Cœlestinus III, in cap. 14, de regular. Tandem devoluta res, et ad trutinam redacta in tridentino concilio, in quo certa ætas definita fuit emittendæ professionis monasticæ caussa, ante quam, si professio fieret, penitus irrita haberetur, sess. 25, cap. 15, de regularibus.

Itaque in conspectu tridentini decreti liquet, derogatum fuisse vetustis canonibus, quibus licebat professuris ante ætatem beneficio legum, et regularum quasi pro se introducto renunciare, argumento cap. 16, de regular., juncto cap. 2 et 3, eod. tit. in 6. Recesserunt in hac re tridentini antistites a vetustis nonnullis regulis, quæ jam certam profitentis ætatem determinaverant, aut quasdam ex vetustis regulis, quæ singulares erant, certisque provinciis, ac monasteriis accommodatæ, in universum servandas omnibus præceperunt. Siquidem Basilius Magnus jam statuerat, virgines tum demum velari, et ad monasticam professionem admitti, quum sexdecim, vel septemdecim annos natæ fuissent, in canonibus ad Amphilochium can. 18. Aliud deinde visum fuit trullanis episcopis, quorum sanctionibus morem diutissime gessit ecclesia græca. Nimirum statuerunt, ut, siqui decennium exegissent, possent ad monasticam professionem admitti, nisi episcopus diutius proroganda esse tempora judicavisset, can. 40. concilii trullani Latina Ecclesia diu recepit S. Ambrosii institutiones; quum enim Ambrosius definivisset, eam ætatem ad professionem monasticam requiri, aut sufficere, quæ requireretur, aut sufficeret in conjugio contrahendo, lib. 3, de virginibus, eo deventum fuit, ut legitima ætas ad profitendum respectu puellarum duodecimus, puerorum vero decimusquartus haberetur, cap. 8, 11 et 12, de regular. cap. 1, eod tit. in 6, recepta tamen exceptione, ut major adhuc ætas requireretur, ubi de religione amplectenda ageretur, quæ asperior esset, aut ratione loci, in quo situm foret monasterium, aut ratione regularum certis ordinibus singularium. Hinc in insulis ex Gregorii Magni decreto monachi non admittebantur ad professionem ante annum decimumoctavum, can. 5, cau. 20, qu. 1, cap. 6, de regular., et in statutis ordinis chartusiani, et cluniacensis, item in statutis editis ab Ottone sedis apostolicæ in Anglia legato, atque anno 1238, propositis monachis S. Benedicti, cautum fuit, ne ante vigesimum annum completum quis ad professionem admitteretur, bibliotheca cluniacensi pag. 1364, statuto 36, Matthæus parisiensis ad annum 1238. Itaque hodie res hæc universa ex tridentina definitione pendet, de qua refert cardinalis Pallavicinus in lib. 24, cap. 6, suæ historiæ paratum fuisse in eo concilio canonem, quo statuebatur, ne quis ante annum decimumoctavum ad professionem admitteretur; deinde vero maturius re discussa statutum, ut nemo admitteretur ante expletum annum decimumsextum, ita ut professio ante eam ætatem facta irrita penitus habeatur, dicto cap. 15, sess. 25, de regular. Ceterum in conspectu hujus decreti quamquam certissimum sit, ante annum decimumsextum expletum professionem rite non fieri, non tamen censeo, derogatum fuisse certis monachorum, et monasteriorum quorumdam constitutionibus, quæ in provectiorem ætatem differendam esse professionem voluerunt, quemadmodum et definitum aliquando fuisse testatur Fagnanus ad cap. *nullus* de regularib., quamquam si fiat professio ante annum singulari statuto præscriptum, dummodo præterlapsus sit annus tridentina lege præstitutus, non ideo professio irritetur ad hanc enim speciem decretum irritans tridentino canoni adjectum referri minime potest.

Ut professio maturato deliberatoque animo fiat, non sufficit, professurum eam natum esse ætatem quæ compos consilii sit, sed præterea judicatum fuit, ut certum tempus veluti ineundi tyrocinii constitueretur, quod vocant tempus novitiatus. Iterum hic incidimus in

varias et monasteriorum, et provinciarum disciplinas. Nimirum veteres, ac potissimum ægyptii monachi ad triennium monachorum tyrocinia prorogaverunt, quoties de ignotis ageretur; quod quidem non tam factum est, ut certum tempus professuris concederetur, quo suam voluntatem probarent, quam ut concederetur tempus iis, qui forte servos ad monasteria confugientes evitandæ servitutis gratia quærebant, eos repertos avocaturi, quo elapso amplius avocare non possent. Id probavit Justinianus imperator in Novella 5, cap. 2, et clarius in Novella 123, cap. 35, confirmavitque Carolus Magnus in lib. 5, capitularium Francorum cap. 380. balutianæ editionis, quorum sanctiones sub nomine Bonifacii retulit Gratianus in can. 3, cau. 17, qu. 2. Generaliter s. Benedictus occidentalium monachorum parens unius anni novitiatum faciendum esse constituit, quod paullatim ab omnibus receptum recentioribus sæculis fuit; can. 1, caus. 17, q. 2, cap. 16, de regular., cap. 2 et 3, eod. tit. in 6. Sæculo duodecimo, aut decimotertio præoccupavit regularium animos quædam opinio rescriptis quandoque pontificiis confirmata, qua præstituentes, annum novitiatus gratia novitiorum in parte definitum fuisse, in parte gratia monachorum et monasteriorum, ut tempus haberent, quo excipiendum novitium probarent, concluserunt, et monasteria, seu monachos, et novitios posse illi tempori renunciare, dicto cap. 16, de regular. Primus Alexander IV. fratribus prædicatoribus, ac minoribus vetuit, ne renunciationes hujusmodi facerent, vel admitterent, cap. 2, eod tit. in 6, quod ad omnes mendicantium ordines prorogavit Bonifacius VIII, in cap. 3, eod. tit. in 6. Denique id commune omnibus et regularibus, et monasteriis fecit concilium tridentinum, statuens, neminem ad professionem esse admittendum, quam qui per annum post susceptum habitum in probatione constiterit, adeo ut professio antea facta irrita censeatur, dicto cap. 15, sess. 25, de regular. Annus iste a tridentino concilio præstitutus a die suscepti habitus exordium sumit, ut tridentini ejusdem decreti verba demonstrant. Jamdiu enim abrogata est vetus illa monachorum disciplina, qua monasticus habitus a die tantum professionis induebatur. Regula S. Benedicti cap. 58, S. Bernardus Epist. I, ad Robertum. can. 4, dist. 53, atque hinc originem habuisse puto tacitam professionem, de qua non semel mentio fit in Decretalibus, cap. 22, de Regular, cap. 1, eod. tit. in 6, statim ac enim novitius, non contradicentibus monachis, et monachorum præfecto, habitum induebat, qui a solis professis deferebatur, præsertim si habitum induens exercebat actus proprios monachorum, tacite et professus voluntate propria, et admissus voluntate monachorum omnium credebatur. Hinc præterea factum, ut, quoniam licebat olim anno novitiatus renunciare, quemadmodum superius observatum est, ita multi statim ac monasterium ingrederentur, vix ad probationem admissi monachorum habitum induerent, unde controversiæ suberant, an ii semper tacite professi intelligerentur. Ecquidem his controversiis nonnulli obviam iverunt, inferendo quædam discrimina vestium, quibus novitiorum habitus ab habitu professorum discerneretur, tum demum tacitam professionem initam colligentes, quando quis habitum adsumsisset professis undacumque communem, dicto cap. 1, de regular in 6. Interea vero non omnibus hujusmodi quæstionibus, et ubicumque finis imponi potuit; quamobrem satius fuit consuetudinem inducere, quæ hodie viget, ut semper professio expresse fiat, et in scripturam redigatur testibus confirmatam. Dico, consuetudine id inductum fuisse, neque enim audeo definire, tacitæ professionis hodie nullam esse vim, quum expressis canonum sanctionibus irritatam fuisse non videam, dummodo semper servetur tridentinum decretum, sive quod ætatem profitentis, sive quod annum tyrocinii spectat, dicto cap. 15, sess. 25, de regularibus.

Quoties tridentinum illud decretum accurate expendatur, et ad mentem ecclesiasticorum patrum exigatur, concludendum videtur, annum illum esse debere continuum, et nulla omnino mora interruptum; quamvis enim regulariter dicatur, modicum temporis intervallum non attendi, uti tradunt civilis juris interpretes ad l. 12, ff. de duobus reis, et aliquando tradidit concilium ipsum tridentinum in specie capitis 4, vers. *Quoniam autem* sess. 23, de reformat., in proposito tamen quamcumque utut brevissimam temporis moram obesse professioni posse arbitror, ne forte inde nascatur occasio novitiis non recte, accurateque probandi monasticam vitam. quam adamussim, rigideque probare publice expedit; alias autem eo prætextu contingere posset, ut identidem interrumperetur annus, et lenior evaderet disciplina interrumpenti, quam quæ deinde futura esset professo. Non vero inficias iverim, per quoddam, ex. gr. unius diei, spatium posse novitium facultate a prælato monasterii obtenta a monasterio certis de caussis exire, brevi reversurum, dummodo et retineat habitum, et sub obedientia ejusdem prælati maneat; hoc enim in casu adhuc interea probare regularem disciplinam minime desinit. Adeo ad tridentini decreti interpretationem, ex eo non abrogatas fuisse nonnullorum monachorum constitutiones, quæ diuturnius tyrocinii tempus requirunt, quamquam professio in ea specie statim post annum facta, insuper habitis constitutionibus, irrita non haberetur.

Quousque nondum est absolutum tyrocinium, seu tyrocinii tempus, liberum omnino novitiis est a monasterio exire, cap. 23, de regular., cap. 2, eod. tit. in 6, quam libertatem ut tuerentur tridentini antistites, statuerunt provide, nullam renunciationem, aut obligationem fieri a novitiis posse, ne in favorem quidem piæ caussæ, utut jurejurando firmatam, nisi cum licentia episcopi, sive ejus vicarii, fiat intra duos menses ante professionem, quæ tamen alias, non intelligatur suum effectum sortiri, nisi secuta professione; aliter autem factam, etiamsi cum hujus favoris expressa renunciatione etiam jurata, irritam esse, et nullius effectus, imo et addiderunt, neque ante professionem, excepto victu, et vestitu, a novitiis, vel eorum parentibus, propinquis, aut curatoribus aliquid tribuendum esse ex bonis illorum monasterio, ne ea occasione discedere nequeant, quod tota, vel major pars substantiæ suæ a monasterio possideatur, ne facile si discesserint, id possint recuperare, indicta et dantibus, et recipientibus anathematis pœna, factaque novitiis recedentibus facultate data omnia recuperandi, sess. 25, de regular. cap. 16. Priorem decreti tridentini partem de renunciationibus, aut obligationibus a novitio minime faciendis, ita ego interpretor, ut in primis non solum irrita sit, si fiat tempore novitiatus, et post susceptum religiosum habitum, sed etiam, si ante ingressum in monasterium fiat, dummodo fiat intuitu ingressionis in monasterium, ne alias fraudibus locus aperiatur: secundo, ut non solum irrita sit, si agatur de renunciatione rerum, aut jurium temporalium, sed præterea si agatur de renunciatione jurium spiritualium, qualia sunt beneficia ab ingressuro possessa, quamobrem ex tridentina sanctione derogatum puto veteri disciplinæ, juxta quam per ingressum in religionem beneficium ab ingrediente possessum tanquam vacans libere ab ordinario conferri poterat, cap. 4, de regularib. in 6: denique, ut non solum irrita sit donatio de bonis novitiorum facta, sed etiam de bonis parentum, quorum possidendorum uti spem habent liberi, ita eorundem jura quasi propria ipsi abdicare censentur, unde vel profitendi, vel a monasterio recedendi libertas imminuitur. Duæ tamen probabiles sunt tridentini decreti exceptiones. Prima est, illud non pertinere ad ultimas voluntates, quibus novitiis de bonis suis disponant, executione dispositionis collata in tempus professionis, quod jam olim imperator Justinianus expresserat in novella 5, cap. 5, neque enim de ultimis voluntatibus aliquid sanciendum tridentini antistites voluerunt. Altera est, tridentinum idem decretum non pertinere ad renunciationes factas ante ingressum in monasterium, et ante initum novitiatum, quæ sint conditionales, seu suspensæ in tempus, et conditionem futuræ professionis dummodo interea nihil a renunciante in renunciatarium translatum sit; hac enim in specie minime imminuta videtur novitii libertas, de qua tantum tuenda tridentini antistites maxime solliciti deprehenduntur.

Monasticis institutionibus omnino consentanea est vulgaris traditio, quæ docet, in professione quemdam veluti contractum iniri inter monachum et monasterium, quo sicuti monasterium nequit professum rejicere, ita nec professus possit libere monasterium derelinquere, cap. ult. de apostatis; quod adeo verum est, ut hodie ne liceat quidem regularibus a suis conventibus recedere, etiam prætextu ad suos superiores accedendi, nisi ab eis missi, aut vocati fuerint; et qui sine superioris mandato inscriptis obtento, reperti fuerint, ab ordinariis locorum tanquam desertores sui instituti puniantur, concilio tridentino sess. 15, de regular. cap. 4. Ecquidem quod spectat in primis potestatem prælatorum regularium ita coercitam, ut monachos expellere minime valeant, scimus olim abbatibus indictum fuisse, ut siquos inobedientes subditos agnoscerent, eos corrigerent primum monitis, deinde pœnitentiis etiam gravibus subjicerent, postremo a monasterio exulare juberent, regula sancti Benedicti cap. 28, concilio meldensi anni 845, can. 59, S. Thomas quodlibeto 12, quæst. finali. Verum recentioribus sæculis cum plures ea potestate abuterentur, cavendum fuit a Gregorio IX, non solum, ut abbates quacumque de caussa monachos nunquam ejicerent, sed et ejectos reciperent, atque advocarent, aliis utilioribus remediis utentes, si forte alicujus contumaciam retundere judicaverint, cap. ult. de regular., quod et Innocentius III, jam proposuisse visus est, dum contumaces minime statuit e monasterio expellendos, sed tantum de fratrum consortio excludendos, cap. 10, in fine de majorit. et obed. Quænam hodie vigeant hac in parte, tradidit abunde Benedictus XIV, in lib. 13, de synodo diœcesana, cap. 11, num. 15, et sequentibus. Quod secundo spectat denegatam monachis recedendi facultatem, sine ulla prorsus esset dubitatione, nisi duæ species proponerentur, in quibus certa caussarum adjuncta suadere videntur, generalem regulam relaxari oportere. Quid enim, si monachus irritam a se factam professionem alleget? Quid, si ad aliam religionem se velle transire profiteatur? Est utraque caussa digna singulari præsidio juris, ne in priore specie invitus teneatur in monasterio, qui nunquam fuit vere, aut rite professus; neve in posteriore specie impediatur, qui spiritu Dei ducitur ab ea amplectenda conditione, in qua tutius æternam sui salutem operetur, quamquam modus, et forma relaxandi monasticum vinculum iis in casibus non

eadem semper fuerit, et constantissima. Vetus erat disciplina in iis, qui irritam se inivisse professionem allegabant, puta ex caussa gravis incussi metus, quæ ita vigebat, ut liceret interea alleganti de monasterio exire, atque extra monasterium constituto irritæ professionis caussas demonstrare, præstita fide de redeundo, si in probatione deficeret, cap. 1, de his, quæ vi, metusque caussa fiunt. Aliter statuit concilium tridentinum; nimirum cavit in primis, non esse audiendos monachos in proposito, nisi intra quinquennium tantum a die factæ professionis numerandum; deinde caussas nullitatis professionis deducendas esse et coram superiores monasterii, et coram ordinario loci, in quo monasterium situm est; denique ante deductas in judicio caussas non licere aut habitum dimittere, aut cum habitu, dissentiente superiore, e monasterio recedere, ita ut aut habitum dimittens, aut recedens ad allegandam quamcumque caussam nullo modo admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, et tanquam apostata puniatur, interim vero nullo suæ religionis privilegio juvetur, sess. 25, de regular. cap. 19. In conspectu tridentini hujus decreti duæ suboriuntur quæstiones: prima est, num nomine superioris monastici is intelligatur, qui monasterio, an potius is, qui provinciæ præest? In qua non videtur recedendum a vulgata pragmaticorum opinione, arbitratorum, nomine superioris intelligi eum, qui immediate monasterium regit, uti tradit cardinalis De-Luca disc. 41, ad concilium tridentinum num. 2. Altera est, num si metus qui caussam professioni dedit, adhuc per integrum quinquennium perseveret, præclusa sit professo via reclamandi? Usus tribunalium, suadente utilitate publica, noluit recedendum a verbis tridentinis, ita ut denegata fuerit quæcumque professo querela; quod forte non id verosimile videatur, intra quinquennium adeo adactum fuisse monachum in monasterio degentem, ut viam interea non habuerit aliquando stratam ad libere reclamandum. Ceterum adhuc subsidium aliud extra ordinem denegatum non fuit, quo concedatur confugere ad apostolicam sedem, ut saltem ope restitutionis in integrum, caussa cognita, metus durationem allegans audiatur. Imo nec sine discrimine generaliter ea regula recepta fuit in quacumque caussa nullitatis; si enim ageretur de impedimento facti perpetuo, super quo nulla exoriri dubitatio potest, et quo posito non sine scandalo professus in monasterio consisteret, veluti si vir in monasterio sanctimonialium professus esset, omnes fatentur, etiam post quinquennium ordinario juris remedio locum esse, quasi ad has species tridentina sanctio minime spectet. Fagnanus ad dictum capitulum 1, de his, quæ vi metusque caussa. Fingamus nunc, non a professo irritam allegari professionem, ut a monasterio ipse recedat, sed allegari irritam a monasterio, ut professum rejiciat: num dicendum erit, eandem servandum esse quinquennii legem, eumdemque custodiendum esse judicii ordinem? Altum est de hac re in concilio tridentino silentium, forte quod nonnisi perraro id contingere soleat. Verum nihilominus idipsum servandum puto ex natura professionis, quæ uti superius dictum est, instar bilateralis contractus initur, hinc gratia profitentis, illinc gratia monasterii; est autem natura correlativorum, ut quæ gratia unius statuuntur etiam gratia alterius statuta commoda interpretatione censeantur. Respectu eorum, qui postulant, ut post professionem unius regulæ ad aliam transferantur, olim quum una esset in occidente in quibuscumque cœnobiis s. Benedicti regula, facile recipiebatur, ut unus monachus de uno in aliud monasterium migraret, regula S. Benedicti cap. 61: verum post plures invectos religiosorum ordines invaluit distinctio inter laxiores, æquales, ac strictiores. Siquis enim de laxiore in strictiorem ordinem transire cupit, tenetur quidem a superiore suo transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur, non erit tamen ullo modo ea facultas a superiore deneganda, ne majus bonum caussa minoris impediatur; quamquam si prælatus probabiliter dubitet, eum, qui licentiam petit, temere, et sine caussa transire velle, aut sub prætextu strictioris regulæ jugum excutere, judicium superioris exquirere debeat, unde quid agendum sit, deliberetur, cap. 18, de regularib., quod sane potiore ratione dicendum est in altera specie, qua quis a certa regula velit ad aliam æqualem transire. At si agatur de transitu ad laxiorem ordinem, perspicua est tridentini concilii constitutio, qua cavetur, neminem ex regularibus cujuscumque facultatis vigore posse transferri, sess. 25, de regularib. cap. 19, unde obtinuit, hodie eam facultatem a summo tantum pontifice impetrari, seu a sacra congregatione præposita negotiis regularium, uti testatur cardinalis De-Luca disc. 41, ad concilium tridentinum num. 9, seu a romana pœnitentiaria, coram qua exhibeatur consensus superioris regularis monachum dimittentis, et consensus alterius superioris regularis dimissum monachum in suum ordinem excipientis. His principiis inhærens Martinus IV, vetuit mendicantibus, ne ad alias uno excepto chartusianorum ordine, transirent religiones, extravag. 1, de regular. int. comm., et concilium tridentinum perpendens aliquando contingere, ut monachi petant ad alios ordines transferri, ex. gr. canonicorum regularium, ut certorum beneficiorum fiant capaces, sanxit, translatos ejusmodi non esse ad beneficia ecclesiastica admittendos, sess. 14, cap. 11, de ref. Præterea ad evadendas fraudes, quæ in hac materia

admitti facile possent, arctiorem ordinem illum dico habendum, non cujus primigeniæ regulæ sint arctiores, sed cujus arctior est earundem regularum austeriorum observatio: quid enim, si forte austerior regula deprehendatur, quæ tamen in usu esse desierit? Sibi blandiretur in hac specie, qui ad eam profitendam transire vellet. Plane ubi rite de uno in alium ordinem transitus permittitur, transiturus in novo ordine, ad quem transit, et quidem per annum inire debet novitiatum, ita ut, si novam professionem deinde non emittat, sed a proposito resiliat, in vetus monasterium recipiatur, non quasi novus monachus, sed in eodem gradu, ac si nunquam a priore ordine recessisset, argumento cap. 16, sess. 25, de regular. in concilio tridentino.

Pertinent ista omnia ad stabilitatem monasticæ professionis, de qua solliciti esse universi monachi debent. Nunc investigemus alias monachorum obligationes, quæ ex voto tempore professionis elicito pendent. Obedire illi in primis præposito debent, deinde proprietatem omnem abdicare, denique continentiam custodire, quæ adeo adnexa conditioni monachorum esse scripsit Innocentius III in cap. 6, in fine de statu monachor. ut profiteretur, contra ea nec summum pontificem posse licentiam indulgere, tanquam illa, quæ bases sunt, et fundamenta monasticæ disciplinæ, concilio tridentino sess. 25 de regular. cap. 1. Jam olim de monachis scribebat s. Hieronymus in epist. 22, ad Eustochium, primam eorum confœderationem esse, obedire majoribus, et quidquid jusserint facere, cui consonant universi monachorum institutores, inter ceteros Sulpitius Severus dialogo 1, cap. 11, Cassianus lib. 4, institut. cap. 8, S. Benedictus in regula cap. 4, 5, 49, 68 et 71. Quod adeo verum est, ut monachis a præcepto superioris, utut gravius videatur, appellare non liceat ad effectum suspendendi executionem, cap. 3 et 26 de appellation., quamquam non sit deneganda querelæ cujusdam species coram superiore cum modestia proponendæ ab eo, qui interea præceptum superioris exequitur, si forte prælatus fines æquitatis transgredi videatur, prudentiæ superioris ejusdem relinquendo, ut bono monasteriorum regimini consulat. Tantum conceditur monacho subjecto non exequi præceptum superioris, quando divinis præceptis, aut monasticæ regulæ præceptum idem adversari deprehendatur; neque enim tenetur quis homini potius obedire, quam Deo, aut obedire homini munere suo ad custodiam certe regulæ præfecto, quando tantum abest a regula custodienda, quin potius eam evertere studeat, can. 1, dist. 9, can. 91, 92, 93, 94, 95, 96, 97, 98, 100 et 101, cau. 11, qu. 3. S. Bernardus epist. 7, et in tractatu de præcepto, et dispensatione cap. 2, 4 e 5. Paupertatis quoque votum apprime est a monachis singulis custodiendum, cap. 6 de statu monachor. adeo ut, etiamsi de iis agatur, qui adscripti sunt monasteriis possidendi bona seu mobilia, seu immobilia capacibus, nihil sit, ne sub peculii quidem nomine, possidendum, cap. 2, eod. tit. quin aliquem excusare possit obtenta a superiore peculii retinendi facultas; siquidem compertum est, prælatos regulares relaxare quidquam minime posse ex iis, quæ ad regularis vitæ substantiam pertinent, concilio tridentino sess. 25, de regular., cap. 1. Id ut pressius urgeret concilium tridentinum statuit, nemini regularium licere bona immobilia, vel mobilia cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovismodo ab eis adquisita, tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere; sed statim ea superiori tradi oportere, ac conventui incorporari; item nec deinceps licere superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, vel administrationem, aut commendam, pœna adjecta in eos, qui contra fecerint, ut biennio activa et passiva voce privati sint, atque etiam juxta regulæ suæ, et ordinis constitutiones puniantur, sess. 25 de regular. cap. 2. Huic autem sanctioni minime subjiciuntur monasteriorum officiales, qui nomine monasterii ex prælati mandato curare debent collegii utilitatem, et monachorum necessitati consulere. Id expresse exceptum voluerunt tridentini patres in dicto cap. 2, vers. *Administratio*, et huc pertinere arbitror, quod legitur in canone lateranensis concilii, seu in cap. 2, de statu monach. ibi: *nisi ab abate fuerit ei pro injuncta administratione permissum.* Fuit hæc necessaria dispensatio non personæ gratia, sed caussa officii, ac muneris concedenda. Præterea nec sunt eidem sanctioni obnoxii monachi, qui ex dispensatione superioris eam suppellectilem, aut mobilium usum retinent, quibus quotidianæ necessitati occurratur, dummodo nihil superflui in iis sit, omniaque monasticæ paupertati conveniant, uti perpiscue tradiderunt tridentini patres in dicto cap. 2, vers. *Mobilium vero*; tantum enim abest, ut hæc dispensatio paupertati officiat, quin potius omnis exquirendi, retinendive peculii occasionem amoveat s. Benedictus in regula cap 55, argumento cap. 1 de institut. et cap. 3, sess. 25, de regular. in concilio tridentino. Hanc ob rem optandum esset, ut qui monasticas res administrant, necessarias res universas monachis suppeditent; tunc enim sperandum esset, facile futurum, ut austerior paupertatis regula a monachis sine discrimine custodiretur; quando docet experientia, eos, qui a regula in proposito recedunt, speciosam illam caussam prætexere, quod in aliquibus necessariis humanæ vitæ subsidiis destituantur. Itaque hinc profecta est vulgaris regula, quæ postulat, ut, quidquid monachus adquirit qua-

cumque de caussa, aut occasione, id totum monasterio adquirat, ita ut nihil de adquisitis disponere quoquo modo possit. Quidquid enim olim vigeret temporibus Valentiniani et Marciani, qui professorum ultimas voluntates admiserunt, l. 13, cod. de sacros. Eccles. aliter statuit imperator Justinianus in nov. 5, cap. 5, nov. 76, ex quibus edita est authentica *Ingressi*, cod. de sacros. Eccles. Quod si quæratur, an monachi capaces sint seu testamentariarum, seu legitimarum successionum, per quas bona, ministerio ita dixerim monachi, in cœnobium transferantur videmus quidem jure romano habitos fuisse prorsus idoneos, l. 56, § 1, cod. de episc. et cler. verum pragmatici testantur, eam juris romani constitutionem non esse ubique receptam, præsertim ubi obtinuit, monachos quasi pro mortuis habendos esse, argumento gratianeæ interpretationis ad canones 53 et 54, cau. 2, quæst. 7. Quamobrem in hac re moribus potius singularum provinciarum erit indulgendum, cum generalis regula ubique custodienda præstitui minime possit. Guillelmus Benedictus ad *cap. Raynutius* de testament. cap. 220, Rebuffus in prœmio ad Const. reg. glos. 5, num. 22 et 24, Faber in codice lib 1, tit. 2, def. 44 et tit. 3, def. 2 et 30. Quum mendicantium ordines institui, probarique in Ecclesia cœperunt paupertatis studium in eisdem excoli adeo visum est, ut non solum singuli monachi proprium nihil, sed neque monasteria in communi quidquam possiderent, quoniam mendicatæ hinc illinc eleemosynæ monachis alimenta suppeditabant. Verum tempore tridentini concilii, duobus tantum exceptis mendicantium ordinibus, dignis de caussis visum est constituere, ut deinceps ceteris in communi bona immobilia possidere liceret, sess. 25 de regular. cap. 3, quamquam et post tridentinum concilium alii ordines emerserint ne in commune quidem possessiones habentes, sedis apostolicæ auctoritate confirmati. Denique quod ad votum continentiæ pertinet, quammaxime curandum monachis est, ut non solum a matrimoniis contrahendis, quæ sane prorsus irrita essent, cap. unic. de voto in 6, abstineant, sed etiam nequid admittant, quod morum integritatem labefactare quoquo modo possit. Quamobrem ad evitandam quamcumque suspicionem, jam veteres patres solliciti fuerunt, ne monachorum cœnobia fœminæ utut religiosæ ingrederentur, can. 21 et seq. cau. 18, qu. 2, quod recentiores pontifices maximi severis legibus vetuerunt, indicta in ingredientes gravissima excommunicationis pœna, quemadmodum et in admittentes monachos pœna suspensionis, atque inhabilitatis ad monastica officia.

Hucusque designata ea sunt omnia, quæ ad regimen monachorum spectant, eorundemque vitæ rationes universas, quæ ad prælatorum regularium jurisdictionem pertinent, ac potestatem, unde liquet, jurisdictionem episcopalem ex privilegiis in prælatos monasteriorum transivisse, iis exceptis, quæ, uti suo loco superius dictum est, episcopis reservata sunt, ac restituta. Ceterum ea, quæ ordinis episcopali sunt, prælati monasteriorum ne in subditos quidem exercere possunt, nisi quosdam abbates excipias, qui ex singulari privilegio usum pontificalium obtinentes, et illud habuerunt, ut monachos suos tonsura initiarent, et minoribus ordinibus insignirent, cui privilegio nihil derogatum est in concilio tridentino sess. 23 de ref. cap. 10, ubi tantum cautum legimus, ne abbates aliis, quam regularibus sibi subditis et tonsuram, et minores ordines conferant, quasi privilegia ista coercita sint ad personas, quæ in eorundem abbatum sunt potestate; adeo ut ne alii quidem regulares ex mandato suorum superiorum, ad eos abbates ordinationis caussa accedere valeant. Etenim generaliter receptum est gratia episcoporum, ut monachi universi a diœcesano episcopo pendeant caussa sacræ ordinationis suscipiendæ, quibus omnibus in casibus eorum proprii prælati eosdem ordinare nequeunt; item ut episcopus diœcesanus consecrationem ecclesiarum utut monasterio adjacentium faciat, atque ut sacrum chrisma, vel oleum infirmorum a solo episcopo diœcesano petatur. Imo et abbatibus illis usum pontificalium habentibus a sacra congregatione rituum nonnullæ non prætereundæ regulæ præstitutæ sunt ab Alexandro VII, adprobatæ die 27 septembris anni 1659, quas exhibent pragmatici, atque inter ceteros Argiro disceptationum ecclesiasticarum lib. 4, disceptat. 13, n. 5 et sequentibus.

Cum de prælatis secundi generias gatur, iis nimirum, qui certæ ecclesiæ præsunt, et certo canonicorum collegio in diœcesi episcopi, si exemti ab episcopi jurisdictione non sint, nihil aliud jurisdictionis habebunt, quam quod ex singulari privilegio, aut consuetudine legitime præscripta competat, ita tamen, ut ab iis debita episcopo obedientia, ac reverentia semper exhibeatur. Quod si exempti proponantur ab episcopi jurisdictione, nihilominus tamen, ex concilio præsertim trident., certas adhuc jurisdictionis species diœcesani episcopi in ipsos exercent. Nihil heic adjicio, quando superius id actum est, ubi disserendum fuit de auctoritate, et jurisdictione episcopi in clericos diœcesanos. Atque idipsum dicendum est, quoties agatur de prælatis tertii generis; qui scilicet certum territorium, in diœcesi tamen episcopi constitutum, habent, in quo et populi et clerici curam gerunt spiritualem. In his potissimum illud viget, ut, sicut synodum cogere nequeunt, ita teneantur ad synodum episcopalem accedere. Ad istos pertinet dictum, cap. 10. Trident. sessionis 23, ut nequeant

dimissorias ordinandis clericis concedere caussa ordinationis clericalis; siquidem ad unum diœcesanum ordinatio pertinebit. Item nequeunt alium episcopum advocare caussa exercendi pontificalia, aut administrandi sacramenta, quæ ab episcopali ordine pendent, concilio tridentino sess. 6, de ref. cap. 5. Præterea non possunt sibi certos casus in foro pœnitentiæ reservare, non de caussis matrimonialibus cognoscere, concilio tridentino, sess. 24, de ref. cap. 20, non confessarios adprobare, concilio tridentino sess., 23, de ref. cap. 15, non facultatem facere prædicandi, eodem concilio sess. 24, de ref. cap. 4, non literas monitoriales concedere dicto concilio sess. 25, de ref. cap. 3, non indulgentias impertiri; non denique ita Ecclesiæ utut alias exemtæ ea jurisdictio adhærebit, ut vacante prælati dignitate capitulum, sive collegium in prælati jurisdictione succedat; tunc enim tota jurisdictio ad diœcesanum episcopum omnino devolvitur, argumento cap. 11, de major. et obedient.

Superest, ut nonnulla subjiciam de prælatis quarti generis, qui proprie dicuntur *nullius diœcesis*. Tribus modis contingere posse, ut prælati diœcesim nullius administrent, pragmatici non pauci tradiderunt; primo origine, secundo præscriptione, tertio apostolico privilegio. Origine id aliquando evenisse dicunt, quando divisis inter successores apostolorum diœcesibus, singulisque earum singulis episcopis adsignatis, aliquot sine episcopo remanserunt, veluti oblivione quadam, proptereaque debuerunt extra ordinem certis presbyteris commendari, in quibus presbyteri iidem sub nomine prælatorum, abbatum, præpositorum, aut simili episcopalem gererent jurisdictionem. Ego sane plurimum de hoc dubito, cum inverosimile videatur, inter diœceses dividendas defecisse adeo dividentium sollicitudinem, ut certa remanerent loca nemini ex episcopis commendata. Ecquidem scio, plures id deducere ex canone 8, dist. 93, falso adscripto parisiensi concilio. Jam ego in meis animadversionibus in codicem Gratiani fidem, et industriam virorum eruditorum secutus adnotavi, pertinere eum canonem potius ad concilium moguntinum anni 813, can. 22, imo et verba concilii ita descripsi, ut adpareret, ibi non agi de certa diœcesi, quæ proprie *nullius* diceretur, sed potius de clericis acephalis huc illuc vagantibus, quique se nulli episcopo subjiciebant, proptereaque damnabantur. Inveni nunc eadem Gratiani verba in canone 18. concilii regiaticini anni 850. At quis nihilominus dixerit, ibidem exhiberi ea loca, quæ diœcesis nullius dicerentur, et ab omni episcoporum auctoritate immunia, ac tantum certorum presbyterorum officiis commendata? Adparet ibidem, *clericos, ac sacerdotes, qui sub nullius episcopi disciplina, et providentia gubernari* dicuntur, nulla ratione tanquam clericos, aut sacerdotes habendos esse, velut acephalos, ac sine capite, seu quod idem est, ab ecclesiastica unitate semotos. Quis inde tuto colligere possit, hujus canonis auctoritate comprobari Ecclesias quæ dicuntur *Nullius*? Item scio, nonnullos idem deducere ex canone 50, cau. 16 qu. 1. Sed ibidem observo, non agi de diœcesibus quibusdam extra episcopalem curam relictis, sed de populis recens ad christianam fidem conversis, quibus adseritur, non singularem constituendum episcopum sed designandum esse rectorem episcopum illum, in cujus vicinia siti sunt. Potius ego puto, id evenire potuisse, quoties certa loca, oppida aut urbes desertæ a viris ecclesiasticis fuerunt, a paganis, aut hæreticis occupatæ, ubi deinde paullatim viris religiosis curantibus restituta sunt templa, et Ecclesiæ, apostolico privilegio concessa administratione diœcesana viris eisdem religiosis omnia sensim in pristinum restituentibus, uti in specie capituli 1, de verb. signif. in 6. Verum, si id recipiatur, dicemus, diœcesim illam *nullius* ex apostolico privilegio potius, quam ab origine sua talem dici. Itaque ex privilegio primum apostolico, deinde ex legitima præscriptione adquiritur prælatura, quæ vere nullius diœcesis esse dicatur, cap. 6 et 7, de privilegiis in 6. Quando autem de privilegio agitur, debet de illo clare perspicueque constare, secus enim in dubio viciníoris episcopi caussa potior erit, si ipse diœcesim vindicet, cum episcopus, uti nostri loquuntur, intentionem habeat in jure communi fundatam. De præscriptione disputari solet, num quadragenaria sufficiat, num requiratur immemorialis. Sufficere quadragenariam, quæ ex titulo saltem colorato, et bona fidem caussam habeat nonnulli olim censuerunt in conspectu dicti capituli 7, de privileg. in 6, quasi generaliter verum sit, jura omnia ecclesiastica quadragenaria præscriptione immutari. Verum magis placet receptam opinionem sequi, quæ contrarium probat, postulatque, uti immemorialis præscriptio requiratur, ut definitum refert Benedictus XIV, in libro 13, de synodo diœcesana, cap. 8, num. 18. Siquidem cum de diœcesi nullius agatur, agitur revera de præscribendis finibus, ad quam sane caussam dictum capitulum 7, minime pertinet; alias autem verum est, fines publico jure positos ordinariæ præscriptioni minime subjacere. Induxerat jus romanum præscriptionis jura, eadem tamen non extendit ad fines publice præstitutos, l. 5, Cod. finium regundorum. Lex ecclesiastica eandem præscriptionem non de novo invexit, nec novis regulis moderata est, sed de jure civili romanorum una cum suis regulis ad jura etiam ecclesiastica traduxit. Ergo præscriptionem non admisit ordinariam in limitibus parochia-

rum, et diœceseon, quoties publice constituti reperiantur, quemadmodum liquet in conspectu canonis 5 et 6, cau. 16, qu. 3, et capituli 4, de parochiis. Plane probata a prælato qualitate nullius diœcesis, omnis episcopalis jurisdictio eidem concessa intelligetur, ut dempta ordinis potestate in diœcesi ipse omnia peragat, quæ episcopus peragere posset in diœcesi sua. Dixi, excepta ordinis potestate; etiamsi enim nonnullis hujus generis prælatis aliquando concessa deprehendantur pontificalia insignia, imo et quandoque concessum, ut subditos suos et tonsura initiarent, et ad minores ordines promoverent, hodie tamen concesso tantum pontificalium usu in sacris officiis, ab ordinationibus, et tonsuræ collatione abstinere jussi fuerunt, sive respectu subditorum, sive respectu extraneorum, utut dimissorias a proprio diœcesano obtinuerint, concilio tridentino sess. 23, de reform. cap. 10, nisi forte post concilium tridentinum apostolicum in hac parte privilegium obtinuerint. Imo et quædam sunt jurisdictionis episcopalis species, a quibus iidem abstinere debent, nisi singulare respectu ipsarum apostolicæ sedis privilegium acceperint, et eidem privilegio non utendo minime renunciaverint. Hujusmodi est facultas convocandæ synodi, uti notat Benedictus XIV, in lib. 2, de synodo diœcesana cap. 11, num. 5, eademque ratione potestas indicendi concursum ad parochiales vacantes ecclesias; quoniam hæc facultas a priore pendere videtur, propterea quod examinatores concurrentium in synodo deputandi sint, juxta caput. 18, tridentinæ sessionis 24. Qua in re observatione dignum est, concessa prælato *nullius* facultate cogendi synodum, concessam tacite intelligi facultatem indicendi concursum, non vero e converso; siquidem facultas cogendi synodum eo etiam refertur, ut in synodo examinatores constituantur, qui sane frustra instituerentur ab eo qui non posset concursum indicere: at facultas concursum indicendi ad parochiales ecclesias tacite non involvit facultatem convocandæ synodi, quoniam in concilio provinciali examinatores constitui possunt. Quod dicimus de concursu, idipsum receptum est de deputatione œconomi respectu parochialium vacantium ecclesiarum; etenim in dicto cap. 18, concilii tridentini deputatio œconomi connexa est cum facultate indicendi concursus. Præterea non licebit abbatibus, nisi speciale privilegium obtinuerint, dimissorias ordinationis caussa suis clericis concedere, cum sicut ordinatio, ita et dimissoriarum concessio ad viciniorem episcopum pertineat. Quamquam enim concilium tridentinum in sess. 23, de reform. cap. 10, expresse vetuerit tantum prælatis in diœcesi episcopi consistentibus, ne dimissorias ipsi concederent, observat tamen Benedictus XIV, in lib. 2, cap. 11, de synodo diœcesana num. 15, id recta interpretatione productum fuisse ad abbates nullius diœcesis. Dubitant nonnulli, an prælatus *nullius* possit de caussis matrimonialibus cognoscere, ex eo quod in concilio tridentino sess. 24, cap. 20, vers *ad hæc* de reform. episcopis reservatæ videantur. Verum ego puto, eam cognitionem prælatis ejus generis competere, cum nullibi aut in jure communi, aut in concilio tridentino, aut publice proditis juris interpretationibus reservata proponatur. Revera in dicto capite tridentino tantum exclusi fuerunt ab explicanda ea jurisdictionis specie prælati episcopo inferiores, qui in diœcesi episcopi degunt, uti colligitur ex mentione facta decanorum, et archidiaconorum, qui, siquam jurisdictionem exercent, eam exercent in diœcesi episcopi, atque de eisdem prælatis in diœcesi constitutis ego etiam intelligo capitulum 12, de excessibus prælatorum. De abbatibus nullius diœcesis nullam factam mentionem invenio in eodem tridentino decreto, quam sane tridentini antistites fecissent, si eos ab illa jurisdictionis specie excludendos voluissent; quemadmodum et revera mentionem specialem eorundem fecerunt cum ipsos excludere in aliis casibus voluerunt, uti liquet in conspectu capitis 10, sess. 23, et capitis 9, sess. 24, de reform. Item licet abbates nullius diœcesis confessarios ipsi constituant, eandemque ob rem certos casus instar episcoporum sibi valeant reservare, non ideo tamen, secluso privilegio singulari, aut indulgentias concedere possunt, aut absolvere vel a casibus sedi apostolicæ reservatis, vel a censuris, vel ab irregularitatibus, de quibus sermo fit in tridentino concilio sess. 24, de reform. cap. 6, hæc enim singularia visa sunt, et tantum episcopalis dignitatis gratia constituenda, dicto cap. 6, tridentino, cap. 14, de pœnitent. et remission. Insuper ex recepta interpretatione concilii tridentini sess. 24, de reform. cap. 3, obtinet, ut nequeant prælati *nullius* monitoriales literas concedere, quæ, quotiescumque opus sit, a diœcesanis illorum a sede apostolica erunt impetrandæ. Ex his liquet, respectu diœcesis, quæ dicitur *nullius*, quasdam jurisdictionis species proximiori episcopo reservari exercendas; qua in re nomine proximioris intelligemus eum, cujus ecclesia cathedralis proximior est abbatiali, quæ dicitur nullius, et quidem a viis ordinariis, et magis tritis distantiam loci dimetiendo, argumento capitis 9. tridentinæ sessionis 24, de reformat. Fateor tamen, in his controversiis, quæ inter episcopos viciniores, et abbates *nullius* sæpe ac sæpius suboriuntur, regulam generalem in jure communi præstitutam non fuisse: tantum moribus omnia diriguntur, quamquam ex recentioribus romanorum pontificum constitutionibus multa definitionem acceperint. Videatur constitutio 33, tomi 2. Bullarii Benedicti XIV. Denique ob-

servo; sede abbatiali vacante quæ proprie nullius diœcesis sit, prælati jurisdictionem ad collegium abbatialis ecclesiæ devolvi, ut ab eo vicarius capitularis eligatur, eadem ratione servata, quam superius servandam tradidi a capitulo cathedralis ecclesiæ sede episcopali vacante, juxta caput 16, sessionis 24, tridentinæ de reformatione.

DISSERTATIO SEXTA

DE PAROCHIS, EORUMQUE OFFICIO, AC POTESTATE

CAPUT I.

De origine, et institutione parochorum; item de eorundem officio, ac potestate generaliter.

Non primo, aut secundo, uti fingere voluit Isidorus Mercator in suis epistolis falso tributis Clementi, Anacleto, et Dionysio pontificibus, seu in can. 3, dist. 80, can. 1, cau. 13, qu. 1, et can. 28, cau. 16, qu. 7, sed quartum demum ecclesiæ sæculo, aucto fidelium numero, et pace ecclesiæ firmata, institutæ fuerunt extra civitates, et episcopales ecclesias parochiæ in vicis et pagis. Non hic de parochorum, aut parochiarum nomine disputo, non enim ignoro, olim parochiæ nomen significasse provinciam metropolitæ cuipiam antistiti adsignatam, presertim apud Græcos, uti liquet ex canone 17, concilii ancyrani, ex canone 3, et 9, concilii antiocheni, et ex canone 17, concilii chalcedonensis. At apud Latinos coercita est significatio nominis ad certam presbyterorum administrationem sub episcopo certam plebem regentium, uti apud patres concilii agathensis in can. 35, de cons. dist. 1 et apud patres concilii aurelianensis V, can. 8, unde dici posset occurrere parochiarum nomen in ecclesiasticis monumentis, alia tamen significatione, antequam parochiæ ipsæ instituerentur. Neque heic disputo de ipsis parochorum officiis ac muneribus, utpote quæ et ipsa ante parochiarum institutiones exercebantur. Fuerunt jam temporibus apostolorum presbyteri infra episcopos constituti sacramenta fideli populo administrantes suo ordini congruentia, et subsidium episcopis ferentes in iis officiis, quæ hodie parochi præstant, quod statim intelligitur ab iis, qui norunt, presbyterorum ordinem ab ordine episcoporum divino jure esse distinctum. Sed quando adhuc tunc temporis in commune presbyteri sub episcopo ista gerebant, obsequentes, prout res incideret, mandatis episcoporum, proprie dici non potest, parochias erectas fuisse, præsertim cum una tantum esset ecclesia cathedralis, nulla aliæ in vicis erectæ, neque proprie dici potest, jam parochos fuisse designatos. Itaque quarto primum ecclesiæ sæculo nondum erectis sacris ædibus in vicis, et pagis, nec certis designatis sacrorum ministris, extra ordinem, prout certa caussarum aut personarum adjuncta postulabant, in ea loca e cathedrali ecclesia auctoritate episcoporum presbyteri mittebantur ad solatia plebium ad cathedralem ecclesiam præstitis officiis sibi mandatis reversuri, qui propterea *visitatores, circumcursatores, circuitores,*, et græco vocabulo *periodeutæ* in laodiceno concilio circa annum 360, celebrato appellati fuerunt can. 8, dist. 80. Paullatim eo res devenit, ut erigerentur etiam inibi templa certique administri iis addicerentur, quos inde dicebant *cardinales*, seu *cardinatos*, quasi adfixos Ecclesiis cardines can. 5, dist. 71, can. 42, cau. 7, qu. 1, juncto can. 5 et 6, cau. 21, qu. 1, vel *Sacerdotes vicanos* sive vicorum, uti apud Gentianum Hervetum, vel *presbyteros rur s*, uti apud Dionysium Exiguum, vel *Forasticos,* uti apud Martinum Bracharensem, ad canonem 13, concilii neocæsariensis, et canonem 8, concilii antiocheni, ac tandem *parochos*, sicut et *parochias* ea loca, intra quorum fines potestatem suam illi exercerent, quod jam adparet temporibus concilii agathensis, can. 35; de cons. dist. 1, et concilii aurelianensis V, can 8. Alia præterea nomina ex loquendi usu ad designandos parochos subsequentibus sæculis usurpata fuerunt, isti enim aliquando a suscepto plebium regimine dicti fuere *plebani*, c. 40, de elect., c. 10, ne clerici, vel monachi aliquando a regimine animarum dicti *Rectores*, cap. 3, de vita, et honest. cleric., cap. ult. de præbend., cap. 3, de cler. ægrot. aliquando ad denotandam singularem curam inter plures tributam respectu diversarum plebium dicti fuerunt *proprii sacerdotes*, cap. 12, de pœnit. et remis., juncto canone 3, dist. 6, de pœnitentia. Hinc plane liquet, tum, beneficium vere parochiale dici, cum certis erectis sacris ædibus certus sacerdos addictus est caussa sacrorum administrandorum, una tan-

tum demta exercitione potestatis ordinis episcopalis, item una excepta administratione jurisdictionis in foro externo, et quidem erga certum populum intra certos designatos fines circumscriptum, quo fit, ut una ab altera ex parochiis distinguatur: interest enim ecclesiasticæ rei ita consulere populo ut certi limites constituantur, intra quos ad certum sacerdotem spectet ministrare sacra, et certus populus ab eodem sacerdote sacra petere debeat, ut omnia ordinate fiant sine turbatione. Quamobrem concilium tridentinum in sess. 24, cap. 13, de ref. in fine episcopis mandavit, ut in iis civitatibus, ac locis, ubi parochiales ecclesiæ certos non haberent fines, nec earum rectores proprium populum, quem regerent, sed promiscue petentibus sacramenta administrarent, pro tutiore animarum eis commissarum salute, distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum adsignarent, qui eas cognoscere valeret, et a quo solo licite sacramenta susciperent, aut alio utiliore modo, prout loci qualitas exigeret providerent.

Supersedeo hoc in loco ab expendendis modis quibus parochiales ecclesiæ aut erigendæ sunt, aut uniendæ, aut dividendæ, item ab expendendis variis parochiarum rationibus prout illæ vel per proprios parochos reguntur, vel per capitula, vel collegia, vel monasteria, designatis quibusdam vicariis sive temporalibus, sive perpetuis, quæque propterea non proprie parochiæ, sed vicariæ appellantur, item prout aut habitu tantum, aut etiam actu parochiales ecclesiæ appellantur, hæ enim observationes commodius in tractatione de beneficiis ecclesiasticis habebuntur. Tantum orationem coercebo ad jura, et potestates institutorum parochorum, quæ quidem jam aperiri cœperunt, ubi parochorum, et parochiarum origo, et institutio tradita mox est, sunt tamen adhuc cum uberius, tum clarius explicandæ. Atque ut generalia hujus rei principia ordinate tradantur, observo, ubi primum institutæ fuerunt parochiæ, non omnia statim ecclesiastica officia parochis commissa deprehendi. In primis episcopi non omnem in vicis, et pagis exercendam potestatem in parochos transtulerant, et pene dixerim a se abdicaverant; unde multa superfuerunt episcopis reservata. Secundo, cum episcopi in erectis parochiis non tantum certum sacerdotem sub titulo et nomine parochi designaverint, sed et alios clericos etiam sacerdotes quasi in parochi adjutorium dederint, et dare perrexerint, qui in ecclesia parochiali, aut in aliis ecclesiis minoribus in parochiæ finibus sitis ad id erectis quædam etiam sacerdotalia munera obirent, multa quoque superfuerunt, quæ et parochis ipsis, et sacerdotibus et clericis in parochia constituti essent communia. Hinc poni certa regula nequit cum omnia, seu quæ parochis reservata, seu quæ sacerdotibus clericisque parochorum veluti adjuctoribus concessa fuerunt, vel ex certis, et singularibus canonum sanctionibus pro varietate temporum locorum, ac caussarum multo dissimilibus, vel ex variis diœceseon usibus, quam ex generali jure definita deprehendantur. Mirum profecto est, quot involucris hæc omnia ex pragmaticorum traditionibus implicata fuerint. Passim distinxerunt triplicis generis parochorum offficia, alia referentes ad jura, alia referentes ad onera, alia referentes ad functiones parochorum, sic putantes, parochorum officia, ab officiis sacerdotalibus facile discretum iri; imo et ubi de juribus agerent, dixerunt, alia esse jura mere parochialia, alia mere sacerdotalia, alia in media quadam specie constituta quæ inter utraque collocarent, eadem quasi parochialia nominantes. Quibus factis distinctionibus multum differre tradiderunt jura ab oneribus, jura et onera a functionibus parochialibus, quædam officia inter onera et jura recensentes; non inter functiones parochiales, quædam e contrario functionibus parochialibus, non juribus, aut oneribus adscribentes. In conspectu istarum traditionum, quæ sane non res, et caussas definire potuerunt, sed universa turbare, quis non agnoscat, nominum potius, quam proficuam rerum distinctionem fuisse confictam, unde inextricabilis, et procul extra omnem methodum posita indigesta et sine ordine turbatarum caussarum farrago acervaretur? Hinc statim duo gravissima emergunt incommoda. Primum est, non satis, percipi posse, quomodo functiones parochiales ab oneribus, et juribus parochorum secerni possint, dum enim parochus oneribus sibi impositis satisfacit aut jura explicat, quid aliud agit, quam fungi munere suo, seu, quod idem est, in functione parochiali manere? Quomodo item distinguentur jura ab oneribus? onus enim parochiale adeo cum jure conjunctum est, ut unum ab altero divelli non possit et pauca admodum sunt jura, ad quæ exercenda parochus onere quodam sui muneris non obstringatur. Quis præterea non arbitrariam dicat, et sine caussa confictam distinctionem illam jurium, quæ quasi parochialia appellaverunt, ut eadem a mere parochialibus, et a mere sacerdotalibus discernerent? neque enim generalem fingere possunt quasi parochialium jurium definitionem, ex qua deinde veluti ex principio certo colligere possint, quid sacerdotibus liceat quidque sit parochis reservatum, sed tantum hanc quasi parochialium jurium ideam exemplis commonstrant, in quibus simplicius consistere potuissent, ajendo, certa officia fuisse parochis concessa, et ordinario jure ceteris sacerdotibus denegata. Alterum incommodum est, non satis consonare pragmaticos ipsos, ubi ad singulares casus deveniunt, et factis emer-

gentibus sua principia accommodant, in definiendis negotiis, quænam ad jura, quænam ad onera parochialia pertineant, quænam ad functiones, quænam ad quasi parochialia munera, unde identidem controversiæ intricatissimæ suboriuntur, non aliter, quam auctoritate, seu vi legumlatorum definiendæ, nunquam sententia judicis ad certa principia, vel generales legum rationes exigenda; ita enim evenire, solet, ubi certæ leges desiderantur, et ubi pragmatici subtilibus et inextricabilibus commentitiisque involucris universa turbarunt potius, quam explicaverunt.

Ut commodiorem viam, quoad fieri potest, ineamus, eamque rationem disciplinæ, quae certis principiis constet generalia hæc velut effata ponamus, ex quibus multa utilia ad rem propositam pendent consectaria, et pene universæ controversiæ facile dirimuntur. Primum principium est, quod liquet ex ipsa superius demonstrata parochorum origine, et primigenia institutione, nimirum parochos fuisse ab episcopis constitutos ad utilitatem fidelis populi, et quasi vice episcoporum in parochialibus ecclesiis gerendi sacri muneris caussa designatos. Hinc ego deduco, eam potestatem, ea jura, eas functiones, eaque omnia quocumque nomine appellentur, officia exercenda esse a parochis, quæ exercenda ab episcopis mandata fuerint, sive expresse prout mandatis contineatur, sive tacite, prout episcopi certa officia exerceri et sciant, et patiantur. Secundum principium est, potestatem ordinis episcopalis nunquam parochis competere, utpote quæ ne ex mandato quidem episcoporum in alterum non episcopo transferri non possit. Quamquam enim olim essent parochi nonnulli, qui chorepiscopi appellarentur, et quidem episcopali ordine insigniti, quemadmodum alibi superius traditum est, qui ex mandato episcoporum certa episcopalis ordinis munera exercerent, hodie tamen cum obtinuerit, nullos episcopos ordinatos in vicis, et pagis parochialis gerendi officii caussa constitui, sed tantum eos, qui presbyteratus ordine initiati sunt, frustra istis accommodarentur, quæ respectu aliquot veterum chorepiscoporum olim vigebant. Tertium principium est, potestatem jurisdictionis episcopalis in foro externo potuisse quidem parochis demandari ab episcopis, nunquam tamen vi generalis parochialis designationis fuisse mandatum; tantum scimus, quosdam fuisse parochos, qui eam singulari titulo obtinerent, puta aut speciali episcopi mandato, quod privilegii instar fuerit non commune parochis universis, aut singulari consuetudine, aut præscriptione legitima. Hujusmodi erat Plebanus ille, de quo agitur in cap. 3, de offic. jud. ordin., qui sententiam interdicti, vel excommunicationis in parœcianos suos tulerat, eam ob rem prælati nomine ibidem appellatus. Hujusmodi etiam sunt hodie parochi, qui præter parochiale munus ex designatione episcoporum vicarii foranei officium exercent, quasdam jurisdictionis episcopalis species ex mandatis explicantes, utut intra certos fines coercitas. Quartum principium est, episcopos, ubi ad parochorum constitutionem devenerunt, non ideo abdicavisse a se sacrorum administrationem in parochiis ipsis habendam; voluerunt enim ipsi parochos in adjutorium suum vocare, non in eos potestatem quasi abdicatam transferre; ex quo fluit, adhuc episcopo facultatem liberam inesse, quotiescumque ei videatur, ipsa etiam parochialia officia gerendi. Tantum quædam jura fuerunt, quæ a se abdicarunt, ut parochi commodius alerentur, veluti jura oblationum, aut decimarum, aut similia, uti inferius tradam. Quintum principium est, ad episcopi dispositionem pertinuisse ut, quando episcopus in parochorum subsidium certos alios clericos, imo et sacerdotes in parochialibus ecclesiis deservituros adjungeret, inter ipsos officia partiretur, et certa officia parochis reservaret nemini concedenda in signum parochialis honoris, certa officia libere clericis eisdem, ac sacerdotibus gerenda relinqueret, certa etiam ita parochis imponeret, ut identidem pro ecclesiarum utilitate episcopus idem aliis clericis, et sacerdotibus gerenda committeret. Hujus principii ratio in eo innititur, quod moderatio parochiarum ex episcopi voluntate semper pependit, et ad episcopum pertinuit certam legem parochis, et parochiis dicere. Hinc in primis honestum fuit episcopos certa officia ita mandare parochis, ut fere non mandarentur ne episcopi quidem auctoritate inferioribus sacerdotibus, ne exinde parochorum honos, et supra ceteros prærogativa imminueretur. Secundum honestum etiam fuit, ut inferioribus sacerdotibus libera quædam officia relinquerentur, ne vacua videretur illorum ordinatio, et inanis illorum titulus, dum titulo parochialis ecclesiæ, cui inservirent, ordinarentur. Postremo honestum etiam fuit, ut episcopi arbitrio nonnulla reservarentur, æque inferioribus clericis, et sacerdotibus pro eorundem modo committenda ut certus etiam honos episcoporum auctoritati reservaretur.

His omnibus principiis positis, statim fluit ex generalibus episcoporum mandatis ab initio totam constitutam fuisse, imo et formam sumsisse universalem parochorum potestatem, quamquam non exinde dicendum sit, extraordinarias esse et veluti delegatas parochorum facultates; non enim delegationes, et mandata episcopalia personarum gratia prodierunt, sed gratia parochialis officii, quod uti perpetuo instituebatur, ita in officium ordinarium erat evasurum. At enimvero mandata illa episcopalia hodie non adparent, neque remanet vestigium veterum illorum mandatorum, quibus

primum parochialis potestas emersit. Igitur concludendum est, tales mandatis facultates præsumi fuisse comprehensas, quales demonstravit constans et perpetuus usus ecclesiarum. Hæc generalia sunt, quibus instructi ad singularia nunc descendere possumus. Quod ut ordinate præstetur, dixero, ex usu, et consuetudinibus Ecclesiarum ad quatuor summa capita referri jura, onera, et quocumque nomine appellentur, officia parochorum. Primum recensentur sacramentorum, et sacramentalium administrationes: deinde funerum rationes, et adjuncta; tertio quædam officia, et ministeria ad bene regendos cum publica utilitate fideles: denique oblationes, atque obventiones aut ex debito, aut ex liberalitate in Ecclesiam collatæ. Hæc universa, ac singula cum expendero, clarius in sequentibus explicabuntur, sive quæ parochis reservata omnino fuerunt, sive quæ etiam sacerdotibus, et clericis inferioribus in ecclesia parochiali deservientibus libere commissa fuerunt, sive quæ etiam sacerdotibus iisdem inferioribus ex speciali episcoporum indulgentia committi sine injuria parochi possunt, sive quæ ita episcopo reservata sunt ut nullo modo ab inferioribus sacerdotibus, ne a parochis quidem, attingatur.

CAPUT II.

De potestate parochorum in administratione Sacramentorum, et eorum, quæ prope ad Sacramenta accedunt, Sacramentalium.

Quotiescumque episcopus velit ipse in parochia sacramenta administrare nunquam poterit a parocho excludi, uti statim deducitur ex iis, quæ in præcedente capite dicta sunt; quamquam enim sacramentorom administrationem parochis commiserint episcopi, eos tamen in hac parte veluti adjutores suos selegerunt, imo et hanc potestatem perpetuo exercere per se, quoties libuisset, perrexerunt. At si agatur de ceteris sacerdotibus in parochiali ecclesia deservientibus, multa sunt sacramenta, a quorum administratione isti excluduntur, parochiali officio reservata, argumento clementinæ 2. de sepultur. vers. *In ecclesiis.* Hujusmodi sunt solemnis collatio baptismatis, unctio infirmorum, et benedictio nuptiarum, clement. 1, de privileg. concilio tridentino sess. 24, de ref. matrim. cap. 1, juncto cap. 13, sess. 24, de ref. in iis verbis: *a quo solo*, idest parocho, *licite sacramenta suscipiant.* Hujus reservationis rationem nullam aliam invenio, quam quod usus Ecclesiarum ita semper tulit, et istorum sacramentorum administrationem ita episcopi parocho mandaverint vi suæ institutionis, ut inferioribus sacerdotibus denegarent. In sacramento pœnitentiæ receptum est, ut parochus jure ordinario, idest, quin opus habeat singulari episcopi delegatione, illud parochianis suis administret, imo et quibuscumque parochianis petentibus, dummodo nullum obsit canonicum impedimentum, administrare teneatur, quamquam tamen solent episcopi similem facultatem quasi in subsidium parochorum aliis sacerdotibus demandare, quorum gratia tantum valet specialis episcopi delegatio, quantum ordinaria potestas parochorum. Hac in re olim vigebat, ut semel in anno tenerentur fideles parocho suo, non alteri sacerdoti confiteri, cap. 12, de pœnit. et remiss., quæ tamen obligatio hodie non easdem vires amplius habet, quod ecclesia patiatur, annuæ confessionis præcepto satisfacere fideles, dummodo apud sacerdotem ab episcopo adprobatum confiteantur.

In sacramento eucharistiæ distinguenda sunt plura, nimirum confectio, et oblatio, custodia, dispensatio, expositio publica, et solemnis cum populi frequentia gestatio. Sane confectio, et oblatio, cum per se nullam omnino jurisdictionem requirat, sacerdotibus universis conceditur, proindeque mere sacerdotalis, non parochialis functio a pragmaticis appellatur. Illud parochis singulare est, ut frequentissime pro populo, et saltem festivis quibuscumque diebus teneantur missæ sacrificium offerre. Concilio tridentino sess. 23, de reform. cap. 1, et quamquam ab usu recesserit, quod olim vigebat, parochianos adesse necessario debuisse proprii parochi sacrificio universis dominicis, festivisque diebus, can. 4 et 5, cau. 9, quæst. 2, cap. 2, de parochiis; tamen monendus est populus, ut, quoad fieri possit, eam disciplinam observet ob gravissimam, quæ exinde emergit, publicam utilitatem. Siquidem in eadem Missa parochiali et salubria documenta ex ore parochi ex Ecclesiæ præscripto excipiuntur, et fit jejuniorum, festorumque dierum in hebdomada occurentium indictio, insuper etiam fiunt matrimoniales denunciationes, ac proclamationes ordinandorum, et siquæ alia hujusmodi sint, quibus sane opportuna est magna populi frequentia atque conventus. Singulare quoque agnoscimus gratia parochialium ecclesiarum, ut missa in iis celebrari a parocho possit, ac debeat Feria quinta in cœna Domini, ac sabbato sancto, una cum oblatione præsanctificatorum, quæ fit feria sexta in parasceve. Verum id inter jura mere parochialia non recensetur, cum aliis Ecclesiis minime parochialibus id possit, ac soleat præsulum auctoritate concedi. Addo his, nec celebrationem missarum solemnium per annum inter jura mere parochialia adscribi, cum id etiam permittatur rectoribus minorum ecclesiarum, saltem in diebus festivis earumdem singularibus, quod episcoporum arbitrio, et æquitati remittitur. Custodia eucharistiæ in unaquaque quidem parochiali ecclesia facienda mandetur; at non id inter jura vere parochialia recense-

tur, cum id concedi soleat aliis ecclesiis pontificia auctoritate, clement. 1 de privileg. dispensatio ejusdem sacramenti unicuique sacerdoti, præsertim dum sacrificium celebratur, conceditur; uti enim optat Ecclesia, ut etiam in missis privatis fideles communicent, concilio tridentino sess. 22 de sacrif. Missæ cap. 6, ita facultas unicuique sacerdoti conceditur, tempore sacrificii fideles quoscumque alias nullo impedimento detentos ad sacram mensam admittendi. Duo tantum hac in re gratia parochorum, et parochialium ecclesiarum excipiuntur. Primum est, cum agitur de paschali communione in parochiali ecclesia necessario peragenda, dicto cap. 12 de pœnit. et remission. Alterum est, cum agitur de delatione eucharistiæ ad infirmos, quæ uni parocho reservatur, cap. 10 de celebrat. missar., dicta clement. I de privilegiis, quamquam omni tempore parocho onus immineat, fidelibus sine injuria tanti sacramenti, et decore petentibus illud dispensandi. Expositio eucharistiæ una cum benedictione super populum effundenda fieri quidem a parocho potest juxta modum ab episcopo præstitutum, non vero inter functiones mere parochiales connumeratur; quamobrem, uti in similibus contingere dicimus, ex episcopi arbitrio pendet, eam ceteris ecclesiis, earundemque rectoribus facultatem facere. Atque idipsum dicendum est de solemni et publica eucharistiæ cultus, exhibendi caussa, gestatione.

Quemadmodum vero exemplo sacramentorum a Christo institutorum ecclesia jure suo sacramentalia quædam instituit, ita factum est, ut ea sacramentalia parochorum officio eo reservarentur magis, quo propius accederent ad sacramenta parochorum ministerio reservata. Hinc cum fontis baptismalis benedictio materiam baptismatis præparet, a parocho regulariter est facienda, quamquam non omnino, et strictissime juribus parochialibus adnumeretur; quod aliquando contingat, has aquarum benedictiones a non parochis fieri, aut in ecclesiis minime parochialibus, ubi nimirum ea vigeat consuetudo, aut privilegium, aut statutum induxerit, aut aliud quodcumque jus singulare. Benedictio quoque mulierum post partum, quod species quædam purgationis, seu purificationis, passim habeatur, eademque ratione paschalis domuum benedictio, et diebus dominicis lustralis adspersio populi in unum ad ecclesiam convenientis ad munera parochorum refertur, quamquam non omnino proprie, ut ex episcopi concessione, aut privilegiis, aut moribus aliis sacerdotibus aliquando non adquirantur; eove minus stricte ad jura mere parochialia referuntur ceteræ benedictiones sacerdotales non reservatæ episcopis, quales sunt candelarum, cinerum, palmarum, seminum, ignis, et rerum similium; quemadmodum neque expositio sacrarum reliquiarum, et imaginum, etiamsi per illas adstantibus fidelibus benedicendum sit, dummodo ritus servetur præstitus in manualibus ecclesiastica auctoritate probatis; quamquam tamen, ubi celebrandus esset non infrequens populi conventus, expectandus semper foret episcopi consensus. Horum omnium si a me singularem rationem postules, non aliam indicare possum, quam superius sæpe allatam; nimirum quia in institutionibus parochiarum ita episcopis placuit officia clericorum inter eos partiri, ut quædam reservarentur parochis, quædam libere sacerdotibus ceteris indulgerentur; quædam indulgerentur eisdem sacerdotibus tum demum, cum specialis episcopi auctoritas aut expresse, aut tacite, qualis ex longo usu intercessisse præsumitur, accessisset. Atque hæc est illa partitio apud pragmaticos adeo celebrata inter munera mere parochialia, et mere sacerdotalia, et mixta, seu quasi parochialia. Ut paucis id concludam, respectu sacramentorum, aut sacramentalium vere parochialia munera dici possunt solemnis collatio Baptismi, communio infirmorum, communio paschalis parochianorum, administratio extremæ unctionis, et benedictio matrimonialis. Munera mere sacerdotalia sunt confectio, et oblatio eucharistiæ, item dispensatio ejusdem sacramenti extra casum infirmitatis, et extra paschalis communionis adjuncta. Cetera superius commemorata mixti generis dici possunt, sive, ut ajunt pragmatici, fere parochialia. Munera mere parochialia ab uno parocho agenda sunt, exclusis inferioribus quibuscumque clericis etiam sacerdotibus, nisi istis parochus ipse eadem exercenda mandaverit. Imo et in istis, quamquam episcopus, libere per se agere possit, raro tamen aliis sacerdotibus facultatem concedit, et tunc extra ordinem pro una, aut altera vice, ubi suadere videantur certa caussarum, et personarum adjuncta. Visæ enim sunt hæ reservationes faciendæ, ut certus honos parochis deferretur, utque facile parochialis potestas, et officium a ceterorum sacerdotum officio secerneretur. Munera mere sacerdotalia libere sacerdotibus etiam inferioribus relinquuntur; cum enim juxta sacrorum canonum sanctiones ordinandi sint sacerdotes ab necessitatem, vel utilitatem ecclesiarum, quibus eos adscribi necesse est, concilio tridentino sess. 21 de reformat. cap. 2, ita censentur in parochiis constituti, ut vi suæ ordinationis certa officia peragant. Munera quasi parochialia, seu quæ prope ad parochialia accedunt, generaliter exerceri a sacerdotibus parocho inferioribus nequeunt, ut et in his honos certus parocho deferatur. Facile tamen permittitur episcopis, eadem committere sacerdotibus illis, ut episcopi ipsi adhuc in pluribus auctoritatem suam libere sibi possint asserere, et alieno etiam ministerio in parochiis agere.

CAPUT III.

De potestate parochorum, ratione habita funerum, et, quæ funeribus cohærent, adjunctorum.

Huc referendus est titulus 28, libri 3.

Equidem romani veteres res religiosas a sacris distinxerunt, et funerum rationes, et caussas, nunquam inter sacras potius inter religiosas res recensuerunt, l. 6, § 3 et 4, ff. de division. rer., et qualit. quando autem et religiosas et sacras res divini juris esse dixerunt, l. 1, princip. ff. eod. tit., facile obtinuit, ut eadem ratione, qua nonnulla sacra negotia parochorum potestati fuere commissa, ita et funera veluti religiosa ad parochorum officium referrentur. Atque id potissimum evenit, postquam recentioribus sæculis inductum est, ut fidelium in pace ecclesiæ defunctorum cadavera in sacris ædibus, aut ad sacras ædes constructis cæmeteriis tumularentur. Hac in re tria distinguere oportet. Primum est sacer exequiarum ordo, ac ritus. Alterum est locus, in quo cadavera tumulantur. Postremum consistit in oblationibus, quæ a defuncto factæ fuerunt, vel ab hæredibus defuncti fiunt, pietatis, religionisque caussa: jamdudum enim obtinuit, in iis omnibus certas, et singulares haberi rationes, seu parochorum, seu parochialium ecclesiarum.

Exequiarum ordo, et ritus, quo tempore Romani adhuc gentium superstitionibus detinebantur, abs jure sacro pendebat, non sane quod pontifices, et sacerdotes præsentes essent in ducendo funere, et justis, ac parentalibus absolvendis, sed quod legibus, et mandatis eorundem universa dirigerentur. Hinc si ageretur de monumento extruendo ex defuncti voluntate, ad pontifices pertinebat de eo decernere, l. 50, § 1, in fine ff. de heredit. petit. Item de reficiendo religioso loco pontifices explorare debebant, l. ult. ff. de mortuo inferendo; neque aliter licebat mortuorum cadavera de uno in alium locum transferre, quam ex permissu pontificali, l. 8, ff. de relig. et sumt. fun., quamquam tamen principis, seu imperatoris auctoritas his caussis absolvendis multum poterat, et sine discrimine intercedebat æque ac auctoritas pontificalis, dicta l. 50, et dicta l. 8, ex eo, ut arbitror, quod imperatores pontificis Maximi dignitate ut plurimum decorarentur; unde disciplina profluxerat, ut funerum designatores, de quibus mentio fit in l. 4, § 1, ff. de his, qui not. infam., auctoritate principis eligerentur, quibus principiis morem gessisse videntur moguntini antistites in can. 37 de cons. dist. 1; at officia ipsa funerum a sacerdotibus minime absolvebantur. Ut enim gentiles credebant. Deos abborrere ab adspectu mortuorum, ita piaculum putabant, sacerdotes Dei ministros cadavera adspicere, quorum intuitu dicebant oculos inquinari. Hinc Seneca de consolatione, capite 15, scribit, Tiberium Cæsarem, quod pontifex esset, laudavisse filium suum adoptivum tunc mortuum, velamine interjecto ne cadaver videret. Erant ad ritus funerum dirigendos constituti funerum designatores, de quibus cum aliquando quæsitum esset, an ludicram artem exercere dicerentur, et ob eam caussam infames haberentur, dicta l. 4, § 1, ff. de his, qui not. infam., facile conjicitur, eos aut humiliores fuisse, aut certe non ex collegio sacerdotum. Erant præficæ mulieres, quibusdam funestis lamentationibus ante cadavera occinendis destinatæ. Erant libitinarii ad cadaver humandum, erigendumque tumulum præstituti, quibus in eo officio serviebant ad exuenda, inungendaque cadavera pollinctores, de quibus mentio fit in l. 5, § 8, ff. de institoria actione. Sacerdotibus indecorum erat, atque inhonestum his officiis interesse, eove minus vacare. Ubi vero in romano imperio christiana religio successit, vana illa superstitio abjicienda fuit, omniaque ad fidei nostræ lucem exacta. Illud quidem retentum est, ut cura, et jurisdictio funerum in ea parte, qua de religione agitur, ad sacerdotes spectaret; at cetera fere exoleverunt. Putabant æthnici, Deos ab adspectu mortuorum abhorrere: docuit christiana religio defunctorum animas, si justæ fuissent, apud Deum quiescere, imo et cum Deo lætari, cadavera autem ab eisdem animabus relicta tandem aliquando animabus jungenda in communi resurrectione, et in divina habitacula recipienda. Hinc sacerdotes Dei ministri non solum non abhorrebant a conspectu cadaverum, sed et reliquias maryrum colligebant, et in sacro altari collocabant. Præficas mulieres induxerant æthnici ad canendas lamentationes. Id damnaverunt christiani antistites, docentes, non lugendum esse de obitu christianorum, sed potius lætandum, propterea quod confiderent maxime, eos ad Deum convolavisse; ac propterea psalmorum, et hymnorum cantum in funeribus receperunt, can. 28, cau. 13, quæst. 2, tum vero facile induci cœperunt sacerdotes, ut ipsis psalmos, hymnosque concinerent, præsertim autem quum eodem tempore pro defunctis sacrificium in altari offerrent can. 19, et sequentibus cau. 13. quæst. 2, minoribus aliis officiis sepulturæ caussa peragendis relictis pietati et religioni, aut laicorum quorundam, aut etiam minorum clericorum, quibus propterea certas in eis caussis leges fuisse dictas, nos docent veterum canonum monumenta, can. 40, de cons. dist. 1. Exinde facile percipitur, quare tandem aliquando ad parochorum officium spectare cœperint multa ex iis, quæ ad funera pertinent. Erat cum psalmorum hymnorumque sacrorum cantu tumu-

landum cadaver, erat sacrificium pro defuncto offerendum, adjiciebantur his piæ preces, in quibus omnibus sacerdotale officium intercedebat; constitutis autem parochiis, et sacerdote ibidem sub nomine parochi designato, ab episcopis mandatum est, ut idem parochus eam præcipuam susciperet curam. Quando vero, ut sæpe dicendum fuit in capitibus, ex usu demonstratur, quid ad officium vere parochiale pertineat, ex ecclesiarum moribus ad parochum privative pertinet funus ducere juxta ritualium formam, etiamsi defuncti cadaver sit extra parochialem ecclesiam tumulandum. Præcipua autem ratio in ducendo funere observanda est, ut parochus deferendæ cadaveri aquæ adspersione benedicat, et cum psalmis associet, dicto can. 28, cau. 13, qu. 2, et cum in parochiali ecclesia sit tumulandum, supremis ecclesiæ officiis prosequatur; cum vero in alia ecclesia præsertim exemta tumulandum sit, illud in ingressu ecclesiæ dimittat, cui suprema officia celebranda erunt ab ejusdem ecclesiæ rectore sacerdote, cum ista non proprie, et omnino parochialia haberi obtinuerit. Nomine parochi hac in re is intelligitur, qui jus habet ordinarium, seclusa electione singulari, sepultura donandi, uti mox dicendum erit.

Quod si ex eo, quod religiosa res esset præesse funeri, et funus ducere, id ad jura parochorum referri decorum fuit, eadem de caussa ex eo, quod loca, in quibus cadavera tumularentur, religiosa semper habita fuerint, l. 6, § 4, ff. de divis. rer., obtinuit, ut hoc inter jura parochialium ecclesiarum recenseretur. Jam olim apud gentes cautum erat, ne cadavera in urbibus sepelirentur, uti perspicue demonstratur ex vulgari fragmento legum duodecim tabularum ita concepto: *Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito.* Et imperator Hadrianus rescripto suo pœnam statuerat quadraginta aureorum in eos, qui in civitate sepelirent, eo adjecto, ut cadaver tumulatum alio transferretur, l. 3, § 5, ff. de sepulchro violato, quod deinde confirmaverunt Diocletianus, et Maximianus, in l. 12, cod. de relig. et sumt. fun. Id postulabat urbium politia; vel enim ante tumulationem ex veterum more cadavera cremabantur; tum vero maxime verendum erat, ne noxiis incendiis daretur occasio præsertim quod a locupletibus heredibus identidem strui solerent ad honorem defuncti ingentes piræ, ac rogi: vel sine crematione tumulandum erat cadaver; tum vero consulendum erat, ne ob fœtorem aer urbium corrumperetur. Erat hæc gentium disciplina, quam paullisper immutare primis sæculis cœpit ecclesia. Etenim ecclesiastici antistites cœperunt in ecclesiis tumulare sanctorum martyrum cadavera, aut eorundem reliquias undique piorum fidelium sollicitudine conquisitas, quas si forte in urbes publice adsportare non possent, ecclesiolas in agris erigebant, in quibus cadavera, aut reliquiæ conderentur, atque eæ ecclesiæ appellabantur *ecclesiæ martyrii*, de quibus mentio in concilio chalcedonensi, can. 1, dist. 70 cujus etiam generis fuisse puto ecclesiam illam in honorem s. Viti constructam, de qua mentio fit in can. 26, cau. 16, qu. 7. Conditis in Ecclesia etiam civitatensi reliquis martyrum, conditis in Ecclesia etiam cœperunt reliquiæ virorum defunctorum, qui cum illustris sanctimoniæ præclara fama decessissent; ac deinde fideles prope easdem reliquias sua cadavera condi adamarunt, vel in ecclesiis martyrii extra urbem sitis, quo spectat canon 7, dist. 1 de consecrat. vel in ecclesiis aut cathedralibus, aut parochialibus, non quidem intima Ecclesiæ parte, sed aut in exedris aut templorum, aut in atriis, aut in porticibus, quorum ambitu templa continebantur; atque ubi atria non essent, aut porticus, cœperunt certa loca ecclesiis prope cohærentia designari, quæ cœmeteria dicta sunt, in quibus episcoporum auctoritate benedictis tumulata cadavera habebantur, ac si in porticibus, vel atriis, vel ecclesiis quiescerent, can. 15. cau. 13, qu. 2. Non erat prisca ætate permissum fidelibus viventibus sedere in ecclesia; erat enim locus sacer ad id destinatus, ut ibidem fideles vel prostrati, vel surgentes orarent. Tantum sedere licebat in exedris, atriis, ac porticibus. Alias autem cum defunctorum corpora quiescere dicerentur, visum fuit indecorum, eadem in intimam Ecclesiæ partem traduci. Paullatim factum est, ut, quando clericis adsignari in interiore Ecclesia sedes ceperunt, item laicis bene de Ecclesia meritis, præsertim fundatoribus, aut patronis Ecclesiarum, unde etiam hodie inter jura patronalia recensemus honorem sedis; eisdem clericis, laicisque benemeritis, fundatoribus, ac patronis loca adsignata sunt in interiore Ecclesia tumulandis eorundem cadaveribus destinata, unde etiam hodie inter jura patronalia recensemus jus sepulturæ. Exemplo istorum alii laici beneficia sua in ecclesiam collata prætexentes in ipsas ædes sacras sedes, seu scamna patientibus episcopis transtulerunt, et similiter in sacris ædibus sepeliri adamaverunt, unde tandem in generalem disciplinam abiit, ut quo quisque vivens sedere in ecclesia jure posset, eodem in ecclesia sepeliretur. En originem et fundamenta recentis inductæ disciplinæ, quæ denique postulavit, ut unusquisque fidelis, dummodo nullo canonum impedimento detineretur, seu in pace ecclesiæ obivisset, nonnisi in loco sacro tumularetur, cap. 3 de sepulturis; mansit tamen adhuc hodie vestigium veteris disciplinæ, quo fit, ut cadavera quidem in ecclesia, non tamen infra altaria tumulentur. Duplex erat ratio, qua fideles universi optabant, ut sepelirentur in ecclesiis, et prope reliquias, aut cadavera sanctorum. Primum enim sibi facile persuade-

bant, juvari se validius posse patrocinio sanctorum illorum, ad quorum cadavera, vel reliquias prope jacebant; deinde quoniam in Ecclesiis fiebant quotidianæ fidelium preces, sibi etiam facile persuadebant, juvari se validius posse precibus eorundem fidelium eo convenientium. Hinc fiebat, ut unusquisque magis optaret sepulturam in loco sacro, in quo præter custodiam sacrarum reliquiarum fiebant quotidianæ fidelium orationes, quam in loco sacro, ubi tantum conditæ erant sanctorum reliquiæ, seu in ecclesiolis martyriorum; tunc enim duplex ipsis suffragium utile videbatur, unum ex patrocinio sanctorum, alterum, ex precibus convenientium christianorum. En caussam, quare primum fideles optarent, in ecclesia cathedrali se sepeliri, deinde in ecclesiis parochialibus; ibidem enim episcopus cum clero suo, aut parochus cum clericis sibi administrantibus quotidianas preces habebat in conventu totius populi, atque ex hoc communi omnium voto factum est, ut cum quis moreretur, præsumeretur sibi sepulturam elegisse in cathedrali, vel parochiali ecclesia, can. 3, 6 et 7, cau. 13, quæst. 2, satisque fuit, ut nonnulli in iis ecclesiis tumularentur, ut eorundem filii, ac descendentes ibidem quoque sepelirentur, propterea quod velut erat religio insita in animis universorum, unumquemque in sepulchris majorum velle jacere, can. 2, 3, cau. 13. quæst. 2. Interea dubium videbatur, ubi nulla defuncti electio præcessisset, num is in cathedrali, num in parochiali esset ecclesia tumulandus. Cautum olim fuisse legimus, ut ubi temporum, vel locorum facultas tulisset, potior ratio cathedralis ecclesiæ haberetur, can. 6, cau. 13, qu. 2. Id tamen tunc vigebat, quando decimæ, ac oblationes a fidelibus universis in diœcesi constitutis, in cathedralem ecclesiam conferebantur; at postquam magis firmata fuerunt jura parochorum, et parochialium ecclesiarum, potior habita fuit ecclesiæ parochialis ratio; et statim ac fideles jure ordinario in parochiis sacramenta susceperunt, parochialibusque ecclesiis decimæ, oblationesque cesserunt, cœperunt quoque in parochiali ecclesia, seclusa, singulari electione, tumulari. In his temporum adjunctis cœperunt erigi ecclesiæ in monasteriis, vel in collegiis clericorum in communi viventium. Tum vero monachi iidem aut clerici, cum suas ecclesias sanctorum reliquiis decorarent, et quotidianas ibidem ad Deum funderent orationes, occasionem dederunt piis fidelibus, ut identidem in iis sepulturas eligerent; et quidem facilius tunc, cum in parochialibus ecclesiis, in quibus unus tantum sacerdos erat, aut perpauci, vix quotidiana sacra officia in universum peragi potuerunt. Hinc controversiæ emerserunt inter parochos, et monachorum, clericorumve collegia; obtinuit autem, ut etiam apud monasteria, seu monasteriorum ecclesias eligi sepulturas liceret, can. 13, cau. 16, q. 1, abrogata disciplina canonis 1, eadem caussa, et quæstione. Adeo pervaserat fidelium universorum animos persuasio de eligenda sepultura in iis ecclesiis, in quibus quotidianæ funderetur ad Deum orationes, ut aliquando dubitaretur, an esset admittenda electio in ecclesiis, illis non parochialibus, in quibus assidua non esset populi, ac præsertim clericorum oratio, cap. 3 et 10, de sepulturis, ac definivit Bonifacius VIII, eam electionem esse admittendam, cap. 2, § *Si quis* de sepulturis in 6. Nunc facile intelliguntur verba illa Bonifacii VIII, *in loco minus religioso*, non enim ajebat ipse, extra locum religiosum sepulturam eligi posse, sed tantum in loco religioso, sive maxime religiosus esset, in quo quotidianæ preces fierent, sive *minus* religiosus, idest Deo quidem sacer, sed quotidianis precibus minime frequens; intelligitur præterea illa verba: *licet jura super hoc videantur esse diversa*, quæ referuntur ad memoratas veterum dubitationes. Adhuc tamen in hac re hodie observatur, ut distinguantur ecclesiæ, seu oratoria, quæ in sui institutione jus sepulchri excavandi habuerunt, ab iis, quæ eo jure carent; etenim in prioribus libere quidem licet sepulturam eligere, et quidem faciendam in tumulis ad id destinatis, non in posterioribus; imo ne in prioribus quidem extra tumulos ad id destinatos, nisi ecclesiastici superioris consensus accesserit. Itaque hodie hoc jure utimur, ut regulariter unusquisque in ecclesia parochiali tumuletur, aut in aliis ecclesiis, in quibus tamen sepultura vel expresse, vel tacite electa fuerit.

Utque in primis generalem disciplinam expendam, juxta quam, seclusa electione, quis est in parochiali ecclesia tumulandus, cap. 3 de sepultur. in 6, clement. 2, eod. tit. dico, nomine ecclesiæ parochialis eam ecclesiam intelligi, in qua quis sacramenta, dum viveret, suscipiebat, illa inquam sacramenta, in quibus administrandis parochiale jus exercetur; unde colligitur, domicilium potius, quam originem attendendam esse, adeo ut qui duplex domicilium diversis anni temporibus contraxerit, is in ea ecclesia tumuletur, in cujus finibus mortuus fuerit; imo etsi tantum ex accidenti extra parochiæ fines quis moriatur, si commode nequeat ad parochialem ecclesiam transferri, in ea ecclesia, in cujus finibus decesserit, sepeliatur, dicto cap. 3 de supultur. in 6. Colligitur præterea, eum, qui in finibus quidem certæ parochiæ degit, singulari tamen jure alium habet sacerdotem constitutum, a quo parochiali fere jure sacramenta suscipiat in aliqua ecclesia a parochialis distincta, non in parochiali, sed in altera ecclesia sepeliendum esse. Hujusmodi sunt episcopus, et canonici catedralis ecclesiæ, quorum respectu, etsi degant extra catedralis ecclesiæ fines, cathe-

dralis ecclesia habetur pro parochiali. Hujusmodi quoque sunt canonici collegiatarum ecclesiarum, et beneficiarii titulo perpetuo aliis ecclesiis adscripti, et in eisdem ecclesiis residentes, atque inservientes, et sacramenta illa, quorum collatio inter jura parochialia recensetur, percipientes: sunt enim isti in ecclesia beneficii tumulandi. Hujusmodi sunt sanctimoniales, et monachi, etiamsi novitii adhuc sint, et quicumque sub obedientia prælati regularis intra claustra degunt, et sacramenta a parochis petere non tenentur. Non tamen idipsum dicendum est de confratribus laicorum sodalitiorum, qui jure ordinario, seu seclusa electione, minime sepeliuntur in ecclesia sodalitii, etiamsi jure sepulchri eadem ecclesia gaudeat; cum diversa sint ista, habere jus sepulchri excavandi, et habere jus ordinarium sepeliendi.

Paucis explicavi generalem disciplinam; expendam modo, quid juris obtineat, ubi quis voluntate sua ab eadem generali disciplina recesserit, sive extra parochialem ecclesiam sibi sepulturam elegerit. Parendum sane erit in hac parte voluntati defuncti, dummodo locus religiosus sit, et talis, in quo juxta regulas superius traditas sepultura electio fieri potest. Duplex autem est sepulturæ electio, alia tacita, alia expressa. Tacita est, quoties nihil de loco sepulturæ a defuncto dictum olim specialiter fuit, sed locus quidam est a defuncti majoribus pro se, et descendentibus designatus, quod vulgo appellatur sepulchrum majorum, seu familiare. Etenim unusquisque præsumitur, velle se apud majorum cadavera tumulari, ubi majores id voluntate sua declaraverint, can. 2. cu. 13, q. 2, cap. 1 et 3 de sepultur. non sane quod sufficiat, majores aliquo in loco tumulatos esse, sed requiritur, ut majores locum illum pro se, et suis designaverint; quia solum parentum factum sine ea declaratione voluntatis, præsumtionem quandam induceret in descendentibus, sed hæc ipsa præsumptio facile elideretur alia præsumtione, qua quis creditor tumulari se velle in ea ecclesia, in qua sacramenta perciperet; atque hæc secunda præsumtio non cessat, nisi aliæ concurrant graviores conjecturæ, qualis est declaratio paternæ voluntatis facto conjuncta. Itaque illud dicitur majorum, sive familiare sepulchrum, vel quod jamdudum ascendentes, vel etiam quod primum Pater designaverit, dummodo in prima specie majores, presertim designantes, sepulti ibidem fuerint, et in secunda specie pater designans ibidem fuerit depositus, argumento dicti canonis 2, cau. 13, qu. 2. Uxorem quidem binubam in conspectu duplicis sepulchri familiaris, id est et primi, et secundi mariti, sepeliendam esse in sepulchro secundi, ubi specialis non obstet et expressa ejusdem voluntas, definitum apertissime deprehendimus, c 3, § ult. de sepult. in 6. Sed utrubi mulier nupta duplex habens jus familiaris sepulchri, quorum alterum paternum sit, alterum mariti, sepelienda sit, expresse definitum non invenio. Verum ex citato cap. 3, juvat argumentum ducere, et concludere, in sepulchro mariti tumulandam esse. Æque mulier nupta dicitur esse in familia patris, atque in familia mariti, l. 195, § ult., et l. 196, ff. de verbor. signific. eamque ob rem ubi agitur de paternis, aut maritalibus juribus, ac privilegiis, quæ cumulari facile possint, uxorem utrisque gaudere recipitur. At in jure sepulchri, quod individuum est, et ubi unum competat, alterum cessare necesse est, id vigere non potest, proindeque inquirendum, utra prævaleat familia, patrisne, an mariti. Verum enim vero mulier nupta præterquamquod in familia mariti est, mariti prætere a honorem servat, et domicilium retinet, quod utrumque respectu paternæ familiæ verum non est. Ergo juxta sententiam dicti capituli 3, in fine de sepultur. in 6, uxor erit potius in sepulchro mariti, insuper habito paterno, tumulanda. Adde his canonem 2 et 3. cau. 13, qu. 2. Nec quisquam in contrarium opponat capitulum 7 de sepultur. ubi traditur, uxorem in hac re a lege viri esse solutam. Etenim hæc ratio eo tantummodo spectat, ut concedatur uxori libera sepulchri eligendi facultas, quin maritus ad certum eligendum sepulturæ locum eam possit adigere. Secus enim dicendum esset, ne consistere quidem Bonifacii VIII, definitionem, dum in dicto cap. 3, certam haberi voluit maritalis sepulchri rationem. Expressa sepulturæ electio definitur actus ultimæ voluntatis minus solemnis. Quod minus solemnem dico, remissam intelligo in hac re juris publici formam, quæ in ceteris ultimarum voluntatum speciebus desideratur. Hinc est, quod nec numerus testium, nec scriptura jure ordinario et communi requiratur, nisi in certis provinciis quidquam singulare constitutum adpareat, non solemnitatis, sed probationis caussa, cum passim receptum sit, sufficere, ut de ultima ea voluntate constet. Eadem ratione non solum definiendum fuit, ut uxor, licet subjecta potestati viri, quæ maritalis potestas ultimis condendis elogiis minime obest, sed etiam ut filius, vel filiafamilias, licet subjecti patriæ potestati valeant pro se sepulturam eligere, quamquam alias suprema elogia condere nequeant, cap. 7 de sepultur. cap. 4, eod. tit. in 6, non enim patria potestas in hae parte observatur: cujus rei argumento est etiam, quod facultas jure publico patri data pupillariter substituendi liberis in potestate constitutis minime suffragetur patri sepulturam pro filio impubere electuro, nisi id singularis alicujus loci consuetudo moribus comprobatam induxerit, dicto cap. 4 de sepultur. in 6, eove minus suffragetur patri, vel matri facultas substituendi quas

pupillariter filiis amentibus, aut furiosis, electuris pro eisdem sepulturam. Quod autem dico, esse electionem actum ultimæ voluntatis, intelligo, primo ab alio faciendam non esse, nisi ab eo, qui declarare voluntatem suam vel facto, vel lege possit. Lege voluntate carere dicuntur monachi, et impuberes etiam proximi pubertati, qnibus propterea sepulturæ electio non permittitur, cap. 4, et ult. de sepultur. in 6. Facto voluntatem declarare nequeunt, qui consentire natura non possunt uti sunt amentes, furiosi, et impuberes septennio minores. Secundo intelligo, electionem sepulturæ liberam omnino esse debere, nec aliquem posse induci ad vovendum, jurandum, vel alias promittendum, ut certa in ecclesia sepulturam eligat, contra indicta indicentes gravissima excommunicationis pœna in specie clementinæ 3 de pœnis, juncto cap. 7 de pactis, et cap. 1 de sepult. in 6. Tertio intelligo, liberum esse ei, qui semel sepulturam in certo loco eligit, voluntatem mature, et in alio loco eligere, ita postulante natura ultimarum voluntatum, dicto cap. 1 de sepulturis in 6.

Jam vero generalia quædam subjiciamus de jure parochorum respectu oblationum, quæ vel a defuncto factæ fuerunt, vel a defuncti heredibus fiunt. Certum in primis est; nullas iniri pactiones posse a clericis pro sepultura. Si enim vel apud æthnicos pœnæ violatæ religionis tenebatur, sive pœna sacrilegii, qui res religiosas vendidisset l. 1, cod. de sepulcro violato, potiore jure id locum inveniet apud viros ecclesiasticos, quando apud ipsos sepulchra non religiosorum tantum, sed et sacrorum jure haberi cœperunt. Sacri canones decreverunt, hujus generis conventiones, et simoniacas esse, et simoniæ pœnis subjacere, c. 8, 9, 41, de simonia, et cap. 14, de scepultur. Ceterum non inde improbandæ erunt fidelium liberalitates, quæ pie ac religiose sponte in ecclesias conferuntur; neque legitimæ consuetudines, quibus fere ubique receptum est, ut certæ occasione funeris fiant præstationes gratia parochorum, aliorumve ecclesiæ administrorum, cap. 2 et 3, de sepultur. cap. 42, de simonia cedunt enim istæ obventiones in locum alimentorum, quæ sacris administris jure etiam divino debentur. Illud commune est universis Ecclesiis, ut si a morientibus quodcumque occasione funeris relinquatur, ipsis adquiratur. Sed in ipso etiam jure communi duo præcipua gratia episcopalium, et parochialium ecclesiarum, sive gratia episcoporum, et parochorum constituta sunt, quæ appellantur, vel quarta episcopalis, vel quarta parochialis, in quorum jurium conspectu fit, ut quoties oblationes fiant una cum funere in ecclesia cathedrali penes episcopum, quidquid episcopo oblatum est, totum episcopo adquiratur; quoties fiant oblationes una cum funere in ecclesia parochiali, non totum parocho cedat, sed habenda sit ratio quartæ episcopo debitæ; quoties denique fiant oblationes una cum funere in Ecclesiis minoribus extra parochialem, non totum ecclesiis eisdem minoribus cedat, sed habenda sit ratio et quartæ episcopalis, et quartæ parochialis. De utraque quarta, seu episcopali, seu parochiali aliter disseruerunt veteres, aut etiam ex recentioribus illi, qui veterum traditionibus adhæserunt, aliter sequioris ætatis interpretes, qui præsertim studuerunt, ut juris civilis romani definitiones rebus ecclesiasticis, quicumque tandem esset modus, sine discrimine accommodarent. Germana interpretatio canonum, quibus quarta episcopalis adstruitur, illa nimirum quarta, quæ modo appellatur *quarta mortuariorum*, modo *propria episcopi portio* in c. 16, de offic., jud. ordin. in cap. 4, de præscription. in cap. 14 et 15, de testament. hæc est. Videlicet apud veteres obtinebat, ut ex ecclesiasticis redditibus, ut plurimum ex oblationibus fidelium redactis, quatuor fierent portiones, quárum una episcopo, altera clericis, tertia fabricis templorum, quarta peregrinis, et pauperibus cederet. Atque his regulis administrabant peculia universa ecclesiarum episcopi, vel episcoporum mandato diaconi, aut œconomi, quando in communi possidebantur peculia ecclesiastica, et ex episcoporum distributione partitionem accipiebant. Successu temporum factum est, ut singulis ecclesiarum administris, ac præsertim parochis administranda relinquerentur bona ecclesiarum, sive quæ ex prædiis redigebantur, sive quæ ex oblationibus fidelium percipiebantur. In his adjunctis, officium parochorum, et eorum, qui in inferioribus ecclesiis merebant, et bona administrabant ecclesiarum, erat, ut portionem sibi debitam manu sua caperent, vindicarent, suis usibus applicarent; itam caperent ipsi alteram partem, in fabricas, et sacrarum ædium restaurationes impendendam; tertio partirentur etiam ipsi inter clericos adjutores suos aliam partem. Sed quæ supererat portio episcopalis, integra episcopo remanebat, quam propterea debuerunt ad episcopum mittere. En germanam quartæ episcopalis originem, et formam, in qua nimirum servandum erat vestigium veteris disciplinæ, quo primum fieret, ut certus honos episcopo olim jurium ecclesiæ universorum administratori reservaretur, deinde ut nulla fraus admitteretur adversus jura episcoporum, qui et suam partem ex obventionibus ecclesiasticis in tota diœcesi vindicabant. Plura ex his consectaria deducuntur. Primum est, neminem exinde mirari oportere si in sacris canonibus portio illa episcopalis ut plurimum quidem quarta appelletur, sed aliquando appelletur etiam tertia, aut alia quæcumque virilis portio pro variis usibus ecclesiarum, dicto cap. 15, de testamentis ir

principio. Plerumque, inquam, appellatur quarta, quia divisio bonorum ecclesiæ in quatur partes facienda, erat plerumque recepta. Sed quia alicubi obtinuit, ut reddituum ecclesiasticorum tres tantum partes fierent, vel aliæ viriles, quia forte episcopus in suam fidem receperat tuitionem sacrarum ædium, aut pauperum, peregrinorumque curam, ita obtinuit, ut episcopo non quarta, sed tertia, aut alia virilis portio concederetur, uti vigebat in Hispania, concilio toletano IV, cap. 33, toletano IX, cap. 6, toletano XVI, cap. 5, can. 10, cau. 10, qu. 1, aliquando etiam in Gallia, can. 7 et 8, cau. 10, qu. 1. Secundum consectarium est, quartam istam portionem episcopis debitam non pendi debuisse ab iis qui in parochiales, aliasve minores ecclesias oblationes conferebant, sed pendi debuisse a parochis, aut ab aliarum minorum ecclesiarum administris, ad quorum manus oblationes fidelium devenissent. Tertium consectarium est, huic quartæ episcopali nihil potuisse detrahi, ne ex voluntate quidem illorum, qui oblationes in parochos, aliosve administros inferiores ecclesiarum contulissent. Hæc enim quarta portio in jure publico fundamentum habebat, tunc positum, cum divisa fuerant jura cathedralium abs juribus ecclesiarum inferiorum quod jus publicum evertere privati non poterant. Tantum exceptio erat in ea specie, in qua quidam testamento suo certa bona contulisset in ecclesias inferiores, prohibens, ne episcopus quidquam ex iis attingeret, alias tamen compensandi animo quidquam veluti præcipuum habendum episcopo, seu ecclesiæ cathedrali relinqueret, non tamen adeo modicum, ut fraus fieri episcopalibus juribus videretur, cap. 14, de testamentis. Huc pertinet capitulum 15, eod. tit. ubi Innocentius III, primum ait, ubi testator pro anima sua in ultima voluntate quædam legaverit, legata ipsa esse inter episcopum, et ecclesiam dividenda, modo quarta, modo alia portione pro variis ecclesiarum usibus episcopo adsignata. Deinde quatuor fingit species. Prima est illius, qui simpliciter aliquid episcopo leget aliquid ecclesiæ; tertia est illius, qui conjunctim certam rem leget et episcopo, et ecclesiæ quarta est illius, qui et episcopo, et ecclesiæ bona relinquat, sed factis partibus, ut certa res episcopo, certa res ecclesiæ addicatur. In prima specie, ubi quidquam episcopo legetur, distinguendum aut inter legatum relictum a propinquo episcopi, et legatum relictum ab extraneo. Si propinquus episcopi aliquid simpliciter episcopo leget, præsumitur reliquisse personæ, et quando id tanquam peculium ecclesiasticum dici non potest, nihil inde juris in ecclesiam derivatur, sed totum, quantumcumque est, liberæ episcopi dispositioni relinquitur, nisi aliam fuisse voluntatem testatoris demonstretur, tunc enim haberetur ac si legatum ab extraneo fuisset. Si extraneus aliquid episcopo leget, præsumitur relictum intuitu ecclesiæ. Et tum et suam portionem habebit episcopus, et suam portionem cathedralis Ecclesia; nisi tamen testator expresse dixisset, se velle solidum legatum penes episcopum remanere, tunc enim adamussim voluntas testatoris esset custodienda. In secunda specie, quum testator simpliciter ecclesiæ legatum relinquit, ecclesia ipsa legatum vindicabit, salva episcopali portione, quæ semper episcopo addicetur, etiamsi testator eam addici episcopo expresse prohibuerit. Quod si quæras, cur in prima specie paretur voluntati testatoris prohibentis, ne cathedralis ecclesia portionem sumat de legato relicto episcopo; at in hac secunda specie testatoris voluntas negligatur, responsio in promtu est: nimirum in prima specie res educitur ad suam origiginem atque principia; etenim olim, uti superius dictum est, in administratione episcopi omnia ecclesiarum bona consistebant: alias autem facilis est uniuscujusque rei ad sua principia regressus. At in altera specie longius receditur ab institutionibus pristinis jurium ecclesiasticorum, et omnino excluditur administratio episcopalis olim amplissima, atque hoc est, quod ibidem ait Innocentius III, *privata dispositio testatoris non potest generalem constitutionem canonis immutare.* In tertia specie, quoties conjunctim testator certam rem et ecclesiæ, et episcopo legat, plana res est, divisionem inter episcopum, et ecclesiam esse faciendam juxta mores uniuscujusque ecclesiæ, idest modo tertiam, modo quartam, modo aliam virilem portionem, prout usu receptum fuerit, episcopo adsignando, ceteris partibus ecclesiæ addictis. In quarta specie, quoties pro diviso, idest factis partibus, et episcopo et ecclesiæ quidquam legatum fuerit, distinguendum voluit Innocentius casum, quo testator nomine ecclesiæ cathedralem, et casum quo testatur nomine ecclesiæ aliam in feriorem ecclesiam designaverit. Ista plane distinctio meo judicio etiam opportuna fuisset in secunda, atque in tertia specie. Quamobrem cum ibidem omissa fuerit ab Innocentio, congruum est, ut ex hac postrema specie, quod deest prioribus, suppleatur, et ea omnia, quæ postremo hoc loco traduntur, servata rerum proportione, præcedentibus accommodentur. Itaque ex doctrina Innocentii si testator factis partibus quædam reliquerit et episcopo, et ecclesiæ cathedrali, quæcumque facta fuerit a testatore divisio inter episcopum et ecclesiam, semper erit canonica portio facienda, insuper habita ea divisione. Quod tamen ita intelligendum est, ut hæc cohæreant principiis superius jactis ab Innocentio, idest tum demum divisio a testatore facta non attendatur, quoties episcopali portioni ingeratur detrimentum; non vero si cathedralis ecclesiæ portio fuerit

voluntate testatoris imminuta. Quod si testator partibus factis quædam reliquerit episcopo, quædam ecclesiis inferioribus, dummodo fraus absit adversus quartam episcopalem; quod relictum erit inferioribus ecclesiis, solidum ab eisdem ecclesiis vindicabitur, et quod relictum erit episcopo, erit cathedrali ecclesiæ vindicandum, habita ratione portionis canonicæ, quæ episcopo competit; idest id cedet beneficio cathedralis ecclesiæ, a qua deinde portionem suam canonicam episcopus postulabit. Paucis investigemus utriusque definitionis rationes, et caussas. In primo casu ubi factis partibus, et cathedrali ecclesiæ, et episcopo legatum est, duo sunt legata. Quamobrem fieret, ut et ecclesia cathedralis ad partem legati facti episcopo admitteretur, et e converso episcopus ad partem legati facti cathedrali ecclesiæ, si testatoris voluntas custodiretur; at hoc quid aliud esset, quam legata ipsa esse inter cathedralem ecclesiam, et episcopum communicanda, servata inter utrumque canonica portione? In secundo casu, ubi factis partibus, minoribus ecclesiis, et episcopo quidquam legatum est, portio ecclesiis relicta integra ecclesiis cedet, quin episcopus canonicam portionem exinde petat, quia alia portio relicta episcopo censetur relicta animo compensandi, quod, ubi fraus nulla sit, facile admittitur, cap. 14, de testamentis. Portio autem relicta episcopo communicanda erit ab episcopo cum ecclesia cathedrali juxta canonicas portiones, quia legatum episcopo relictum censetur etiam relictum gratia ecclesiæ cathedralis, uti Innocentius initio capituli observabat. Quid vero est, quod ad adnotandum discrimen interdecens inter ecclesiam cathedralem, et inter alias ecclesias inferiores, subjicitur ab Innocentio: *Quoniam non est tanta communio inter episcopum, et inter cappellas, et monasteria, seu alia pia loca, quanta est inter episcopum, et ecclesiam cathedralem, cui est spirituali conjugio copulatus, unde quæ adquirit episcopus, non illis sed isti tantum adquiret.* Num exinde deducetur, non unam esse cathedralem ecclesiam cum diœcesanis, non æqualem esse episcopalem erga universas diœcesanas ecclesias sollicitudinem? Sano modo hæc sunt intelligenda, et adjunctis episcopalis administrationis accommodanda. Scilicet uti superius dictum est, olim bona universa ecclesiarum etiam extra civitatem erectarum, item bona ecclesiastica clericorum etiam extra civitatem consistentium episcopus administrabat. Paullatim factum est, ut in vicis, et pagis administri in minoribus ecclesiis constituti liberam administrationem haberent, certis tantum juribus episcoporum gratia remanentibus. In ecclesiis cathedralibus non adeo dimiserunt episcopi eam amplissimam facultatem, unde major conjunctio, quod ad administrationem bonorum attinet, dici cœpit existere inter episcopum, et cathedralem ecclesiam, quam existeret inter episcopum, et ecclesias minores. Quartum consectarium est, portionem illam canonicam episcopalem non tam episcoporum, quam cathedralium ecclesiarum gratia fuisse constitutam; quod evidenter deducitur ex hucusque explicato cap. 15, de testam., ubi frequentissime fit mentio portionis inter episcopum, et cathedralem ecclesiam communicandæ. Revera, cum erectis parochiis, aliisque ecclesiis inferioribus, nihilominus olim redditum ecclesiasticorum administratio ad episcopum devolvebatur, id non tam in favorem episcopi cedebat, quam in favorem cathedralium ecclesiarum, et clericorum in cathedralibus ecclesiis administrantium; siquidem diœcesanas oblationes universas episcopus impendebat etiam in sarta recta tuenda cathedralis ecclesiæ ædificia, et in alendos ecclesiæ cathedralis administros. Quidni igitur quarta episcopalis portio relicta in vestigium veteris illius administrationis etiam cedat beneficio cathedralis ecclesiæ, et ministrorum ibidem merentium? Hac tamen in rerum partitione usus ecclesiarum semper est attendendus. Quintum consectarium est, non tantum privilegio apostolico eximi posse a solvenda quarta episcopali inferiores ecclesias, cap. 14, de testament., sed etiam episcopi ejusdem consensione, sive expresse, sive tacite posse remitti, argumento dicti capituli 14 et 15, vers. *Si vero* de testamentis; etenim versatur ibidem favor episcoporum, cui libere ecclesiarum minorum gratia valent renunciare. Jam olim renunciaverunt episcopi administrationem redditum ecclesiasticorum, quæ sibi solis competebat in universum, et in tota diœcesi, ad suam, cathedraliumque ecclesiarum necessitatem sibi reservaverunt quartas easdem portiones. Cur non cessante, et sui, et cathedralis Ecclesiæ necessitate, aut contrarium postulante graviore necessitate, ecclesiarum, clericorumque minorum, etiam jus illud quartæ renunciare poterunt? Adeo hoc verum est, ut ex frequentibus non solum pontificum maximorum privilegiis, quibus nonnullæ ecclesiæ, præsertim monasteria, aut loca religiosa, exemtæ fuerunt a præstatione quartæ episcopalis, verum etiam ex renunciationibus episcoporum, sive expressis, quotiescumque casus emergeret, sive tacitis, quales intelliguntur in consuetudine aut præscriptione, illud quartæ episcopalis jus fere ubique exoleverit, cui abolendo occasionem præbuit locupletatio ecclesiarum cathedralium, et mensarum episcopalium, quæ propterea inferiorum ecclesiarum, ac clericorum subsidiis non amplius indiguerunt.

Jus quartæ parochialis exemplo quidem quartæ episcopalis fuit inductum, non tamen eisdem principiis innitebatur, neque enim inniti poterat; eamque ob rem obtinuit, ut in

quarta parochiali alia sint observanda ab iis, quæ respectu quartæ episcopalis observavimus. Finge enim vero ecclesiis minoribus in parochiæ finibus constitutis aliquid fuisse ultima voluntate relictum. Ex eo sane quarta episcopo debebatur, non altera erat quarta portio favore parochi detrahenda; quod recipiendum fuit non solum ex æquitate, quia incivile fuisset, ecclesias illa duplicis quartæ præstatione gravari, verum etiam jure stricto et summo. Etenim in primis inferiores ecclesiæ, utut intra parochiæ limites constitutæ, non fuerunt commendatæ potestati, et curæ parochorum sed remanserunt omnes sub cura, et potestate episcoporum; ita ut quemadmodum ex mandatis episcoporum parochi in parochialibus ecclesiis parochialia munera exercebant, sic sacerdotes in aliis ecclesiis ex mandatis episcoporum administrantes certa etiam officia, aut mere sacerdotalia, aut alia etiam specialiter sibi commissa, gererent sub regimine episcoporum. Secundo nunquam bona ecclesiarum inferiorum ad parochorum manus devenerunt, quemadmodum ad manum, et dispensationem episcopi olim deveniebant bona universarum ecclesiarum in diœcesi constitutarum. Ex quibus argumenti facile colligitur, sicut quartæ episcopales in universali episcoporum cura in ecclesias omnes diœcesanas, et antiqua administratione bonorum ad ecclesias omnes diœcesanas pertinentium fundamentum habuerunt, et caussas, ita ex eo, quod parochi, seu cura ecclesiarum in parochiæ limitibus sitarum, seu administratione bonorum ad eas ecclesias pertinentium destituerentur, non potuisse simile jus quartæ asserere sibi, ac vindicare. Ceterum similitudine quadam facta blandiri sibi parochi facile potuerunt. Noverant ipsi, quartas episcopales etiam in eo collocatum fundamentum habuisse, quod bona ecclesiarum in quatuor partes tribuerentur olim, quarum prima adsignaretur episcopo ob eminentem in eo dignitatem, et officium regendarum animarum, secunda adsignaretur clericis episcopum in ministerio adjuvantibus; tertia fabricis; quarta peregrinis et pauperibus. Quibus positis, concludebant, se in parochiæ finibus præcipuas gerere vices in regimine animarum, et veluti præstantiores esse, quasi episcoporum repræsentantes; satis propterea consuli ecclesiarum minorum, et clericorum ibidem ministrantium utilitati, ac ministerio in pauperes, ac peregrinos exercendo, si tres quartæ oblationum in inferiores ecclesias, et clericos collatarum eisdem ecclesiis, ac clericis cederent; quarta autem sibi, et parochialibus ecclesiis reservaretur. Hæc animis obversabant parochi, atque in ea obtinenda jura exemplo episcoporum conabantur. Cumque hæc argumenta specie quadam non carerent, obtinuit, ut certa quarta portio parochis cederet exemplo quartæ episcopalis occasione funerum persolvenda, non vero similitudinem omnigenam eadem quarta portio haberet cum quarta episcopali. Igitur exemplo in primis quartæ episcopalis inducta est quarta parochialis. Ex hoc principio deducitur, primo non semper portionem parochialem esse quartam, sed modo tertiam, modo dimidiam, modo etiam aliam virilem partem, prout fert regionis consuetudo, cap. 9, de sepultur., siquidem et idipsum obtinet in quarta episcopali, uti diximus; appellatur autem *quarta* parochialis, ex eo quod ut plurimum quarta portio esse soleat. Deducitur secundo, eam portionem deberi ecclesiæ parochiali, seu parocho bonorum parochialia ecclesiæ administratori ob regimen animarum, quod parocho incumbit, eodem modo, quo quarta episcopalis debebatur cathedrali ecclesiæ, vel episcopo, adeo ut, siquis in duplici parochia æque domicilium per varias temporum vices constituerit, eadem canonica portio sit inter ipsas duas parochias dividenda, quasi æquali jure parochus uterque concurrat, cap. 2, de sepultur. in 6. Non repugnat autem, aliquando jus quartæ parochialis non parochiali, sed cathedrali ecclesiæ ex singulari statuto persolvi. Quid enim si ex. gr. dismembratione facta ab ecclesia cathedrali parochialis ecclesia erecta fuerit, adjecta lege, ut quarta funerum ad cathedralem ecclesiam perpetuo pertinet? Id probavisse videntur tridentini antistites in sess. 25, de ref. cap. 13 Si enim episcopi quartam episcopalem gratia parochialium ecclesiarum cedere potuerunt, cur cedere parochi, aut sibi reservare episcopi non potuerunt singularibus editis statutis quartam parochialem? Deducitur tertio, quartam luendam esse tum demum, cum quis in minore ecclesia extra parochialem tumulatur, cap. 1, 4, 8 et 10, de sepult., clement. 2, eod. tit., concilio tridentino sess. 25, de reform. cap. 13, eodem fere modo, quo quarta episcopalis debebatur episcopo, seu cathedrali ecclesiæ, cum quid minoribus ecclesiis legaretur. Nam, siquis in parochiali ecclesia tumuletur, frustra de quarta quæreretur, cum totum parocho, et ecclesiæ parochiali cedat. Quarto deducitur, adimi non posse eam quartam voluntate testatorum, aut heredum, quemadmodum nec voluntate testatorum adimi poterat quarta episcopalis, cum sit utraque quarta jure publico constituta, atque firmata. Dixi secundo loco, non omnigenam esse inter utramque quartam similitudinem, propterea quod utriusque non eadem sint omnino et ex omni parte principia. Hinc primo deducitur, quartam parochialem peti ab herede defuncti, non ab ecclesia, in qua facta fuerit sepultura, licet quarta episcopalis debeatur ab ecclesiis legatariis, cap. 14, et 15, de testament. Cujus discriminis ratio eo petitur, quod quarta episcopalis fundamentum habet in debito ecclesiarum minorum erga episcopum, et cathe-

dralem ecclesiam; proindeque in ecclesias ipsas subjectas obligationem inducit. At quarta parochialis tale fundamentum habere non potest, cum similem potestatem in inferiores ecclesias parochus non habeat. Potius ista fundamentum habet in administratione sacramentorum, quæ cum parochiani a parocho jure petant, atque suscipiant, tenentur ipsi, prout fert consuetudo, parocho oblationes elargiri, et, dum liberales in alias ecclesias esse possunt, ac volunt, quandam saltem liberalitatis speciem in parochialem ecclesiam exhibere. Secundo deducitur, quamquam episcopalis quarta detraheretur ex omnibus piis legatis, non ex iis tamen detrahi quartam parochialem. Tantum deducitur ista est oblationibns caussa funeris factis, non ex aliis piis legatis, qualia essent caussa anniversarii celebrandi, missarum offerendarum, construendæ, vel ornandæ ecclesiæ, et similia. Hujus discriminis ratio facile ex iis colligitur, quæ hucusque dicta fuerunt. Quamobrem ego non de episcopali, sed de parochiali quarta intelligo capitulum ultimum de testamentis: quamquam enim in illis verbis *episcopus seu parochialis ecclesia* videatur vel de episcopo, vel de parocho quartam petente sermo fieri, ubi tamen episcopi mentio fit, id non est intelligendum de episcopo suam quartam, quæ episcopalis dicitur, vindicaturo, sed de episcopo jura parochialis ecclesiæ in quarta parochiali petenda tuituro, uti indicat particula *seu* ibidem adjecta, qua quid auctor rescripti senserit, explicatur. Ceterum quartam episcopalem ex omnibus legatis piis detrahi, manifeste liquet ex cap. 15, de testamentis, et ex cap. 31, de verb. signif., ac sine manifesta antynomia dictum capitulum ultimum ad quartam etiam episcopalem referri non posset. Igitur quarta parochialis deducitur ex iis oblationibus, quæ vel ex defuncti voluntate, vel voluntate heredis fiunt funeris occasione: occasione, inquam, funeris, cujus nomine intelligitur, vel celebritas ducendi cadaveris, vel celebritas exequiarum, dum cadaver tumulatur, faciendarum. Imo etsi forte in fraudem juris parochialis celebritas funeris in aliud tempus differatur, etiam ex oblationibus in clericos ecclesiæ electæ collatis receptum est, quartam deduci, quamquam usu obtinuerit, ut non deducatur eadem portio ex oblationibus ex. gr. cerarum, quæ singulis clericis ad exequias vocatis donantur. Num vero ecclesiæ parochialis minores, puta monasteriorum, vel religiosorum locorum possint contra parochum quartam præscribere, aut singulari jure non solvere, totum sibi vindicando, quod ab heredibus defuncti donatur, disputatum invenio. Quartam episcopalem præscriptioni obnoxiam fuisse definitum deprehendo in cap. 4, de præscription. Cur non idem dicendum erit de quarta parochiali, præsertim cum quarta parochialis, uti superius observatum est, exemplo episcopalis inducta fuerit, neque tot tantisque juribus, quot et quantis episcopalis, confirmata? Quod si etiam quartæ episcopali potuit singulari privilegio detrahi, cap. 14, de testamentis, cur non eadem ratione detrahi potest quartæ parochiali? Hac tamen in re observanda erit constitutio concilii tridentini in cap. 13, sess. 25, de ref., ubi decretum est, ut *quibuscumque in locis jam ante annos quadraginta quarta funeralium solita esset persolvi, ac postea fuerit ex quocumque privilegio aliis monasteriis, hospitalibus, aut quibuscumque locis piis concessa, eadem posthac integro jure, et eadem portione, quæ antea solebat, persolvatur, non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam mari magno nuncupatis, aut aliis quibuscumque.* Huic decreto occasionem dederunt frequentissima privilegia, quæ allegabantur sæculo decimosexto a pluribus religiosis viris, et quæ adeo execreverant, ut vix invenirentur ecclesiæ, aut loca religiosa, quæ immunia non forent a quartæ præstatione, unde parochorum jura in hac parte penitus evertebantur. Itaque voluerunt primum tridentini antistites, ut, siquod privilegium allegaretur, illud esset impetratum jam ante annos quadraginta a tempore ejus decreti numerandos; secundo, ut per idem temporis spatium usi fuerint eodem privilegio, qui illud obtinuissent. Tradunt tamen pragmatici, hoc decretum non pertinere ad monasteria recentiore ætate constructa, et quæ ex iis sint, quæ pontificia privilegia obtinuerint; quod ajunt ab interpretibus tridentini concilii jamdiu fuisse definitum; quod ego tum demum verum puto, si utendo id privilegium vires suas exerat, non vero etiamsi privilegium idem usu non fuerit confirmatum.

Hæc universa, quæ sive de episcopali, sive de parochiali quarta tradita sunt, puto me exegisse ad rectam, atque germanam canonum doctrinam, optimum ducens abstinere ab iis argumentorum generibus, quibus in hac parte utuntur plures sequioris ætatis interpretes, apud quos multa non sine stomacho leguntur a recta ratione aliena, adumbrata potius symbolis et figuris, quæ asceticum hominem non decederent, nullo modo decent jureconsultum. Passim ita solent speciosis cavillationibus materiam propositam discutere. Cathedralis ecclesia, aut parochialis, quæ est veluti cathedralis ecclesiæ administra, veluti mater fidelium est, episcopus, ac parochus tanquam pater; quod magis magisque verum adparet ex eo, quod in cathedrali, aut parochiali ecclesia ministerio vel episcopi, vel parochi in sacramento baptismatis regeneramur? in iis sacramenta, quæ suscipimus, locum tenent alimentorum, quasi in spiritualem familiam apud episcopum, aut parochum fideles omnes coalescant. Dum hæc meditantur, respiciunt inde

ad placita legum civilium romanarum, qua in parte leges illæ, aut legitimas, aut testamentarias successiones moderatæ fuerunt. In illis inveniunt, patrem, ac matrem filiis ab intestato succedere, ex testamento autem parentibus legitimum quandam portionem esse relinquendam, quæ ut plurimum triens juxta leges esse solet. Inde concludunt, ex his principiis ortam obligationem relinquendi quartam episcopo, vel parocho. Neque in hac re videntur sibi longe aberrasse a patrum ecclesiasticorum veteribus traditionibus, quando sub nomine Augustini in can. 8, cau. 13, quæ. 2, traditum invenerunt, Christum, quasi unum ex filiis, jure institui heredem posse. Nonnulli etiam similiter adjecerunt, ecclesias omnes in diœcesi sitas duplicis generis esse: aliæ enim sunt majores, istasque vocant matres, sive matrices, quales appellant cathedralem, et parochialem: aliæ minores, istasque vocant filias, sive filiales, quales appellant ceteras ecclesias in parochiarum limitibus constitutas. Sicut autem, prosequuntur, filiales ecclesiæ certum honorem debent in matrices impendere, ita et bonorum sibi relictorum quartam debent, quasi legitimam portionem matricibus dare. Adeo pervaserunt hujus generis argumenta multorum animos, ut aliquando legamus contigisse sequioribus sæculis, concessam fuisse inofficiosi querelam adversus testamenta illorum qui nihil cathedrali, aut parochiali ecclesiæ reliquissent; aliquando etiam episcopos sibi adservisse facultatem reformandi testamenta defunctorum, ut ipsi manu sua legata ecclesiis cathedralibus, vel parochialibus adscriberent, ut ea ratione defectum testamentorum supplerent, aut condendi ex integro testamenta pro defunctis, siqui sine scripto testamento decessissent, ut adpareret, quid, quantumque ecclesiis, aut cathedrali, aut parochiali in hereditatibus defunctorum esset obventurum. Hæc, et similia absurda evenire solent, ubi res ac germana principia non exiguntur, sed rudibus quibusdam effictis imaginibus adumbrantur.

CAPUT IV.

De officiis, ac ministeriis, quibus parochi cum publica utilitate fideles suæ curæ commendatos regere valeant.

Sunt quædam in ecclesiis officia ac ministeria, quæ proprie ad jurisdictionem non pertinent, sive in foro interno sive in foro externo explicari jurisdictio dicatur, sed spectant potius publicum quendam cultum sacrorum, et exteriorem curam, ut populus rite; recteque ad sacra dirigatur, aut sacris rebus præparetur; item ad adjuvanda episcoporum officia, quo episcopi iidem commodius jurisdictionem suam etiam in foro externo valeant exercere. Multa ex his officiis, ac ministeriis partim ex expressa canonum sanctione, partim ex generali aut quasi generali consuetudine parochis commendata fuerunt. Quod ut paucis conficiam, observo in primis, inter obligationes parochorum eam esse præcipuam, qua tenentur parochi fideles in finibus parochiæ degentes in fidei, morumque doctrina instituere singulis saltem diebus dominicis, festisque solemnibus, concilio tridentino sess. 5, cap. 2, sess. 23, cap. 1, sess. 24, cap. 4 et 7 de ref. Quamobrem iidem tridentini antististes solliciti quammaxime fuerunt, ut moneretur populus, ne diebus eisdem a parochiali Ecclesia abesset, sess. 22, de observandis in celebratione Missæ, dicta sess. 24, cap. 4, quod et firmius sanciebatur ex veterum canonum disciplina, can. 4 et 5, cau. 9, quæst. 2, cap. 2, de parochiis. Quod si parochus legitime sit impeditus, ne eam curam in se suscipiat, eadem sollicitudo alteri sacerdoti, caussa muneris illius in parochiali ecclesia obeundi, erit demandanda. Et quidem olim parochi in suam fidem recipiebant, ut sacerdotes in eo ministerio adjutores sibi ipsi libere seligerent, etiam ex regularibus clement. 2, vers. *In ecclesiis* de sepulturis. Verum concilium tridentinum hanc facultatem parochis ademit, voluitque, ut, quoties per alium sacerdotem obeundum sit hoc ministerium, sacerdos idem aut mandato, aut consensu episcopi constituatur, dicto c. 2, sess. 5, et dicto cap. 4, sess. 24, de reformat., quod duplici de caussa opportunum fuit statuere; primum, ne minus idonei sacerdotes tanto implendo muneri addicerentur; deinde, ne facile parochi, et sine caussa tantum munus sibi commissum in alias personas transferrent.

Pertinet quoque ad curam parochorum denunciare dies festos ex Ecclesiæ præcepto observandos, dies jejuniorum, seu vigiliarum, palam facere nomina ordinandorum, illorumve, qui sunt matrimonia contracturi, ne ordines suscipiantur ab indignis, vel in idoneis, neve conjugia contrahantur ab iis, qui aliquo detinentur impedimento, cap. 3, de clandest. desponsat., concilio tridentino sess. 24, de reform. matrim. cap. 1, sess. 25, in decreto de delectu ciborum, sess. 23, de reformat. cap. 5, eademque ratione de mandato episcopi publicare indulgentias, monitoria, rite inflictas excommunicationum sententias, eaque omnia, quæ interest ecclesiasticæ utilitatis palam ad populi notitiam pervenire. Additur his, ad bonum ecclesiarum regimen quammaxime expedire, ut parochi juxta receptos mores codicum monumentis demandent collata baptismatis, et confirmationis sacramenta, celebrata matrimonia, factas defunctorum sepulturas, et statum familiarum in parochia degentium, consignantes distinctis libris nomina baptizatorum, eorumque, qui susceptorum officio in

baptismate functi sunt, nomina confirmatorum, eorumque insuper, qui susceptores confirmati extiterunt, nomina conjugum, nomina defunctorum, ac denique nomina singulorum, quibus tenentur sacramenta ex officio administrare, ut, quotiescumque opus sit, et prout res incidat, ad eosdem libros respici possit ad factorum notitiam hauriendam. Concilio tridentino sess. 23, de ref cap. 1, sess. 24, de ref. matrim. cap 1, vers. *Habeat Parochus*, et cap. 2.

Clara sunt hæc, atque perspicua. Concitari controversiæ solent respectu loci sacri, aut religiosi, in quo parochi rite possint suo munere fungi. Etenim in primis in parochiali ipsa ecclesia alii esse possunt clerici certis exercendis officiis addicti, qui in eisdem officiis identidem parochos excludunt. Possunt deinde esse in finibus parochiarum aliæ ecclesiæ constitutæ, respectu quarum de jure parochorum valde ambigi consuevit. Quæ ut accurate explicentur, juvabit secernere parochiales ipsas ecclesias ab aliis ecclesiis, quæ sunt separatæ a parochiali, utut intra parochiæ limites constitutæ.

Ut de parochialibus ipsis ecclesiis primum dicam, munera parochialia universa ab uno parocho ibi gerentur, nec ab alio, nisi de parochi consensu, ac voluntate; imo etsi ibidem altaria plura sint constituta, et ad ea erecta sodalitia laicorum, præcipua cura sacrorum ad eundem parochum pertinebit. Quod si una cum parocho alii sacerdotes, sive clerici in Ecclesia ipsa mereant, distinguere oportet inter casum, quo parochialis ecclesia etiam sit collegiata et casum, quo parochialis ecclesia sit simplex, si parochialis ecclesia sit etiam collegiata, clerici collegium componentes, sive canonici parochum excludent ac iis, quæ jura collegiorum constituunt, nisi et ipse parochus unus sit de collegio, salvis tantum manentibus penes parochum juribus, et oneribus parochialibus; ubi vero de certis officiis agatur, quæ fere ad jura parochialia accedunt, observandæ erunt uniuscujusque ecclesiæ consuetudines, quæ, uti adnotatum initio fuit, hanc materiam dirigunt universam. Quod si ecclesia parochialis sit simplex destituta collegio clericorum, tunc clerici in ea merentes, et titulo illius ecclesiæ ordinati, aut quovis modo eidem ecclesiæ adscripti, habebuntur tanquam parochorum adjutores, ita ut ecclesiæ eidem inserviant, prout singulorum gradus, et ordo postulat, juxta tributionem munerum a parocho faciendam, ne seditiosa sit, et in schisma prona ea clericorum institutio, idque ad servandam unitatem ac mutuam charitatem, sine qua nulla potest consistere universitas; optandumque semper erit, ut quemadmodum parochi clericos secum ecclesiæ addictos uti fratres habere debent atque collegas, ita et clerici lubenter parochum sibi prefectum adjuvent sine invidia, atque officiis prosequantur.

Respectu aliarum ecclesiarum, quæ a parochiali ecclesia sejunctæ sunt, et in parochiæ finibus sitæ, generaliter in primis observandum est, eas jurisdictioni parochorum non dici obnoxias, sed ad unius episcopi potestatem pertinere, can. 3, 4, 5 et 6, cau. 10, qu. 1, ut enim ajebant patres aurelianenses in can. 10, cau. 16, quæst. 7, *omnes Basilicæ, quæ per diversa loca constructa sunt, vel quotidie construuntur, placuit secundum canonum regulam, ut in ejus episcopi potestate consistant, in cujus territorio positæ sunt.* Revera siquis caussas, et finem erigendarum parochiarum, constituendorumque parochorum consideret, intuebitur statim, commissam fuisse parochis animarum intra certos limites viventium curam, non vero res ipsas ecclesiasticas extra parochialem ecclesiam consistentes commendatas; aliud autem est committi curam personarum, aliud rerum sollicitudinem commendari. Indico ego in hac re generalem disciplinam, a qua sane tum demum recedi poterit, cum aliter cautum fuerit episcopali intercedente auctoritate in tabulis fundationum, vel cum aliud invexerit consuetudo legitima jurium parochorum interpres. Itaque generaliter in iis ecclesiis poterit quidem parochus prohibere, ne ea peragantur, quæ inter jura proprie parochialia recensentur, non poterit tamen in eisdem jura ipsa parochialia, aut alia quæcumque exercere invitis patronis, aut illis, quorum tutelæ ac curæ sunt eædem ecclesiæ commendatæ. Insuper sacerdotibus non poterit prohibere, ne ibidem sacerdotalia munera peragant; statim ac enim episcopus ecclesias illas tanquam loca sacra haberi voluit, in quibus sacra ministeria rite obirentur, qualem obicem ponere potest parochus, ne clerici ibidem suo ordini competentia officia explicent? Ea vero munera, quæ mere sacerdotalia non sunt, et ex pragmaticorum traditionibus prope ad jura parochialia accedunt, tum demum etiam ab aliis sacerdotibus, aut clericis peragentur, cum episcopus fecerit facultatem. Non semel contingit, ut in istis ecclesiis certus clericus sacerdotali ordine insignitus titulo perpetui beneficii per episcopalem institutionem addicatur. Tum vero tria in controversiam venire possunt. Primum est, quænam jura sint parocho in illam ecclesiam. Alterum, quænam jura sint parocho in sacerdotem ibidem constitutum. Postremum, quænam jura possint ab eodem sacerdote in ea ecclesia explicari. Tabulæ fundationis, seu ecclesiæ, seu beneficii erunt in primis observandæ, atque juxta eas omnis controversia dirimenda. His deficientibus, investigandum, quid longus usus invexerit. Ubi vero nihil adhuc erui possit, omniaque sint ad juris communis et ordinarii formam exigenda dico primum, non aliud esse jus parochorum in eas ecclesias, quam ut prohibere valeat ne in

iis jura vere et prope parochialia exerceantur. Ceterum ipse parochus ab eisdem juribus in iis ecclesiis exercendis, dissentiente ecclesiæ illius rectore abstinebit. Dico secundo, in ejus ecclesiæ sacerdotem nullam esse parochi potestatem, nisi eam, quam in quemcumque laicum parochianum suum explicaret, idest, ut eum munire possit sacramento eucharistiæ in extremis laborantem, item sacramento extremæ unctionis; possit eum adigere ad paschalem communionem, præesse funeri defuncti, et alia, siquæ sunt, hujus generis. At non poterit habere eum tanquam clericum parochiali ecclesiæ adscriptum, cum adscriptio clericorum ecclesiis fiat episcoporum auctoritate, cum clerici vel ordinantur, vel in beneficiis instituuntur. Statim ac autem sacerdos ille ex beneficiaria sui institutione auctoritate episcopali adscriptus est ecclesiæ a parochiali distinctæ, immunis est a sacerdotali officio in parochiali ecclesia præstando, ne forte dicatur, eum duplici ecclesiæ adscriptum esse, quod sacris canonibus minime probatur, can. 2, dist. 70, can. 1, cau. 21, qu. 1. Dico tertio, sacerdotem illum posse in ecclesia sui beneficii sacerdotalia universa officia gerere, dummodo ab officiis mere parochialibus abstineat; in iis autem, quæ media inter sacerdotalia, et parochialia fluctuare videntur, poterit etiam versari, dummodo episcopalis auctoritas intercedat, sive expresse, uti in tabulis fundationis, vel in literis suæ institutionis, sive tacite, quod ex consuetudine demonstraretur.

CAPUT V.

ET POSTREMUM.

De jure parochorum in oblationibus in ecclesiam collatis, aut ex debito, aut ex liberalitate fidelium in parochia consistentium.

Huc referendus est titulus 30, lib. 3.

Sive ex debito, sive ex liberalitate fidelium quidquam in ecclesias conferatur, respectu juris parochialis nihil interest, nisi tantum in eo, quod quæ ex debito conferuntur, postulari etiam in judicio possint. Ceterum omnia indiscriminatim hodie parochorum administrationi jure ordinario recepto relinquuntur. Ex istis oblationibus duæ sunt, quæ nomen habent singulare in jure ecclesiastico, nimirum primitiæ, et decimæ. Ceteræ generali nomine oblationum designantur. De primitiis vix sermonem habendum puto, seu quod hodiernis temporibus ubique fere ab usu recesserint, seu quod ubi olim in usu aliquando fuerunt, argumento canonis 21, 23 et 65, cau. 16, qu. 1, aut ubi forte adhuc hodie vigent, sub obligatione minime sint, quemadmodum legimus in cap. 1 de decimis; proinde facile cum ceteris oblationibus confundantur, seu eisdem legibus modum accipiant, quibus modum accipiunt ceteræ oblationes. Itaque de decimis multa in primis observabo; deinde pauca subjiciam de oblationibus in universum.

Vetustissima est divina in mosaica lege decimarum prima institutio. Cum enim Deus optimus maximus prohibuisset sacerdotibus, ne ullam soli seu terræ ceteris tribubus adsignatæ partem possiderent, voluit ceteras tribus necessaria vitæ subsidia levitis ministrare, decimas fructuum eisdem levitis conferendo. Numerorum cap. 18, Deutoronomii cap. 18. Nemo hinc non videt, singularem fuisse legis hujus sanciendæ caussam, et statui Judæorum accommodatam: statim ac enim præter ea, quæ ad habitandum erant necessaria, vix quidquam concessum levitis fuerat possidendum, sed universa terra inter ceteras tribus distributa, ne forte levitæ negotiis temporalibus distraherentur a sacris officiis, erat certo modo eorundem vitæ consulendum, quod decimarum luitione fiebat. Et quamquam duodecima portio pro numero tribuum, et servata æqualitate, virilis videatur, potius tamen decuit decimam dari; cum enim nonnulla essent in templi cultum a levitis eisdem impendenda, augenda tantisper erat virilis portio, unde pro duodecima constitueretur decima. Singularis hæc ratio cum in nova lege cessaverit, cessavit quoque obligatio decimarum: quamquam tamen in ipsa vetere lege decimarum duo erant consideranda præcepta, quorum unum perpetuum extiturum esset, alibi fundamentum habens, quam in politico Judæorum regimine, alterum temporale foret, et singulari Hebræorum statui accommodatum. Perpetuum preceptum in ea erat parte, in qua jubebatur, ut alerentur a populo ministri sacrorum, quæcumque tandem esset suppeditandorum alimentorum ratio; unde Christus dominus in evangelio, et Paullus apostolus in epistolis ministros evangelicos alendos esse a fidelibus prædicabant. Caussa hujus præcepti perpetua est, quotiescumque sacrorum administri aliunde destituuntur iis, quibus exhibere se possint ne alias cogantur vacare a ministerio. Temporale erat in ea parte, qua definitum erat, in decimis portionibus obventionum omnium portionem sacrorum ministrorum consistere, neque enim id accommodari potuit christiano populo non diviso in paucas tribus, ex quibus una sacerdotalis esset, sed constanti ex universis gentibus ad baptismum accedentibus inter quas pauciores essent numero et selectis de populo sacerdotes. Ad hæc principia respicientes apostoli, ac viri apostolici non decimas a fideli populo petebant, sed oblationes, quas, ubi ampliores essent, pauperibus, indigentibusque universis communes faciebant. Posterioribus sæculis cœ-

perunt viri ecclesiastici etiam ecclesiarum nomine bona immobilia possidere; sed quando hæc minime sufficiebant, oblationes adhuc a populo quæritare perrexerunt. Et quidem quousque populus sponte ac libentissime clericorum necessitatibus consulebat etiam abunde, non opus fuit promulgatione præcepti; at refrigescente populi charitate leges expresse edendæ fuerunt, quibus sacris administris occurreretur. Profecto in speciali lege expresse ferenda opus erat definire quantitatem, quam unusquisque conferret, ne lex ipsa indefinita in irritum caderet. Aliam normam in hac re non invenerunt, aut non meliorem se invenire posse censuerunt patres ecclesiastici, quam eam, quæ levitarum gratia posita fuerat in vetere testamento, proindeque apud Christianos tum cœpit decimarum præstatio fieri ex obligatione ex Judæorum disciplina traducta; atque in hac significatione ajebat summus pontifex in cap. 14, de decimis, decimas viris ecclesiasticis jure divino deberi. Interea cœperunt ecclesiæ, et viri ecclesiastici bonis immobilibus locupletari magis in dies, et quamquam tunc cessaret latæ legis ratio, et caussa impositi præcepti, adhuc tamen lex ipsa vigebat, cui necdum fuerat lege contraria, aut generali consuetudine derogatum. Imo nonnulli episcopi adeo tenaces juris decimarum erant, ut, quoties non luerentur, sacramenta denegarent, ne ipso quidem excepto baptismate, atque anathema infligerent, quod in constantinopolitana ecclesia, et ecclesiis constantinopolitano patriarchatui subjectis vehementer displicuit Justiniano imperatori, uti liquet ex l. 39, § 1, cod. de episc. et cler. Paullatim, ubi præsertim Ecclesiæ bonis temporalibus abundaverunt, a petitione decimarum cessatum est, non quidem ubique, non enim ubique satis fuerat personis ecclesiasticis aliunde consultum, sed pluribus in locis; imo et certis in locis, ubi cessatum est, renovari præceptum debuit, si iterum sacri administri necessariis vitæ subsidiis opus haberent. En caussam, quare identidem in decretalibus pontificum maximorum urgeri iterum videamus hoc preceptum olim impositum, et quod usu pridem exoleverat. Unde non alia regula præstitui potest, quæ hodie observetur, quam totam decimarum obligationem, locorum usibus, et consuetudinibus regi ita, ut ubi consuetudo viget præstandi decimas, ex necessitate præstentur, tum demum autem immunis sit populus a luitione decimarum, cum consuetudo eum fecit immunem, cap. 20 de decimis.

Quibus in locis præstari decimæ solent, aliquando etiam viget, ut pendantur non solum de prædiorum, seu urbanorum, seu rusticorum fructibus, verum etiam de ceteris proventibus, puta molendinorum, piscariarum, venationis, lanæ, mellis, et similibus, cap. 5, 6 et 22 de decimis. Quamobrem vulgo traditur, triplex esse decimarum genus, quarum aliæ reales, aliæ personales, aliæ mixtæ dicuntur, prout aut ex rebus, aut ex personarum industria, aut una et ratione rerum, et ratione personalis industriæ proficiscuntur. In computanda decima singulari jure cautum est, ut nihil in collatione fructuum detrahendum sit a dominis eorundem fructuum prætextu expensarum, aut onerum, quibus obnoxii iidem fuerunt. Id primum rescripsit Honorius III, in cap. 7 de decimis, quem secutus est Cœlestinus III, in cap. 22 de decimis, cum autem durum nimis aliquibus videretur, confirmatum fuit deinde ab Innocentio III, in cap. 26, eod. tit. quod tamen receptum tantum fuit in fructibus naturalibus, non etiam in fructibus civilibus, cap. 28, eod. tit. Passim interpretes in eo collocant discriminis rationem, quod in civilibus fructibus vere lucrum non intelligatur, nisi deductis expensis, at naturales fructus ex solo percepti proprie et naturaliter eo nomine appellentur, quotquot ex solo percipiuntur, quemadmodum inter ceteros tradit Barbosa de officio parochi cap. 28, num. 34. Speciem quandam veritatis habet hæc ratio, ad rudem vulgi sermonem accommodata; siquidem rude vulgus est, quod fructus nominat, quidquid ex solo redigitur ante deductas expensas. At secus loquuntur jureconsulti. Sic Paullus in l. 36 § ult. ff. de petit. hered. ajebat: *Fructus intelliguntur deductis impensis, quæ quærendorum, cogendorum, conservandorumque eorum gratia fiunt. Quod non solum in bonæ fidei possessoribus naturalis ratio expostulat, verum etiam in prædonibus, sicut Sabino quoque placuit;* quod ipsum confirmavit in l. 38. ff. eod. tit. Sic etiam tradidit Papinianus in l. 48, ff. de rei vindicat. Sic Ulpianus in l. 46, ff. de usuris. Sic Gajus nullam in hac parte distinctionem admittendam voluit inter fructus civiles, et naturales; nam in l. 4. ff. de operis servorum cum tradidisset, fructum hominis in operis consistere, conclusit, exemplo ceterarum rerum, in quibus fructus non intelligitur, nisi deductis impensis, ita in servorum operis obtinere oportere. Sic denique constituerunt Diocletianus et Maximianus in l. 1, cod. de fructibus, et litium expensis. Igitur meo judicio alia via ineunda videtur, ut probari omnino apud jureconsultos possint laudata tum Cælestini, tum Innocentii rescripta. Ecquidem summo jure aliter rescripsissent ii pontifices: sed quando, generali juris regula in decimis recepta, fraudes in ecclesiam admittebantur a possessoribus prædiorum, ajentibus passim, se vix quidquam percepisse nomine fructuum ex eo, quod aut impensæ fuissent fructibus perceptis majores, aut impensæ fructus æquarent, saluberrimum visum est a summo jure recedere; neque novum est, ubi dolus et fraus frequens admittitur, contra callidas multitudinis artes quidquam paullo aspe-

rius, et contra ordinarii juris regulas induci, probari. Maximas admissas fuisse fraudes, et ex his novum hoc jus induci potuisse, probant varia ejusdem temporis rescripta passim sub titulo de decimis; inter cetera laudatum capitulum 26, ex quo liquet etiam de caussa, quia nimirum laicis odio erant infensissimo clerici, et vita clericorum. Quod si in fructibus civilibus id receptum non est, vel dicendum erit, tot fraudes in iis admissas non fuisse, ex quibus occasio daretur in hac parte abs jure ordinario recedendi, vel ecclesiam non adeo fuisse sollicitam de decimis personalibus, cujus rei argumento est, quod personales decimæ facilius quam reales in desuetudinem abierint, vel ita recipiendum fuisse, quia Honorii, Cœlestini, et Innocentii rescripta, quibus jus novum inducebatur, singularia erant, et de fructibus prædiorum tantum concepta, quæ proinde juxta germanas interpretationum regulas ad civiles fructus extendi non poterant, ubi lex scripta deficiebat. Præterea ut sine fraude decimæ sacerdotibus darentur, varia fuerunt in variis provinciis constituta. Alicubi enim viget, ut collecti fructus, antequam ab agris asportentur, coram decimatoribus numerentur, aut metiantur, quo certius decima detrahi possit: alicubi transactione composita res fuit, ut singulis annis possessores prædiorum certam quantitatem fructuum luant, quam nec anni calamitas imminuat, nec augeat ubertas annonæ: alicubi pro fructibus tradita est certa pecunia numerata, argumento clementinæ 2 de decimis. Generaliter autem verum est, de fructibus tantum, aut obventionibus licite quæsitis decimas solvi, de quæstu illicito nullo modo, cap. 23 de decimis, quod conforme est veteri traditioni patrum in can. 2, dist. 90, sive illicite quæsita ex iis sint, quæ restitui debeant, sive ex iis, quæ ab adquirente retineantur juxta ea, quæ tradidit Augustinus in can. 15, caus. 14, q. 5. Pœna non solventium decimas, ubi illæ debentur, passim in decretalibus esse dicitur *Ecclesiastica districtio*, cap. 6 de decimis, item *omnis districtio* in cap. 16, eod. tit. Clarius autem in cap. 21, eod. tit. est *censura*, cujus nomine venit excommunicatio sententia judicis adversus contumaces infligenda, uti adhuc clarius legitur in cap. 5, eod. tit. Pœnalem hanc sanctionem de ferenda in contumaces excommunicationis sententia renovaverunt tridentini antistites in cap. 12, sess. 24 de reform. adjicientes præterea, reos non solutarum decimarum ab eo crimine non absolvi, nisi cum plena restitutio secuta fuerit.

Olim episcopis, seu cathedralibus ecclesiis decimæ luebantur, can. 1, vers. *has vero* caus. 16, qu. 7, et quidem ob duplicem caussam; primo, quod in eo adhuc vigebat vetus Ecclesiæ disciplina, juxta quam quæcumque ecclesiasticæ obventiones ad manus episcopi deducebantur, necessaria deinde vitæ subsidia inter clericos ecclesiis administrantes tributuri. Secundo, quod cathedrales ecclesiæ adhuc inopes essent, et ex obventionibus inferiorum ecclesiarum in tota diœcesi sitarum tuendæ erant, earundemque clerici sustentandi. Paullatim factum est, ut quoniam episcopi abdicaverunt a se liberam illam administrationem universi peculii ecclesiastici gratia parochorum respectu parochialium ecclesiarum, certis tantum juribus sibi reservatis, alias autem cathedrales ecclesiæ sensim ditescentes opus non amplius habuerunt inferiorum ecclesiarum subsidiis, jus decimarum cœperit esse proprium parochorum; eamque ob rem hodie jus commune, et ordinarium potius parochis, quam episcopis favet, it ut quicumque etiam episcopus contendere volit contra parochos, ad se spectare jura decimarum, singulari jure probato innitatur oporteat, quod parochus in proposito dicatur intentionem habere in jure communi fundatam. Quidquod enim in cap. 18 de decimis legimus, decimas parochiali esse Ecclesiæ persolvendas? Quidquod in cap. 20, dicitur, decimas personales, ac reales parochiali ecclesiæ, seu illi, in qua percipiuntur sacramenta, adsignari? Quidquod perspicue in cap. 30, eod. titul. traditur, ad parochiales ecclesias *de jure communi spectare perceptionem decimarum*? Quam phrasim etiam legimus in cap. 29, præcedente. Quidquod Alexander IV, in cap. 2, vers. *Diœcesani* de decimis in 6, monuit episcopos, ut solliciti essent, quo universi decimas parochialibus Ecclesiis solverent? Denique Bonifacius VIII, in cap. 2, de restitut. spoliat. in 6, ait, esse *manifestum, nisi aliud ostendatur, decimas de jure communi ad parochialem ecclesiam pertinere.* Sane minores Ecclesiæ in limitibus parochiarum constitutæ, vel clerici in iis sacra administrantes a decimis jam olim exclusi fuerant, ne Ecclesiæ antiquiores, idest aut cathedralis, aut parochialis, decimis fraudarentur, can. 42, 43, 44 et 45, cau. 16, qu. 1, neque unquam admissi fuerunt, nisi ubi jus singulare, quale fuisset privilegium, aut longa præscriptio, vel consuetudo legitima, demonstraretur. Successu temporis etiam exclusi fuerunt episcopi, et ecclesiæ cathedrales, uti dictum est. Tum vero nec statim omnia jura sua episcopi renunciaverunt, nec ubiscumque parochis, ac parochiis decimas dimiserunt. Non statim in primis omnia jura episcopi renunciaverunt, quia reservarunt sibi canonicam, ut plurimum quartam, portionem, de qua in præcedente capite sermonem institui. Hinc intelligimus capitulum 13 de decimis, ubi episcopo brixiensi præcipitur, ut parochiali ecclesiæ *decimas faceret adsignari sua parte retenta*, idest, retenta canonica episcopi portione. Intelligimus etiam rescriptum Alexandri IV, in cap. 2, vers. *ubi autem* de decimis in 6, ubi

fit mentio parochorum, qui per subtractionem decimarum *jura episcopalia exhibere non posset*, et præcipitur, ut ita Parochis occurratur, *ut Episcopalia Jure solvere valeant*, hæc enim non alio pertinent, quam quo parochi possint ex decimarum obventionibus canonicam portionem episcopo solvere. Deinde non ubique episcopi, aut ecclesiæ cathedrales jura decimarum parochis et parochiis concesserunt, sed alicubi sibi statutis singularibus reservaverunt; unde identidem legimus, episcopis decimas solvi, ut in cap. 1 de præscript. in 6, et concilium tridentinum in cap. 12, sess. 24 de reform. promiscue mentionem facit sive de cathedralibus, sive de aliis ecclesiis, quibus decimæ debeantur. Unde regula conficienda est, jure communi deberi decimas parochialibus ecclesiis, nunquam ecclesiis minoribus, nisi istæ singulari jure innitantur; imo et nec ecclesiis cathedralibus, nisi statutis singularibus, aut consuetudine legitima istæ juventur, ac simili ratione ne episcopis quidem, qui præterea etiam a canonica portione abstinebunt, ubi canonicæ portionis percipiendæ nullus usus supersit. Quid vero, siquis in una parochia degat, in altera prædia sita habeat? Dubitabant Alexander III, in capit. 18 de decimis, et Lucius III, in cap. 20, eod. diremtionem quæstionis totam conferentes in receptas locorum consuetudines, quibus morem apprime gerendum scripsere. Sed hæc definitio non ubicumque utilis esse potuit. Quid enim, si de loci consuetudine non constaret? Generalis primum erat præstituenda regula, a qua tum demum recederetur, cum contrarium consuetudo induxisset. Hinc receptum est, ut distinguantur decimæ reales a personalibus, et personales decimæ solvantur illi parocho, a quo sacramenta quis percipit; reales illi parocho, in cujus parochia sita sunt prædia. Visus fuit jam id attigisse Clemens III, in cap. ult. de parochiis; visus quoque fuit deinde etiam attigisse Bonifacius VIII, in cap. 2 de restitut. spoliat. in 6, in illis verbis: *proveniant ex prædiis intra alienam parœciam constitutis*, sed adhuc clarius tradidisse in cap. 1 de præscription. in 6, ubi contra jus commune dicitur jus decimarum præscripsisse episcopum in illis prædiis, quæ extra ejus diœcesim sita erant; unde passim tradi cœpit, prædiorum loca esse in prædialibus decimis attendenda. Hanc ipsam ob caussam receptum quoque fuisse testatur Rebuffus de decimis quæst. 6, ut decimæ personales inter duos parochos dividantur æqualiter quotiescumque contigerit, eum, qui decimas debet, per anni dimidium in una, per alterum dimidium in altera parochia commorari consuevisse, unde ignoretur, ubinam constitutum sit illius domicilium, seu potius videatur is in duobus æque locis, sive in duabus æque parochiis domicilium contraxisse; secus tamen ac contingat, ubi quis in una parochia domicilium habeat, et identidem se alio transferat, non domicilii figendi contrahendique animo, sed caussa recreationis, aut simili, argumento capituli 2 de sepultur. in 6.

Ubi luendarum decimarum obligatio viget, regulariter fideles omnes sacramenta a parocho percipientes tenentur. Plana est definitio, ubi tantum agatur de decimis personalibus, aut quæ potissimum personales sunt, non de realibus. Jus parochorum, aut sacrorum antistitum in petendis decimis fundamentum habet in obligatione, qua iidem tenentur sacramenta administrare. Obligatio illorum, qui decimas luituri sunt, in eo fundamentum habet, quod ipsi a parochis, sacrisve antistitibus sacramenta petant. Ex his duobus emergit, exhibendos necessario esse sacros administros parochianorum collationibus, quarum vices decimæ tenent, ne a cura spirituali prætextu alimentorum aliunde exquirendorum distrahantur. Ex quo liquet, definitionem istam duas habere partes, quarum prima est, fideles omnes, qui in christiana communione consistunt, personales decimas solvere oportere; altera est, eos a decimis personalibus luendis immunes esse, qui nunquam baptizati fuerunt, neque ullo modo ad communionem pertinent christianam. Secunda hæc definitionis pars sine discrimine locum obtinet. At prioris partis quædam receptæ aliquando fuerunt exceptiones. Siquidem fuerunt nonnulli, qui licet adhuc decimis realibus, tenerentur, exemti tamen singulari privilegio extiterunt, cujusmodi fuerunt monachi, can. 47, cau. 16, q. 1, c. 10 et 11, de decimis. Hujusmodi privilegiis etiam donata fuere quædam loca pia, et religiosa, uti liquet ex cap. 2, de eccles. ædific. Imo ex consuetudine receptum multis in locis fuit, ut licet reales decimæ debeantur, non luantur tamen aut in universum, aut ab aliquibus personales. Porro clerici in ecclesia ministrantes ex jure communi decimas parochis minime solvunt, quamquam enim et ipsi a parochis sacramenta petant, sunt tamen ipsi parochorum adjutores in ministerio sacrorum erga fideles ceteros exhibendo. Hinc recte ajebat Paschalis II, in cap. 2, de decimis: *Novum genus exactionis est, ut clerici a clericis decimas exigant, cum nusquam in lege Domini hoc legamus; non enim levitæ a levitis decimas accepisse leguntur*. Quæ in eodem capitulo subjiciuntur, *de clericis illis, qui a clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt*, præstatione decimarum obligandis, non satis accurate adjecta fuerunt; nam in primis nihil tale legitur in cap. 17, caus. 16, qu. 1, ubi præcipua capituli illius sententia habetur sub nomine Paschalis II. Deinde observat Antonius Augustinus in notis ad cap. 7 de decimis in 1, collectione, ex quo depromtum est dictum capitulum 2, ita legi oportere: *Illi profecto sol-*

vere laborum suorum decimas debent, qui a clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt; et subjicit: *Hæc videntur ad laicos pertinere*; secus enim idem Paschalis sibi adversaretur. Et revera in cap. 8, ejusdem 1, collectionis ab Alexandro III, definitum fertur, clericos ad decimas præstandas nulla ratione teneri. Ecquidem non ignoro, plures distinxisse inter decimas personales, et prædiales: a personalibus dixerunt clericos immunes; in prædialibus iterum distinguendum voluerunt an ageretur de prædiis ecclesiasticis, quæ clerici ecclesiæ nomine, idest titulo ecclesiastici beneficii possiderent, an ageretur de prædiis clericorum propiis, sive hereditariis, sive patrimonialibus, sive alio quocumque titulo quæsitis. A decimis prædiorum ecclesiasticorum iterum dixerunt immunes clericos, non ita a decimis prædiorum non ecclesiasticorum. Id putarunt deduci posse ex can. 42 et 46, cau. 16, qu. 1. Quicumque tamen attente, uti decet, ea monumenta perpenderit, facile agnoscet, ibi non agi de clericis, qui prædia per se possideant, sed qui colonis laicis prædia possidenda concesserint. Ibidem autem statuitur, non ut clerici, sed ut coloni clericorum decimas ecclesiis penderent. Putarunt deinde deduci posse ex eo, quod decimæ prædiales sint onera realia gratia ecclesiæ jampridem imposita; proptereaque semper prædiis ipsis ita adhærentia, ut et sequantur quemcumque possessorem, et non extinguantur ex eo, quod immutetur qualitas possessoris, seu quod laicus possessor inter clericos incipiat accenseri. Verum istud principium, quod ipsi ponunt, erit modo discutiendum, cum de decimis prædialibus, seu realibus adhuc dirimenda quæstio est: atque ex sequente diremtione, quæ hucusque tradita doctrina est de clericis a decimarum præstatione exemtis, in clariore lumine collocabitur.

De realibus decimis aliter disserere solent interpretes, et pragmatici, ut emergentes controversias dirimant. Intueor ego, multa ex hac veluti prima et fundamentali disputatione pendere; num jus decimarum, quæ reales appellantur, personale potius dicendum sit, an reale. Vulgo, ut arbitror, hallucinati sunt multi; statim ac enim tritam illam partitionem decimarum in personales, ac reales receperunt, uti personalium decimarum jus personale, ita realium reale existere censuerunt. Non sunt duo hæc necessario connexa, decimas esse reales, et jus decimarum earundem etiam esse reale ita, ut jus, quod modum a rebus accipit, dici personale non possit. Sunt enim quædam, quemadmodum de prætoriis interdictis loquebatur Ulpianus in l. 1, § 3, ff. de interdictis, *quæ licet in rem videantur concepta, vi tamen ipsa personalia sunt*. Proprie reale jus dicimus, quod ita rei cohæret, ut res ipsa quodammodo obligata, et affecta censeatur, quodque rem ipsam sequitur apud quemcumque possessorem, ad quem transferatur. Cetera jura proprie personalia sunt, l. 25, ff. de obligat. et action. Jurisconsultorum propriæ sunt hujus generis observationes. Ergo decet eas exigere ad jureconsultorum principia. Porro jurisconsulti docent, quatuor esse caussas, ac veluti fontes obligationum realium, idest dominium, possessionem, servitutem, et prætoriam hypothecam; quatuor insuper esse caussas, ac veluti fontes obligationum personalium, videlicet contractum, quasi contractum, maleficium, et quasi maleficium. Hinc quemadmodum quæcumque ex quatuor prioribus caussis personalia, ita quæcumque ex quatuor posterioribus caussis proficiscuntur, realia jura appellari necesse est. Perspicua est generalis ista doctrina, quam si decimarum juribus accommodemus, concludendum erit, etiam decimas, quæ reales dicuntur; licet ratione rei debeantur, personales esse, utpote quæ proficiscuntur ex quasi contractu inter ecclesiasticos administros, et populum inito, quo fit, ut dum populus ab ecclesiasticis administris ad sacra, et divina dirigitur, eisdem sacris administris alimenta tribuere teneatur. Quod potius decimis, quam aliis quibuscumque pensitationibus alimenta donentur, ex pacto est. Cum enim initio prospiciendum fuit sublevandis cleri necessitatibus, suadebat christiana charitas; ut ad eas relevandas conferre non deberent personalibus operibus, qui infirmi, aut debiles essent: potius qui prædia fructifera possiderent, pro pauperibus tribuerent fructuum prædialium collationes. Hæc sane conventio est in universitate fidelium facta, in quam minime coiverunt, qui essent extra communionem christianam. Non dominii, non possessionis, non servitutis cujusquam, non hypotheca jura, quæ sola realia essent, in fructum leges publicæ clericorum gratia concesserunt; de hac enim concessione nullibi constat. Nunquam ecclesia jura hæc realia sibi vindicavit; neque enim poterat utpote cujus potestas in personas est, non in prædia, ut ajebat Augustinus in can. 1, distinct. 8. Eadem ratione romani legumlatores pro modo facultatum sanxerunt, ut designaretur judicis potestates quantitas alimentorum, quæ filii divites parentibus inopibus debent, et e converso parentes liberis, l. 5, § ff. 7, de agnos. et alend. lib., quin hæc obligatio realis sit, seu rebus imposita, sed personalis. Difficultas ex eo emergere potest, quod identidem definitum adpareat de realibus decimis, eas a prædiis potius, quam a personis deberi, ut exemplum est in eo; qui in una parochia degit, et in ea sacramenta suscipit, in alia autem parochia prædia possidet, cujus respectu statutum est, decimas prædiales illi parocho luendas esse, in cujus parochiæ finibus prædia sita sunt, cap. 2, de restitut. spoliat. in 6, juncto cap. 1, de præ-

script. in 6. Verum id tanti momenti non est, ut a generali sit regula recedendum. In primis enim observo, cum primum proposita fuerit quæstio Alexandro III, cuinam parocho præstandæ decimæ in ea specie forent, fassus est Alexander in cap. 18 et 20, de decimis, *super eo, sibi facile non fuisse certum dare responsum, et in ejusmodi dubitatione ad consuetudinem duxit recurrendum.* Fere similia rescripsit Lucius III, in cap. 20, eod. tit. Quod si credidissent, decimas prædiales non ex personali, sed ex reali obligatione descendere, quid fuisset difficultatis? Etenim procul dubio parochus, in cujus finibus sita prædia fuissent, prædiales decimas postulavisset. Propendere cœpit Alexander in eodem rescripto in eam opinionem, qua traderet, difficilius parochum, aut episcopum petere posse decimas prædiorum, ubi prædia non tantum in diversa parochia sita essent, sed etiam in diversa diœcesi. Sed non ideo propendebat, quod putaret, de juribus vere realibus agi, sed potius, uti ipse concludit, *ne ex eo episcopatuum fines confundi viderentur.* Non est hæc ratio a summo jure petita, sed ex æquitate quadam et publica utilitate, ne turbentur ministeria parochorum, neve parochi sollicitudinem in jura parochialia impendendo huc illuc discurrant extra fines parochiarum, aut diœceseon. Itaque in decimarum prædialium præstatione non respiciebatur ad naturam decimarum, an jura realia dicerentur, an minus; non ad qualitates prædiorum, an decimis affecta essent, an minus, sed respiciebatur aut ad commoda parochorum, aut ad utilitatem parochialium ecclesiarum, aut denique ad personas eorum, qui decimis obligabantur. Ubi respiciendum erat ad commoda parochorum, ipsis utile visum est, extra fines parochiæ non quærere decimas, et potius remittere gratia alterius parochi jura decimarum ex prediis parochianorum suorum in aliena parochia sitis, ubi, siquid detrimenti pati aliquando poterant, facile erat, ut ex prædiis in sua parochia sitis ad alienos parochianos pertinentibus vicissim compensarent. Ubi respiciendum erat ad utilitatem parochialium ecclesiarum, non videbatur expedire, parochos, quorum certe quotidianum esse debebat in parochia ministerium, huc illuc vagari exigendarum decimarum caussa, maxime si extra diœcesim sita prædia forent, ubi extranei episcopi officia quoties oporteret, excitanda fuissent. Ubi denique respiciendum erat ad personas eorum, qui decimis obligabantur, non tam fideles singuli, quam universitas fidelium in parochia consistentium obligata videbatur ad prædialium decimarum luitionem. Universitatis autem fidelium intererat, ut quicumque prædia possiderent in limitibus parochiæ ad decimas præstandas concurrerent; unde tacita quædam pactio inter possidentes fideles inita videbatur de decimis pro virili suppeditandis. Addo his, evitandas fuisse fraudes, quæ in detrimentum ecclesiarum, aut parochorum identidem admittebantur; cum enim decimarum præstatio certis in parochiis in usu esset, in aliis ab usu recessisset, qui in una parochia decimas prædiales luebant, alienis parochianis decimarum obligatione immunibus tradebant prædia sua, ut sic omnino prædia a decimis libera fierent, argumento capituli 32, de decimis.

Sic dissoluta principali quæstione, quæ præjudicium facit, duæ statim sequuntur definitiones, quarum prima est, eos omnes, qui nunquam in christiana communione fuerunt, ad solvendas prædiales decimas non teneri; altera est, eos qui quoquomodo pertinent ad christianam communionem, decimis prædialibus obligari, nisi aut privilegio exempti fuerint, aut decimarum onus consuetudine legitima præscripserint. In prima definitione dixi non teneri eos omnes qui nunquam in christiana communione fuerunt, ut indicarem eos, qui baptizati non sunt. Ceterum si de excommunicatis agatur, quia isti sese jam regimini ecclesiæ subjecerunt, et licet jugum excusserint factu suo, jure tamen adhuc clavibus ecclesiæ subsunt, et viri ecclesiastici quandam adhuc sollicitudinem de iis gerunt, decimis prædialibus tenebuntur. Non tenentur plane gentiles, aut Judæi, etiamsi forte prædia in christianorum provinciis possideant. Si enim, uti demonstratum est, jus decimarum prædialium reale non est, sive res sequens, ubicumque res reperiantur, sed personale, quomodo Judæi, Judeisve similes ex obligatione obstringentur, quando nec sese Judæi ecclesiæ subjecerunt, nec Judæis parochi ministrant, aut ministrare possunt sacramenta? Quis autem consentaneum dicat, aut aptum, ut ab extraneæ communionis hominibus in sacerdotum, ecclesiæque ministeria aliquid conferatur, quando idem Christus Dominus expresse mandavit apostolis, ut ab infidelibus civitatibus, et evangelium suscipere detrectantibus revertentes vel pulverem ipsum a calceamentis excuterent, Matthæi cap. 10? Equidem non ignoro, aliter vulgo tradi solere, imo et aliter aliquando fuisse in tribunalibus judicatum, propterea quod aliter definitum crediderint in jure scripto, seu in cap. 26 et 32, de decimis, junct. cap. 18, de usuris. Ego vero video aut non adeo perspicue ita in dictis monumentis definitam rem reperiri, quia longe diversa species ibidem drempta proponitur, aut potius ex eisdem monumentis opinionem meam magis magisque firmatum iri, si penitius, uti decet, expendantur. Sub finem duodecimi, ac sub initium decimitertii sæculi ægre fideles ad decimarum solutionem deveniebant quod liquet ex magno et canonum, et rescriptorum pontificiorum numero tunc temporis editorum ad eosdem fideles adigendos, toto titulo de decimis.

Hinc fideles ipsi non audentes legibus expresse adversari, ad dolos, ad fraudes confugiebant. Noverant in primis, Judæos ecclesiasticis legibus non obligari: istis prædia sua, retento tamen dominio, excolenda tradebant titulo locationis conductionis, ut ea ratione integros fructus perciperent, quasi ipsi possidere prædia desiissent. Noverant deinde, decimarum obligationem non esse universalem respectu omnium christianorum, cum scirent in certis parochiis usu desiisse, scirent insuper nonnullos legitima obtinuisse privilegia, quibus a luendis decimis redderentur immunes. Istis quoque locabant prædia sua, et utilem possessionem in alios transferendo se liberos a decimarum præstatione censebant. Quis dixisset in his factorum speciebus, prædiorum dominos a decimarum obligatione fuisse solutos? Non debebat in primis ipsis fraus et dolus parere emolumentum. Deinde quando non dominium non juris possessionem a se abjecerant, et dominii, et possessionis caussa tenebantur; et quamquam fructus in specie non perciperent ipsi, percipiebant tamen aliorum seu colonorum, aut conductorum ministerio, nihil autem intererat, an fructus ipsos perciperent, an quod pretium ex fructibus redigeretur. Profecto quod legitur in dicto cap. 16, et 32, de decimis, ad hujusmodi species pertinet. In dicto cap. 16, agitur de Judæis non prædiorum dominis, sed colonis, ut indicant verba illa *colunt*, *possessiones*, propter eaque cum Judæi christianorum nomine possiderent, et colerent, mirum esse non debet, si nomine etiam christianorum dominorum decimas luerent, argumento cap. 24, eod. tit. In dicto cap. 32, perspicua hujusmodi species est: agitur enim de iis prædiorum possessoribus christianis, qui cum decimas luere tenerentur, aliis non similiter obligatis prædia excolenda tradebant, ut ecclesias decimis defraudarent. Quodque ad rem facit, et mirifice comprobat opinionem meam, ibidem lateranense concilium non mandat colonis, ut decimas luant, sed ut domini taliter prædia excolenda committant, ut absque contradictione decimas ecclesiis, persolvant. Argumentum evidens est, lateranenses patres non credidisse, decimarum prædialium onus esse reale, et in quoscumque possessores una cum prædiis ipsi transferri. Imo et passim id sibi universi persuadebant, quando dignoscuntur, ideo devenire voluisse plures ad tradenda prædia aliis similiter non obligatis excolenda, ut sic decimæ ab ecclesia non peterentur, quod sane suffugium sine ulla caussa extitisset, si reale esse onus decimarum crederetur. Quod autem traditur in dicto cap. 18, de usuris, singulare est, et pœnam sapit, non meram decimarum obligationem. Agitur ibi de Judæis, qui ob frequentes, et immodicas usuras a christianis extortas, universa propemodum christianorum facultates, prædia, et domus occupaverant. Duplex tunc quasi furtum videbatur admissum. Primum adversus christianos generaliter. Alterum adversus ecclesiam, quando inde ecclesia decimas omnes prædiales amiserat. Igitur lateranense concilium voluit primum constituere, ut tenerentur Judæi ad restitutionem usurarum perceptarum, gratia fidelium in universum, item tenerentur ad præstationem decimarum, quibus fere omnino destituebatur ecclesia ob immodicas Judæorum usurpationes. Generaliter autem inde deducitur, tanquam onus reale habita non fuisse decimas, secus etiam sine ejus pœnæ adjectione Judæi etiam extra casum immodicarum usurpationum obligati fuissent. Fateor tamen, alicubi singularibus statutis factum esse, ut non aliter admittantur in certas provincias Judæi, aut non aliter domos, et prædia adquirere valeant admissi, nisi domorum, et prædiorum olim a christianis possessorum, et decimis obnoxiorum, decimas ipsi luant, quo pertinet, quod dicitur in cap. 17, de exces. prælat., in quo conquerebantur religiosi viri etiam de propriis habitaculis decimas peti, *sicuti de domibus Judæorum*. Nihil sane est, cur his statutis, et conventionibus non pareatur. At nihil id habet cum proposita disputatione commune; quemadmodum etiam in nonnullis locis viget statutum, ut Judæi luant parochis, in quorum parochiarum finibus degunt, certas pensitationes, quibus compensetur damnum parochorum in iis, quæ parochi lucrarentur caussa oblationum, et occasione sacramentorum, aut sacramentalium, si in habitaculis Judæis destinatis degerent christiani, quod vulgo *pretaticum* appellant; quin tamen exinde in generalem disciplinam abeat, qua credatur, Judæos teneri ad oblationes personales.

In altera definitione dixi, eos omnes decimis obstringi, qui sunt in christiana communione, dummodo redditi non sint aut legitima consuetudine, aut privilegio immunes. Si consuetudo generalis sit in parochia, in diœcesi, in provincia, nihil amplius superest dubitationis, quin lex decimarum in ea omnino cessaverit. Quid vero, si consuetudo sit certarum tantummodo personarum, aut rerum? Ea dicenda sunt de hujusmodi consuetudine, quæ de singulari obtento privilegio mox dicam. De clericis hic amplius non loquor. Si enim isti beneficio fruantur, de fructibus beneficii jure communi decimas minime luunt, cap. 2, de decimis; quid enim aliud esset decimas ex prædiis ecclesiasticis pendi, quam decimas ab Ecclesia Ecclesiæ præstari? Quod si clerici bona patrimonialia possideant, etiam ratione istorum habebuntur immunes, argumento dicti cap. 2, dummodo cum Antonio Augustino emendetur, ut, superius traditum est, juncto præsertim cap. 8, de decimis in prima collectione. Respectu illorum, qui cle-

rici non sunt, privilegium præ ceteris quamquam reddit a præstatione decimarum immunem, cap. 3, de decimis. cap. 1, de præscript. in 6. Hoc tamen probandum est, ut et cetera jura singularia, nam probatione deficiente, decimis locus fiet. Inde factum est, ut si ageretur de solo inculto, ex quo propterea nullæ decimæ olim præstabantur, quia nulli ex eo fructus redigerentur, et deinde, illud cultura fructiferum reddatur, quod *novalia* appellant, ex eo debeantur; non enim singulari privilegio locus ille exemtu dici potest, cap. 4, 10, 12, 27 et 29, de decimis, cap. 2, § ult. eod. in 6, clement. 1, eod. tit. monachi olim, cum non essent adhuc exemti ab episcopi jurisdictione, decimas prædiales viris ecclesiasticis luebant. At obtentis exemtionum privilegiis, neque statim omnino obtinuerunt a præstandis decimis immunitatem. Tantum a personalibus decimis liberi esse cœperunt non a realibus, cap. 4, 8, 11 et 12, de decimis, nisi in iis prædiis, quæ a prima monasterii fundatione concessa fuissent monasterio, et quæ manu propria a monachis excolerentur, nisi item in iis domibus, quas ipsi habitarent, cap. 10, 11 et 12, de decimis, clement. 1, eod., cap. 17, de excess. prælat. Ad avertendas quascumque contentiones, quæ in his caussis emergunt, suaserunt pontifices maximi, ut amicabiliter omnis controversia componeretur, dicto cap. 8, in fine, et cap. 34, de decimis; eamque ob rem hodie pactionibus fere ubique omnibus quæstionibus finis impositus est, nisi ubi aut amplissimum privilegium, aut generalis usus ab omni decimarum præstatione monachos liberaverit. Idipsum, quod dictum est de monachis, ad plura loca religiosa protractum est. Olim quidem prædia locorum religiosorum regulariter decimis suberant: paullatim privilegiis obtentis factum, ut de habitaculis in communi viventium fidelium nihil penderetur, imo nec de hortis contiguis, et animalibus, quæ ibidem nutriebantur, cap. 2, de eccles. ædific., paullatim aut compositione, aut consuetudine invecta a generali lege vel in totum, vel in parte recessum est.

Quod de decimis dictum est, eas jure ordinario jam a pluribus sæculis ad parochos pertinere, idipsum dicendum est de oblationibus ex fidelium liberalitate, vel actu inter vivos, vel ultima voluntate collatis. Sane oblationum nomine hoc in loco intelligo, non illas, quæ singularis alicujus clerici, aut episcopi gratia fiunt, hæ enim insta ceterarum donationum donatario cedunt juxta mentem donantis, et conditionem a donatore adpositam, cap. 15, de testam., sed intelligo, quidquid Deo donatum est, vel Ecclesiæ, vel etiam sacræ cuidam imagini palam expositæ, can. 10 et 11, cau. 13, qu. 2, cap. 29, de verb. signif. Istas autem universas parochis cedere receptum est, can. 15, cau. 10, qu. 1, cap. 9, de his, quæ fiunt a prælatis; et quidem non solum, si in ecclesia ipsa parochiali fiant, sed etiam si fiant in loco sacro, aut religioso extra parochialem ecclesiam sito, dummodo intra parochiæ fines. Tantum ad regulam hanc generalem exceptio est, si vel expressa, vel præsumpta voluntas offerentium refragetur, quod contingeret, si offerentes donarent templo, altari, imagini extra parochiam sitæ, ut cultior adjectis ornamentis fieret, ut muri restaurarentur, aut similem ob caussam, aut si offerentes xenodochio donarent, ut pauperes ibidem constituti commodius alerentur. Tunc enim æditui ecclesiolarum, aut custodes loci religiosi, vel pii oblationes reciperent, et juxta offerentium votum impenderent, tum demum hoc ipso officio in parochi fidem referendo, cum nulli æditur vel custodes loci sacri, pii, aut religiosi existerent. Plane hæc oblationum disciplina disciplinam decimarum longe præcessit, atque a temporibus ipsis apostolorum originem ducit. Duo olim erant oblationum genera, quarum aliæ ad altare fiebant, vel in corbona quadam separata, quæ in ecclesia erat, ad id constructa reponebantur, aliæ ad domum episcopi deferebantur. In ecclesia, vel ad altare, vel ad corbonam, tantum offerri solebat panis, et vinum, oleum, incensum, spicæ et uvæ, quæ omnia a sacerdote benedicebantur, et ex quibus portio panis, et vini desumebatur ad conficiendam eucharistiam, eandemque clero, et populo ministrandam; cetera in templi, aut clericorum usum reservabantur, quo pertinet vestigium illud, quod etiam hodie superest in canone missæ, ubi sacerdos ante dominicalem orationem ait: *Per quem hæc omnia semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, et præstas nobis*, quæ verba ad benedicendas eas omnes oblationes pertinebant. Præterea ad altare in solemnitate paschali offerebatur alicubi lac, et mel, quæ cathecumenis recens baptizatis tribuebantur, Cyprianus lib. de oper. et eleemos. Tertullianus lib. de exhortat. castitat. cap. 7, concilium matisconense II, anni 585, can. 4, canone 3 et 4, ex vulgo apostolicis. Universæ autem oblationes (quæ sane tunc erant in obligatione, cum aliter non prospiceretur necessitati cleri) in potestatem episcopi conferebantur, eas inter clericos tributuri. At cum cœpit obligatio decimarum induci, cœperunt sponte oblationes ex fidelium pietate conferri, eademque erat episcopi potestas in administratione tum decimarum, tum oblationum. Quis inde non videt, quum jus decimarum succedentibus sæculis factum est proprium, et ordinarium parochorum, simili ratione fieri cœpisse proprias parochorum oblationes? Et primo quidem parochi eas sibi vindicarunt, salva canonica portione, quæ episcopo debebatur; deinde etiam canonica portio remissa ab episcopis fuit gratia parocho-

rum; unde concludi potest, ad parochos harum jura spectare, nisi singulare jus gratia alterius inductum fuisse allegetur, ac comprobetur.

CONCLUSIO.

Amplissimam jurisdictionis, ac potestatis ecclesiasticæ materiem paucis complexus mihi videor universam; qua in re non singularem tractationem dirimendis tantum propositis quæstionibus utilem concinnatam volui, sed eam, quæ subsequentibus juris sacri partibus veluti lucem præferret. Id postulabat in primis rei gerendæ natura; quotquot enim sunt legum ecclesiasticarum argumenta, in quibus mihi versandum est, ea sane singula in potestate sacerdotum fundamentum habent, in quo innituntur, et quo non satis explorato, non satis illa perspecta in sua caussa fieri possunt. Deinde id effeci industria, dum talem methodum mihi ineundam, persequendamque proposui, qua non tam speciales, quæ emergere solent, quæstiones prodita, prout res incideret, canonum auctoritate dirimerem, quam principia generalia constituerem, ex quibus quæstionum ipsarum emergentium diremptio ut plurimum sponte sua dimanaret. Et quidem dum id conatus sum, experiri necessario debui graviores difficultates, quando usu me docente novi semper nihil esse laboriosus, quam rerum caussas, origines, ac principia generalia in imo explorare, pandere, atque in aperto exhibere. Exinde autem, si defecisse in aliquibus videar, veniam mihi facilem datum iri confido: sanius sapientum, potissimum autem ecclesiæ, judicio, et me, et meas lucubrationes omnes lubentissime subjiciens; quamquam enim is sim, qui plura penitius rimari voluerim, forte etiam meis primum studiis aliqua e tenebris, quibus jacebant, eruere; qui præterea curaverim, ut nihil contra definitiones ecclesiæ mihi compertas scriberem, imo, ut ad istas omnia pro modulo ingenii exigerem, satagerem; non tamen tantam de me, meisque viribus fiduciam habeo, ut veritatem, dum contra saperent alii, aut contra Ecclesia doceret, ipse propius attigisse mihi persuadeam; sed e contrario tunc nossem, ac candide profiteretur, me a veritate quam longissime recessisse.

IN TERTIUM DECRETALIUM GREGORII IX
LIBRUM
COMMENTARIA
SIVE
DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS
TRACTATIO

BREVIS QUIDEM, SED UNDIQUE ABSOLUTA, AD QUAM PRÆCIPUI EJUSDEM LIBRI TERTII TITULI EXIGUNTUR.

In expendendo publico potius ecclesiarum, quam privato clericorum jure versabar, quum ad interpretationem libri primi, et secundi Decretalium Gregorianarum de potioribus Ecclesiæ dignitatibus, illarumque jurisdictione, et officiis tractationem inscriptam, concinnatamque proposui. Rectus ordo nunc postulat, ut collectorem secutus ad commentaria libri tertii ineunda jus privatum clericorum expendam, quod maxima in parte in beneficiis ecclesiasticis adipiscendis, retinendis administrandisque consistit. Qua in re non tantum inest suavissima delectatio, quod elegans inde disserendi disputandique materies præbeatur; verum etiam posita invenitur pergrata utilitas, quod certæ præjaciendæ sint regulæ, unde dirimantur, quæ sane amplissimæ in judiciis, et in foro ecclesiastico emergunt, controversiæ, in quibus ceteroqui plurimum studiorum, et contentionis passim impenditur. Et quidem in primis non mediocri jucunditate fruitur, qui in ea clericorum jura animum intendit, quæ origine antiquissima sunt, quæ per varios temporum casus varias passim vices habuerunt, quæ certis hodie regulis concluduntur, adeo ut qui mentem suam prudentia ac moderatione composuerit, videlicet qui nec eo animo est, ut vetera temnat, et in una recentiore disciplina graviter cubet, nec eo, ut canorum, priscorumque virorum sola laudet constituta, quæcumque nova fastidiens, mirari æque ac gaudere possit in varietate ipsa imaginum, quæ profecto, et speciosæ sunt universæ, et eo collineant omnes, quo ad bonum, utilitatemque rei ecclesiasticæ perveniatur. Deinde si de ubere hinc percipiendo fructu sermonem habere vellem, dies me oratioque deficeret, et rem perspectam oculis tritissimamque persequerer, quando tot virorum gravissimorum uberrimæ de hac ipsa re editæ lucubrationes, quotidianæ controversiæ de beneficiis agitatæ, sollicitæ episcoporum, ipsorumque pontificum maximorum curæ in hac parte dirigenda, moderanda, exornandaque impensæ, istud ipsum abunde testificantur. Si forte quemquam, aut turbet immensa propemodum multitudo dicendorum, aut premat gravitas pene inferenda disputationum, is planam labore meo methodum paratam inveniet, ex qua fiat, ut cum perspicuitas lucem adferat, tum ordo suis in sedibus tributa singula locet, adcommodet. Nimirum septem dissertationibus universa complectar ac digeram. In prima originem, naturam, ac qualitates universas beneficiorum generaliter exhibebo. Secunda pandet varias beneficiorum species, et singulas singulorum proprietates. Agam in tertia de beneficiis erigendis, restaurandis, uniendis, vel dividendis. Huic autem quartam adjiciendam necessario duxi, quæ de juribus Patronorum inscriberetur, propterea quod eadem patronorum jura ut plurimum ex erectione, vel restauratione beneficiorum adquirantur. In quinta progrediar ad expendendas beneficiorum collationes. Sexta explicabit jura et onera clericorum, qui beneficia obtinuerint. In postrema disseram de caussis, et modis, quibus beneficia amittuntur. Utque rem absolutam undique faciam, brevi appendice subjecto quædam beneficia impropria, et singulares eorundem notas, quibus ista paullisper a generalibus beneficiorum regulis deflectunt, indicabo.

DISSERTATIO PRIMA

DE BENEFICIORUM ORIGINE, NATURA ET QUALITATIBUS

Ad hanc, ceterasque subsequentes Dissertationes referendus est tit. 5, lib. 3 Decretalium.

CAPUT I.

Quid sint Beneficia, et quæ illorum instituendorum ratio.

Non prisca ætas, quæ clericos utplurimum invitos ad ecclesiastica gerenda munera non tam advocabat, quam cogebat, sed inferior, quamquam non sera, posteritas *beneficiorum* nomine donavit sacra ministeria, quibus dum clerici vacarent ex prælatorum mandatu, ecclesiarum peculiis alerentur. Id facile deducitur ex Hieronymo, qui in can. 6, cau. 8, qu. 1, tradens, in dignitatibus ecclesiasticis nullam esse habendam aut amoris aut necessitudinis, aut similis cujuscumque adfectionis rationem, sed dumtaxat utilitatem Ecclesiæ attendendam, lugensque illorum prælatorum perfidiam, qui has regulas minime custodirent, ajebat, cernere se, plures hanc rem *beneficium* facere; quasi diceret, longe esse dissita ecclesiastica officia a beneficiorum natura nec facile cum beneficiis posse confundi. Quid hoc monumento clarius ad evincendum, temporibus hieronymianis necdum beneficiorum nomen in Ecclesia auditum fuisse? Nec quisquam erit, qui putet, nomen beneficiorum jam inolevisse temporibus concilii chalcedonensis in conspectu canonis 9, caus. 1, quæst. 3, ubi Alexander II, ait jam in eo concilio constitutum, damnari eos, *qui Ecclesiæ beneficium interventu pecuniæ adquirunt.* Præterquamquod enim in integra Alexandri II, epistola ea verba desiderantur, uti observavi in meis adnotationibus in Gratianum, canon ipse chalcedonensis ita a Gratiano exhibetur in can. 8, caus. 1, quæst. 1, ut tradatur quidem neminem in clero connumerandum esse quocumque nomine; datione pecuniæ; non tamen usurpetur nomen beneficii. Quicumque hoc nomen dicto canoni 9, adsuit, is sane clarius explicavit chalcedonensis concilii mentem, eo scilicet tendentem, quo ministeria quæcumque ecclesiastica, quæ beneficia inde appellata sunt, contemplatione jurium, atque emolumentorum, ab omni simoniæ labe vindicarentur. Amplius dixero, ne temporibus quidem Justiniani imperatoris nomen illud obtinuisse, quando ex novella 6, c. 8, deducitur, vetitum fuisse episcopis, ne gravarent ecclesias majore numero clericorum, quam ferrent ecclesiasticorum redditum vires, ne propter aliquas quidem *compassiones aut beneficia*, quasi diceret. Imperator exemplo laudati Hieronymi, nullum in designatione ministrorum versari debere amorem, beneficium nullum, idest nullam gratiam, nullum favorem, nullam liberalitatem. Duo extant apud Gratianum monumenta Gregorio Magno tributa in can. 1 et 2, caus. 1, quæst. 3, atque in utroque *beneficii* nomen occurrit. Ceterum jam ego in meis adnotationibus ad Gratianum observavi, canones illos vel ex hoc ipso esse a Gregorio abjudicandos. Edita hæc monumenta sunt recentiore ætate ad retundendos simoniacorum abusus; et quando Gregorius Magnus multa scripsit adversus simoniacos, non dubitavit auctor monumentorum, ista ipsa Gregorio Magno tribuere, utens formulis non gregoriano, sed suo, quo vivebat, sæculo accommodatis. Revera Gregorius multa de hac re scripserat ad episcopos Helladis in Achaja, can. 117, caus. 1, quæst. 1, unde puto derivatum canonem 1, caus. 1, qu. 3, dummodo emendetur inscriptio, et pro illis verbis *Episcopis Hispanis* legatur *Episcopis Helladis.* Multa item scripserat ad episcopos gallicanos, Syagrium, Etherium, Virgilium et Desiderium, unde puto derivatum canonem 2, eadem caussa, et quæstione. Non tamen diffiteor, sæculo ecclesiæ octavo jam in usu fuisse beneficii nomen, plures enim jamdiu adnotaverunt illud legi in concilio francofordiensi anni 794, item in concilio moguntino anni 813, unde depromtum videtur capitulum 1 de ecclesiis ædificandis: quamquam non ausim dicere tum primum hoc nomen audiri cœpisse, propterea quod beneficii nomen, quod ibidem occurrit, non tanquam novum proferatur, sed tanquam usu jam receptum. Itaque asserere possum, nomen beneficii recentius esse Gregorio Magno, antiquius moguntino, et francofordiensi concilio prodire cœpisse sub finem sexti sæculi, vel sæculo septimo, vel etiam sæculo octavo jam fluente, quin certo definiam, quo primum tempore invaluerit. Verosimile est nomen illud clericorum juribus, est oneribus tunc fuisse accommodatum, cum obtinuit, ut feudorum jura beneficiorum etiam

nomine nuncupata, reciperentur. Tunc enim quemadmodum milites, qui certam rem fruendam, vel utendam acceperant ab imperatoribus, ducibusve, beneficia accepisse dicebantur, lib. 1, feudorum tit. 1, et passim, ita beneficium quoque accepisse dixerunt clericum, qui ecclesiasticum, pro virili parte administrandum peculium obtinuisset.

Dicta hæc initio sint, ut vel ex ipso beneficii vocabulo, quod quamquam recentioribus probatum fuerit, veteribus tamen non satis placuit, facilius intelligatur beneficiorum natura, quam cum ego expendo, non aliter beneficium definire possum, quam si dixero: beneficium est *militia quædam ecclesiastica, cujus onere suscepto clericus certis ecclesiasticis officiis adstringatur, cujus jure quæsito ecclesiastica stipendia mereat.* Novi enim apprime, beneficia non tam in jure clericis competente consistere, quemadmodum passim blande nimis tradi solet, quam in onere gravissimo, quod beneficiariis imminet faciendi satis officio, quod semper beneficiis inest; ac propterea jure optimo censeo, militiæ ecclesiasticæ nomen beneficiis congruere, sub quo et juris et oneris ratio æquabiliter venit. Hac in significatione, quæ late admodum patet, nemo non videt, ecclesiastica beneficia omnibus Ecclesiæ sæculis constitisse: dicam amplius: nulla unquam potuit esse sacrorum societas inter homines, nullum ministerium, aut sacerdotium sine beneficiis quando verum est, vel ipsum jus gentium suadere sacros administros alendos esse atque exbidendos. Quod si diversæ beneficiorum formæ, quales variis temporibus extiterunt, perspiciantur, pertinent istæ non ad immutandam beneficiorum naturam, sed ad beneficiorum modos, qualitates, atque id genus adjuncta. Itaque certum est, jamdiu a tempore ipso apostolico, etiam tum, cum apostoli sub Christo evangelicum obibant ministerium, munera illa extitisse, quæ posterior ætas beneficia appellavit. Etenim enitebat jam ordo sacræ militiæ, in quo constituti onus susceperant divini officii, ac præsertim evangelicæ prædicationis, et fidelium oblationibus alebantur, quo pertinent loculi illi, sive peculia, quæ ex Christi domini mandatu ad sui usum apostoli custodiebant, et post Christi adscensionem custodire perrexerunt, quæ sane quandam beneficiorum formam exhibent, can. 12, cau. 12, quæst. 1. At vero quo certior est horum munerum disciplina inde traducta usque ad seras ætates, atque æternum duratura, eo difficilius est inquirere in modos et formas, quibus peculii sacri administratio per varietates temporum immutata est. Juvat in hac parte per varia Ecclesiæ sæcula expatiari, ac majoris perspicuitatis gratia civitatenses sive episcopales ecclesias a rusticanis, sive parochialibus distinguere.

Ut de civitatensibus, sive de episcopalibus ecclesiis primum dicam, multiplices temporum notas consignare debeo; primum apostolicam ætatem ad Constantinum imperatorem usque traductam; deinde sæculum quartum usque ad medium fere sæculum quintum, quo sanctus Augustinus Hipponensis florebat; tertio tempora, quibus sanctus Augustinus et vixit, et certæ præstituendæ administrationi bonorum ecclesiasticorum normam præbuit, usque ad tempora concilii agathensis, sive usque ad sæculum sextum; quarto tempora concilii agathensis, sive sæculum ecclesiæ sextum cum sequentibus usque ad undecimum; quinto sæculum undecimum ad duodecimum usque, aut decimumtertium; postremo sæculum vel duodecimum, vel decimumtertium, a quo vix recentissima, et hac ipsa nostra ætate, ulla disciplinæ varietas deprehenditur. Igitur initio apostoli, virique apostolici exemplo Christi Domini loculos, sive peculia possidebant redacta ac collecta ex piorum fidelium oblationibus, et quidem liberalibus, ac largis ad alimenta sacrorum administrorum, item pauperum, eorumque omnium, quos christiana charitas sancta communione donabat, quemadmodum testatur S. Lucas in Actis cap. 2, in fine, cap. 4, vers. 32, et sequentibus, et cap. 5. Ne vero hac temporalium rerum administratione gravarentur apostoli, quippe qui et orationum, et prædicationis evangelicæ curam præcipue obituri erant, electis diaconis fuit ea administratio demandata; adeo ut quæcumque oblationes in potestate quidem apostolorum, atque episcoporum personarum apostolicam gerentium redigerentur, sed apostolorum eorundem, atque episcoporum solertia in singulos pro indigentia et meritis per diacones tribuerentur, actorum cap. 6, can. 12, 23 et 24, dist. 93, quasi episcopi curam generalem gererent universi peculii, diaconi meram dispensationem can. 23 et 24, caus. 12, quæst. 1. Hinc in ecclesiis reposita erant gazophilacia, arcæ, conchæ, seu corbonæ in quibus peculium oblatum custodiebatur, uti testantur Justinus in apologia 2, Tertullianus in apologetico, et Cyprianus in sermone de eleemosina. An solis pecuniarum, rerumque fungibilium, usuque consumtibilium oblationibus, an insuper prædiis sive urbanis, sive rusticis peculium ecclesiasticum constaret, facti potius, quam juris disputatio est. Ex laudatis capitibus actuum apostolicorum liquet primos christianos prædia vendidisse, ac venditorum pretia coram apostolis adtulisse in usus pios eroganda. Non est tamen inverosimile, paullo postea aut viris apostolicis, aut successoribus episcopis ipsa prædia fuisse largitate fidelium oblata vel a diaconis ex mandato antistitum vendenda, et eroganda in pios usus, vel etiam retinenda eousque, donec prædiorum possessio utilis aut opportuna videri Ecclesiæ posset. Erat adhuc Ecclesia diris

æthnicorum vexationibus turbata, ac quassata, eamque ob rem tanquam collegium illicitum in romano imperio habebatur, et tanquam illud, quod in communi aut rerum dominia, aut possessiones habere non posset, argumento libr. 20, ff. de rebus dubiis; et legis 8, cod. de hered. instituend., identidem tamen non pacem dixerim, ac securitatem, sed quasdam veluti inducias obtinebat, unde fieret, ut si clerici sub episcopo constituti in possessionem prædiorum inducerentur, sine turbatione uterentur illis, ac fruerentur, non tamen sine formidine, cum deinde passim contingeret, ut quæsitis spoliarentur. Abstineo a recensendo aut canone 5, caus. 12, quæst. 2, aut canone 12, caus. 17, quæst. 4, utpote qui inter figmenta Mercatoris recensendi sunt, qui sane si genuini essent, perspicue demonstrarent, temporibus Pii papæ jam prædia possessa fuisse ab Ecclesiis. Ceterum prostant monumenta quædam apud historicos, quibus cum dicatur, prædia restituta fuisse Ecclesiis auctoritate, et clementia quorundam veterum imperatorum; præsertim Constantini Magni, liquet, quandoque Ecclesiam bona immobilia possedisse. In conspectu istorum ego facile concludo, vix monumenta occurrere, ex quibus colligatur, prædiorum jura per tria et amplius sæcula Ecclesiis fuisse quæsita; aut si pauca quædam inveniantur, non constitisse in illis firmam, aut ex omni parte receptissimam disciplinam, etenim si forte quidam imperatores æthnici visi fuerunt per certa tempora Ecclesiæ connivere, tum vero ecclesiasticum collegium possidere in communi prædia potuit, per quasdam, ut modo dicebam, inducias id factum est quibus tantisper a vexatione cessatum, non facultate expressis legibus facta, qua liberum adquirendi, retinendique jus concederetur: atque hac tempestate quæcumque oblationes, redditusve universi devolvebantur ad episcopum in singulis diœcesibus; episcopus autem per diaconos designatos consulebat necessitatibus clericorum, præstationibus vel annuis, vel menstruis, vel hebdomadariis, vel etiam diurnis in clericos eosdem factis, unde Cyprianus clericos appellabat *fratres sportulantes*, propterea quod unusquisque eorum in sportulis tributum peculium, et victualia referebat.

Deventum fuit ad tempora Constantini imperatoris, qui primus Christo nomen dedit, et postquam ipse lata lege sanxit, licere unicuique clericorum collegio hereditates, aut legata relinquere, l. 1, cod. de sacros. Eccles., liberalitates fidelium splendidiores esse cœperunt, nec tantum in numerata pecunia, inque rebus fungibilibus oblationes passim factæ, sed et collatione prædiorum, Ecclesiarum patrimonia adaucta sunt. Imo et ex ipsa datione prædiorum paullatim fieri cœpit, ut non adeo uberes essent rerum fungibilium præstationes, quasi clerus ex rebus immobilibus, ac frugiferis congruam jam sustentationem referret. Refert Eusebius, et Nicephorus, variis donariis multas Ecclesias Constantini principis liberalitate locupletatas esse, atque unam carthaginensem Ecclesiam ter mille folles accepisse. Quid follium nomine veniat, qui scire voluerit, adeat Petavium in diatriba de Follibus adjecta notis in Epiphanium. Leo philosophus in sua novella 12, etiam testificatur quædam de largitatibus Constantini. Hinc passim auctus est numerus diaconorum, qui temporalium rerum curam gererent, imo et constituti subdiaconi plures, quorum opera diaconorum sollicitudo juvaretur, præsertim ubi prædia dissita essent ab Ecclesiis, quibus diaconi ministrabant; hanc scimus, temporibus Gregorii Magni ad custodiam, et curam patrimonii Ecclesiæ romanæ designatos fuisse subdiaconos, in Campania præsertim, et in Sicilia. Imperatores, qui Constantino successerunt, identidem quidem cleri commoda provexerunt, pro singulorum religione. Verum quandoque accidit, ut ex variis caussis aut caderet Ecclesia ab adeptis, aut certi adquirendi fines Ecclesiæ ponerentur. Dominabantur adhuc quarto sæculo æthnici in magistratibus constituti etiam sub imperatoribus christianis, qui odio et invidia christiani nominis Imperatorum animos aut certe a liberalitatibus in Ecclesias exhibendis vel aperte, vel subdolis artibus avocabant. Hinc Julianus qui et apostata dicitur, in oratione Misopogon jussit prædia Ecclesiis olim concessa ab Ecclesia eripi, neque aliud ab impio principe in idololatriam prono poterat expectari. Sed iterum alii pii principes liberas possessiones prædiorum Ecclesiis concesserunt. Parcius imperator Valentinianus se in Ecclesia gessit. Noverat ipse, Ecclesias ditatas fuisse magnis fidelium largitatibus, quas proinde non censuit in immensum extendi debere; quamobrem in l. 20 et 27, cod. Theodos. de episc. et cler. vetuit, ne mulieres præsertim quidquam Ecclesiis testamento legarent, quam constitutionem viris ecclesiasticis minus gratam Hieronymus de vita clericorum tradebat eludi facile posse, suadens, ut qui vellet Ecclesiæ redditus augere, quod non poterat heredis institutione, vel legati datione facere, institutione fidei commissaria impleret, rebus Ecclesiæ ita constitutis perseveravit nihilominus vetustissima disciplina administrationis. Nimirum redditus Ecclesiarum, sive ex oblationibus rerum fungibilium a fidelibus donatarum, sive ex fructibus prædiorum exactis, in episcopi potestatem deveniebant; et in clericos omnes, piasque caussas, quales erant erectiones, reparationesque sacrarum ædium, ornamenta templorum, erogationes in pauperes, et peregrinos, aut similes per diaconus tribuebantur can. 23, 34, cau. 12, qu. 1,

imo et ad auferendam quamcumque suspicionem ab episcoporum providentia statuit chalcedonense concilium, ut nemo ex episcopis per se ecclesiasticum peculium administraret, tribueret, sed per œconomum, ut plurimum ex diaconorum ordine designatum, can. 4, dist. 89, can. 21, cau. 16, qu. 7.

Obnoxia esse debuit variis incommodis ita constituta ac firmata disciplina. Et primum quis adeo œconomorum, sive diaconi essent, sive subdiaconi, fidem, integritatem; atque probitatem in tributione peculii sacri puram et simplicem fuisse sibi persuadeat, ut et nullius querimoniæ occasionem præberet, et foret perenniter duratura, quando scimus, vel ipsa apostolica ætate similes querimonias de contemto nonnullorum in administratione, ac tributione ecclesiastici peculii auditas fuisse? Actorum cap. 6, in principio. Deinde inconcinna videbatur, et in decora ratio illa tributionis, qua singuli de clero quotidianas fere pensitationes non tam in numerata pecunia, quam in ceteris fungibilibus rebus quotidiano victui necessariis domum sportularum divisione adferebant. Primus Eusebius vercellensis, e recessu Sardoo ad regendam vercellensem Ecclesiam advocatus, jamdiu olim inter monachos commoratus, censuit e re clericali esse, si vitam communem instar monasticæ in clerum inferret, ratus, ea ratione incommodis omnibus consuli facile posse. Præterquamquod enim clerici universi una cum episcopo in una domo prope Ecclesiam degentes præsto essent valerent sacris officiis, et expeditiores, utpote sine sollicitudine rerum extranearum et mutuis exemplis se ad optima quæque concitare possent; æqualibus mensæ, et habitationis ratio invidiam omnem, contentionesque auferebat, et convenientius œconomi sub episcopi constituta necessaria quæque parabant, dispensabant. Exemplum Eusebii imitari cœperunt nonnulli episcopi finitimi; cumque Augustinus Mediolani degens in fide æque, et ecclesiastica disciplina erudiretur, apprime gnarus communis clericorum vitæ in certis mediolanensis provinciæ diœcesibus institutæ, statim ac Hipponensem in Africa episcopatum adeptus est, et ipse eandem communem in vitam suam Ecclesiam invexit, imo et regulam communis vitæ conscripsit, sequendamque clero suo proposuit. Post Augustini factum, ac præsertim post regulam scripto editam, ac de manu in manu traductam, episcopi numero plurimi eadem vestigia presserunt, unde passim in unaquaque fere cathedrali clerici communem vitam amplexi sunt, sub regimine præsidentis episcopi, et sub dispensatione œconomorum ut plurimum ex diaconis selectorum. Videatur in hanc rem canon 10, 11 et 18, cau. 12, qu. 1. Itaque hucusque tantum in eo disciplina vetus immutata adparuit, quod clerici olim sejuncti in quoddam veluti collegium coaluerint; ceterum adhuc episcopi generalem curam bonorum ecclesiasticorum gerebant, quam, œconomis sive diaconis demandabant, a quibus etiam reddendas rationes exigebant.

Felix initio fuit hæc suscepta vitæ communio, sed paullatim non omnibus clericis placuit, adeo ut identidem Augustinus ipse communionis auctor de clericorum suorum tædio quereretur. Eam ob rem sæculo sexto usque ad undecimum varii fuerunt in hac parte ecclesiarum mores; licet enim alicubi vita communis fuerit perpetuo constantissimeque servata, aut saltem post brevis aliquando temporis lapsum renovata, ut plurimum tamen dissociata est, et bona ecclesiæ inter clericos singularibus discreta titulis distributa fuerunt. Intuebantur episcopi clericos quosdam vitam communem perosos, eaque propter profitentes, se vividius, et jucundius ecclesiæ deservituros, si separatim viverent; quamobrem episcopi a regula dispensantes certos eos prædiis donabant, quæ non dominii jure tenerent, sed simplicis administrationis, unde necessaria vite subsidia derivarent, quod probatum primum adparet in concilio agathensi, can. 32, cau. 12, qu. 2. En recentiorem beneficiorum imaginem a sexto sæculo in cathedralibus Ecclesiis exhibitam, qualem etiam hodie adspicimus, qua fit, ut præcipua quædam ecclesiasticorum redditaum portio episcopali auctoritate clerico utenda cedatur in sacris officiis administraturo.

Ex dissociationis communis vitæ, atque ex constitutis singularibus peculiis clericorum irrepserunt statim in clericos vitia immunera, præsertim quod clerici bonorum ecclesiasticorum possessores non adeo, ut olim, ab episcopo, aut ab œconomis ab episcopo constitutis pendebant. Hinc splendidæ epulæ, hinc luxus, ac luxuries, hinc ambitus, hinc avaritia, et que ex hac radice pestifera dimanat lues simoniæ; quæ sane omnia, atque his similia flagitia sæculo decimo, et undecimo ferreæ ætatis notam impresserunt. Providi ecclesiarum antistites, ac præsertim pontifices maximi intuiti tantus abusus omnem lapidem moverunt, ut clericos in bonam frugem reducerent, quod commoda ratione fieri posset sperabant, si iterum ad communem desertam vitam clericos revocarent; quemadmodum constat ex universis propemodum illius temporis monumentis, ac præcipue ex romanis conciliis anni 1059, et anni 1063. Quibus acti stimulis clerici impensius communem vivendi rationem amplexati fuerunt cum uberrima ecclesiarum utilitate; et singularia beneficia jamdudum concessa rursum in quandam bonorum universitatem coaluerunt. Non tamen diutius constitit hæc rerum ecclesiasticarum administrandarum ratio, et clericorum ecclesiæ addictorum propositum; etsi enim aliqui,

regularem illam vitam professi perpetuo fuerint, quorum etiam hodie supersunt collegia, passim tamen deventum iterum est ad bonorum divisionem, unde beneficia sub præbendarum nomine, quasi sub tributione quadam canonicis præberentur, in cathedralibus ecclesiis in eam formam redacta fuerunt, in qua adhuc in præsentia consistunt. Siquæ erecta alia inde fuerunt beneficia, sive sub nomine canonicatus, sive sub alio quocumque titulo ad augendos cathedralium ecclesiarum administros, ad illorum fere similitudinem instituta deprehenduntur, dummodo singulares a fundatoribus adjectas leges excipias.

Pertinent hæc ad ecclesias cathedrales, in quibus semper episcopi una cum certo clericorum numero resederunt. Non absimilia adnotanda sunt in ecclesiis constitutis extra civitates in oppidis, pagis, et vicis. Ecquidem frustra quæreremus certam disciplinam extra cathedrales ecclesias tribus prioribus Ecclesiæ sæculis, imo etiam ineunte, aut fluente quarto; propterea quod usque ad ea tempora non alia erat Ecclesia, quam episcopalis, ad quam universus diœcesanus populus statis temporibus confluebat. Tantum observo, opus tunc fuisse, ut quidam clerici, aut diaconi caussa oblationum, vel prædiorum diœceses lustrarent, aut sacerdotes, prout res incideret, fideles constitutos in vicis divinis mysterii recrearent, singuli tamen brevi ad cathedralem ecclesiam redituri, tum vero clerici illi adhuc adscripti dicebantur cathedrali ecclesiæ, a qua nonnisi ex temporaria caussa aberant, proptereaque eodem jure, quo ceteri in cathedrali ecclesia perpetuo residentes, censebantur. Erectis extra civitatem parochialibus ecclesiis, quod adauctus fidelium numerus sub finem quarti, vel principium quinti sæculi postulavit, et missis in villulas, pagos, et oppida presbyteris, ac ministris earundem ecclesiarum titulo, et quidem perpetuo ordinatis, mandatum fuit, ut ipsi, sicut ordinario jure sacrum officium exercebant, prout crediti muneris ratio postularet, ita et fidelium oblationes exciperent, servata tamen, quoad fieri posset, vetere consuetudine; nimirum adhuc parochi, et sub parochis constituti administri oblationes quascumque ecclesiasticas, eoque magis rerum immobilium donatarum jura in episcopi potestatem conferre debuerunt, necessaria deinde sibi, ac suis administris vitæ subsidia ab eodem episcopo recepturi. Aliud primum apud Græcos invaluit in Ecclesia constantinopolitana sub patriarcha Gennadio, labente sæculo quinto, quemadmodum scribit Nicephorus Callixtus in libro I. Historiæ Ecclesiasticæ Theodori Lectoris num. 13, ibi: *Porro Gennadius œconomum Ecclesiæ constituit Marcianum .... Hic simul atque œconomus factus est, decrevit, ut, quæ in unaquaque Ecclesia offerebantur, clerici ejusdem ecclesiæ acciperent, cum ad id tempus magna Ecclesia universa accipere soleret*; quod paullatim et sensim ad alias Ecclesias traductum est; unde tandem evenit, ut parochialibus, aliisve inferioribus, non cathedralibus ecclesiis adquireretur, quod parochiis, aliisque inferioribus ecclesiis donatum fuisset, Ferrandus Diaconus in cap. 38, Breviarii, alicubi quidem citius, alicubi in universum, alicubi propterea tantum, scilicet pro modo patrimonii uniuscujusque cathedralis ecclesiæ, cujus jura antiqua non adeo imminui decebat, quousque sufficientes redditus ad alendos civitatenses clericos non haberet. Quamobrem scimus, etiam recentioribus sæculis modo dimidiam, modo minorem dimidia portionem parochialium, aut aliarum, quæ inferioribus ecclesiis fierent, oblationum episcopis reservatam, can. 9, vers. *Constituimus* verbo *tertiam* caus. 1, qu. 3, can. 7, 8, 10, caus. 10, qu. 1, can. 4, cau. 12, qu. 3, can. 60, cau. 16, qu. 1, cap. 16, de offic. jud. ordin. modo etiam censum annuum, quod tamen abrogatum est concilio cabilonensi II, anni 813, can. 17. Nemo non inde videt, quod dictum est de parochialibus Ecclesiis, id facile traduci posse ad ceteras Ecclesias minime parochiales erectas intra fines parochiarum. Interea clerici diœcesani in parochiis constituti, aut etiam extra parochias in inferioribus Ecclesiis ministrantes, concitati præsertim exemplo clericorum in cathedrali Ecclesia communem vitam cum episcopo ducentium, similem vitæ rationem arripuerunt, unde collegiatæ ecclesiæ emerserunt, sive parochiales essent, sive minime parochiales, iisque omnibus vicibus obnoxiæ factæ sunt, quibus superius ajebam obnoxias fuisse ecclesias cathedrales. Nimirum et in ipsis dissociata vita communi deventum tandem est ad constitutiones, tributionesque præbendarum. Non absimilis quoque fuit ratio parochialium ecclesiarum recentioribus sæculis ad commodum civitatensis populi in urbibus episcopalibus erectarum, item ecclesiolarum inferiorum, in quibus certi sacri administri constituti fuerunt. Unde tandem factum est, quod hodie intuemur, ut parochi, clericique universi beneficii titulo alicui ecclesiæ adscripti pro virili accepta portione bona ecclesiæ administrent, et manu ita dixerim sua sibi necessaria vindicent, et cetera in usus erogent a sacris canonibus præstitutos. Non memoro beneficia recentioris erectionis; ista enim instar veterum erecta sunt, eamque formam ut plurimum acceperunt, exceptis quibusdam singularibus a fundatoribus adjectis legibus quam cetera similia beneficia sortita jam fuerant juxta commemoratas temporum rationes. Ut paucis universa concludam, hodie res eo devenit, ut beneficium esse dicatur, quoties clerico cuipiam aliquod munus ecclesiasticum obeundum demandatur ita, ut etiam ipsi cer-

ta jura, sive obventiones, cujuscumque illæ sint generis, administrandæ, dispensandæque, ut plurimum ex Ecclesiæ instituto, aliquando autem ex singulari quodam fundatorum placito, concedantur.

CAPUT II.

De Beneficiorum proprietatibus generatim; ac specialiter de perpetua Beneficiariorum militia.

Quædam œconomiæ, sive politiæ ecclesiasticæ species in beneficiis deprehenditur, in qua scilicet non modo natura ipsa rei consideranda est, sed etiam generalis fundatorum, vel erigentium voluntas, nec non publicæ Ecclesiæ leges, quibus certi modi, certæque formæ præstitutæ fuerunt. Hinc pendent beneficiorum conditiones, sive proprietates, quæ beneficiis fere cohærent, et perpetuo præsumuntur inesse, quousque ex singularibus quibusdam adjunctis detractæ a beneficiis, apertissimis probationibus non demonstrentur. Istarum prima oritur ex sacræ ordinationis natura: ut enim sacra ordinatio perpetuo clericum sacris addicit officiis, ita beneficium, quod ex originaria sui institutione a sacra ordinatione pendet, postulare videtur, ut qui semel beneficio potitus est, ab eodem sine caussa nequeat aut deturbari ab aliis, aut ipse recedere. Altera oritur ex generali illorum omnium, qui beneficia erexerunt, præsumta voluntate, quæ ea fuisse videtur, ut beneficium semel erectum perpetuo in Ecclesia maneat, nunquam autem aut ab ipsis revocetur, aut ad aliorum potestatem transferatur. Tertia proficiscitur ex ecclesiastica lege, quæ generaliter voluit, officia singula ita esse tributa, ut alter administer ab altero non turbetur, eviteturque confusio, unde fit, ut beneficium inter plures dividi nequeat. Postrema eandem fere habet originem; nimirum ex utilitate Ecclesiæ, et rectæ distributionis officiorum ratione, qua fit, ut nemo ex clericis pluribus beneficiis cumuletur. Sunt hæc singula in hoc, et subsequentibus capitibus explicanda.

Ut de perpetua beneficiariorum militia primum dicam, certum est, clericum certo beneficio donatum, aut recedere. aut repelli ordinario jure non posse, et primo quidem quia, ut superius præfatus sum, ita postulat natura sacræ ordinationis, cui beneficium origine saltem inspecta cohæret; secundo quia etsi demus, beneficii imaginem distingui posse, quemadmodum recentioribus sæculis distincta fuit, ab imagine ordinationis sacræ, adhuc natura ipsa simplex beneficii perpetuam beneficiarii militiam postulat; tertio quia ita sanxerunt sacri canones, sive ad naturam ordinationum, sive ad naturam beneficiorum exprimendam editi. Ajebat jam Paullus apostolus 1, ad Corinth. Cap. 7, *unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*, innuens, sacram ordinationem divinis ministeriis omnino mancipare clericum, et in suscepto munere detinere. Character ipse perpetuus, qui in sacra ordinatione imprimitur, et nullo unquam tempore, nulla etiam ratione delendus, idipsum insinuat, et quemadmodum character baptismalis ita devincit hominem christianæ communioni generali, ut baptizati sine grandi scelere nequeant susceptum jugum excutere; ita et character sacræ ordinationis et ipse indelebilis ita devincit hominem clericali societati ut sine delicto nequeat ordinatus ad laicorum conditionem remeare. Id sane postulat inde colligatum arctissimum, quo sicut Ecclesia clerico, ita clericus Ecclesiæ adstringitur, vinculum; neque enim æquitatis ratio patitur, ut illud facile clerici gratia relaxetur in detrimentum Ecclesiæ, Ecclesiam vero indissolubili nexu devinciat. Quod si monasticæ professionis natura illa semper fuit, ut ita monachus monasterio, sicut monasterium monacho obligetur, cur non idipsum operetur in clerico sacra ordinatio? Fateor quidem, argumenta hæc non eandem vim habere in minoribus ordinibus ac non adeo sacris, qualem habent in ordinibus majoribus et a Christo institutis; eaque propter receptam esse juxta hodiernam disciplinam, ut clerici infra subdiaconos constituti, vitam clericalem sine pœnæ ullius formidine derelinquant. Verum si quidam sunt gradus in hierarchia ecclesiastica non divina, ut fere placet, sed ecclesiastica designatione constituti, in his sane Ecclesia ipsa divinam majorum ordinum institutionem imitata est, sive generalis Hierarchiæ a Christo institutæ gradus auctoritate sua distinxit; et quæcumque sit institutionis, distinctionisque ratio, facile intelligitur, majores ordines exemplo minoribus esse debere, ita ut quod in illis obtineat ex jure divino, et istis jure ecclesiastico accommodetur; et tantum in istis quidquam valeat Ecclesia indulgere, remittere, dispensare. Cujus rei argumento gravissimo est, quod siquis clericus non tantum dixerim minoribus ordinibus sed clericali tonsura initiatus a conditioni clericali recedat, atque inde facti pœnitens in clerum revertatur, non iterum ordinetur, aut clericalem tonsuram recipiat, sed quasi postliminio reversus non tam novus clericus videatur, quam veterem clericatum non amisisse. Quod si quam a clero recedere, a pœna immunis fuit, aut etiam culpa, id obtinuit ex singulari consueta sacrorum antistitum erga inferiores clericos indulgentia, præter summi juris custodiam, ex quo ipsa generalia legum principia dici nequeunt immutata. Num vero ex eo, quod hodie beneficiorum collatio ab ordinatione distinguitur, aliis regulis utendum est? Divisio collationis ordinum, et beneficiorum idoperari neutiquam

potest; quando etiamsi collatio beneficiorum nihil cum ordinatione commune haberet, et eadem vigerent adhuc, et alia superessent argumenta. Revera si clericus beneficium obtinet, ex parte sua sibi ecclesiam obstringit, a qua sine caussa a beneficio repelli non potest. Cur clericus idem ecclesiam libere deseret? Adde his, beneficia universa esse munera publica; quorum abdicatio etiam juxta civilium legum providentiam illicite est. Hæc fuit veterum patrum doctrina, hæc fuit a recentioribus etiam pontificibus maximis confirmata, can. 1, 3, 8, 17, et passim caus. 7, qu. 1, c. 5, de clerico ægrot., cap. 7, de conces. præb.

Quoniam autem non ad substantiam beneficii ista pertinent, sed potius ad ingenitam quandam beneficii qualitatem; contingere quandoque potest, ut beneficium aliquod auferri, aut cedi a clerico possit. Quid enim, si clericus jam beneficium possidens alio beneficio contra canones potiatur? Nonne aut ipso jure, aut sententia judicis alterutro beneficio cadet? Quid, si eorum criminum reus fiat, quibus ab ecclesia sit jure, ac merito dejiciendus? Quid, si juxtas renunciationis caussas legitimo superiori probandas adferat? Sunt hæ omnes aut similes, veluti generalis regulæ exceptiones quæ regulam ipsam firmant potius quam enervent. Sed hæc attigisse sufficiat, de quibus alibi commodius sermo erit instituendus. Potissima, quæ huc spectat, exceptio est, quoties proponantur beneficia, quæ vel ex tabulis fundationum, vel ex singulari quadam possidentium conditione *manualia* appellantur, sive ad alicujus nutum revocabilia. Istud *manualium* nomen derivatum est a revocatione venditionis, vel libertatis in servis, quæ manus injecto apud Romanos appellabatur, l. penult. ff. de servis exportandis, l. 20, § 2, ff. de manumission. et l. 2, cod. si servus exportandus veneat; unde manualia dixerunt beneficia, quoties patronus præsentationem, vel prælatus collationem rescinderent, et pristina pro voluntate sua præsentandi, vel conferendi, jura recuperarent etiam invito et reluctante beneficiario.

Nihil in primis prohibere fundatorem potest, quominus, dum beneficium erigit, eam conditionem adjiciat, qua illud vel a se, vel a successoribus, vel a prælatis revocetur, aut post certum præstitutum tempus revocatum intelligatur. Ampla fundatoribus concessa facultas fuit ex sacrorum canonum disciplinam qua liceat ipsis quascumque conditiones adjicere, dummodo ab inhonestis, et turpibus abstineatur. Neque obstat ea ratio, qua dicitur, beneficium origine sua, atque indole attenta cohærere sacræ ordinationi perpetuæ et indelebili; nam si hæc adnexio moribus, et generali consuetudine dissolvi potuit, insuper haberi etiam potest in conspectu contrariæ voluntatis fundatoris, qui dum suæ rei legem dicit, suæ voluntati sinitur indulgere. Neque etiam obstat, beneficia inter munera publica recenseri, quæ sane perpetua sunt; etenim non desunt munera publica, quæ ex voluntate quorundam privatorum diversam formam accipere possunt ab ea, quæ legibus publicis præstituta est; quemadmodum constat in munere tutelæ, quod licet lege publica refutari, et ad tempus conferri nequeat, aliis tamen regulis subjicitur, ubi agatur de tutela testamentaria a patre designata, quæ non subest eisdem legibus ceterarum tutelarum.

Singularis quoque natura dignoscitur in beneficiis regularibus, quæ ut plurimum manualia, et ad nutum præfecti regularis revocabilia non esse non possunt. Nam cum regulares, sive clerici, sive monachi ex emisso obedientiæ voto in omnibus, in iis autem potissimum, quæ ad collegii, vel monasterii res pertinent, prælato suo obtemperare teneantur, debebunt statim a beneficio abstinere, quoties ipsis beneficio etiam sine caussa interdicatur, c. 6, de statu monach. vers. *nec alicui*, c. 6, de confirm. utili, vel inutili, Clement. unic. vers. *præmissa* de suppl. neglig. prælat. Hinc est, quod regularia beneficia, præsertim etiam quia ad certum in collatione expressum tempus concedi soleant, non proprie beneficiorum, sed administrationum, procurationum, officiorum, aut alio simili nomine appellari consueverunt. Cessant in hoc proposito rationes omnes perpetuitatis, quæ in beneficiis clericalibus locum babent; etiamsi enim monachi successione temporum cœperint clericali ordine insigniri; imo etiamsi alii regulares ab origine sua clerici extiterint, unde vi etiam sacri characteris perpetuo ecclesiis monasteriorum, vel collegiorum adscriberentur, perpetuo quidem unusquisque in ordine suo ministrare semper debuit, quod tamen attinet ad peculium, id perpetuo in communi possident, ac siquod jus privatum est, eo spectat, ut singuli a monasterio vel collegio alimenta postulent, singularem autem administrationem nomine vel collegii, vel monasterii gerant, superioris arbitrio revocandam, et in alios transferendam. Itaque si fingatur, disputationem oriri de beneficii cujusdam qualitate, num manuale sit, num perpetuum; perspicue ex iis, quæ diximus, inferetur, ubi nullæ adsint hinc illinc probationes, nullæ etiam graves conjecturæ, considerandum esse an beneficium regulare sit, an sæculare: si sæculare esse evincatur, perpetuum; si regulare demonstretur, manuale habebitur: cur enim in dubio uniuscujusque rei natura ac proprietas non custodiatur?

Dixi, si nullæ graves subsint conjecturæ ut duas exceptiones ad regulam generalem adjicerem. Prima exceptio est in beneficiis regularibus electivis quæ scilicet pendent ex monasterii vel collegii totius electione: hæ :

enim beneficia, utut regularia, perpetua sunt, non quidem ea significatione, ut ad beneficiarii vitam semper prorogentur, sed modo ad vitam beneficiarii, modo ad certum definitum tempus, modo etiam ad incertum, quousque scilicet alter beneficiarium ab eodem capitulo statis temporibus convocando designetur, juxta regulas uniuscujusque monasterii, vel collegii, quod idem est ac dicere, præfectum monasterii non posse pro arbitrio suo administrum a capitulo constitutum removere. Hujus exceptionis ratio ex eo repetitur, quod illa, quæ fiunt a capitulis, maturo consilio facta censentur, nec adeo facile retractationibus subjici debent. Præterea ubi capitulum jam certo decreto rem, prout incidit, definivit, officio functum est suo, exemplo judicum, qui pronunciata sententia nequeunt ulterius renovare judicium, argumenta l. 55, ff. de re judicata; eodem modo, quo capitula quæcumque jus eligendi habentia, electionem, ad quam rite devenerunt, retractare non possunt, et loco superioris esse desinunt, argumento canonis 1, dist. 24, can. 11, cau. 18, qu. 2, cap. 38, de electione, et cap. 2, de statu monachorum. Altera exceptio est in beneficio regulari, cui cura animarum etiam in personas extra monasterium constitutas incumbat, cujus institutio ab episcopo, et non a superiore monasterii pendet; cum enim in hoc beneficio adipiscendo non alium superiorem agnoscat clericus regularis, quam episcopum; non tenetur, nec debet in hac parte prælato regulari dimissionem jubenti obtemperare, ne dicatur prælatum regularem irritare posse episcopales institutiones. Atque id quidem verum censeo in beneficiis omnibus, in quibus episcopalis institutio necessaria est, et institutus vere ac proprie beneficiarius censetur. Quid vero, si beneficium curatum cohæreat monasterio, et cura animarum ex monasterii designatione electo monacho veluti vicario monasterio demandetur? Duæ sunt in hanc rem tridentini concilii constitutiones. Prima in cap. 7, sess. 7, de reform. altera in cap. 11, sess. 25, de regular. In dicto cap. 7, decernitur, uti episcopi nisi aliter expedire noverint, etiam perpetuos vicarios valeant designare. In dicto cap. 11, decernitur uti varii designati pendeant omnino ab episcopis in iis, quæ spectant curam animarum; item ut vicarii omnes, etiam ad nutum amovibiles, non aliter a monasterio designentur, quam prævio examine, et consensu episcoporum, excepto monasterio cluniacensi cum suis limitibus, exceptis etiam monasteriis, in quibus abbates generales, aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque aliis, in quibus prælati regulares jurisdictionem episcopalem, et temporalem in parochos, et parochianos exercent. In conspectu istorum decretorum statim absoluto concilio non solum episcopi plures in quibusdam monasteriis vicarias perpetuas erexerunt, in quibus propterea vicarios a monasteriis præsentatos, et nunquam ab eodem monasterio amovendos instituerent, sed etiam ubi vicarias perpetuas non erexerunt, in suis synodis professi sunt, se facile non passuros, prælatos regulares, irrequisitis, et non consentientibus episcopis, constitutos vicarios removere, quemadmodum exempla sunt apud Vanespen in parte 2. juris eccles. univ. tit 18, cap. 3, num. 27. Sed Pius V, anno 1567, in sua constitutione, quæ incipit *Ad exequendum*, voluit, ut cum de mendicantibus ageretur, si parochiæ essent monasteriis unitæ, monasteria designarent vicarios ab episcopis examinandos, ac repertos idoneos adprobandos, ita tamen, ut vicarii ad nutum suorum superiorum removeri possent. Singularis esse videbatur hæc constitutio de solis mendicantibus concepta: at quis non videt, universis propemodum monasteriis esse potuisse communem ob privilegia mendicantium multis ordinibus concessa? Ecquidem visus fuit Gregorius XV, anno 1622, in sua constitutione, quæ incipit *Inscrutabili*, modum quemdam privilegii regularium adjecisse, sed quotidiana experientia docuit, non adeo amplam in hac parte exerceri consuevisse jurisdictionem ab episcopis, qualis concessa a tridentino concilio videbatur. In primis multi casus a pragmaticis designati sunt, in quibus nequeat episcopus vicarios perpetuos constituere, quales recensuit Barbosa de offic. et potest. episc. alleg. 72, num. 190. Deinde traditum est, satis esse consultum jurisdictioni episcopali, ubi vicarii perpetui non designantur, si monasteria ipsa, dum vicarium designant, præsentent designatum episcopo, ab eodem examinandum, ac probandum; quoties autem prælatus regularis e re monasterii esse putet eundem vicarium removeri, valeant quidem eundem propria auctoritate repellere, dummodo tamen episcopum certiorem reddat, et curet, ut a monasterio alter vicarius eligatur, et simili ratione episcopo præsentetur examinandus, ac comprobandus. Videatur Fagnanus ad capitulum *Cum ad monasterium* de statu monachor. n. 39, et sequentibus, et Pitonius de controversiis patronorum alleg. 100, num. 38 et sequentibus.

CAPUT III.

De ingenita beneficiorum perpetuitate.

Si beneficiorum nomine generaliter omnia Ecclesiæ officia intelligamus, eodem jure perpetua dicere illa debebimus, quo perpetua ipsa Ecclesia est, cum sine officiis, et muneribus, sicut quæcumque societas, ita Ecclesia nullo modo consistat. De hac beneficiorum perpetuitate non loquor, sed potius de ea, quam singula, ubi eriguntur, statim ingenitam sor-

tiuntur. Etenim quoties beneficium constituitur; et certum officium designatur, quod semper, et perenni successione obire selectus vir ecclesiasticus debeat, et certa jura præcipua fiunt, quibus clericus idem selectus perenni etiam successione potiatur. Tria sunt beneficiorum genera; prima antiquissima, quæ, dissociata inter clericos vitæ communione, erecta sunt auctoritate episcoporum ad distinguenda officia, et singulis administris singularia bona adsignanda; altera recentiora sunt, aut ad similitudinem præcedentium erecta ab episcopis, aut ad liberam episcoporum dispositionem post erectionem devoluta, ex largitatibus, quæ Ecclesiæ post factam inter clericos bonorum divisionem accesserunt; postrema sunt, quæ petentibus fundatoribus erecta fuerunt reservato jurepatronatus: in omnibus autem perpetuitas facile deprehenditur ex erigentium voluntate. Perpetua sunt beneficia primi generis; cum enim clerici a communi vita recesserunt, et præstituto ecclesiæ servientium numero discreta fuerunt munera, et singula in singulos distributa peculia pro qualitate officii, et gradus, ea ratione, et unusquisque suo contentus alienis nusquam inhiaret, eodem jure, quo perpetuitati utilitatis Ecclesiæ studuerunt antistites, in perpetuitatem quoque beneficiorum intenderunt, cap. 12, de constit. cap. 5, de præbend. et dignit. Perpetua sunt beneficia secundi generis, propterea quod cum hæc instar priorum erecta fuerint, priorum eorundem naturam, atque indolem sortiuntur. Perpetua sunt beneficia tertii generis, non solum ex eo, quod ad ceterorum similitudinem erecta fuerint, sed etiam quod fundatores bona, quæ contulerunt, et officium sacrum, quod implendum mandarunt, perpetuo perdurare voluerint, et episcopus fundationem acceptam ratam hanc fundatorum voluntatem habuerit. Quidquod enim statutum est, ut de bonis beneficii fundatoribus indigentibus ab Ecclesia succurratur, can. 29 et 30, cau. 16, qu. 7, nisi ecclesiasticis viri prohiberetur, ne beneficia extinguerent? Quidquod statutum est, ne fundatores, eove minus a fundatoribus caussam habentes, clericos a rebus donatis expellerent, nisi fundatoribus, ceterisque ab iis caussam habentibus præciperetur, ut, quod constituerunt, revocare non possent? Can. 29, cau. 16, qu. 7, cap. 4, de jurepatron.

Hæc adeo vera sunt, ut etiamsi superveniat caussa, quæ revocandis donationibus jure sufficiens existimetur, nihilominus beneficium a fundatore, aut ab eo caussam habentibus revocari non possit. Non memoro in hac re ingratum donatarii animum, cujus incapax est Ecclesia; et quamquam beneficiarius ingratus esset fundatori, aut patrono, non inde hoc vitium refunditur in Ecclesiam, in quam unam donatio ipsa collata censetur. Potius memoro speciem, qua fundator beneficii post erectum beneficium filios habuerit, de quibus olim non cogitaverat, aut nullam spem habuerat. Quamquam vero hæc caussa a pragmaticis revocandis donationibus idonea habeatur, uti passim deducunt ex l. 8, cod. de revocand. donation., tamen ego observo eam non sufficere, ut semel erectum beneficium rescindi aliquo modo possit. Etenim fundator beneficii non simpliciter, sed ex caussa, ecclesiæ donat, nimirum ut certum officium perpetuo in ecclesia, et a viris ecclesiasticis geratur; at in donationibus quæ ex caussa fiunt et quæ ex parte donatarii certam futuram implendam conditionem inducunt, non idem est effectus, qui in donationibus simplicibus deprehenditur. Siquidem istæ facilius, atque ex sola donantis voluntate dignis de caussis retractantur, contra quam in illis contingat, argumento l. 1, cum similibus ff. de condict. caussa data caussa non secuta. Eam ob rem donationem ex caussa factam, ne ex ingrati quidem animi vitio rescindi a donatore posse, rescripserunt imperatores in l. 24, cod. de jure dotium.

Quid vero est, quod legitur in can. 33 et 34, cau. 16, qu. 7, monasterium, vel oratorium canonice constructum non posse *a dominio* constructoris auferri, aut præter *fundatorum dispositionem* vindicari? Num forte quisquam inde deducet, adhuc dominium, aut liberam dispositionem rerum in Ecclesiam collatarum penes fundatorem existere? Hanc interpretationem minime patitur canonum disciplina. Canon. 33, editus ab Eugenio II, sæculo Ecclesiæ nono intelligendus est juxta disciplinam illius ætatis. Nimirum ex lege Lotharii imperatoris, quæ extat in lege 8, lib. 2, tit. 18, legum longobardarum obtinebat, ut qui bona conferebant locis Deo dicatis, possent sibi eorundem bonorum usumfructum, et ordinationem reservare. Cur non hac in significatione Eugenius constructorem monasterii, aut oratorii potuisset dominum appellare, quando usufructuarius loco domini intelligitur, argumento l. 4, ff. de usufr. et quemadm.? Adde, ibi dominii nomen pro jurepatronatus, seu pro jure præsentandi commode fuisse usurpatum, quemadmodum canonis ejusdem contextus aperte demonstrat. canon. 34, nullum negotium facesset, si ad integram Gregorii Magni epistolam exigatur. Erexerat Cassiododorus castellionense seu vivariense monasterium: huic successione temporum aliud subjectum fuerat ex voluntate fundatorum, ita ut unum monasterium alteri subesset. Quidam laici homines nullam a fundatoribus caussam habentes unum ab altero sejungere meditabantur. Rescripsit in ea caussa Gregorius, *rationis ordinem non pati, ut monasterium ipsum et maxime contra voluntatem fundatorum, ab eorum* (idest monachorum monasterii principalis) *dispositione ad arbitrium suum, præsertim laica persona, subducat.*

Quæ sane ita perspicue exposita nihil amplius habent cum proposita disputatione commune.

Ceterum cum memorata beneficiorum proprietas ac conditio ex voluntate Ecclesiæ erigentis, aliquando etiam ex voluntate fundatoris dimanet, contingere quandoque potest, ut justa interveniente caussa Ecclesiæ auctoritate probata, atque ubi fundatorum, aut eorum, qui fundatorum jure censentur, intersit, istorum accedente consensu, beneficium extinguatur. Quid enim, si ex. gr. certum beneficium supprimi, aut alteri per suppressionem uniri, aut in alteram formam transferri publica Ecclesiæ utilitas postulet, quemadmodum illa esset, quæ clericorum seminaria erigenda ex beneficiariorum redditum collatione suadet, aut alia similis? Sunt istæ caussæ publicis definitionibus comprobatæ, cap. 8 de constitution. Generaliter autem tempore circumscripta esse videntur beneficia, quæ clericis conferentur in illis cathedralibus, vel collegiatis ecclesiis, in quibus non est determinatus numerus præbendarum, quarum propterea modo plures, modo pauciores pro arbitrio episcopi, vel capituli demonstrantur, argumento cap. 25 de præbendis, cap. 9 de constitution., et cap. ult. de concess. præb. in 6. In istis enim ecclesiis, quæ *receptitiæ* nuncupantur, propterea quod tot recipiantur in illas clerici, quot ali possint juxta adauctas, vel imminutas obventiones ex prudenti episcopi, vel capituli arbitrio, censentur beneficia non universa quidem, sed singula adeo personæ clerici adhærentia, ut cum ipsa beneficiarii persona quodammodo intereant; unde, mortuo clerico beneficiario, non proprie vacare, sed cessare beneficium dicitur. Item tempore circumscripti erant personatus illi, qui olim vigebant apud Hispanos, nimirum ita erecti, ut certæ personæ illis instituendæ designarentur a fundatoribus, puta ex familia eorundem fundatorum usque ad tertiam, vel quartam generationem, quæ beneficio potirentur et quibus defunctis, ad collegium tandem, vel monasterium, vel xenodochium bona beneficii devolverentur; ac dicebantur personatus, quia bona directo concedebantur collegiis, monasteriis, vel xenodochiis, reservato tamen quodam temporario jure gratia certarum personarum.

CAPUT IV.

De Beneficiis non scindendis.

Huc referendus est titulus 12, lib. 3.

Postquam a comunione bonorum clerici recesserunt, novamque formam beneficia sumsere, juxta ea, quæ diximus, emersit alia beneficiorum proprietas, qua fit, ut scindi inter plures nequeant, sed integra singulis clericis concedantur. Non heic sermonem instituo de reali, uti vocant, divisione, qua ex uno duo beneficia perpetuo fiant; de hac enim inferius commodior erit disserendi locus: loquor de divisione personali, qua fiat, ut uno remanente beneficio, duo ipsius in solidum possessores evadant. Ne id facile admittatur, suadet ipsa voluntas illorum, qui beneficia erexerunt, sive episcopi illi sint in comitiis clericorum, tribuentes inter clericos officia et peculia alia universis communia, sive singulares fundatores, qui uni clerico certum officium, certamque bonorum administrationem committi in ipso fundationis actu decreverunt. Ipsæ etiam generales canonum constitutiones istud ipsum confirmarunt, adeo ut in decretalibus Gregorii IX, titulus in hanc rem expressus habeatur, *ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.* Scio, nonnullos ex interpretibus uti ad id demonstrandum doctrina Hieronymi in can. 41, cau. 7, quæst. 1, ajentis: *in apibus princeps unus est, grues unam sequuntur, imperator unus, judex unus in provincia . . . singuli ecclesiarum episcopi, singuli archipresbyteri, singuli archidiaconi, et omnis ordo ecclesiasticus suis rectoribus nititur.* Mihi non placet adeo remota demonstratio, quando novi, non hunc fuisse Hieronymi scopum, neque hanc propterea in hoc fragmento Hieronymi mentem. Docebat sanctus vir Rusticum monachum, qui solitudinem professus olim, deinde huc illuc sine lege, sine magistro discurrens, voluntati suæ libere indulgebat. Eum admonebat, ut certo duci regendum se traderet, propterea quod vagæ cujusdam vitæ ratio nonnisi detrimentum esset allatura. Huc pertinent commemorata verba, quasi diceretur, vel ipsas volucres suum habere ducem, exercitum suum habere imperatorem, provinciam judicem, diœcesim episcopum, presbyterum, diaconos archidiaconum, et universum ordinem ecclesiasticum suos rectores, quæ sane observationes nihil habent cum re proposita commune. Potius commemoro statutum turonensis concilii in cap. 8, de præbendis, ubi non tam decretum est beneficia scindi non posse, quam reddita subtilis quidem, sed exacta edendæ constitutionis ratio. Ajunt turonenses patres: *Majoribus Ecclesiæ beneficiis in sua integritate manentibus, indecorum nimis videtur, ut minorum clericorum præbendæ patiantur sectionem. ideoque sicut in magnis, ita quoque in minimis etc.* Integra perdurabat etiam temporibus illius concilii disciplina vetusta, juxta quam majores Ecclesiæ dignitates, veluti episcopales, et episcopalibus majores, forte enim minores quidem episcopalibus, at in conspectu præbendarum inferiorum adhuc majores, quales erant archipresbyteratus, archidiaconatus, et similes, indivisæ manebant. Tantum abusus

irrepserat in præbendis inferioribus, quas passim clerici dividendas curabant, ut plures ad clericalem cœtum facilem sibi viam aperirent. Recte turonenses antistites adnotaverunt probari abusum non posse: cum enim eadem esset dignitatum majorum, ac minorum officiorum ratio, eademque caussa in tributione peculii ecclesiastici olim facta, inconveniens erat, dividere præbendas inferiores, et sic turbare res jam optime constitutas, quando de præbendis majoribus dividendis nemo eousque cogitaverat. Ad hanc concilii turonensis sanctionem respexit Innocentius III, in cap. 20, juncto etiam 21 de præbendis, eandemque expressis verbis ratam habuit, ac confirmavit. His minime obstat Bonifacii VIII rescriptum in cap. 27 de præbend. in 6, ubi mentio fit ecclesiarum, in quibus duplicis generis præbendæ essent nimirum et *integræ*, et *dimidiæ*: etenim quæ *dimidiæ* præbendæ dicuntur, non emerserant ex divisione præbendæ facienda inter plures beneficiarios, sed potius tales appellabantur, quia redditus illarum nonnisi dimidium redditus ferebant in conspectu, et comparatione illarum, quæ integræ dicebantur. Adde his, forte Bonifacium respexisse ad disciplinam illius ætatis, juxta quam imminuti fuere redditus plurium præbendarum, ut inde converteretur, quod detrahebatur, in distributiones quotidianas: unde præbendæ illæ, a quibus certe portio detracta fuerat, *dimidiæ*, ceteræ, a quibus nihil detractum erat, *integræ*, vocabantur, quin inde fiat, ut beneficia scinderentur.

Pertinent hæc ad regulam generalem firmandam, cui tamen adjiciendæ sunt probabiles exceptiones. Non ecquidem exceptionem dico inveniri, aut in ea specie, qua beneficii titulus uni clerico concedatur, reservata pensione alterius clerici gratia; aut in ea specie, qua clerico beneficiario coadjutor detur cum jure futuræ successionis; neutro enim in casu beneficium patitur divisionem. Non in specie constitutæ pensionis gratia alterius; quamquam enim pensionarii clerici ex recentioribus constitutionibus in multis quodammodo beneficiariorum jure censeatur, proprie tamen beneficiarii non sunt. Et revera pensionarius certam tantummodo percipit quantitatem a beneficiario præstandam, nullam tamen contrahit vel in ipsis bonis, et juribus beneficiariis administrationis communionem, nec insuper ulla fert beneficii onera; nec magis cum beneficiario dicitur dividere beneficium, quam dicatur juxta juris romani principia dividere hereditatem, qui simplex legatarius est, non coheres. Idipsum observo in altera specie designati coadjutoris, utpote qui nullam quoque communionem cum beneficiario contrahit, et licet eundem adjuvet veluti vicarius in ferendis officii oneribus, nullum tamen refert a beneficiariis redditibus emolumentum. Aliis in caussis collocandæ sunt exceptiones memoratæ regulæ; nimirum tum locus esse poterit scissioni beneficiorum, cum publica et gravis Ecclesiæ utilitas id exposcat; quemadmodum contingit vel ubi ita regimini populorum consulendum sit, vel ubi bonum pacis ita suadeat, vel ubi religio, et fides inde caperet incrementum, quod cum aliquando obtinuerit in majoribus dignitatibus, etiam episcopalibus, facilius obtinere etiam potuit in beneficiis minoribus; quando exemplo majorum minora beneficia indivisa esse statutum est, dict. cap. 8 de præb.

Ut regimini populorum consuleretur, scimus aliquando duos episcopos in una eademque civitate fuisse designatos, videlicet cum unam eandemque urbem incolerent diversarum gentium homines, iidemque diversis moribus utentes. Exemplum hujus generis suppeditat ecclesiastica geographia, ex qua constat, in una rhodiensi civitate duos episcopos extitisse, quorum unus rhodiensis, colossensis alter, derivato nomine ex celebri illius urbis Colosso, appellabatur. Eam urbem tunc incolebant diversæ nationes, qua Græci qua Latini, utentes diversis moribus, et ritibus, quibus opportunum fuerat duos antistites præficere. Aliud tamen decimotertio sæculo placuit Innocentio III, in concilio generali lateranensi, in quo decretum est, ut in simili specie non duo constituerentur episcopi divisa æque principaliter administratione, sed episcopus unus tantum constitutus vicarium sibi seligeret pro arbitrio instituendum, vel destituendum, cujus opera uteretur, cap. 14 de offic. judic. ordin. Decretum istud adeo generale interpretibus visum est, ut abierit in disciplinam communem, et passim traditum receptumque fuerit inde, ne reali quidem beneficiorum divisioni occasionem sufficientem præberi ex multiplicatione populi utut diversis ex gentibus collecti, et diversis ritibus utentis. Ita receptum esse non inficior, imo et passim ita judicari solere apud ecclesiasticos judices: at quoties tota quæstio exigenda esset ad intimam Innocentii, et lateranensis concilii mentem, non defuerunt, qui recte observaverunt, eam sanctionem fuisse singularem, et temporum adjunctis accommodatam. Capta fuerat initio sæculi decimitertii a Latinis urbs constantinopolitana vi armorum, et cum eadem urbe nonnullæ etiam finitimæ a potestate et imperio Græcorum ereptæ; unde passim in Græcorum urbibus Latini numero plurimi in exercitu, in præsidiis caussa militiæ et tuendi novi imperii, merebant, præter alios, qui commercii, aliave simili caussa eo confluxerant. Latini iidem latinos episcopos in iis provinciis constituendos esse duxerunt, atque inter ceteros Thomam Maurocenum venetum constantinopolitanæ Ecclesiæ præfecerunt. Nemo non intelligit, parum gratam esse potuisse Græcis hanc disci-

plinam, qui inter cetera allegabant, se non regi facile posse a latino antistite, qui grecos mores, et ritus pene ignorabat, a quibus moribus, et ritibus Græci iidem se nolle recedere profitebantur. Hinc et ipsi suos episcopos sibi elegerunt, inter ceteros Michaelem quendam Saurianum constantinopolitano patriarchatu donarunt. Deducta fuit caussa ad concilium lateranense Innocentii III, et quamquam alias opportunum videri potuisset, duos episcopos duabus nationibus, moribus, ritibus et linguis diversis utentibus præfici, nihilominus pensatis libratisque singulis rerum, locorum, ac temporum adjunctis salubrius visum est mandare ut unus tantum, Latinus nimirum, episcopus singulis in civitatibus constitueretur, qui latino ritu ecclesiam regeret, constituto vicario Græcorum gratia, qui Græcos ipsos regeret juxta mores, et disciplinam illorum, interea tamen omnino ab episcopo latino penderet. Et quidem id erat secundæ Latinorum fortunæ accommodatum, et tuendo adepto imperio maxime opportunum, quod prævalebat hono dividendæ episcopalis sollicitudinis, dummodo hoc vicariorum designatione curaretur. Revera fingamus, duos in græcis urbibus, ac præsertim in urbe constantinopolitana designatos fuisse episcopos latinum Latinis, græcum Græcis præfectum. Fuissent isti juxta phrasim Innocentii *duo capita, quasi monstrum,* seu, quod idem est, dubitari potuisset de græco antistite, aut patriarcha, ne græcorum sibi subjectorum animos adversus Latinos jam vehementer et acerrime concitatos magismagisque inflammaret, aut saltem foveret seditiones in perniciem latini imperii, ad cujus adeptionem multum vigiliarum, et laboris, et industriæ urgentibus ipsis pontificibus maximis inpensum fuerat. Adde his, duos constantinopolitanos patriarchas in eadem urbe degentes facile de prærogativa, ac de præeminentia contentionem fuisse habituros; et quando Greci objecissent adversus Latinos, patriarcham græcum pari cum latino dignitate fulgere, atque inter eos, qui pari dignitate fulgent, antiquiorem juniori præferri ut inde concluderent, græcum patriarcham latino præferri oportere, nescio, quid Latini fuissent responsuri. Num forte dixissent, mutatas esse imperii vices, et græcorum imperio translato ad Latinos, Latinorum antistitum jura potiora esse debuisse? At Græci replicavissent, ex mutatione civili imperii, nihil proponi posse, quod spectaret cathedrarum pontificalium dignitates, exemplo etiam exhibito romanæ Sedis, quæ etiam post translatum romanum imperium ad Græcos jure semper obtinuit supra græcas ecclesias principatum, nova Roma, qualis erat urbs constantinopolitana, veteri Romæ in sacro regimine perpetuo supposita. Itaque hoc prævidentes Lateranenses antistites sub Innocentio III, satius consulendum censuerunt publicis utilitatibus, si duos episcopos in græcis urbibus creari prohiberent, utut gravis caussas illorum designandorum esse alias potuisset, permissa tantum constitutione vicariorum, qui cum ab episcopis latinis omnino penderent, tum omnem seditionibus aditum præcluderent.

Publicæ etiam in Ecclesiis curandæ pacis caussa aliquando contingit, ut duo episcopi in una diœcesi consisterent, quemadmodum liquet ex cap. 1 de parochiis; quod depromptum est ex codice africanæ Ecclesiæ, can. 118, seu 119, apud Beveregium. Singularia multa in africana Ecclesia sæculo quinto recepta sunt, ut donatistæ multas turbas, seditionesque tunc concitantes reverterentur ad unitatem. Episcopi erant numero plures, qui a catholica fide non tam ipsi recesserant, quam partem populi avocaverant, et Donatistarum erroribus inquinaverant. En divisas propterea diœceses, ubi pars populi Donatistarum impietati serviebat sub episcopo pariter Donatista, pars doctrinæ catholicæ adhærebat sub episcopo catholico. Agebatur de Donatistis ad concordiam revocandis. Quod difficultatem ingerere poterat, spectabat episcopalem honorem, a quo admodum ægre passi fuissent se decidere conversi Donatistæ episcopi, quibus etiam nonnihil indulgere opportunum erat ut indulgentia allecti partem illam populi quam ad hæreticos traxerant, alacrius ad fidem reducerent. Hinc caverunt africani patres, ut in una eademque diœcesi permitteretur duos episcopos essa nimirum catholicum in vicem Donatistæ a catholicis ipsis suffectum, quem removere ab adepta dignitate non decebat, et qui gregi suo præesse pergeret, nec non Donatistam una cum populi portione conversum qui et eidem populi portioni, quam abductam reduxerat, præsideret. Sanctus Augustinus id jam proposuerat Donatistis in sermone 2, ante collationem carthaginensem his verbis eosdem hæreticos allocutus. *Episcopi vultis esse nobiscum, estote: non vult populus duos episcopos, nobiscum in hereditate fratres estote. Non propter honores nostro impediamus pacem Christi ... Ergo sublato errore de medio, tamquam pariete maceriæ contradictionis, et divisionis, es frater meus, et ego sum frater tuus, ut ambo simus ejus, qui Dominus est et meus, et tuus. Hæc dicimus amore pacis, non diffidentia veritatis.* Singularis hæc fuit œconomia in exemplum facile non trahenda, quemadmodum alia etiam cum Donatistis ex dispensatione gesta, sunt, uti liquet in conspectu canonum 3, et 4, can. 1, qu. 4, quibus cautum, ut Donatistæ conversi ad ecclesiasticos honores sine discrimine admitterentur.

Denique ad incrementum divini honoris et religioni christianæ duos aliquando episcopos in una cathedrali ecclesia fuisse, demonstrat,

factum Valerii Hipponensis episcopi, qui sanctum Augustinum in dignitatis suæ societatem adscivit, quemadmodum legimus in can. 12, cau. 7, qu. 1. Incolumi Valerio episcopo coepiscopus datus est Augustinus, ut in cathedra non tam succederet, quam accederet. At observo, ad novam hanc, et extra ordinem celebrandam consecrationem ideo devenisse Valerium, quod episcopalia munia, præsertim evangelicam prædicationem, qua ad informandos fidelium mores, qua ad abigendas hæreticorum novitates in Africa subortas, adornatam, non per alium melius posse, quam per Augustinum, exerceri, quotidiana specimina ab eo præbita demonstrabant. Dices fortasse, hæc potuisse per Augustinum infra episcopalem ordinem constitutum ministeria impleri. Oppono ego veterem Ecclesiarum consuetudinem, quæ non ferebat, per inferiores administros, episcopo non impedito, eove magis præsente, episcopale munus exerceri. Ergo agebatur de utilitate gravi africanæ Ecclesiæ, quam curare potuisset Augustinus opera sua, præsertim evangelica prædicatione, sed cui duo obsistebant principia; primum, quod non patiebatur presbyterum præsente episcopo prædicare, alterum, quod episcopatu donari non posset Augustinus cum Valerio in eadem hipponensi civitate. Ab alterutra regula dispensandum Valerius censuit, maluit autem potius ab illa recedere regula, quæ unicum in unaquaque Ecclesia episcopum postulabat, quam ab altera, quæ neminem in conspectu episcopi ad obeunda episcopalia officia admittebat. Quid vero diutius immorer in demonstrando, hanc fuisse singularem Valerii dispensationem, quando Augustinus idem jamdiu post Valerii prædecessoris obitum; similem sibi adsciscere coadjutorem detrectavit, licet senectute ingravescente confectus, et a populo enixe rogatus? Nullam aliam recusandi caussam tunc allegavit, quam quod id ab ecclesiasticis nicæni concilii regulis adhorreret, nimirum a canone 8, inter nicænos. Replicavit quidem populus, objiciendo, ipsius Augustini a Valerio probatum factum, et minime pœnitendum exemplum. Attamen adversus eas postulationes excepit constans Augustinus, excusans se, quod nondum nicænas regulas apprime compertas tunc habuisset, a quibus propterea si semel ex ignoratione deflexerat, post adeptam illarum notitiam, rursus deflectere episcopum non deceret. Hæc perspicue deducuntur ex epistola 223, inter augustinianas apud Maurinos, de qua tamen epistola nonnulli dubitarunt, an germanum sit Augustini opus, præsertim quod si admitteretur, inde deduci posset, et Augustinum, et Valerium Augustini prædecessorem nicænas regulas ignoravisse, quod sane incongruum videri posset, observanti, nicænos canones, utpote illa ætate adhuc recentes, et vulgatissimos non potuisse studia illorum episcoporum fugere, ne alias et Valerio, et Augustino gravis desidiæ et negligentiæ nota inferatur. Ego sane, si eam epistolam veluti germanum Augustini monumentum agnoscere vellem, excusari posse crederem Augustinum ea ratione scribentem. Siquidem quid aptius, et demissioni animi, quam sanctus vir profitebatur, convenientius dici ab Augustino poterat, dum simili dispensatione uti nollet contra canonum definitiones. Si alius quisquam respondere pro Augustino voluisset populo roganti episcopum Augustini coadjutorem, et proponenti exemplum Valerii, dixisset, Valerium dispensavisse abs jure in nicæno concilio constitutum ob egregias Augustini dotes, et qualitates, ob quas publica utilitas aliud suadebat, quam quod generaliter esset in nicæno concilio constitutum. At hæc responsio ex ore Augustini, viri sane de se, suaque doctrina, ac sanctitate demisse sentientis, expectari nullo modo poterat. Quamobrem sanctus vir maluit profiteri, se ignorasse nicænos canones, quam quidquam gloriose de se, suæque ordinationis caussa singulari ratione edita prædicare; qua tamen in re adeo parce se gessit ut profiteretur quidem, se ignorasse nicænas regulas, nihil tale de prædecessore Valerio dicens, quasi de Valerii judicio rationem nemini esset redditurus.

CAPUT V.

De beneficiis pluribus uni clerico non concedendis.

Postrema beneficiorum proprietas est, ut singula singulis conferantur, non plura uni clerico, quemadmodum et voluntas erigentium facile insinuat, et sacri canones perpetuo constituerunt, can. 1, dist. 89, can. 1 et 2, cau. 21, qu. 1, cap. 5, 13, et passim de præbend. cap. 32, eod. in 6, clement. 3, extravag. 1, Joannis XXII, repetita in extravag. 4, int. com. eod. tit. concilio trid. sess. 7, de ref. c. 17. Frustra generalem hujus disciplinæ constitutionem quæremus eo tempore, quo clerici communem vitam cum episcopo ducebant; nondum enim tributo peculio, et in partes diviso, nemo esse poterat, qui duplicem portionem optaret, obtineret. Tantum ea ætate recipiebatur, ut unusquisque officio sibi commisso solertem navaret operam, non plura sibi officia, præsertim, in diversis ecclesiis, vindicaret cum satis laudis in ecclesia recepisset, qui unum officium sibi mandatum in una ecclesia recte gessisset. Statim ac recessum est a communione bonorum, et sub beneficii nomine tributa peculia, ipsa mens erigentium suadebat, ut quemadmodum opportunum erat, varia designare munera, et iisdem muneribus certa jura, et obventiones adjicere, ita congruebat certos clericos singulis muneribus ad-

dicere, qui singulis juribus commodisque gauderent. Et revera si in diversis ecclesiis clericus diversa munera obeunda susciperet, quomodo satis omnibus facere potuisset? Imo etsi de una eademque ecclesia ageretur, quomodo unus potuisset sibi vindicare officia, et stipendia pro pluribus designata, nisi minueretur cultus divinus, qualis ex certo statuto ministrorum numero sperabatur? Hæc incommoda paucis expendebat Joannes XXII, in dicta sua extravaganti, ibi: *inter cetera inconvenientia infrascripta nascuntur, quod videlicet interdum unus, qui unum quamvis modicum vix officium implere sufficeret, plurimorum sibi vindicat stipendia, quæ multis literatis viris vitæ puritate, ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abunde sufficere, æqua distributione collata. Habentibus ipsa paratur vagandi materia, divini cultus minuuntur, hospitalitas in ipsis beneficiis debita non servatur; et dum non sunt sui in unaquaque regione rectores, ecclesiarum detrahitur commodis et honori, quæ carentes defensorum auxilio in juribus suis, et libertatis multipliciter collabuntur; ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia extruxerat decessorum; et, quod amarius est dolendum, animarum cura negligitur, et vitiorum sentibus fomentum periculose præbetur.* Rem ita dixerim crambe recoctam a viris eruditissimis, ac prudentissimis exhiberem, si in proposito diutius immorarer, et fusius demonstrarem, quanta fuerit, et quam constans sanctorum patrum vigilantia, ut clericorum animos a pluribus quærendis beneficiis abstraherent, imo, etiam terrerent. Tantum dico, quoties singuli consideraverint, voluntatem, et studium plurium beneficiorum, possidendorum aut ex ambitu, aut ex avaritia perpetuo proficisci, quemadmodum revera proficiscitur, nonnisi pessimum fructum ex duplici illa lue pestifera animorum posse referri, facile conclusuros.

Ecquidem fateor, honestissimas aliquando, imo etiam necessarias caussas existere, ob quas clericus plura possideat beneficia, imo et duabus ecclesiis adscribatur. Verum hanc ipsam ob rem cavendum maxime est, ne privata clericorum commoda cum utilitatibus ecclesiarum confundantur, et ne istarum prætextu specioso saluberrima juris disciplina facile relaxetur. Nihil est in primis, in quo redargui possit, quod sub nomine synodi generalis VII, proponitur apud Gratianum, in fine canonis 1, cau. 21, qu. 1, quodque probatum fuit in concilio emeritensi anni 666, can. 19, nimirum si duæ sint villæ finitimæ quas incolant inopes rusticani homines, duabus apud illos erectis sacris parochialibus ædibus, unum sacerdotem posse tum utrisque præfici, quoties non valeat populus in ea domicilia distributus duos sacerdotes alere, exhibere. Non absimile est, quod legitur in can. 2, in fine dist. 70. Laudanda quoque est providentia Gregorii Magni, cum Agnello jam Fundensi episcopo contulit terracinensem ecclesiam, ita ut ille utriusque ecclesiæ episcopus esset, ea singulari de caussa, quod Agnellus ad Fundensem ecclesiam ne accederet, vi hostium prohiberetur, neque ideo ea sede privandus esset; alias autem ex alia ecclesia certa vitæ subsidia derivaturus, alteri ecclesiæ, nimirum terracinensi, adscriptus est, in qua episcopale officium gereret, can. 5 et 6, caus. 21, qu. 1. Denique, ut multa similia omittam, concilium tridentinum non improbavit collationem alterius beneficii faciendam gratia illius clerici, qui ex priore beneficio obtento honeste sustentari non possit, certis adhibitis cautionibus, quas inferius expendam, sess. 24, de ref. cap. 17. Verum præter has, aut similes gravissimas caussas, integra semper erit generalis disciplina, quæ suadet neminem esse pluribus beneficiis locupletandum.

Porro istæ caussæ in jure definitæ non sunt, proindeque olim discutiendæ singulorum collatorum arbitrio relinquebantur. Quid tamen non urgebant importunæ clericorum preces apud ordinarios collatores, quorum dispensationem si non extorquebant, variis certe artibus impetrabant? Eam ob rem obtinuit, ut ordinarii, ipsi etiam majores prælati, hac dispensandi facultate careant, et dispensatio ab uno pontifice maximo, a quo caussa disquiratur, ac probetur, sit expectanda, cap. 28, in fine de præbend. cap. 1, de consuet. in 6, cap. 3, § ult. de offic. ordin. in 6, atque utinam hoc remedio satis consultum adpareret utilitati ecclesiasticæ, quod exoptarunt perpetuo pontifices maximi, dum sæpe ac sæpius conquesti sunt, mentem suam callidis impetrantium artibus circumveniri. Noverant ipsi, clericos quosdam aut ambitu, aut avaritia concitari, ut caussam obtinendæ dispensationi accommodatam prætexant, adversus quos aut protestati sunt, se, non obstante rescripto, nunquam dispensationem indulgere voluisse, aut etiam concessam dispensationem revocaverunt, cap. 21, de præbend. in extravag. 4, cui addi jure ac merito potest 2, eod. tit. int. communes. His consona est observatio, qua quamlibet obtentam dispensationem, utpote juri contrariam, strictissime semper interpretemur, atque ita, ut nusquam dispensatum intelligatur, quoties aliam, quam dispensationis interpretationem proposita rescripti formula patiatur, dicto cap. 21 et 23, de præbend. in 6, clement. 1, eod. tit. Hinc intelligenda sano consilio est clementina 4, eod. tit. non enim eo tendit, ut, quoties papa motu proprio beneficium plura beneficia possidenti concedit, dispensatio de pluribus possidendis concessa videatur, sed tantum, ut gratia pontificis irrita non dicatur, de cujus scilicet vi

dubitari poterat ex eo, quod qui multa beneficia possideret, ad beneficia ordinario jure ineligibilis haberetur, cap. 18, de præbendis.

Liquet ex his omnibus, regulam quidem generalem esse, quæ suadet, nonnisi singula singulis concedenda esse beneficia, aliquando tamen contingere, ut propter graves caussas a generali regula recedatur. At enim quoties ex una parte ardens custodiendæ disciplinæ rigor nonnullos urget, ex altera ambitus, aut avaritia quosdam invadit, et invicem committuntur duo hæc adversantia hominum ingenia, incredibile dictu est, quousque tandem disputatio progrediatur. Qui nimio disciplinæ custodiendæ zelo corripi se passi sunt, satius rei, quam scribendo tractabant, consuluissent, si incommoda gravissima descripsissent, quæ ex possessione plurium beneficiorum proficiscuntur, qualia recensentur inter ceteros apud Joannem XXII, in dicta extrav. 1, de præbend., si insuper prodidissent in medium multa canonum monumenta, quibus improbantur conatus clericorum ad plura beneficia anhelantium. Verum non potuerunt illi continere se intra limites solidæ philosophiæ, atque jurisprudentiæ, unde argumenta eminus repetentes ad ineptias fere declinaverunt. Quid enim ex. caussa insulsius esse potest, quam cum scriptum legimus apud quosdam ex pragmaticis, clericos plurium beneficiorum possessores, et medicinæ et grammaticæ regulas non custodire; medicinæ, propterea quod eadem ratione, qua duo beneficia possident, duo pharmaca ejusdem generis reciperent, grammaticæ, propterea quod si unus duos canonicatus, vel abbatias teneret, dicere non posset *ego canonicus, ego abbas,* sed dicere deberet *ego canonici, ego abbates,* quæ phrasiologiæ regulis repugnant. Omitto argumentum illud, quod nonnulli deducunt ex similitudine matrimonii, quod est unius tantum cum una, ut inde tradant, spiritualis polygamiæ reum fieri beneficiorum plurium possessorem. Hoc argumenti genus si venia dignum esse potuit, quo tempore Isidorianæ merces passim venditabantur, quandoquidem Isidorus Mercator illud primum invehere visus est, politiori ætati non satis congruit.

Postquam veniam dederimus interpretibus istis, qui, dum pro veritate dimicaverunt, in quibusdam excedere visi sunt, nihil certe indulgere debebimus illis, qui omnem moverunt lapidem, ut faverent clericis plura beneficia possidentibus. Noverant isti, contra canones frustra se laborare, proindeque ut fucum facerent, rem ipsam variis distinctionibus intricarunt, quibus facilem viam clericis aut ambitu correptis, aut avaritiæ deditis ad plura obtinenda beneficia aperirent. In primis distinxerunt beneficia, quæ dantur in titulum, et beneficia, quæ dantur in commendam, unde concluderent, vetari quidem clericos, ne titulos plures habeant, non prohiberi, quominus unum possideant in titulum, alterum in commendam, quodque magis est, tradiderunt, id sacris canonibus confirmari, sive apud Gratianum in can. 3, cau. 21, qu. 1, sive apud Gregorium IX, in cap. 54, vers. *Insuper* de electione. Si hæc doctrina admittatur generaliter, quis adhærere amplius posset Joanni XXII, in dicta extrav. 1, de præbend. ubi ideo docuit, plura beneficia possideri non posse quia evagationi clericorum locus fit, quia divinus cultus imminuitur, quia animarum cura negligitur, quia distributio æquabilis inter clericos non servatur, ut cetera omittam, quando hæ omnes caussæ in titulis æque, ac in commendis locum habent? Ecquidem, sub nomine Leonis IV, ita legitur in dicto can. 3, *Qui plures Ecclesias retinet, unam quidem titulatam, aliam vero sub commendatione retinere debet.* Ego jamdiu in meis lucubrationibus in codicem Gratiani Balutium secutus de hujus monumenti fide plurimum dubitavi, una etiam conjecturas adjeci meo judicio graves, quibus ipsum sit a Leone IV, abjudicandum. Ceterum etsi quidquam valeret canonis illius auctoritas, longe diversa res est agere de commendis illius ætatis, quibus ut plurimum gravis, et temporaria ecclesiarum, aut monasteriorum caussa occasionem præbebat, ut plurimum retractandis, cum primum id fieri provide posset, et agere de commendis, quales hodie sunt, instar titulorum fere redactæ; quemadmodum inferius suo in loco erit observandum. Præsertim temporibus Leonis IV. Saracenis undecumque irrumpentibus, devastata erant plurima loca sacra, et monasteria, uti colligi potest ex can. 9, cau. 23, q. 8, sacri etiam administri perperam in bonis ecclesiasticis versabantur, argumento canonis 18, cau. 12, qu. 2. Facile autem est suspicari, quasdam Ecclesias, aut monasteria, a ministris, vel monachis omnino deserta fidei alicujus finitimi antistitis, aut clerici commendari debuisse, ut in pristinam conditionem commendatarii industria redigerentur ab impiorum manibus vindicata, quod sane necessitas quædam, aut certa utilitas ecclesiarum, et monasteriorum suadebat extra ordinem. Quid vero, si dicerem, forte ibidem agi non de Ecclesia, quæ clerico, sed de clerico, qui Ecclesiæ commendaretur? Non repugnat interpretatio monumento Leonis; imo etiam consonat adjunctis illius ætatis, qua clerici ejecti Saracenorum vi a suis ecclesiis in alias se ecclesias recipiebant, ibidem et peracturi clericale officium, et suscepturi alimenta, quos propterea Ecclesiæ commendatos dixi, et potuit dicere Leo IV, *sub commendatione* Ecclesiæ ministrare, eadem ratione, qua idipsum receptum est in specie canonis 5 et 6, cau. 21, qu. 1. Erant hæc extra ordinem constituta, nec facile disciplinam generalem inducebant. Quod si assumа-

mus capitulum 54, de elect. quod scriptores illi proferunt, statim adparebit, archidiaconum quendam plures parochiales ecclesias possedisse, prætexentem excusationem, qua allegaret. se unam possedisse in titulum, alteram in commendam. At vero non jus in his constituitur, sed factum enarratur, explicaturque, quid archidiaconus allegaret sui excusandi gratia. Ad summum, qui eam distinctionem invexerunt, tradere possunt, præluxisse sibi veluti ducem archidiaconum illum, de quo in ea decretali agebatur, nunquam tamen eam distinctionem in decretali fuisse probatam. Hæc adeo vera sunt; ut hæc ipsa distinctio nunquam canonibus confirmata, tandem confecta fuerit, et damnata in concilio tridentino, cujus decretum mox erit commemorandum.

Prodiit secundo loco distinctio altera inter clericos, qui plura beneficia possidere in pluribus ecclesiis, præsertim dissitis, velint, et eos, qui plura beneficia, nec uniformia, puta canonicatum, et dignitatem in una eademque ecclesia sit obtenturi, quasi non illis quidem, sed istis quidquam sit indulgendum. Si hæc distinctio eo tenderet, ut indicaretur, multo plura esse incommoda ecclesiarum, ubi quis duas ecclesias, præsertim dissitas, regendas, vel administrandas suscepit, quam sint, ubi in una tantum ecclesia duo officia adeptus est; ego non repugnarem, considerans in prima specie violari residentiæ leges, quæ non violantur in altera. Verum in utraque specie multa sunt detrimenta, quæ adhuc in ecclesiam derivant. Finge enimvero in una eademque ecclesia clericum duo officia suscepisse. Resideat quidem ibidem clericus; forte etiam utrumque munus implere possit, quod tamen admodum raro contingeret; certe imminuitur clericorum numerus, proptereaque imminuitur etiam divinus cultus, cum injuria illorum, qui olim ea officia inter plures clericos partenda erexerunt, certe unus clericus stipendium suscipit alteri clerico debitum: certe fovetur avaritia et ambitus; eamque ob rem non ea omnia cessant absurda, quæ turpem, et indecoram exhibent plurium beneficiorum possessionem. Neque illud discrimen, quod inducitur inter uniformia, sive ejusdem nominis, atque difformia, sive diversi nominis beneficia, aptum est ad avertenda eadem incommoda ecclesiarum; et puto, iis tantum placere posse, quibus placuit beneficiorum pluralitatem improbare, proptereaquod repugnet ipsa grammaticæ regulis, ut superius adnotabam; cum in specie tantum uniformium beneficiorum clericus se appellare deberet, *Ego canonici, ego parochi* etc. contra non repugnet clericum dicere *ego canonicus, et archidiaconus, ego canonicus, et parochus etc.*

Commenti insuper sunt aliam beneficiorum distinctionem; nimirum tradiderunt, alia esse, quæ residentiam exposcunt, alia, quæ non exposcunt residentiam. Priora incompatibilia, posteriora compatibilia appellaverunt. Fuit hæc industris ars, qua pluribus possidendis beneficiis facilis aditus aperiretur. Sacri canones formaturi vitam, mores, et officia clericorum duo perpetuo constituerant; primum ut unusquisque in ea ecclesia mereret, in qua adscriptus esset, et ex qua stipendia percipiebat, alterum ut singula officia singulis concederentur. Qui plura beneficia amaverunt, utrumque principium adorti sunt, neque tantum variis distinctionibus eluserunt canones, dum singula inter singulos tribuenda sanxerunt; sed etiam eluserunt canones, dum residentiæ leges firmarunt; neque enim unum aggredi poterant, quin aliud aggrederentur. Sic modo adversus unum, modo adversus alterum principium dimicantes, quantumvis tristis esset et Ecclesiæ ominosa dimicandi caussa, nonnihil tamen ob dimicantium numerum obtinuerunt, non sane quod sacri canones pugnantibus cesserint, et argumenta probaverint, sed quod, ubi magna erat delinquentium multitudo, non in omnes indici pœna facile poterat, et satis visum est, graviores saltem abusus interea coercere, spe concepta, ut paullatim etiam delendis minoribus consuleretur. Sæculo Ecclesiæ duodecimo passim ad plura obtinenda beneficia inhiabant, et facile ex indulgentia antistitum obtinebant, præsertim cum ea ætate collatio beneficiorum a collatione ordinum sejungi cœpisset. Utcumque sacri canones non paterentur id fieri, nulla tamen pœna delinquentibus imminebat ex expressa juris definitione. Primus Innocentius III, in cap. 18, de præbend. professus, se multa in hoc genere *per patientiam tolerare*, statuit, ut qui plura beneficia obtinuisset, in quo *et ambitionis*, *et avaritiæ vitium* inesse declaravit, quadam irregularitatis nota adficeretur, unde ad novam eligi dignitatem non valeret, cassata prorsus electione, quoties ad hanc aliquando deveniretur. Clarius ibidem explicavit Innocentius sanctionem editam in concilio lateranensi Alexandri III, cap. 5, de præbend. ubi prudenti episcoporum arbitrio relictum erat, ut clericos coercerent plurium beneficiorum possessores. Hinc passim fieri cœpit, ut episcopi ad se advocarent plurium beneficiorum possessores, unum, quod clerici mallent, eligendum, ac retinendum beneficium offerrent, cetera dimittenda suaderent; electione autem secuta, dimissum beneficium alteri clerico concederent; ubi vero clerici eligere detrectarent episcopi ipsi clericos exuerent beneficiis, uno tantum relicto, quæ aliis clericis conferrent, cap. 7, 14, 15, de præbend. cap. 4, de ætate qualit. et ord. præfic. Interea tamen hæc pœna, cum nonnisi ex sententia judicis infligenda esset, ac propterea minus frequentaretur, asperior reddita est ab Innocentio III, in cap. 28, de præ-

bend. decernente, etiam sine judicis facto, idest ipso jure, vacare beneficium primum suscepto secundo, quoties ageretur de dignitatibus, vel personatibus, vel parochialibus ecclesiis, nisi forte duo hujusmodi beneficia unita proponerentur. Adde his capitulum 30, § 1, eod. et capitulum 6, eod. in 6. Sic cœperat prudentissimus pontifex gravioribus prospicere, ut paullatim ad cetera aut progrederetur ipse, aut alios ad progrediendum ulterius concitaret. Revera idem Innocentius hanc ipsam jurisprudentiam ad canonicorum præbendas extendit in cap. 9, de concess. præb. et inde Bonifacius VIII, etiam extendit ad prioratus, et ecclesias regulares curam animarum adnexam habentes, a monachis, religiosisve aliis administrandas, cap. 32, de præbend. in 6, adjiciens, ab utraque dignitate, et ecclesia esse dejiciendum eum, qui priorem, qua jam ipso jure cecidit, facto etiam non dimitteret. Idipsum confirmavit Joannes XXII, in extrav. unica de præbend., decernens, eadem observari in beneficiis, et a clericis sæcularibus, ut nimirum, qui primum beneficium facto non dimittit, utroque privetur, imo etiam subjungens, beneficia sic vacantia dispositionis sedis apostolicæ esse perpetuo reservata; quod prudentissime adjectum censeo ut ea ratione coercetur negligentia episcoporum, qui segniores se gerebant in clericis spoliandis multitudine beneficiorum, neque aliis eadem beneficia conferebant. De aliis vero minoribus beneficiis cum nihil simile aut ab Innocentio III, aut a Bonifacio VIII, aut ab Joanne XXII, aliisve pontificibus statutum occurrat; veterem eousque servandam fuisse prudentiam constat, scilicet, ut qui secundum beneficium obtinuisset, ad alterutrum dimittendum sententia judicis adigi merito posset. Atque exinde sine injuria sacrorum canonum facile intelligimus capitulum 7, de rescriptis in 6, et clementinam 4, eod. tit. in quibus singularia quædam beneficia memorantur, quæ simul de jure teneri nequeunt, ex quibus perperam tradidere nonnulli, probari posse laudatam incompatibilium, et compatibilium beneficiorum distinctionem. Non enim summi pontifices innuere ibidem voluerunt, alia quidem esse beneficia, quæ consociationem non admittant, alia, quæ ferant; sed potius alia esse, in quibus obtento posteriore prius non ipso jure, sed sententia judicis adimatur; alia, in quibus obtento posteriore, prius vacet ipso jure. Igitur concludendum est, generalem fuisse decretalium disciplinam, qua nusquam reciperetur, duo beneficia possideri; quamquam ubi de pœna ageretur infligenda in possessores plurium beneficiorum, hæc remissior esset in certis beneficiorum speciebus, ita suadente æquitate, ut, ubi majora sunt ecclesiarum pericula, ibi urgentioribus remediis occurratur.

Dum hucusque varias commemoravi constitutiones, quibus obviam itum est abusibus clericorum ad plura beneficia anhelantium, video mihi ea fere omnia recensuisse, quæ spectant ad pœnas illorum, qui in hac parte canonum disciplinam minime custodierint, ab eo primum tempore, quo abusus irrepsit, aut gravior esse cœpit, usque ad tempora Joannis XXII. Verum non potuerunt ea omnia licentiam cohibere, et passim etiam post Joannem XXII, vacatum est a nonnullis, pluribus beneficiis impetrandis; cum enim romana Ecclesia diu tunc turbari cœperit intestinis schismatibus, non potuit satis vigilantia maximorum pontificum prospicere ecclesiarum utilitatibus in ea parte, in qua singulis ecclesiarum officiis singulis clerici præficerentur. Deducta res fuit ad tridentinum concilium, in quo tria decreta edita adparent, ex quibus tota regitur hodierna disciplina. Primum decretum spectat cathedrales omnes ecclesias in cap. 2, sess. 7, de ref. Cœperunt enim initio patres tridentini episcopatibus, veluti majoribus beneficiis, prospicere his verbis: *Nemo quacumque etiam dignitate, gradu, aut præeminentia præfulgens plures metropolitanas, seu cathedrales ecclesias in titulum, seu commendam, aut alio quovis nomine contra sacrorum canonum instituta recipere, et simul retinere præsumat*; *cum valde felix sit ille censendus, cui unam ecclesiam bene, ac fructuose, et cum animarum sibi commissarum salute gerere contigerit. Qui autem plures ecclesias contra præsentis decreti tenorem nunc detinent, una, quam maluerint, retenta, reliquas infra sex menses, si ad liberam sedis apostolicæ dispositionem pertineant, alias infra annum dimittere teneantur, alioquin ecclesiæ ipsæ, ultimo obtenta duntaxat excepta, eo ipso vacare censeantur.* Viam hæc paraverunt ad similem constitutionem edendam de beneficiis parochialibus, aliisve, quæ non longe parochialibus distant; eam ob rem prudenter in capite 4, ejusdem sessionis alterum decretum editum est, ita conceptum. *Quicumque de cetero plura curata, aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, aut alio quocumque nomine et titulo, contra formam sacrorum canonum, et præsertim constitutionis Innocentii, quæ incipit de multa* (illud est capitulum 28, de præbendis) *recipere, ac simul retinere præsumserit, beneficiis ipsis, juxta ipsius consitutionis tenorem, ipso jure, etiam præsenti canonis vigore, privatus existat.* Non hæc sufficere videbantur, nisi et generaliter aliis beneficiis consuleretur; quamobrem post diuturnas disceptationes, cum ad finem concilii celebratio vergeret, ita constitutum saluberrime fuit in cap. 17, sess. 24, de reform. *Cum ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium*

officia occupat clericorum, sancte sacris canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus ecclesiis conscribi : Verum quoniam multis improbæ cupiditatis affectu se ipsos, non Deum, decipientes, ea, quæ bene constituta sunt, variis artibus eludere, et plura simul beneficia obtinere non erubescunt, sancta synodus debitam regendis ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præsenti decreto, quod in quibuscumque personis, quocumque titulo, etiamsi cardinalatus honore fulgeant, mandat observari, statuit, ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur ; quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hœcque non modo ad cathedrales ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia tam sæcularia, quam regularia quæcumque, etiam commendata, pertineant, cujuscumque tituli, ac qualitatis existant. Illi vero, qui in præsenti plures parochiales ecclesias, aut unam cathedralem, et aliam parochialem obtinent, cogantur omnino, quibuscumque dispensationibus, ac unionibus ad vitam non obstantibus, una tantum parochiali, vel sola cathedrali retenta, alias parochiales infra spatium sex mensium dimittere; alioquin tam parochiales, quam beneficia omnia, quæ obtinent, ipso jure vacare censeantur ; ac tanquam vacantia libere aliis idoneis conferantur ; nec ipsi antea illa obtinentes tuta conscientia fructus post dictum tempus retineant. Optat autem sancta synodus, ut resignantium necessitatibus commoda aliqua ratione, prout summo pontifici videbitur, provideatur.

Oculis subjeci integra concilii decreta, ut eorum intuitu statim quisque perciperet, quanta fuerit in hanc rem sollicitudo patrum tridentinorum, sive dum professi fuerunt *ecclesiasticum ordinem perverti,* dum plura officia uni clerico demandantur, sive dum asserunt, clericos plura beneficia impetrantes *improbœ cupiditatis affectu* moveri, et *semetipsos, non Deum decipere*, sive dum restitutionem disciplinæ *debitam* vocant, sive dum omnes, *etiamsi cardinalatus honore fulgeant;* decreto subjiciunt, quidquid remissius egerit non regulam figendo, sed facilius dispensando, aut Innocentius III, in cap. 28, in fin. de præb., aut Joannes XXII, in extr. un. de præb., acerrimus ceteroqui singularium beneficiorum vindex; vel ubi omnia beneficia *etiam commendata, etiam cujuscumque tituli, et qualitatis* suæ decreto comprehensa declarant. Utinam vero post tot tantaque tridentinorum patrum studia, post decreta adeo perspicua cessatum esset a plurium beneficiorium petitione! Effectum quidem suum obtinuere decreta, ubi de duobus episcopatibus, vel de duabus parochiis, vel de duobus canonicatibus, vel de duabus canonicalibus præbendis, vel de duabus dignitatibus ageretur. Quando vero tridentinum concilium exceptionem adjecerat in specie beneficii admodum tenuis, quo casu permisit, ut beneficium habenti aliud concederetur, dummodo utrumque personalem residentiam non exposceret, heic aditum nonnulli invenerunt, per quem patrum ecclesiasticorum curas eluderent. Provida illa exceptio, qua inopiæ alicujus clerici consulebatur, imo et beneficio, cui facile nemo addici potuisset, si nihil emolumenti non accederet aliunde ; exceptio, inquam, quæ non adeo certa lege muniri poterat, ut redditus beneficii definirentur, supra quos non liceret amplius petere, cum aliud in una, aliud in alia regione opportunum esse posset, detorta a pluribus fuit ad evadendam regulam generalem. Tradi passim cœpit, duplex esse residentiæ genus : aliam dixerunt residentiam *præcisam,* et *simplicem,* seu veram, et propriam, nimirum adeo exequendam, ut pœna non residenti clerico immineat privationis tituli juxta canonum sanctiones, quemadmodum contingit in episcopatibus, in dignitatibus, in canonicatibus, in beneficiis quibuscumque collegium componentibus, ac denique in beneficiis parochialibus ; aliam dixerunt residentiam *caussativam,* seu minus propriam, quam qui non servet, aut nullos fructus percipiat, aut fructuum diminutionem patiatur, quin privari beneficio possit, quemadmodum contingere tradiderunt in beneficiis singularibus nec collegium componentibus, neque animarum curam adnexam habentibus, quamquam personale officium fuerit in fundatione beneficiario demandatum, puta, celebratio missarum, aut aliud simile, unde residentiæ *caussativœ* nomen derivatum est, quasi residentiæ ob caussam singularem observandæ. Videatur cardinalis De Luca de beneficiis disc. 57, et sequentibus, item in adnotationibus ad tridentinum disc. 4, Fagnanus ad cap. *Literas* de concess. præbend. num. 49, et Gonzalez ad regulam 8, cancellariæ glossa 45, num. 20. Hinc asseruerunt, decretum concilii tridentini vetuisse quidem, ne duo beneficia unquam obtinerentur, si utrumque residentiam *præcisam* et *simplicem* exposceret, non vero si ageretur de duobus, quorum unum quidem *residentiam præcisam* et *simplicem* exposceret, alterum tantum *caussativam,* ubi primo obtentum insufficiens esset ad clerici sustentationem. Quodque magis dolendum est, non dubitaverunt nonnulli tradere, decretum tridentini concilii, utpote prohibitorium et pœnale, odiosum esse, ac propterea conandum, quoad fieri possit, ut intra arctiores limites concludatur. An

hæc tridentinorum patrum, imo et perenni ecclesiasticorum antistitum menti conveniant, iis deliberandum relinquo, qui sine præjudiciis ad eam explorandam accedant, quique nec ambitum, nec avaritiam in clero fovere velint, qui propterea dignoscent, an odiosum sit decretum illud, in quo edendo non novum quidquam statutum est, sed curatum, ut perennis ecclesiæ disciplina corruptelis labefactata confirmaretur, atque, ubi opus esset, restitueretur; item curatum, ne ecclesiasticus ordo pervertatur, quemadmodum perverti ex pluralitate beneficiorum ajebant tridentini antistites in dicto cap. 17. Fateor, tridentinum concilium passum fuisse, ut duo obtinerentur beneficia, ubi non sufficeret unum ad honestam clerici sustentationem, *dummodo utrumque personalem residentiam non requirat.* At in hac re respexerunt tridentini antistites ad illa beneficia, quæ jamdiu vigens consuetudo non residentialia appellavit, non sane quod a lege residentiæ absoluti fuerint eorundem possessores, sed quod tridentini patres in his beneficiorum speciebus cum dispensando permiserint, ut duo retineri ex caussa æquissima possent, tum etiam dispensando permiserunt, ut in uno non cogeretur clericus residere. Ideo vero illa beneficia dicta sunt in decreto tridentino non residentiam requirere, quia nec cura animarum, nec personale certum, sive in certa ecclesia peragendum officium in quibusdam beneficiis exercetur. Apage vero opinionem illam, qua tridentina lex odiosa fingatur, propterea que stricta interpretatione donanda. Potius dicendum est, in ea decreti tridentini parte, qua permissum est, ut duo beneficia tenerentur, dispensationem a lege generali agnosci oportere, ac propterea juxta regulas rectæ interpretationis in id semper conandum, quo sustineatur generalis regula, quæ vetat, ne plura beneficia impetrentur.

Neque istic constiterunt, qui clericis plurium beneficiorum amatoribus favere non dubitarunt. Quando enim tridentinum concilium exceptionem adjecit in ea specie, qua clericus beneficium insufficiens habeat, passim traditum est, imo et moribus fere receptum, ut nulla sit eo eveniente casu deliberatio, nulla caussæ cognitio satisque sit, clericum allegare beneficium, quod ipse possidet, ad honestam sui sustentationem non sufficere, ut statim alterum beneficium impetret. Fateor, tridentinos patres non definivisse certam reddituum quantitatem, ex qua beneficium pro sufficienti haberetur; neque enim id definiri ulla ratione poterat, propterea quod aliud in uno loco, aliud in alio aut sufficeret, aut requireretur. Verum quis sanius non diceret, ex eo ipso, quod nihil generali jure definitum est, definitionem hujus generis ex prudenti arbitrio judicis singula adjuncta pensaturi esse expectandam, ut in similibus passim tradi solet? Dabo etiam libens, incivile aliquantulum esse, si ordinarius judex singula adamussim exploret, quæ clericum beneficii possessorem circumstant, puta domesticas necessitates, infirmitates etiam personales, quibus clerici beneficiarii gratia sit consulendum. Verum ad summum inde improbabilis diceretur nimis exacta ordinarii cognitio, et deliberatio, non ea, quæ prudens esset, quæ certæ æquitati inniteretur. Secus verendum est, tridentinam legem voluntati beneficiariorum clericorum executionis caussa remissam passim irritatum iri, facile allegantibus clericis, beneficium esse insufficiens, quod ipsi possident; qua in re facile semper unusquisque sibi blanditur ob varias, quæ hominem circumsepiunt, affectiones. Quid non insinuant homini prætextus varii, vel familiæ illustris, in qua natalia quis sortitus fuerit, vel inopiæ necessariorum, quibus sit occurrendum, vel etiam dignitas beneficio cohærens, quem quis nonnisi gravibus impensis sustinere se posse prædicat? Imo et amplius progredi nonnulli voluerunt. Nimirum quærere cœperunt, utrum, si duo beneficia insufficientia sint ad honestam sustentationem, adhuc tertium, vel etiam quartum obtinere beneficium possint. Eos, qui id inficiantur, reprehenderunt, quasi verborum potius cortici adhæreant, quam intimam sequantur mentem patrum tridentinorum. Oh præclaram mentis tridentinorum antistitum assecutionem! Postquam tradere cœperunt, relinqui arbitrio beneficiarii deliberationes sufficientium redditiuum, si insuper tradatur, non duo tantum, sed tria, et plura impetrari beneficia posse ab eo, qui putet, sibi duo adhuc non sufficere, quid aliud fit, quam evertere universam tridentinorum antistitum curam, et sollicitudinem, qua in exceptione insufficientis beneficii, non lex constituta fuit sed a generali lege indulgentia quadam et patientia dispensatum? Alia profecto esse debet interpretatio dispensationis et indulgentiæ a generali lege recedentis; et quando *aliud simplex sufficiens* tridentini patres commemoraverunt, verbis ipsis inhærendum est, nec de pluribus beneficiis simplicibus constitutio intelligenda. Ita intellexisse videtur sanctus Carolus optimus concilii tridentini interpres in suo concilio mediolan. 4, parte 3, tit. *Quæ ad beneficii collationem attinent.* Ita etiam deduci potest argumento cap. 19, de præbend. in 6, ubi gratia apostolica, qua cavetur, ut beneficiario concedi aliud beneficium valeat, eam obtinuit interpretationem, qua unicum tantum beneficium concederetur.

Longe remotius a mente tridentinorum patrum iverunt, qui tridentinum decretum, quo generaliter cavetur, ne plura beneficia a clerico possideantur, de beneficis intellexerunt, quæ in diversis ecclesiis erecta sint, non si erecta proponantur in eadem ecclesia, pro-

pterea quod clericus in eadem ecclesia plurium beneficiorum possessor residentiæ legibus caussa utriusque beneficii possit satisfacere; quodque magis est, abusi sunt in hac re tridentinis verbis in principio dictis c. 17, ubi legitur *perverti ordinem ecclesiasticum quando unus plurium officia occupat clericorum, et sacris canonibus cautum fuisse, neminem oportere in duabus ecclesiis conscribi.* Ecquidem distinxerunt inter beneficia uniformia, quales exempl. gr. duo canonicatus, et inter beneficia difformia, qualis esset ex. gr. canonicatus, et dignitas, in uniformibus beneficiis rejicientes plurium impetrationem, admittentes in difformibus; unde consuetudo profluxit, qua quis admittatur ad obtinendum canonicatum una cum dignitate; imo et extant statuta quarundam cathedralium ecclesiarum, quibus cautum est, ut nonnisi canonicis conferantur dignitates. Si de statutis hujus generis primum dicam, quoties statuto caussam dederit aut erectio ipsa dignitatum, aut immemorialis consuetudo, qua ad erectionis titulum omnia referri debere præsumatur, ego non adeo repugnarem; propterea quod qui dignitates erexit ea conditione, ut nonnisi canonicis conferantur, hac facultate non destituebatur, liberumque est fundatoribus, beneficiis certas, quas voluerint, etiam a natura beneficiorum alienas qualitates adjicere. At quoties statutum editum fuerit ab iis, qui blande nimis adquieverunt placitis interpretum quorundam, ac pragmaticorum, non video, quare major statutis istis reverentia debeatur quam opinionibus pragmaticorum. Deinde generaliter deveniendo ad hujus opinionis discussionem, frustra effugium quæritur in iis verbis tridentini decreti, cum dicitur, canonibus cautum esse, neminem oportere *in duabus ecclesiis conscribi.* Persequebantur initio tridentini antistites abusus illius ætatis, ex quibus non solum fiebat, ut unus clericus plura beneficia possideret, sed etiam duabus ecclesiis adscriberetur; quod utrumque improbaverunt, sive cum generaliter præfati sunt, perverti ordinem ecclesiasticum ex multitudine officiorum uni concessorum, sive cum subjecerunt, canonibus cautum esse, ne quis duabus ecclesiis adscriberetur. Eadem ipsa distinctio inter uniformia, et difformia beneficia a pragmaticis eisdem comprobata satis indicat, mentem patrum tridentinorum non fuisse conclusam ad illa beneficia, quæ in diversis ecclesiis sita essent. Quod si in uniformibus beneficiis interdictum agnoverunt, ne plura possiderentur, cur non idipsum in difformibus agnoverunt? Tradunt passim, in uniformibus non servatum iri numerum, qui ab initio fuerit præstitutus, quando qui erexerunt ex. gr. canonicatus, certum numerum canonicorum minime supprimendum designaverunt. At vero etiam certus numerus ministrorum discretus fuit, cum præter canonicatus erectæ fuerunt in cathedralibus ecclesiis dignitates, duarumque personarum vices sustinere incongruum est, cum ex eo confusio perturbatioque nascatur. Quod si tanta fuit sollicitudo servandi numeri, cur non æqua sollicitudo esse debuit augendi divini cultus, item tribuendorum munerum inter plures, ut facilius ac commodius unusquisque suo officio incumbat, item remunerandi clericos ecclesiæ utiles, quorum gratia adaucta beneficia sunt sub nominibus variis canonicatuum, et dignitatum? Sunt, quæ objiciuntur, mera avaritiæ, aut ambitus effugia, quibus mens ecclesiæ, et sanctiones publicæ facto fuco eluduntur.

Fingamus nunc, quemquam concilii tridentini decreta negligere, et vel duo beneficia personalem residentiam exposcentia, vel plura, quam duo ex aliis, utcumque ad honestam sustentationem non sufficientibus, vel postquam unum sufficiens obtinuerit, alterum possidere: quænam pœna clerico imminebit? Sunt, qui adhuc distinguenda putant beneficia a beneficiis, quorum alia vacent ipso jure, alia demum per sententiam judicis, juxta ea, quæ superius tradidi ex cap. 18, de præbend. cap. 9, de concess. præbend., et cap. 32, de præbend. in 6. Verum si attente perpendatur laudatum caput 17, tridentini concilii, in quo omnia beneficia æque incompatibilia declarata fuerunt, perspicue liquebit in omnibus beneficiis non absimilem recipiendam esse prudentiam, qua fiat ut, si quis plura obtineat beneficia quocumque modo adversus tridentinam sanctionem, statim vacet ipso jure primum, ac propterea is, ad quem collatio pertinet, possit statim ad prioris, tanquam vacantis, collationem libere devenire, etsi in possessione adhuc clericus persistat, cum sola juris, non facti possessio sit attendenda, dummodo tamen ille secundi beneficii jam liberam possessionem nactus fuerit, insuper et libere potuerit percipere fructus, qui nec ad capitulum, nec ad monasterium, nec ad alium quemcumque ad certum usque tempus, ex indulto, vel statuto, vel consuetudine pertineant, cap. 26, et 28, de præbend. in 6, clem. 3, eod. tit. juncto cap. 9, in fine de concess. præbend. apud Gregorium IX, nisi tamen per eum steterit, quominus possessionem secundi beneficii nancisceretur, extravag. unic. vers. *Qui vero deinceps* de præbend. apud Joannem XXII, argumento l. 5, §. 1, ff. quando dies legator., et l. 24, ff. de cond. et demonstr. Notandum denique est, clericum in beneficio ita vacante institutum non primum debere in beneficii possessionem induci, quam vocetur in judicium spoliatus, cui quædam forte superesse possent jura, quibus in judicio experiatur, et caussas probabiles alleget, atque exhibeat palam, ne adhuc a beneficii possessione turbetur » cap. 28, de præbendis in 6.

DISSERTATIO SECUNDA

DE VARIIS BENEFICIORUM SPECIEBUS

Summa specierum, in quas beneficia tribuuntur, paucis perstringi commode potest. Et primo quidem alia majora, alia minora vocantur. Majora dicuntur illa, quæ episcopali ordini cohærent, nimirum episcopatus, archiepiscopatus, et quæ supra istas constitutæ sunt dignitates. Minora sunt, quibus clericus in inferiore ordine sub episcopo constitutus ecclesiæ deserviens potitur. Inter hæc medium quemdam locum obtinent abbatiæ, et prioratus conventuales, quibus quasi episcopalis jurisdictio adnexa proponatur. Beneficia majora, et quæ proxime ipsis accedunt, consistorialia etiam appellantur, quod illorum collationem pontifex maximus palam facere in consistorio soleat. Secundo alia sunt beneficia, quæ curam animarum adnexam habent, et parochialia; alia sine cura animarum, et non parochialia nominantur. Huic proxima est tertia beneficiorum divisio, qua alia dicuntur duplicia, alia simplicia: duplicia sunt, quibus vel jurisdictio, vel cura animarum inest: simplicia e contrario sunt et jurisdictione et cura animarum destituta. Quarto alia sunt beneficia, quæ collegium componunt; alia, quæ a collegiis pendent, et quodammodo sunt eisdem adnexa; alia, quæ per se subsistunt sine collegio. Priora sunt canonicatus, sive in cathedralibus, sive in collegiatis ecclesiis, pluribus sane nominibus, ordinibusque discreti, qui nimirum vel dignitates vocantur, vel personatus, vel officia, vel simplices canonicatus. Posteriora beneficia, quæ nimirum a collegiis pendent, et quodammodo sunt collegiis adnexa, totidem fere demonstrari possent, quot sunt ecclesiæ collegiales, quæ modo cappellaniæ, modo mansiones, modo præstimonia, modo canonicatus minores et secundi ordinis, modo communi nomine beneficia dicuntur; imo adhuc in plures gradus in majoribus quibusdam ecclesiis distributa, discretisque nominibus distincta conspiciuntur, quibus sane jure addere poteris ipsamet seminaria clericorum, in quibus quamquam clerici non perpetuo, sed tantum educationis caussa mereant, nec propterea proprie beneficiarii dici valeant, tamen adhuc et stipendiis ecclesiasticis sustentantur, et sacra ministeria eorundem ordini competentia in ecclesia cathedrali exercent. Quænam sint postrema beneficia, sive quæ per se subsistunt sine collegio, non opus est indicare. Quinto alia sunt beneficia perpetua; alia manualia, ita dicta, quod a manu pendeant conferentis, et possint libere revocari, de quibus jam superius traditum est. Sexto alia sunt liberæ collationis, quæ omnino ab ordinariorum collatione pendent; alia exemta, vel reservata, in quibus conferendis nullam ordinarii explicant potestatem; alia electiva, vel patronalia, in quibus locum quidem habet ordinariorum institutio, sed vel electione, vel præsentatione illorum, ad quos pertinet, præsupposita. Septimo alia sunt regularia, alia sæcularia, prout vel regularibus, vel sæcularibus ecclesiis adhærent, nisi malis dicere, prout vel regularibus, vel sæcularibus clericis, vel etiam monachis conceduntur. Octavo alia dici possunt beneficia, quæ propriam servant naturam juxta generalem beneficiorum omnium disciplinam; alia impropria, quæ aut in pluribus, aut in aliquibus ab eadem generali beneficiorum indole recedunt, quemadmodum exemp. caus. sunt, quas laicas cappellanias vulgo vocant. Denique, ut reliquas fere innumeras beneficiorum partitiones omittam, alia sunt, quæ dantur in titulum, alia, quæ in commendam. Dantur in titulum, quorum vi beneficiarius clericus vere præficitur alicui ecclesiæ, vel, quemadmodum nonnulli ex veteribus dixerunt, ita incardinatur, ut ecclesiastico muneri gerendo addicatur, et redditu quodam ecclesiastico potiatur. Non ignoro tamen, placuisse nonnullis viris eruditis, *incardinare* dictum fuisse in quadam singulari specie, videlicet cum quis a propria ecclesia ad aliam translatus, in ista interea certis de caussis sacra ministeria gereret. Dantur in commendam, quum certæ ecclesiæ, vel bona ecclesiastica, ne corruant, vel depereant, alicujus curæ, ac custodiæ commendantur. Paucis pervagatus sum per varias beneficiorum species; neque enim hoc in loco singulæ singulorum qualitates erant latius expendendæ; nam ad beneficia, quæ majora dixi, hæc tractatio minime pertinet; plures inde ex commemoratis beneficiorum speciebus ex iis, quæ dicenda inferius sunt, aptius, et perspectius dignoscentur. Tantum hic subjiciam quasdam observationes, aliquot beneficiorum species sigillatim spectantes, quæ non satis commode necti ceteris possent.

OBSERVATIO I.

De quibusdam cathedralium, aut collegiatarum ecclesiarum beneficiis.

Huc referendi sunt tituli 23, 24, 25, 26 et 27, lib. 1, et titulus 5, libri 5.

Quemadmodum divinorum mysteriorum et rite, et decore celebrandorum ratio postulavit, ut clericalis ordo tribueretur in varios distinctos gradus, unde presbyteri, diaconi, subdiaconi, atque alii inferiores clerici constituti sunt, atque discreti; ita et politia rerum in ecclesia optime gerendarum suasit, ut munera beneficiaria, et curæ variæ essent, in tot gradus distinctæ, quot singularis utilitas inducere potuit. Id potissimum receptum est in ecclesiis dignioribus, in quibus certus clericorum numerus præstitutus est, quales semper fuerunt cathedrales ecclesiæ, quales item fuerunt aliæ ecclesiæ cathedralibus quidem inferiores, sed quæ ob non exiguum clericorum in iis administrantium cœtum, collegiales dictæ fuerunt. In istis ecclesiis seu cathedralibus, seu collegiatis multiplices esse solent clericorum ordines. Non loquor de iis, qui ab eodem collegio pendent, et instituti sunt in adjutorium capituli sub variis nominibus, veluti cappellanorum, mansionariorum, portiones, vel præstimonia possidentium; sed loquor de iis, qui capitulum ipsum componunt, qui in quatuor classes distribui solent. Primum locum tenent dignitates; his proxime accedunt personatus. Distinguuntur insuper a ceteris, quæ dicuntur officia: denique quicumque alii sint, veniunt generali nomine canonicatuum seu canonicorum. Proprie dignitas dicitur præstantia quædam, cui certa ingenita jurisdictio cohæret certis sane conclusa limitibus, et multo inferior episcopali quæ scilicet primum ex mandatis episcoporum singularibus obtineri cœpit, deinde propemodum in ordinariam evasit, sive quod data esset non personæ, sed officio, sive quod non opus haberet peculiari delegatione in iis, qui emergerent, casibus; imo hodiernis temporibus plurimum aut statutis, aut consuetudinibus ecclesiarum obnoxia facta, vel fere ubique sublata. Mihi non placet in hac parte quorundam pragmaticorum traditio asserentium, tum dignitatem dici, cum certæ personæ in certo officio constitutæ delegatæ fuerunt caussæ quædam a sede apostolica. Etenim observo in primis, singularem delectum quarundam personarum in delegationibus apostolicæ sedis habitum tantum fuisse a temporibus Bonifacii VIII, seu post editum capitulum 11, de rescript., proindeque jamdiu, antequam hic delectus fieret, dignitates omnes suam indolem ac naturam habuisse. Deinde si consistamus in conspectu dicti capituli 11, adparebit, æque delegationes fieri potuisse, et dignitatem, et personatum, et simplicem canonicatum in cathedrali ecclesia obtinentibus; eamque ob rem rationem ipsam delegationum nullum posse inducere discrimen inter dignitates, personatus, ac ceteros canonicatus. Quod si ad recentiora tempora descendamus, et rationem habeamus capitis 10, sess. 25, de reformat. in concilio tridentino, quo cautum est, ut delegentur a sede apostolica caussæ tantum viris in synodo diœcesana selectis, quid amplius superest in proposito, ut concludamus, hanc delegationum notam non esse certum dignitatum characterem? Personatus vocatur mera loci, sive sedis præstantia, quoties capitulum una conveniat, sive in choro, sive in processionibus, jurisdictione prorsus etiam a sui origine, atque institutione destituta. Non ignoro tamen, aliquando in decretalibus promiscue sumi nomen dignitatis ac personatus, quod forte ex eo evenire potuit, quod omnis dignitas personatum adnexum habeat, quamquam e converso non omnis personatus dignitati cohæreat. Sic in cap. 8, de constit. Tullensis primiceriatus modo dignitas, modo personatus appellatur. Sic in cap. 8, de rescript. quæ dignitates dicuntur, personatus etiam nomine donantur. Sic in cap. 54, de elect. Archidiaconatus, qui sane dignitas est, personatus vocatur. Ceterum in cap. 28, de præbend., ubi, postquam certa disciplina de dignitatibus constituta est, subjicitur illud ipsum *et in personatibus esse observandum*, perspicue insinuatur, personatum a dignitate distingui. Nec præterea ignoro, ex variis diœceseon consuetudinibus factum fuisse, ut dictis nominibus alia inderetur significatio, et qui in personatu tantum esset, in dignitate constitutus diceretur. At quid mores recepti hac in parte non operantur? Si enim dignitates, quæ ab initio jurisdictionem adnexam habebant, adhuc nomen dignitatis retinuerunt, postquam jurisdictione exutæ sunt, cur non potuerint personatus adquirere nomen dignitatis, etiamsi nunquam adnexam jurisdictionem habuerint? Qui de vocabulo personatus movere controversiam velit, adeat Du-Cange in glossario verbo *personatus*. Tantum ego dico, vetustissimam esse phrasim, qua qui certam auctoritatem explicat, *personam* habere dicitur: sic in l. 3, cod. Theodos. de maternis bonis, dicitur pater *sibi in rebus filiorum vindicare personam*. Officium appellatur munus quoddam singulare clerico impositum sine jurisdictione, item sine præstantia loci vel sedis, quemadmodum ut plurimum contingit in scholasteria, in magisterio, in pœnitentiaria, et similibus. Simplici canonicatu illi potiti dicuntur, quibus sine ulla jurisdictione, et sine ulla præstantia loci commune cum ceteris capitulo adscriptis officium est.

Sunt hæc generalia, a quibus si gradum faciamus ad singula, notare debemus, ea omnia munera, quæ a simplici canonicatu in cathedrali, vel collegiata ecclesia distinguuntur, et constituunt vel dignitatem, vel personatum, vel officium singulare, ut plurimum sequentibus nominibus donari. Videlicet sunt, præpositura, seu præpositatus, decanatus, abbatia, prioratus, archipresbyteratus, archidiaconatus, thesauraria, officia custodis et sacristæ, primiceriatus, cancellaria, cantoria, præcentoria, succentoria, pœnitentiaria, theologalis, magisterium, scholasteria et plebania. Sane non omnes hujusmodi dignitates, ordinesve apud singulas ecclesias cathedrales, aut collegiales invaluerunt, sed pro diversis civitatum, aut locorum institutis modo unum, aliud modo ex his beneficiis, modo plura erecta intuemur; imo etiam alicubi miramur, unum gradum subjacere illi, qui alibi eidem, aut etiam omnibus subest. Sic, ut exemplum tradam, archidiaconatus, qui illic primum obtineat locum, istic secundum obtinebit, alibi etiam inter dignitates, officiave postremum; hac enim in re potissima habenda est ratio consuetudinum, quæ singulis in provinciis obtinent, argumento cap. 6, de consuetud. Juvat hoc in loco singulorum brevem notionem effingere, ut facilius et accuratius beneficia a beneficiis discriminemur.

Cum primum clerici in cathedralibus ecclesiis vitam communem inire cœperunt, quædam inductæ fuerunt dignitates, nimirum præpositura, seu præpositatus, vel decanatus, vel abbatia, vel prioratus (idem dicas velim de ecclesiis collegiatis). Revera domestica, et pene familiaris clericorum vita postulabat, ut ipsi intra domesticos muros, et extra locum Deo sacrum alicujus regimini subjicerentur; quin ad hoc regimen adsumerentur dignitates institutæ caussa divinorum ministeriorum, aut caussa peculii administrandi, vel partiendi. Hunc, qui domestico cætui præficeretur, præpositum appellaverunt, quasi eum, qui aliis præponeretur, cap. 9, de verb. signific., juncta l. 8, cod. de diversis officiis, et leg. 1, cod. de præpositis laborum, derivato vocabulo ab antiquis monachis, qui præpositum etiam nuncupabant eum, qui in vita monastica dirigenda sibi præfectus esset, quemadmodum passim liquet ex regula S. Basilii. Hinc præpositus collegio præerat, ubi de negotio ad totius collegii jura spectante ageretur, quemadmodum in electione episcoporum, aut canonicorum, uti liquet ex inscriptionibus capituli 4, de postulat. Prælat., cap. 46, de testibus, cap. 4, et ult. de concess. præb., ut alia omittam bene multa. In his adjunctis decebat etiam maxime, ut præpositus certam in ecclesia nobilem sedem haberet, sive prima illa esset, sive paullo inferior, dummodo ejusdem quædam singularis ratio haberetur. Dissociata vitæ communione, adhuc quædam præpositorum jura remanserunt in convocando capitulo, et in præsidendo canonicorum cœtui, quoties collegii jura tuenda essent, aut vindicanda, aut exercenda; unde adhuc præpositorum dignitas remanere debuit, quamquam variis obnoxia vicibus pro locorum ac temporum varietate. A præpositura non videtur differre decanatus, nisi nomine tenus; ubi enim canonici præposito subjecti decem numerabantur, qui præerat, non præpositus, sed decanus audivit, derivato vocabulo ex militaribus ordinibus, apud quos qui decem militibus imperabat, decanus dicebatur, teste Isidoro lib. 3, originum c. 3. Id potissimum in usu fuit in Gallia, in Hispania, in Lusitania, in quibus provinciis decanus tanquam capituli princeps habetur, et passim liquet ex inscriptione cap. 2, de translat. episc. item ex cap. 8, de rescript. cap. 7, vers. *inferiora* de elect. cap. 1, de ætate et qualit. præfic., cap. 46, de appellation., et cap. 7, de concession. præbend., quibus in monumentis decanus veluti princeps, aut saltem inter principes totius capituli exhibetur. Hodie autem nihil refert, an sub decano decem ex canonicis Ecclesiæ serviant, an plures numero, vel pauciores; siquidem ubi primum instituta collegia sunt, apta usurpata sunt nomina, quæ retenta adhuc fuerunt adaucto, vel imminuto canonicorum numero, imo deinde obtinuit, ut non observato canonicorum numero et præpositi, et decani nomina promiscue acciperentur; alicubi etiam eo itum est, ut et decanatus et præposituræ tanquam duæ discretæ dignitates in eadem ecclesia instituerentur, non quidem ad distinctionem officiorum, sed ad eum finem, ut adaucto dignitatum numero, quoddam majus certæ ecclesiæ decus, majestas et ornamentum accederet. Abbatia, et prioratus ex eo cœperunt inter collegiales dignitates recenseri, aut quod monasteria in ecclesiis erigi cœperunt, et cathedrales ecclesiæ administrandæ commissæ fuerunt monachis sub episcopo deservituris, quemadmodum fama est, Gregorium Magnum instituisse ecclesiam anglicanam, ad quam misit Augustinum episcopum, qui una cum monachis clericali ordine initiatis sacra faceret universa; aut quod monasteria in ecclesias fuere conversa, et sæcularibus clericis adsignata, ut in specie capituli 3, de relig. domib., cap. 11, de vita, et honest. cleric., et cap. 27, de elect. Quum enim in monasteriis et abbatum dignitates, et priorum officia potiora haberentur, post, immutationem eadem nomina, eadem etiam præstantia ad clericos Ecclesiæ eidem addictos pertinuerunt. Sic in cap. 3, de renunciat. legimus abbatem sæculari ecclesiæ præfectum cum auctoritate canonicos recipiendi, eadem ferme ratione, qua ad abbates monasteriorum spectat monachorum admissio. Sic in cap. 1, de ætate, et qualit præfic. Ab-

bates una cum decanis, et præpositis capitulorum accensentur, quasi sub iis esset istorum omnium ratio. Priorum autem veluti capituli principum mentio fit in dicto cap. 27, de elect. et in cap. 1, de eo, qui mitt. in possess. Neque dubito, quin in eisdem Ecclesiis aliquando instituti fuerint et abbates, et priores, ita ut prior sub abbate collegium regeret, uti contigit in monasteriis majoribus, argumento cap. 6, de statu monachor. Qui plura in hanc rem desiderat, adire poterit Fabricium in tit. de minoribus, et majoribus beneficiis num. 57.

Alia ratio fuit erectionis duarum dignitatum, quæ et celebratissimæ sunt, et in una quaque fere cathedrali ecclesia receptæ, videlicet archipresbyteratus, et archidiaconatus, ideo instituti, quod episcopo gravissimis aliquando negotiis impedito distentove, aut infirmitate laboranti subsidium, sive vicaria quædam opera præstanda merito videbatur, quod etiam frequentius factum dignoscitur post sæculum ecclesiæ nonum, quum nimirum civitatensium chorepiscoporum officia sublata fuerunt. Quum enim episcopi duplici cura gravarentur, priore in spiritualibus ecclesiæ negotiis, posteriore in rebus ecclesiæ temporalibus, duos sibi vicarios constituerunt, unum de presbyteris selectum, quem archipresbyterum, alterum selectum e diaconis, quem archidiaconum nominarunt; illum spiritualibus, hunc temporalibus ecclesiæ rebus præfectum. Hinc est, quod episcopo impedito archipresbyter ad provinciale concilium accedere jussus aliquando fuerit, can. 5, concilii emeritensis anni 666, sacra mysteria celebrare, et populo solemniter benedicere consueverit, can. 1, vers. *archipresbyter* dist. 25, cap. 1, et toto titulo de off. archipresby. Archidiaconus autem dicatur vicarius episcopi in bonis ecclesiæ, et obventionibus administrandis, in possessionem beneficialium prædiorum mittat, dicto can. 1, dist. 25, vers. *ad archidiaconum*, cap. 1, et passim de offic. archid. juncto can. 24, dist. 93. Quoties isthæc accurate perpendantur, satisfieri facile potest vulgari quæstioni, utra dignitas jure communi præstantior sit habenda. Cum enim de duobus episcopi ejusdem vicariis agatur in diverso officio, et ordine constitutis, conferendus sane erit cum ordine ordo, et cum officio officium; eamque ob rem tanto præstantior adparebit archipresbyteratus archidiaconatu, quanto dignior est præsbyterorum ordo ac officium ordine ac officio diaconorum. Ex antiquis hunc ordinem servavit Hieronymus, qui in epistola ad Rusticum memorans præstantiam dignitatum quarundam ecclesiasticarum, primo loco episcopos, deinde archipresbyteros, postremo archidiaconos recensuit, can. 41, cau. 7, qu. 1, ibi, *singuli ecclesiarum episcopi, singuli archipresbyteri, singuli archidiaconi.* Ex recentioribus laudare possum auctorem libri diurni romanorum pontificum, in quo archipresbyteri exhibentur primum locum tenuisse supra archidiaconos. Sic in cap. 2, tit. 1, in formula nunciandi exarcho romani antistitis obitum, primo subscribit archipresbyter, deinde archidiaconus, tertio primicerius notariorum, qui dicuntur *servantes locum sanctæ sedis apostolicæ*, scilicet eadem sede vacante. Similia leguntur in tit. 5, in formula epistolæ, quæ scribi solebat ad archiepiscopum ravennatensem, dum certior redderetur de pontificis maximi electione. Idipsum in tit. 6, in epistola eadem de caussa scribenda ad Judices Ravennæ, et in tit. 7, in epistola simili ad apocrisiarum Ravennæ.

Perspicua hæc essent, nisi hanc traditionem turbarent aliqua monumenta, quæ extant sive apud Gratianum, sive apud Gregorium IX. In primis in can. 1, vers. *archipresbyter* dist. 25, legitur, archipresbyterum obedire oportere *præceptis archidiaconi, sicut episcopi sui.* Deinde in cap. 1, de offic. archidiac. adparet, archidiaconum esse vicarium episcopi *in omnibus, et omnem curam in clero tam in urbe positorum, quam eorum, qui per parœcias habitant,* exercere. Insuper in c. 7, eod. tit. Innocentius III, ait, archidiaconum secundum statuta B. Isidori *parochiarum sollicitudinem et ordinationem habere,* archipresbyteros *ejus jurisdictioni subjacere*, imo et multa adjicit juxta constitutionem romani ordinis, juxta epistolam Clementis papæ, atque juxta suam alias editam definitionem, ex quibus omnibus colligitur, magnam fuisse archidiaconorum auctoritatem. Præterea in cap. 1, de offic. archipresb. traditur, archipresbyterum debere *obedire præceptis archidiaconi, sicut episcopi sui,* item *archidiacono subesse.* Denique in cap. 1, de offic. Primicer. dicitur, archipresbyterum, æque ac primicerium archidiacono subesse. Sunt adhibendæ in hæc omnia monumenta singulares quædam notæ. Atque in primis generaliter observandum est, olim, si diaconi pretextu administrationis peculii ecclesiastici plurimum supra presbyteros ambiebant, quam ob caussam debuerunt ab ecclesiasticis patribus coerceri, quemadmodum liquet ex tota fere dist. 93, archidiaconos maximam sibi prærogativam vindicavisse. Id eveniebat in cathedralibus ecclesiis, in quibis archidiaconi peculium ecclesiasticum dividebant non solum inter minores, sed etiam inter majores clericos, ac presbyteros, imo et ipsi portionem episcopo debitam episcopo tribuebant. In hac administratione bonorum archidiacono relicta, quis humanarum rerum apprime conscius non suspicetur, quantum sibi usu veluti capere archidiaconi potuerint? Res primum eo alicubi devenit, ut nemo in presbyterum ordinaretur, nisi consensu archidiaconi, quasi ad archidiaconum pertineret consideratis ecclesiæ redditibus proponere, ut

augeretur numerus ministrorum, vel deficientibus aliquibus administris, alii surrogarentur. Quæ consuetudo non placuit Hieronymo utut invecta in romanam ecclesiam, uti liquet ex can. 24, vers. *Sed dicis* dist. 93. Inde eousque itum est, ut archidiaconi pretextu immissionis in bonorum ecclesiasticorum possessionem beneficia conferrent, etiam exclusis episcopis, præsertim ubi divisa fuit collatio beneficiorum a collatione ordinum, unde multa discidia inter episcopos et archidiaconos profluxerunt. His accessit, archidiaconos frequens abscedere a cathedrali ecclesia consuevisse, ut prœdia cathedralis ecclesiæ collustrarent in vicis, et pagis constituta, item ut obventiones cathedrali ecclesiæ debitas derivarent a parochis villarum et pagorum. Hac occasione episcopi mandabant archidiaconis, ut parochias visitarent, parochos, ipsosque etiam rusticanos archipresbyteros inviserent, atque, ubi isti non rite suo munere fungerentur, eosdem monerent, coercerent, atque punirent. Quis non videt, in his adjunctis archidiacono supra archipresbyteros cathedralis ecclesiæ, aut certe supra archipresbyteros rusticanos certam jurisdictionem explicare cœpisse, unde etiam præstantiorem se dignitatem habere gloriati sunt? Nunc intelligitur, quo spectant dia omnia, quæ de officio, et dignitate archidiaconorum sub Isidori nomine traduntur in dicto can. 1, dist. 25. Aut enim de archipresbyterorum ruralium erga archidiaconos obedientia ea intelligenda sunt, aut de extraordinariis mandatis ab episcopo datis archidiacono, ex quibus archidiaconus quædam singularia præter ingenitum officium exercebat, aut de singularibus quorundam archidiaconorum moribus, unde singularis consuetudo certa jura tribuere potuit archidiaconis in certis ecclesiis, ad quas illud Isidori monumentum spectat. At enim cur Isidorum memoro? Jamdiu romani correctores ad dictum canonem 1, observaverunt, corruptum esse illud monumentum; ac desiderari in nonnullis codicibus, quæ ibidem traduntur de archipresbyterorum erga archidiaconos obedientia. Ego insuper in meis lucubrationibus in Gratianum tradidi, epistolam illam falso fuisse Isidoro hispalensi tributam. Quod si accedamus ad capitulum 1, de offic. archidiac. observavit jam Antonius Augustinus in notis ad cap. 2, eod. tit. in 1, collect. et post eum Fagnanus ad dictum cap. 1, ea verba in libro romani ordinis desiderari, et quamquam forte aliquis in eo fragmento velit consistere, adhuc poterit dicere, archidiaconum haberi vicarium episcopi non quidem in omnibus generaliter ecclesiæ negotiis, sed in omnibus, quæ temporalium bonorum curam spectant, nisi malit observare, compilatorem illius monumenti in certis factorum adjunctis ad singulares suæ diœcesis consuetudines respexisse. Multa quoque traduntur ab Innocentio III, in cap. 7, de offic. archid. sed qui innocentianum rescriptum considerat, percipit illico, nihil fuisse ab Innocentio definitum, sed tantum proposita quædam ex variis monumentis sine discrimine deprompta, quibus intelligeret, qui pontificem interrogaverat, potius in ea re receptæ consuetudini, quam juri scripto esse parendum. Revera initio traditur, quod sub nomine Isidori hispalensis legitur apud Gratianum in dicto canone 1, dist. 25, deinde subjicitur, quod ex romano ordine derivatum dicitur in dicto cap. 1, de offic. archid. cujus monumenti qualis sit auctoritas, modo indicabam. Adjicitur post hæc, quod sub nomine Clementis papæ traditum fuit in can. 6. dist. 93, cui fragmento qualis habenda sit fides, indicavi in meis adnotationibus in Gratianum. Denique concludit Innocentius indicando *quandam* suam constitutionem, quæ ex judicio Fagnani in notis ad dictum capitulum non alia est, quam capitulum 9, eod. tit. Quis diceret in conspectu horum omnium, certam fuisse traditam disciplinam ab Innocentio? Adde mentionem, quæ ibidem fit de archipresbyteris, non factam intelligi de civitatensibus, sed de ruralibus archipresbyteris, in quos extra ordinem ex mandatis episcopalibus archidiaconi potestatem quandam exercebant, quemadmodum indicant ea verba: *Archipresbyteri, qui a plebibus decani nuncupantur*, et *decani rurales*. Monit quoque Fagnanus ad capitulum 1, de offic. archipresbyt. non reperiri istud in aliquo ex conciliis toletanis, quamquam sub nomine toletani concilii exhibeatur. Si conferatur hoc caput cum dicto canone 1, dist. 25, vers. *arcipresbyter vero*, liquet statim, illud a veteribus fuisse S. Isidoro tributum, quamquam apud Isidorum non reperiri, testatus est Garzias Loaisa accuratissimus investigator monumentorum hispanicorum. Burchardus epistolam ipsam Isidoro adscriptam retulit in lib. 3, cap. 50, omisso sane eo versiculo, quem tamen addidit Ivo Carnotensis in parte 6, cap. 20. Denique non est major auctoritas capituli un. de offic. primicer. in quo describendo Raymundus Pennafortensis fides secutus est collectionis primæ decretalium in cap. un. eod. ubi etiam idem monumentum depravatum sane refertur ibi: *item ex concilio romani ordinis: ut primicerius sciat se esse sub archidiacono sicut et archipresbyterum ad ejus curam specialiter pertinere etc.* Ex his omnibus concluditur, non satis apte propositam disputationem enodatum iri ab iis, qui non melioribus monumentis utantur; tum demum autem recte de archipresbyterorum dignitate, et præstantia sapere eum, qui cuncta exigere noverit ad germanam illius indolem, ac naturam atque ad traditiones Patrum, quibus illud officium inter præstantiora sine ullo discrimine recensebatur; quamquam si hodierni mores

attendantur, longe diversi sint in unaquaque ecclesia cathedrali, etenim in pluribus archidiaconis, præsertim ubi ad idem munus electi presbyteratus ordine insigniri cœperunt, ad eminentiorem gradum evecti fuerunt. At vero quid non est in hac materie consuetudinibus indulgendum, quousque recta sacrorum officiorum ratio, et distributio patiatur? præsertim quod hodie sive archipresbyterorum, sive archidiaconorum jurisdictio aut extincta potius, aut plurimum imminuta deprehenditur ita, ut vix veteris illius auctoritatis et quidem tenuissima supersint vestigia, quæ potius ex uniuscujusque cathedralis ecclesiæ statutis erueres, quam ex generalibus communis juris regulis definires.

Nondum recedo ab archidiaconorum officio, et dignitate; ab eo enim sejungi minime possunt aut thesauraria, aut officia custodis, ac sacristæ, aut primiceriatus. Revera quando diaconorum officium spectabat quidem res ecclesiæ temporales inter clericos, ceterasque pias caussas impendendas, ac partitione facta redditusum tribuendas, adhuc tamen sacras presbyterorum functiones, ac divina ministeria adjuvabat, unde munus illud non mere profanum diceretur: ex diaconis erant nonnulli, qui vacabant percipiendis, curandisve redditibus ecclesiarum, erant etiam nonnulli, qui in ecclesia ministrabant in sacris rebus, nisi dicere malis omnes utrique parti, prout res incideret, satisfecisse. Omnibus archidiaconus præerat, cujus mandato unusquisque muneri incumbebat. Sed quando archidiaconus variis extra ordinem delegationibus episcopi suigravabatur unde lustraret identidem diœcesim, jurgiaque clericorum audiret, ac dirimeret, postulavit utilitas ecclesiarum, ut quidam archidiacono adjutores accederent, et quemadmodum in cura domestica et familiari collegii clericalis constituti sunt œconomi in adjutorium archidiaconorum, similiter instituti fuere in ecclesia cathedrali thesaurarii, sacristæ, custodes, et primicerii. Thesaurarium spectavit cura incensi, et luminum ad sacrificia, item cura baptisterii ordinandi, atque olei ad consecrationem præparandi uti traditur in can. 1, § ult. dist. 25, appellatus autem fuit thesaurarius, propterea quod archidiaconus, qui universos ecclesiasticos redditus administrabat, partem thesaurario conferre debebat in commemoratos Ecclesiæ usus impendendam, ne forte absente archidiacono quidquam necessitatibus Ecclesiarum deesset. Thesaurario deinde accesserunt, quasi coadjutores in subsidium archidiaconi, sacrista, et custos, hoc inter utrumque intercedente discrimine, quod sacrista universam ecclesiæ suppellectilem curaret, cap. 1, de offic. sacristæ; custos vero ea tantum, quæ ad usum quotidianum necessaria erant, cap. 1 et 2, de offic. custodis. Hinc intelligimus, sive thesaurarium, sive sacristam, sive custodem fuisse subjectos jurisdictioni archidiaconi, et ab illius jussibus pependisse, quamquam forte non nudum officium gerere, sed dignitatem habere viderentur, ubi illi in inferiores administros certam jurisdictionem explicarent. Erat altera diaconorum pars, quæ describendis ecclesiæ actis, item curandis libris ad divina officia necessariis addicebatur; atque ii appellabantur diaconi notarii, ad quos spectabat memoriæ commendare acta conciliorum, martyrum, ac confessorum gesta, item conscribere missales, rituales, antiphonarios, ceterosque libros ad usus psallentium. His omnibus vice archidiaconi primicerius præficiebatur, qui sane si certam in notarios jurisdictionem exercebat, et ipse in dignitate constitutus censebatur. Neque vero reor, aliter intelligi posse verba capituli unici de offic. primicerii ibi: *ut Primicerius præsit in docendo diaconis, vel reliquis gradibus ecclesiasticis in ordine positis, ut ipse disciplinæ, et custodiæ insistat... et ut ipse diaconis donet lectiones, quæ ad nocturna officia clericorum pertinent etc.* si enim hæc verba non ad notarios ecclesiasticos referas, facile erit, ut primiceriatum cum magisterio, aut cum archidiaconatu confundas, argumento c. 1, de magistris, et c. 2, de offic. archidiac. Nonnulli ex recentioribus interpretibus graviter in hac re erraverunt; cum enim notariorum disciplina in ecclesiis exoleverit, et primiceriorum dignitates nomine tenus superfuerint, parum curiosi in investigandis ecclesiæ antiquitatibus, et origine munerum, primicerium esse dixerunt eum, qui esset primus in clero, vel qui primus describeretur in cera, seu tabella cera linita, seu quod idem esset, in elencho clericorum cathedrali ecclesiæ adscriptorum. Isti sane primicerium cum præposito, vel decano, cum abbate, vel priore confunderunt. Alii dixerunt primicerium ita dictum, quasi primum cantorem: sed iterum isti primiceriatum a cantoria minime distinxerunt, præterquamquod longe nimis derivationem illius nominis repetierunt. Non memoro, quid alii dixerint parum apte, quasi primicerius primus esset, qui primus cereum in quibusdam solemnitatibus deferret; hæ enim aut similes observationes relinquendæ sunt illis, qui ex eo ipso nomine deduxerunt, candelam primo loco dandam esse primicerio episcopali manu in festo Purificationis B. Mariæ. Ego sane certo scio, primicerium a præposito vel decano, ab abbate vel priore, a magisterio vel scholastico fuisse distinctum: scio insuper pependisse ab archidiacono, unde ejus officium ad diaconalia pertinebat: scio præterea fuisse certam in ecclesia diaconorum classem, qui notarii dicebantur. Et quando his apud Græcos præesse dicebatur aut logotheta, aut chartophilax, apud Latinos non alium præfectum fuisse, quam primicerium infero; quando nulla alia dignitas ad hunc finem instituta præferri

potest, et non ad alium finem instituta dici valet dignitas primiceriorum. Neque in hanc rem desunt vetera ecclesiarum monumenta, quando in vetere libro diurno romanorum pontificum non semel memoratur *Primicerius notariorum*, quasi dignitatem in romana ecclesia gerens, imo et in officiis civilibus romani imperii quorum exempla multa officia ecclesiastica suis nominibus designata sunt, memorantur primicerii notariorum, ut in l. 14, cod. theodos. de senator. imo extat in eodem codice theodosiano titulus *de primicerio et notariis* lib. 6, tit. 10. Derivatum est nomen illud a voce latina *primus*, et voce græca *Cheir Cheiros*, quæ significat manum, quasi primicerius diceretur prima manus in scribendo, sive ea omnia exarando, quæ commendanda literis forent. Non inficior, aliquando primicerium, sicut et secundicerium appellatum fuisse inter imperii dignitates eum, qui in copiis militaribus spectabilem locum haberet, quemadmodum deduci posset ex l. ult. cod. de domestic. et protector. Et his viris ea notatio nominis conveniebat, quasi prima vel secunda essent armata manus. At quod attinet ad rem propositam, sufficit observare, aliquando, imo et frequentius primicerium appellatum fuisse, qui inter notarios spectabilem dignitatem nactus fuisset, unde et in codice justinianeo etiam extat in lib. 12, tit. 7, titulus ita inscriptus *de primicerio, et secundicerio, et notariis*. Meum non est, hac in re accuratius expendere, quænam essent primiceriorum officia singularia apud veteres in aula principum, et in quot veluti gradus distinguerentur. Id jam persecuti abunde sunt viri eruditi in romanarum dignitatum disciplina. Tantum dixisse sufficiat, exemplo civilium primiceriorum etiam primicerios in ecclesiam invectos esse, qui diaconis notariis præessent, et quando diaconi notarii archidiacono suberant, veluti principi suo, primicerios ipsos archidiacono etiam fuisse subjectos, veluti vicarios illi, a cujus mandato penderent.

Cancellaria, quæ in pluribus cathedralibus, ecclesiis instituta deprehenditur, quamquam analogiam quandam habeat ad officia cancellariorum in aulis principum, aut etiam in romana curia designata, non tamen inter dignitates cathedralium ecclesiarum recensetur, sed potius inter officia, nisi consuetudine, vel statutis receptum sit, ut cancellarius vel personatum gerat, vel etiam certas jurisdictionis species explicet, ex quo dignitatem adeptus esse credatur, argumento capituli 9, de offic. archidiac. In aulis principum cancellarius munus habere consuevit, quo ipse reciperet libellos supplices principi offerendos, ipse in ea parte consilium principi suppeditaret, et responsa principis ederet, ac signaret. Tanta eam ob caussam erat apud ipsum populi frequentia, ut intra certos cancellos sederet, ne numero convenientium obrueretur, unde cancellarius dictus est. Suam quoque cancellariam habuerunt romani pontifices, cujus mentio fit in cap. 10, de rescriptis, et qui erant in romana ecclesia cancellarii, magnam in illa auctoritatem habebant, utpote a quibus plurimum pendebant rescripta, et gratiæ universæ a pontificibus max. concedendæ. Hinc magni nominis viri ad illud gerendum munus advocabantur, qui et facile deinde vacante sede ad pontificatum maximum evehebantur. Id adeo verum est, ut cancellarii quandoque ambitu elati se pontifici ipsi max. pene compararent, unde salubriter jamdiu cautum est, ut nemo amplius cancellarius in romana ecclesia existeret, retento tantum officio, illi demandato, qui non cancellarius, sed vicecancellarius appellaretur. In cathedralibus inferioribus ecclesiis suus quoque cancellarius fuit, ad quem, ut puto, olim pertinebat exarare, ac concipere formatas literas, quarum mentio fit in can. 1, dist. 73, et quando clerici universi una cum episcopo communem vitam ducebant, cancellarius acta totius collegii clericalis, et episcopi consignabat, atque etiam sigillo firmabat. Ubi vero episcopi a communi vita recesserunt, et mensam separatam habuerunt, imo et plura sine capituli consilio, vel consensu gesserunt, alium sibi singularem cancellarium designarunt, remanente penes capitulum clerico, seu canonico cancellario, ad quem sigilli capitularis custodia pertineret, item pertineret acta capituli subsignare, ne de actorum eorundem fide atque integritate ulla esse posset dubitatio.

Antiquissimus est in ecclesia psallendi usus, quem a vetere synagoga derivatum fuisse scripsit Isidorus hispalensis in lib. 2, de offic. eccles. c. 12. Huic officio incumbebant clerici quidam selecti, quorum vox suavior esset, et quidem etiam sine episcopi jussione, sed præpositi cujusdam presbyteri, quem cantorem, sive cantui præfectum posterior ætas appellavit, can. 20, dist. 23, quod clarius explicavit idem Isidorus in dicto capite 12, his verbis: *Solent autem ad hoc officium etiam absque conscientia episcopi, sola jussione presbyteri eligi quinque, quos probabiles in cantandi arte esse constiterit.* Duo in hac re evitanda volebant veteres patres, et Isidorus eo in loco, et Hieronymus in can. 1, dist. 92. Primum erat, ne ii seligerentur cantores, qui vocem dissonam, aut alias ingratam exererent; alterum erat, ne plus æquo cantores a modulationis simplicitate deflecterent, musicamque aut theatralem artem in ecclesias inveherent. Gregorius Magnus agnoscens ætate sua occasione cantus sacros administros, sacerdotes nimirum, et diaconos, suaviori officio incumbere, atque admodum distrahi vel a prædicatione evangelica, vel ab altari, vetuit, ne diaconi eo officio fungerentur, illud relinquens

aut subdiaconis, aut minoribus clericis, quo spectat canon. 2, dist. 92. Hinc puto, accuratius selectos fuisse cantores, imo et institutam cantorum scholam, quibus præficiebatur cantor etiam cum dignitate, ut ipse in clericos illi officio addictos certam jurisdictionis speciem exerceret. Imo et cantoris dignitas inde tributa fuit in duas, præcentoriam, ac succentoriam. Cum enim in choro canentium numerus in duas classes dividatur, quarum prior psallentium est, posterior respondentium, illos præcentor regit, istos succentor.

Pœnitentiariæ institutio non est concilio tridentino vetustior; tum primum enim in illo decretum est, ut in omnibus cathedralibus ecclesiis, ubi id commode fieri posset, pœnitentiarius aliquis cum unione præbendæ proxime vacaturæ ab episcopo institueretur, qui magister esset vel doctor, aut licentiatus in theologia, vel jure canonico, et annorum quadraginta, seu alias qui aptior pro loci qualitate reperiretur, quique dum confessiones audiret, interim præsens in choro censeretur, ac propterea etiam distributiones quotidianas lucraretur, sess. 24, de ref. cap. 8. Ex constitutione Pauli V, anni 1615, nec non ex constitutione Gregorii XV, anni 1622. Pragmatici probant, non posse pœnitentiarium vel ordinarium esse, vel delegatum appellationum judicem, ne fortassis ex utriusque tum interni, tum externi fori commixtione suspectum vel judicis, vel confessarii munus aliquibus videatur. Inter ea hac occasione adnotare juvat, quam falsa sit in conspectu hujus disciplinæ opinio illorum, qui dignitatem tum demum vocant, quando qui beneficium possidet, ad lites dirimendas delegari potest, aut solet. Quis enim ignorat, non deesse alicubi pœnitentiariæ munera, quæ pro dignitatibus habentur, licet ipsis nunquam jurisdictio ex delegationibus accedat? In conspectu memorati tridentini decreti tria quæri possunt. Primum spectat officium pœnitentiarii semel instituti. Alterum spectat ipsam pœnitentiariæ institutionem, postremum spectat præbendæ unionem. Ubi semel pœnitentiarius institutus est, habet ille facultatem abs jure communi excipiendi confessiones fidelium, et absolvendi a peccatis, quin requiratur specialis delegatio episcopi, propter eaquod id ordinario jure officio pœnitentiarii cohæret. Non tamen sine expressa episcopi concessione poterit pœnitentiarius absolvere a casibus episcopo reservatis. Si de pœnitentiarii institutione quæratur, ipsa pœnitentiaria instituenda est, atque erigenda episcopali auctoritate, uti demonstrant ipsa verba trid. concilii, eamque ob rem capitulum sede vacante id peragere minime poterit. Id adeo verum est, ut nec episcopus teneatur ad eum finem exposcere consilium capituli; agitur enim de ea re, quæ nullam amplius deliberationem desiderat, postquam ex mandato tridentini concilii id agi ab episcopo necesse est; ne alias canonicis concedatur dispositionem tridentinam irritam facere. Neque opus fuit episcopus absoluto concilio expectare, donec præbenda quædam vacaret; siquidem voluit concilium, ut pœnitentiarius institueretur *cum unione præbendæ proxime vacaturæ*, quæ verba supponunt præbendam necdum vacantem. Quod si quæratur de adsignatione ipsa præbendæ, nulla dubitatio esse potest, quin, si præbenda ad collationem episcopi spectet, statim qui pœnitentiarius ab episcopo designatus est, præbendam obtineat ex vi unionis jam ab episcopo factæ. Quid tamen, si contingat, aut præbendæ collationem esse pontifici max. reservatam, aut ex statutis, vel moribus cathedrali ecclesiæ ad capitulum spectare? Plane, si verba concilii attendamus, imo et ejusdem mentem, quæ non alia fuit, quam ut quantocius pœnitentiarii officium in quacumque cathedrali ecclesia institueretur, neve pœnitentiarius designatus præbenda destitueretur, adsignanda est illi *præbenda proxime vacatura*, nec dubitandum est, quin decretum locum habeat sive in præbenda reservata, sive in præbenda ad capituli collationem spectante. Et quidem quod ad eas præbendas attinet, quæ conferri a canonicis solent, res semper fuit plana, et expedita, et statim ac auctoritate episcopi instituta est pœnitentiaria, ubi prima præbenda vacet, pœnitentiarii propria fit, quasi ipsius officio perpetuo unita, quamquam ne quidquam de capituli juribus imminuatur, nonnulli scripserint, præbendam ipsam esse a capitulo eidem pœnitentiario ab episcopo instituto conferendam, quod tamen mihi non admodum placet, cum agatur de unione perpetua, et de tali unione, per quam præbenda pœnitentiariæ accedat, et in ipsius officii pœnitentiariæ naturam transformetur; eamque ob rem si ex decreto concilii ab episcopo est pœnitentiarius instituendus, etiam ab episcopo conferri præbenda debet, ne beneficii collatio inter duos quoquo modo scindatur. Hinc etiam profluit, in iis cathedralibus, in quibus recepta est optio præbendarum, neminem ex canonicis posse præbendam semel pœnitentiariæ unitam optare, ne alias dicatur, unionem nunquam factam fuisse, aut unionem vagam esse, et indeterminatam, quasi pœnitentiarius modo unam præbendam, modo alteram nanciscatur. An e converso pœnitentiarius institutus, qui jam primam vacantem præbendam obtinuit, possit alteram deinde vacantem dimissa priore optare difficilius definiri potest. Etenim tridentinum concilium expresse ait, proxime vacaturam præbendam pœnitentiariæ uniendam esse, hæc autem unio videtur esse perpetua. At e contrario videri posset, tridentinos patres eam unionem præstituisse gratia potius pœnitentiarii, ne ipse diu sine præbenda maneat, proptereaque licere pœnitentiario aliam

optare, quoties quæ primo vacavit, tenuis admodum videretur, ne forte dicatur, gratiam tridentinam in damnum pœnitentiarii ejusdem torqueri. In hac dubitatione ego censerem, prudenter facturum episcopum, quoties in erectione pœnitentiariæ, adsignaret quidem pœnitentiario instituto proxime vacaturam præbendam, reservato jure gratia pœnitentiarii, ut ipse valeat meliorem optare, quoties altera inde vacaverit, donec tandem postremo loco optata remaneat veluti dos perpetua pœnitentiariæ, nullis amplius optionum vicissitudinibus obnoxia. De præbendis pontifici maximo reservatis aliud tradi a pragmaticis consuevit. Non diffitentur ipsi, reservationem non obesse unioni, quoties agatur de episcopo, qui statim absoluto concilio pœnitentiariam erexerit, et pœnitentiarium instituerit cum unione præbendæ proxime vacaturæ; id enim decreto tridentino penitus consonat. Sed observant, non adeo indulgendum esse episcopo, qui diu post tridentinum concilium devenerit ad pœnitentiariam erigendam, quasi dici nequeat *proxime vacatura* illa præbenda, quæ vacavit jamdiu post tridentinam constitutionem; inde adjiciunt, episcopum tamdiu differentem executionem tridentini decreti, de fraude suspectum esse, quasi præbendas suæ collationis ipse pro lubitu contulerit, pœnitentiario concesserit, quod alienæ, idest pontificiæ, collationis erat. Video ego, hæc ad duo summa capita redigi, quorum primum est germana interpretatio illorum verborum *proxime vacaturæ*; alterum est exclusio fraudis cujuscumque ab episcopo admittendæ. In primis interpretatio illorum verborum *proxime vacaturæ* non ea mihi esse videtur qualis affingitur; nam cum dicatur in concilio, institui debere pœnitentiarium cum unione præbendæ proxime vacaturæ, illa præbenda adsignanda est, quæ vacatura sit post pœnitentiarii institutionem, non vero quæ vacatura primum sit ab absolutione concilii: secus dicendum esset, etiam actum fuisse de institutione pœnitentiarii cum unione illius præbendæ, si forte præbenda vacasset statim post editum decretum, atque ante concilii finem: imo et episcopos intra certum tantum tempus concitatos fuisse ad erectionem pœnitentiariæ non illud onus perpetuo fuisse eisdem impositum, quod menti concilii repugnat. Deinde quod attinet ad evitandas antistitum fraudes, fateor, redarguendum illum episcopum fore, qui dum commode erigere pœnitentiariam potuisset, uniendo illi præbendam suæ collationis, tamdiu distulit erectionem, donec pontificiæ collationis præbenda vacaret, nec forte facile admittendam erectionem in fraudem factam; at quoties nulla sit fraus, quid oberit, quominus pœnitentiaria ea ratione erigatur? Quid enim, si usque ad vacationem præbendæ reservatæ alleget, ac probet episcopus, se nunquam devenire potuisse ad pœnitentiariæ erectionem? Quid, si erigat pœnitentiariam, antequam vacet præbenda, cum unione præbendæ proxime vacaturæ, quæcumque ista demum ex accidenti sit, sive pontificiæ, sive episcopalis collationis? In his, vel similibus speciebus, cum cesset et doli et fraudis suspicio, non est, cur factum improbetur, quando alias factum ipsum a concilio tridentino urgetur, nec præsumitur a pontificibus maximis decretorum tridentinorum vindicibus ac patronis damnandum. Ubi præsertim erectio ante vacationem fiat, cum unione præbendæ proxime vacaturæ, unio ipsa vacationem antevertit, proindeque etiam reservationem, et hanc ob rem unionis potius habenda ratio est quam reservationis.

Cum viri ecclesiastici populum debeant in fide, in religione, in universis evangelii regulis erudire, antiquissimus mos fuit in cœtibus clericorum, præsertim eorum, qui majores urbes incolerent, quo certi doctores, seu magistri præficerentur, quorum studio et opera instituerentur clerici inferiores, et in bonam munerum clericalium spem educarentur. Jam sua ætate doctores in ecclesia fuisse, S. Paulus in suis epistolis testificatur. Orientalis ecclesia, quam primum apostoli instituerunt, in hac parte emicuit prioribus sæculis; in ea enim schola designata fuit, quam catecheticam appellabant, atque hanc regebat circa annum 181. Pantænus siculus, qui, ut scripsit Photius, iis usus fuit magistris, qui apostolos viderant et audiverant. Post ipsum claruit in eo munere Clemens alexandrinus ejus discipulus, inde Origenes discipulus Clementis, qui, licet laicus, episcopo alexandrino jubente sub finem tertii sæculi sacras literas explanavit. Origeni successit Heraclas, aliique deinde numero plurimi. Memoro inter istos Cyrillum hierosolymitanum, et Gregorium nissænum, quorum primus catecheses ad illuminatos, alter sermones catecheticos edidit. Hæc caussa fuit, quare priore illa ætate multi ex occidentali ecclesia in orientem se conferrent, ut in sacris literis in orientali schola proficerent. Nondum tamen certa forma inita fuerat in methodo docendi, quæ esset scholasticæ rei accommodata. Primus certam methodum invexit Joannes Damascenus medio octavo sæculo, qui singulares edere cœpit tractationes, ut mysteria distingueret a mysteriis, ordinateque de singulis disputaret. Hinc libros edidit singulares de Deo Uno, et Trino, de Verbi Incarnatione, de Christo, de Sacramentis, de Lege Dei, et peccati. Ecquidem in latina ecclesia nonnullæ hujus generis institutiones editæ fuerunt a sanctis eruditisque viris, quales inter ceteros laudari possunt Hilarius Pictaviensis, Ambrosius, et Augustinus. At eorum lucubrationes potius tendebant ad confutandos hæreticos, et instituendum fidelem populum, qui lectione eorum librorum dele-

ctabatur, quam ad erudiendos veluti in gymnasium collectos clericos; unde nulla extat veterum scholarum in occidente institutarum memoria. Visa primum fuerunt hæc studia in ecclesiis institui temporibus Caroli Magni, instante præsertim Alcuino, ex quo tempore in clero scholæ erigi cœperunt, et commodius in monasteriis, imo et fama est, quasdam publicas academias ab eodem Carolo Magno erectas fuisse. In canone 3, concilii cabilonensis II, anni 813, statutum adparet, ut in singulis ecclesiis scholæ theologicæ instituerentur, quod et testatur factum fuisse Ansegisus nec non Jonas aurelianensis; quod et a conciliis probatum fuit, uti constat ex cap. 3, de vita et hon. cleric., et a pontificibus maximis Eugenio II et Leone IV, magis magisque insinuatum, uti legitur in can. 12, dist. 37. Sed paullo post refriguit scholasticorum ardor, et pene cessatum est a studio rerum sacrarum sub finem sæculi noni, toto etiam sæculo decimo, et magna in parte sæculi undecimi, donec clerus crassa ignoratione obrutus debuit iterum ad capessenda literarum studia concitari. Primus illa ætate volvere hoc saxum cœpit Lanfrancus cantuariensis, cui occasionem dederat Berengarius impia dogmata in vulgus effundens. Post Lanfrancum Petrus Abailardus libros proponere cœpit de Trinitate, de virtutibus theologicis, aliosque complures. Horum operum subsidio instructus Petrus Lombardus libros sententiarum elucubravit, eumque secuti sunt Alexander Alensis, Thomas Aquinas, Bonaventura, Albertus Magnus, aliique plures, quo tempore discreta fuerunt studia sacrorum canonum a studiis theologicis, imo et ipsa studia theologorum distrahi visa sunt, et reddi variis sectis obnoxia. Interea ut reviviscerent inter clericos sacræ literæ, caveri debuit in concilio lateranensi sub Innocentio III, ut saltem in metropolitanis ecclesiis ex præbendis canonicalibus una adsignaretur clerico, qui ceteros in bonam ecclesiæ spem educatos in sacra theologia erudiret; atque eam appellaverunt præbendam theologalem, quam qui obtinebat, non efficiebatur ex eo canonicus, sed tantummodo redditibus præbendæ potiebatur, donec in officio maneret, cap. 4, de magistris. Concilium basileense anni 1438, lateranensis canonis sanctionem ad singulas cathedrales ecclesias prorogavit, sess. 21, cap. 3, imo etiam adjecit, ut is, ad quem spectaret præbendas conferre, unam ex illis teneretur adsignare canonico, qui illud munus in cathedrali obiret. Sed cum basileensis canon non esset ubique receptus, non fuit ubique institutum hujusmodi officium apud canonicos, sed aliquibus in locis hoc munus canonicus suscepit, ex quo appellatus est canonicus theologus, sive præbendam obtinens theologalem; alicubi constituta quidem fuit præbenda gratia theologi, et clericos instituentis extra capitulum, præsertim quod in concilio tridentino nihil aliud inde statutum est, quam quod olim concilium lateranense decreverat. Sanctio tridentini concilii habetur in cap. 1, sess. 5, de reformat. Imo in aliquibus locis neque executioni demandata est conciliorum lateranensis et tridentini constitutio; aut etiam designati canonici theologi ab officio destiterunt, propterea quod in civitatibus collegia, atque universitates studiorum extra cathedrales ecclesias institutæ sunt, satisque visum est, clericos, studiorum sacrorum gratia ad eadem collegia, et universitates mitti. Eadem fere dici possunt de magisterio, et scholasteria, quæ sane nomina unum idemque canonici officium significare videntur, illius scilicet, qui præficitur erudiendis adolescentibus clericis in arte grammatica, ceterisque inferioribus disciplinis, cap. 22, de rescriptis, cap. 67, de appellat. Hos sane munus statim canonicorum proprium factum est, ubi ipsi vitam communem duxerunt. Discissa communione negligi a canonicis officium idem visum est. Quamobrem in concilio lateranensi memorato statutum fuit, ut magister, vel scholasticus in unaquaque cathedrali, et in aliis ecclesiis, quarum facultates sufficerent, constitueretur, ipsi adsignata præbenda, vel beneficio, quin tamen opus esset, eum inter canonicos adnumerari, cap. 4, de magistris; atque idipsum fere renovatum est in concilio tridentino, dicta sess. 5, cap. 1, de ref., quæ decreta ubique fortassis executioni demandata hodie dignosceremus, si frequens collegiorum institutio, in quibus minores disciplinæ etiam juxta mentem concilii traderentur, supervacaneam fere canonicorum, aut illorum, qui a canonicis designarentur, operam non demonstrasset.

Denique plebania aliquando connumerari videtur inter personatus cathedralium ecclesiarum, uti in cap. ultim. ne clerici, vel monachi. Ceterum ut plurimum dicitur plebania parochiale beneficium in villulis et pagis erectum, quasi cura animarum in plebibus. Quoties igitur plebanus aut in collegiis, aut in capitulis cathedralibus extat, ejus nomine intelligemus eum, qui curam gerat animarum vel actu solum, uti loquuntur nostri, remanente habituali cura penes capitulum, vel collegium; vel etiam habitu, ubi cura animarum ad capitulum, vel collegium minime pertinet, cui sane officio si et jurisdictio quædam adhæreat, nihil prohibebit, quominus etiam plebania possit collegii dignitatibus accenseri.

OBSERVATIO II.

De Beneficiis Regularibus.

Huc referri potest titulus 37, lib. 3.

Multa a monachis ad clericos, a monasteriis ad ecclesias derivata fuerunt, quemadmodum notandum fuit in præcedente observatione. Multa etiam e converso a clericis ad monachos, ab ecclesiis ad monasteria traducta sunt, uti modo adparebit, cum natura, et ratio regularium beneficiorum expenditur. Apud veteres monachos, quemadmodum et hodie apud plures regulares usuvenit, constituta semper fuerunt monastica officia ab aliquibus selectis monachis necessario obeunda, quæ in administratione bonorum ad monasteria pertinentium consistunt. De cœnobitis loquor, sive de monachis communem vitam ducentibus, ex quibus unus, vel plures bonis cœnobii quibuscumque admnistrandis præficiendi fuerunt. Atque in hac parte æquabilis erat ratio in cœnobiis, atque in cathedralibus ecclesiis, quousque in istis fuit vita communis clericorum, et bona ecclesiæ œconomis, sive diaconis commissa, quorum opera singulorum, et collegii commodis consuleretur. Porro monachi illi bonorum curatores, quousque pristinus in res divinas fervor acerrimus perseveravit, ægre admodum ad illa peragenda officia deveniebant, nisi quod exhibita superiori obedientia viris singulari demissione animi commendabilibus rei gerendæ acerbitatem temperabat. Sed ubi adauctis in dies monasteriorum redditibus nonnulli solitariæ vitæ tædio affici cœperunt, rati posse se sine fraude monasticæ professionis pretextu monastici hujus generis officii frui cultu lautioris vitæ, ad ministeria illa capessenda impenso studio inhiarunt. Væ autem homini, si gliscenti minus rectæ adfectioni indulgere incipiat; paullatim enim inde graviora emergunt, et pullulant, utinam non lethale vulnus infligant! Qui curandis monasterii bonis inhiarunt, cum privatim delicatam vitam ducerent, tum de sodalibus in solitaria vita degentibus, et procul a terrenis curis orationi vacantibus parum solliciti esse cœperunt; imo et cum iidem privata peculia sibi constituerunt, tum sodalibus in solitudine, et oratione consistentibus occasionem et exemplum præbuerunt, privata et singularia peculia sibi parandi, quibus dum curatores deessent, sibi consulerent. Eo alicubi redacta res fuit, ut transactione opus esset inter monachos administratores, et monachos ceteros, nimirum adsignarentur administratoribus certa bona, quibus iidem pro arbitrio uterentur instar beneficii ecclesiastici, dummodo a ceteris favore reliquorum monachorum reservatis penitus abstinerent; atque hac in re similis quædam tributio facta est, qualis in cathedralibus ecclesiis inter majores administros, et collegia clericorum. En sinceram beneficiorum omnium regularium (si quædam excipias singulari jure instituta) originem, indolem ac naturam, quæ primum apud monachos obtinuerunt, ad clericos deinde regulares eadem ratione facile traducta, quæ et hodie in aliquibus sive monasteriis, sive collegiis clericorum regularibus locum habent.

Dixi, excipienda esse beneficia quædam singulari jure instituta. Etenim in primis, postquam monachi sacris ordinibus initiari cœperunt, et certas publicas ecclesias adnexas monasteria habuerunt, demonstrari possunt aliqua beneficia ex fundatorum voluntate ita monasteriis, seu monasteriorum ecclesiis adnexa, ut non per alios, quam per monachos administrentur, sive commisso sacro officio alicui monacho, redditibus autem monasterio concessis, sive et officio, et singulari peculio etiam alicui monacho in administrationem vel omnino, vel in parte dato. Item evenire aliquando potuit, ut beneficia, quæ clericalia, seu, ut vulgo appellat, sæcularia erant, singulari titulo, ex caussa præscriptionis, regularia evaserint, eodem modo, quo beneficia regularia præscriptionis titulo fieri sæcularia queunt, cap. 5, de præbend. in 6, ubi cum Bonifacius VIII, legitimam tantum præscriptionem admiserit, tradunt interpretes, necessariam esse præscriptionem quadraginta annorum, quam legitimam in rebus ecclesiasticis præstituerat idem Bonifacius in cap. 2 de præscript. in 6. Excipe tamen casum, quo beneficium sæculare regularibus concedi consueverit ex quadam dispensatione, puta ob defectum sæcularium clericorum; tunc enim etiamsi longissimi temporis possessio proponeretur a monachis, hæc nunquam sæcularis beneficii naturam immutaret, uti recte docet Rebuffus ad concordata tit. de collationibus § *Volumus* verbo *Regularia*. Præterea evenire potuit, ut beneficia sæcularia abierint in regularia, quotiescumque contigit, ut sæculares ecclesiæ in monasteria fuerint conversæ: quæ enim beneficia ecclesiæ olim sæculari adhærebant, regularia sæpe effecta sunt ob administrationem illorum regularibus concessam.

Singularem quoque naturam habent monastica illa beneficia, quæ cappellæ nuncupantur. Primum apud Francos usurpatum fuisse cappellæ nomen scribit Walafridus Strabo in cap. ult. de exordiis, et incrementis rerum ecclesiasticarum, ad significandum sacrum locum, in quo recondebatur Cappa S. Martini, quemadmodum et cappellani dicti fuerunt clerici, qui eandem cappam custodiebant. Deinde eisdem nominibus appellari consueverunt capsulæ, in quibus reliquiæ martyrum ponerentur, et clerici illarum cultui addicti, quemadmodum apud Evodium in lib. 1, de miraculis S. Stephani. Itaque monachi in illis, quibus mona-

steria ditabantur, prædiis, ecclesiolas quasdam jamdiu rectas, vel etiam oratoria reliquiis sanctorum in capsulis inclusis ornabant, aut ipsi, quas similiter ornarent, erigebant sub nomine cappellarum, quibus singulis singuli quoque monachi e monasteriis prodeuntes addici solebant, utentes redditibus prædiorum, quasi eorundem curatores, in quibus cappellæ sitæ erant; aliquando etiam a fidelibus prædiorum finitimorum cultoribus decimas, et oblationes percipientes, ex iis tamen obventionibus monasterio, a quo ipsi pendebant, censum persolventes, quemadmodum fieri solebat a Clericis sæcularibus, qui sæcularibus similiter erectis cappellis præficiebantur sub ecclesiis parochialibus, sive baptismalibus, can. 54, cau. 16, quæst. 1. Amplius progressa est hujusmodi disciplina; siquidem quandoque obtinuit, ut in iis cappellis cura animarum exerceretur; præsertim ubi monasteria cum prædiis suis essent exemta abs jurisdictione episcoporum, ac parochorum potestate. Nimirum in iis adjunctis monachus cappellanus sacramenta rusticis prædia monastica excolentibus instar proprii parochi ministrabat, juribus etiam parochialibus in eosdem rusticos utebatur. Quicumque autem fuerit ab initio fructus, quæcumque etiam in bonum publicum emergerent emolumenta ex istarum cappellarum institutione, tandem experientia docuit, monachos iis cappellis addictos negligere omnino professionem suam, quam abjecisse videbantur, dum solitudinem reliquissent. Hinc monachi diutius non constiterunt in cappellis, ad sua monasteria revocati auctoritate concilii lateranensis, cap. 2, de statu monachorum, quod et recentiores pontifices urgere visi sunt, dum statuerunt, eas cappellas custodiri, potius a clericis, quos monasteria nominarent, atque episcopo præsentarent instituendos, præsertim cum cappellis illis cura animarum adnexa proponeretur, cap. 1, 3 et 4, de cappellis monach., cap. unic. eodem titul. in 6.

Liquet ex iis omnibus generaliter observatis, triplex secerni posse beneficiorum regularium genus. Primum est, quod non distinguitur ab officiis, et muneribus monasticis, qualis est abbatia, vel prioratus, utut instar beneficiorum redacta officia fuerint, separatione facta reddituum inter officiales, et monasteria, seu collegium monachorum. Alterum genus agnoscitur in singularibus beneficiis, quæ successione temporum adnexa fuerunt monasteriorum ecclesiis publicis, quæ sane beneficia eandem fere naturam habent, qualem habuerunt beneficia clericalia instituta olim gratia clericorum in communi viventium. Tertium genus spectat monachorum cappellas sitas extra monasteria, in quibus hodie monachi ministrare prohibentur in sacris officiis, translata spirituali cura in clericos, et retento penes monasterium, et monachos certo jure, quod patronatui simile est, et præcipue in clericorum electione, nominatione, ac præsentatione consistit.

Sic exposita beneficiorum regularium indole, adjectis etiam eorundem beneficiorum qualitatibus, duo consectaria colliguntur. Primum est, eatenus beneficia regularia probari posse, quatenus nihil inde emergat in regularis conditionis detrimentum. Alterum est, eadem beneficia regularia penitus improbari, quoties monachus regulari beneficio præficiendus occasionem inde arriperet delinquendi contra monasticum institutum. Quamobrem tria in proposito observanda sunt, quæ monachus semper præ oculis habere debet, etiamsi regulare beneficium obtinuerit. Primum est perpetua consistentia in monasterio, et solitariæ vitæ custodia, aliena prorsus a sæcularibus negotiis, nisi forte monasterii et generalis, monachorum in communi viventium utilitas quidquam postulet. Alterum est obedientia superiori debita, quam monachus quisque elicito etiam voto pollicitus est. Postremum est paupertas, quam singuli monachi profitentur, et expresso voto apud Deum spondent se perpetuo servaturos. Sunt hæc monasticæ professionis veluti bases et fundamenta, contra quæ professus est Innocentius III, in fine capituli 6, de statu monach., *nec Summum pontificem posse licentiam indulgere;* et cum Honorio III, propositum fuisset, singularia privilegia contra ea sedis apostolicæ auctoritate fuisse concessa, rescripsit prudentissimus pontifex in cap. 3, de cappell. monach. *hujusmodi literas ab apostolica sede non credimus emanasse.* Jungatur his capitulum 2, de statu monach. adjectis iis, quæ ad ejus interpretationem tradidit Fagnanus num. 59. Eo sane minus dispensatio ulla admittetur, quam monachus se a superiore regulari obtinuisse allegaret: Perspicue id tradidit concilium tridentinum, ita de superioribus monasteriorum decernens in sess. 25, de regular. cap. 1: *Compertum est, ab eis non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari; si enim illa, quæ bases sunt, et fundamenta totius regularis disciplinæ, exacte non fuerint conservata, totum corruat ædificium necesse est. Nemini igitur* (sequor tridentinos patres in cap. 2.) *regularium tam virorum, quam mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis adquisita, tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere: sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum, seu conventuum ad solos officiales eorundem ad nutum supe-*

riorum amovibiles pertineat. Itaque ex eo, quod in primis monachus perpetuo in monasterio consistere debeat, et solitudini vacare, vetitum est, ne monachi soli habitent in cappellis, etiam prætextu ministrandi in divinis, et exercendi curam animarum, uti modo superius tradebam. Quod si forte necessitas, vel utilitas monasterii postulet, ut monachus temporalibus monasterii bonis curandis addictus e monasterio egrediatur, bona eadem curaturus, eatenus id sibi permissum intelligat, quatenus bonum monasterii efflagitet, et præterea nihil sibi indultum esse confidat. Deinde ex eo, quod monachus obedientiæ voto astringatur, debet ipse intelligere, se ita beneficium regulare obtinere, ut in ipsius etiam administratione, ac retentione superiori suo pareat; unde profluit, beneficia omnia regularia ex sui natura manualia existere, quemadmodum superius in prima dissertatione traditum est. Denique ex eo, quod monachus paupertatem sponte professus est, deducitur, eum, quodcumque beneficium possideat monasticum, omnia teneri in monasterii utilitatem convertere cum beneficia monastica, quæcumque illa sint, in commodum potius monasterii, quam beneficiarii monachi instituta deprehendantur, quin blandiri sibi posset ea de caussa, quod mensam habeat a mensa monasterii separatam; quacumque enim ratione facta separatio proponatur, illud certo certius est, monachum ex elicito paupertatis voto nullum sibi adquirere peculium posse, sed quidquid adquirit, adquirere monasterio. Imo nec sibi blandiri posset eo prætextu, quod vel a monasterio ipso, vel a præfecto monasterii certam singularem facultatem acceperit, cum in hac re nulla superioris dispensatio admittatur juxta sacros canones, et laudata concilii tridentini decreta.

Quotiescumque erectum fuisse beneficium constet, sed dubitetur, an regulare sit, an sæculare, vulgaris traditio est, illud sæculare præsumi, ita, ut qui allegat illud esse regulare, probationis onere teneatur, et eo non probante, tanquam sæculare beneficium habeatur. Nec immerito; nam in dubio unumquodque beneficium verum et proprium beneficium existimandum est, non improprium, quale esset beneficium regulare. Excipiuntur tamen cappellaniæ, quæ erectæ præseferantur vel in monasterio, vel in locis sive sacris, sive religiosis monasterio adnexis; nam vel ex hac adnexione res non omnino dubia esse videtur, imo conjectura gravis oritur beneficii regularis, uti tradit Rebuffus in praxi beneficiaria parte 1, tit. *Quotuplex sit beneficium* num. 6. Adderem ego similem exceptionem in abbatiis, prioratibus, et similibus beneficiis, in quibus, si præsertim antiquæ sint, et nullæ in contrarium conjecturæ urgeant, qualitatem regularis beneficii agnoscendam esse, ipsa nominis qualitas, primigeniæ sane regularium officiorum institutioni conveniens, suadere videtur.

Regula generalis est, sicut sæcularia sæcularibus, ita regularia beneficia regularibus esse concedenda, cap. 5 et 32, § *Prohibemus* de præbend. in 6, clem. un. de suppl. neglig. prælat., cap. 27, de elect., concilio trid. sess. 14, de ref. cap. 10. Hac tamen in re observandum est, aliqua ex beneficiis regularibus concedi omnino debere illis, qui actu regularem vitam professi sunt, alia vero conferri etiam sæcularibus posse, dummodo qui beneficia hujusmodi adipiscuntur, animum habeant profitendi monasticam vitam, et postquam illa adepti fuerint, intra annum monasterium ingrediantur, et professionem religiosam emittant. Id aperte decreverunt tridentini patres in dicto capite 10, sessione 14, de reformatoribus ibi: *regularia beneficia in titulum regularibus professis provideri consueta........ Religiosis tantum illius ordinis, vel iis, qui habitum omnino suscipere, et professionem emittere teneantur, et non aliis....... conferantur.* In conspectu tridentini hujus decreti duplex oritur dubitatio. Primum explicationem desiderant illa tridentini concilii verba, quibus traditur; beneficia monastica conferri oportere monachis *illius ordinis*, etenim contingere potest, quosdam prætextu ejusdem regulæ, quam profitentur, ad ea beneficia inhiare, quamvis illius ordinis minime sint. Verum attendenda sunt adamussim tridentina verba, quibus attentis minime sufficit, quemquam eandem regulam profiteri, sed requiritur, eidem ordinis sit adscriptus, quemadmodum legimus receptum apud Fabrum in cod. de sacros. Eccles. defin. 77. Major dubitatio oritur ex ceteris tridentini concilii verbis, neque enim ex iis satis et aperte constat, quænam regularia beneficia actu professis, quænam professuris sit conferenda. Verum, vel ex juris communis generali definitione, vel ex aliis tridentini concilii decretis, repetenda interpretatio est. Nimirum distinguendum inter beneficia regularia simplicia, et beneficia illa, quæ in monasteriis certam habent jurisdictionem adnexam, quales sunt abbatiæ, et prioratus. Quæ adnexam jurisdictionem habent, et ex jure communi in cap. 49 de electione et ex tridentino concilio in cap. 21, sess. 25, de regular., nonnisi actu professis concedi debent. Quænam ergo alia, quam simplicia, sunt illa beneficia regularia, quæ etiam professuris concedi possint ex dicto capite 10, tridentinæ sessionis 14? Hæc interpretatio jamdiu probata, et recepta est, quemadmodum testatur Fagnanus in cap. *Cum caussam* de elect. num. 38. Ceterum illud insuper canonibus vetitum est, ne regularis uni monasterio addictus, alteri monasterio præficiatur, Clem. 1, de elect.

Regula regulam trahit. Cum enim obser-

vatum sit, ad regularia beneficia clericos sæculares admitti non posse, etiam observandum est, e converso beneficia sæcularia non esse regularibus concedenda. Si ad hanc præstituendam regulam uti vellem monumentis recentioribus, qualia prostant in decretalibus, statim laudarem capitulum 5, de statu monach., cap. 9, de regular., et capitulum 5, de præb. in 6. Sed altiora sunt hujus rei repetenda principia, sive quod vetus disciplina aliud ferebat sive quod, etiamsi post laudatas decretales abierit in generales disciplinam, regulares arceri a sæcularibus beneficiis, non omnino tamen, et in singulis quibusque beneficiis hæc regula recepta est; quemadmodum adparet in beneficiis episcopalibus, quandoque etiam in parochialibus. Antiqua ætate, seu quousque beneficiorum collatio non fuit a collatione ordinum sejuncta, seu quousque idem et unum fuit ordinare clericum, et conferre beneficium ordinato, eodem jure, quo monachi ordinarii in ecclesiis auctoritate antistitum poterant, valebant etiam beneficia ecclesiastica clericis destinata adipisci. Siquidem cum monachi ut plurimum sacris ecclesiæ ordinibus initiati non essent, nisi forte quisquam ob monasterii, et monachorum necessitates sacerdotio donaretur, et ecclesiæ monasterii adscriberetur; tunc idem erat ordinare monachum, ac monachum avocare a monasterio, et a solitudine, eundemque ad ecclesias transferre. Hinc Hieronymus ad Rusticum monachum ita scribebat: *Sic vive in monasterio, ut clericus esse merearis... Multo tempore disce, quæ postmodum doceas... Quod si populus, vel episcopus te in clericum elegerit, age ea, quæ clerici sunt*, can. 26, juncto 27, cau. 16, qu. 1. Imo et ut clerici in ecclesiis ordinarentur, qui olim monachi extitissent virtutibus jamdiu probati, veteres pontifices, et patres sæpe ac sæpius exoptabant, can. 28, 29, 30, 31, 32, 34, cau. 16, qu. 1. Nec recta ratio huic monachorum translationi obstabat, nec disciplina. Non recta ratio: quid enim in contrarium dici poterat, quam forte, monachum votis se perpetuæ obedientiæ erga abbatem, perpetuæ consistentiæ in monasterio, ac perpetuæ paupertatis se obstrinxisse? quæ sane vota per ordinationem, seu beneficii collationem relaxari necesse erat. At vero cujuscumque generis vota in melius commutari posse, inconcussa traditio est, quando votum eatenus hominem Deo adstringit, quatenus res voto promissa quidquam honestius continet. Igitur statim ac sine ulla dubitatione vita clericalis utpote proxime Deo ministrans, et animarum saluti incumbens, excellentior erat, et dignior etiam apud Deum, quam vita monastica, nihil oberat, quominus monasticum votum collatione sacri ordinis, et clericalis officii relaxaretur. Neque oberat disciplina. Siquidem olim nemo ordinabatur, nisi qui a populo, et clero non tam electus publico suffragio esset, quam conquisitus, invitatus, rogatus, imo et aliquando compulsus. Eam ob rem perraro contingebat, ut sponte monachi e monasteriis prosilirent, et quasi tædio solitariæ vitæ adfecti se transferri ad ecclesias postularent. His adjiciendum est, monachis e monasterio ad clericalia officia transeuntibus perpetuo insinuatum fuisse, ut, quoad fieri a clerico posset, et quoad ministeria ecclesiastica ferrent, ab ipsis monastica regula servaretur, et vota elicita custodirentur. Hinc si forte monachus inter minores clericos adscriberetur, contrahere conjugium prohibebatur, etiamsi conjugium aliis ejusdem ordinis clericis permitteretur, nov. 5, cap. 8. Item, ut debita obedientia prælato regulari servaretur, cautum sæpius fuit, ut monachus a monasterio in ecclesiam transiturus veniam ab abbate peteret, et bonum anteactæ vitæ testimonium impetraret, can. 28, 29, 33 et 34, cau. 16, quæst. 1. Neque deerit monacho, post adeptum clericatum paupertatem adhuc profiteri posse, si ita se in ecclesia gesserit, ac se olim gerebat in monasterio, seu, quod idem est, si ecclesiasticum peculium nomine ecclesiæ administret in eos usus, qui a sacris canonibus præstituuntur. Huc pertinet sententia Innocentii I, quam Gratianus mutilatam descripsit, et perperam interpretatus est in can. 3, cau. 16, qu. 1, ibidem enim sanctus pontifex, uti liquet ex ipso epistolæ contextu, tradebat, monachos in clerum translatos a proposito continentiæ suscepto recedere nullo modo posse, quamquam Gratianus inde deduxerit, monachos non posse parochialibus ecclesiis præfici; quod plane erat a sententia Innocentii alienum. Itaque diutius perseveravit consuetudo, juxta quam monachi promovebantur ad clerum, et sæcularium clericorum officiis, seu beneficiis addicebantur. Eo tandem deventum est, ut collatio beneficiorum a collatione ordinum sejungeretur, quo etiam tempore factum est, ut beneficia in se viderentur quidquam commodi exhibere, et plurium ad se desideria traherent. Præsertim vero, si ageretur de beneficiis minoribus, quibus nec episcopalis jurisdictio, nec cura animarum esset adnexa, cœperunt ista tradi petentibus sine populi et cleri suffragio, unde quotiescumque vacarent, multi ad eadem anhelabant. Interea monachi provehi se ad eadem beneficia postulabant veterem consuetudinem allegantes; neque eorum vota forte in irritum cecidissent, si alia non apparuisset postulantium voluntas, quam quæ tenderet in bonum ecclesiæ, et in spiritualem profectum provehendorum. At nonnulli potius adducebantur ad petenda beneficia, aut ex tædio anteactæ monasticæ vitæ, aut ex cupiditate temporalis lucri, quod adipiscendo beneficio adhærebat, aut ex voluntate fruendi lautiore vita, qua frui clericos numero plu-

rinos beneficia possidentes intuebantur. In his adjunctis non dubito, quin episcopi collatores beneficiorum caute procederent, et antequam monachos ad ecclesias transferrent, et beneficiis donarent, voluntatem monachorum eorundem postulantium explorarent, concessuri beneficia illis, quos sincera, et sine fraude prodita ecclesiæ ministrandi voluntas concitavisset, ceteris simili voluntate destitutis beneficia denegaturi; eodem modo, quo veteres monachorum institutores quibusdam monachis optime meritis, et sanctimonia conspicuis identidem permittebant, ut a cænobio discederent, et procul a prælatis constituti in eremis locis anachoriticam vitam traducerent; e contrario minime sinerent quosdam e cænobio recedere prætextu anachoriticæ ineundæ vitæ, si olim non fuisset laudabilis et præclara vitæ ratio, et si suspicio suboriretur, ne ipsi potius obedientiæ tædio arbitrio suo relinqui se postularent; uti adnotavit S. Isidorus Hispalensis in lib. 2, de ecclesiasticis officiis cap. 15. Res hæc sensim arctioribus debuit finibus circumscribi; sive quod ut plurimum monachi potius expectationem de se suaque virtute conceptam fallebant, abjicientes disciplinam morum, qua olim in monasterio videbantur ornati, sive quod collatores beneficiorum non satis caute voluntatem monachorum beneficia petentium explorarent; sive quod monasteriorum præfecti sine delectu passim dimitterent monachos suos, in ecclesias, et officia clericalia transferendos; sive denique quod vita clericorum mediæ ætatis non adeo perfecta adparebat, qualis olim; et versæ quodammodo erant vices; scilicet olim clerici monachis sanctimonia æque ac ordine præstabant, deinde vero monachi utut ordine clericis inferiores, doctrinæ tamen, et morum cultu supra clericos eminere cœperunt. Primus Gratianus et ipse monachus post dictum canonem 3, caus. 16, qu. 4, tradere cœpit, non decere, monachos ad ecclesias utut parochiales promoveri. Verum hæc privata Gratiani doctrina utut ea tempestate gravis videri posset, non statim ab omnibus probata, ac moribus recepta est, donec tandem in concilio lateranensi Alexandri III, probata est, et cautum, ut monachi ad ecclesias non transferrentur, sed perpetuo solitudini in monasterio vacarent, cap. 2, de statu monachor. At enimvero hinc novæ quæstiones emerserunt occasione canonicorum regularium, qui communem vitam instar monachorum ducebant. Isti jampridem inter clericos adscripti communem vitam, quam susceperant, laudabant, et dum clericos ceteros, qui a communi eadem vita recesserant, aut nunquam susceperant, temnerent, videbantur monasticam vitam clericali adscivisse, unde et monachorum privilegia sibi propria faciebant. Satis id fuit, ut clerici ceteri exemplo monachorum exclusos clamarent a beneficiis etiam parochialibus canonicos regulares. Delata re ad Innocentium III, prudentissimus pontifex in cap. 5, de statu monach. definivit, in lateranensi decreto regulares canonicos non comprehendi, proindeque ipsos idoneos esse ad parochialia beneficia obtinenda. Et quidem elegans est, et solidæ jurisprudentiæ principiis innixum Innocentii rescriptum. Ait Innocentius, olim monachos quoscumque potuisse ad ecclesiastica capessenda officia in ecclesias advocari; ait, lateranense decretum, quod sane novum erat, et adversus veterem disciplinam conceptum, ad solos monachos pertinere; eaque de caussa non esse ad alios extendendum, qui in decreto non essent expresse memorati, quales erant canonici regulares. Heic paullisper sisto, atque utiliter ad rem propositam noto, monachos universos, eo ipso, quo exclusi erant a beneficiis parochialibus, potiore jure exclusos fuisse a beneficiis ceteris minoribus, sive quod eadem ratio solitariæ vitæ nunquam abjiciendæ in ceteris minoribus beneficiis vigebat, sive quod non adeo in beneficiis ceteris minoribus quemquam urgere poterat ecclesiastica et publica utilitas, ut dispensaretur a monastica disciplina, quemadmodum urgere in beneficiis parochialibus, allegare monachi potuissent. At si de canonicis regularibus loquamur, in conspectu lateranensis decreti, ipsi neque a parochialibus, neque a ceteris inferioribus beneficiis exclusi fuerant, cum de ipsis nulla mentio facta sit, quemadmodum Innocentius III, mox laudatus declaravit. Sed quando canonici regulares litem moverunt apud Innocentium de solis parochialibus beneficiis, in ista potissimum intenti, dummodo in ea controversia minime caderent, contenti extiterunt; eamque ob rem ubi vacare beneficia parochialia noverunt, eadem petierunt, cetera inferiora aut raro petierunt, aut omnino petere neglexerunt, ac potius facto suo, et moribus passi sunt, ut ab inferioribus beneficiis petendis fere excludantur. Redeamus in viam. Ex laudato rescripto Innocentii III, quo canonici regulares ad parochialia beneficia admittebantur, occasionem sumserunt nonnulli monachi eludendi decretum concilii lateranensis. Nimirum curaverunt, transferri se a monasteriis ad collegia canonicorum regularium, non animo quidem permanendi in claustris regularium canonicorum, sed ut exinde ad beneficia parochialia quasi canonici regulares admitterentur. Agnoverunt tridentini patres hanc quorundam monachorum fraudem adversus lateranense concilium admissam, quamobrem in sess. 14, cap. 11, vetuerunt, ne qui monachi olim fuissent, quamquam inde ad canonicos regulares transierint, ad parochialia sæcularia beneficia promoverentur. Ceterum de canonicis regularibus, qui nusquam monachi extiterunt, vetus disciplina perseveravit, cum nihil adpareat in tridentino concilio innovatum. Heic tamen

non constiterunt universa. Siquidem absoluto tridentino concilio refert Fagnanus in cap. *quod Dei timorem* de statu monach. num. 16, die 8, julii 1581, decrevisse Gregorium XIII, *non licere istis canonicis regularibus, etiam de licentia sui generalis, absque permissu summi pontificis assumere curam etiam ad tempus, multoque minus beneficium curatum in titulum.* Subdit deinde Fagnanus: *et subinde cum canonici regulares lateranenses peterent, ut sibi liceret cum licentia sui generalis obtinere officia curata in titulum, vel ad tempus, et res a congregatione delata esset ad Sanctissimum, Sanctitas sua abnuit*; ac postremo concludit, sua ætate etiam canonicos regulares non obstante dicto capite 5, de statu monach. a beneficiis parochialibus fuisse exclusos. Res omnino confecta fuisset, nisi alii, et quidem non contemnendi interpretes, contra sensissent duce Gabriele Pennotto lib. 2, historiæ tripartitæ canonicorum regularium cap. 72, qui translatos quidem e monasteriis exclusit a parochiis juxta mentem tridentini concilii, ceteros tamen canonicos regulares censuit admittendos. His nullum negotium facessit nuper commemoratum Gregorii XIII, decretum, utpote quod ajunt generaliter non fuisse executioni demandatum, imo et S. Caroli mediolanensis exemplum proferunt, qui anno 1584, sive triennio post decretum Gregorii XIII, canonico regulari ad concursum admisso parochialem ecclesiam conferre non dubitavit. Quid plura? idem Pennottus loco citato subdit, aliud in romana curia anno 1584, editum fuisse decretum, quo declaratum est, *decretis tridentini concilii canonicum regularem non prohiberi obtinere beneficia curata sæcularia, nisi fuerit ex illis translatis, de quibus habetur cap. 11, sess. 14.* Hinc diuturnæ fuere controversiæ, canonicis regularibus petentibus, se ad concursus parochialium ecclesiarum admitti, illinc autem pluribus episcopis eos repellentibus, aliquibus etiam tum demum admittentibus, cum necessitas postularet, sive cum deficerent clerici sæculares idonei, qui parochialibus ecclesiis præficerentur; sic enim ut plurimum evenit, ut in transversum agantur homines, ubi certa decreta præseferuntur, quæ an executioni mandata sint, ignoratur, aut quæ non invicem sibi constant, aut quæ nonnisi privatis interpretum testimoniis palam fiunt. Tandem aliquando anno 1745, rem totam definivit et absolvit Benedictus XIV, in sua constitutione, quæ incipit *Quod inscrutabili* 51, in tomo 3, ejusdem Bullarii; ante cujus editionem quæ esset sua sententia, privatim in scripto suo explicaverat idem Benedictus papa, typis inde impresso in editione Rigantii tom. 3, ad calcem reg. 43 cancellariæ. Post hanc constitutionem receptum est, ut canonici regulares æque, ac monachi repellantur a quibuscumque beneficiis sæcularibus, etiamsi ista curam animarum adnexum habeant. Quod si juxta quædam caussa postulat, ut quisquam ex canonicis regularibus, aut monachis ad hujus generis beneficia admittatur, postquam canonicus regularis, aut monachus veniam a superiore generali obtinuerit, non aliter beneficium adquirere poterit, quam si consensus apostolicæ sedis accesserit. Ubi vero hæc dispensatio sit impetranda, necessarium semper erit accedere bonum monastici superioris testimonium, can. 34, caus. 16, qu. 1, argumento capitis 2, sess. 22, de ref., et capit. 4, sess. 23, de regular. in concilio tridentino imo et aliquando caveri solet, ne canonicus regularis a sede apostolica dispensatus solus habitet in sæculari domo, sed jungitur illi regularis alter ejusdem ordinis, qui de beneficiarii moribus testificari valeat cap. 2 et 3, de statu monach. cap. 3, de cappellis monachorum. Quod dictum est de parochialibus beneficiis, idipsum dicendum videtur de officio confessarii sanctimonialium, ut vocant, ordinarii, cum hoc simile admodum sit officio parochi, et eadem prostet ratio, quæ in beneficio parochiali, præsertim si confessarius ratione suscepti muneris extra suum monasterium degere deberet.

Hucusque consulto egi de beneficiis sæcularibus episcopatu minoribus. De episcopatu et ceteris dignitatibus episcopali majoribus alia ratio semper habita fuit, atque etiam hodie habetur; quamobrem dummodo monachus bonum habeat sui superioris testimonium, ex quo eum episcopatu dignum esse comprobetur concilio tridentino sess. 22, de ref. cap. 2, nihil prohibet, quominus ad episcopalem dignitatem, vel etiam majorem promoveatur. Id in primis recipi omnino jure potuit ante concilium lateranense Alexandri III, seu ante editum capitulum 2, de statu monach. qui enim votis monasticis emissis ad episcopalem sedem e monasterio transferebatur, non vota dimittere, sed in melius commutare, jure ac merito videbatur. Deinde in conspectu lateranensis decreti nihil est, quod novam disciplinam induxerit, neque enim istud ad dignitates episcopales suscipiendas pertinet. Et revera in episcopali dignitate nulla suspicio esse probabilis potest, nulla fraus, quando qui episcopus eligitur, juxta jus commune suffragio cleri et populi ad regendam ecclesiam advocatur, exacto etiam adhibito scrutinio; imo et si ad hodiernam disciplinam nos convertamus, in consistorio perpenduntur universæ electi qualitates. Quid plura? quando et Bonifacius VIII. in cap. 24, de elect. in 6, et Clemens V, in Clem. 1, de elect. et concilium tridentinum in dicto cap. 2, expresse admiserunt, regulares quoscumque consentiente prælato suo ad episcopalia munera eligi posse. Dissimulare tamen non debeo duo monumenta

quæ sine germana interpretatione relinquenda non sunt. Primum extat in cap. 10, de voto; alterum in cap. 11, de renunciat. In conspectu dicti cap. 10, de voto torquentur interpretes, quasi inde deducatur, electum ad episcopalem dignitatem abdicare se potius episcopatu debere, quam religionis votum semel emissum frustrari, quod sane esset contra generalem canonum disciplinam, qua inspecta licet votum in melius commutare, meliorem autem constat magisque acceptam esse Deo episcopalem quam monasticam professionem. Ut Innocentii III rescriptum explicemus, facti species ponenda est. Quidam clericus solemni forma votum emiserat regularis ineundæ professionis in ecclesia gratianopolitana apud episcopum: cum vero Romam ire meditaretur, spopondit, se impleturum, quod promiserat, intra duos menses, quam ab urbe rediisset. At vero utut jamdiu ab urbe reversus, et duobus a reditu suo jam elapsis mensibus, votum implere neglexit. Post hæc electus fuit a capitulo cathedralis ecclesiæ gebennensis tunc vacantis in episcopum. Inter hæc adjuncta electus ante secutam confirmationem petiit ab Innocentio quid sibi agendum foret, ut conscientiæ suæ consuleret. Rescripsit Innocentius debere primum votum implere: quod si deinde *canonice* electus a capitulo fuerit, electioni consentiret, et ad gebennensem ecclesiam regendam gradum faceret. Facti serie ita exposita, nihil video quod generali officiat disciplinæ. Agitur de eo, qui voto apud Deum, et apud ecclesiam gravissime obstringebatur; agitur de eo, qui voti trasgressor, et reus, proindeque gravissimi criminis conscius erat: agitur de eo, cujus vix electio secuta fuerat, non solum nulla subsequente consecratione, sed ne confirmatione quidem superioris, quæ diligenti scrutinio erat adhuc perficienda, forte etiam idem electus necdum electioni de se factæ consenserat, sed in iis adjunctis antequam consentiret, consilium Innocentii III flagitaverat. Vereri sane poterat electus, ne si superior confirmationis caussa adiretur, crimen illud violati voti objiceretur, et electio tanquam indigni viri rejiceretur. Quamobrem prudentissime Innocentius respondit, *resignandum esse regimen ecclesiæ*, idest allegandam ab electo excusationem, qua profiteatur ipse, se tanquam reum haberi posse deserti voti, quousque illud non impleat, propterea que se interea tuto consentire electioni non posse; hac prolata excusatione, electum eundem debere votum implere, tum vero demum, si subsecuta fuerit nova electio, consentire eundem posse. Notanda sane sunt illa verba: *Si capitulum te postmodum canonice duxerit eligendum*, quasi dixerit Innocentius, potuisse videri pristinam electionem non canonice factam, qua designatus episcopus fuerat, qui reus erat gravis delicti, seu voti necdum impleti. Alias secuta professione, et voto impleto, nihil erat, quod in scrutinio caussa confirmationis habendo proponi contra electum potuisset; aut si forte quidquam erat, non dolum exhibebat, sed quandam desidiæ et negligentiæ speciem, cujus tanta ratio, quanta doli, haberi non poterit. Difficilius est interpretari alterum monumentum, sive capitulum 11, de renunciat. Tota, quæ ibidem traditur, Innocentii III doctrina paucis perstringi potest: nimirum docetur, episcopum relicta ecclesia ad monasterium transeuntem, et in eo regulam profitentem, tum demum ad episcopatum aliquem redire non posse, cum ad agendam in monasterio pœnitentiam ob grave admissum crimen dejectus fuerit, non vero quoties vel monasterium adiverit vexatus injuria temporum, vel monasticam vitam elegerit, in qua magis in sacra doctrina proficeret, et magis idoneus redderetur, vel si demisso animo cathedram dimisisset, ad quam pridem ex cupiditate parentum ignorans ipse adscendisset. Verum duo inde difficultatem faciunt. Primum est, quod dicitur, hanc doctrinam inniti concilio constantinopolitano, quod *sit unum ex quatuor principalibus, quæ sicut quatuor evangelia Ecclesia veneratur*. Alterum est, quod probare videtur, tot subesse posse honestissimas caussas, quibus episcopus recte possit ab ecclesia ad monasterium transire, quasi vita monastica perfectior esse possit vita episcopali. Prima observatio jamdiu a viris eruditis habita est, qui fassi candide sunt, Innocentium errore facti lapsum fuisse; etenim cum Innocentius laudaret canonem concilii photiani in urbe constantinopolitana celebrati adversus S. Ignatium, putavit laudare se concilium generale secundum, nimirum constantipolitanum I. Monumentum ejus concilii extat apud Gratianum in can. 45, caus. 7, qu. 1. Et non solum in eo Innocentius deceptus est, quod crediderit canonem illum esse revera concilii generalis secundi, sed et in eo, quod censuerit pertinere ad eam speciem, qua episcopus pœnitentiæ caussa dejectus in monasterium fuerit. Arte Photii editus canon est; cum enim pridem Photius facto schismate ab ecclesia constantinopolitana dejecisset Ignatium, Ignatius fugiens iram Photii, cui omnia prospere cedebant, ad monachos confugit, et apud illos diutius mansit, donec mutatis vicibus temporum redire potuit ad episcopatum ejecto Photio invasore. In his rerum adjunctis decessit, ab hac vita Ignatius, et bono pacis Photius iterum ad eandem sedem admissus est; in qua ut sibi tutius jura sua vindicaret, curavit coacta synodo, ut decerneretur, eum amplius episcopum esse non posse, qui semel monasticam vitam elegisset; hac enim ratione censebat, persuaderi posse unicuique, se non nova inauguratione episcopalem obtinuisse

sedem, sed quasi postliminii jure retinuisse, unde Ignatii memoriæ non levis injuria fieret. Atque hic apud Innocentium facti error fuit: ceterum doctrina juris ab Innocentio tradita, in ea parte, qua dicitur, episcopos pœnitentiæ caussa in monasteria ejectos non posse restitui, firmissima est, canonum sanctorum principiis consentanea. Succedit altera observatio, qua notamus, Innocentium multos admisisse probabiles casus, quibus episcopi interea episcopali curæ cedant, et in monasteria se transferant. Id quidem vetustæ disciplinæ non satis congruit; sed esse potuit Innocentii temporibus accommodatum. Nimirum quousque episcopi fuere doctrina præclari, seu ii seligerentur, qui populo scientia, pietate, prudentiaque præirent, disciplina ecclesiastica postulabat, ut nulla episcoporum cessio, vel secessio admitteretur. At vero incidendum fuit in eam ætatem, qua obscuri etiam homines identidem ad episcopalia munera eligebantur, qui sane si ab ecclesia ad monasteria transiissent, majorem sibi et doctrinæ, et virtutum omnium suppellectilem sibi comparavissent. Quamobrem ætas Innocentii III, id ferebat, ut certis in casibus si non laudarentur omnes, non tamen improbarentur hujus generis secessiones. Viam huic disciplinæ jam straverat Isidorus Mercator in can. 11, caus. 7, qu. 1, in iis verbis, *vel regulari mutatione* faciliorem etiam reddiderat doctrina privatæ legis, quam monachi plures jactabant sub nomine Urbani II, in can. 2, caus. 19, qu. 2, et a qua Innocentius idem non videtur recessisse in cap. 18, de regularibus: tanti tunc temporis fiebat, et Isidori Mercatoris auctoritas et Gratiani.

Multa sane ex his omnibus colligi utilia possent, quæ tamen ad hoc unum caput facile rediguntur: videlicet in tanta disciplinæ varietate unum perpetuo servatum fuisse ecclesiæ spiritum, et sententiam uniformem, perpetuo Ecclesia optavit, ut ministri optimi seligerentur: perpetuo optavit, ut qui optime selecti essent, ab ecclesiasticis officiis non recederent. Hæc ratio fuit, quare olim viri in monasteriis probatissimi ad sacra ministeria advocarentur. Si deinde mutata est disciplina, tribuitur abusui nonnullorum, qui animo vacandi otio, fruendique deliciis, a monasteriis transferri se in ecclesiam postulabant. Ea ipsa ratio fuit, quare olim ab officiis ecclesiæ non sinerentur clerici præsertim majores electione solitariæ vitæ operosam cleri curam evitare. Si deinde mutata est disciplina, tribuitur abusui nonnullorum, qui parum idonei constituti fuerunt in ecclesia magistri et plebium institutores. Beneficia ipsa, quæ veteribus patribus grave quoddam onus habebantur, aliam formam habere recentioribus visa sunt, conversa in commodum utilitatemque possidentium; unde retento semper ecclesiæ spiritu, siquid mutatum est, mutatio ipsa ex eisdem principiis recta profluebat.

Videor paullisper digressus, non tamen omnino extra rem, a beneficiis regularibus, de quibus adhuc superest investigare, a quonam conferri illa debeant? Paucis dicam, distinguenda esse beneficia a beneficiis. Et primo quidem sunt beneficia vel ab ipsa prima sui institutione vere regularia, quæ sita sunt in administratione redditnum ad monasteria pertinentium, aut etiam in officiis domesticis erga monachos exhibendis, qualia sunt abbatiæ, prioratus, ceteræque administrationes conventuales, quæ nullum habent adnexum clericalis ordinis ministerium. Hæc profecto aut a prælato regulari prævia monachorum capitulari electione, aut a collegio ipso monachorum vi electionis capitularis conferuntur juxta statuta cujuscumque ordinis, attenta etiam diversorum officiorum qualitate; unde passim tradi solet, regularia beneficia esse electiva, Faber in codice de sacrosanctis ecclesiis defin. 18, juncta defin. 65 et 77. Sic in cap. ult. de institut. ad abbatem regularem dicitur pertinere officiorum omnium regularium institutionem; quod ipsum etiam traditur in clement. un. de suppl. neglig. prælat. Singulare illud receptum fuit in abbatibus utpote quibus quasi episcopalis jurisdictio in monachos aliquando competiit, ut electione secuta, et munere suscepto, petere tenerentur benedictionem ab episcopo, cap. 1, de suppl. neglig. prælat. quod tamen post inductas monachorum exemtiones raro inde factum est, atque hodie, ubi quæstiones hujus generis emergant, ad singularia uniuscujusque monasterii privilegia respicitur, item consuetudo attenditur, quæ tuta esse potest privilegiorum olim obtentorum interpres. Secundo alia sunt beneficia regularia, quæ monasteriis jamdiu erectis accesserunt, scilicet cohærent ecclesiis publicis monasteriorum cum exercitione clericalis ordinis, quo regulares initiati sint, quin tamen habeant adnexam curam animarum in populum. In his beneficiorum collationibus nemo dubitat, quin olim, ubi collatio ordinis conjuncta erat collationi beneficiorum, eodem jure ad episcopum pertineret collatio beneficii, quo pertinebat collatio ordinis monachi gratia facienda. At disjunctis collationibus ordinis, et beneficii, statim ac episcopus ordinavit monachum, eo ipso monachus ordinatus idoneus redditur, qui a prælato suo prævia electione monasterii, aut ab ipso monasterio deputetur in ecclesia in eo beneficio ministraturus, quod præsertim verum est, postquam monachi exemtionum privilegia obtinuerunt. Tertio alia sunt regularia beneficia, quæ non solum cohærent ecclesiis publicis, sed etiam curam animarum exercendam in populum adnexam habent. Si ecclesiæ parochiales hujus generis a monasterio separatæ sunt, jamdiu obtinuit, monachos ad eas regendas non admitti; ne a monasterio ipsi recedant, sed reservato monachis jure

præsentandi clericum non regularem, institutio ad episcopum pertinet, can 6, cau. 16, qu. 2, cap. 1, 3 et 4, de cappell. monach. At si cura animarum adhæreat ecclesiæ monasterii, et cura ipsa per monasterium exerceatur, sive habitu, sive etiam actu, obtinuit, ut, quoties habitu tantum monasterium curam habeat animarum, et perpetuus vicarius ibidem sit constituendus, nominatio vicarii ad monasterium pertineat; adprobatio autem, et institutio nominati episcopo reservetur; at quoties etiam actu monasterium curam exerceat animarum, obtinuit, ut monasterium pro arbitrio seligat unum ex monachis, quem etiam pro arbitrio ab officio avocet, dummodo utroque in casu conscius reddatur episcopus, et monachus electus ab episcopo adprobetur, siquidem in iis, quæ parochialem animarum curam spectant, magna semper episcoporum ratio habenda est, cap. 31, de præbend. cap 3, § *In Ecclesiis* de privileg. cap. un. de Cappel. monach. in 6, concilio tridentino sess. 21, de ref. cap. 8.

OBSERVATIO III.

De beneficiis commendatis.

Singularis illa beneficiorum partitio, juxta quam alia dicuntur in titulum, alia in commendam concedi, occasionem mihi in præsentia præbet plura utilia observandi de beneficiis commendatis. Et quidem in hac re multa jamdiu a scriptoribus nostris tradita sunt, quorum alii adversus commendarum usum acri æque ac fuso stylo plurima tradiderunt, alii commendis, ac commendatariis facile indulserunt, utique sane rem periculi plenam prosequentes, de qua cum diu tractassent concilii tridentini antistites, non aliud ediderunt decretum, quam quod sobrietas et prudentia suggessit his verbis conceptum in cap. 21, sess. 25, de regular. *Cum pleraque monasteria, etiam abbatiæ, prioratus, et præposituræ, ex mala eorum, quibus commissa fuerint, administratione non levia passa fuerint tam in spiritualibus, quam in temporalibus detrimenta, cupit s. Synodus, ea ad congruam monasticæ vitæ disciplinam omnino revocare. Verum adeo dura difficilisque est præsentium temporum conditio, ut nec statim omnibus, nec commune ubique, quod optaret, remedium possit adhiberi: ut tamen nihil prætermittat, unde prædictis salubriter aliquando provideri possit, primum quidem confidit, sanctissimum romanum pontificem pro sua pietate et prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre posse viderit, ut iis, quæ nunc commendata reperiuntur, et quæ suos conventus habent, regulares personæ ejusdem ordinis expresse professæ, et quæ gregi præire, et præesse possint, præficiantur. Quæ vero in posterum vacabunt, nonnis regularibus spectatæ virtutis et sanctitatis conferantur. Quoad ea vero monasteria, quæ capita sunt, ac primates ordinum, sive abbatiæ, sive prioratus, filiæ illorum capitum nuncupantur, teneantur illi, qui in præsenti ea in commendam obtinent, nisi sit eis de regulari successore provisum, infra sex menses religionem illorum ordinum propriam solemniter profiteri, aut iis cedere, alias commendæ prædictæ ipso jure vacare censeantur. Ne autem in prædictis omnibus, et singulis fraus aliqua adhiberi possit, mandat sancta synodus, ut in provisionibus dictorum monasteriorum qualitas singulorum nominatim exprimatur; aliterque facta provisio subreptitia esse censeatur, nullaque subsequenti possessione, etiam triennali, adjuvetur.* Hæc quidem dispositio, uti videtur, ad solas monasteriorum commendas pertinet; etenim de commendis ecclesiarum jampridem tridentinum concilium nonnulla salubria constituerat; nihilominus tamen cum inde liqueat, qualis recentioribus sæculis invaluerit commendarum usus, tum etiam inde colligitur, qua prudentia opus est, ut universa, quæ ad commendas pertinent, discutiantur, atque explicentur. Dabo ego operam, ut quæ pauca traditurus sum, et ordinate, et sobrie dicta videantur, semper autem juxta mentem ecclesiæ et sanctorum canonum, imo et juxta generalia juris publici principia, quibus omnibus si quisque adhæreat, omne errandi periculum evitabit.

Si de commendarum indole, ac natura sermo habeatur, dixero commendas nihil aliud esse, quam deposita rerum ecclesiasticarum, vel monasticarum, ubi istæ aut ordinariis administris destituuntur, aut publice interest, non ab ordinariis administris dirigi, ac curari. Id insinuat vel ipsum commendæ vocabulum, cum commendare nihil aliud sit, quam deponere, l. 24, ff. depositi; eamque ob rem sacri canones cum de officio episcoporum verba fecerunt, declaraverunt episcopis *commendata* esse bona ecclesiarum, can. 52, cau. 12, qu. 2, ut indicaretur, deponi apud episcopum universa, ut in caussas pias tribuerentur. Idipsum suadet generalis caussa, et finis commendarum; neque enim scimus, initio aut alia de caussa, aut alium ad finem institutas esse commendas, quam aut quia de dirutis ecclesiis, vel monasteriis ageretur, aut quia administratores ordinarii non rite suo munere fungerentur, et quod sperabatur de commendatariis futurum, ut ipsi dirutas ecclesias, vel monasteria restaurarent, vel utilius juxta mentem fundatorum res commendatas administrarent. Multa hinc deducuntur consectaria. Primum est, vacare ea beneficia, quæ commendantur; siquidem nemo est tempore com-

mendationis, qui titulum beneficii possideat, quod tamen ita intelligitur, ut locum habeat, cum non certa tantum prædia, aut certi redditus beneficii, sed ipsum beneficium commendetur. Quamobrem eæ omnes regulæ, quæ de vacantibus beneficiis traduntur, fere locum habent in beneficiis commendatis. Ex hoc principio profluit, ut, quemadmodum vacante beneficio non potest induci legitima præscriptio, argumento capitis 1, ne sede vacante, ita nec præscriptio ordinaria locum habeat adversus jura beneficii commendati. Secundum est, commendatarium non solum nullum habere commendati beneficii dominium, quod ne beneficiario quidem conceditur, sed nec habere ullam proprie dictam beneficii possessionem; quamquam enim in possessione rerum beneficiariarum sit, non est tamen earundem possessor, ut utar phrasi jureconsulti in l. 15, § 2, ff. qui satisdare cogantur; nimirum habet ipse meram bonorum beneficiorum detentionem, custodiam, atque administrationem. Tertium est, non repugnare naturæ, atque indoli commendarum, ipsas etiam laicis concedi; quamquam enim laici inidonei sint ad clericalia, sive hierarchica officia gerenda, non tamen inidonei sunt ad exercendas bonorum ecclesiæ temporalium curas, atque administrationes, intra quarum limites commendarum ratio continetur. Fateor quidem, recentioribus sæculis receptum fuisse, ut ecclesiæ, et monasteria, clericis tantum, vel religiosis viris commendarentur; at id potius ex constitutionibus ecclesiasticis inductum est ad evitandos, qui irrepserant, graves abusus, quam postulaverit natura ipsa, atque indoles commendarum. Quartum est, commendatarios, ne in minima quidem parte, ne, præmii quidem, aut laboris prætextu, posse jure ordinario fructus facere suos; id enim postulat natura depositi, et custodiæ, quæ commendis inest. Atque his accedit originaria disciplina inducendarum commendarum, juxta quam ecclesiæ, vel monasteria commendata dignoscuntur viris et nobilibus, et divitibus, de quibus nulla omnino subesset suspicio, qua crederetur, aut prætextu laboris aliquid præmii, aut prætextu inopiæ aliquid alimentorum caussa erogandum, ab illis vindicatum iri. Qua in re percipienda, multum interest conferre veteres commendatarios cum beneficiariis. Beneficiariorum eligendorum caussa, etiamsi de episcopatibus ageretur, nulla habebatur ratio aut nobilitatis, aut familiarium facultatum, propterea quod quicumque beneficiarius esset, de rebus beneficiariis jure poterat sibi, suisque necessitatibus consulere. Secus contigit in commendis, in quibus commendatarii ratio habebatur, ut primum nobilitate preclarus esset, quo validius bona vacantia tueretur; ut deinde opibus abundaret, quo tutius quidquid ex bonis ecclesiæ redigeretur, totum in ecclesiæ ejusdem utilitatem converteretur; quo clarius ex iis intelligetur, quæ modo inferiu dicenda erunt.

Fuit hæc primigenia commendarum natura: at enim successione temporum plures emerserunt commendarum species, ex quibus, etsi quædam eandem indolem retinuerunt, quædam tamen ab eadem indole aut multum, aut aliquantulum recesserunt. Hinc aliæ dictæ fuerunt commendæ propriæ, aliæ impropriæ. Propriæ sunt, quoties alicui bona monasterii, vel ecclesiæ certis in casibus commendantur, adeo ut in istis agnoscatur, bona primum fuisse libera penes ecclesiam, vel monasterium, sive fuisse in libera administratione prælatorum aut ecclesiasticorum, aut regularium; et nonnisi successione temporis transiisse in alicujus custodiam, sive commendam. Impropriæ sunt, quoties quisquam, exemplo propriarum commendarum, sui gratia, aut etiam suorum, sive heredum, sive filiorum, sive cujusque alterius de familia, aut agnatione certam commendam erexit, nimirum certa bona commendæ titulo possidenda, translato dominio in monasterium, vel ordinem religiosum. Id obtinere cœpit, postquam nonnullis ordinibus militaribus commendari cœperunt bona ecclesiarum, vel monasteriorum, non quidem ut ecclesiis, aut monasteriis bonorum dominis occurreretur, sed ut militares ordinis certis subsidiis juvarentur; unde passim equites militari ordini adscripti commendæ titulo bona earundem ecclesiarum, vel monasteriorum possidebant. Hoc exemplo nonnulli, quo facilius, aut commodius militari ordini adscriberentur, certa bona patrimonialia in religiosum eundem militarem ordinem transtulerunt, ea conditione, ut possessionem eorundem bonorum non amitterent, vocatis insuper ad simile jus certis personarum gradibus, sub nomine commendæ. Commendæ hujus generis quandam similitudinem habent cum feudis oblatis; quamdam etiam similitudinem cum patrimoniis clericalibus, quæ a clericis constituuntur, gratia sacræ ordinationis, ubi ipsi beneficiario ordinationis titulo destituantur; hoc tantum inter patrimonia clericalia, et commendas hujus generis intercedente discrimine, quod patrimonia clericorum, mortuo clerico, ad pristinam naturam revertantur, sed commendæ utpote non tam religiosis militibus quam militiæ ipsi adsignatæ, perpetuo in militiæ proprietate consistant, et penes eandem militiam maneant, mortuo etiam institutore, et extincta linea vocatorum. Improprias autem appello commendas hujus generis, propterea quod, saltem quousque a fundatoribus, necnon a vocatis a fundatore tenentur, non intra meri depositi rerum alienarum fines continentur, imo in ipsis non solum usus, sed etiam usus fructus institutori commendatario, et personis ab institutore vo-

catis reservatur; qua in re similitudo quædam inest inter has commendas, et beneficia ecclesiastica laicæ fundationis cum reservatione jurispatronatus, sive activi, ut vocant, sive passivi. Commendæ propriæ iterum sunt in duplici genere; vel enim temporales sunt, vel perpetuæ. Temporales sunt, quæ omnino ad certum tempus fiunt, et omnino gratia ecclesiarum, aut domuum religiosarum. Quid enim, si cathedralis, vel parochialis ecclesia, vel aliud quodcumque beneficium vacet? Necessario commendanda alicui sunt bona vacantis ecclesiæ, aut beneficii, donec successor in ecclesia, et beneficio designetur. Quid, si belli, vel cladis occasione, vel clerici ab ecclesia, vel monachi a monasterio abscedant, vel alius non absimilis casus emergat, quo ecclesia, vel monasterium destituatur ordinariis administris? Etiam in his adjunctis bona ecclesiæ, vel monasterii commendantur; donec caussa perdurat; et commenda cessat, sublata caussa. Perpetuæ commendæ iterum sunt duplicis generis, vel enim dicuntur perpetuæ, quia alicui in perpetuum, idest donec vivat, conceduntur; tum vero non gratia ecclesiæ, sed gratia commendatarii fiunt: nimirum contingit aliquando, ut præmio donandus sit quidam de ecclesia optime meritus; atque tunc expedire aliquandò visum est, ut bona ecclesiæ, vel monasterii eidem concedantur titulo commendæ, cujus concessionis is effectus est, ut commendatarius bonis ecclesiæ utatur, ac si verum beneficii titulum obtineret. Hac in specie verius diceretur, quendam commendari ecclesiæ, vel monasterio, quam vel ecclesiam, vel monasterium alicui commendari; neque dubitarem dicere, beneficia ita commendata adhuc tanquam vacantia habenda esse, cum nullus titulus vere in commendatarium transferatur. Vel dicuntur commendæ perpetuæ, quia non expedit amplius exerceri titulum, et bona ecclesiæ, vel beneficii sub titulo commendæ perpetuo conceduntur pluribus invicem sibi succedentibus, ac si commendatarii pro beneficiariis habeantur; tum vero adhuc dicitur proprie vacare beneficii titulus, et remanere penes ecclesiam quasi sopitus, nisi tamen quamdam vacationis speciem in eo esse fingamus, quod, mortuo commendatario, alius quisquam commendam veluti vacantem petere possit, atque impetrare. Videatur Faber in cod. de sacrosanctis ecclesiis defin. 10.

Finis commendarum diversus est, prout diversæ sunt commendarum earundem species, ac qualitates. Si de impropriis commendis loquamur, iis nimirum, quæ a privatis erectæ sunt causa religionis militaris profitendæ retento a fundatoribus jure patronatus, istæ duplicem habent finem, in primis ut religio ipsa, sive ordo militaris amplificetur, deinde ut qui sibi juspatronatus, unde commendæ emolumenta retinentur, reservavit, ordini militari facile adscribatur; atque ad istas commendas minime referuntur, quæ generaliter sacris canonibus de commendis ecclesiarum, ac beneficiorum statuta sunt; cum potius instar fidei commissorum censeantur, quousque saltem a fundatore, et fundatoris successoribus retinentur. Cum vero nulli supersint a fundatore vocati, remanent illæ veluti quædam beneficiorum imagines, et recensentur inter bona militiæ propria, quæ ex magni magistri collatione, ac dispositione pendent. Alius est finis commendarum propriarum, et quidem dissimilis, prout modo temporalis, modo perpetua commenda est. In commenda temporali versatur utilitas una ecclesiæ, vel monasterii, veluti cum bona ecclesiæ vacantis alicui commendantur, ut custodiantur, et successori reserventur, aut cum ecclesiæ dirutæ redditus alicui commendantur, ut ecclesia restituatur etc. Qua in specie non repugnat, commendatario nonnihil in præmium laboris, aut in vitæ subsidium concedi arbitrio illius, qui bona eadem commendavit, considerata qualitate reddituum, et operarum. In commenda perpetua, quæ fit gratia personæ alicujus optimæ de ecclesia meritæ, cum eadem persona interitura, finis est, ut præmium commendatario concedatur. Qua in re et potestas concedentis, et ecclesiæ, vel monasterii qualitas, et merita ipsa commendatarii consideranda sunt, ut omnia rite recteque, et sine fraude facta fuisse percipiantur; tum vero quoties nihil horum omnium desit, et quæratur de juribus commendatarii, ex formula concessionis, sive indulti omnia dirimentur. In commenda perpetua ita constituta, ut de successore in successorem, quasi instar beneficii et sub perpetuo commendæ titulo transferatur, finis alius honestus agnosci non potest, quam majoris publici boni contemplatio; propterea quod non interesse videatur, aut certam ecclesiam cum adnexis beneficiis restaurari, aut renovari monasterium semel dirutum, aut seu ecclesiam, seu monasterium multis redditibus abundare; sed satius ducatur vel integros redditus, vel certam reddituum partem sub commendæ titulo alicui concedi in alios usus, ex quibus major utilitas in rempublicam, et in ecclesiam emergat. Hic sane agi videtur de jure publico, seu de potestate extra ordinem exercenda, de commutandis voluntatibus fundatorum, de re uni concessa in alterum transferenda, de auferendis juribus semel quæsitis, de quibus omnibus meum non esse videtur disputationem movere. Paucis tamen dicam, non dubitare me de auctoritate publica, quæ supremis et reipublicæ, et ecclesiæ administratoribus competit in hac parte; dummodo præ oculis semper habeantur et solemnitates, et caussæ, serventurque fines abs jure publico positi in his, ac similibus speciebus. Imo non desinam commemorare, quid in hac parte moribus ali-

quando inductum fuerit, quid itidem legibus constitutum, qua in cathedralibus ecclesiis, qua in beneficiis minoribus, qua denique in monasteriis; siquidem ex iis, quæ in facto consistunt, quid juris inde emergat, prudens quisque commode poterit intelligere.

Triplex aliquando fuit in cathedralibus ecclesiis commendæ genus, unum profecto altero antiquius. Vetustissimum est, et prope necessarium, quod obtinebat, dum cathedralis ecclesia vacaret, vel ubi clerici cathedrali addicti non satis opportune potestatem episcopalem exercuissent, vel generaliter in iis provinciis, in quibus ex consuetudine unus ex comprovincialibus, ut plurimum proximus, episcopus ad administrandam vacantem ecclesiam ex mandatu archiepiscopi aut concilii provincialis accedebat. Is vacabatur interventor, vel intercessor, vel visitator, quemadmodum liquet ex can. 16, 17 et 19, dist. 61, can. 22, cau. 7, quæst. 1, imo etiam liquet ex historia schismatis in romana ecclesia suborti inter duos electos Symmachum et Laurentium, quo tempore curante Theodorico rege, datus est romanæ ecclesiæ visitator Petrus episcopus altinensis. Nemo inde non colligit, commendas hujus generis directas fuisse tantummodo in utilitatem vacantis ecclesiæ, et certo tempore circumscriptas; eamque ob rem electo episcopo successore evanuisse. Non tamen diutius constitit hæc disciplina, propterea quod nonnulli ex intercessoribus, seu interventoribus, seu visitatoribus facultate sibi concessa abuterentur, nimirum aut plus, quam par esset, redditus vacanti ecclesiæ in suos usus converterent, aut negligentes essent in curanda novi episcopi electione, argumento dicti canonis 22, cau. 7, qu. 1, imo et aliquando contingeret, ut finitimus episcopus visitator constitutus operam omnem impenderet, quo unionem vacantis ecclesiæ cum ecclesia sua impetraret, argumento canonis 48, cau. 16, qu. 1. Abiit ergo in generalem disciplinam, ut vacante cathedrali ecclesia capitulum ejusdem ecclesiæ veluti commendata reciperet ac custodiret jura episcopalia; et, si forte certa adjuncta suadeant, aliquem visitatorem excluso capitulo præfici, id non ab alio fiat, quam a pontifice maximo, nisi constituendus esset ob capituli negligentiam, quo casu id metropolitano non denegatur, cap. 4, de suppl. neglig. prælat. in 6. Porro in hac temporalis commendæ specie, qui administrat, omnia reservare debet successori, nihil vindicare sibi, nisi forte superioris auctoritate, aut legitima consuetudine, quidquam eidem veluti ad quandam incommodi compensationem indulgeatur, dicto can. 22, cau. 7, q. 1, concilio tridentino sess. 24, de ref. c. 16. Aliud commendarum genus media ecclesiæ ætate inolevit, quo nimirum tempore, ubi sedis episcopalis vacaret, nonnullorum invasione bona et jura episcopalia diripiebantur. Ut his incommodis obviam iretur, cœperunt viri potentes, præsertim fundatores, aut fundatorum successores, patrocinio suo bona vacantia tueri, ac vel custodire ipsi, vel aliis custodienda mandare. Hinc qui eadem bona custodiebant, dicebantur *guardiam, seu custodiam* habere, cap. 23, de jurepatron. cap. 13, de elect. in 6, revera autem commendatarii dici poterant, quorum officium continebatur intra fines administrationis rerum ecclesiasticarum temporalium, quousque successor vacanti ecclesiæ daretur, adjecto onere, ut fructus omnes, atque obventiones successori eidem concederentur. Isthæc disciplina opportuna esse poterat in conspectu certarum personarum, quales sunt religiosi principes, apud quos numero plures adhuc hodie custoditur, verum ob novos quorundam conatus, modum accepit a lugdunensi concilio sub Gregorio X, celebrato, uti liquet ex cap. 13, de elect. in 6. Tertium commendæ genus antiquissimum etiam est, et diu in ecclesia perduravit, constitutum in ea specie, qua episcopus aut ejectus esset injuria temporum ab ecclesia sua, aut simili temporum injuria impediretur, ne ad ecclesiam suam accederet. His in adjunctis electo, vel impedito episcopo permittebatur, ut ad aliam vacantem ecclesiam cathedralem transveheretur, retento prioris ecclesiæ titulo, quasi posteriorem ecclesiam commendationis nomine regeret, quemadmodum in specie canonis 5 et 6, cau. 21, q. 1, tum vero ego potius crederem, verius episcopum ecclesiæ, quam ecclesiam episcopo fuisse commendatam; hic enim modus erat, quo episcopo necessitate presso occurreretur, sive ut ex nova ecclesia alimenta perciperet, sive ut in nova ecclesia dignitatem episcopalem exerceret, tamdiu ea commendatione duratura, quamdiu non potuisset episcopus ad titularem ecclesiam migrare. Quicumque hac ratione in certis ecclesiis interea ministrabant, dicebantur in eadem ecclesia *incardinari*, sive illius ecclesiæ, *cardinales* administri, can. 5, dist. 71, romani correctores ad hunc canonem 5, adnotaverunt, verbum *cardinare* eandem habere significationem cum verbo *transferre*; sed id viris recentioribus eruditis minime placuit; adnotantibus, in translatione penitus dissolvi vinculum, quod clericus cum priore ecclesia contraxisset; secus vero, ubi clericus tantum esset certæ ecclesiæ *incardinatus*, nam iste adhuc adstringitur prioris ecclesiæ ministerio, cui præsto esse debeat, statim ac libere valet ad priorem ecclesiam remeare. Et quidem hæc commendarum, sive *incardinationum* species maxime in usu fuit sæculo ecclesiæ decimotertio, postquam Græci urbem constantinopolitanam cum universis propemodum orientalibus provinciis a latinorum imperio eripuerunt. Consueverant Latini initio illius sæculi

designare latinos episcopos in illis urbibus; sed excussa potestate Latinorum, Græci latinos episcopos exulare jusserunt, unde multi esse cœperunt, uti adhuc hodie designari solent, episcopi titulares. Ejecti episcopi certas episcopales administrandas latinas ecclesias, quasi *incardinatione* facta ex pontificis maximi indulto obtinuerunt; ac tum primum traditum est, non repugnare, duas habere episcopales ecclesias, unam in titulum, alteram in commendam, quod sub nomine Leonis IV, ex collectione gratianea probatum esse dicebatur, can. 3, cau. 21, q. 1. Imo et hac occasione nonnulli, qui a residentiæ legibus se exemtos ducebant, sæculis recentioribus plures cathedrales ecclesias obtinuerunt, allegantes modo, se ex una tantum cathedrali ecclesia opportuna alimenta habere non posse, modo, quasdam ecclesias cathedrales ita dirutas esse, aut destitutas, ut salubrius episcopo jam designato in altera ecclesia commendarentur; modo alias his similes caussas. Id doluit Clemens V. et quidem gravissime, in extrav. 2, de præb. int. com. qui licet hujus generis indulta dudum concessisset, eadem tamen, re maturius considerata, abrogavit, cassavit. Tandem deducta res fuit ad trid. concilium, in quo, cum firmata esset saluberrimis decretis lex residentiæ episcopalis, cautum est, ut nemo duplicem ecclesiam teneret, ne eo quidem prætextu, quod unam haberet in titulum, alteram in commendam, c. 4, sess. 7, et c. 24, sess. 17, de ref.

Valet hæc argumentatio: commendari potuerunt cathedrales ecclesiæ, ergo potiore jure commendari potuerunt ecclesiæ parochiales ceteraque beneficia aut episcopali, aut parochiali officio minora. Etenim cum commenda nihil aliud sit, quam custodia jurium et bonorum in re vacante, omnia beneficia primum æque vacare poterant, et æque erant alicujus custodiæ committenda; deinde si, quamquam longe pluris interesset cathedras episcopales non diu vacantes relinqui, nihilominus hæ aliquando diu commendatæ fuerunt, non adeo indecorum multis videbatur, commendari inferiora beneficia, in quibus non adeo intererat, quantocius constitui successorem. At ex hac ipsa ratione non valuit hæc argumentatio e converso: abrogari omnino debuerunt commendæ cathedralium ecclesiarum, quæ gratia commendatarii fierent, uti modum traditum est; ergo etiam similes commendæ abrogandæ fuerunt in beneficiis inferioribus universis. Siquidem in istis modo obtinuit, ut generalis disciplina induceretur ad supprimendam commendæ diuturnioris concessionem; modo, ut nonnihil a generali disciplina recederetur, prout interesse poterat, certa beneficia ordinario ministro non destitui, certa e contrario diu vacare, et penes aliquem interea deponi, deposito per longum tempus duraturo. Hinc liquet, in ecclesiis parochialibus, in beneficiis, et officiis cathedralium, aut collegialium ecclesiarum consultius fuisse, diuturnas commendas gratia commendatariorum non admitti, aut semel admissas aboleri quamquam in beneficiis simplicibus non adeo custoditus fuerit ordinariæ disciplinæ rigor, in conspectu præsertim recentioris traditionis, juxta quam clerici in hoc simplicium beneficiorum genere blanditi sibi sunt, sese a residentiæ lege liberos arbitrati, ratique se jure beneficii adhuc potiri jure posse si per substitutos certa ministeria beneficio adnexa obeant; quid enim obest, quin et æque id commendatarius quisque etiam perpetuus exequeretur? Itaque, ut de parochialibus ecclesiis primum dicam, facile est invenire in istis, eodem modo quo de cathedralibus dictum est, triplex commendæ genus. Primum est, ubi ecclesia parochialis vacet, cui olim dicebatur dari visitator ab episcopo, ut interea bona et jura parochialia administraret, donec successor in parochiali beneficio designaretur, quod quantocius fiebat, can. 3, dist 24. Eodem fere modo, quo etiam hodie ex disciplina tridentini concilii œconomus constituitur, quæ consuetudo non tam saluberrima est, quam penitus necessaria. Alterum commendæ genus erat apud veteres, quod fieri dicebatur per *incardinationem*, argumento dicti canonis 3, quando scilicet sacerdos quidam injuria temporum ejectus a parochiali ecclesia sua, alteri parochiali ecclesiæ vacanti præficiebatur, quousque ad ecclesiam sui tituli reverti libere posset; quæ disciplina etiam probabilis erat, ut certa ratione sacerdotum incolumitati, dignitatique consuleretur. Tertium commendæ genus inductum fuit, quo tempore clerici plures augendo privato peculio inhiantes conquerebantur de tenuitate reddituum beneficii sui, atque ab episcopis postulabant, ut præter beneficium, quod obtinebant, sibi alia beneficia concederentur sub nomine commendæ, quod fieri jure posse putabant in conspectu canonis 4, cau. 21, quæst. 1. Id frequentius contigit in archidiaconis, cum enim istorum officium olim esset, ut cum parochialis ecclesia vacaret, ad vacantem ecclesiam pergerent, curam jurium, bonorum, futuræque novi parochi designationis habituri, can. 20, dist. 63, non omnem omnino diligentiam adhibebant, ut quamprimum successor parochus constitueretur, identidem sibi diu retinentes parochialia beneficia veluti suo officio commendata. Hinc in cap. 54, de electione species proponitur de archidiacono plures parochiales ecclesias retinente. Hinc de hac ipsa custodia vacantium parochialium ecclesiarum lites aliquando emerserunt inter episcopos, et archidiaconos, cap. 6, de institution. Hinc etiam sine delectu vel ab episcopis, vel ab archidiaconis custodia parochialium vacantium com-

mittebatur, argumento capitis 12, de accusation. Duo inde graves abusus emergebant; primus ex eo, quod custodia erat nimis diuturna, et qui custodem designaverant, non curabant electionem parochi successoris, secundus etiam gravior ex eo, quod custodia perpetuo aut retineretur, aut alteri concederetur ad vitam, quin parochiali officio per custodem, alibi ut plurimum degentem, satisfieret. Gregorius X, in concilio lugdunensi statuit, ut vacans parochialis ecclesia a nemine custodienda concederetur ultra semestre tempus, et, si secus fieret, commendæ concessio esset irrita ipso jure, et inanis, cap. 15, de elect. in 6, quod decretum maxime convenit cum disciplina generali quæ postulat ne beneficia vacent ultra semestre tempus, sed debeant intra illud tempus omnino conferri. Insuper concilium tridentinum expresse vetuit, ne qui beneficium unum obtinuisset alterum parochiale beneficium obtineret, ne sub specioso quidem perpetuæ commendæ prætextu, c. 4, sess. 7, et cap. 17. sess. 24 de reform. Quod de parochialibus beneficiis dictum est, facile et ceteris accommodari potest. Siquidem et triplex eodem modo commendæ genus in ceteris invaluit olim, quousque tandem recipi debuit, ut commendæ nec ultra semestre tempus ab ordinariis fierent, dum beneficium vacaret, nec quis duo beneficia, unum in titulum, alterum in commendam perpetuo possideret, juxta laudatum decretum lugdunensis concilii sub Gregorio X, et juxta laudatas concilii tridentini constitutiones. Equidem fateor, decretum concilii lugdunensis in dicto cap. 15, de elect. in 6, de solis parochialibus ecclesiis expresse fuisse conceptum; quando tamen alias verum fuit, episcopos vacantia quæcumque beneficia debuisse conferre intra semestre tempus, quo elapso jure devolutionis fieret collatio a superiore prælato, facile evenit, ut episcopi commendas amplius non concederent ultra semestre tempus in beneficiis quibuscumque. Hæc quidem omnia adamussim servata fuerunt in beneficiis, quæ personale officium postulant, et in quibus personalis residentia sine ulla contradictione sanciri severissimis legibus potuit, qualia sunt non solum parochialia, sed etiam canonicalia, aut canonicalibus proxime accedentia in catheralibus, et collegiatis ecclesiis. At quoties de simplicibus beneficiis agatur in quibus clerici ne residerent, sibi admodum blanditi fuerunt, rati se posse per substitutos officium beneficio cohærens exequi, aliquando rigor ejus disciplinæ relaxatus adparet gratia quorumdam ordinum, seu militiarum religiosarum, quarum egregia in ecclesiam merita singularibus ornata sunt privilegiis, atque distincta quales sunt ordines sanctorum Mauritii et Lazari, sancti Joannis hierosolymitani, sancti Stephani, aliique complures. Jamdiu cautum erat, ut laici homines etiam patroni ecclesiarum, ac beneficiorum ab occupandis retinendisque ecclesiarum bonis abstinerent, cap. 23, de jurepatron., concil. trident. cap. 3, in fine sess. 24, de reform. Sed quæ de laicis hominibus statuta sunt, non adeo rigide etiam recipi debuerunt, ubi de viris religiosis ageretur, quorum professio prope accederet ad clericalem conditionem, et quorum ex instituto certe derivabant in res ecclesiasticas utilitates. Hinc ex pontificum maximorum indultis ac privilegiis obtinuit, ut certa ecclesiastica beneficia, præsertim simplicia, religiosis eisdem in commendam concederentur, propterea quod in titulum concedi non poterant, quando viri laici utut religiosi sacra et hierarchica, seu ex ordine pendentia ministeria obire nequibant; in commendam, inquam, ita, ut miles religiosus bonis beneficii uteretur, ac si clericus beneficiarius esset, sacra vero officia beneficio adnexa per clericum impleri curaret. Huc pertinet singulare illud privilegium concessum religioso ordini sanctorum Mauritii et Lazari, cujus magni magistri piissimi Sabaudiæ duces facultatem a Pio V, pontifice maximo obtinuerunt beneficia omnia ecclesiastica de jurepatronatus laicorum, quæ personale ecclesiarum servitium non requirunt, ejusdem ordinis equitibus patronis non dissentientibus commendandi. Videatur constitutio Pii V, quæ incipit *Sicut bonus agricola*, quam recens interpretatus est, imo etiam ampliorem reddidit Benedictus XIV, in sua constitutione, quæ incipit *Fructuosa*. Notandi profecto sunt fines, quibus hujus generis privilegia contineri solent. Nimirum commendari facilius obtinuit beneficia jurispatronatus laicorum, quæ personale ecclesiarum servitium non requirunt. Versatur in hac re commutatio quædam voluntatis fundatorum publica auctoritate facienda. Porro in hoc beneficiorum genere non adeo publica ecclesiæ utilitas versatur, quando talia beneficia sunt, quæ personale non adeo postulant in ecclesia ministerium. Potius in iis sollicitus fuit fundator, vel de singularibus orationibus pro se fundendis apud Deum, vel de liberalitate exercenda in clericum familiæ suæ, vel a successoribus designandum. Ubi interveniat auctoritas publica pontificis maximi, apud quem suprema est piarum voluntatum sollicitudo, ubi principes non dissentiant, quibus etiam cohæret cura executionum piarum voluntatum, ubi patroni, veluti defensores voluntatis fundatorum, idipsum adprobent, nihil est in quo ea voluntatis immutatio reprobetur, quando ipse fundatorum finis, si non in omnibus adjunctis, saltem in genere suo ex gravi suadente utilitate, obtinetur. Non ita facile in ceteris beneficiis dispensatum est, in iis videlicet, quæ directo instituta fuerunt ob utilitatem publicam ecclesiasticam, a qua prætextu uti-

litatis in alio genere constitutæ non æque recedendum persuasum fuit, quousque major ratio non adpareat unius a fundatore non attentæ, quam alterius a fundatore contemplatæ publicæ utilitatis.

Magna fuit priscorum religiosa pietas in ædificandis, ditandisque monasteriis gratia monasticorum ordinum, et monachorum; sive quod monasteria nihil aliud essent, quam secessus quidam hominum libere, in solitudine divinarum rerum contemplationi atque orationi vacantium, sive quod monasteria essent veluti seminaria clericorum, in quibus et studia colerentur, et virtutes quæcumque optime exercerentur; unde quemadmodum ex erectione eorundem pii fundatores bene apud Deum, ecclesiamque merebant, ita ex orationibus monachorum, quasi suffragiis, et viventes adhuc, et defuncti juvabantur. Sed res humanæ etiam optime constitutæ non diu consistere solent, modo ex injuria temporum, modo ex vicissitudinibus prudentiæ publicæ omnia aurigantis, modo ex inconstanti voluntate illorum qui rebus eisdem utuntur, vel similibus de caussis. Per varias labentes ætates monasteria magnifice splendideque ditata quibusdam occasionem invidiæ dederunt; invidiam pone secuta est indignatio adversus quosdam monachos, qui rerum quæsitarum minime contenti ad ulteriora in dies anhelabant; atque hæc indignatio juxtas aut æquas aliquando caussas, quibus aut protegeretur, aut excusaretur, invenit, ubi allegari demonstrarique cœpit, monachos jamdiu plures a pristina regulæ custodia deflexisse, quasi sancte pieque olim in paupertate, aut sobrietate vixissent; in opulentia dein luxum amavissent, et in luxu pericula gravissima invenissent. Concitatus hinc etiam fuit clericalis ordo, quod prætextu liberalitatis in monasteria, et monachos exercendæ, ecclesiæ clericales, clericique vilescerent, modo redditibus ecclesiarum in monasteria translatis, modo oblationibus, et decimis ad monachorum manus devenientibus ex laicorum offerentium voluntate. Imo et ipsi publici boni curatores, ubi tam amplas monasteriorum facultates et patrimonia circumspexerunt, certis finibus ea concludere meditati sunt, præsertim quod monachi ipsi non esse viderentur pares ad tot excolenda prædia, quot jamdiu fuerant monasteriis adquisita. Hæc prima fuerunt monasteriorum commendandorum initia, aut saltem originariæ caussæ. Jam temporibus Gregorii Magni non solum monastica bona quædam facile a monasteriis avocabantur, can. 41, cau. 17, qu. 4, sed etiam monasteria ipsa aut ad clericorum, aut ad laicorum potestatem transibant, can. 26, cau. 18, qu. 2. Id quidem Gregorius vetuit, quod insuper vetuit non multo postea trullanum concilium in can. 49, unde argumentum desumitur, in orientali æque ac in occidentali ecclesia fuisse a laicis occupata bona monasteriorum. Adhuc tamen in oriente percrebuisse abusum temporibus concilii nicæni II, demonstrat apertissime canon 13, ejusdem concilii; sed in occidentali ecclesia adhuc graviorem extitisse probant plura concilia sæculo octavo et nono celebrata, in quibus cautum est modo, ut abbates, et monachi in custodia regulæ suæ consistant, modo ut res a monasteriis, et monachis ablatæ eisdem restituantur. Videatur canon 24 et 25, concilii turonensis anni 813, can. 9 et 10, concilii meldensis ejusdem anni, et concilii parisiensis VI, cap. 18, lib. 3. In capitul. Vernensi anni 755, can. 10, hujusmodi commendarum, fit mentio, ibi: *Et si talis caussa evenerit, quod absit, quod ille abbas sic remissus, vel negligens inveniatur, ut in manus laicorum ipsum monasterium veniat etc.* Item in capitulari anni 823, cap. 8, relato in lib. 2, capitular. Francor. cap. 8, ita legitur: *abbatibus quoque, et laicis specialiter jubemus, ut in monasteriis, quæ ex nostra largitate habent, episcoporum consilio, et documento ea, quæ ad religionem canonicorum monachorum, sanctimonialium pertinent, peragant etc.* In lib. 1, capitularium cap. 110, cautum legimus: *Ut laici non sint præpositi monachorum*; et in libro 6, cap. 427, quod depromtum est ex cap. 4, concilii troslejani, res hæc acerrimis verbis urgetur, ibi: *Omnibus, nos ipsos corrigentes, posterisque nostris exemplum dantes, generaliter interdicimus, ut nullus laicus homo, vel imperator, vel rex, aut aliquis præfectorum, vel comitum, sæculari potestate fultus sibi per violentiam rapiat, aut a nobis competere, vel quocumque modo invadere præsumat monasterium, aut prædia, vel quascumque res de potestate episcopi, vel abbatis, aut abbatissæ, et incipiat ipse vice abbatis regere, et habere sub se monachos, et pecuniam possidere, quæ fuit Christi sanguine comparata. Talem hominem antiqui Patres nominabant raptorem et sacrilegum, et homicidam pauperum, et lupum diaboli intrantem in ovile Christi, et maxime anathematis vinculo damnandum ante tribunal Christi etc.* Innumera propemodum sunt sæculi octavi et noni monumenta, ex quibus demonstrari posset, laicos passim bona monasteriorum occupavisse, et audiri tunc passim consuevisse nomen *abbicomitum*, qui, uti notat Du-Cange in glossario, et comites erant in militia constituti, et commendatarii monasteriorum abbates. Quantus, et quam perniciosus regularium conditioni hic abusus fuerit, demonstrant troslejani antistites in can. 3, relato a Balutio in notis ad capitularia tomo 2, pag. 1127, ibi: *Nunc autem in monasteriis Deo dicatis monachorum, canonicorum, et sanctimonialium, abbates laici cum suis uxoribus, filiis, et filiabus cum mi-*

litibus morantur, et canibus. Unde in capitulis, quæ miserunt episcopi provinciarum rhemensis et rothomagensis Ludovico regi anno 858, inter cetera hoc habetur, referente Pithæo in glossario ad libros Capitolarium, tom. 2, pag. 732, balutianæ editionis: *Monasteria etiam religiosa, atque præcipua canonicorum, et monachorum, atque sanctimonialium habitacula, quæ ab antiquo tempore parentes vestri sub religioso habitu constituerunt, ac frater vester Dominus noster innuente partim fragilitate, partim aliorum callida suggestione, etiam et nimia necessitate, quia dicebant petitores, nisi eis illa loca sacra donaret, ab eo deficerent; et ipse aliquando per vos, sicut nunc patet, aliquando per fratrem vestrum regno destitutus, ab eis penderet, talibus, sicut scitis, personis commisit, debito privilegio restituite.* Non eadem profecto fuit caussa, aut occasio, qua aut variis ætatibus, aut diversis in provinciis bona abbatiarum, aut monasteriorum a laicis occuparentur. Quæ primum visa sunt hujus occupationis exempla, pertinent ea ad certa adjuncta temporum, quibus universum propemodum et orientale, et occidentale imperium bellis hostilibus turbabatur, ac quassabatur, tunc enim victores ut plurimum minus religiosi homines diripiebant bona ecclesiarum, æque ac monasteriorum, ac præsertim monasteria ipsa invadebant, propterea quod plurimi perterriti cives ad eadem monasteria secessissent, ad eadem deferentes una cum familia sua facultates universas familiares. Recentiora, octavi præsertim et noni sæculi, exempla aliam caussam habuerunt. Jamtum abbates monasteriorum cœperunt habere singulare peculium, et quidem non mediocre, sub nomine mensæ separatæ a monasterio; unde vitam communem passim negligebant, quasi extra monasterium revera viverent, licet in monasterio adhuc consistere viderentur. His accesserat, abbates post factam plurium feudorum concessionem gratia monasteriorum, cœpisse affectare aulica munera, imo et se comites adjunxisse exercituum ducibus, et clypeos adcommodavisse cucullis, uno verbo ea omnia seu in pace, seu in bello gessisse, quæ feudatarii universi gerebant, quod et aliquando in abbatissis visum est, uti conjicere juvat ex salubri Bonifacii VIII. providentia in cap. un. vers. *Verum quando abbatissa*, de statu regular. in 6. In his adjunctis laici homines intuentes, abbatum dignitates in re bellica, in re aulica, in re etiam judiciaria, et regimine populorum, et in administratione ingentis peculii consistere veluti sibi proprias facere non erubuerunt, rati, sufficere ad monachorum utilitatem curandam regulares priores in monasteriis degere, dum ipsi abbatum dignitate, et munere fungerentur in exterioribus et publicis rebus. Potiore etiam jure sibi laici vindicabant bona monasteriorum dirutorum quasi vacantia, ut plurimum ex liberalitate principum, veluti præmia concessa iis, qui bene de republica meriti fuerant, commutatione facta voluntatis fundatorum, ubi monasteria in pristinum statum restitui non expediret. Deventum est ad sæculum ecclesiæ undecimum, quo et vita monastica excoli melius cœpit et plura monasteria ædificata sunt ad cultum doctrinarum, quæ propemodum interierant, quo insuper clerici ad vitam communem ineundam ecclesiasticis decretis concitati fuerunt ad corrigendos mores, et licentiam vitæ, quæ pridem viris in Dei sortem vocatis dedecori fuerat. Tum vero aut bona monasteriorum iterum monasteriis restituta sunt, aut veluti transactione facta clericis concessa fuerunt, modo ita, ut pro monasteriis ædificarentur ecclesiæ et qui ecclesiæ ministrarent, redditibus monasteriorum uterentur, modo ita, ut clerici bona monasteriorum veluti sibi commendata reciperent, sponsione facta, qua clerici commendatarii iterum monasterium ædificarent, monasticam conditionem instaurarent, et monachos ipsos ad sequendam regulam concitarent. Et quidem hanc spem conceptam, veluti optimam habitam fuisse, nemo non videt; quamquam eventus non satis ex proposito cesserit: nimirum commendatarii clerici diu bona monasteriorum detinuerunt; et vita functis eisdem similiter constituti successores parili eventu illa administrarunt. Displicuit sane pontificibus maximis hæc disciplinæ regularis relaxatio, qui vetuerunt, nequis in abbatem eligeretur, nisi monasticam professionem elicuisset, cap. 37, 38, et 49, de elect., cap. 28, eod in 6, clement. 1, eod. tit. Clemens V, postquam clericis nonnullis dignitate præclaris monasteriorum commendas concessisset, ubi indulta sua singularia maturiore consilio expendit; eadem omnia revocavit, uti liquet ex extravag. 2, de præbend. int. com. Benedictus XII, in secundo, quod habuit, consistorio commendas omnes etiam revocavit, quas prædecessores concesserant, iis tantum exceptis, quas obtinuerant cardinales, aut patriarchæ, uti refert Raynaldus ad annum 1335. Cumque Clemens VI, iterum plures commendas monasteriorum contulisset, easdem revocavit Innocentius VI, ut iterum tradit Raynaldus ad annum 1353, et Platina de vitis Pontificum. Varia interea esse cœpit disciplina, uti adparet, modo institutis, modo revocatis monasteriorum commendis; cum enim ea tempestate turbarent romanam ecclesiam importuna schismata usque ad Martinum V, vix aptum potuit excogitari, numquam autem adferri remedium gliscenti in dies nonnullorum rebus monasticis abutentium corruptelæ. Leo X, hanc materiam finiendam obtulit concilio lateranensi anni 1514, sess. 9, in quo utrimque acerrime disputatum est, aliis pro

monasteriorum commendis, aliis contra easdem pugnantibus; unde cavendum interea fuit, ut monasteria eousque commendata apud commendatarios quidem ipsos consisterent, at post illorum obitum non aliis, quam *cardinalibus, ac personis qualificatis, et benemeritis* commendarentur; ulteriores vero monasteriorum commendæ non fierent, adjecta tamen hac clausula, *nisi pro conservatione auctoritatis apostolicæ sedis, et ad occurrendum malitiis eam impugnantium pro temporum qualitate aliter summo pontifici de fratrum suorum consilio visum fuerit expedire.* Additum præterea fuit, hujusmodi commendatarios, cujuscumque conditionis existerent, etiam cardinales si mensam habuerint separatam a mensa conventuali, quartam suæ mensæ partem pro instauratione fabricæ, sacrorum ornamentorum cultu, et pauperum alimentis; si vero mensa communis fuerit, tertiam omnium fructuum monasterii partem pro ferendis supradictis oneribus, et sustentatione monachorum conferre, hinc in literis commendarum monasticarum in curia expediendis hanc saluberrimam clausulam exprimi debere, unde lateranensis decreti memores essent commendatarii; qua clausula non expressa, nullius momenti commendæ concessio haberetur. Rursum hæc commendarum materies proposita fuit patribus tridentini concilii, qui generaliter in primis decreverunt, nemini concedendam esse commendam, qui jam beneficium ecclesiasticum possideret, cap. 4, sess. 7, de reform. Deinde in sess. 21, cap. 8, de reform. caverunt, ut episcopi commendata monasteria, ipsas etiam abbatias, prioratus, et præposituras, in quibus non viget regularis observantia, visitent, et curent congruentibus remediis, ut, quæ renovatione indigent, aut restauratione, reficiantur, nisi agatur de commendatis monasteriis, quæ subjecta sunt abbatibus capitibus ordinum ab episcopali jurisdictione prorsus exemtis; horum enim monasteriorum visitatio, et cura eisdem abbatibus fuit demandata, cap. 20, sess. 25, de regular. Denique iidem tridentini patres in sess. 25, de regular., cap. 21, respicientes ad monasteriorum commendas, expositis, quæ exinde proficiscebantur, incommodis, professi sunt, se ob difficilem temporum conditionem, nec statim, nec commune ubique adhibere remedium posse; interea vero confidere se prudentia ac pietate romani pontificis, quem curaturum sperabant, quantum tempora ferre posse viderit, ut monasteriis, quæ jam commendata reperirentur, quæque suos conventus haberent regulares personæ, ejusdemque ordinis expresse professæ, et quæ gregi præire, et præesse possent, præficiantur; quæ vero in posterum vacabunt, nonnisi regularibus spectatæ virtutis, et sanctitatis conferantur. Quoad vero ea monasteria, quæ capita sunt ordinum, decreverunt, teneri illos, qui ea in commendam tenerent, infra sex menses, aut religionem illorum profiteri, aut illis cedere; alias commendas ipsas, tamquam ipso jure vacantes haberi; mandantes denique ut in provisionibus dictorum monasteriorum qualitas singulorum nominatim exprimatur, aliterque facta provisio subreptitia esse censeatur, nullaque subsequente possessione, ne triennali, quidem, adjuvetur. Multa sane ex his omnibus consectaria colliguntur. Et primo, commendæ monasteriorum visæ fuerunt, veluti extraordinarium remedium ad continendos in officio monachos, statumque regularium reformandum, ad quod plane nunquam deveniri consuevit; nisi ubi ordinaria remedia deficerent; unde commendæ non facile interpretatione juvantur, eamque ob caussam laudati tridentini patres cum de commendis monasticis agerent, rem totam in pontificis maximi pietatem ac prudentiam contulerunt. Secundo, quoniam commendarum monasticarum jura extra ordinem sunt invecta receptum est, ut commendæ nonnisi pontificis max. auctoritate instituantur, præsertim postquam monasteria exemta, fuerunt abs jurisdictione ordinariorum, subjecta, uti loquuntur, immediate apostolicæ sedi. Faber in codice de sacros. Eccl. definit. 9. Tertio, ubi aut monasterium, aut mensa abbatialis est commendata, dicitur semper aut monasterium, aut mensa abbatialis vacare; etenim quousque commenda consistit, titulus nemini conceditur; ita exigente generali commendarum natura, quemadmodum initio præfabar. Quarto, si de jurisdictione quæratur ab abbate commendatario exercenda, dandus erit locus distinctionibus inter varia genera commendarum. Aliquando enim commendantur universa monasterii jura, veluti cum universum monasterium dirutum est, vel penitus monachis destitutum; tum vero abbas commendatarius ea omnia exercet, quæ exerceret, si existeret abbas titularis, utens etiam iis privilegiis, et exemtionibus, quæ monasterio concessæ demonstrentur. Aliquando adhuc existente monasterio, et monachis in monasterio degentibus, abbatia est commendata: tum vero iterum distinguendum est inter abbates commendatarios, qui habent mensam singularem, et separatam, et abbates commendatarios, quibus non est mensa separata a mensa monasterii. Quoties abbates commendatarii mensam habuerint separatam, tunc ipsi omnia jura abbatialia exercent in eos, enim tota abbatia cum suis juribus translata videtur. Sic et habent ipsi jurisdictionem in foro externo in populum, siquis populus monasterio subjacet, et in monachos ipsos, quasi abbas commendatarius successerit in hac parte abbati regulari primitivo, ejusdemque locum teneat et siquis adhuc in monasterio sit abbas regularis, iste in conspectu abbatis commen-

datarii loco prioris claustralis habebitur, qui scilicet jurisdictionem in monachos exerceat quidem, sed sub abbate constitutus. Quoties autem abbates commendatarii mensam separatam non habeant, minore jure donati censentur, habenturque quasi commendatarii non dignitatis, et officii abbatialis, sed rerum ad monasteria pertinentium; proindeque in iis quidem, quæ ad percipiendas monasticos redditus pertinent, liberam habebunt administrationem, dummodo observent sanctionem laudati concilii lateranensis sub Leone X, a ceteris autem, quæ ad monasticam disciplinam, et spiritualem jurisdictionem pertinent, gerendis abstinebunt, eademque gerenda abbati titulari et regulari relinquent. Quotiescumque hujus generis controversiæ emergant, utile semper erit ad primigenias tabulas confugere, quibus primum commendari cœperunt monasterii bona, vel ipsa monastica jura, quia nimirum in illis commendatarii jura definiri consueverunt: utile quoque erit in diuturnum usum inquirere, (observantiam pragmatici vocant), cum is optimus sit gestorum interpres. Denique ubi quæratur de usu fructuum, quo commendatarius gaudet, passim traditur, hodie commendatarios in hac parte, ubi commendæ perpetuæ sunt, beneficiariis titularibus æquiparari. Ego tamen adhuc in caussam institutæ commendæ inquirendum arbitrarer. Potest contingere in primis, ut non alia fuerit, neque alia perseveret commendæ caussa, quam quod monasterium dirutum sit, aut monachi ad exiguum admodum numerum redacti fuerint, atque adhuc exoptetur cum bona spe futurum, ut commendatarius monasterium restituat, sarciatque, monachorumque numerum inducat; atque hac in specie commendam intra meri depositi, et administrationis limites coercendam censerem, nihilque omnino a commendatario jure commendæ posse vindicari. Id perspicue insinuat natura depositi, et caussa institutæ commendæ. Potest e converso contingere, ut vel ab initio cum instituta commenda fuit, vel progressu temporis, publice videatur non interesse, aut iterum renovari dirutum monasterium, aut reduci monasterium ad pristinum numerum monachorum. Atque hac in specie versamur in commutatione voluntatis fundatorum, quæ ad eum casum devenerit, quo aut omnino, aut in parte executioni nequeat demandari. Huic igitur speciei ea accommodentur principia, quæ generaliter obtinent in commutationibus ultimarum voluntatum facienda ab iis, qui hanc habent in republica potestatem. Nimirum ita executioni omnia demandentur, uti meliore quadam ratione consulendum videatur: non careant defuncti et meritis, et suffragiis apud Deum, quorum spem olim maximam habuerunt: fluat ex commutatione voluntatis in rempublicam major utilitas, quam quæ ex reparato, restitutoque monasterio speraretur, aut saltem commoda paria referantur: augeatur ex commutatione voluntatis divinus cultus, promoveatur pietas ac religio; tum nihil erit, quod meo judicio probari non possit. Ubi hæc desint, quemadmodum ego vererer, ne quidquam contra generalia juris cujuscumque principia agatur, ita vererer maxime, ne et commendatariis, et commendarum institutoribus grave periculum animarum immineat. Hæc mihi fuisse videtur germana Ecclesiæ sententia, uti liquere facile poterit unicuique sedulo rem hanc pensanti, in conspectu præsertim monumentorum sacrorum, quæ superius commemoravi.

DISSERTATIO TERTIA

DE BENEFICIIS ERIGENDIS, RESTAURANDIS, UNIENDIS, VEL DIVIDENDIS.

Huc referendus est titulus 48. libri 3.

Beneficiorum erectio, restauratio, unio, aut divisio maximam habet adfinitatem cum erectione, restauratione, unione, aut divisione ecclesiarum; eædem enim regulæ fere utrobique servantur, eadem quoque utrimque colliguntur consectaria. Quamobrem uti in hac parte facile ab ecclesiis ad beneficia, et vicissim a beneficiis ad ecclesias argumentantur jure optimo scriptores nostri, ita velim, quæ de beneficiis infra dicentur, de ecclesiis etiam dicta, commoda atque æquabili collatione facta, intelligantur.

CAPUT I.

De beneficiorum erectione.

Quæ superius de generali beneficiorum disciplina, qua et beneficiorum natura, et proprietates, insuper variæ qualitates agnoscerentur, tradita sunt, facilem viam paraverunt ad ea expendenda, quæ spectant beneficiorum erectionem, de qua initio poni tria veluti summa principia possunt. Primum est, nullum esse, aut dici ecclesiasticum beneficium posse, nisi erectum auctoritate ecclesiæ proponatur; alterum est, nihil referre, an tacita, an expressa, an in actu, an ante actum, an demum post actum erectionis ecclesiastica auctoritas intercedat; postremum est, in vetustis beneficiis auctoritatem Ecclesiæ intercessisse præsumi. Et quidem in primis certum est, non esse beneficium, nisi quod sit erectum ecclesiastica auctoritate; quamquam enim ex simplici pollicitatione Deo et ecclesiæ facta proficiscatur obligatio, qua quis ad implendum, quod pollicitus est, teneatur; non inde tamen sequitur, exitu inspecto jam opus ecclesiasticum illud haberi, quod in pollicitationem simplicem venit. Id operatur gratia ecclesiæ pollicitatio, quod operatur contractus rei cujusdam præstandæ, gratia privatorum: atqui in contractibus, in quos certæ rei præstatio deducitur gratia privatorum, quæcumquæ nata inde fuerit obligatio, nondum tamen dominia transferuntur, nisi traditione secuta. Ergo in pollicitationibus gratia ecclesiæ factis, res in pollicitationem deducta nondum ecclesiastica fit, quousque juribus ecclesiæ ex consensu ejusdem ecclesiæ non adcenseatur. Atque, ut propius ad rem accedam, si verum est, pollicitationem loci cujusdam Deo dicandi, non efficere locum sacrum, quousque iste non fuerit auctoritate ecclesiæ dedicatus, can. 44, cau. 16, qu. 1, can. 9, de cons. dist. 1, cap. 8, de consecr. Eccl. vel. alt. cap. 25, de jurepatr. cur non idipsum obtinebit in pollicitatione certi peculii, beneficii erigendi caussa in ecclesiam transferendi? Imo et idipsum suadere videtur ecclesiastici beneficii indoles, ac natura. Siquidem si qui beneficium erigi mandat, eo ipso ab ecclesia postulat, ut certa sacra munera ab eodem fundatore designata ab ecclesia ipsa præstentur, eademque a clerico instituendo obeantur, nemo non videt, qua ratione ecclesia fundatori obligetur, nisi et ecclesia ipsa consentiat.

Dixi secundo loco, nihil interesse, an expressa, an tacita ecclesiæ auctoritas intercedat, neque enim novum est, ubi præsertim ecclesiæ versetur utilitas, expresso tacitum comparari, argumento cap. 2 et 3, de his, quæ fiunt, a præl. Tacitum consensum intelligo actum quendam, non solius fundatoris, qui ad ecclesiæ consensum referatur, sed actum prælati, quo adprobata beneficii erectio præsumatur. Hinc ad demonstrandum, intercessisse ecclesiasticam auctoritatem, minime sufficeret, si dignosceretur fundator beneficium erigendum proposuisse, adjecta conditione, ut clericus ab episcopo instituatur, quousque nulla episcopi institutio, aut ratihabitio accesserit, quemadmodum apud omnes receptissimum esse testatur Pyrrhus Corradus lib. 1, praxis beneficiariæ cap. 2, et Cabassutius lib. 2, theoriæ et praxis cap. 1, num. 2. Tum vero demum tacitus prælati consensus præsumetur, cum etiam sine expressa fundationis acceptatione prælatus alicui clerico beneficium contulisset, vel alio simili facto voluntatem suam demonstravisset. Adjeci insuper, nihil interesse, an ecclesiastica auctoritas in ipso actu interveniat, an ante actum exhibita proponatur, an actui jam edito accedat; agitur enim de eo consensu, qui eatenus necessarius est, quatenus inde demonstretur, ecclesiæ placere, vel placuisse, quod pius fundator faciendum mandavit. Non ignoro, quosdam esse actus, quorum forma postulat, ut subsequens ratihabitio non sufficiat, ubi is, quem interesse

mandatur a lege publica, præsens in ipso actu non fuerit. Exemplum romani juris cultores suppeditant in interventu tutoris in negotiis pupillaribus, ut omittam exemplum testamenti condendi, quod unico contextu fieri debet. Simile exemplum suppeditant cultores juris ecclesiastici in conjugio, cujus forma cum exigat parochi præsentiam, in caussa erit, ut, si parochus præsens non sit in actu celebrationis, quamquam deinde ratam celebrationem habeat, matrimonium nullius momenti esse dicatur. Verum hæc omnia neutiquam accommodantur quæstioni propositæ; non quod de testamentis dicitur, id enim originem habet et caussam ex subtilitatibus Romanorum non facile trahendis in exemplum de specie ad speciem; non quod dicitur de auctoritate tutoris in negotiis pupillaribus, aut de præsentia parochi in matrimonii celebratione; hæc enim pertinent ad formam actus, uti scholæ loquuntur, substantialem, quæ forma, si initio desit, actum ipsum corruere necesse est.

Dixi tertio loco, in vetustis beneficiis auctoritatem Ecclesiæ intercessisse præsumi, quod et tradidit Barbosa in lib. 3, jur. eccles. cap. 4, num. 33. Vel enim ipsa beneficii designatio, quam secutæ fuerunt identidem prælatorum collationes, argumento est tacitæ ecclesiasticæ auctoritatis. Neque negotium ullum facessit canon. 16 et 18, de consecr. dist. 1, ubi cum sermo fiat de ecclesiæ consecratione, et dubitatio emergat de ecclesia vetere, quam non constat esse consecratam; definitur, in dubio consecrandam esse. Num vero ex quo non consecrata ecclesia præsumitur, quasi a simili ducto argumento, concludetur, beneficio veteri nullam intercessisse ecclesiasticam auctoritatem? Nullius sunt momenti in hac parte hujus generis argumenta. Etenim, ut omittam, non adeo frequentem esse solere in ecclesiarum ædificationibus solemnem dedicationem, quemadmodum frequens est assensus in erectionibus beneficiorum; ut omittam præterea, non adeo facile superesse posse conjecturas factæ consecrationis, quemadmodum prostant conjecturæ consensus prælati in erectione beneficii; singularia quædam agnoscenda sunt in consecratione ecclesiarum, ad erectiones beneficiorum non in omni parte extendenda. Veteres ecclesiæ patres in consecratione ecclesiarum quoddam veluti symbolum constituerunt animæ Deo dicatæ in sacramento baptismatis et confirmationis. Quemadmodum enim et benedictione, et inunctione facta sacrarum ædium, sacræ ipsæ ædes fieri intelliguntur speciale summi numinis habitaculum; ita signa sunt sensibilia, eademque perennia divini spiritus inhabitantis in homine baptizato, ac confirmato. Hinc fit, ut ad instituendam, persequendamque analogiam, obtinerent ea in consecratione ecclesiarum, quæ in baptismate obtinent. Porro cautum sæpe fuit, ut ii, de quorum baptismate dubitaretur, baptizarentur. Cur ergo cavendum non similiter fuerat, ecclesias consecrandas esse, quarum consecrationis nullum monumentum existeret? His plane principiis non innititur erectio beneficiorum, quæ si ecclesiasticam auctoritatem exposcit, ex eo exposcit, quod invita, vel ignorante ecclesia nihil esse, aut dici possit inter jura ecclesiastica adnumeratum.

Nomine ecclesiasticæ auctoritatis in beneficiis erigendis necessariæ, intelligo auctoritatem ordinarii, sive ille episcopus sit, sive prælatus quisque inferior, quasi episcopalem jurisdictionem exercens. Et quidem id demonstrari facile potest ex antiquissima ecclesiæ disciplina, cui vix derogatum aliquando fuisse constat; statim ac enim certa diœcesis adsignata episcopo fuit, illud potissimum mandatum episcopo est, ut ipse ibidem clericos ordinaret, inter ordinatos sacra officia, et ministeria distribueret, redditus ecclesiarum inter ministrantes divideret, portionesque singulis debitas adsignaret, quæ omnia, si perpetuam habeant caussam, cur non beneficiorum erectiones appellaverimus? Recolantur hoc in loco, quæ tractationis initio præfabar de origine, et forma beneficiorum; atque id statim erit in aperto lumine collocatum. Videlicet cum primum per quatuor, aut quinque sæcula clerici fidelium oblationibus alerentur, propria erat potestas episcoporum ordinare clericos, peculiumque tribuere, imo et episcopi ipsi sponte archidiaconos, sive œconomos tributores peculii constituebant; quod si adparet aliquando præceptum episcopis, ut sibi œconomos adjungerent, id spectat ad urgendos adigendosque episcopos caussa exercendæ potestatis, non ad ipsam veluti singularem faciendam episcopis potestatem. Interea clerici sub episcopo constituti instar sacri collegii erant, et quidem ita probati, ut coire collegium posset, et bona ex largitione fidelium adquirere, et exposcenti episcopo consilium ac suffragium ferre, quemadmodum sexcenta demonstrare valerent et juris, et historiæ ecclesiasticæ monumenta. Ubi vero deventum est ad communionem et bonorum ecclesiasticorum, et vitæ a clericis ineundæ apud cathedrales præsertim ecclesias, hujus communionis, et ecclesiastici collegii institutio auctores eosdem episcopos habuit; imo et episcopali auctoritate discretæ, distributæque fuerunt variæ classes, ita ut clericis in communi viventibus præpositus, vel decanus communem ipsam vitam foveret, ac proveheret, presbyteros regeret archipresbyter, diaconos archidiaconus, notarios primicerius, scholam psallentium cantor, aliique hujusce generis ministri. Quidquod inde plura concilia recentioris ætatis non permiserunt quidem facta veluti indulgentia, sed jusserunt episcopis, ut cano-

nicos, theologos, pœnitentiarios, scholasticos crearent, nisi eam inesse penes episcopum potestatem agnovissent? Quæ enim in obligationem veniunt, et præcepto comprehenduntur, potestatem jam inesse supponunt. Quod si tandem ad ea ecclesiarum cathedralium adjuncta respiciamus, quibus dissociata bonorum, et vitæ communione, sive in cathedralibus ecclesiis distributa officia sunt, constitutæque præbendæ singulares, sive in ecclesiis diœcesanis modo parochialia officia instituta sunt una cum aliis muneribus in parochorum adjutorium erectis, modo certus cætus clericorum exemplo capituli cathedralis ecclesiæ designatus, unde collegiales ecclesiæ plurimæ emicuerunt; in universis agnoscemus episcopalem sollicitudinem æque ac auctoritatem. Hæc cum ita sint, nulla dubitatio erit, quin episcopus, si in ea diœcesi inveniatur, in qua necdum capitulum sit erectum, possit sibi capitulum erigere, veluti collegium illud in episcopalis sollicitudinis adjutorium advocandum. Nulla quoque dubitatio erit, quin possit in eadem ecclesia cathedrali novas dignitates erigere, non ad majus ecclesiæ decus et ornamentum, quam ad juvandam majoribus officiis, curandamque magis in dies ecclesiæ utilitatem. Nulla item dubitatio, quin possit in diœcesi collegia clericorum instituere, inque collegiis non tantum canonicorum numerum designare, verum etiam dignitates præficere, uno verbo, ea omnia gerere, quæ honesta, quæ decora, quæ opportuna, quæ utilia diœcesanis ecclesiis videantur. Nulla denique dubitatio, quin novas parochias ex caussa erigere valeat, novisque erigendis beneficiis inferioribus auctoritatem suam accommodare. Paucis universa colligamus. Ipsa antiquissima erectio collegiorum seu in cathedrali ecclesia, seu in diœcesanis ecclesiis episcoporum fuit. Hanc auctoritatem episcoporum adseruerunt, imo et laudaverunt concilia, ac pontifices maximi. Sic in can. 73, caus. 12, qu. 2, simplex ecclesia in collegium converti potuisse dicitur auctoritate episcopali, cui jungi possunt canones 12 et 18, can. 18, qu. 2. Sic in cap. 9, de vita, et honest. cleric. clerici jubentur in unum collegium convenire ex episcopi sui mandato. Sic de solo diœcesani assensu fit mentio in cap. 25, de jurepatron. ubi et de simplici et de conventuali ecclesia sermo instituitur. Sic in cap. 5, de eccles. ædif. quum quidam privatus vellet collegium in diœcesi episcopi instituere, id voluit Urbanus III, ex diœcesani consensu pendere. Sic in cap. 8, de constitut. dignitatis suppressio æque ac instauratio libere cathedralium ecclesiarum administris adseritur. Recentioribus sæculis nulla expressa reservatio adparet, ex qua diœcesani ab hac potestate explicanda semoti fuerint. Quid igitur obstat, quominus ordinarii eadem facultate libere uti pergant? Ad hanc generalem regulam ego unam tantum exceptionem adjicio in ea specie, qua agatur de nova cathedrali ecclesia erigenda, in qua et nova constituenda sit episcopalis dignitas, et novum una cum episcopali dignitate capitulum sit erigendum; tunc enim, quidquid olim vigeret, quemadmodum erectio novi episcopatus hodie reservatur pontifici maximo, hodie etiam capitulum ejusdem cathedralis ecclesiæ novæ ab eodem pontifice maximo erigieretur. Dixi *quidquid olim vigeret*, etenim nemo ignorat, antiquos metropolitanos jure suo novas cathedrales ecclesias in provincia erexisse, canon. 50 et 51, caus. 16, quæst. 1, cap. 16, de major. et obed. quæ tamen potestas sublata fuit primum ex interpretatione capituli 4, de offic. leg. ubi cum Innocentius III, eam facultatem tanquam unam ex majoribus denegaverit legato suo etiam a latere, glossographi tradere cœperunt, reservari pontifici maximo, etiam exclusis metropolitanis; deinde ex consuetudine generali, postquam Joannes XXII, edidit Extravagantem 5 et 6, de præb. int. com.

At enim quid in hac reservationum materie non commenti fuerunt interpretes præsertim sequioris ætatis, quorum aliqui eousque devenerunt, ut ordinariorum potestatem pene extinctam, seu intra levissimas caussas coercitam exhiberent? collegia omnia clericorum, quascumque etiam dignitates erigi non posse auctoritate ordinariorum, nonnulli scripserunt, relinquentes tantum potestati episcoporum erectionem minorum beneficiorum, et, quod mirum est, conquirentes speciosa argumenta, canones dixerunt se proferre posse perspicuos ad eam rem demonstrandam. Veluti fundamentum solidum opinionis suæ in medium prodiderunt canonem 1, dist. 22, ubi omnes dignitates ecclesiasticæ dicuntur fuisse ab una sede apostolica institutæ. Clarius id apparere dixerunt ex c. 6, de consuetud. ubi Innocentius III, profitetur, se londonensi episcopo *licentiam concessisse* ordinandi in londonensi ecclesia præcentorem. Miror ego, quod interpretes hujus generis non omnium beneficiorum, et ecclesiarum erectiones ab ordinariorum auctoritate subtraxerint, quando si hujus generis argumenta conquirebant, invenissent facile canones 4, 5 et 6, de consecr. dist. 1, in quibus statuitur, neminem ex episcopis posse dedicare ecclesias sine speciali sedis apostolicæ auctoritate. Forte visum fuit ipsis, hac ratione se posse universam ordinariorum potestatem extinguere, si eousque progressi fuissent, nec satis tutam esse posse adeo provectarum reservationum disciplinam. Ceterum non defuerunt interpretes, qui pro ordinariorum auctoritate pugnaverunt etiam in erectione capitulorum, collegiorum, ac dignitatum. Quando vero inter dimicantes interpretes nonnulli extiterunt, qui se medios ita

dixerim constituerunt, inventis quibusdam distinctionibus arbitrantes, se omnia facile componere facta quodammodo transactione, quin germanam canonum sententiam investigarent, atque proponerent: isti modo dixerunt, distinguendum inter dignitates, quæ olim in certa ecclesia extitissent, quæque deinde suppressæ forent; et dignitates, quæ nunquam in certa ecclesia extiterunt: illas restaurari posse, atque iterum erigi ordinaria auctoritate dixerunt, istas erectioni pontificis maximi reservari: modo dixerunt, distinguendum inter dignitates generaliter in ecclesia notas, seu in multis ecclesiis jam receptas, quales sunt archidiaconatus, archipresbyteratus, primiceriatus, et similes, atque dignitates, quarum novum esset, et necdum cognitum nomen ac officium, priores asserentes episcopalem auctoritatem non effugere, posteriores pontificiæ erectionis existere. Has ego puto transactiones, quæ laudari possent, ubi jus dubium foret, et quidem ex æquo et bono sanciendæ inter consentientes ad auferendas disputationes; parum tamen meo judicio opportunas ad eliciendam proferendamque germanam canonum disciplinam ordinariorum auctoritati suffragantem. Quamobrem conandum est, ut laudati canones lucem suam accipiant, atque ita interpretatione commoda illustrentur, ut nihil negotii amplius facessant illis, qui potestatem ordinariam tueantur, quousque non constet de singulari reservatione. Itaque adfertur in primis in contrarium canon. 1, distinct. 22, in illis verbis: *Omnes dignitates instituit romana ecclesia.* Monumentum istud falso Nicolao I, adscriptum est, verius adscribendum Petro Damiani, qui legatione fungebatur Nicolai II, apud Mediolanenses, quorum mores tunc temporis erant inquinati. Homiliam ad populum habuit Petrus, qua suadebat, mores fidelium universorum exigendos esse ad disciplinam ac doctrinam romanæ ecclesiæ ab ipso Christo Domino per S. Petrum apostolorum principem edoctæ, qua in re ajebat, *Dignitates omnes a romana ecclesia institutas fuisse* idest edoctas, atque in disciplina morum recte eruditas. Bone Deus! Quid hæc commune habent cum proposita disputatione? Adeo desipuerunt, qui hoc monumento abusi sunt, nisi forte venia concedatur illis, qui verbis gratianeorum monumentorum inhærebant, quin monumenta ipsa in suis autographis scrutarentur, eorundemque spiritum ex contextu, et ex scopo hauriendum arriperent. Quod spectat capitulum 6, de consuetudine, verum ecquidem est, londonensem episcopum confugisse ad auctoritatem Innocentii III, ut præcentorem ordinaret; eundemque Innocentium ordinandi præcentoris *licentiam concessisse.* Quid inde? Non est hæc certa juris dispositio, quæ reservationem inducat. Potius factum ibidem proponitur episcopi rogantis de ea re, quam agere vi sui muneris potuisset, et quam maluit agere apostolicæ sedis auctoritate, ea potissimum de caussa, quod cum præcentorem ordinaturus esset, dubitabat, qualia jura in concursu aliarum dignitatum præcentori decerneret, quemadmodum ex rescripti contextu adparet. His adjiciendum est, londonensem episcopum, si ordinario jure præcentorem ordinavisset, debuisse exquirere consensum capituli sui. At consensum capituli obtinere eousque non potuerat, quemadmodum liquet ex integri rescripti lectione, ubi dicitur inter cetera, decanum, et quosdam alios personatus in capitulo habentes *suam apostolicæ sedi transmisisse querelam*; atque eam ob caussam optaverat londonensis episcopus ut intercedens auctoritas apostolicæ sedis defectum solemnitatis illius, sive consensus capituli omnino suppleret; quod et jamdiu Gonzalezius adnotavit ad dictum capitulum 6. Jamdudum obtinuerat, ut auctoritas pontificis maximi solemnitates suppleret, argumento capituli 1, de transact., argumento ducto ex l. 19, cod. de testamentis. Imo et in hac ipsa specie consensus capitularis, idem Innocentius III, disciplinam sui temporis etiam in Anglia receptam commonstrat ad episcopum heliensem in Anglia rescribens in cap. 9, de his, quæ fiunt a præl., ubi inquit, episcopum non posse certa negotia peragere præter capituli sui voluntatem, *nisi de licentia romani pontificis*, quodque opportunum est, ad eum ipsum heliensem episcopum directum est rescriptum relatum in dicto cap. 6, de consuetudine. Cum hæc ita sint, concludetur quidem episcopum jure ordinario non posse novam in ecclesia sua dignitatem erigere sine consensu capituli sui, quod verissimum est, et generali disciplinæ canonum accommodatum, non vero deducetur, id facere non posse servatis solemnitatibus abs jure præstitutis. Post hæc omnia, num singularia quædam adjicienda erunt ad interpretationem dictorum canonum 4, 5 et 6, de consecr. dist. 1? Jamdudum interpretes, quibus crassa minerva non fuit, agnoverunt omnes, ibi aut singularem et gelasianis temporibus, et romanæ provinciæ accommodatam disciplinam contineri, aut agi de episcopis, qui extra propriam diœcesim erigere, et consecrare ecclesias vellent, quod et facile ex canonum eorundem verbis demonstratur, et ego jam demonstravi in meis lucubrationibus in codicem gratianeum. Unum tantum adjiciam, quod spectat pragmaticos illos, qui putant, vetitum esse episcopis collegia clericorum instituere, propterea quod jure Quiritium collegiorum erectio erat principi reservata, l. 1, et passim ff. de colleg. et corpor. Quod ut clericorum collegiis accommodent supponunt, id ipsum referri posse ad pontificem max. veluti summum ecclesiæ principem in ecclesia. Hoc argumentandi genus in

primis si valeret, ad collegia illicita pertineret, et quæ tendere possent in reipublicæ detrimentum, de quibus sermo fit in toto tit. ff. de collegiis, quæ propterea generatim erigi non possunt, nisi primum petita venia a summo imperante, cujus interest disquirere, an ex erectione novi collegii damna in rempublicam derivent. An id accommodari possit collegiis clericorum, videat unusquisque, qui noverit, quanta sit, et quam sæpe agnita fuerit horum collegiorum utilitas, ad quæ instauranda crebro non tam invitati sunt, quam pene obligati antistites ecclesiarum. Deinde principis locum in hac parte tenuerunt episcopi universi, qui ab ipsa diœceseon divisione suum sibi clericorum collegium perenni ecclesiæ lege probatum sibi adscivisse, nulla ad id petita a superiore antistite venia, demonstrantur, adeo ut, etamsi ageretur olim de collegiis monachorum, quorum cœtus distincti erant a collegiis clericorum, integra esset etiam in hac parte, et sufficiens ordinariorum auctoritas, can. 12 et 13, caus. 18, qu. 2. Quod si in recente disciplina tantum consistere velimus, nonne quotidiana experientia docet, collegia religiosa, qualia sunt sodalitia laicorum, erigi passim in ecclesiis ordinariorum auctoritate, quemadmodum in prima parte dissert. 4, cap. 7, dictum est? Quæ sane hodierna disciplina tota corrueret, si verum esset, ea omnia, quæ in romano jure traduntur de collegiis unius summi imperantis auctoritate probandis, valere ad inducendam singularem reservationem gratia romani antistitis in erectione cœtuum ecclesiasticorum.

Non in omnibus beneficiis, ecclesiisve erigendis eædem requiruntur solemnitates. Siquidem aliqua sunt beneficia, quorum erectio non adeo publici juris est, ut inter graviora negotia recenseatur, uti liquet in beneficiis præsertim simplicibus. In his receptum est, ut dummodo ex una parte constet de fundatoris voluntate, constet insuper de sufficienti dotatione, ex altera parte intercedat ordinarii auctoritas, beneficium rite erectum esse intelligatur. Alia beneficia, et ecclesiæ sunt, quorum erectio facienda, vel non facienda, vel reipublicæ, vel universitati interesse potest, qualia sunt beneficia episcopalia, parochialia, et conventualia: in his autem quatuor necessario sunt fere observanda. Primum est vocatio illorum, quorum interest; alterum est locus erigendæ ecclesiæ, vel beneficii; tertium est caussa erectionis; postremum est congrua dos ecclesiæ, vel beneficio adsignanda. Et quidem in primis vocandi sunt illi, quorum interest, ne forte singularia detrimenta in quosdam emergant ex novi beneficii, vel novæ ecclesiæ erectione. Quid enim, si nova dignitas, aut novus canonicatus in cathedrali, vel collegiali ecclesia esset erigendus? capituli consensus erit tunc explorandus. Quid, si nova parochialis, aut cathedralis ecclesia sit instituenda? Vicinorum parochorum, aut antistitum jura eisdem vocatis discutienda tunc erunt. Imo et si finitimæ ecclesiæ sint patronatæ, patroni quoque earundem erunt audiendi; atque id non tam ob difficultates, quæ in designanda perpetua ecclesiæ, vel beneficii dote concitari possent, sed etiam, ne ex controversiis rectorum, aut patronorum vicinarum, ac vetustiorum ecclesiarum ad contentiones reipublicæ christianæ valde perniciosas deveniatur, argumento canonis 44, caus. 16, qu. 1, capituli ultimi de major. et obed., capituli 3, de eccles. ædific., ad cujus interpretationem Fagnanus num. 30, definitum refert, nullius momenti existere novæ parochialis ecclesiæ erectionem, non citato veteris ecclesiæ rectore. Quæ tamen omnia ita intelligenda sunt, non quidem ut eos quorum interesse potest, consentire necesse sit, sed ita ut spretis, et non auditis eisdem, ad erectionem non procedatur. Itaque onus erit episcopi, eos advocatos audire, eorum jura discutere; et quemadmodum abstinebit episcopus ab erectione facienda, quotiescumque probabiles ad impediendam erectionem caussæ allegentur, ita ad erectionem jure suo procedet etiam refragantibus vocatis, quotiescumque inania sint obsistendi argumenta. Eodem modo sese res habet in proposito, atque se habet in ea specie, qua episcopus conferre velit beneficium, a quo quis ipso jure ceciderit. Vocandus erit in judicium qui beneficii possessor erat; ac nihilominus ad successoris institutionem procedetur, si, qui possidebat, probabilem non alleget caussam, quare nequeat a sua possessione turbari, cap. 28, de præbend. in 6.

De loco, in quo publicæ ecclesiæ erigantur, nihil definitum adparet, dummodo excipiamus cathedrales ecclesias; quas in civitatibus tantum, vel in oppidis frequentioribus instituti mandatum est, can. 3, 4, 5, dist. 80, can. 53, cau. 16, qu. 1, cap. 1, de privil., quod quidem initio factum fuit, ne vilesceret dignitas episcopalis; deinde magis in dies probari debuit ex eo, quod in foro episcopali multæ contentiones agitari cœperunt, quas multo facilius erat dirimere in urbibus, sive in locis, ubi copia eruditorum adesset. Præterea ubi de novis erigendis parochialibus ecclesiis agatur, voluit concilium tridentinum in sess. 24, de reformat. cap. 13, in fine, eas ubicumque, id est in omnibus civitatibus, aut loci constitui, si necdum constitutæ deprehendantur; quemadmodum etiam voluit, ut certi fines designarentur, ubi necdum designati adparerent, ne in administratione sacramentorum aut confusio emergeret, aut negligentiæ occasio præberetur. In vulgarem abiit traditionem ad parochiam novam erigendam in certo loco requiri, ut ibidem decem saltem familiæ degant.

At si fundamentum hujus traditionis inqui-

ratur, meo judicio in inani positum esse videtur, nimirum in prava interpretatione canonis 3, cau. 10, qu. 3, in quo cautum legitur, *ut ecclesia, quæ usque ad decem habuerit mancipia, super se habeat sacerdotem; quæ vero minus decem mancipia habuerit, aliis conjugatur ecclesiis.* Ego sane non possum nomine *mancipiorum* familias parochianorum, uti passim interpretantur, intelligere, quando mancipii nomen aliud latine sonat, item nunquam legitur in canonibus ecclesiasticis ea significatione usurpatum, argumento capituli 3 et 4, de rer. permut. Potius puto, toletanum illud decretum spectare ad dotem parochiali ecclesiæ constituendam; cum enim mancipiorum usus olim frequentissimum esset, uti constat ex libro 3, legum longobardarum tit. 1, cap. 46, redditus ecclesiastici facile ad mancipiorum numeros et notas reducebantur. Hinc non dubito, rem hanc totam esse in prudenti ordinarii arbitrio collocatam ita, ut ordinarius eo in loco erigi posse parochialem ecclesiam decernat, in quo futurum existimet parochi singularis officium opportunum.

Caussæ erigendorum beneficiorum sunt necessitas, vel utilitas Ecclesiæ, incrementum divini cultus, pietatis, ac religionis exercitia, et similia. Hinc cavendum est, ne aut ad æmulationem vicinarum ecclesiarum novæ erigantur ecclesiæ, item ne turpis avaritia caussam erectioni præbeat; jamdudum enim decretum est, ne propter quæstum novæ basilicæ fiant, can. 10, de consecrat. dist. 1. Iterum hac in parte versabitur prudens episcopi arbitrium, quo ipse caussas discutiat, discussisque vel probet, vel rejiciat erectionem. Singularia quædam in erectione novarum parochiarum constituta videntur canonibus ecclesiasticis; quoniam vero novæ parochiæ nonnisi per divisionem plebium erigi solent, satis erit id hoc in loco indicavisse, cum de hac re opportunius agendum sit inferius, ubi de beneficiis dividendis sermo instituetur.

Denique in ecclesiis, aut beneficiis erigendis solerter investigandum est, an rectori, vel beneficiario designati sint redditus, unde congruus honestæ vitæ cultus habeatur, can. 9, de consecrat. dist. 1. Qua in re iterum locus fit prudenti ordinariorum arbitrio, propterea quod ubique locorum eadem et una definiri portio nequit ad clericorum sustentationem, Faber in cod. de sacrosanct. eccles. def. 52. In ecclesiis parochialibus Hispaniæ olim videbatur constitutus certus redditus, infra quem si dos adsignaretur, ad Ecclesiæ erectionem deveniri non posset, nimirum redditus decem mancipiorum, can. 3, cau. 10, quæst. 3, quemadmodum superius adnotabam; item in ecclesiis Galliæ ac Germaniæ designabatur redditus unius *mansi*, uti legitur in can. 24 et 25, cau. 23, qu. 8. Redditum decem mancipiorum ego ita intelligo, ut tanta esset dotis quantitas, quanta decem mancipiorum pretio penderetur, quod aliquando reductum scio ad aureos viginti pro mancipiis singulis, l. 31, ff., de min., leg. 1, cod. de com. serv. manum., aliquando ad duodecim solidos, can. 18, dist. 54, *Mansum* ita intelligo, ut eo nomine veniat quædam agri portio ita dicta a manendo, quod in ea villicus unus manere commode posset, constans ut plurimum duodecim jugeribus, quod jam adnotavi in meis lucubrationibus in Gratianum. Recentioribus sæculis, sive quod memorati canones ad certas tantum provincias pertinerent, sive quod varietas ætatum varias disciplina induxerit, ab arbitrio erigentis, designatio dotis pendere cœpit, atque etiam hodie pendet. Neque hac in re video quidquam definitum in tridentino concilio sess. 24, de reformat. Cap. 3, a principio usque ad § *ad hæc*. Quod si tridentini patres in dicto § *ad hæc* decreverunt, ut nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum gravari possint cathedrales ecclesiæ, quarum redditus summam ducatorum mille, et parochiales, quæ summam ducatorum centum secundum verum annuum valorem non excedunt; non tamen exinde congruam dotem definiverunt in ecclesiis cathedralibus, aut parochialibus, videlicet in illis mille, in istis centum ducatorum; tantum ex his norma quædam statui potest ad dirigendum erigentis arbitrium, cui adhuc hodie locum esse posse non dubito, habita semper ratione locorum, temporum, ac dignitatum instituendarum, ita ut omnibus recte pensatis adpareat, ex collata dote beneficiarium et posse exhiberi, et posse susceptis oneribus satisfacere.

CAPUT II.

De beneficiorum restauratione.

Ut plurimum erectio ecclesiarum, aut beneficiorum utilitatis est, at restauratio necessitatis. Quod utile sit erigere, decuit semper, ad id excitare fideles, quod necessarium sit restaurare, decuit, plurimos obligare. At enim hæc obligatio inesse consuevit, ubi agitur præsertim de parochialibus ecclesiis, quas interest reipublicæ sartas tectasque tueri; in aliis autem ecclesiis vel beneficiis inferioribus non tanta fuit canonum sollicitudo, propterea que earum intuitu monendi quidem sunt illi, quorum interest, nunquam vero compellendi, nisi de iis agatur, qui cum a fundatore bona acceperint, tum se data fide vel expressa, vel tacita ad restaurandum obligaverunt. Hæc ut certo ordine persequar, distinguendum puto triplex obligationis genus; ex eo enim non solum de obligationis caussa facile constat, verum etiam percipitur, qui, et qualis sit obligatorum ordo, quorum alii primo, alii secundo loco obligantur, alii denique in subsidium,

et extra ordinem ceteris deficientibus. Primum obligationis genus ex re ipsa proficiscitur, unde realis obligatio dici potest: alterum genus est obligationis personalis, quasi ex contractu quodam dimanantis; postremum genus est obligationis subsidiariæ, ex qua non nascitur proprie actio, sed potius fit locus querelæ apud judicem proponendæ, vi cujus judex ex officio potius procedere intelligitur, quam actor quidquam condicere, aut vindicare. In concursu harum omnium obligationum nemo non videt, realem esse ceteris arctiorem, quemadmodum mitior est ceteris omnibus ea, quæ in subsidium datur, et cui tum demum fit locus, cum ceteræ deficiunt. Itaque initio certum est, ubi ecclesiæ præsertim parochiales, et beneficia prope in interitum vergunt, penes quosdam ut plurimum inesse reparandi obligationem; unde reparatio ecclesiarum apud pragmaticos dicitur caussa majore favore digna, quam erectio, argumento cap. 7, de Judæis, atque ordinarii locorum non solum caussa restaurandæ ecclesiæ, vel beneficii jure ac merito poterunt consentire, sed etiam tenebuntur, nisi caussa quædam gravius aliud suadeat, concilio tridentino sess. 21, de reformat. cap. 7. Ubi deinde deveniendum sit ad urgendos eos, qui ad restaurationem obligantur, ratio in primis habenda erit realis, deinde personalis obligationis, denique in subsidium ii compellendi, de quorum agitur utilitate.

Realis obligatio illis inhæret, qui dotem ecclesiæ vel beneficii possident. Cum enim dos ab initio constituta non solum tendat ad alendos ecclesiasticos administros, sed etiam ad cultum ecclesiæ, et ad caussas pias fovendas, inter quas procul dubio est, imo et ecclesiæ ipsi beneficioque cohærens, restauratio; jura clamant, ut dos ipsa in hunc finem impendatur. Hæc caussa est, quare juxta veterum canonum sanctiones in quatuor partes tribui deberet peculium ecclesiasticum, ex quibus cum tres cederent sustentationi clericorum, episcopali mensæ, et indigentibus universis, quarta restaurationibus fabricarum addicebatur, can. 10, cau. 10, quæst. 1, can. 2, 3, cau. 10, quæst. 3, can. 30, 31, cau. 12, q. 2, cap. 1, de eccl. ædif. Et quidem cum olim episcopi universum ecclesiasticum, et clericale peculium administrarent, onus penes episcopos imminebat restaurationum universarum, quippe qui quartam tantum clericorum usibus concederent, ceteras quartas, quarum una fabricis debebatur, administrabant. At postquam episcopi ecclesiarum, et beneficiorum inferiorum redditus a sua potestate abdicaverunt, eosdemque administrandos beneficiariis clericis concesserunt, onus idem una cum redditibus in eosdem clericos transtulerunt, quemadmodum expresse definitum deprehenditur in can. 3, caus. 10, quæst. 3. Ex hoc ipso principio fluit, eos omnes simili obligatione adstringi ad restaurationem, qui bona ecclesiæ etiam extra titulum beneficii possident, quales essent, qui pensionem ex ecclesiæ, aut beneficii redditibus haurirent, qui jura decimarum ecclesiis debita habuerint, quocumque titulo; siquidem de honore reali agitur, quod transit una cum bonis ecclesiæ in quoscumque possessores. Sunt qui putant, id verum esse tum demum, cum redditibus ecclesiæ abundant, arbitrati, ab eo onere exemtum esse beneficiarium, si ei vix congrua dos supersit, quemadmodum interpretantur capitulum 4, de eccles. ædific. Nollem ego movere nominis quæstionem, cum de portione congrua disputatur. Si nomine congruæ portionis intelligatur, quod tantum alendo beneficiario suppetit, ita ut totum alendo beneficiario necessarium sit, non repugno; etenim cum potissima caussa, quæ in ecclesia, vel beneficio consideratur, sint divina ministeria a beneficiario præstanda, potissima etiam erit caussa alimentorum clerico beneficiario concedendorum, sine quibus beneficiarius munera implere non posset, ac proinde hæc caussa cedit alteri caussæ restaurationis ecclesiæ, vel beneficii; imo ubi in ecclesia, vel beneficio vix adparet, redditum constitutum esse ad alendum administrum, cessat illa ratio generalis dividendi peculii in quatuor partes, quarum una fabricis et restaurationibus eorundem cedat. At si nomine congruæ portionis intelligitur ea peculii quantitas, qua minor non admitteretur ab ordinario in erectione ecclesiæ, vel beneficii, mihi ea non placet opinio, quemadmodum nec aliis placuit prudentissimis judicibus apud Defargna post partem 6, de jure patron. pag. mihi 213. Revera congrua dos beneficii ea appellatur, quæ non tantum sufficiat alendo administro, se et quæ par esse possit ceteris ferendis oneribus, inter quæ sane restauratio non minimum locum tenet, argumento canonis 9, de consecrat. dist. 1. Quod si res hæc exigenda sit ad laudatum capitulum 4, de eccles. ædific., adparet non quidem constitutum, clericos teneri tum demum ad restaurandum, si redditus habeant congrua portione uberiores, sed constitutum, eosdem teneri, *si eis supersint*, quod idem est, ac dicere, clericos, etiamsi tantum habeant congruam portionem, si tamen ex ea aliquid præter necessaria vitæ subsidia supersit, adhuc teneri istud ipsum in restaurationem impendere.

Succedunt his, qui obligatione personali tenentur, ea nimirum obligatione, quæ ex quodam quasi contractu proficiscitur. Sunt autem patroni ecclesiarum; etenim ipsi, quoties deficiunt ecclesiarum, aut beneficiorum bona, ad restaurandum tenentur duplici de caussa; primum quia initio, dum erigeretur ecclesia, vel beneficium, non ea omnia contu-

lissent facto, ex quibus ecclesia, vel beneficium diu essent, ac perpetuo duratura: unde intelliguntur, hanc ipsam obligationem in se recepisse, etiam in successores transituram. Simili propemodum ratione voluerunt veteres jureconsulti, pertinere refectionem parietis ad eum, qui promisisset servitutem ferendi oneris, propterea quod initio pactum esset, *paries, uti nunc est, ita sit*, leg. 33, ff. de servit. urban., leg. 6, § 2, ff. si serv. vindic., etsi id videretur contra generalem servitutum naturam, argumento l. 15, § 1, ff. de servit. Altera caussa est, quia patroni onus in se susceperunt ecclesiæ, beneficiive tuendi, atque jura patronorum in onere æque atque in honore consistunt. Quod si correlativorum, uti passim traditur, eadem ratio esse solet; quando ecclesia, vel beneficium tenentur gratia patroni facultatibus labentis, etiam versa vice tenebitur patronus gratia ecclesiæ, vel beneficii, ubi ista in interitum vergant. Non dubito tamen, quin patronus eximere sese ab ea obligatione valeat, renunciando juripatronatus, argumento dictæ l. 6, § 2, ff. si servitus vindicetur.

Deficientibus etiam patronis postremo obligatio devolvitur ad eos, quorum commodo erecta fuit ecclesia, et beneficium, ubi expediat publice, beneficium, vel ecclesiam sartam tectamque tueri, quod viget præsertim in ecclesiis parochialibus, ad quarum suppressionem nisi gravissimis de caussis deveniri non potest. Itaque respectu parochialis ecclesiæ, et beneficii, fideles quicumque in parochia degentes obligabuntur, proposita a parocho querela apud judicem, si parochiani obsistant; cum æquum non sit, parochianos postulare a parocho, ut in parochia ministret sacra, quando nec apta est ad ministrandum parochialis ecclesia, nec ipse parochus ali ex beneficii redditibus potest. Supremum hoc et subsidiarium remedium est ex æquo et bono proficiscens, quod etiam publica utilitas maxime expostulat. Quod si tanta sit etiam parochianorum egestas, ut nulla superesse videatur commodæ restaurationis spes, ad matrices, sive ad viciniores ecclesias auctoritate ordinarii translatio ecclesiæ, et beneficii fiet, quemadmodum id quoque observabitur in ecclesiis minoribus, quarum jura cum beneficiis ibidem erectis ad parochialem ecclesiam debent, ubi alia ratione dirutæ ecclesiæ prospici nequeat, data tunc facultate, locum ipsum in profanos usus, non tamen sordidos, convertendi erecta ibidem cruce, in perpetuum loci olim sacri monumentum. Visus in his omnibus sum expendisse decretum concilii tridentini in cap. 7, sess. 21, de reform., cujus verba ob oculos ponere juvat, utpote quæ paucis exhibent, quæ modo tradita sunt. Statuunt trid. antistites: *Cum illud quoque valde curandum sit, ne ea, quæ sacris ministeriis dicata sunt, temporum injuria obsolescant, et ex hominum memoria excidant, episcopi, etiam tanquam sedis apostolicæ delegati, transferre possint beneficia simplicia, etiam jurispatronatus, ex ecclesiis, quæ vetustate, vel alias collapsæ sint, et ob eorum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices, aut alias ecclesias locorum eorundem, seu viciniorum arbitrio suo; atque in eisdem ecclesiis erigant altaria, vel cappellas sub eisdem invocationibus; vel in jam erecta altaria, vel cappellas transferant, cum omnibus emolumentis, et oneribus prioribus ecclesiis impositis. Parochiales vero ecclesias, etiamsi jurispatronatus sint, ita collapsa refici, et instaurari procurent ex fructibus, et proventibus quibuscumque ad easdem ecclesias quomodocumque pertinentibus; qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos, et alios, qui fructus aliquot ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt; aut in illorum defectum parochianos omnibus remediis opportunius ad prædicta cogant, quacumque appellatione, exemtione, et contradictione remota. Quod si nimia egestate omnes laborent, ad matrices, seu viciniores ecclesias transferantur, cum facultate, tam dictas parochiales, quam alias ecclesias dirutas in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi.*

Non semper aut solidior quædam philosophia, aut sagax jurisprudentia occasionem dedit invehendæ, confirmandæque ecclesiasticæ disciplinæ; sed aliquando ad id contulerunt mysticæ quædam figuræ ab asceticis potius hominibus singulari studio excogitatæ, publice deinde propositæ, tamquam accommodatæ ad augendam pietatem in Deum, ac religionem. Ita contigit in consecratione aut erectarum, aut restauratarum ecclesiarum, de quibus hoc in loco adhuc superest opportune disserendum. Ecquidem hac in re non dedignata fuit ecclesia sequi generalia illa principia, quæ gentes peræque omnes posuerant. Nimirum universæ gentes loca sacra consueverunt certis ritibus, statisque formulis dicare, quibus cum ab humano commercio exemta, tum divini juri esse dicerentur. Quod si hunc ipsum morem excoluerunt Judæi veteres, consonum etiam ecclesiæ fuit, eadem vestigia sequi, dummodo abolerentur superstitiones omnes, imo et judaicæ figuræ evangelica fide minus dignæ; et novi quidam ritus evangelicæ legi accommodati superinducerentur. Hanc ob rem cum ex rebus sensibilibus homo facilius ad divina elevetur, omnia fuere adumbrata figuris, symbolisque sacris, atque ex hac adumbratione, veluti ex regula generali, inducta sunt certa consectaria. Si finem sacrarum construendarum ædium spectemus, nihil aliud statui posset, quam certa loca designanda esse, in quibus publicæ funderentur ora-

tiones ad Deum, sacra omnia fierent, præceteris autem sacrificia, unde aræ, sive altaria apud omnes collocari in templis consueverunt. Sed post invecta symbola, multa accesserunt ad firmandam certis rationibus disciplinam. Distinguere cœperunt veteres altare ab ecclesia. Altare sic dictum ex doctrina Isidori hispalensis, quasi alta ara, cepit haberi tanquam symbolum Christi Domini, et quidem non injuria, quando Christus, et hostia est, et sacrificium, et sacerdos, cujus unum sacerdotium in episcopos, presbyterosque derivat. Ad rem Rupertus in libr. 5, de divinis officiis cap. 30, scribebat: *Sic altare in templo, quomodo Christus toti ecclesiæ præeminet.* Hæc ratio erat, quare apud veteres in singulis ecclesiis nonnisi unum altare collocaretur, ad significandam Christi unitatem; quare insuper altare in altiore, ac digniore loco collocaretur, ad significandum Christi principatum; quare itidem ad altare per quosdam gradus ascenderetur, ad significandum fidelium conatum ad Christi imitationem; quare præterea altare lapideum formaretur, ad significandam Christi firmitatem, ex eo etiam quod in sacris literis Christus lapis angularis dicitur, et petra ecclesiæ; quare denique non scissum, non divisum, non compactum erigeretur, ad significandam Christi integritatem ingenitam. Ecclesiam ita appellatam, quasi locum ad continendos intra certum ambitum fideles omnes, dixerunt, figuram esse fidelium universorum spirituali vinculo cum Christo capite conjunctorum. Hæc ratio erat, quare in ecclesia diversæ tributæ adsignatæque in sacris ædibus stationes, hinc pro clericis, habita etiam singulorum ordinum ratione, illinc pro laicis, quorum discreti etiam fuere gradus, vel eorum, quibus integra communio erat, vel eorum, qui pœnitentiis multimodis expiabantur, quare item in ecclesia nemini olim concederetur sedem habere, quod fidelium cœtus ecclesiam militantem constitueret, sine requie, et laboribus undique fatigatam. Paullo aliter symbolis hanc ipsam rem adumbraverunt alii ecclesiastici viri, inter quos laudare possum Ivonem carnotensem, qui in suis epistolis, præsertim 72 et 80, in solo ecclesiæ, et in altari fidei symbolum collocavit, veluti ceterarum virtutum fundamentum; in parietibus symbolum spei, quæ sursum et in cœlum elevatur; in tectorio, quod omnia ambitu suo complectitur, symbolum charitatis nectentis universa. Post hasce delineatas pene dixerim artificiosas figuras, consectaria quædam deducta sunt, quæ tamen non perpetua, nec constantissima fuerunt; neque enim ita constans est in rebus mysticis voluntas hominum, ut ab iis recedere nequeat, ubi aliud suadeat utilitas publica, aut etiam vaga ipsa, et flexilis adprehensio symbulorum; adeo ut non mirum sit, in canonibus antiquissimis modo hanc, modo illam disciplinam constitutam agnosci. Traditio est, per quatuor priora ecclesiæ sæcula altaria non fuisse consecrata, quasi, si consecrata fuissent, videretur consecrari Christus ipse Dominus, cujus figura altare erat, quod indecorum visum fuisset. Quinto sæculo induci cœpit consecratio altaris. Quæris caussam? Ego conjicio, per quatuor priora sæcula abstinuisse antistites a consecratione altarium, propterea quod solliciti erant in asserenda Christi divinitate, ac præsertim contra arianos, atque in iis adjunctis facto suo testabantur Christum Deum, ubi altare symbolum Christi non dedicabant, quasi ex natura sua Deo sacrum, atque divinum. Firmata fide docente Christum esse Deum, posterioribus sæculis, quibus variæ hæreses adortæ fuerant Christi humanitatem, docendus erat populus in hac parte: tum vero dicata fuere altaria, ad significandum, humanitatem Christi consecratione quadam indiguisse per ipsummet Deum, ut elevaretur ad conjunctionem cum divina natura in unitate personæ. Accessit his novus ritus consecrandi altaria per sacras martyrum reliquias, juxta illam phrasim Apocalypsis cap. 6. *Vidi subtus altare animas interfectorum.* Quamobrem licet symbolum Christi non videretur consecrandum, veluti symbolum impollutæ hostiæ, ac sacerdotis, consecratio tamen visa tum fuit consentanea, ubi prope Christum etiam fideles martyres recondebantur. Antiquior plane fuit consecratio ecclesiæ; etenim cum ambitus parietum cœtum ipsum fidelium, ipsas etiam fidelium animas veluti symbolo exhiberet, iisdem fere ritibus dedicari cœperunt, quibus ex institutione divina fidelium animæ Deo dedicantur. Hinc benedictiones aquæ aspersione factæ ad quandam baptismatis; hinc inunctiones sacri chrismatis ad quandam confirmationis analogiam. Hinc benedictio ecclesiarum a consecratione distincta, uti sacramentum baptismatis a sacramento confirmationis distinguitur. Hinc consecratio per chrismationem facta nunquam repetita fuit, exemplo confirmationis; quod si ecclesia polluta aqua iterum adspergitur, non est hæc symbolum renovati baptismatis, sed potius symbolum sacramenti pœnitentiæ, cujus renovatio est in ecclesia salutaris. Et quando sacra unctio in parietibus facta semper est, recipi necessarío debuit, ut eadem unctio repeteretur in novis parietibus erectis; contra nova consecratione non esset opus, ubi collapsum fuisset tectorium, sive quod nunquam inungi tectorium consueverit, sive quod in eo esset agnitum symbolum charitatis, qua amissa virtute non ideo minus quis dicitur esse in ecclesia. Hinc denique factum est, ut, etiamsi receptum fuerit post quintum sæculum, consecrari altaria, ex consecratione tamen altaris non intelligeretur ipso jura consecrata ec-

clesia, propterea quod non sufficiat fidelibus Christum esse Deum, sed requiritur singulare ministerium in unoquoque, ut Christo jungantur, idest ministerium baptismatis, quod inde perficitur ministerio confirmationis.

Nunc intelligemus multos ecclesiæ canones, multa insuper quæ hodie obtinent juxta receptam disciplinam. In c. 1, de cons. Eccl., vel alt. statuitur, non censeri amplius consecratum altare, quod motum fuerit, idest divisum, propterea quod symbolum esse desinit Christi Domini, cujus unitatem, æque ac sanctitatem Ecclesia colit; eademque ratione si fractus fuerit lapis, supra quem Eucharistia in sacrificio celebratur; is enim lapis, si portatilis est, ipse unus altare constituit; si altari cohæret, tamquam præcipua altaris pars consideratur. Ibidem quoque statuitur, facto sigillo, quo reliquiæ sanctorum martyrum custodiuntur, lapidem denuo consecrandum esse, quasi ibi desinat esse consecratio, ubi merita sanctorum martyrum a meritis Christi Domini discindantur. Statuitur præterea, non ideo iterandam consecrationem ecclesiæ, quod altare desierit esse consecratum, propterea quod, uti superius observabam, non pendet consecratio ecclesiæ a consecratione altaris. Cum vero adjicitur, *licet id quidam canones innuere videantur*, verba hæc referuntur ad canonem 19, de cons. dist. 1, falso tributum Hygino, cum quo jungi potest epistola Anselmi Cantuariensis ad Guillelmum abbatem, lib. 3, epis. 159, et epist. Ivonis carnotensis 72 et 80. In cap. 3, de consecr. Eccles. vel alt. eadem fere repetuntur, quæ in cap. 1, eod. decreta fuerant. In cap. 4, subsequente, ubi mentio fit de reconciliatione ecclesiæ, quæ multum a consecratione distinguitur, dicitur, ob flagitia quædam in ecclesia admissa adhuc consecrationem remanere, quamquam purgatio quædam sit habenda, exemplo fidelium delinquentium, qui pœnitentiis expiantur, non iterum baptizantur, et consecrantur; proptereaque hanc benedictionem facilius repeti expiationis caussa receptum est, quam ad novam consecrationem deveniri, can. 20, de consecr. dist. 1, dicta epist. 159 Anselmi cantuariensis. In cap. 6, de cons. Eccl. vel altar. decernitur primum, ligneo elapso tectorio, non esse deveniendum ad novam consecrationem, cujus rei ratio superius explicata fuit, dummodo tamen parietes in sua integritate permanserint. Siquidem cum parietibus dicatur consecratio adhærere, tum demum nova consecratione parietes indigent, cum novum quodammodo ædificium ex restauratione videatur, non vero quotiescumque portio quædam restauretur, etsi forte diversis temporibus per varias separatas partes ædificium pene totum restauratum fuisse adpareat, argumento leg. 10, § 1, ff. quib. mod. ususfr. amit. cum similibus. In cap. 7, de consecr. Eccl. vel altar. dicitur, facile æquiparari benedictiones cæmeteriorum cum consecrationibus, vel reconciliationibus ecclesiarum. Erant habenda cæmeteria instar ecclesiæ, quia defuncti ad cœtum fidelium pertinent, adhucque juncti cum Christo censentur propter spem, quam de illorum salute retinemus; proindeque ubi aut, in ecclesiam, aut in cæmeterium cadavera excommunicatorum illata sunt, et ecclesia, et cæmeterium polluta dicuntur, propterea quod excommunicati intra ecclesiam existere nequeunt. In cap. 9, de cons. Eccles. vel altar. decernitur, reconciliationem ecclesiarum consecratarum episcopis reservari ob analogiam, quam hæc reconciliatio habet cum reconciliatione publica pœnitentium, quæ olim inter munera episcopalia recensebatur. Non persequor amplius, quæ de pollutione ecclesiarum, et de pollutionis caussis tradi solent; de his enim sermo instituetur ad interpretationem lib. 5, decretalium, ubi agendum erit de cultu debito ecclesiis, et sacramentis. Sufficiat interea generalia quædam de consecratione, aut de reconciliatione attigisse.

CAPUT III.

De Beneficiorum unione, vel divisione.

Quemadmodum novus contractus dicitur non solum, qui nunc primum celebretur, verum etiam qui novas qualitates adsumit, unde dicitur una obligatio novatione facta in aliam commutari; ita beneficium non erigi tantum videtur, vel cum primum erigitur, vel cum restauratur, sed et cum immutatur, ac veluti transformatur. Id fit per unionem, vel divisionem quarum regulæ hoc in loco veluti opportuno subnectuntur, propterea quod adfines sunt regulis erectionum ac restaurationum. Non hic sermonem instituo de unione, vel divisione beneficiorum personali, quæ ad vitam et gratia alicujus clerici fit, de his enim jam superius actum est; potius de reali, quæ maxime differt a personali in eo, quod personalis caussam habeat in privatorum utilitate, realis in utilitate publica ecclesiarum; unde dimanat receptissima regula, quæ docet, quoties de unione, vel divisione quidem constet, sed de illarum qualitate non satis liqueat, illas in dubio non personales, sed reales præsumi, argumento cap. 1, ne Sede vacante. Realis ecclesiarum unio triplici modo fieri potest; in primis cum ex duabus ecclesiis, vel beneficiis, una, vel unum fiunt æque principaliter. Finge ex. gr. duas finitimas plebes hostili impetu, aut alia de caussa adeo defatigatas, ut exhibendi, duobus parochis, et duabus ecclesiis sartis tectisque tuendis pares non amplius sint, duæ illæ parochiæ ita uniendæ erunt, ut neutra alteram supprimat, sed dum ex

duabus una coalescit, utraque adhuc æquis rationibus consistere videatur. Finge præterea, duabus ecclesiis manentibus, unum perpetuo antistitem designari, ut is utriusque rectore æque dicatur, quemadmodum in specie dicti capituli 1, æque principalis etiam unio appellabitur. Hujus unionis effectus est, ut consuetudines et privilegia, quæ uni beneficio vel ecclesiæ competebant, in alteram, vel alterum illi unitum derivent, quasi facta communione bonorum et jurium, ex quibus, quoties incompatibilia sint, honestiora et favorabiliora duntaxat remanebunt, uti tradunt Fagnanus ad dictum cap. 1, et Rebuffus in praxi de unionibus, numero 11. Alter modus est, quum una ecclesia, aut beneficium supprimitur, translatione ejus facta in aliam ecclesiam, vel beneficium, qua in specie jura omnia suppressæ ecclesiæ; vel beneficii, alteri ecclesiæ, vel beneficio adcrescent. Denique uniuntur ecclesiæ, vel beneficia, cum una ecclesia, vel beneficium subjicitur alteri, quam unionem nostri *subjectivam*, sive *accessoriam* vocant: qua in specie ecclesia subjecta non amittit jura sua, sed servat; imo nec transeunt ista in ecclesiam principalem, quod non satis decorum videatur, ecclesiam principalem a subjecta mutuari privilegia, et honores; quamquam e converso ecclesia ipsa subjecta gaudere, atque uti possit juribus ecclesiæ principalis. Fingamus vero beneficium, aut ecclesiam unius uniri beneficio, aut ecclesiæ alterius diœceseos, tanquam principali: Num subjectum beneficium, vel ecclesia abs jurisdictione diœcesani exemta censebitur, et obnoxia facta diœcesano principalis? Quæstionem hanc definivit Gregorius in cap. 2, de relig. dom. statuens, ut nihilominus sua unicuique episcopo, jura integra omnino serventur. Hodie hæc quæstio supervacanea est, quando concilium tridentinum expresse prohibuit, ne beneficia, aut ecclesiæ unius diœceseos beneficiis, aut ecclesiis alterius diœceseos uniantur, sess. 14, de ref. cap. 9. Quæ de unione dicta sunt, ut etiam facile divisioni ecclesiarum (idem dicas de beneficiis), accommodes, duplicem agnosces ecclesiarum dividendarum modum; nam in primis æque principaliter divisio fieri potest, quin una ex divisis ecclesiis ab altera pendeat; quæ divisio hunc habet effectum, ut recens erecta ecclesia jure novæ omnino ecclesiæ censeatur, nec privilegiis alterius uti valeat. Secunda divisio ita fieri potest, ut divisa ecclesia ab altera pendeat, a qua sejungitur. Hujus divisionis effectus est, ut ecclesia divisa uti valeat privilegiis, et juribus principalis, cum adhuc consideretur, tanquam matricis ecclesiæ portio. Ceterum hac in re erunt adamussim considerandæ formulæ tabularum, quibus factæ unionis, aut divisionis modus exprimitur.

Sæpe contingit ex divisione parochiarum, ut una parochialis ecclesia matrix dicatur, altera filialis; nimirum matrix, a qua divisio fit, filialis, quæ nova ex divisione erigitur. Qua tamen in re non est confundenda qualitas dignioris cum qualitate matricis ecclesiæ, cum evenire possit, ut aliqua ecclesia matrix sit, et non dignior, aliqua e converso dignior, et non matrix. Finge enim vero, dividi parochialem ecclesiam, et novam ecclesiam ex divisione erectam fieri collegialem. Ita ex qualitate collegialis ecclesiæ in conspectu ecclesiæ simplicis, a qua divisio facta sit, filialis erit, simul et dignior. Fateor quidem, ecclesias digniores in urbe, vel in oppido *matrices* vulgo appellari; at non id semper proprie dicitur, cum non semper omnes ecclesiæ a digniore originem sumserint; tum enim matrices dicuntur ex eo, quod in multis certi honores debentur, exemplo matricum ecclesiarum; non quod vere matrices existant. Videatur Pittonius disceptat. Eccles. tom. 3, disc. 106, et Barbosa de offic. paroch. cap. 9, num. 10. Evenit etiam quandoque, ut non ratione dignitatis, sed ratione antiquitatis una ecclesia alteri præmineat, qua in specie nec proprie quidem ecclesia antiquior dicitur matrix, quemadmodum nec minus antiqua dicitur filialis, quamquam improprie vulgo hoc nomine appellantur, propterea quod minus antiqua deferre antiquiori debeat certos honores. Videatur cardinalis De Luca de decimis disc. 12, n. 13. Præterea monet idem cardinalis dicto disc. 12, num. 12, neque proprie aut matrices, aut filiales ecclesias dici, ubi nulla proprie facta est ecclesiæ divisio, sed tantum intra fines alicujus parochiæ erecta est aliqua ecclesia in adjutorium parochialis, et in hac constitutus certus vicarius omnino a parocho pendens manente semper parochialis ecclesiæ unitate, dummodo non nomine tenus, sed reipsa unitas servetur; videlicet vicarius a parocho designetur, et a parocho congruam portionem percipiat, maneatque penes parochum integrum officium parochiale. Neque enim fingi possunt vera hæc nomina matricis, et filialis ecclesiæ, ubi inter ecclesias nulla distinctio illata est. Proprie dicuntur matrices, et filiales ecclesiæ, ubi nova parochialis ecclesia erecta est, divisione facta ab antiqua, instituto in nova vero officio parochiali, et remanente in antiqua, una cum officio parochiali intra contractiores limites, tantum certo honore respectu divisæ plebis. Quod ut percipiatur, notandum erit parochis tria inesse, onera, emolumenta, et honores. Ubi tantum apud antiquum parochum honores manent respectu novæ ecclesiæ, actum autem de oneribus, atque de emolumentis est, potest dici quidem antiquior parochia matrix esse, recentior filialis; cessat autem qualitas matricis, vel filialis ecclesiæ, ubi penes antiquum parochum omnia jura, at

onera adhuc integra sunt, quasi tunc nulla facta vera divisio extiterit, sed tantum nova ecclesia veteri in adjutorium data. Honores isti non semper iisdem sunt in omnibus matricibus ecclesiis, cum in divisionibus ecclesiarum modo plures, modo pauciores soleant reservari.

Unio, vel divisio parochiarum, quoties non æque principaliter fiat, caussam præbere solet duplici parochialium ecclesiarum, vel beneficiorum generi, unde cura animarum modo actualis, modo habitualis a pragmaticis appellatur. Quid enim ex. gr. si parochiale beneficium in una ecclesia constitutum, deficiente, aut decrescente populo, ad vicinam alteram parochialem ecclesiam transferatur, manentibus tamen sacris ædibus ecclesiæ parochialis? Suppressum quidem parochiale beneficium dicetur, sed sacræ ædes adhuc consistentes habitu erunt parochiales, argumento capituli 6, de præbend. in 6. Quid, si in ecclesia parochiali suppressa, post jura in aliam translata, vicarius constituatur? Potiore jure eadem parochialis appellabitur, argumento clementinæ un. de offic. vicar. Idem obtinebit, si divisio quædam fiat parochialis ecclesiæ, et altera ecclesia parochialis erigatur distinctis finibus administrationis, in nova erecta ecclesia constituto non proprie parocho, sed vicario vel temporali, vel perpetuo, quod ex prudenti arbitrio dividentis episcopi pendet, concilio tridentino sess. 7, de ref. cap. 7. Etenim tunc ecclesia, a qua plebis divisio quodammodo facta est, habitu parochialis adhuc jura retinere intelligetur, dicta clem. de offic. VI. car. cap. 30, de præbendis. Frequentius vero contingit, ut, quædam parochialia beneficia aut episcopali mensæ, aut capitulis, aut monasteriis sint unita, quo casu, ut plurimum remanente habituali cura penes episcopum, capitulum, vel monasterium, deputabitur vicarius, qui actu curam animarum exerceat. Ut parochiales ecclesiæ unirentur mensæ episcopali, pluribus de caussis evenire potuit; primum ex eo, quod jam ab antiquissima ætate, dum passim in diœcesi constituerentur parochi ab episcopo, episcopus idem suæ administrationi certam plebem reservaverit, quo casu non proprie unio facta videtur, sed ita sese res habet pene, ac si nunquam singularis parochia constituta fuerit, retineatque episcopus ea omnia jura in eadem plebe, quæ olim exercebat in plebibus universis diœcesanis ante constitutionem, tributionemque parochiarum. Secundo evenire potuit ex eo, quod in certa parochia vel ex corruptis populi moribus, vel ex locorum, temporum, aut personarum adjunctis expedire judicaverit episcopus, in fidem suam, ac sollicitudinem omnem recipere curam animarum, sibi persuadens, ea ratione honestius et opportunius utilitati populi consultum iri. Tertio evenire potuit ex eo, quod mensæ episcopalis redditus certo tempore valde fuerint imminuti, nec aliter occurri potuerit ad restaurandam mensam, quam per unionem alicujus ecclesiæ parochialis mensæ eidem faciendam. Non absimiles caussa fuerunt, ob quas parochialis cura modo collegiis clericorum, modo monasteriis cohæreret. Quid enim, si ab initio dum parochia instituta fuit, aut collegio, aut monasterio commissa deprehendatur? Quid, si in pessum eunte administratione parochialis officii consultius visum fuerit, ut ipsa collegio, vel monasterio commendetur? Quid denique, si ob tenuitatem reddituum collegii, vel monasterii, judicatum fuerit, occurri necessitatibus canonicorum, vel monachorum, per unionem ecclesiæ parochialis? In his omnibus casibus, cum episcopus, capitulum, vel monasterium curam exerceat per vicarium, dicemus, habitualem curam penes episcopum, capitulum, vel monasterium remanere, actualem penes vicarium.

Ad præcavendas hallucinationes, quæ in hac re subrepere possent, notandum est, multum discriminis intercedere inter parochiales ecclesias, seu munera parochialia unita monasteriis, vel capitulis, et inter parochiales ecclesias, quarum juspatronatus tantummodo competat monasteriis, vel capitulis etenim ubi tantum juspatronatus capitulo, vel monasterio competit, tantum datur locus nominationi et præsentationi, quam deinde subsequitur institutio ordinarii; ubi vero cura animarum capitulo, vel monasterio cohæret, deputatio vicarii etiam perpetui a capitulo pendet, reservata tantum episcopo adprobatione. Quæ discrimina ut agnoscantur, semper respiciendum erit ad tabulas aut fundationis, aut unionis beneficii quod si tabulæ deficiant, usus rerum gestarum demonstrabit, quænam sint jura capituli, vel monasterii, an nimirum intra meros jurispatronatus fines contineantur, an etiam ad ipsam parochialem curam exercendam extendatur. His animadversionibus lucem adferent notiones quædam ecclesiasticæ disciplinæ, quæ originem cœpit a sæculo octavo, vel nono, et quæ per plura subsequentia sæcula obtinuit. Ea ætate laici plures occupaverant jura ecclesiarum, seu colore jurispatronatus, seu advocatiæ, seu custodiæ prætextu; multi etiam quasi in feudum accepta possidebant, et in suos heredes transmittebant, adeo ut eadem jura quandoque inter plures heredes dividerentur. Non erant ab hac occupatione immunia ipsa loca sacra, sive ecclesiæ, et altaria, quæ modo dividebantur in partes, modo venumdabantur instar rerum familiarium, quemadmodum refert Franciscus Florens ad cap. 1 et 2, de jurepatron. Nemo non videt, quot et quanta ex hoc provecto abusu scandala emergerent, cumque prudentissimi ecclesiæ patres hæc omnia detestarentur, præ

ceteris autem sacrorum altarium venditionem, ac divisiones hereditarias, occasionem arripuerunt laici distinguendi inter ecclesiam et altare, ita ut altare liberum episcopali potestati concederent, Ecclesiam vero cum suis bonis eodem jure, quo ante tenebant, pergerent possidere, vendere, dividere, uno verbo pro voluntate disponere. Ita scribebat ætate sua ad reges Galliarum S. Abbo Floriacensis abbas: *est etiam alius error gravissimus, quo fertur altare esse episcopi, et ecclesiam alterius cujuslibet Domini; cum ex domo consecrata, et altari unum quoddam fiat, quod dicitur ecclesia, sicut unus homo constat ex corpore et anima. Videte, æquissimi principes, quo nos ducit cupiditas, dum refrigescit charitas.* Hinc igitur a patribus ecclesiæ clamatum est adversus laicos, quo isti et ecclesias ipsas, et iura ecclesiarum clericis regenda, administrandaque omnino relinquerent; sed non ubique respondit eventus, laicis ut plurimum caussantibus depravatos clericorum mores, de quibus præterea nullam fiduciam se habere posse dicebant, futurum, ut omnia cum publica ecclesiæ utilitate optime cederent. Et quidem hæc laicorum querela ferreis illis sæculis non temere habebatur, uti nemo vel paullulum in historia ecclesiastica eruditus ignorat. Interea concitati ecclesiarum antistites, ac præ ceteris pontifices maximi vitam communem in clerum induci curaverunt, unde pluribus in locis collegia clericorum erecta sunt, atque horum exemplo plura monasteria, in quibus conviventium vita omnibus præibat exemplo virtutum atque doctrinæ. In his adjunctis laici possessores ecclesiarum, et bonorum ad ecclesias pertinentium ab episcopis commoniti, cœperunt bona non antiquis ecclesiarum rectoribus, et parochis restituere, sed monasteriis, vel collegiis clericorum concedere: quod facile permiserunt antistites, ut ea ratione de laicorum manibus ecclesiæ vindicarentur; unde tunc temporis passim traditum est, ac canonibus definitum, ut bona ecclesiarum monasteriis concedi possent, dummodo episcopi auctoritate accedente id fieret. Profecto ubi collegiis clericorumdonatæ ecclesiæ una cum bonis fuerunt, collegia ipsa clericorum sacra omnia officia gerebant, modo in communi, modo constituto vicario, qui nomine capituli sacramenta ministraret, et parochialia, siquæ gerenda essent, munera exerceret. Sed ubi de monasteriis ageretur, non adeo facile dirimi omnes controversiæ potuerunt, propterea quod monachi utut religiosi sacris ordinibus insigniti non erant, nec propterea poterant sacra quæcumque officia gerere. Hinc monachi distinctionem illam a laicis dudum inventam inter altaria, et ecclesias allegaverunt, altaria, sive sacra officia sacerdotibus mandantes, sibi vero ecclesias retinentes. Imo neque hic constiterunt, ut etiam pleno jure sibi collationem altarium vindicarent. Pacisci cœperunt cum episcopis, ut quotiescumque monachi certum sacerdotem altari addicerent, in hac ipsa vicarii successiva mutatione certum censum episcopo luerent, dummodo liberum monachis esset altaria ipsa conferre, quem actum *redemtionem altarium* appellaverunt; quod tamen veluti simoniacum improbatum fuit in can. 4, cau. 1, qu. 3, quem ego, utut paucis, expendi in meis lucubrationibus in Gratianum. Sublata necessitate redimendi oblata pecunia, libere potuerunt monachi sacerdotes in ecclesiis designare, sive ad vitam sacerdotum, sive ad certum tempus, sive ad incertum, et quousque monachis placuisset; et quamquam summo jure nihil aliud adquisitum videri posset monachis, quam juspatronatus, quod unum uti apud laicos olim erat, ita poterat ex donatione laicorum in monasteria transferri, tamen ex indulgentia episcoporum etiam illa collatio beneficii concessa visa est, ut facilius, et sine laicorum controversia iura collationis, quæ olim laici usurpaverunt, dimitterentur; nisi tamen de laicis ageretur, qui non adeo contumaces erant, quique propterea dum altaria, et ecclesias gratia monasteriorum dimitterent, tantum fatebantur, se dimittere una cum bonis etiam jus præsentandi, reservata episcopis institutione. En propterea varias inductas consuetudines, ex quibus modo monasteriis tantum adquisitum ius præsentandi, modo etiam jus instituendi. Interea vero monachi sacerdotali ordine insigniri cœperunt, unde et ipsi, præsertim ubi jus instituendi haberent, præficiebantur altari, et curæ animarum exercendæ. Non diu potuerunt hoc jure uti, quoties ecclesiæ essent a monasterio separatæ, propterea quod a pontificibus maximis, et conciliis generalibus, ab his ecclesiis avocati fuere monachi ad monasteria, ne a solitaria vita, quam professi fuerant, recederent, quemadmodum superius de beneficiis regularibus adnotabam. Sed in ecclesiis, quæ monasteriis adnexæ erant, perrexerunt altaribus ministrare, et, siquæ esset, curam gerere animarum. Quamobrem et capitula, et monasteria in hac specie ita sese gesserunt, ac si beneficia etiam curam animarum adnexam habentia esset vel capitulis, vel monasteriis pleno jure unita.

Huc spectant plura concilii tridentini decreta. Primum extat in cap. 7, sess. 7, de ref. quo statutum est, ut ordinarii, in beneficiis ecclesiasticis curatis, quæ cathedralibus, collegiatis, seu aliis ecclesiis, vel monasteriis, beneficiis, seu collegiis, aut piis locis quibuscumque perpetuo unita sunt, sollicite providere procurent, ut per idoneos vicarios etiam perpetuos, nisi ipsis ordinariis pro bono ecclasiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiæ partis fructuum, aut majori, vel minori arbitrio ipsorum ordinariorum portione, etiam super re certa adsignanda, ibidem

deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur; quin obstare valeat aut appellatio, aut exemptio, aut privilegium quodcumque, quod et confirmatum fuit in cap. 13, sess. 24, de ref. Alterum decretum extat in cap. 9, sess. 14, de ref. ubi præcipitur, ea, quæ de non uniendo beneficio unius beneficio alterius diœcesis statuta sunt, observari etiam debere in vicariis, quæ capitulis, vel monasteriis uniantur. Tertium decretum extat in cap. 11, sess. 25, de regular., ubi postquam statutum est, vicarios a monasteriis constitutos caussa gerendæ curæ animarum in eadem animarum cura episcopis subesse, adjicitur, neminem vicarium etiam ad nutum amovibilem deputari posse, nisi de episcoporum consensu, ac prævio examine per episcopos, vel per episcopales vicarios faciendo, excepto monasterio Cluniacensi, aliisque, in quibus sedem ordinariam habent abbates generales, seu capita ordinum, vel in quibus constituti sunt abbates, vel prælati regulares exercentes in parochos et parochianos jurisdictionem quasi episcopalem, integris nihilominus manentibus juribus episcoporum illorum, qui majorem in ea loca, vel personas jurisdictionem exercent. Postremum decretum extat in c. 16, sess. 25, de ref., ubi urgere perrexerunt trid. patres vicariorum constitutionem, statuentes, ut si vicarius perpetuus alicubi designatus fuisset, congrua portio quamprimum, et ad minus intra annum a fine concilii designaretur; quod si non fieret, post cessum vel decessum vicarii constituti, beneficium curam animarum reciperet, et vicariæ nomine cessante, in antiquum statum restitueretur.

In conspectu horum decretorum plura proficiscuntur consectaria. Primum est, fuisse collatum in ordinariorum arbitrium prudens, modo temporalem, modo perpetuum vicarium caussa animarum curæ exercendæ constituere, dicto cap. 7, sess. 7. Secundum est, ubi episcopus judicaverit, vicarium perpetuum esse constituendum, primum procedendum esse ad erigendam ipsam vicariam, quæ erectio in hoc consistit, ut actualis animarum cura vicariæ ipsi adsignetur, certaque reddituum portio addicatur, sive hæc portio consistat in fructibus prædiorum vicariæ adsignandorum, sive consistat in juribus decimarum, aut similibus obventionibus, cap. 12, 30 et 33, de præb. cap. 2, § *Ubi autem* de decimis in 6, cap. 9, de his, quæ fiunt a præl. clem. 1, de jure patron. Qua in re, licet concilium tridentinum in dicto cap. 7, sess. 7 edixerit, ut tertia pars, vel major, vel minor arbitrio ordinarii conferretur, tamen Pius V, ut intra certos terminos ordinarii arbitrium coercet, in sua constitutione *Ad exequendum* anni 1567, kal. novembris, statuit, ut congrua portio vicarii non excederet quantitatem centum, nec mino esset quantitate quinquaginta scutorum. Quid vero, si post semel factam legitimam congruæ adsignationem, eadem congrua aut in totum, aut pro parte perierit? Non dubito, quin collegium, vel monasterium, aut in integrum novam congruam adsignare debeat, vel supplere, quod deest. Est enim hæc obligatio realis, proficiscens ex possessione bonorum, quæ unitæ parochiæ competunt, a qua obligatione non potest ulla ratione se collegium, vel monasterium excusare. Non tamen e converso censerem, si vicariæ aliqua adcrescant ex fidelium largitate, hæc potius reducenda esse in collegii, vel monasterii potestatem; agitur enim de vicaria semel constituta, quæ augumenti capax est, et adquirendi rerum dominii; agitur insuper de voluntate donantium, qui dum vicariæ, non capitulo, aut monasterio donant, in ea mente sunt, ut bona donata apud vicarium remaneant, non in capitulum aut monasterium transferantur. Tertium consectarium est, vicariam perpetuam semel constitutam, tanquam beneficium ecclesiasticum haberi. Præterquam quod enim in ipsa adparet veri beneficii natura, coalescens ex designatione certi muneris sacri, et ex designatione certarum obventionum, adparent etiam veri beneficii proprietates. Est ipsa instituta auctoritate ordinarii, quum ipsa vacet, debet novus vicarius ab episcopo probari, et institui, et quamquam nominetur a collegio, vel capitulo, id tamen non est contra beneficii naturam, cum idipsum in patronatis beneficiis observetur. Est ipsa individua, cum collegium, vel monasterium neque exercere sacra munera possit, neque in portione adsignata communionem habere. Est ipsa perpetua, quæ retractationi non subjacet. Impedit ipsa, ne vicarius aliud beneficium possit obtinere, cap. 1 et 2 de offic. vicar. Impedit quoque, ne vicarius semel designatus, a capitulo, vel monasterio removeatur, c. 3, eod. tit. Denique in Clementina un. eod. vicariis perpetuis imminere dicuntur, quæ de parochis generali jure constituta fuerunt. An vero vicaria hæc parochialis concursui obnoxia sit, infra discutietur, ubi sermo erit de forma collationis parochialium ecclesiarum. Quartum consectarium est, vicarium perpetuum regulariter instituendum esse ab episcopo, prævia nominatione capituli, vel collegii, item in exercitione officii sui ab episcopo pendere, sicut parochi universi pendent; atque, ubi opus fuerit, ab uno episcopo posse destitui, c. 1, de cappell. monach. Postremum consectarium est, in collegiis monachorum facilius permissum esse, ut vicarius temporalis, non perpetuus, instituatur in ecclesiis parochialibus, quæ cohærent monasteriis, quam instituatur temporalis, non perpetuus in collegiis canonicorum, propterea quod monachi passim in ecclesiis parochialibus cohærentibus monasterio adamaverint, unum ex regularibus de eodem

monasterio eligi; alias autem monacho ita electo conveniebat, non perpetuam vicariam concedere, juxta naturam beneficiorum regularium, quæ manualia esse solent; nunquam vero permissum, ut monachi instituantur in parochiis, quæ monasteriis unitæ quidem sunt, sed monasteriis non cohærent, ne eo pretextu monachis a suis cœnobiis avocentur. Denique observandum est, quod attinet ad jura, vel onera vicarii seu temporalis, seu perpetui, hæc omnia definiri juxta modum in tabulis divisionis, aut unionis adjectum, vel si de eo non constet, ex usu rerum gestarum æquissimo actorum interprete; atque ubi de certo usu non constet, ex qualitate vicariæ pro modo perpetuæ, vel temporalis erectionis, omnia dirimi; nimirum ut plus concedatur vicario perpetuo, quam temporali; siquidem ubi perpetuus vicarius est, is uti habet vicariam separatam, ita quasi verus parochus intelligetur; e converso cum vicarius ad tempus a capitulo, vel monasterio deputandus est, non tanta erunt argumenta divisionis, sive in gerendo officio, sive in redditibus administrandis.

Instituta sunt, ac tributa beneficia ita suadente necessitate, aut utilitate ecclesiarum. Hinc profecto recta fluit, non posse beneficia novam formam accipere, nisi hanc suadeat vel necessitas, vel utilitas ecclesiarum, seu, quod idem est, non posse sine hac caussa beneficia dividi, vel uniri, can. 48, 53, caus. 16, qu. 1, cap. 33, de præbend. cap. 2, de relig. dom. Sunt hæc generalia ecclesiastici juris principia, quæ certam formam in jure acceperunt, quo facilius, ubi res incideret, emergentibus negotiis accommodarentur, non quidem ita, ut in singulis beneficiis singulares unionis, vel divisionis caussæ designarentur, quibus interveniеntibus procedi ad unionem, vel divisionem possit, deficientibus ab unione, vel divisione abstineatur, neque enim ita singulis adjunctis consuli poterat certa lege; sed ita, ut quorundam beneficiorum, in quibus major habenda est ratio publicæ utilitatis, uniones, vel divisiones certis regulis consisterent, aut etiam certæ caussæ, ex quibus aut ambitui, aut avaritiæ pallium induci quandoque posset improbarentur. Itaque sit loco regulæ generalis, relictum esse arbitrio illorum, qui uniendi, vel dividendi facultate pollent, in caussas inquirere; easdem probare, vel reprobare, eisdemque probatis ad divisionem, vel unionem devenire, nisi quidquam singulare in jure cautum adpareat, quo intra certos limites eorum jurisdictio coercita deprehendatur. Hac posita regula, nihil aliud superest, quam investigare, quidnam singulare cautum canonibus fuerit, sive in caussis divisionum, sive in caussis unionum quo demonstrato, in ceteris concludatur, prudenti ordinariorum arbitrio caussas esse relictas.

Ut de divisione primum dicam, nihil aliud adparet singulari jure constitutum, quam quoties de dividendis parochialibus ecclesiis, vel beneficiis agatur. Olim dubitandum non est, quin episcopi possent novas parochias divisione plebium facta erigere prudenti arbitrio suo, neque enim in specie caussæ designari poterant, quibus demum accedentibus divisio fieret. Ita constitutæ fuerunt parochiæ ab initio, non solum tributione plurium facta, quoties locorum distantia id suaderet; sed etiam quoties in una urbe, vel oppido ita populus multiplicatus existeret, ut unus parochus par omnium curæ et regimini non videretur. Perpendebatur tunc temporis, an expediret, novam ex divisione parochiam erigi, et adaucto parochorum numero consuli populorum utilitati: an insuper novo constituto parocho certa suppeterent emolumenta, ex quibus sustentari idem posset: ubi hæc concurrerent, facile ordinarii ad divisionem deveniebant. Sed paullatim receptum est, ut non omnes caussæ sufficerent, ne semel constituti parochiarum fines facile mutarentur; et in minora in dies frustula parochorum potestas discinderetur; quod tamen ego puto invaluisse potius ex consuetudine, aut non omnino exacta juris scripti interpretatione, quam ex certa et perspicua scripti juris providentia, donec in concilio tridentino, aut inducta consuetudo, aut illa minus exacta juris scripti interpretatio consuetudini receptæ juncta visa fuit adprobari. Propositum fuerat Alexandro III, quandam villam tantum ab ecclesia parochiali distare, ut tempore hyemali, cum pluviæ inundarent, non possent paræciani sine magna difficultate ipsam adire, unde non valerent congruo tempore ecclesiasticis officiis interesse. Adjectum fuerat, parochialem ecclesiam redditibus abundare, adeo ut etiam sine villæ proventibus parochus sustentari valeret. Mandavit in his adjunctis Alexander, ut nova ecclesia in ea villa ædificaretur divisione facta ab ecclesia parochiali, ita ut vetus ecclesia parochialis jura quædam retineret ad argumentum et honorem ecclesiæ matricis, nimirum novi parochi præsentatio pertineret ad parochum ecclesiæ matricis, et siquis esset fundator novæ ecclesiæ, aut dotator, iste parochiali præsentationi consentiret; ceterum ecclesia per divisionem erecta vere parochialis haberetur, et novus parochus in ea constitutus et villæ ejusdem obventionibus aleretur, et ea perciperet, quæ ex singulari fundatoris largitione accessissent. Sagax sane et prudens fuit Alexandri III providentia, qua utilitati fidelium procul a parochiali ecclesia degentium consulebatur Non tam utilis erat, quam necessaria divisio. Juribus parochialis ecclesiæ non detrahebatur, quando parochiali ecclesiæ congrua dos supererat, imo et honor certus reservabatur eidem in jure præsentandi consistens. Quamobrem non ait Alexander III, se caussam divisionis probare tantum, sed insu-

per *mandare* se ut ad divisionem deveniretur, et quidem *sublato appellationis obstaculo*, quod indicat, contentiones emersisse inter eos, quorum interesse poterat, quas contentiones auctoritate sua dirimere Alexander opportunum duxit. Fuit hæc disciplina vetustissima, juxta quam non solum locorum distantia divisioni occasionem præbebat, sed etiam vicinitas unionis, can. 48, caus. 16, qu. 1. Id denique expresso generali decreto confirmavit concilium tridentinum in sess. 21 de reform. cap. 4, vers. *in iis vero*, insuper adjiciens, ut episcopus dividens possit pro arbitrio suo etiam in ea specie certam fructuum portionem detrahere a matrice ecclesia, ut novæ ecclesiæ parochiali addicatur, quod sane intelligendum est, ubi matrix ecclesia redditibus superaffluat; imo et adjiciens, cogi posse divisam plebem ad ea subministranda, quæ novo parocho sint necessaria, ubi aliter consuli novæ parochiæ nequeat. Post editas Gregorii IX decretales, et post instaurata interpretum studia, ubi accesserunt interpretes ad dictum capitulum 3 de eccles. ædific., passim docere cœperunt, tradi in eo jus singulare, quasi in ea specie concessum episcopo sit ad divisionem parochiarum devenire, in ceteris denegatum. Quid ergo? Num ex interpretum sententia fieri non potuit locus divisioni, ubi caussa allegaretur non distantiæ locorum, sed tantum multiplicati populi? Nosse quidem potuissent, hanc etiam caussam idoneam olim perenni disciplina fuisse, etiamsi de dividendis episcopatibus ageretur, can. 50 et 53, caus. 16, qu. 1. Sed consistentes in una dicti capituli 3 interpretatione, non aliam agnoverunt caussam divisionis, quam quæ in specie ejusdem rescripti proferebatur. Quicumque apprime calleat regulas accuratæ interpretationis, diceret, ibi præseferri singulare rescriptum, in quo cum Alexander III responderit juxta principia juris generalis, nihil aliud decernebatur, quam in proposita locorum distantia ideo deveniendum esse ad divisionem, quia divisio futura erat utilis ecclesiæ, imo et necessaria videbatur; propterea que nec denegabatur episcopis similis facultas dividendi, ubi ex aliis adjunctis ecclesiæ necessitas, vel utilitas erueretur. Diceret insuper, ibi agi de præcepto Alexandri, quo jubebatur episcopus, ut in proposita specie ecclesiam divideret; non vero agi de facultate episcopo concessa in eadem specie, quæ singularis facultas esset, ad alios casus minime proroganda. Diceret denique, non adeo facile induci generale interdictum in re semper antiquo jure episcopis concessa, neque interdictum induci per simplex rescriptum ad unum episcopum directum, in quo insuper nihil tale interdictum adparet. Video tamen, quid caussæ interpretibus fuerit, quare ita Alexandri rescriptum intra speciem Alexandro propositam continerent. Præ oculis habentes canonem concilii lateranensis relatum in cap. 14 de offic. Jud. ordin., agnoverunt ex eo, non permitti divisiones episcopatuum, seu constitutiones plurium episcoporum ex una fidelis populi multiplicatione, aut varietate; ex quo similem disciplinam in parochiis recipiendam esse concluserunt. Utinam et in interpretatione hujus capituli 14 ad adjuncta temporum et locorum respexissent; tum enim cum intellexissent, singularem in eo adparere prudentiam locis et temporibus accommodatam, uti jam superius observavi in cap. 4 primæ dissertationis, tum etiam cautiores facti fuissent, ne ex eo canone generalem disciplinam educerent; eove minus produxissent ad parochorum personas, quæ de episcopis statuta fuerant. Amplius progressi fuerunt interpretes in conspectu dicti capituli 3 de ecclesia ædific. Observaverunt ipsi, Alexandrum III morem gessisse divisioni parochialis ecclesiæ, quia parochiani in certa villa constituti non possent accedere ob loci distantiam, et ob viarum asperitatem *sine magna difficultate.* Hinc caussam dividendæ parochiæ in eadem *magna* difficultate constituerunt, si enim gravis esset difficultas, non tamen magna, et digna episcopali miseratione ac indulgentia, illam non satis idoneam caussam esse arbitrati fuerunt quamquam an magna dicenda sit, an minus, istud judicium prudentiæ episcopi reservaverint. Quidquid tamen sit de hoc interpretationum genere, vulgo et passim id receptum fuit: quid enim non operantur in foro traditiones interpretum, ubi præsertim vulgares sunt atque communes? Emersit hinc consuetudo, juxta quam ex una caussa adaucti populi non valeat ordinarius ad parochiarum divisionem procedere; quod hodie certum est, postquam consuetudo visa fuit probata in concilio tridentino, dicto cap. 4, sess. 21, de ref., ubi statutum fuit, ut, quoties populus ita numero excreverit, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo, episcopi cogant rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad sacramenta exibenda, et cultum divinum celebrandum. Factum hinc est, ut divisio parochiarum inter res odiosas a pragmaticis recenseatur, ad quam propterea nonnisi extra ordinem deveniri possit, nimirum nonnisi emergentibus caussis expressis in dicto c. 3, de eccl. ædific., et quidem stricta semper accedente interpretatione, adeo ut etiamsi difficultas itineris, et viarum magna sit alias autem alio remedio occurri possit, puta erigendo ecclesiam subsidiariam, et in ea constituendo sacerdotem parochi adjutorem, non facile ad ecclesiæ divisionem deveniatur. Dicta hæc sint non eo animo, ut hæc disciplina a me improbetur; novi enim, præsertim hodie interesse,

ne facile parochiæ dividantur, quia ut plurimum ex divisione parochiarum proficisci solent contentiones, dissidia, et schismata populorum, unde consuetudo hæc æquitate maxima innititur; sed dicta sint eo animo, ut indicetur, disciplinam istam non jure scripto definitam fuisse; ut etiam indicetur, qua ratione inducta fuerit, et moribus confirmata.

Nonnulla quoque singularia constituta sunt de caussis unionis beneficiorum. Primum spectat uniones beneficiorum, quas episcopus faceret mensæ suæ; alterum uniones, quas episcopus faceret mensæ capituli; postremum uniones faciendas gratia seminariorum. Si generale jus spectemus, nulla dubitatio est, quin episcopus valeat uniones facere beneficiorum, ubi tenues redditus unius beneficii sint, et nequeat ex eo beneficio ecclesiasticus administer sustentari, cap. 36 de præbend. Et si tenues sint capituli redditus, item tenui redditus mensæ episcopalis, hæc ipsa caussa eo magis idonea adparebit ad uniendum, quo opportunius est in ecclesia ali majores administros, quales episcopi sunt, et canonici in cathedrali ecclesia unum corpus cum episcopo constituentes. Sed suspicio fraudis, cui occasionem dederunt minus providæ quorundam uniones, salubrem canonum providentiam postulavit. Quando enim ex generali juris dispositione uniones beneficiorum ab episcopo fiunt consentiente capitulo, aliquando evenit, ut episcopi, vel capitula prætexerent caussas imminutionis suorum redditum, ut mensæ suæ beneficia unirent, quando alias redditus sufficientes haberent; incongruum autem videbatur, ut ipsi in re sua de caussa cognoscerent, et auctoritatem interponerent. Hæc ratio est, quare Clemens V statuerit, ut capitulum, et episcopus de caussa cognoscant, cognitamque caussam probent, ubi unire voluerint certam ecclesiam, vel beneficium alteri dignitati, vel beneficio; si tamen agatur de unione facienda mensæ episcopali, vel capitulo, uniendi auctoritate et episcopus et capitulum destituerentur, et si ad unionem processerint, unio nihilominus irrita habeatur, clement. 2 de reb. eccl. non alien. Hanc tamen Clementis V constitutionem ita interpretaberis ex concilio tridentino sess. 24, de ref. c. 15, ut nihilominus liceat episcopo cum consensu capituli alia beneficia, dummodo non regularia, unire singularibus præbendis, quarum redditus admodum sint imminuti, aut etiam, si ea ratione consuli nequeat, nonnullas præbendas supprimere, quarum redditus aliis præbendis uniantur; cum aliud sit augere redditus capitulares, qua in specie capitulum episcopo consentiens in re sua auctoritatem præstare videretur contra laudatam clementinam constitutionem; aliud sit certas et singulares præbendas a redditibus capitularibus disjunctas augere. De seminariis clericorum expressa extat tridentina constitutio in cap. 18, sess. 23 de ref. Agnita fuit a tridentinis patribus maxima utilitas in erigendis seminariis clericorum; quamobrem cum decernendum esset, ut universi fere episcopi in singulis diœcesibus seminarium erigerent, nec aliter effectum habere dispositio posset, quam si sufficientes redditus adsignarentur, cautum fuit, ut certa beneficia simplicia, vel præstimonia, seu præstimoniales portiones, ubi opus esset, seminario eidem per episcopos unirentur. Ad avertendas autem quascumque fraudes, quæ in hac unione admitti quandoque possent, singularis forma fuit eidem unioni præstituta. Nimirum, ut locus unioni fiat, necessitas uniendi adesse debebit, neque enim sufficeret sola caussa commodioris clericorum sustentationis. Item quatuor viri a concilio deputati; id est duo de gremio capituli, duo alii de gremio cleri intervenient, quorum vel consensum episcopus sequetur, vel saltem consilium petet. Præterea non primum ad hujusmodi unionem deveniendum erit, quam præcesserit taxatio, seu dismembratio fructuum ecclesiæ cathedralis, et aliorum beneficiorum in ecclesia constitutorum, quam taxationem jam concilium ipsum tridentinum induxit, deinde in certam formam redegit Benedictus XIII in sua constitutione *Creditæ nobis* anni 1725, 7 idus maji data ad episcopos Italiæ, atque insularum adjacentium. Denique nec ad eam unionem devenietur, antequam seminarium sit erectum, videlicet admissi in eo jam sint adolescentes, constitutique rectores. Videantur ad hanc rem, quæ tradidit de Fargna, parte 5, de jurepatron. can. 6.

Quemadmodum in civili hominum societate, ita et in christiana communione nihil æquius est, nihil ad res bene gerendas opportunius, quam ut suus honos singulis quibusque servetur. Quando vero ad duo summa capita referri honos potest, primo ad jurisdictionem et potestatem, secundo ad jura, semper enitendum est, ut qui certa jurisdictione pollent, eadem uti sinantur, quousque aliud lege cautum non adpareat, et qui certis juribus gaudent, eisdem uti pergant. Hæc ipsa principia suum locum quoque habent in unione, ac divisione beneficiorum; ita enim ad has deveniendum est, ut is uniat, vel dividat, qui ordinaria pollet potestate, quo pertinet jurisdictio, deinde ut iis intervenientibus uniatur, vel dividatur, quorum interesse potest, quo pertinet tuitio jurium singulorum. Perspicua est Cœlestini III doctrina in cap. 8, de excess. prælat. ex qua liquet, ad quosnam beneficiorum uniendorum, vel dividendorum facultas pertineat ibi: *Sicut unire episcopatus, atque potestati subjicere alienæ, ad summum pontificem pertinere dignoscitur, ita episcopi est ecclesiarum suæ diœcesis unio, et subjectio earundem.* Itaque duobus veluti principiis tota

res innititur. Primum principium est unionem, vel divisionem episcopatuum pontifici maximo reservari. Imo et ego adjicio, reservari uniones illas pontifici maximo, quæ singulari jure fieri ab episcopis nequeunt. Ut exemplum tradam, episcopi, ne consensu quidem capituli accedente, nequeunt unire beneficia minora mensæ vel episcopali, vel capitulari, uti superius observandum fuit ex clem. 2 de reb. eccles. non alien. Quod si certa adjuncta suadeant hujus generis uniones, declaravit concilium tridentinum in sess. 24 de reform. cap. 13, caussam esse in provinciali synodo examinandam, atque apud romanum antistitem referendam, ut ipse, cum opportunum duxerit, ad unionem deveniat. Alterum principium est, unionem, vel divisionem beneficiorum inferiorum, quæ in diœcesi sunt, speciem esse ordinariæ episcoporum jurisdictionis, can. 3, cau. 10, qu. 3, c. 36, de præb. c. 7, de donat. concil. trident. sess. 7 de reform. c. 6. Huic generali episcoporum potestati certæ exceptiones adjectæ fuerunt. Primum denegatum est episcopis beneficia regularia unire præbendis canonicorum etiam cathedralium, vel collegiatarum insignium, aut etiam parochialibus ecclesiis, sess. 24 de ref., cap. 13 et 15. Præterea cautum fuit, ne parochiales ecclesiæ unirentur ab episcopis, aut monasteriis, aut abbatiis, seu dignitatibus, sive præbendis ecclesiæ cathedralis, vel etiam ecclesiæ collegiatæ, sive aliis simplicibus beneficiis, aut hospitalibus vel militiis, dicto capite 13, sess. 24 tridentini concilii; quæ tamen decreta spectant uniones post idem concilium faciendas, non uniones ante concilium legitime factas. De beneficiis exemtis nulla est dubitatio, quin eadem nequeant ab episcopis dividi, vel uniri; cum enim unio actus sit jurisdictionis, sicut et divisio, alias autem beneficia exemta non subsint episcoporum jurisdictioni, frustra de hac uniendi, vel dividendi potestate disputaretur. Quid vero, si beneficia non quidem exemta essent, sed collationi sedis apostolicæ, vel reservata, vel affecta proponerentur? Si seclusis quibuscumque præjudiciis, semotaque quacumque fraude quæstio fiat, non dubitant nostri, unionem adhuc, vel divisionem ab ordinariis fieri posse, propterea quod unio a collatione distinguatur, et reservata collatione non ideo censeatur reservata unio, vel divisio, eadem ratione, qua si de beneficiis ageretur, quorum collatio esset ad superiorem prælatum devoluta; quo casu nihilominus iniri ab ordinario possunt. Ad rem scribit Barbosa in libr. 3 juris universi cap. 16 num. 31, alio jure devolvi beneficia, alio uniri, hac adjecta ratione: *devolutio enim concernit titulum, impeditque, ne episcopus illud in titulum dare valeat, unio autem respicit proprietatem.* Revera tridentinum concilium id expresse declaravit, sive in cap. 5, sess. 21 de ref. sive in cap. 18, sess. 23 de reform. sive in cap. 15 sess. 24 de reform. quibus in locis, dum urgerentur episcopi certis in casibus ad unienda beneficia, adjectum est, nullam reservationem obesse unioni valere. Equidem non ignoro, apud Romanos magistratus aliquando receptum fuisse, ut decreta concilii tridentini modo laudata singularia haberentur, quæ nimirum continerentur intra species unionum, de quibus ibi fit mentio, nullo autem modo ad alias unionum caussas referrentur. Sic traditum fuit, episcopum non posse unire beneficia reservata, aut penitentiariæ, aut theologali a se erectæ juxta decreta tridentini concilii sess. 5, cap. 1, et sess. 24 cap. 8 de refor., propterea quod in his decretis non habetur expressa mentio de beneficiis reservatis, quemadmodum expressa mentio facta fuit in aliis speciebus, nimirum dicti capitis 5 sess. 21, dicti capitis 18, sess. 23, et dicti capitis 15 sess. 24, quod refert Rigantius in commentario ad regulam 13 cancellariæ n. 163 et sequentibus. Verum istæ observationes non adeo inspecta generali jurisprudentia valent, ut cum generalibus interpretationis regulis consonent; ac, si probentur, auctoritate accedente potius novam legem inducunt, quam legem explicent tridentinam. Siquidem tridentini patres æque in certis decretis dicere potuerunt, etiam ad reservata beneficia unionem extendi, quasi ut clarius exprimeretur, quod jam lege continebatur; ac dicere potuerunt, extendi ad ea beneficia unionem, quasi, si nihil tale diceretur, nulla episcopis competeret uniendi potestas. Ut alterutrum definiatur, id pendet ex eo, an reservatio collationis unionem excludat, quod nemo facile probabit, cum aliud sit unire, aliud conferre. Igitur concessa expresse unione gratia erigendæ vel pœnitentiariæ, vel theologalis, non opus erat expressæ adjicere, unionem referri etiam ad beneficia reservata. Quod si tridentini patres in aliis speciebus id expresse adjecerunt, argumentum est, non singularis facultatis episcopo concessæ, sed clarioris significationis illius juris, quod tacite inerat. Quamobrem laudanda est Benedicti XIII prudentia, qui, quasi insuper habitis romanorum magistratuum decretis, in sua constitutione *Pastoralis* anni 1725, 14 kal. junii, voluit etiam uniri posse et pœnitentiariæ, et theologali beneficia reservata; quæ constitutio licet edita sit respectu Italiæ, et insularum adjacentium, optandum est, ut, facile ad alias provincias traducatur. Utinam autem episcopi universi in unionibus beneficiorum reservatorum, quæ fuerunt expresse in tridentino concilio probatæ, nullam unquam fraudem admisissent! In dicto cap. 5 sess. 21, generaliter in casibus omnibus abs jure permissis probatum fuit, ut episcopi possent vel parochiales ecclesias, vel alia beneficia curatis beneficiis nulla obstante reservatione unire. In dicto

c. 5, sess. 24 probatæ fuerunt uniones etiam reservatorum beneficiorum, ubi de augendis tenuibus præb. ageretur; et in dicto c. 18 sess. 23 cautum fuit, ut gratia seminariorum unirentur beneficia quædam, etiam reservata. At episcopi quidam absoluto concilio, cum certa beneficia vacarent, quæ ad sui liberam collationem pertinebant, concilii voto insuper habito, ab unione utut vel necessaria, vel maxime utili abstinebant, ac tum demum ad unionem deveniebant, cum vacaret beneficium sedi apostolicæ reservatum: quasi de publica utilitate solliciti tantum viderentur eo casu, quo nihil eorum privatim intererat. Id conquæsti fuerunt pontifices maximi Pius V et Gregorius XIII, qui proinde ad evitandas fraudes decreverunt, ut tum demum valerent uniones reservatorum beneficiorum gratia seminarii, cum ante vacationes beneficiorum factæ fuissent. Hæc decreta refert Garzias de beneficiis parte 12, cap. 12, num. 102 et seq. Post hæc ad novas artes confugerunt, qui fraudi studere cœperant. Nimirum oculos conjiciebant in ea beneficia, quæ, quocumque tempore vacavissent, reservata erant collationi sedis apostolicæ, eademque etiam ante vacationem uniebant, ut sic suæ collationis beneficia, cui placeret, conferrent. Id vetuit Clemens VIII anno 1602, die 16 februar., quemadmodum refert Fagnanus ad dictum c. *Sicut unire* de excess. prælat. num. 37, atque ex eo tempore, ubi ea decreta publicata sunt, episcopi abstinere debuerunt a beneficiis uniendis reservatis, quæ vel jam vacarent, vel ante vacationem reservata erant, perpetua, sive certa reservatione. In iis adjunctis quæstio emersit de cardinalibus, aut aliis episcopis, qui indultum impetraverant conferendi beneficia sedi apostolicæ reservata. Proponebant isti, se nullam fraudem admittere, sive quod generaliter omnes beneficiorum, quæ uniturи essent, liberam ex indulto collationem haberent; sive quod qui cardinales erant, non censerentur in commemoratis decretis comprehensi. Hanc quæstionem auctoritate sua dirimendam censuit Urbanus VIII in sua constitutione *Quamvis*, quam loco citato num. 49, exhibet integram Fagnanus. Itaque ubi recepta sunt omnia ista decreta, distingui solet inter beneficia reservata jam vacantia et non vacantia. Quoties jam vacent, sublata est episcopis uniendi facultas. Quod si necdum vacent, iterum distingui solet inter beneficia, quæ habent certam et personalem reservationem, et quibus vacantibus certo scitur, collationem ad pontificem maximum pertinere; tum vero etiam episcopi abstinere debent ab unione; atque inter beneficia, quæ non habent certam reservationem, veluti eam, quæ dicitur ex caussa temporis omnino pendens ab eventu; tum vero unire episcopi poterunt, unione semper subsistente, etiamsi deinde vacaverint mense reservato, cum ad hanc speciem non pertineant memorata decreta. Hanc distinctionem communem appellat Rigantius ad regulam 13 cancellariæ num. 110. Tantum observat cardinalis de Luca, adhuc prohiberi unionem in ea specie, qua episcopus velit unire beneficium, cujus vacatio proxima est, et quidem in mense reservato; quasi hæc species fraudem quandam redoleat, propterea que, si non verbis, saltem sententia dictorum decretorum contineatur. Ita ille de beneficiis disc. 6, n. 7.

Jamvero modos et formas, ac solemnitates illas investigemus, quæ necessariæ sunt, ut rite, recteque ordinarii ad beneficiorum unionem, vel divisionem deveniant. Vix memoro vulgatam illam, et necessariam solemnitatem expetendi consensus capituli, juxta generalem juris ecclesiastici disciplinam, cap. 2, et sequentibus de his, quæ fiunt a prælatis. Tantum dicam, in unione, quæ fiat gratia seminarii ex sæpe laudato tridentino decreto, hanc remissam fuisse solemnitatem, vices cujus alia solemnitas substituta est, ut nimirum interveniant quatuor deputati, duo de capitulo et totidem de clero, de quibus conceptum est caput 18, sess. 23 de ref. Præterea, si de beneficiis patronatis agatur, expectandus erit patroni consensus; imo, si plures patroni sint, nec majoris quidem partis consensus sufficiet, sed omnes ad unum usque consentire oportebit, argumento capituli 7 de donation. et capitis 15, sess. 24 de ref. in concilio tridentino. Huc pertinet, quod definitum legitur apud Fabrum in codice lib. 1, tit. 2, def. 48 ubi postquam traditum est, sine consensu patroni laici unionem factam non valere, ita subjicitur: *Quod si patronus sit clericus, nemo dubitat, quin summus pontifex potestate ordinaria derogare possit juripatronatus clericorum; etsi autem derogare etiam potest, quum vult, jurispatronatus laicorum pro ea vice; fallit tamen hoc in unionibus, quia perpetuo durant. Sed et procuratorem principis generalem vocari, et audiri necesse est, non solum si juspatronatus ad principem pertineat, quod in dubio præsumendum est, cum beneficium habeat dignitatem, sed etiamsi ad alium, nempe ratione publicæ utilitatis, et ad hoc ipsum dispiciendum, an publice utilis futura sit unio, an inutilis, tum pro tuenda principis auctoritate, ad quam sane pertinet, ut beneficiorum omnium, quæ in territorio sunt, protector et conservator existimetur; unde illud etiam est, quod de beneficiorum possessione soli judices principes cognoscunt. Itaque si non vocato procuratore generali unio facta sit, potest, et solet ille ab ea, tanquam ab abusu provocare, semperque ea provocatio admittitur etiam post centum annos, quia unio semper et perpetuo gravat.* Itaque generaliter vocandi erunt ii omnes,

quorum interest, uti expresse docet concilium tridentinum in c. 6, sess. 7 de ref. Interest autem maxime illorum, qui possident beneficia, de quorum unione, vel divisione agitur, quamobrem et ipsi vocandi erunt. Sic in integro canone carthaginensis concilii canone 50, cau. 16, qu. 1 dicitur, ad divisionem episcopatus procedi posse *voluntate ejus, in cujus potestate est diœcesis constituta*; quamquam aliquando deveniri ad divisionem possit, non quidem non vocato beneficii possessore, sed eo non consentiente; quoties nimirum possessor vocatus nullas alleget, ac probet æquas causas, quare ad divisionem non sit deveniendum; alias autem utilitas, vel necessitas ecclesiæ divisionem efflagitet, cap. 3 in fine de eccles. ædific. Eadem ratio erit de unione, cujus caussa vocandi erunt utriusque beneficii possessores, ut, siquas forte caussas habent, propter quas deveniendum non sit ad unionem, discutiendas proponant, ita ut, si legitimæ sint, ab unione abstineatur, si improbabiles, nihilominus ad unionem episcopus progrediatur. Qua tamen in specie unio statim fieri intelligetur, sed unionis effectus tum demum locum habebit, cum alterutrum beneficium vacabit, ne illud sequatur absurdum, ut vel duo clerici unum, idemque beneficium possideant, vel alteruter beneficiarius suo beneficio spolietur, cap. 4 de donationib. quod et insinuaverunt tridentini patres in cap. 5, sess. 21 de ref. caventes, ut non aliter deveniretur ad beneficiorum uniones, *quam sine præjudicio obtinentium*. Huc pertinet clementina 2 de reb. eccles. non alien. ubi duo definiuntur. Primum est, vacante ecclesia, vel beneficio, unionem fieri ab episcopo posse etiam nullo constituto defensore ejusdem ecclesiæ, vel beneficii vacantis. Id verum est in quacumque unionis specie; etenim etiam tempore vacationis ecclesiæ vel beneficii semper adest ordinarius defensor ecclesiarum et beneficiorum omnium diœcesanorum, nimirum episcopus, cui non opus est alium extra ordinem defensorem adjungere. Aliud sane viget in unione cathedralis ecclesiæ vacantis, quæ unio ideo dicitur non valere, quia ecclesia defensore ordinario caret, in cap. 1 ne sede vacante. Alterum est, ecclesia vel beneficio non vacante, adhuc sustineri unionem, etiamsi rector ecclesiæ, vel beneficii non fuerit vocatus. Id ego puto locum tantum habere in unione accessoria, vel subjectiva, non autem in unione vel extinctiva, vel translativa tituli; propterea quod in unione accessoria, vel subjectiva aut nihil, aut parum rectoris interesse possit, alias in unione extinctiva, vel translativa tituli multum rectoris ejusdem interesse videatur. Singularia quædam constituta sunt in tridentino concilio caussa unionis beneficiorum gratia seminarii, dicto cap. 18, sess. 23 de ref. Primum remissa fuit episcopo necessitas expetendi consilium, vel consensum capituli, aliaque in locum istius subrogata est solemnitas, nimirum expetendi consilium, vel consensum quatuor deputatorum, quorum duo a capitulo, duo alii a clero nominandi sunt. Secundo unionem beneficiorum præcedere debet taxatio, ex qua beneficiarii omnes, ne ipso quidem excluso episcopo, concurrant collatione facta partis fructuum ad seminarium erigendum, alendosque eos, qui in seminarium sint recipiendi, juxta constitutionem Benedicti XIII superius commemoratam. Tertio non fieri potest unio, antequam seminarium omnino sit erectum, quemadmodum etiam superius observandum fuit. Quarto unio ista fieri debet aliquot tantum beneficiorum; neque enim aut omnia, aut numero plurima diœcesana beneficia uniri valerent, uti manifeste liquet ex verbis tridentini concilii. Quinto denique hæc unio nonnisi in subsidium facienda est, nimirum ubi alias erectioni seminarii locus esse non posset; eamque ob rem unione etiam secuta, eadem unio rescindenda erit, quoties alias seminarium ea adquirat, quæ eidem sufficiant ad alendos adolescentes atque excolendos.

Unio ac divisio semel legitime facta variis de caussis rescindi potest, imo cum facilis sit uniuscujusque rei ad sua principia regressus, revocatio in pristinum beneficii, vel ecclesiæ statum plurimum est adjuvanda. Caussæ rescissionis sunt, primum si ea cesset ratio, propter quam fuit olim ad divisionem, vel unionem deveniendum, uti tradit Rebuffus in praxi beneficiaria de unionis revocatione numero 1 et 2. Hinc ex. gr. si unio ecclesiarum facta fuerit ob inopiam fidelium, numero etiam pauciorum, adauctis illorum facultatibus, et numero, unio rescindetur, iterumque ad duas erigendas ecclesias devenietur. Secundo, si nova emergant adjuncta, onde unio, vel divisio rescindenda videatur, nimirum si facta unio, vel divisio olim utilis, deinde esse cœperit perniciosa. Regula enim est; non posse retineri in detrimentum ecclesiæ, quod ipsius gratia inductum fuerat, ac probatum, argumento capituli 61 de regul. jur. in 6. Hinc quoties per unionem factam dissolvi religio videretur, eleemosyna et hospitalitas tolli, unionem revocari debere, definivit Innocentius III in cap. 1 ne sede vac. Ceterum observandum generaliter est, ea, quæ dixi custodienda in faciendis unionibus, vel divisionibus, sive quoad auctoritatem episcoporum, sive quoad solemnitates, servanda etiam fere omnia esse in eisdem unionibus, vel divisionibus rescindendis ex notissima regula, quæ docet unumquodque eo modo dissolvi, quo colligatum est, cap. 1 de reg. juris. Denique observandum est ex regula 13 cancellariæ, solere pontifices maximos tempore suæ inaugurationis revocare omnes uniones, ac divisiones vel a suis prædecessoribus, vel ab aliis factas,

nondum tamen effectum suum sortitas, nisi factæ fuerint auctoritate concilii tridentini, vel pro fundatione, seu dotatione, augumento, vel conservatione collegiorum, et aliorum piorum et religiosorum locorum ad fidei catholicæ defensionem et propagationem, bonarumque artium cultum institutorum. Secuti sunt in hac parte pontifices maximi tridentini concilii prudentiam, juxta quam non adeo facile probari potuerunt uniones, vel divisiones factæ, argumento c. 6, sess. 7 de ref. Qui plura desiderat ad interpretationem laudatæ regulæ cancellariæ, apud pragmaticos facile inveniet.

DISSERTATIO QUARTA

DE JURIBUS PATRONORUM.

Huc referendus est titulus 38, libri 3.

CAPUT I.

Quid sit Juspatronatus.

Vetera Romanorum jura patroni nomine eum appellaverunt, qui servum manumisisset; atque ita juspatronatus esse dixerunt illud, quod manumissoribus, eorumque filiis competebat. Latini scriptores ut plurimum nomine patroni usi sunt ad significandum defensorem, vel provinciæ, vel civitatis, vel singularis alicujus caussæ. Aliter ecclesiasticorum monumentorum auctores, qui præsertim post duodecimum ecclesiæ sæculum scripsere; nimirum patronos nominaverunt fundatores ecclesiarum, aut beneficiorum, imo etiam illos, qui a fundatoribus caussam haberent, quemadmodum jus eisdem competens nominaverunt juspatronatus. Sed præterea aut ad idem, aut ad simile jus significandum alia invecta jampridem fuerunt nomina, qualia sunt advocatiæ, et advocatorum, vicedominorum, custodum, et *Guardias* habentium. Advocatiæ aliquando, et jurispatronatus, quemadmodum advocatorum, et patronorum nomina promiscue sumta fuisse, non ignoro, c. 6 et 24 de jurepatron. aliquando tamen patroni ab advocatis distinguebantur, c. 9, eod. tit can. 1, cau. 17, q. 2. Siquidem proprie patronus appellabatur, qui omnibus juribus gauderet fundatori decretis, iisdemque oneribus, quibus fundator suberat, subjaceret, advocatus vero, qui tantum patrocinio suo tueretur ecclesias, et ecclesiarum bona, etsi nec ecclesias fundavisset, nec bona donasset, argumento dicti capituli 9 de jurepatr. quamquam ex eo, quod fundatores, et fundatorum successores identidem tuerentur ecclesias a se erectas, ideo etiam advocati earundem ecclesiarum appellari potuerint. Ut paucis dicam, fundatores omnes, et qui in jure patronatus fundatoribus succedebant, advocationis jure gaudebant: non e converso advocati omnes jurepatronatus potiebantur. Erant olim constituti in romano imperio defensores civitatum quinquennali concesso officio ad tuendas easdem civitates in iis caussis, quæ neque adeo graves essent, neque judicialem figuram exposcerent; l. 1 et sequentibus cod. de defensor. civit. imo et religionis caussa apud Æthnicos seligi solebant ex cœtu advocatorum, qui templa, et templorum jura curarent, ac patrocinio tuerentur, qui etiam ex eo officio *Sacerdotes* appellabantur, l. 46 juncta, l. 112 cod. Theodos. de decurionib. et l. 20 cod. Theodos. de Paganis. Id præsertim in Africa obtinebat; qua in provincia paullatim evanescente Æthnicorum superstitione, episcopi ecclesiæ postularunt a piis imperatoribus, ut defensores simili quadam ratione darentur ecclesiis, can. 10, caus. 23, q. 3 quod post breve tempus impetraverunt, uti liquet ex l. 38 cod. Theod. de episc. et cler. In aliis provinciis liquet, etiam constitutos fuisse varios defensores auctoritate pontificum maximorum sæculo sexto et septimo, utplurimum ex ordine subdiaconorum electos. Successione temporum post res bellicas universam fere Europam turbantes, et occasione injuriarum, quas ecclesiæ et monasteria patiebantur, consuevere et ecclesiæ et monasteria quosdam sibi viros probos eligere, utplurimum ex optimatibus, qui in fidem suam recepta ecclesiarum et monasteriorum jura tuerentur, quos propterea advocatos nominaverunt. De his frequens fit mentio in capitularibus Francorum, et in aliis variarum nationum legibus mediæ ætatis, qui si forte jurisdictionem, seu potestatem publicam exercebant, judicabant etiam de caussis realibus ecclesiarum et monasteriorum, quo pertinent verba illa canonis 8, cau. 1, qu. 3 *defensoris nomine advocatum, sive castaldum et judicem.* Ob hæc officia identidem advocatis salaria constituta sunt ex ecclesiastico peculio, non solum pro operis, quas illi in ecclesiarum commoda impendebant, sed etiam pro operis sub advocatorum et exactorum, quos quandoque in adjutorium sui vocabant. Vicedomini ut plurimum erant vel clerici, vel laici, qui ab episcopis, aliisve ec-

clesiarum prælatis veluti curatores, et œconomi ecclesiarum constituebantur, et prædiorum ecclesiasticorum curam gerebant, can. 2, 3 et 5, dist. 89 derivato nomine ab officio tutorum, vel curatorum res pupilli, vel minoris administrantium, qui dominorum vice esse dicuntur in l. 137 ff. de reg. jur. Custodiam, sive *Guardiam* habere dicebantur, qui tempore vacationis beneficiorum custodiebant bona a beneficiario defuncto olim possessa, aliquando fructus exinde perceptos successoris, quasi data depositi fide, servaturi; aliquando etiam jure potiti fructus ipsos interea susceptos, vel fructuum partem in suos usus convertendi, can. 48, cau. 12, qu. 2, cap. 6, de instit. cap. 13, de elect. in 6. Sed hæc, et similia jura, quæ quandam cum juribus patronorum adfinitatem habere videntur, fere exoleverunt, de quibus propterea pauca hæc sufficiat attigisse.

Si jus illud, quod proprie patronatum vocamus, definire velimus, dicemus, esse jus quoddam singulare certis in honoribus commodisve consistens, cui etiam certa onera cohærent, concessum iis, qui templa, vel beneficia erexerunt, dotarunt, aut restituerunt, vel etiam iis, qui ab eisdem caussam habent. Videbitur fortasse nonnullis nimium vaga, et late admodum patens definitio utpote qua nec honorum, nec commodorum, neque onerum qualitas exprimatur. Sed hanc ipsam ob rem ego illam aptissimam puto quum vaga et inconstans semper fuerit patronatus natura, nimirum, pro temporum, locorumque diversitate secum trahens diversa commoda, et diversos honores, quæ omnia etiam diversa onera sequerentur. Revera apud veteres, vix receptum scimus, ut fundatoribus liceret in ecclesiis sua adscribere nomina, unde basilicæ distinguebantur nomine suorum fundatorum, dicebanturque ex. gr. basilica Constantiniana, titulus Damasi, titulus Eudoxiæ, titulus Lucinæ, templa illa, vel religiosa loca, quæ a Constantino, a Damaso, ab Eudoxia, a Lucina constituta fuerunt; et nonnisi paullatim, et veluti per gradus eo deventum est, ut fundatores, et caussam a fundatoribus habentes clericos constructæ ecclesiæ, aut erecto beneficio addicendos episcopis commendarent, jura sepulchrorum obtinerent, familiaria insignia ponerent, et alia his similia jura explicarent, de quibus inferius agendum erit. Hinc quamquam hodie vulgo promiscue usurpetur juspatronatus cum jure præsentandi, revera tamen invicem distinguuntur; cum adhuc sine jure præsentandi possit juspatronatus existere, dummodo in aliis juribus juspatronatus exerceatur, argumento caus. 25 de jurepatronatus.

Ut magis magisque exprimatur jurispatronatus indoles ac natura, observandum est, hoc ipsum jus considerari bifariam posse; et primo, ratione habita ecclesiæ vel beneficii, quod patronatui subesse dicitur; secundo ratione habita fundatoris, vel illorum, qui fundatori succedunt, et idem jus in ecclesiam, vel beneficium explicant. Abiit in vulgarem traditionem, juspatronatus ratione habita ecclesiæ, vel beneficii censeri veluti quandam servitutem ecclesiæ, vel beneficio impositam; quasi posito patronatu nec ecclesia nec beneficium libertate potiantur. Ita scribere interpretes, et pragmatici consueverunt, verum, ut arbitror, minus concinne; si enim ecclesiæ, et beneficia, quæ jura sacra sunt, a commerciis exemta necessario dici debent ex ipsa rei natura, non video; quomodo servitus in eisdem imponi possit. Ecquidem verum est, singulares honores fundatoribus, et fundatorum successoribus in ecclesia aut beneficio concedi: at diversa hæc sunt honores alicui dari et servitutem alicujus gratia imponi; honos enim et a superiore inferiori deferri potest, servitus e contrario nonnisi ab inferiore debetur. Quod si ecclesia, vel beneficium juripatronatus obnoxium non omnino liberum dicitur, id improprie traditur, atque eo sensu, quod beneficium non sit liberæ collationis ordinarii, quod prælati pati debeant, patronos jure sibi ex canonum indulgentia concesso experiri; indecorum autem esset, dicere, ex ea caussa servitutem ecclesiis, et beneficiis impositam fore. Nullæ olim dignitates, nulla ecclesiastica munera conferebantur, nisi suffragia populi postularentur. Indene quisquam colligeret, dignitates, et munera ecclesiastica in quandam populi servitutem redacta fuisse? Jure decretalium nec institui, nec destitui ab episcopo clerici possunt, nisi consentiente collegio canonicorum. Indene quisquam colligeret, beneficia in quandam redacta fuisse collegiorum canonicalium servitutem? Sunt isti omnes honores passim tributi publica suadente utilitate, qui sane longe distant a servitutis constitutione.

Ratione habita fundatoris, vel illorum qui a fundatoribus caussam habent, vulgaris traditio est, juspatronatus tanquam jus spirituale censeri, ad quod laici non alias admitti possint, quam si singulare privilegium demonstretur, propterea quod laici dicantur jurium spiritualium incapaces. Quidquam etiam est in hac parte, quod non undecumque placere potest. Fateor quidem, juspatronatus jus spirituale dici, propterea quod rebus corporalibus minime accenseatur: dixerim amplius, propterea quod in christiana communione fundamentum habeat, etiam sacrum quoquo modo appellari. At enim, num exinde sequitur, laicos fideles esse ejusdem juris penitus incapaces, et tum demum capaces fieri ex singulari privilegio contra rei, de qua agitur, naturam concesso? Ex rebus spiritualibus, quæ in christiana communione fundamentum habent, tres ego distinguo species. Aliæ sunt functiones

vere hierarchicæ, quæ clericos a laicis vel ex divina, vel ecclesiastica constitutione distinguunt; ex divina, veluti collatio sacramentorum, ex ecclesiastica, veluti collatio beneficiorum, aut pensionum in redditibus beneficiariis, et similia: aliæ sunt functiones communes, et laicis et clericis universis, veluti jus sacramenta percipiendi, jus etiam ipsum generale communionis christianæ, aliæ denique sunt functiones veluti in medio constitutæ, quæ necdum ad hierarchiam spectant, sed ad disponendam tribuendamque hierarchiam quoquo modo referuntur, non proxime quidem, sed remote. Quum autem dicitur, laicos spiritualis juris esse incapaces, id verissimum est, si de hierarchicis functionibus exercendis agatur, quales sunt, quæ a sacro ordine pendent; at si de ceteris juribus extra hierarchiam positis sermo sit, nemo non videt, quam falsa foret generalis illa traditio, ex qua sequeretur, laicos utut in christianam communionem receptos, a sacramentorum susceptione, quasi a spirituali jure, esse semotos. Juspatronatus tale jus est quod in medio quodam collocatur. Non spectat illud ad hierarchicum munus; neque enim in eo versatur collatio ordinis, vel beneficii. Non spectat illud ad jura generalia communionis christianæ, ne forte admittatur, ad jura patronis tantum concessa omnes vocari, qui in christiana communione consistunt. Medium quoddam est, quod refertur ad viam sternendam caussa futuræ ordinationis et collationis beneficiariæ, a prælato ecclesiastico peragendæ; hujus autem juris non adeo incapaces dici laici possunt; quando scimus apud veteres bonum testimonium etiam plebis desiderari consuevisse, ut quis ad sacros ordines, et ad sacra ministeria proveheretur, quemadmodum etiam hodie jus unicuique laico competit, et quidem spirituale, opponendi adversus ordinationem illius, qui gravis criminis reus, aut irregularitate notatus ad sacros ordines adspiraret. Est hoc jus, aliaque similia, vere jus spirituale, eo sensu, ut in commercium sine simoniæ labe venire non possit, ut supponat jura christianæ communionis in eo, qui velit idem jus exercere, ut in pœnam admissi alicujus gravioris criminis auferri ecclesiastica lege possit; non tamen eo in genere est constitutum, quo laicus credatur penitus incapax, et nonnisi quadam legum generalium dispensatione reddatur idoneus. Quod si ad juspatronatus obtinendum opus fuit generali sanctione canonum, qua singularis habita fuit ratio fundatorum, aut eorum, qui a fundatoribus caussam habent, hæc canonum sanctio opportuna eatenus fuit, quatenus modi designarentur, quibus juspatronatus alias vicissitudinibus variis obnoxium definiretur, non vero, ut opus esset dispensatione quadam, qua laici idonei ad quædam explicanda ejus generis jura redderentur.

CAPUT II.

De variis patronatus speciebus.

Receptissimæ hodie sunt duæ jurispatronatus species; aliud enim ecclesiasticum dicitur, aliud laicale. Qua in re non inspicitur aut fundatorum, aut eorum, qui fundatori succedunt, qualitas, sive conditio, quasi, si illi ecclesiastici viri sint ecclesiasticum, si laici, laicale juspatronatus appelletur: sed potius inspicitur qualitas bonorum, ex quibus erectum fuit beneficium, vel ecclesia, ita ut si bona ecclesiastica sunt, utut a laico viro collata, adhuc juspatronatus ecclesiasticum sit; si vero bona laicalia sint, sive patrimonialia, tunc juspatronatus laicale dicatur quamquam clericus fuerit, qui bona eadem contulisset. Finge enim vero, laicum possidere bona ecclesiæ vel commendæ, vel alio simili titulo, atque ex iis bonis erigere ecclesiam vel beneficium, non aliud juspatronatus fundator adquiret, quam ecclesiasticum. Finge e contrario, clericum erigere beneficium, vel ecclesiam ex bonis familiaribus, aut patrimonialibus, juspatronatus laicale a fundatore ut clerico adquiretur. Hujus rei ratio evidens est; siquidem cum patronatus sit quædam veluti ecclesiæ remuneratio, et beneficii repensatio, qualitas donatarum rerum attenditur, ut conjiciatur ejusdem repensationis conditio; alias autem si personæ qualitas inspiceretur, insuper habita qualitate bonorum, jus ipsum patronatus pro modo possessorum sibi invicem succedentium novas sæpe qualitates adsumeret et modo ecclesiasticum, modo laicale fieret, prout modo a clerico, modo a laico possidetur; quod sane repugnat, quum qualitas rei cohæreat ipsi rei; imo et stoicorum philosophia a re ipsa minime distinguatur. Hinc fit, ut in patronatu ecclesiastico, qui caussa bonorum ecclesiasticorum, in erectionem beneficii, vel sacræ ædis collatorum adquiritur, succedat post fundatorem quicumque erit successor in beneficio administrando, cujus bona collata sunt in novam ecclesiam, vel beneficium erigendum; at in patronatu laicali ii succedant, qui vel tacite, vel expresse fuerint a fundatore pro arbitrio vocati. Perspicua hæc sunt, si juspatronatus competat ex fundatione, vel dotatione. Quid tamen si fuerit ex privilegio adquisitum? In hac specie erit perpendenda privilegii caussa, ac finis, et, observandum, an is, qui privilegio patronatum concessit; potius voluerit distinguere dignitatem, et officium clericale, an potius personam patroni; adeo ut si dignitatem et officium distinguendum, ornandumque privilegio censuerit, ecclesiasticum sit juspatronatus, et viceversa laicale sit, si merita singularia vel personæ, vel familiæ occasionem pri-

vilegio dederint ; quæ omnia intellige, quotiescumque nihil singulare in privilegio exprimatur, ubi enim aliud suadeant privilegii verba, istis erit sine discrimine inhærendum. His jurispatronatus speciebus addere possumus tertiam quandam speciem patronatus, quem mixtum pragmatici vocant, videlicet partim laicalem, partim ecclesiasticum. Exemplum est, quoties adquiritur patronatus a duobus, quorum unus ecclesiastica bona possidens, portionem istorum bonorum conferat in beneficii erectionem, alter vero conferat portionem bonorum patrimonialium sui juris. Similiter quod in duabus personis, idipsum et in una contingere potest, si nimirum unicus fundator sit, et partim ex bonis ecclesiæ, partim ex patrimonialibus ecclesiam, vel beneficium erigat. Præterea et illud fundatori laico indulgetur, ut etiamsi bona sui juris, et laicalia ad erectionem beneficii contulerit, possit hanc formam patronatui indere, ut in parte concedatur cuidam ecclesiasticæ dignitati, in parte reservetur heredibus, vel familiæ, qua in specie jurispatronatus etiam mixtum erit. Idem dicas de patronatu, qui concessus privilegio fuerit ; neque enim repugnat, quin is, qui privilegium concessit, mixtum juspatronatus plurimum gratia constituat, idest et gratia dignitatis ecclesiasticæ, et gratia alicujus familiæ vel personæ, et heredum. In his omnibus speciebus obtinuit, ut quando alia sunt jurispatronatus laici, alia ecclesiastica jura et rationes, quod adparet in reservationibus, in numero mensium, in facultate variandi, et similibus, jura hæc facile communicentur ; ita ut, quod amplius uni competit, illud ipsum alteri accedat, et in conflictu duorum jurium, quorum alterum ab altero excludatur, illius habeatur ratio, quod potius est, atque præstantius. Si quæratur, quale habendum sit juspatronatus competens monasterio, jamdiu receptum fuisse scimus, tamquam ecclesiasticum censeri, saltem quod spectat jus præsentandi, cap. 1 de jurepatr. in 6. Quid vero si laicorum confraternitati competat jus patronatus ? Ex principiis modo præjactis omnis facile diluitur difficultas. Neque enim dubitandum est, quin laicale dicendum sit, quoties ex bonis laicis, etiamsi hæc ad ipsum confratrum collegium pertineant, erectum beneficium aut ecclesia proponatur, etenim si collegium ipsum laicale est sui natura, etiam laicalia sunt ejusdem collegii bona. Erit autem ecclesiasticum juspatronatus, quoties erectum foret beneficium, vel ecclesia ex bonis ecclesiasticis confraternitati administrationis caussa concessis. Porro nec repugnat, juspatronatus quod semel laicale fuerit, progressu temporis ecclesiasticum fieri, velut si patronus laicus jus suum ecclesiasticæ cuidam dignitatis, vel officio, vel capitulo, vel monasterio cedat, dicto cap. un. de jurepatron. in 6. Disputant interpretes, quale censendum sit juspatronatus, ubi dubitatio emergat, et constare non possit, an laicale sit, an ecclesiasticum. Deficientibus tabulis fundationum, aut nullis existentibus conjecturis, ex quibus certa patronatus qualitas eliciatur, scripserunt aliqui, juspatronatus laicale præsumi, primum ex eo, quod in dubio bona esse laicalia, et clerici juxta sancti Augustini institutiones, nihil habere proprium, præsumantur, can. 10, 11, 18, cau. 12, qu. 1, deinde ex eo, quod jurepatronatus laicalia sint ecclesiasticis vetustiora. Addere potuisset argumentum, quod deduci potest ex capitulo 41 de testibus, ubi solliciti fuere antistites de commendanda literis libertate ecclesiæ, quasi libertas probari debeat ab allegante. Verum hæc non satis mihi placere possunt, observanti, juspatronatus inter jura privilegiaria recenseri, nec facile præsumi privilegia, nisi apertis probationibus demonstrentur. Ecquidem fateor, privilegium istud, quod patronatum vocat, insertum esse juri communi ; verum quando jus commune illud concessit certo tantum personarum generi, ex. gr. fundatoribus ecclesiarum ; qui illud privilegium allegat, licet expressum privilegium exhibere non teneatur, quasi elevetur onus probandi ex disciplina juris generalis, demonstrare tamen debet, se esse de illo personarum genere, quod jus commune ad privilegium vocat ; cum enim id in facto consistat et quidem singulari, præsumi non potest. Addo, in dubio favorabilem esse debere ecclesiæ, et beneficii caussam et majorem beneficiorum libertatem, quoad fieri possit, adseri oportere, quod sane argumentum ab iis vehementius urgeretur, qui tradunt, juspatronatus esse quandam veluti ecclesiæ servitutem, non facile adjuvandum aut interpretatione, aut præsumtione. Neque dicas, in hac specie disputari, non de jurepatronatus, sed de jurispatronatus qualitate ; etenim semper idem, aut simile viget argumentum. Cum juspatronatus laicale est, nihil aliud superest ecclesiasticis viris seu ecclesiæ prælatis, quam institutio, et quidem præsentati, qui, dummodo sit idoneus, necessario est instituendus ; ac in jurepatronatus ecclesiastico sive præsentatio, sive institutio semper penes viros ecclesiasticos inest, unde magis libera remanent jura ecclesiæ in designatione sacrorum ministrorum, quæ libertas est in dubio adjuvanda. Restat nunc, ut, quæ a contra sentientibus proponuntur, diluantur. Ajunt ipsi in primis, bona in dubio laicalia præsumi. Oppono ego, in dubio præsumi libertatem : præsumtio præsumtionem elidit, ac propterea res reducitur ad generalia principia, quæ postulant, ea, quæ facti sunt, probari oportere. Deinde non quærimus, an bona laicalia extiterint, an ecclesiastica ; sed an laicus de bonis suis beneficium erexerit : an

clericus de bonis ecclesiasticis. Æque præsumitur laicus erexisse de bonis suis, ac clericus de bonis ecclesiæ. Subjiciunt, qui contra sentiunt, clericos non præsumi quidquam possidere juxta regulas sancti Augustini. Esto, id verum sit: ergo clerici quidquid possident, nomine ecclesiæ possident; ergo si beneficia erexerunt, cum de aliis bonis erigere non potuerint, quam de ecclesiasticis, ecclesiasticum juspatronatus adquisivisse censebuntur: Hoc unum est, quod fluit ex eo principium consectarium. Si exinde probatum putant, qui contra sentiunt, clericos non præsumi erexisse, oportet, ut ulterius doceant, ex regula sancti Augustini, ne ecclesiæ quidem bona a clericis fuisse possessa. At enim, quid provocant ad præcepta sancti Augustini exigentia a clericis paupertatem, quando ea paupertatis clericalis disciplina intra fines Hipponensis diœcesis sub Augustino vigebat, quando etiam Augustinus eam paupertatis institutionem non diu potuit a clericis obtinere, dicto can. 18, cau. 12, qu. 1? Profecto in dubio non eo usque redigenda res est, ut referatur ad disciplinam antiquissimam, quæ vix per aliquot annos obtinere potuit in una, aut etiam altera africana diœcesi. Insistunt, qui contra sentiunt, et ajunt, jurapatronatus laicalia esse ecclesiasticis antiquiora. Quid si ego id inficias iverim? Non deesset antiquissimum monumentum, quo demonstrarem, primum viris ecclesiasticis concessum fuisse jus præsentandi clericum in beneficio a se erecto, et antequam laicis fundatoribus concederetur, can. 1, cau. 16, qu. 5, dummodo hic canon non Nicolao I, uti legitur apud Gratianum, sed auctoribus suis vetustissimis tribuatur. Deinde in dubio non res adeo antiquissima præsumitur, ut multa sæcula transcendat, illa, inquam, multa, quibus jamdiu recepta sunt jurepatronatus ecclesiastica. Denique quod ex capitulo 41 de testibus depromitur argumentum, infirmum admodum esset. Agitur ibidem de laico fundatore, qui in limine fundationis quodcumque juspatronatus abs se abdicaverat. Constabat de fundatione, si aliud non adpareret, pro jurepatronatus, et quidem laicali, pronuncianda sententia fuisset: Fundator idem juspatronatus abdicavit: Hæc abdicatio veluti in facto consistens probanda erat ab ecclesia; ac proinde solliciti esse debebant antistites in curando perpetuo abdicationis monumento. Res eodem fere modo se habet, ac siquis fateretur, se mutuam habuisse pecuniam, et curaret restitutæ pecuniæ probationem scripto commendari. Non præsumitur obligatio mutui: sed probata obligatione mutui non præsumitur solutio gratia debitoris; inde vero debitores constituti solliciti fiunt de monumento factæ solutionis.

Altera jurispatronatus divisio est, qua aliud simplex dicitur, aliud reale. Reale illud dicitur, quod alicui competit intuitu vel certæ rei, vel certi juris ita, ut semper transeat in quemcumque ejusdem rei, vel juris possessorem quemadmodum simplex illud est, quod in rem non concipitur, sed vel certæ personæ, vel certo personarum generi concessum adparet. Hinc sane liquet, juspatronatus ecclesiasticum semper reale existere, utpote quod cohæreat dignitati, vel officio ecclesiastico, et transeat de possessore dignitatis, vel officii in eos omnes, qui in eadem dignitate, vel beneficio succedunt. Id adeo verum est, ut qui allegat, juspatronatus ecclesiasticum esse, non teneatur probare, juspatronatus esse reale, cum qualitas realis patronatus ex natura patronatus ecclesiastici proficiscatur. Non idipsum contingit in jurepatronatus laicali, utpote quod suapte natura personale potius est, nec reale censetur, nisi hæc qualitas demonstretur. Sane intelligetur reale juspatronatus Ecclesiæ quotiescumque Ecclesia sit erecta in certo fundo, vel villa ad commodum fundatoris etiam singulare, ut dum fundum, vel villam possidet, eadem ecclesia caussa exercendæ religionis utatur, argumento cap. 7 de jurepatron.: eadem ratione dicendum videtur, juspatronatus feudo adnexum censeri, quotiescumque ecclesia erecta proponatur intramœnia castri vallata, in quibus feudatarius habitet. Item si beneficium erectum sit a vassallo de bonis feudalibus, nulla quoque dubitatio erit, quin juspatronatus exinde competens reale censeatur, et feudo adnexum. Ubi probationes, et hujus generis argumenta deficiant, ex usu rerum gestarum desumentur conjecturæ, quæ si graves existant, in caussa erunt, ut juspatronatus reale censeatur. Quid enim ex. gr., si liqueat præsentationes clericorum semper ab iis factos fuisse, qui feudum possederunt, utut diversi vassalli fuissent, feudo modo uni, modo alteri familiæ ex domini directi providentia concesso? Quid, si plures sint feudi possessores, et unusquisque vassallus pro virili, quam habeat, feudi portione, etiam juspatronatus exercuerit? Sunt hæc argumenta gravissima, ex quibus juspatronatus veluti feudo adnexum demonstretur. E contrario non erit sufficiens conjectura ad probandum feudale juspatronatus, quoties patronus in acti præsentationis se castri dominum nominaverit; etenim istæ denominationes fieri solent ad demonstrandam qualitatem, conditionem, nobilitatemque personæ, non semper ad indicandam jurispatronatus naturam. Itaque certum erit, in dubio juspatronatus tamquam simplex pronunciari oportere, ut censeatur a feudo, a prædio, aut simili re sejunctum, nec transeat facile in singulares successores in feudo, ac prædio, sed ad eos mortuo patrono devolvatur, qui vel sint patroni heredes, vel alia ratione sint ad juspatronatus vocati.

Tertia, et quidem vulgaris, proponi hodie solet jurispatronatus partitio, juxta quam aliud hereditarium, aliud familiare, vel gentilitium nuncupatur. Hereditarium illud est, quod pro possessoris arbitrio transit in heredes quoscumque, dummodo isti alias sint ejusdem juris adquirendi capaces. Familiare, vel gentilitium est, ad quod vocati sunt ii tantum, qui sunt de familia, vel de gente fundatoris. Dixi de familia vel gente, etenim familia a gente distinguitur, cum familia ea dicatur, quæ a fundatore descendit per personas masculini sexus; gens autem nuncupetur, quæ complectitur omnes fundatoris agnatos etiam collaterales, argumento l. 195 de verbor. signific. Apud pragmaticos non satis de verborum proprietate sollicitos, et gentis, et familiæ nomina promiscue sumuntur, etenim gentilitium patronatum etiam familiarem nuncupant: qua tamen in re coacti fuerunt duplex familiæ genus agnoscere, aliam vocantes familiam effectivam, quasi a fundatore effectam, sive progenitam, quæ sane proprie familia est; aliam vocantes familiam contentivam, quasi eam, in qua et ipse fundator continetur, quam proprie gentem, sive gentilium et agnatorum complexionem dixissent. Sed et quædam aliæ species sunt jurispatronatus, quæ cum modo memoratis quandam analogiam habent. Hujusmodi est patronatus primogenialis, qui competit tantum primogenitis de certa familia, vel agnatione, ceteris exclusis: hujusmodi est patronatus linealis, qui primum ad certam lineam familiæ, vel agnationis defertur, qua demum deficiente ad aliam lineam devolvitur: hujusmodi est patronatus descendentalis, ad quem vocantur descendentes a fundatore, sive sint in familia, sive extra familiam, etiamsi masculi exclusis feminis ad illum vocati fuerint; qua in specie etiam vocati censentur masculi e feminis descendentes: hujusmodi denique est patronatus mixtus, ad quem vocantur, qui sunt de familia, aut de gente, aut de descendentibus fundatoris, dummodo isti fundatori heredes extiterint; qua in specie duplex qualitas contemplatur, nimirum, et qualitas heredis, et qualitas vel familiaris, vel gentilitia, vel descendentalis. Hæ sane omnes patronatuum qualitates ex verborum formulis, quas fundator in limine fundationis expresserit, deduci solent; atque hanc ob rem multum interest, an fundator pro heredibus omnibus, an pro consanguineis, an pro filiis, ac descendentibus quibuscumque sine sexus discrimine, an pro filiis, ac descendentibus tantum masculis, an denique pro filiis, aut descendentibus simul, et heredibus patronatum reservaverit, ut semper servetur ea qualitas, quæ initio a fundatore juripatronatus indita fuerit. Et quidem ubi fundator familiæ nomen usurpaverit, nulla dubitatio esse potest, quin patronatus familiaris sit, ad quem vocati censeantur, qui sunt in familia fundatoris, sive illi qui, si fundator viveret, in ejus potestate consisterent; qua in specie exclusi sunt descendentes ex feminis. Quod si fundator agnatos vocaverit universos, juspatronatus gentilitium erit, quasi ad agnatos omnes etiam collaterales pertineat. Si vero vocaverit descendentes nec ratio familiæ, nec ratio agnationis locum habebit, et patronatus ad omnes devolvetur, qui progeniti sint a fundatore, sive per masculos, sive per feminas. Ceterum in interpretandis fundationum formulis non una, aut altera vocabulorum usurpatio attendenda est, sed integer tabularum contextus, ex quo commodius intelligitur voluntas fundatoris. Quid tamen, si non adpareat de mente fundatoris, veluti si nihil omnino dixerit de iis, qui in patronatu sint successuri, vel tales formulas adhibuerit, quæ æque heredibus, ac iis de familia, vel de descendentibus accommodari possunt? Plane in hac specie juspatronatus intelligetur esse hereditarium, ex generali juris regula, qua quisque præsumitur cum sibi, tum heredibus suis prospicere voluisse. Fateor, hanc regulam locum non habere, quotiescumque aliud postulet natura rei, de qua agitur, veluti cum de successione feudali disputatur. At vero natura jurispatronatus etiam primigenia hæc est, ut ad illud heredes quicumque vocentur, l. 15 cod. de sacros. eccles., nov. 123, cap. 18. Hæc uberius et clarius demonstrabuntur in cap. 5 ex sequentibus. Igitur potiore jure hereditarium habebitur juspatronatus, si expresse fundator heredes vocaverit. Imo et illud hodie recipiendum censeo, ut hereditarius patronatus existimetur; etiamsi fundator dixisset, se ad illum heredes *suos* vocare. Siquidem licet apud veteres jureconsultos *suorum* nomen de iis tantum intelligeretur, qui in familia alicujus existerent; ex vulgari tamen nominis significatione passim hodie recepta, non aliter quis suum heredem nominat, quam ut eum designet, qui sibi heres existat; nec novum est etiam jure romano, recedi a stricta significatione verborum, quam latina locutio indidit, quoties vulgus eam inflexisse, aut etiam detorsisse deprehendatur; sunt enim istæ species, in quibus errorem jus facere, scribebat Paullus in l. 3 in fine ff. de supellectile legata. Simili de caussa dixero hereditarium patronatum, cum vocati sint ad illum, qui fundatori fuerint successores; etenim et successoris nomen belle de herede dicitur, quemadmodum hereditas successio appellari solet, l. 24 et 170 ff. de verb. signif., quod potiore jure recipiendum est, ubi fundator vocet heredes et successores; nam in hac specie designatione heredum clarius indicavit fundator, quos successorum nomine designaverit; proindeque si dixisset fundator, vocare se descendentes et successores, contra sentirem, quasi hoc casu cum

fundator descendentes nominaverit, tum etiam successores dixisse censeretur illos, qui a se progeniti forent. Quandoque contingit, ut quod ab initio juspatronatus hereditarium fuit, gentilitium, vel familiare fiat, et e converso: quod tamen an semper ex recta juris interpretatione profectum fuerit, an ex pragmaticorum placitis, maxime dubitaverim. In jure nihil aliud statutum invenio, quam patronum posse concedere juspatronatus laicale quo gaudet, alicui ecclesiæ, vel loco religioso, cap. 8 de jurepatron., cap. un. eod. tit. in 6, cujus rei ea ratio reddi potest, quod ex hac immutatione jurispatronatus, quod de laicali sit ecclesiasticum, utilitas, et major quædam libertas in ecclesiam emergit. Exinde recta interpretatione colligi potest, immutari posse jurispatronatus, qualitatem semel inditam, quotiescumque interesse ecclesiæ videatur. At enim si hæc vera sunt, nullam aliam caussam probabilem invenio, quare gentilitius, vel familiaris patronatus in hereditarium convertatur, et e converso, nisi quod identidem ea commutatio utilis esse potest ecclesiæ, sive ecclesiasticæ libertati. Ajunt pragmatici, juspatronatus gentilitium, vel familiare in ultimo ex agnatis, vel de familia hereditarium fieri; de qua re quamquam olim disputaretur, tamen post Ancharani consilium 81, omnes in unam coivere sententiam, novam illam qualitatem hereditariam adprobantes, duobus tantum exceptis casibus; primo, si fundator dixisset, se *tantum* familiam suam, vel agnationem vocare, indicans se velle, liberam ecclesiam fieri extincta linea, vel agnatione; secundo si juspatronatus competat certæ familiæ, vel genti ex privilegio, cujus interpretatio semper angustis finibus circumscribitur. Quousque in hisce terminis consisterent scriptores, non improbabilis videretur illorum opinio. Etenim observari posset, juspatronatus suapte natura hereditarium esse, proindeque, nisi aliud fundatori placeat, patronatum in heredes traduci. Ex hoc forte conjiceretur, fundatorem, agnatos vel descendentes suos vocando, non voluisse quidem ab heredibus suis jus patronatus auferri, sed potius in concursu heredum extraneorum, atque agnatorum, vel descendentium, agnatos, vel descendentes heredibus præferri. Quando vero pragmatici ulterius docent, licere heredibus fundatoris, vel fundatori ipsi patronatum hereditarium semel adquisitum in familiarem vel gentilitium commutare, adjecta ratione, quod utilior fiat ecclesiæ caussa, ob spem libertatis, quam habet ecclesia, extincta familia vel agnatione non video sane, quomodo iidem pragmatici sibi constent; quin potius videntur in hac posteriore specie evertere, quod in priore adstruxerunt. Hæc sunt dura emblemata, quibus identidem obvolvuntur, quicumque sine certis principiis huc illuc evagantur, inanibus ut plurimum ratiocinationibus, quandoque etiam studio illarum partium, quibus serviunt, ducti. Igitur utcumque passim has vulgares opiniones receptas noverim, forte etiam quorundam tribunalium, apud quæ plurimum valere consuevit pragmaticorum auctoritas, definitionibus comprobatas, liceat nihilominus mihi libere fidenterque, quod sentio, aperire. In primis pro certo habeo, licere fundatori, vel patrono meliorem facere ecclesiæ caussam, dicto cap. 8 de jurepatron., dicto cap. un. eod. tit. in 6. Deinde colligo, non licere fundatori, vel patrono cuicumque, patronatum familiarem, aut gentilitium in hereditarium commutare. Etenim hac admissa commutatione, non solum nihil utilitatis in ecclesiam derivat, sed potius non leve detrimentum. Statim ac enim ecclesia initio certum patronorum genus in limine fundationis designatum agnovit, eidem patronorum generi se totam ecclesia commendavit; non expedit autem, invita vel ignorante ecclesia genus semel electum commutare; quasi ignotus quisque suffici pro arbitrio possit patrocinii suscipiendi caussa illi, de quo, cum designeretur, optimam spem ecclesia ipsa concepit. Neque dicas, liberum fuisse initio fundatori heredes quoscumque extraneos ad patronatum vocare. Id non inficior: at quæstio non est, an vocare potuerit, sed an vocaverit. Si vocavisset heredes quoscumque, ecclesia ipsa in limine erectionis consensisset in patrocinium ab herede quocumque suscipiendum, nihilque esset, de quo ecclesia post hunc consensum conqueri posset. At post electam semel patroni personam pacto inito inter fundatorem et ecclesiam, incivile est, fraudem ecclesiæ fieri, et unum pro alio patronum obtrudi. Neque insistas, ajendo, voluntatem fundatoris eo collatam fuisse, non ut extranei heredes excluderentur, sed ut extraneis heredibus præferrentur filii, vel agnati. Etenim in primis, hanc fuisse fundatoris voluntatem probari oporteret, propterea quod de patronatu agitur, quod jus singulare est, et privilegiarium, in quo non adeo ampla, et liberalis interpretatio locum habet. Deinde si agatur de herede fundatoris, non video quomodo fundator præferre voluerit filios, aut agnatos heredibus extraneis, quando in heredes extraneos majorem exhibuit benevolentiam, dum eos heredes instituit; et si patronatum filiis exheredatis, aut agnatis præteritis contulit, patronatum ipsum potius inter honores, quam inter jura recensuit; alias autem honores, qui personales esse solent in genere suo, juribus hereditariis non accensentur. Quod si agatur de heredibus non fundatoris, sed succedentium patronorum, tanta istorum non videtur habita ratio a fundatore, utpote qui erant fundatori eidem ignoti; imo si fundatori ipsi hereditarium facere patronatum, qui semel gentilitius, aut familiaris erat, non licet, quomodo id licere potest illi, qui fundatori suc-

cesserit? Neque dicas denique, si hæc admittantur, facile repelli fundatores ab erigendis ecclesiis; etenim nihil inde admittitur, quod absterrere valeat ab erigendis ecclesiis fundatores, quibus licet in limine fundationis aliter explicare voluntatem suam, expresse profitendo, vocare se post extinctam familiam, vel gentem eos, qui ultimo de familia, vel gente sint heredes exituri. Post hæc ego concludo, licere e converso patronis patronatum hereditarium in familiarem, vel gentilitium commutare; etenim positis hisce principiis facile liquet, hanc commutationem esse magis ecclesiæ utilem ob spem conceptam futuræ libertatis in ultimo de gente, vel de familia, quod ipsi pragmatici facile admiserunt.

Postrema jurispatronatus partitio passim traditur, dum dici solet, aliud esse jurispatronatus activum, aliud passivum. Activum illud est, quod superius in capite primo definitum fuit, et ad quod tota fere pertinet hæc dissertatio. Passivum appellaverunt, quod competit certis personis, aut certo personarum generi, consistens in jure eisdem a fundatore concesso, quo ipsi tantum in adeptione alicujus beneficii admittantur, aut saltem ad adipiscendum beneficium ceteris præferantur, veluti si fundator dixerit, se vocare ad beneficii a se erecti consecutionem filios suos, aut agnatos, aut alios quoscumque extraneos. Differt sane quammaxime ab activo hic patronatus, sive natura sua, cum activus in honore quodam, et onere consistat, in passivo sola versetur privata vocatorum utilitas; sive ratione rei, cui adhæret, nam activus æque in ecclesia, ac in beneficio esse potest, passivus tantum in beneficio; sive ratione personarum, quia activi etiam feminæ, et infantes capaces sunt, non passivi; sive denique ratione finis, quia patronatus activus imminuit quodammodo ecclesiæ, vel beneficii libertatem, at passivus imminuit jus, et libertatem illius, qui jurepatronatus activo gaudet. Dicam amplius: juspatronatus passivum ne jurispatronatus quidem nomine donari recte posset, cum non ex privilegio, et jure singulari canonum concedatur, sed totum pendeat ex voluntate fundatoris; imo nihil aliud sit, quam nominatio a fundatore facta illorum, qui sint in erecto et patronatu beneficii instituendi. Quædam inde fluunt consectaria. Primum est, requiri ad inducendum patronatum passivum, expressam fundatoris reservationem. Ratio hujus rei evidens est, quia cum is patronatus nihil aliud sit, quam nominatio a fundatore facta, nulla supponi potest nominatio, nisi gratia ejus, qui expresse designetur. Hinc fit, ut reservato favore certæ familiæ jure patronatus activo, non tacite intelligatur reservatum passivum, præsertim quod si juspatronatus passivum constitutum intelligeretur, eo ipso, quo fundator constituisset activum patronatum, hunc eundem diminuisset. Alterum est, in patronatu passivo nullo modo posse recipi, quod ex laudata pragmaticorum opinione apud quosdam invaluit in activo, nimirum juspatronatus familiare in ultimo de familia hereditarium fieri; sive quod, uti adnotabam, non satis ea opinio convenire potest optimæ disciplinæ, sive quod extincta familia nulla amplius fingi potest fundatoris tacita nominatio, quod et iidem pragmatici communi suffragio admiserunt. Tertium est, in patronatu passivo primogeniali primogenitum facti, sive seniorem ætate, præferendum esse primogenito juris, quamquam contrarium vigeat in activo, propterea quod activus patronatus honorificum jus est, qua in re primogeniti dignitas, non ætas spectatur; at patronatus passivus tendit ad addicendum certum clericum ecclesiæ ministeriis, qua in specie ætatis gravioris, et maturioris ratio prudenter habetur. Quartum est, eum, qui gaudet jurepatronatus passivo, petere posse institutionem ab episcopo, quasi jam nominatum a fundatore; quod si qui juspatronatus activum habet, adhuc uti potest jure suo, vel hoc jus consistit in gerendo vices fundatoris, vel consistit in præsentatione, illa, inquam, præsentatione, quæ meri facti est, et quæ a nominatione secernitur, juxta ea, quæ inferius suo loco traduntur, adeo ut si patronus præsentare negligat nominatum a fundatore, nominatus idem petere ab ordinario possit, ut in beneficio instituatur.

CAPUT III

De iis, qui juspatronatus adquirere possunt; vel semel adquisitum retinere.

Antequam agam de caussis, quibus juspatronatus adquiratur, ponendæ sunt quædam regulæ, quibus definiatur, quinam sint ejusdem juris adquirendi capaces, vel retinendi. Et quidem initio dico, juspatronatus, veluti jus spirituale, aut spiritualibus cohærens, tanquam suum fundamentum habere christianam communionem. Quomodo enim aut tutor, aut defensor ecclesiæ dici potest, qui aut ecclesiam non agnoscit, aut ab ecclesia abcisus proponitur? Quomodo rite admittetur ad clerici præsentationem, qui in ipso præsentationis actu præsumi non potest, provide prudenterque ecclesiæ consulere? Uno verbo: juspatronatus est singulare privilegium alicui concessum ob singularia exhibita in ecclesiam merita; at qui ecclesiæ repugnat, tantum abest, ut singulari dignus privilegio sit, et singularia merita in ecclesiam exhibuerit, quin potius justa ecclesiæ indignatione, aut aversione dignus est. His principiis toletani patres, dum prima gratia fundatorum jura invexerunt in can. 30, cau. 16, qu. 7, de iis tantum mentionem fecerunt, qui *fideles* essent, et *devo-*

tione propria facultates suas ecclesiæ contulissent. Hinc liquet, abs jurepatronatus arceri judæos, paganos, infedeles omnes, atque hæreticos universos. Quæri solet de excommunicatis. Nulla sane dubitatio esse potest de iis, qui minore tantum excommunicatione notantur; siquidem ad hæc auferenda jura minor excommunicatio minime pertinet; atque jam cautum est, eum, ad quem spectat jus eligendi, nullo modo cadere ab eodem jure, si minore excommunicatione plectatur, cap. ult. de cler. excom. ministr. Redigitur quæstio ad excommunicatos majore, ut ajunt, excommunicatione. Horum duplex genus est. Vel enim excommunicati sunt lata in ipsos censura, qua terreantur, ut quantocius ecclesiæ obediant et satisfaciunt; interea tamen necdum omnino pugnaces sunt, idest, ut pragmaticorum formulis utar, necdum insordescentiam contraxerunt; vel pugnaces diu in excommunicatione perstiterunt, et insordescentes habentur; aut etiam ab initio non excommunicati tantum, sed mortali anathemate perculsi sunt, quasi spem fere omnem de eorum pœnitentia ecclesia abjecerit. Qui in hoc posteriore statu sunt, idest vel excommunicati insordescentes, vel anathemati obnoxii, ii sane ab omni patronatus jure, siquod olim habebant, ceciderunt, et minus idonei sunt ad simile jus adquirendum, propterеaquod hæreticis æquiparentur, cap. ult. de pœnis, cap. 13, § *Qui autem* de hæreticis, cap. 7 eod. tit. in 6. Qui vero sunt in priore statu, nimirum excommunicationis censuræ subjacent, nondum tamen insordescentiam contraxerunt, arceantur quidem interea ab exercitione patronatus, quemadmodum ab exercitione ceterorum jurium christianæ communionis, adhuc tamen retinent, quod olim adquisiverant, juspatronatus; sicut cetera jura christianæ communionis in radice, ut ita loquar, pergunt retinere; neque enim isti adhuc tanquam hæretici, et omnino ab ecclesia extorres habentur, argumento dicti cap. ult, 13 et 7, juncto can. 36 et 37, cau. 11, qu. 3, eadem fere ratione, qua clerici beneficiarii censura notati nonnisi post insordescentiam beneficio exuuntur, cap. 8 de æt. qual. et ord. præfic., quamquam etiam ante insordescentiam nihilominus a perceptione beneficiariorum fructuum arceantur, cap. 53 in fine de appellation. Ut paucis dicam: hoc excommunicationis genere damnati jure non videntur tales existere, quales facto sunt, exemplo relegatorum, qui facto a civitate absunt, quamquam jure adhuc civibus adnumerentur; et tum demum civitatem amittunt, qui non tam relegati sint, quam deportati. Sed de hac re uberius agendum erit in interpretatione libri 5 decretalium, ubi naturam censurarum, pœnarumque ecclesiasticarum expendam.

Itaque, quicumque est extra christianam communionem, ab adquirendo, vel retinendo patronatu repellitur. E converso certa regula est, unumquemque admitti ad juspatronatus adquirendum, ac retinendum, qui in christiana communione consistit; quemadmodum suadere videntur ampla, et generalia canonum verba, can. 30, 31, 32, cau. 16, qu. 7, cap. 6 de jurepatron., juncta l. 1 ff. de verb. signif. Id adeo verum est, ut non solum pueri, et infantes, verum etiam feminæ generali lege comprehendantur, cap. ult. de conces. præb., quod tamen ita velim intelligas, ut mulier admittatur quidem ad præsentationem clerici, item petere possit alimenta sibi inopi necessaria ab ecclesia, nec non teneatur ipsa vel per se, vel per procuratorem ecclesiam tueri; non vero ita, ut ipsa in ecclesia maximos postulet sibi deferendos honores, qualis esset honor sedis, thuris, aut alius quisquam similis, nisi agatur de femina illustri, quemadmodum pragmatici communiter tradunt. Præterea universitates, communitates, collegia, capitula et alia hujus generis corpora juspatronatus adquirere, et retinere possunt; quæ tamen si titulum fundationis, vel dotationis allegent, tum demum juspatronatus illinc adquisivisse censebuntur, quum ecclesia, aut beneficium non de singulorum bonis, sed de bonis ejusdem universitatis, communitatis, collegii, capituli, alteriusve corporis erectum fuerit, vel dotatum; imo etiamsi ex eleemosynis erectionis caussa collectis beneficium, et ecclesia erigantur, et beneficium, et ecclesia libera penitus habebuntur.

Singularis est de monachis disputatio, utrum aut adquirere juspatronatus possint, aut semel quæsitum retinere; sive agatur de viris, sive agatur de feminis religiosis. Certa ab incertis separemus. Certum est, et in jure probatum, monasteria ipsa monachorum, aut sanctimonialium jurepatronatus uti posse, cap. 7 et 13 de jurepatron. Igitur ad singulares monachorum personas tota pertinet quæstio. Qua in re sejungere juvat speciem a specie. Primum observandum est, frustra quæri de monacho professo, an primum adquirere juspatronatus possit ex fundatione, vel dotatione, quum ipse nihil habere præsumatur, quod in ecclesiam, aut in beneficium conferat, voto paupertatis impediente; et si forte quidquam facto conferret, cum intelligeretur nomine potius monasterii contulisse, tum juspatronatus monasterio adquireretur. Secundo notandum, quo casu juspatronatus reale est, etiam repugnare monacho adquiri juspatronatus, quemadmodum repugnat, monachum fieri villæ, prædii, aut feudi, cui patronatus cohæreat, possessorem. Tertio, si proponeretur quisquam habere patronatum natura sui hereditarium, et patronum eundem fieri monachum, translatis juribus universis tempore professionis in alium, neque dubitandum erit, quin una cum universitate bonorum monachus idem juspatronatus

amittat, non quidem quasi monachus incapax sit juripatronatus retinendo, sed quia ita postulat natura ejusdem juris hereditarii, quod una cum universitate bonorum in alios transfertur. Quarto, si professurus juspatronatus sibi competens alteri donavisset, dummodo donatio rite facta sit, tum etiam monachus amisisse patronatum dicetur. Quinto, si ad monachum professum devolveretur hereditas, cui juspatronatus adhæret quibus in provinciis adhuc recipitur, ut recta eadem hereditas in monasteria transeat, eodem jure monasterio patronatus adquiretur, non quidem ex eo, quod monachus inidoneus habeatur, sed ex natura juris, quod sequitur hereditatem, cui cohæret tanquam in bonorum universitate contentum. Quid vero, si monacho jam professo ex singulari ecclesiæ privilegio juspatronatus concedatur? Quid si ipse patronatum hereditarium sibi reservaverit, cum dimissis gratia alicujus ceteris bonis, quæ possidebat, monasticam religionem professus fuit? Quid si agatur de patronatu familiari vel gentilitio, quod a monachi agnatis possideretur, et agnatis defunctis proximus esset monachus ad patronatum a fundatore vocatus, qui sine dubio succederet, quoties adhuc in sæculo viveret? Istæ sunt species, in quibus proposita disputatio locum habet. Itaque ego puto, monachum in his, aut similibus casibus, non esse ad juspatronatus adquirendum, vel retinendum inidoneum. Quid enim monacho obesse potest? Num votum obedientiæ, quam superiori debet? At nihil est aut in retentione, aut in exercitione illius juris, quod obedientiæ erga abbatem, vel prælatum suum exhibendæ repugnet. Num votum paupertatis? At nec adquisitio, nec retentio jurispatronatus inter jura illa temporalia recensetur, quæ paupertati repugnant. Num perpetua, quam monachus vovet, in monasterio consistentia? Nihil ita monachum distrahit in jurepatronatus, ut valeat monachum a solitudine avocare. Sunt profecto quædam jura incorporalia, quorum adhuc capax monachus est in persona sua, quæ aut retinet, dum monasticam professionem facit, aut etiam post eandem factam jure adquirit. Nonne enim ipse adhuc retinet jura civitatis, quorum effectus is est, ut testis in testamentis esse possit? Nonne adhuc retinet jura familiæ, saltem quoad eum effectum, ut testis esse nequeat in testamento paterno? Agnatio ipsa etiam retinetur, cum nemo eam propria voluntate valeat repudiari, l. 34 ff. de pactis. Jus eligendi prælatum monasterii nonne proprium est singulorum monachorum, quibus ex ipsa regulæ ordinatione conceditur? Jus inaugurandi doctores, vel prolytas renunciandi nonne proprium, et singulare monachi esse potest, si monachus professoris munere in certo athenæo fungatur? Idipsum ego dicerem, si monacho sacræ reliquiæ donentur, quarum ipse possessionem proprio nomine caperet, ac retineret. Quare igitur jurispatronatus incapax ipse dicatur, cum eadem sit hujus juris, ac ceterorum modo memoratorum natura; idest spirituale jus sit, et non repugnans monasticæ professioni? Dicant nunc, qui contra sentiunt, monachum pro mortuo haberi: ego repono, hanc esse fictionem juris, quæ tantum locum habet in casibus, qui jure definiti fuerunt; et si pro mortuo non habetur, cum testis est in testamento, cum repellitur a testimonio ferendo in testamento paterno, cum suum prælatum eligit, aut in similibus, poterit etiam non haberi pro mortuo, cum jurepatronatus fruitur, ac potitur: neque enim idem et unum sunt mortuum esse, et pro mortuo certis in casibus considerari. Neque iterum dicant, a beneficio cadere clericum, qui monachus fiat, ut inde similem etiam disciplinam servandam tradant in jurepatronatus; siquidem observo, beneficii possessionem adversari monasticæ professioni, cum beneficiarius debeat perpetuo in ecclesia residere, et sacris officiis in ecclesia incumbere, quod impediret, ne monachus perpetuo consisteret in monasterio; quæ locum non habent, cum monachus juspatronatus obtineat. Neque rursus opponant, juspatronatus continere etiam jus petendi alimenta ab ecclesia; etenim id verum est non ordinario jure, sed extra ordinem, nimirum quo casu patronus ad inopiam redigatur, non quidem ad inopiam voluntariam, qualem monachus profitetur, sed ad eam, quæ fato contingat. Sunt qui putant, monachum retinere quidem jurispatronatus titulum, sed hunc esse a monasterio exercendum, quod præsertim asserunt vigere in patronatu familiari, vel gentilitio, cujus titulum adquirere monasterium nequit, ne alias videantur jura agnationis in monasterium translata, et ne alias titulus patronatus familiaris, vel gentilitii semel monasterio quæsitus perpetuo in monasterio perseveret, exclusis etiam post mortem monachi agnatis. Mihi placere non potest ista traditio, dum observo, minus repugnare, monachum habere usum alicujus juris, quam jus ipsum et titulum, utpote qui magis ad proprietatem accedit. Sic videmus, monachos nomine monasterii etiam uti posse bonis temporalibus ad monasterium pertinentibus, quamquam a proprietate bonorum habenda penitus excludantur. Deinde etiam observo, ea, quæ facti sunt, potius cohærere personæ, utut hæc sit incapax juris, quemadmodum obtinet in servo, qui stipulatus fuerit, in certo fundo sibi licere ire agere, quo casu ire agere servo licet, non domino, quamquam jus, ut liceat servo ire agere, domino adquiratur, § 2 instit. de stipulat. servor. Hinc si monacho concessum est, ut clericum beneficii obtinendi caussa præsentet, non monasterium nomine monachi præsentabit, sed monachus ipse, qui alias ad præsen-

tandum, sicut ad eligendum, idoneus habetur, can. 35, dist. 63, cap. 50 de electione. Hæc si vera sunt, uti ego vera censeo, satisfieri posset alteri quæstioni, utrum monasteria illa, quæ summam paupertatem profitentur, adeo ut ne in communi quidem bona possideant, jurispatronatus adquirendi, retinendive capacia haberi debeant. Cum juspatronatus minime repugnet paupertati singulari alicujus monachi, nec repugnabit paupertati cuicumque, quam monasterium profiteatur. Excipi casus debet, quo regulæ monasteriorum id amplius exigant, ut nequeant monasteria quæcumque jura etiam extra caussam rerum temporalium possidere. Potiore autem jure juspatronatus a novitio adquiretur, aut retinebitur, quando scimus, vel ipsa ecclesiastica beneficia retineri a novitio posse, cap. 4 de regular. in 6. Neque ea recipienda doctrina est, quæ a glossographo traditur ad dictum capitulum 4 adnotante, novitium esse de statu suo dubium, proindeque incapacem jurium ecclesiasticorum, quemadmodum jure Romanorum a militia arcebantur, qui de statu suo dubitabant, argumento l. 8 ff. de re militari, et l. 29 ff. de liberali caussa; quoniam longe distat dubietas status, qualis apud jurisconsultos consideratur, ab incerta novitii voluntate, quæ inconstans esse potest, usquedum novitius idem monasticam professionem emittat.

CAPUT IV.

De caussis, quibus juspatronatus constituitur, et primum adquiritur.

In vulgari prudentia positum est, tres esse caussas, quibus juspatronatus sive in ecclesiis, sive in beneficiis constituitur, et primum adquiritur, nimirum propriam, ut vocant, fundationem, præscriptionem, ac privilegium. In primis certum est, potiorem titulum præ ceteris esse fundationem, sive quod vetustissimæ leges, quibus prima patronatus delineamenta designata sunt, de fundatoribus conceptæ fuerunt, sive quod vel ipsa naturalis æquitas suggerit, patronatum iis esse concedendum, quorum largitate beneficia erecta fuerint, vel ecclesiæ institutæ. Tria sunt hac in re perpendenda; primum est, quid nomine fundationis, veniat; alterum, num ipso jure, et sine expressa reservatione juspatronatus fundatoribus competat; postremum, num æqualis sit in omnibus ecclesiis recipienda disciplina. Passim vulgo profertur, veluti adagium, *patronum faciunt, dos, ædificatio, fundus*; quod tamen non est ita generaliter accipiendum, uti verba sonare videntur. Distinguere oportet inter fundationem ecclesiæ et fundationem beneficii; neque enim qui fundavit ecclesiam, non beneficium in ecclesia institutum, etiam in beneficio patronatum habebit, sed in ecclesia tantum, ita ut valeat ex gr. sua nomina inscribere, vel gentilitia stemmata loco nominum ponere in ecclesia, item in eadem ecclesia sedem honorificam habere, sepulchrum excavare, et similia, quæ solo, et ædificio cohærent, facere, non vero præsentare clericum in beneficio instituendum, a beneficiario alimenta petere, si ad inopiam ipse vergat, et similia, quibus demonstrentur certa jura in beneficium, vel beneficiarii personam. E converso qui beneficium, non ecclesiam fundavit, poterit jura patrono concessa exercere ratione habita beneficii tantum, non ecclesiæ. Tum demum autem et in beneficio, et in ecclesia patronatum nanciscetur, cum et beneficium et ecclesiam erexerit. Deinde observandum est, aliter dici fundationem ecclesiæ, caussa adquirendi jus patronatus, ac dicatur fundatio beneficii. Siquidem in erigendo beneficio fundationis nomine intelligitur actus illius, qui certa bona ecclesiæ donet, ut in eisdem unus ex clericis ecclesiastico munere functurus instituatur. In ecclesia vero erigenda tria intelligi possunt: et primo actus illius, qui fundum, id est solum, dat ædificandæ ecclesiæ caussa; secundo actus illius, qui vel in solo suo, vel in solo ex alterius donatione ecclesiæ quæsito templum propriis impendiis ædificat; tertio actus illius, qui ædificato templo sive propriis, sive alienis impendiis, sive in proprio, sive in alieno solo ecclesiæ quæsito, dotem constituit, quæ sive ad cultum sacrorum, sive ad clericos exhibendo sufficiat pro modo ministerii sacri in eadem ecclesia præstandi. Itaque in beneficio certum est, fundatorem, sive eum, qui bona donavit, ex quibus beneficium ecclesiastica auctoritate erigeretur, juspatronatus adquirere, et, si plures pro parte contulerint, omnes in solidum ad juspatronatus admitti. In ecclesia vero certum quidem est, eum, qui et fundum, sive solum, in quo templum ædificaretur, dedit, et templum suis ædificavit impendiis, dotem etiam adsignavit, patronum fieri; at non generaliter dixerim, ob unam soli donationem, vel ob unam templi constructionem, vel ob unam dotis constitutionem, juspatronatus adquiri. Ecquidem si tres concurrant, quorum unus solum donet, alter ædificet, tertius dotem conferat, omnes in solidum patroni dicentur, quasi isti unius vice fungantur. Sed longe aberrare videretur a recta canonum interpretatione, qui nomine fundationis, vel constructionis, quarum caussa patronatus ex canonum sanctione conceditur, nudam fundi collationem, aut nudam ædificii constructionem intelligeret; etenim sacri canones dum fundationem, vel constructionem commemorant, illam commemoratam volunt, quæ sit undecumque perfecta, cui propterea etiam congrua dotatio accesserit, unde nihil amplius ad sacra peragenda ministeria desideretur, juxta canonem 9 de consecr. dist. 1.

Itaque qui fundum tantummodo ad templi ædificationem dedit, aut qui tantummodo templum construxit, non dotavit, aut qui certa tantum bona dotis nomine ecclesiæ jam constructæ contulit, ecclesiæ benefactor appellabitur, non patronus, quemadmodum nemo dubitat, quin etiam benefactor tantummodo dicatur is, qui partem tantum fundi, aut impensarum ædificii caussa tribuisset. Ad summum dici posset, hujus generis benefactoribus petentibus concedi episcoporum arbitrio posse in ipso donationis actu singularia quædam jura patronatui similia, naturæ rei gestæ accommodata; veluti si qui solum dedit, peteret, ut sibi liceret sepulcrum sui suorumque gratia excavare, aut scamnum in certo loco figere, si qui ædificavit peteret, ut sibi nomina ædibus inscriberentur, vel locum nominum pingerentur gentilitia stemmata; aut si qui dotem dedit, peterit, ut sibi ex abundantibus ecclesiæ redditibus alimenta suppeditarentur, quoties ad inopiam vergeret.

At enim adhuc deliberandum censeo in hac postrema specie, nimirum in dotatione ecclesiæ, vel beneficii erecti eo casu, quo aut ecclesiæ nulla dos ab initio constituta fuisset; aut sive ecclesiæ, sive beneficio constituta quidem fuisset, sed insufficiens; aut etiam ab initio sufficiens, quæ tamen postea sive in totum, sive pro parte perierit: adde his casum necessariæ restaurationis ecclesiæ prope ruentis, vel dirutæ; hæc enim omnia quibusdam adhuc sunt difficultatibus obvoluta. Arbitror, in his speciebus dotatorem, aut restauratorem non aliter adquirere juspatronatus posse, quam si ad superiorem ecclesiasticum confugiat, et de jurepatronatus adquirendo, dum dotem constituit, augetve, vel reædificaturus est ecclesiam, expresse caveat, et obtineat. Qua in re superioris ecclesiastici munus erit investigare, quid ecclesiæ expediat, ne forte contingat aliquando ut ex levioribus caussis liberæ ecclesiæ, aut libera beneficia in quandam, ut loquuntur, servitutis speciem redigantur. Hinc juxta concilii tridentini constitutionem in cap. 12, sess. 14 de ref. ubi de dotatione agitur, probandum erit ab eo, qui adquisiturus est juspatronatus, in primis, beneficium, vel ecclesiam sufficientem dotem non habere, deinde competentem dotem esse, quam ipse confert. Imo tridentini iidem patres ad novas constructiones ecclesiarum, item augumenta dotium sive in ecclesiis, sive in beneficiis caussa adquirendi jurispatronatus, non aliter deveniendum esse sanxerunt, quam *ob maxime evidentem ecclesiæ, vel beneficii necessitatem*, sess. 25 de ref., cap. 9 in fine, eademque ratione, ubi agatur de restauranda pene ruente, vel diruta ecclesia, probandum erit, alias non facile sperari posse restaurationem. Quando vero ex augumento dotis adquirere quisquam vult juspatronatus in ecclesia, vel beneficio, cujus dos proponatur probeturque admodum tenuis atque insufficiens, recipi consuevit, ut augumentum dotis dimidium saltem residuæ dotis attingat. Sæculo decimoquinto concedi consueverant jurepatronatus ex quocumque modico dotis augumento; atque has concessiones revocavit anno 1485. Innocentius VIII in sua constitutione quæ incipit *Cum ab apostolica sede*, excepto tantum casu, quo augumenta dimidium valoris beneficiariæ dotis attingant. Sed post Innocentium VIII iterum nova privilegia etiam ex modico augumento dotis impetrata fuerunt, præsertim pontificatum maximum gerente Leone X quod occasionem dedit Hadriano VI anno 1522 edendi constitutionem, quæ incipit *Accepto*, qua revocavit omnia privilegia concessi patronatus, nisi in beneficiis majoribus cathedralium, regularium et conventualium ecclesiarum aut in ceteris electivis talis impensa fuerit opera ab eo, qui patronatum obtinuit, ut eadem beneficia, et ecclesiæ fuerint de manibus infidelium ereptæ, ac vindicatæ; in beneficiis autem minoribus augumentum dotis dimidium saltem residuæ dotis æquaverit. Verum adhuc adnotant interpretes, ac pragmatici, ubi augumentum dotis occasionem, aut caussam dedit adquirendo juripatronatus, adhuc juspatronatus haberi, ac si penitus ex privilegio concessum sit, proptereaque adhuc illud subjici apostolicis reservationibus, nisi augumentum dotis tale fuerit, quod æquet omnino, aut superet ecclesiæ, vel beneficii dotem, uti post alios bene multos tradidit Rigantius ad regulam 9 cancellariæ § 2, n. 333 et sequentibus; notans, aucta dote ita, ut tantundem collatum in ecclesiam, vel beneficium fuerit, veram beneficii vel ecclesiæ dotationem fingi posse, ad summum autem æque ex justitia, atque ex gratia juspatronatus concessum videri, potiorem vero, ubi æqualis sit caussa, habendam esse justitiæ, quam gratiæ rationem. Præterea ad obtinendum juspatronatus ex caussa augumenti dotis, necessarium est, ut, quæ conferuntur, expresse titulo dotis conferri dicantur, ne potius donatio quædam gratuita, quam dotatio habeatur. Quod si agatur de ecclesia, aut beneficio patronato ob necessariam caussam restituendo, aut dotando, necessarium insuper erit, vocare patronum, qui si voluerit, aut restituere ecclesiam, vel beneficium, aut dotem tenuem augere, ceteris erit præferendus, utpote in ea re, quæ ad ejus onus, et officium pertinet, argumento capituli 28 de præb. in 6. Si autem patronus vocatus patiatur extraneum supplere, quæ necessaria sunt, ut sufficienter dotata ecclesia, vel beneficium dicatur extraneus ipse in consortium jurispatronatus facile admittetur. Finge nunc, ecclesiam esse liberam, et eum diruta fuerit, rectorem ejusdem ecclesiæ paratum fore ad reædificationem, dummodo illi juspatronatus in-

dulgeatur; id erit a superiore ecclesiastico denegandum, propterea quod jam aliunde rectori ipsi reparationis onus immineat, quemadmodum jam definitum fertur a sacra congregatione concilii tridentini die 23 martii anno 1697. Quæri ad hanc rem solet, quisnam agnoscendus sit tanquam legitimus superior ecclesiasticus in ac materie, ut ecclesia, vel beneficium, quæ libera sint, ex restauratione, vel redotatione, vel augumento dotis in patronatum alicujus deducantur. In ecclesiis restaurandis, certum est apud omnes, sufficere consensum ordinarii, quia non tam de vetere restituenda, quam de nova erigenda ecclesia agi videtur. At in redotatione, vel augumento dotis faciendo, sive ad beneficiorum, sive ad ecclesiarum patronatum adquirendum necessarium esse sedis apostolicæ beneplacitum, scriptorum nostrorum plurimi tradiderunt, propterea quod in hac adquistione jurispatronatus agnoverunt quandam bonorum, seu ecclesiasticorum jurium, sive, ut clarius loquar, libertatis ecclesiasticæ alienationem, ad quam non obtenta sedis apostolicæ dispensatione deveniri nequit, argumento extravag. un. de reb. eccles. non alien. int. com. Ego sane in hac re adhæreo principiis tridentini concilii, sive in cap. 12, sess. 14, sive in cap. 9, sess. 25 de ref. ubi mandatum est episcopis, ut tum demum adprobent jurapatronatus ex redotatione beneficii, vel ecclesiæ, cum dos insufficiens fuerit, et maxime evidens redotationis utilitas; in conspectu quorum decretorum videtur redotatio cum reservatione juspatronatus in iis adjunctis episcoporum arbitrio relicta; neque ad hanc speciem dicta extravagans unica referri potest. Quod si evidens non sit necessitas beneficii, aut ecclesiæ redotandæ, sive augendæ dotis, sub conditione adquirendi jurispatronatus aut a redotante, aut ab augente dotem; tum ea potestas episcopo denegabitur ob perspicuam ejusdem tridentini concilii episcopis factam prohibitionem.

Succedit altera disquisitio, num qui erexit ecclesiam, vel beneficium; ipso jure, idest nulla expresse facta jurispatronatus reservatione, juspatronatus adquirat. Id jam definitum fuisse videtur auctoritate Clementis III in cap. 25 de jurepatron., qui dum interrogatus fuisset, an aliquis *sola constructione* efficiatur patronus, idest sine expressa reservatione jurispatronatus, rescripsit, eum, qui ecclesiam cum assensu diœcesani construxit, *ex eo*, idest ex ipsa erectione ecclesiæ juspatronatus adquirere. Consonat his Innocentius III in cap. 41 de testibus, ubi cum proponeretur, fundatores in ipso fundationis limine volentes ecclesiam liberam existere, expresse juripatronatus renunciavisse, omnem sollicitudinem adhiberi mandatum est, ut renuntiatio in publicum instrumentum redigeretur, quod sane inutile fuisset, si ad fundatorem generaliter spectaret onus probandi, jus patronatus fuisse initio reservatum. Quod si hæc quæstio non ad singulares rescriptorum definitiones, sed ad generalia juris principia exigatur, observo, juspatronatus competere fundatoribus, et ab eis caussam habentibus, non quidem ex eorundem fundatorum voluntate, sed ex juris generalis præscripto, propterea quod generales ipsæ leges hoc jus fundatoribus concesserunt. Neque enim sanxere leges ut fundatoribus competeret facultas sibi reservandi juspatronatus, sed potius sanxerunt, ut fundatoribus ipsum juspatronatus competeret. At in illis, quæ ex juris sanctione proficiscuntur, non opus est hominis voluntate. Quod si ita non esset, non distingueretur juspatronatus a ceteris conditionibus, quas fundatores etiam in limine fundationis adjicere possunt, utut juri contrarias, dummodo non turpes, non inhonestas; quando scimus, conditiones hujus generis non aliter servari posse quam si expresse fundator in tabulis fundationis de iis mentionem fecerit, atque ab episcopo eas impletum iri impetraverit.

Ita postulant generales regulæ, quæ locum habent non tantum in cappellaniis aut laicalibus, aut ecclesiasticis, verum etiam in beneficiis et ecclesiis quibuscumque simplicibus. Exceptio passim proponitur in ecclesiis conventualibus, de quibus duo traduntur: primum est, fundatori conventualis ecclesiæ non competere jus nominandi prælatum nisi fundator, hoc jus sibi in fundationis limine reservaverit; quod deducunt ex dicto cap. 25 de jurepatr. vers. *Ceterum*: alterum est, ne expressam quidem reservationem illius juris sufficere, nisi consensus sedis apostolicæ accedat. Conventualem ecclesiam eam dices, in qua sit vel canonicorum, vel monachorum collegium, sive sæculare, sive regulare, sub episcopo, vel alio quocumque prælato. Quo posito, non est una quæstio cum altera confundenda. Nimirum aliud est quærere, utrum qui ecclesiam conventualem erexerit, adquirat sine expressa reservatione jus præsentandi seu nominandi: aliud est quærere, an adquirat juspatronatus; siquidem adhuc juspatronatus sine jure præsentandi consistere potest, quod attinet ad cetera jura, quemadmodum vetustissimis temporibus, quando necdum fundatoribus concessum erat jus præsentandi, in aliis tamen quibusdam juribus consistebat patronatus, veluti in inscriptione nominum, in alimentis petendis et similibus. Si de jure singulari præsentandi agatur, non est dubitandum, quin in conventuali ecclesia istud denegetur fundatori seclusa speciali reservatione; atque huc pertinet definitio dicti cap. 25 vers. *Ceterum*, in illis verbis, *nisi aliter de sua jurisdictione obtineat*; quod idem est, ac si deceretur, nisi expresse jus præsentandi sibi reservaverit. Hujus rei caussa in eo consistit, quod qui

conventualem ecclesiam erigit, nisi aliud exprimat, in ea mente esse videtur, ut eam erigat juxta specialem formam conventualium ecclesiarum. Quando vero in conventualibus ecclesiis ea est singularis disciplina, ut a collegio prælatus eligatur, can. 3 et passim caus 18, qu. 2, cap. 1 et toto fere titulo de electione, fundator, nisi aliud exprimat, præsumitur, capitulo electionem prælati liberam reliquisse. Neque vero quid simile deprehenditur in ecclesiis simplicibus, in quibus ordinario jure collatio beneficiorum ad episcopum pertinet. Forte enim quisquam observaret, æque in simplicibus beneficiis spectare liberam collationem ad episcopum, ac in conventualibus spectare liberam electionem ad collegium, ac propterea si, ubi aliud non exprimatur, censetur fundator in conventuali ecclesia liberam reliquisse electionem gratia collegii, etiam in simplici beneficio censeri fundatorem reliquisse liberam collationem gratia episcopi. Sunt hæc valde difformia. Siquidem ubi patronus cum episcopo liberam collationem vindicante concurrit, patronus jure singulari utitur adversus episcopum jus commune allegantem; regula autem est singularia generalibus derogare; ast ubi patronus concurrit cum collegio vindicante sibi liberam prælati sui electionem, æque et patronus, et collegium jure singulari innituntur patronus jure privilegii et honoris sibi legibus delati, collegium jure constitutionum, ex quibus conventuales ecclesiæ formam accipiunt; regula autem est, singularia non adeo facile singularibus derogare; alias insuper adversus patronum interpretatio capienda est, qui cum posset sui gratia aliam lege dicere, minime dixit, quam si dixisset, servari opus esset, propterea quod adversus honestatem minime sit, eos, qui non sunt de gremio capituli, vel monasterii, adhuc ad electionem admitti, cap. 3 de caus. poss. et propriet., cap. 47 et 50 de elect. Ceterum etiamsi fundator jure præsentandi non gaudeat, adhuc tamen patronatum quoad ceteros effectus adquirit. Quæ enim impedimento sunt juri præsentandi non simile ceteris exercendis juribus impedimentum adferunt. Quidquod in dicto cap. 25 vers. *Ceterum* adhuc qui a præsentatione repellitur, patroni nomine appellatur? Quidquod in fine ejusdem capituli indiscriminatim in quibuscumque ecclesiis dicitur fundatori, et honorem processionis servari, et, si ad inopiam vergat, modeste succurri? Quidquod etiam in ea parte, qua fundator dicitur repelli a præsentatione in conventuali ecclesia, reservata electione collegio, adhuc tamen subjicitur, fundatoris tanquam patroni assensum postulari post factam electionem? Hunc sane consensum a patrono præstandum, ne omnino inutilis videatur, talem jure dixeris, ut valeat ille, si quas habuerit justas dissentiendi caussas, coram eo allegare, ad quem electionis confirmatio pertinet, argumento cap. 16 de accusation., atque ita interpretari quisquam posset canonem 4, cau. 18, qu. 2, ubi dicitur possessionis Domini voluntatem una cum electione monachorum in ordinatione abbatis regularis locum habere, quoties, quod alias ego tradidi, non reciperet, nimirum haberet istum canonem tanquam genuinum Pelagii pontificis monumentum. Similia fere tradidit Innocentius III in cap. 8 de consuet., ubi cum rescriberet, monasterii fundatorem non esse admittendum ad electionem abbatis, adhuc tamen ipsum monasterii patronum appellat. Similia leguntur apud Gregorium IX in cap. 51 de elect., ubi postquam definitum est, fundatorem non posse abbatem monasterii eligere, subjicitur, ejusdem tanquam patroni honestum assensum requiri. Ex his omnibus puto, facile definiri posse alteram quæstionem, num quo casu ecclesia conventualis successu temporis conventualis esse desierit et simplex esse incipiat, patronus liberam habeat rectoris nominationem, ac præsentationem? Quando enim fundator ecclesiæ conventualis etiam sine expressa reservatione juspatronatus adquirit, omnia etiam jura adquirit, quæ patronatum sequuntur, qualis est nominatio ac præsentatio, ad quam devenire semper possit, nisi singulari aliqua caussa impediatur. Impeditur autem ex singulari caussa, quousque ecclesia conventualis manet, nimirum impeditur a collegio, cujus est electio prælati. At statim ac ecclesia conventualis esse desinit, impedimentum etiam cessat, eamque ob rem libera emergit jurispatronatus indoles; neque enim amplius concurrit patronus cum collegio jure singulari munito, sed concurrere incipit cum episcopo, cui jus commune, et ordinarium conferendi titulum præberet, jus, inquam commune, et ordinarium, quod jure singulari fundatoris, et patroni facile superatur. Adhuc inquirendum superest in hac re, num ad adquirendum jus præsentandi prælatum in ecclesia conventuali gratia fundatoris, præter expressam ejus juris reservationem requiratur insuper sedis apostolicæ beneplacitum. Passim tradere solent pragmatici, hoc insuper beneplacitum requiri, quæ traditio jam recepta fuisse videtur temporibus Innocentii VIII, uti liquet ex ejus constitutione *Cum ab apostolica sede* anni 1485 ibi: *Nos igitur attendentes, quod juxta canonicas sanctiones juspatronatus præsentandi ad regimina monasteriorum, prioratus, præposituras et alias conventuales, necnon in cathedralibus, et metropolitanis, et collegiatis ecclesiis hujusmodi dignitates (ad quas personæ idoneæ per conventus et capitula illarum, seu illorum, dum pro tempore vacant, eligi consueverunt) in laicum nullo modo cadere potest, nisi ex speciali sedis prædictæ privilegio, quod nonnisi ex maximis, et urgentibus caussis alicui per sedem eandem con-*

cedi consuevit etc. At hæc traditio utut communis non videtur solidis fundamentis innixa. Obstat ipsi generalis disciplina, quæ suadet, permitti unicuique fundatori, dum de re sua in limine fundationis disponit, quascumque adjicere conditiones, dummodo non turpes, atque inhonestas, etiamsi juri communi repugnent. Cur non æque permittetur fundatori talem conditionem adjicere, qua singulari juri, quod collegiis competit in ecclesia conventuali, derogetur? Quod si eadem traditio exigatur ad jus scriptum, nullum aliud ecclesiastici juris monumentum pragmatici proferunt, quam capitulum 25 de jurepatron., et canonem 39, caus. 16, qu. 1. At enim in dicto cap. 25 ne verbum quidem de apostolico privilegio habetur. In dicto autem can. 39 species erat de monasterio erecto in civitate augustodunensi a Syagrio ejusdem urbis episcopo, item a Brunichilde Galliarum regina. Mixtum erat, ut liquet, juspatronatus, partim ecclesiasticum, partim laicale. Gregorius Magnus dum plura privilegia monasterio illi concederet, inter cetera voluit, ut abbas a rege provinciæ cum consensu monachorum eligeretur. Minime constat, fundatores initio sibi reservavisse jus nominandi abbatem; cur non privilegium eo spectaret, ut non obstante hujus generis fundatione, in qua nihil erat de reservatione dictum, adhuc regi competeret jus eligendi? Quod si ita est, nihil exinde probatur, ad concludendum, non prodesse reservationem in limine fundationis factam, nisi beneplacitum sedis apostolicæ accesserit. Cur non privilegium eo etiam spectare potuisset, ut soli regi Brunichildis successori, excluso augustodunensi episcopo æque fundatore ac patrono, jus eligendi concederetur? Imo adnotandum insuper est, canonem illum alia verborum formula a Gratiano expressum fuisse ab ea, quæ apud Gregorium concipitur; atque inter cetera apud Gregorium minime leguntur ea Gratiani verba, *quod privilegium ita est illius ecclesiæ, ut communem legem regibus, vel abbatibus, omnino dare non possit.* Denique parum valeret in hanc rem traducere verba superius descripta ex constitutione Innocentii VIII, neque enim in ipsa constitutione sermo fit de jurepatronatus adquisito ex fundatione, sed de jurepatronatus ex gratia atque mero privilegio adquirendo. Ceterum hæc omnia, quæ de ecclesiis conventualibus dicuntur, sive de expressa reservatione juris præsentandi juxta generalem canonum disciplinam, sive de privilegio apostolicæ sedis juxta receptam pragmaticorum opinionem, obtinent quidem in electione prælati ecclesiæ conventualis, quæ etiam tum magis obtinere cœperunt, cum conventuales dignitates reservari cœperunt collationi apostolicæ sedis; non vero obtinent, ubi agatur de minoribus beneficiis in conventuali ecclesia erectis, eove minus de beneficiis erectis in ecclesiis simplicibus, utut istæ simplices ecclesiæ pendeant ab ecclesia conventuali.

Altera caussa, ex qua juspatronatus constituitur, et primum adquiritur, est præscriptio. Id facile deducitur ex cap. 11 de jure patron., ubi licet prohibeatur clericis, ac monachis, ne ecclesias sibi vindicent ex donatione laicorum, propterea quod nullum sit penes laicos donantes jus ecclesiarum in donatarios transferendum, id tamen admittitur, quotiescumque vindicaturus non tam donationem sibi factam alleget, quam legitima fuerit præscriptione munitus. Non agitur ibidem de jure singulari alicui in ecclesia quæsito, atque in alterum transferendo, quasi præscriptio sit contra tertium possessorem, non adversus ecclesiam opponatur; sed agitur de ecclesia libera in quam donatores nullum omnino jus explicabant, uti ex integro contextu liquet. Atque ob hanc rem observatu dignum est, etiam præscriptionem admitti adversus ecclesiæ, seu beneficii libertatem. Ecquidem non ignoro, nonnullos extare, qui omnem præscriptionis speciem adversus ecclesiæ libertatem laicis denegant, quamquam admittant præscriptionem laici adversus laicum, ubi ecclesia jam patronata supponatur; neque dubitant isti ita interpretari dictum capitulum 11. Asserunt autem, præscriptionem nemini suffragari, qui non sit ad adquirendum idoneus, inidoneum vero putant laicum secluso singulari privilegio, quod tantum fundatoribus competit ex generali canonum disciplina, quia, ut ajunt, juspatronatus jus spirituale est, cujus laici sunt ex rei natura incapaces. Verum hæc observatio parum meo judicio constat; ut enim prætermittam, juspatronatus potius dici jus spiritualibus adnexum, quam merum jus spirituale, cap. 16 hoc tit., cap. 3 de judic., et quamquam esset jus spirituale, minime pertinere ad jura spiritualia hierarchica, quemadmodum superius in cap. 1 adnotandum fuit; unde fiat, laicos non omnino esse ab eo jure adquirendo remotos, satis erit hujus generis scriptores ex eorundemmet principiis conficere. Quoties enim ipsi præter fundatorum, et a fundatoribus caussam habentium personas veluti singulari privilegio munitas, neminem ad adquirendum juspatronatus idoneum esse arbitrantur, frustra laicum nec fundatorem, nec a fundatore caussam habentem, admitterent ad præscribendum patronatum adversus patronum; nemo enim potest præscribere jus, cujus adquirendi sit incapax: aut si præscriptio admittitur gratia illius, qui incapax est adquirendi juris, ubi adversus patronum præscribat, nihil prohibet, quominus admittatur, ubi præscribat adversus ecclesiæ libertatem. Videant igitur, qui contra sentiunt, ne, dum laicum a præscribendo repellunt, ubi adversus ecclesiam præscriberet, eundem etiam repellant a præscribendo, ubi præscriberet adversus

laicum patronum. Num forte dicent, non adeo probari præscriptionem libertatis ecclesiasticæ, ac probetur præscriptio alieni patronatus, propterea quod parum ecclesiæ intersit, vel hunc, vel illum patronum habere? Ecquidem hæc observatio in caussa erit, ut alius præscribendi modus, alia forma in duabus istis præscriptionis speciebus recipiatur; at nihil commune habet cum proposito, seu quum dicunt, laicum jurispatronatus esse incapacem. Itaque non dubitabimus, quin præscriptio etiam adversus ecclesiæ libertatem in adquirendo jurepatronatus locum habeat, non clericorum tantum gratia, sed etiam laicorum.

Difficilius est investigare, qualisnam sit admittenda præscriptio. Qua in re frustra de triennali usucapione disputaretur, utpote quæ civili Romanorum jure tantum in rebus mobilibus recepta fuit: frustra etiam de præscriptione decem vel viginti annorum, utpote quæ eodem Romanorum jure tantum recepta est in rebus corporalibus immobilibus; ad quas res corporales, seu immobiles seu mobiles referri nequit juspatronatus. Tantum quæri potest de præscriptione tricenaria, quadragenaria, centenaria et immemoriali. Olim ad præscribenda jura universa incorporalia et requirebatur, et sufficiebat præscriptio triginta annorum, l. 3 cod. de prescript. 30 vel 40 annor., nisi tamen quædam jura essent, quæ majore privilegio donata jura fuissent, qualia erant inter cetera, jura minoribus competentia. Interea tamen recipiebatur, ut, quæ præscriptioni triginta annorum non subjacerent, quadraginta annis præscriberentur, l. 4 cod. eod. tit. ecclesiarum bona, et jura quousque singulari privilegio in hac parte munita non fuerunt, ordinariæ etiam triginta annorum præscriptioni subjacebant, cujus rei multa extant apud Gratianum antiqua monumenta, in quibus hæc triginta annorum præscriptio comprobatur, can. 1, 2, 3, 4, 8, 9, 10, cau. 16, qu. 3. Primum Justinianus hoc ecclesiis privilegium concessit, ut adversus ipsas sola centum annorum præscriptio objici valeret, l. 23 cod. de sacros. eccles., nov. 9. Sed deinde nova lege hoc privilegium coercuit, statuens, ut sola quadraginta annorum præscriptio opponi libere posset, nov. 111, cap. 1, nov. 131, cap. 6, quod etiam pontificibus maximis placuit, uti liquet ex can. 1 et 2, juncto 3, cau. 16, qu. 4, cap. 4, 5, 6 et passim de præscrip., quamquam tamen deinde Innocentius III in cap. 13 et 14 eod. tit., cui consonat Bonifacius VIII in cap. 2 eod. in 6, statuerit, contra romanam ecclesiam solam centenariam præscriptionem opponi posse tantum adversus inferiores ecclesias retenta quadragenaria, contra quam rescripsisset Urbanus II in can. 2, cau. 16, qu. 4, qui ab aliis possessa per annos quadraginta, voluit eisdem legitime quæsita, *etiamsi quid sanctæ romanæ ecclesiæ competere potuit.* Itaque in conspectu hujus disciplinæ facile colligitur, eum, qui per annos quadraginta patronatum possedisse, vel quasi possedisse deprehenditur, jure juspatronatus adquirere, uno tantum excepto casu, quo contra libertatem romanæ ecclesiæ præscriberetur, uti liquet ex monumentis modo laudatis, quibus addi potest capitulum 15 de privilegiis. At enim huc spectat Bonifacii VIII doctrina, qui in cap. 1 de præscript. in 6 tradidit, distinguendam esse præscriptionem, quæ juri communi adversetur, a præscriptione, cui non est jus commune contrarium. Ubi præscriptio communi juri adversetur, docuit Bonifacius, non sufficere possessionem quadraginta annorum, cui etiam bona fides juncta fuerit, sed requiri præterea, ut certus titulus allegetur, ac probetur, quamquam, ubi juri communi non adversetur præscriptio, sufficiat sine allegatione tituli possessio quadraginta annorum, quam non inquinet mala fides. Igitur quicumque velit demonstrare adversus ecclesiam sibi adquisitúm esse juspatronatus ex præscriptione, non facile obtinebit, nisi præter possessionem quadraginta annorum bonæ fidei innixam, titulum etiam suæ possessionis alleget et ostendat, cum adversus jus commune contendat, videlicet adversus liberam beneficii collationem. Hinc facile intelligemus capitulum 25 de jurepatron., ubi patronus repellitur ab electione prælati in ecclesia conventuali, *tametsi de longa consuetudine allegaverit, se electioni interesse debere,* uti legimus in adjecto ejusdem capituli fragmento; exceptione adposita *nisi aliter de sua jurisdicitone obtineat* idest, nisi præter longam consuetudinem titulum etiam ostendat. Quod de quadragenaria præscriptione dictum est, idipsum recipiendum dixeris in centenaria, cum centenaria in jure majorem vim non acceperit, quam quadragenaria; nisi forte dixeris, in centenaria facilius bonam fidem præsumi, nec adeo claras requiri tituli probationes, dummodo quoquo modo allegatus titulus probari possit; ne forte hinc fraus fiat libertati ecclesiarum, illinc gravis præsumtio elevetur, quæ prodest longissimi temporis possessori. Major sane vis est præscriptionis immemorialis, cujus scilicet initii nulla extat memoria; siquidem ipsa immemorialis possessio loco tituli est, et caussam præbet, qua optimus quisque titulus præsumatur, dicto c. 1 in fine de præscript. in 6, argumento capituli 36 de verborum significatione.

Perspicua hæc esse demonstrantur in conspectu juris decretalium. Negotium tamen facessere videntur concilii tridentini decreta. Ita statutum legitur in cap. 12, sess. 14 de ref. *Nemo, etiam cujusvis dignitatis ecclesiasticæ, vel sæcularis, quacumque ratione, nisi ecclesiam, beneficium, aut cappellam de novo fundaverit et construxerit, seu jam erectam, quæ*

tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis, et patrimonialibus bonis competenter dotaverit, juspatronatus impetrare, aut obtinere possit, aut debeat. Num igitur actum erit de vi quadragenariæ præscriptionis? Non puto, hanc fuisse tridentinorum patrum mentem, qui tantum voluerunt, ne extra caussas fundationis, dotationis, aut necessariæ restaurationis, ex privilegio singulari juspatronatus facile concederetur, uti deducitur ex verbis *impetrare*, vel *obtinere*, quibus iidem tridentini patres usi fuerunt; non autem voluerunt, omnes adquirendi jurispatronatus modos delere, illos præsertim, qui ex legis potestate proficiscuntur, qualis est præscriptio quadraginta annorum justo titulo accedente, cui etiam insit bona fides, eove magis præscriptio immemorialis. Id facile constat observanti caussam, quare tridentinum concilium ad decretum illud sanciendum fuerit concitatum; ut enim observavit cardinalis De-Luca de jurepatron. disc. 11, numero 10, et post eum Rigantius ad I partem regulæ 9. Cancellariæ § 2 nu. 342 ante tempora concilii tridentini etiam apud sedem apostolicam, atque ad ejus imitationem apud ordinarios, frequens inoleverat usus facile concedendi in ecclesiis liberis patronatum, etiam ex levioribus caussis, quibus ecclesiarum incommodis non satis consulere potuerat aut constitutio Innocentii VIII anni 1485, aut constitutio Hadriani VI anni 1522, consulendum autem censuerunt laudato decreto tridentini patres. Neque insuper aliam fuisse mentem tridentinorum antistitum, puto in conspectu capitis 9 de ref., sess. 25. Profitentur initio, se nolle *legitima* patronorum jura violare, sed tantum velle curare, ne sub colore legitimi adepti juris beneficia in quandam veluti servitutem redigantur. Plane *legitima* patronorum jura ea sunt, quæ a generali lege firmitatem habent; generalis autem lex juspatronatus concedit fundatoribus, sive illis, quos constat revera fundavisse, sive illis, quos fundavisse ex lapsu longi temporis præsumitur, et qui sui gratia allegant, et probant præscriptionem. Prosequuntur, et decernunt, ut *titulus jurispatronatus sit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, et aliis jure requisitis ostenditur, sive etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundum juris dispositionem.* Hæc verba non solum manifeste admittunt immemorialem præscriptionem, imo non excludunt quadragenariam justo titulo munitam, dum caussæ admittuntur præter fundationem, vel dotationem, præter præscriptionem immemorialem, etiam illæ, quæ sunt *secundum juris dispositionem.* Quænam jurapatronatus excludantur, perspicue traditur in § *Reliqui patronatus,* ubi tantum abrogantur patronatus ex singulari facultate, et privilegio concessi, quin ulla mentio fiat legitime præscriptionis. Quod si in vers. *In iis vero personis* adjectum fuit, nec sufficere quidem immemorialem præscriptionem quibusdam personis, vel universitatibus, nisi præter possessionem authenticis scripturis probentur præsentationes etiam continuatæ non minori saltem, quam quinquaginta annorum spatio, et quidem omnes effectum sortitæ, id non ad abroganda legitimæ præscriptionis jura pertinet, sed ad inducendam difficiliorem probandi formam in iis personis, aut universitatibus, de quibus facilis esse potest præsumtio usurpationis, uti verba ipsa Tridentina demonstrant. Porro aliud est præscriptionem undecumque legitimam aboleri; aliud non adeo facile admitti præscriptionem, sed tum demum, cum aperte probatum fuerit, eam undecumque legitimam existere. Solet ordinario jure bona fides in præscribente præsumi: ubi suspicio est usurpationis, cessat bonæ fidei præsumtio; ac propterea qui bonam fidem allegat, certa exhibere in judicio debet bonæ fidei argumenta. His formam dedit concilium tridentinum, non vero legitimam præscriptionem penitus abolevit; quemadmodum etiam tridentinum concilium, cum de personis ageret, in quibus usurpationis suspicio est, etiamsi immemorialem possessionem allegent, rigidiorem probationem exegit in dicto § *In iis vero personis,* quamquam in § præcedente inter caussas jurispatronatus adquirendi immemorialis, præscriptio recenseatur. De hac probandi jurispatronatus ratione sermo inferius instituetur in cap. 6.

Postremam adquirendi jurispatronatus caussam dixi esse privilegium; atque id generaliter verum fuit olim, sive ab ordinariis, sive a pontifice maximo privilegium hujusmodi impetratum proponeretur. At ex concilio tridentino, quod, ut nuper tradidi, jurapatronatus fere omnia abrogavit, quæ non consisterent ex fundatione, vel dotatione, vel ex immemoriali præscriptione, vel ex aliis modis generali lege comprobatis, privilegia hujusmodi sublata videntur. Hodie frustra disputaretur de potestate ordinariorum, quibus imminet executio tridentinorum decretorum, nulla autem superest potestas concedendi privilegia contra tridentina decreta id prohibentia. Ante concilium tridentinum ea facultate utebantur passim antistites, uti adnotavit superius laudatus cardinalis De-Luca de jurepatron. disc. 11, numero 10, neque enim putabant episcopi, hisce concessionibus se bona aut jura ecclesiarum alienare, aut has concessiones haberi inter alienationes, de quibus mentio fit in extrav. un. de reb. eccl. non alien. int. com. Sed quod ad Sedem apostolicam attinet, in primis observandum est, in ipso tridentino decreto cap. 9, sess. 25, de ref., cum omnia jurapatronatus ex privilegio concessa abrogarentur, singularem adjectam fuisse ex-

ceptionem his verbis: *exceptis patronatibus super cathedralibus ecclesiis competentibus, et exceptis aliis, quæ ad imperatorem et reges, seu regna possidentes, aliosque sublimes, ac supremos principes jura imperii in dominiis suis habentes, pertinent.* Deinde observandum est, pontifices maximos, utut agnoverint salvam semper intelligi in tridentinis decretis auctoritatem suam, uti legitur in sess. 25, de ref. cap. ult., nihilominus abstinuisse a concedendis patronatuum privilegiis, quæ meram gratiam continerent. Quando vero non singularis quarundam personarum favor, sed ecclesiarum utilitas certum privilegium concedendum suadeat, tunc privilegio concedendo locum fieri quandoque existimarunt. Plane utilitatem ecclesiæ agnoscunt, ubi qui velit patronatum adquirere, paratum sese exhibet ad augendam ecclesiæ, vel beneficii dotem saltem usque ad dimidium constitutæ dotis, firmius etiam, ubi tantundem, quod æquet, aut excedat constitutam dotem, conferatur, juxta ea, quæ superius tradidi. Qua in re prudentiam imitantur prædecessorum Innocentii VIII et Hadriani VI, superius commemoratorum, qui dum ante tridentinum concilium privilegiaria jurapatronatus aboleverunt; hanc caussam privilegii onerosi ad effectum adquirendi jurispatronatus ex augumento dotis expresse adprobaverunt, dicta constitutione *Cum ab Apostolica* anni 1485, et dicta constitutione *Accepto* anni 1522.

CAPUT V.

De modis, quibus juspatronatus semel adquisitum in alios transfertur.

Juspatronatus semel alicui jure quæsitum, quidquid olim certis in provinciis obtineret, hodie perpetuum habetur, et transfertur ab adquisitore in successores, vel juxta juris ejusdem naturam, vel juxta modos initio præstitutos. Dixi, quidquid olim certis in provinciis obtineret; etenim a sexto quidem ecclesiæ sæculo certum esse generaliter potest, perpetuum juspatronatus fuisse; an vero ante idem sæculum id reciperetur, an etiam a sexto sæculo id statim receptum ubique fuerit, dubitari posset in conspectu canonis 1, cau. 16, qu. 5 et canonis 32, cau. 16, qu. 7. Laudatus canon 1, referendus est ad caput 10, arausicani concilii anni 441, non ad monumenta Nicolai pontificis, quemadmodum romani correctores adnotaverunt: at enim constare non potest, quinto sæculo jam fuisse concessum fundatoribus jus nominandi clericos in ecclesia instituendos, quod jus in eo primum canone ædificatori episcopo reservatur; quod nec forte in successorem episcopum transferretur. Quod si ita sit, dici posset, perpetuum quidem fuisse patronatum, destitutum tamen nominandi jure, quod nonnisi recentiore ætate concessum est. Imo etsi quis adhuc contendere velit, ut jus nominandi adserat successori, nec impinget quidem in sententiam canonis, cujus auctores non solliciti erant de successione juris nominandi definienda, sed potius de definiendo jure, quod tributim competeret et episcopo ædificatori, et episcopo diœcesano, quasi dicerent, institutionem in ecclesia, una cum regimine sacrorum diœcesano cedere; jus nominandi ædificatori, non exclusis ædificatoris successoribus, indulgeretur. Insuper laudatus canon 32 qui est toletani concilii anni 655 pertinet ad singularem hispanicarum provinciarum disciplinam, quæ provinciæ jamdiu bellorum injuria quassatæ, et a romano græco imperio divisæ non communi cum ceteris jure utebantur, quemadmodum adhuc erit inferius observandum. Præterea, uti liquet ex integro canonis contextu, qualis adparet in actis ejusdem concilii, canon ille conceptus est de monasteriis, et parochialibus ecclesiis, quæ *quorundam episcoporum vel insolentia, vel incuria horrendam decidebant in ruinam*, de quo ædificatores ipsi querelam ad concilium detulerant; unde nil mirum, si illarum sollecitudo commissa fuerit fundatoribus ipsis, *quamdiu in hac vita superstites extiterint;* ex quibus colligitur, non tam ordinaria jura in iis adjunctis concessa fuisse fundatoribus, quale erat jus nominandi clericos, sed etiam alia extra ordinem, ad quæ ea clausula, *quamdiu in hac vita superstites extiterint*, referretur. Porro, quæcumque hac in temporum et canonum obscuritate accommodanda sit interpretatio, certum est, successione temporum non penes unam fundatorum personam constitisse juspatronatus, sed etiam in successores post fundatorum obitum commeavisse. Et quidem in jurepatronatus ecclesiastico, quicumque successor est in dignitate, vel beneficio, cui patronatus cohæret, in patronatum nanciscitur. Eadem ratione in patronatu reali, is perenni successione patronatu gaudet, qui rem possidet. De patronatu, uti vocant, passivo vix sermonem habeo cum hic proprie patronatus non sit, sed nominatio plurium clericorum sibi invicem in beneficio succedentium a fundatore facta, in quo non tam successio, et succedendi ratio inspicitur, quam singularis designatio fundatoris. Quæ disputari possunt, pertinent præcipue ad juspatronatus, uti vocant, activum, qui verus patronatus est, prout illud modo hereditarium est, modo gentilitium, aut familiare. Passim tradi generaliter solet, in ordine successionis in hoc jurepatronatus easdem leges esse observandas, quæ in fideicommissis, in pluribus etiam, quæ in feudis a pragmaticis custodiuntur. Sed nonnihil juvabit, aliqua specialiter adnotare.

Itaque cum primum juspatronatus in ecclesia receptum est, illud haberi decuit, veluti

suapte natura hereditarium, nisi aliud a fundatore specialiter expressum fuisset. Siquidem cum juspatronatus quædam sit honorifica repensatio bonorum in ecclesiam collatorum, eorum gratia fieri repensationem decebat, qui ex collatione bonorum sua jura imminui sentiebant, quales erant heredes. His accedit, heredes ipsos coactos identidem fuisse ad perficiendum pium sacrumve opus, quod a defunctis institutoribus cœptum erat, non undecumque perfectum, quod jam olim statuerat Zeno imperator in l. 15 cod. de sacros. eccles., excepta ex nomocanone Photii in tit. 2 *de extruendis ecclesiis*; ac propterea passim et heredibus nomen conveniebat fundatorum. Eisdem sane principiis adhæsit Justinianus imperator, seu in l. 46 cod. de episc. et cler. cum definivit, oportere, ut heredes impleant, quod a defuncto cœptum est in utilitatem ecclesiæ, seu in nov. 123, cap. 18 cum *ordinationem*, idest designationem, *clericorum* aut fundatori, aut ejus heredibus adseruit, seu denique in nov. 131, cap. 7 et 10 cum religiosa loca jam a fundatoribus cœpta voluit ab heredibus perfici. Hæc ipsa confirmata sunt canonibus in ecclesia editis, can. 35 et 36, cau. 16, qu. 7, cap. 1 et 3 de jurepatron. Negotium sane nemini facessere debent aut canon 30 aut canon 31, cau. 16, qu. 7 in quibus mentio singularis facta videtur *de filiis, nepotibus, ac honestioribus propinquis*. Forte enim verba hæc eo spectant, non ut filii, nepotes et propinqui præferantur heredibus, sed eo, ut ideo filii, nepotes, aut propinqui ad juspatronatus admittantur, propterea quod ipsi utplurimum fundatoribus heredes existant; et revera in dicto can. 31 promiscue filii, nepotes et propinqui, etiam heredes appellantur, ibi, *ipsis tamen heredibus*. Forte etiam dici potest, in Hispania singularem disciplinam fuisse, juxta quam is honor, non heredibus, sed filiis, nepotibus, ac propinquis deferretur, etsi heredes non essent, in Hispania inquam, ad quam nonnisi serius pervenit justinianeus codex, in quo clarius definita ea jurisprudentia generalis fuit, et ad quam nec pervenire adhuc potuit laudata antiquior constitutio Zenonis, quæ desideratur in codice Theodosiano, quo uno Hispani utebantur. Ex his facile infertur, ordinario jure heredes universos fundatori in patronatu succedere; et hanc ipsam ob caussam, ubi singularibus constitutionibus receptum est, ut in legitimis successionibus feminæ a masculis concurrentibus excludantur, juspatronatus etiam devolvi cum hereditate ad masculos, exclusis feminis; similique ratione fundatoris, vel patroni filium ad juspatronatus minime admitti, nisi aut institutus heres fuerit, aut heres extiterit; neque enim in hereditario patronatu filius admitteretur, qui a paterna hereditate abstinuisset.

Res perspicua esse videtur, ubi fundatori, aut fundatoris heredi unus tantum heres existat. Quid vero, si plures heredes fuerint, vel æquali, vel inæquali tributa inter ipsos portione? Juspatronatus in his speciebus semper indivisum manebit, can. 35 et 36, cau. 16, qu. 7, clem. 2 de jurepatron. Jamdiu enim aboliti abusus fuere, qui gliscere cœperant ferreis ecclesiæ sæculis, quum plures ecclesiarum patroni inter se partiebantur non solum ecclesias, verum etiam altaria, et unusquisque singulos clericos designabat altari ministraturos, unde aliquando eveniebat, ut omnes simul designati clerici sacra facerent in eodem altari, et dum unus missarum solemnia celebrare inciperet, alter jam eucharistiam conficeret, postremus ad finem vergeret; quibus corruptelis non aliter olim mederi potuit, quam episcopali mandato, quo sacræ reliquiæ ab ecclesiis, et ab altaribus asportarentur, et clauderentur ostia ecclesiarum, dicto can. 35 et 36, c. 1 et 2 de jurepatron. Hodie firmata indole patronatus, tanquam juris individui, plures fundatores, vel patroni heredes loco unius habentur. Quamobrem frustra quæreretur, an jus adcrescendi locum inter ipsos coheredes haberet, quoties unus ex heredibus juri suo cederet; nimirum cum ecclesia non possit esse in parte patronata, in parte libera, coheres, qui juri suo non cessit, integrum potius juspatronatus, quod habebat, dicendus est retinuisse, et liberius exercere ex coheredis refutatione, quam partem adquisivisse. Ita sese res habet in proposito, ac si de servitute reali ageretur, quam siquis stipulatus fuisset, et pluribus relictis heredibus decessisset, a singulis heredibus solida petitio esset, adeo ut acceptilatio ab uno herede pro parte facta inutilis haberetur, l. 17 ff. de servit., l. 4 § 4 ff. si servit. vindic., l. 72 ff. de verb. oblig., l. 13 § 1 ff. de acceptilat. Simile quidquam adparet in onere evictionis, quæ species defensionis est, quod sane et ipsum semel ab uno susceptum non dividitur inter ejus heredes, l. 62 § 1 ff. de evection., l. 85 § penult. ff. de verb. obligat. Quamobrem juspatronatus adhuc distat in hac parte abs jure dominicæ potestatis, quod domini in servos suos habebant, cujus ratione, si duo domini essent, cedente uno jus suum, alter jure adcrescendi eam, quæ sibi deerat, dominii partem adquirebat, § 4 instit. de donation. Paullus lib. 4 sentent. tit. 12 § 1 licet enim servus divisionem minime pateretur, divisio tamen quædam animo concipiebatur, argumento l. 2 princ. cod. de com. serv. man. quod satis erat ad inducendum jus adcrescendi; at honor patronatus in ecclesia, aut beneficio, nec dividuus in se est, neque dividuus fingi potest, ne exitu inspecto quodammodo divisus videatur. Insuper notandum est, in juribus quibusdam individuis aliquando receptum fuisse, ut uno herede suum jus remittente, alter

jus suum remittere teneretur, recepto certo pretio, quemadmodum contingebat apud Romanos in servo communi, justa speciem legis 16 ff. de senatuscons. silaniano, et ex constitutione Justiniani in l. 1 cod. de servo comm. manum. juncto dicto § 4 instit. de donat. juxta quas leges libertate a condomino data servus plenam libertatem facile consequebatur. At hæc disciplina, præterquamquod variis disputationibus fuit apud veteres obnoxia, uti idem Justinianus testatus est in dicto § 4 propterea que non firma fuit, nisi post expressam imperatoris constitutionem in dicta l. 1 facilius recipi potuit, quoties ageretur de re, quæ pretio æstimari valeret. Non est igitur traducenda ad juspatronatus ecclesiarum, in quo nulla pretii æstimatio admittitur, in quo nulla est singularis constitutio adeo favens libertati ecclesiarum, ut juribus semel alicui quæsitis, et ab ipsa ecclesia concessis fraus et diminutio fiat. Magna erant digni apud Romanos miseratione servi, qui non voluntarie, sed fato, aut necessitate in eam conditionem turpissimam redacti fuerant. Non tanta autem est habenda ratio jurispatronatus in ecclesia constituti, quod ex liberalitate ecclesiæ concessum est, et ex quo non magnum sentit ecclesia detrimentum, quin potius aliquando præsidium, ac non contemnendum patrocinium. Quod si juspatronatus voluntate heredum dividi nequit, eandem ob caussam nec dividi poterit judicio familiæ erciscundæ; imo si quæreretur, an in hoc judicio possit abs judice juspatronatus uni potius heredi, ceteris exclusis, adjudicari, probabilior mihi videretur opinio asserentium, hanc facultatem judici denegandam esse, cum judex ea tantum adjudicare possit uni, in quibus compensatio gratia alterius locum habeat, l. 19 et 20 § 5 ff. famil. ercisc.; at compensatio in jurepatronatus, quod naturam induit spiritualis juris, non est admittenda; atque ob hanc rationem jureconsultus in l. 30 ff. famil. ercisc. respondit, jus religiosi loci, utpote exemti ab humano commercio, in illud judicium non venire. Id adeo verum puto, ut, licet in eadem hereditate plura sint jurapatronatus quorum unum uni, alterum alteri coheredi adsignare judex vellet, huic divisioni locus non fiat, quia nusquam dici potest compensatio facta in ea re, quæ compensationem refugit; præsertim etiam quod interesse ecclesiæ possit, plures potius, quam unum habere patronum, ab uno potius quam ab alio defendi.

Nondum tamen confecta res est, nisi præterea distinguatur juspatronatus ab juris ejusdem patronatus exercitione. Jus quidem patronatus per se consideratum individuum est; fieri tamen potest, ut exercitio partes recipiat aut æquales, aut inæquales, aut ex voluntate fundatorum, aut ex arbitrio possidentium. Id vel ipsa utilitas publica suasit, ut fundatoribus, vel patronis liceret omnem, quoad fieri posset, dissentiendi, vel dimicandi occasionem avertere. Finge in primis, fundatorem decessisse duobus relictis heredibus, quorum prior unum, posterior plures heredes habuerit: licet omnes patroni sint; atque individuum jus una possideant, quasi solidum, tamen in exercitione juris ita habebuntur, ac si fundatori successerint omnes non quidem in capita, sed in stirpes, ut, quoad fieri valeat, servetur æqualitas inter heredes fundatoris, quos æquo jure fundator ipse vocavit, clement. 2 de jurepatron. Secundo poterunt quoque cohæredes pro diviso, sive facta commoda temporis distributione, jure suo experiri, ex. gr. alternis vicibus clericum præsentando, ad quam tamen distributionem, non aliter deveniri potest, quam si patroni singuli consentiant, ita ut ne major quidem patronorum pars minorem partem, etsi ad unum redactam, vincere possit; imo et singulorum consensus libero præstandus erit; ac propterea si patroni forte in jure suo exercendo discordent, episcopus eos ex. gr. ad alternas præsentationes clericorum faciendas cogere non poterit; atque hoc est, quod statuit summus pontifex in clementina 2 hoc tit. dum inquit, *patronos ipsos inter se posse libere convenire de rectore ab eis alternis vicibus præsentando*; neque enim ante Clementem V scimus, hac auctoritate usos unquam fuisse episcopos, qui quoties patronos minime concordes agnoscerent, ea potius quandoque deveniebant, ut ostia clauderent ecclesiarum, et reliquias adsportarent, cap. 1 et 2 de jurepatron. Fateor, aliquando contingere, juxta juris romani principia, in juribus individuis exercendis, in quibus dissidia oriri inter plures possent, auctoritate judicis tempora dividi, quibus jus exerceatur, argumento leg. 7 § 10 ff. communi divid., leg. 4 et 5 ff. de aqu. quot et æsti. Hæc tamen vera sunt, ubi nullum aliud superest ordinarium juris remedium ad pacandos animos; qua in specie extra ordinem partes suas judex interponit. Sed ubi agitur de jurepatronatus, ordinarium remedium est, quod spectat ad jus præsentationis: nimirum si patroni in præsentando dissentiant, nec aliquem communibus suffragiis præsentent; ad episcopum libera devolvitur beneficii collatio, si præsentatio facta non sit, aut episcopus unum alteri libere præponit, ubi plures a pluribus patronis fuerint præsentati, cap. 3 de jurepatron. Singularis exceptio est in quibusdam juribus, quæ fundatores sibi reservaverint, et quæ per plures expleri non possunt, in quibus propterea non nisi extraordinario remedio, idest auctoritati judicis locus esse potest. Quod ex. gr. contingeret, si fundator sibi initio reservaverit jus, et honorem habendi stato die ac ritu candelam benedictam; etenim pluribus deinde existentibus fundatoris heredibus præ-

cipi abs judice potest, ut patiantur, alternis vicibus sibi candelam tribui, quoties alia ratione fieri satis omnibus nequeat.

Singulares quoque sunt leges dictæ successioni in jure patronatus gentilitio, vel familiari, in quo qualitas tantum gentis, vel familiæ, non qualitas hereditaria inspicitur, adeo ut, ne testamento quidem, patronus filios, aut agnatos excludere non valeat contra legem dictam a fundatore, cui parere omnino debet. Et quamquam sint, qui saltem fundatori hanc facultatem concedendam utent; ego tamen arbitror, non licere ipsi novam in detrimentum ecclesiæ indere semel constituto patronatui qualitatem; cum ecclesiæ aliquando interesse possit, potius fundatoris agnatos, aut liberos, in limine propterea fundationis admissos, quam ignotos quosdam extraneos patronos habere. Aliud dicendum est, si fundator ipse, non fundatoris successor, consensum episcopi impetret, ut legem ab initio dictam retractet, et alios sibi successores, quam liberos, vel agnatos designet. Siquidem in proposito agitur de eo, quod ecclesiæ interest; quodque propterea ecclesiastici prælati accedente consensu facile transformatur. Neque conqueri possunt aut liberi, aut agnati in limite fundationis vocati, quod deinde excludantur mutata a fundatore sententia; siquidem isti cum necdum certum jus adquisiverint, potius nihil accepisse, quam jure suo spoliati fuisse a fundatore videntur, arg. l. 3 ff. de interd. et releg. Imo ex hac ratione concedetur fundatori, non tamen fundatoris successori, facultas libere eligendi unam lineam vel liberorum, vel agnatorum ex pluribus ab initio vocatis, in qua una juspatronatus concludatur, etiam non accedente episcopi consensione, propterea quod licet mutetur forma initio indita patronatui, de hac tamen immutatione conqueri ecclesia nequit, utpote ex qua utilitatem sentit, spe concepta futurum, ut facilius libera evadat; alias autem semper verum est, ceteras lineas ab initio vocatas conqueri non posse, quia liberum erat fundatori illas aut vocare, aut non vocare. Qua vero ratione liberi agnative omnes in patronatus familiaris, vel gentilitii successione admittantur, nequit generaliter definiri; sed distinguere oportet varias istorum patronatuum formas, quarum diversitas agnosci solet ex verborum conceptionibus, quibus fundationum tabulæ constant. Prima species est patronatus, uti vocant, gradualis, in quo veluti per gradus jus ipsum descendit de patre in filium, de filio in nepotem, et sic successive in descendentes omnes. Hæc patronatus qualitas in dubio præsumitur, dummodo alias in genere constet, patronatum familiarem esse, argumento l. 32 § 6 et l. 69 § 3 de legat. 2, atque in ea ad jurapatronorum explicanda nunquam aut filius cum patre, aut cum filio nepos admittitur; sed qui proximus fundatori est, interea remotiorem excludit, quemadmodum, si plures in eodem gradu sint, omnes æque admittuntur. Altera species est patronatus linealis, in quo ex agnatione non omnes simul lineæ vocantur, sed successive, et quasi per gradus, atque in ea specie nunquam admittitur linea ulterius vocata, quousque extant ex iis, qui in linea anterius vocata consistunt, etiamsi forte qui in ulteriore linea extant, sint fundatori propinquiores. Tertia species est patronatus primogenialis, qui scilicet de primogenito vocatæ lineæ, vel familiæ in primogenitum quasi per gradus traducitur; qua in specie probabilior videtur opinio asserentium, primogenitum juris præferendum esse primogenito facti, ita ut ex. gr. filius primogeniti patruum, seu fratrem patris secundogenitum, utut nepote seniorem, excludat. Agitur in hac re de honore familiæ concesso, honor autem, et splendor familiæ ex usu gentium in primogenitis, et primogenitorum filiis convenientius servatur; unde vulgares sunt in hac, et simili materie regulæ, quibus, cum inter plures ad primogenium vocatos fit controversia, primo consideranda est linea, secundo gradus, tertio sexus, quarto denique ætas. Non ita dicendum est in patronatu, uti vocant, passivo, in quo, cum proprie juspatronatus non sit, sed nominatio a fundatore facta, ac propterea dirigatur non ad honorem familiæ, sed ad designandum in certa familia gratia ecclesiæ administrum, primogenitus facti, sive senior, primogenito jus anteferretur, cum per seniorem administrum melius ecclesiæ et beneficio consulatur. Exceptio tamen erit in jurepatronatus activo, si ex conjecturis aliter colligatur sensisse fundatorem, veluti si fundator dixisset, se vocare ad patronatum non primogenitum quidem, sed majorem natu, vel seniorem ex agnatis; hæc enim verba, nisi aliter usus aliquarum regionum ferat, vulgo non ad juris, sed ad facti primogenitos referuntur; ex quibus propterea constitutum pragmatici adserunt saltuarium patronatum, quasi patronatus prosiliat de una in alteram lineam familiæ, vel agnationis, ut semper in seniore resideat. At si inter duos geminos natos de primogeniali patronatu controversia oriatur, hæc erit potius controversia facti, quam juris, ut ait jureconsultus in specie legis 13 et 16 ff. de statu hominum. Disputent quidem physici, quis genitus primum fuerit, jureconsultus eum primogenitum vocat, quem primo editum fuisse natura demonstrat; proindeque eum admittit ad primogenialem patronatum, qui primum natus fuerit. Difficilius lis dirimeretur, quoties non satis constaret, uter de geminis natis primo editus fuerit, uti contingeret, cum enixa mulier morbo gravata, aut quicumque gravatæ mulieri prospiciunt; sollicitam curam non habuerunt, ut unum filium ab altero se-

cernerent. Ego putarem, in hac dubitatione nonnihil concedendum esse patriæ potestati, ac tanquam primogenitum eum habendum esse, quem tanquam primogenitum pater habuerit, quasi jam paterno judicio in possessionem primogenii constitutum, a qua dejici nequeat, nisi ab eo, qui manifestis probationibus se primogenitum esse demonstret. Postrema species jurispatronatus seu gentilitii, seu familiaris est, cum plures vel omnes de gente, vel familia ad modum collegii expresse vocantur; atque in hac specie obtinet, ut filius etiam cum patre concurrat, sintque propterea totidem constituti patroni, quot existunt capita; et vulgo juspatronatus collegiale appellatur.

Qualecumque autem sit ex quatuor superius explicatis speciebus juspatronatus, semper distinguendæ erunt duplicis generis lineæ; aliam enim pragmatici vocant lineam effectivam, aliam contentivam. Effectivam dicunt, in qua continentur solum descendentes a fundatore; contentivam quasi eam, in qua continetur ipse fundator, quæ etiam complectitur agnatos collaterales; atque inter utramque lineam discrimen intercedit, quod nunquam contentiva linea ad patronatum vocata censeatur, nisi expresse, aut saltem ex gravibus conjecturis, constet de ejusdem vocatione. Quæri solet, an feminæ ad patronatum familiarem, vel gentilitium admittantur. Improbandam non puto hac in re pragmaticorum opinionem, qui illas demum admittunt deficientibus masculis; quia licet feminæ ad familiam pertineant, non tamen æque per ipsas familia servatur, cum in alias ipsæ familias per nuptias traducantur, l. 195 in fine, et l. 196 ff. de verbor. signific. Quod tamen ita velim intelligatur, ut feminæ a fundatore descendentes postponantur quidem agnatis a fundatore pariter descendentibus, et qui dicuntur esse in familia effectiva; non autem postponantur agnatis fundatori collateralibus, et qui dicuntur esse in familia contentiva, etiamsi agnati collaterales in defectu agnatorum descendentium expresse vocati fuissent a fundatore, argumento tituli 18, lib. 2 feudorum. De feminarum filiis alia habenda erit ratio, quotiescumque fundator, aut agnatos tantum vocaverit, aut agnationis unius habendam esse voluerit rationem; cum feminarum filii ad familiam et agnationem minime pertineant, dicta l. 196 ff. de verb. signific. Quod si fundator aut de agnatione, familiave expresse non meminit, aut eam contemplatum fuisse non adparet ex conjecturis; sed tantum ex. gr. dixerit, se vocare ad juspatronatus nepotes, et descendentes suos, et masculos, hac in specie cum non videatur institutus agnatitius, vel familiaris patronatus, sed potius descendentium masculorum gratia, quid prohibebit, quominus ad illum etiam masculi e femina descendentes, matre tamen exclusa, admittantur, etiam concurrentibus masculorum filiis, l. 4 cod. de liberis præteritis? Ne autem liberi illegitimi gentilitium, aut familiare juspatronatus adquirant, manifesta juris ratio prohibet, sive quod præsumendum non est, de istis cogitavisse fundatorem, sive quod ecclesia ab honoribus ecclesiasticis spurios arcere consueverit, etiamsi forte legitimati proponantur, nisi specialis etiam in hac parte dispensatio accesserit, qua ipsi ad adquirendum juspatronatus idonei declarentur.

Sunt etiam aliæ singulares observandæ leges in translatione jurispatronatus realis, quod nimirum villæ, feudo, vel fundo cohæret: siquidem istud transit in eos omnes, ad quos feudi, villæ, vel fundi possessio transferatur. Hæc regula perspicua æque ac certa est, ubi agitur de pleno translato dominio rei, veluti donatione, venditione, legato, aliisque similibus titulis ad dominium transferendum idoneis. Quandoque tamen contingit, ut non plenum rei dominium transferatur, sed tantum vel dominium utile, vel aliud jus reale dominio, utili, proximum; atque in his casibus, dubitari solet, num hoc jure reali translato, etiam censeatur translatum juspatronatus. Species est a specie sejungenda. In primis dubitandum non est, quin vassallus, emphyteuta, et is qui bona, non locationis brevi tempore circumscriptæ caussa, sed, uti vocant, *ad firmam*, idest, vel ad vitam, vel ad longissimum tempus, puta centum annorum, possidenda accepit, jurepatronatus potiatur, c. 7 et 13, de jurepatronatus; etenim isti omnes dominium utile nanciscuntur. Atque ex hac ipsa ratione etiam ad juspatronatus exercendum admittetur fructuarius, utpote qui quodammodo prædii dominus dici potest, l. 4, ff. de usuf. et quemadmodum. Neque in hac re probari debent quorundam interpretum adnotationes, qui scripserunt, ideo denegandum esse fructuario jus istud, propterea quod non possit accenseri fructibus, qui singulis annis renascuntur. Nam fructuario non solum fructus rei fructuariæ cedunt, sed etiam quidquid obvenit occasione fructuariæ rei, quemadmodum commode deduci potest ex lib. 13, § 8, ff. de damno infecto. Potiore sane jure translatum juspatronatus dicetur in maritum, quoties illud dotali fondo cohæreat, quum maritus dotalis fundi dominus habeatur, princip. instit. quib. alien. lic. Bonæ fidei possessorem certum est ad patronatum admitti; nam hic, jure saltem prætorio dominium habet, atque apud omnes tanquam verus dominus consideratur. Aliud sane dici debet de creditore, qui pignoris, hypothecæve nomine bona possideat; uti enim creditor, licet possessionem habeat, tamen possessor non est, quemadmodum eleganter scribebat maecd. in lib. 15, § 2, ff. qui satisd. cogant., nec jus habet dominio proximum, ita debet abs jurispatrona-

tus exercitione repelli. Præterea finis constituendi pignoris est, ut creditor fructus et obventiones percipiat nomine debitoris in sortem computandos, cap. 6 de pignor., cap. 1 et 2 de usur. imo et finis idem pignoris intra eos limites continetur, quos postulat securitas creditoris. Quomodo autem aut fructibus accenseri, vel inter obventiones referri, vel computari in sortem a creditore poterit, ex gr. clerici pæsentatio ad beneficium, atque alia similia jurispatronatus jura, quæ et pretio æstimari non possunt, et nihil commune habent cum securitate creditori præstanda? Potius censeo, jurispatronatus exercitionem concedendam esse, non quidem simplici depositatio, qui non possessionem habet, sed meram custodiam; sed sequestri, penes quem fundi, alteriusve rei litigiosæ, cui patronatus adhæreat, possessio quædam, sive detentio auctoritate judicis habeatur; quum enim juspatronatus exercendum aliquando sit, et sine mora, nemo alius eodem jure experiri posset sine litigantium detrimento, quorum interest, a sequestre patronalia jura exerceri, dum ipsi exercitione interdicuntur, ne alias possessionem patronatus a se abjecisse videantur; quæ sententia maxime congruit definitioni Clementis V in clement. un. de sequestrat. posses. et propriet. ajentis, etiam rerum beneficiariarum sequestrem illarum omnium curam gerere et posse et debere.

Qualecumque sit jurispatronatus, nec per se vendi, nec cum re aliqua permutari potest, cap. 6 et 16 de jurepatron., per se inquam; neque enim repugnat, vendi universitatem bonorum, ita ut cum illa patronatus transeat in emptorem, argumento l. 30 ff. famil. ercisc. illis verbis, *cum universitatem emere non possim*, eodem modo, quo contingit in jurepatronatus reali re vendita. Non erit ista patronatus venditio, sed potius venditio universitatis, aut rei, quam ex accidenti sequitur patronatus, quemadmodum imperatorum statuæ, et religiosa loca ab humano commercio exemta, apud veteres vendito fundo, cui adhærebant, non vendi quidem per se dicebantur, se cum re vendita in emtorem transire; l. 22, 23, 24 ff. de contrah. emt. l. 53 § 1 ff. de action. emti; juncta l. 62 ff. de adquir. rer. domin., unde tacitus lib. 1 annalium cap. 73 ajebat, nihil contra religionem fieri, cum Augusti effigies, et alia numinum simulacra ortorum et domuum venditionibus accederent. Hinc sequitur, venditori non licere augere rerum venditarum pretium, ex eo quod rebus venditis patronatus cohæreat; cum simoniæ species sit, temporale quidpiam pro jure spirituali, vel quod proxime accedit spirituali, exigere. Imo simoniacum etiam crediderim illum, qui in contractu venditionis faciat jurispatronatus mentionem, hac exempli gr. formula usus, vendo fundum cum omnibus juribus, actionibus, servitutibus, jurepatronatus etc. Siquidem singularis hæc jurispatronatus mentio animum vendentis indicare videtur. Neque dicas, non obesse eam exprimi formulam, quæ adhuc tacite inest: quoties non exprimeretur; nam novum non est, aliquando expressa nocere, quæ non expressa non nocent, l. 52. ff. de condition. et demonstrat. quod et adparet in ea legati specie, qua testator fundum duobus leget adjecta particula *equis partibus*; quæ sane particula licet tacite legato inesse videatur, expressa tamen habet singularem effectum, et impedit jus adcrescendi, cui locus fieret, si non exprimeretur. Excipe tamen casum, quo mentio fieret jurispatronatus, non tanquam rei obnoxiæ venditioni, sed velut admonitio quædam specialis facta emtori, ut nimirum ipse intelligat, quænam sint jura, quæ rem venditam sequantur, possitque illorum conscius factus eadem facile exercere; quæ sane venditoris mens ex conjecturis elicietur, veluti si adpareret, fundi pretium occasione jurispatronatus adauctum non fuisse, aliisque similibus argumentis. Quæri adhuc solet, num vendi saltem actio possit, qua emtor coram judice experiatur ad petendum juspatronatus, de quo sit controversia. Verius arbitror, neque hanc venditionem esse admittendam, quum actio ad rem petendam induat eandem, naturam, quam babet res ipsa, argumento l. 18 ff. de auctoritate tut., et l. 16 cod. de usuf. et nihil interesse videatur, an quis rem habeat ipsam, an actionem ad rem petendam, l. 15 ff. de reg. jur., l. 52 ff. de adquir. rer. dom., l. 17 ff. de adquir. poss. His accedit admissa hac venditione, variis statim collusionibus præbitum iri occasionem, et passim eventurum, ut sub specie probatæ venditionis actionis ad juspatronatus consequendum, jura ipsa patronatus veniant in detestabilem mercaturam.

Si de jurispatronatus donatione quæratur, distinguendum in primis est inter laicum, et ecclesiasticum patronatum. Qui ecclesiastico jurepatronatus gaudet, nonnisi in iis casibus donare illud poterit, quibus aut jura, aut res sui beneficii alienare potest; imo et in ipsa donatione eas omnes intercedere oportebit solemnitates, quæ generaliter in alienatione jurium, et rerum ecclesiasticarum sunt custodiendæ, præsertim juxta extravagantem unic. de rebus eccles. non alien. int. com. Si vero quisquam laicum habeat patronatum, iterum distinguendum est, an donaturus, sit vel eidem, vel alteri ecclesiæ, vel loco religioso, vel alteri laico. Cum ecclesiæ, vel loco religioso donetur donatio tanquam ecclesiæ utilis, etiam non accedente episcopi consensione, valebit, cap. 7 de donat., cap. 8 et 14 de jurepatron., cap. un. eod. tit, in 6.: cum fiat alteri laico, non valebit, nisi ordinari

accedat auctoritas, dicto cap. 7, 8, 14 et unico. Sunt qui putant, sufficere in proposito, ut expetatur ordinarii consensus, quasi ordinarius ipse aut cogatur consensum præstare, aut si invitus sit nihilominus ad donationem rite deveniatur. Quoniam vero qui ita opinantur, non aliud, quoad ipse noverim, præferunt argumentum, quam quod deducitur ex cap. 17 de jurepatron., istud autem nihil habeat cum proposita specie commune, non video, qua ratione cogi episcopus possit ad præstandum consensum, quasi novum patronum, quem nec fundatoris tabulæ espresserunt, neque natura patronatus exposcit, nulla id suadente utili caussa, invita ecclesia recipere teneatur. Memoratum Alexandri III, rescriptum pertinet ad salubrem illam providentiam, quæ ejusdem pontificis ætate et scriptis jam legibus firmata fuerat, et exemplis. Jamdiu laici occupaverant bona ecclesiarum et clericorum: utut ad restitutionem concitarentur sollicitudine antistitum, parere renuebant, incusantes modo ambitum, modo avaritiam, modo generaliter depravatos mores clericorum aut etiam allegantes affluentes redditus ecclesiarum, quibus facienda erat restitutio. Cum autem paratos sese exhiberent ad concedenda occupata bona, et jura potius monasteriis, vel clericis illis, qui non primum communem vitam inire cœperant, veluti transactione composita res fuit; nimirum id ipsis licere pronunciatum est, dummodo episcopi consensus accederet; quod sane factum fuit, ut hinc facilius ad ecclesiam bona eadem reverterentur, illinc salva manere videretur potestas episcoporum, qui potius, quam laici possessores, cum consentirent, tum credebantur auctoritate sua bona de una in aliam ecclesiam transferre. In his adjunctis, quæ adtulerat temporum difficultas, improbavit Alexander III illorum episcoporum duritiam, qui consentire noluissent, ac professus est, se suppleturum auctoritate sua, quod auctoritate episcopali perfici minime potuisset.

Denique juspatronatus semel constitutum transferri de uno in alium potest per præscriptionem, qua tamen in re oportet distinguere ecclesiasticum a laico patronatu. Nam si adversus ecclesiasticum dignitatem, vel officium prescribatur patronatus, quicumque tandem sit præscribens, sive laicus, sive ecclesiasticus, non minor admittetur præscriptio, quam quadraginta annorum, cum hæc, et non minor, saltem hodie, in rebus ecclesiasticis locum habeat, quemadmodum in præcedente capite demonstratum fuit; et in hac materie non tam inspicienda sit conditio illius, qui præscribat, quam illius, contra quem præscribatur, cap. 4 et 6 de præscription., cap. 2 eod. tit. in 6. Idipsum dicendum erit de patronatu mixto, utpote qui in iis, quæ specialem favorem exhibeant, patronatui ecclesiastico comparatur. At si præscribatur adversus laicum patronum, sive laicus, sive ecclesiasticus præscribat, solum triginta annorum spatium sufficiet, cum non agatur de ecclesiastico privilegio, quod tantum locum faceret quadragenariæ præscriptioni, alias autem nemo ignoret, jura fere omnia triginta annorum spatio præscribi. Porro quæcumque sive tricenaria, sive quadragenaria præscriptio proponatur, non aliter proderit, quam si bona præscribenti fuerit fides, cap. 5 de præscription., cap. 1 eod. tit. in 6, cap. ult. de consuetud., quamquam ista semper præsumatur; non tamen necessarium erit allegare titulum, vel probare, cum talis sit præscriptio, quæ juri communi non adversetur: neque enim jus commune uni potius, quam alteri juspatronatus ecclesiarum, aut beneficiorum addicit; et quæ de justo titulo probando, ac de immemoriali possessione tradita sunt in capita præcedente, præsertim in conspectu decretorum tridentini concilii, pertinent quidem ad eum, qui velit patronatum præscribere adversus ecclesiæ libertatem, non ad eum, qui velit alienum patronatum sibi jure præscriptioni adserere, juxta notas juris pontificii regulas, in dict. cap. 1 de præscr. in 6.

CAPUT VI.

De modis, quibus juspatronatus probandum est.

Perfidia improborum hominum, et oblivio factorum vetustorum, quæ quosque etiam prudentissimos fallit, res humanas adeo persæpe turbaverunt, ut, quemadmodum illa viam ad res ac jura aliena invadenda aperuit, ita ista rebus semel jure quæsitis retinendis obfuisse noscatur. Id contigisse in jurepatronatus quotidiana fere experientia demonstrat, in quo nonnulli ingenitam libertatem quarundam ecclesiarum, aut beneficiorum callidis artibus sustulerunt; modo effingentes tabulas fundationum, ac dotationum, quæ nunquam exstiterunt, modo jactantes privilegia, quæ nunquam obtinuerunt; modo longam consuetudinem prætexentes, ubi nullum haberent titulum, ut ecclesias, ac beneficia ad sua jura traherent; nonnulli e contrario jurapatronatus semel jure quæsita amittere coacti sunt; quod vetera monumenta, quibus illa demonstrarentur, aut ex oscitantia, aut ex injuria temporum omnia fere corrodentium, amiserint. Huc respexerunt tridentini antistites, quando initio capitis 9 sess. 25 de ref. professi sunt, æque injustum esse, legitima patronorum jura tollere, ac iniquum sit liberas ecclesias in quandam veluti servitutem redigere. Ecquidem cum quis allegat, se esse

cujusdam ecclesiæ, vel beneficii patronum, id coram episcopo probandum est, si forte episcopus contradicat; et nomine ecclesiæ vindicet libertatem, cum omnia beneficia liberæ collationis esse præsumantur, can. 10, cau. 16, qu. 7, cap. 6 vers. *quia vero* de exception., verum cum ab allegante juspatronatus demonstrandum, probandumque in judicio est, moderatione quadam opus esse videtur, ut hinc patronatibus legitime quæsitis fraus minime fiat, illinc libertati ecclesiæ consulatur, quod tum demum fiet, cum probationes non in omnibus casibus similes exigantur, sed modo vividiores, et propemodum evidentes requirantur; modo etiam remissioribus argumentis locus detur; modo conjecturis indulgeatur, præsertim si graves sint, aut etiam levioribus, si plures una concurrant, et movere valeant prudentem judicem, attenta qualitate personarum; de quibus vel major, vel minor sit usurpationis suspicio, item attenta qualitate temporis, quo quis patronatum possederit, cum magis favendum sit illi, qui possessionem allegat non a patre tantum, aut avo, sed et a priscis majoribus ad se usque traductam, quam illi, cujus non adeo antiqua possessio proponatur. Ut res accurate tradatur, duo distinguenda sunt tempora, illa primum, consignanda, quæ præcesserunt tridentinum concilium deinde recentiora, quorum disciplina tridentinis constitutionibus regitur.

Itaque ante tridentinum concilium plures erant modi jurispatronatus in judicio probandi. In primis, et præ ceteris, probatio fiebat per tabulas fundationis, seu per instrumenta demonstrantia fundationem, constructionem, aut dotationem, dummodo illa authographa essent, aut dummodo, perditis authographis, talia producerentur exemplaria, quæ testes fide digni renunciarent cum authographis penitus consonare. Secundo, quoties instrumentis probari jus nequeat, etiam testibus probabatur; neque enim semper, uti ajebat prudenter imperator Hadrianus in l. 3, § 2, ff. de testibus, publicis monumentis cujusque rei veritas deprehenditur, eamque ob rem testibus credi etiam debet; dummodo isti aut dicerent, se publica instrumenta vidisse, ex quibus de jure patronatus constaret; aut de jurepatronatus fama testimonium ferrent, cap. 12 de privileg., l. 18 in fine cod. de testib. l. 5 cod. de fide instrum. Huic probationis generi non dissimile erat, quod fieret per plures, uti vocant, enunciativas in diversis instrumentis expressas a diversis notariis, quæ sane enunciativæ præsertim in antiquis publicam exhibent famam, dummodo patronus una probaret, se per annos quadraginta in præsentandi quasi possessione fuisse. Tertio probari poterat juspatronatus per insignia familiæ, vel nominum inscriptiones, vel epitaphia vetustissima, in quibus jurispatronatus expressa mentio fieret; aut si ex illis tantum conjecturæ educerentur, aliis istæ adminiculis juvarentur. Quarto probatio admittebatur quæ fieret ex multiplicatis centum annorum præsentationibus, quæ omnes effectum sortitæ essent, etiamsi titulus non satis perspicue demonstraretur, ac potiore jure, si præsentationes tanto tempore factæ fuissent, ut nulla sit initii memoria; etenim hæc immemorialis possessio loco cujusque optimi tituli est, cap. 1 in fine de præscription. in 6. Quinto idipsum probabatur, vel per decretum, vel per sententiam episcopi, a quo aut alimenta alicui tanquam patrono decreta fuissent, vel agnitum juspatronatus post concitatam in judicio controversiam, vel tempore visitationis descriptum beneficium, aut templum fuerit, tanquam patronatum; aut etiam tanquam patronatum consignatum fuerit in archivo episcopali. Denique demonstrabatur juspatronatus per assertionem, seu, ut alii vocant, narrativam pontificis maximi, qui in concessione beneficii, aut in alio providentiali actu gratia vel ecclesiæ vel beneficii, asseruerit, beneficium vel ecclesiam patronatui subjacere, clement. un. de probat., dummodo tamen pontifex maximus non adiecisset clausulam, *ut fertur*, vel similem aliam, ex qua deducatur, eam non fuisse certam ejusdem pontificis maximi sententiam. Qui plura in hanc rem desiderat, ea inveniet apud De-Fargna de jurepatronatus parte 5, can. 12, casu 1, n. 6 et sequentibus.

Rigidiorem postulavit probationem tridentinum concilium in cap. 9, sess. 25 de reform., non quidem ab omnibus indiscriminatim, sed ab iis, qui potentes essent, et in quibus probabilis esse potest usurpationis suspicio. Ajunt tridentini antistites, titulum jurispatronatus esse debere ex fundatione, vel dotatione; qui ex *authentico documento, et aliis jure requisitis* ostendatur, vel etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, *qui hominum memoriam excedat*, aliasve *secundum juris ordinem*. Si nihil aliud adjiceretur, in his nihil novi constitutum adpareret, sed tantum confirmata vetus disciplina, uti præsertim liquet ex laudatis verbis, *et aliis jure requisitis*, item *secundum juris ordinem*. Ergo nec præscriptio quadragenaria bona fide et justo titulo munita excluditur, quemadmodum superius demonstrabam in cap. 4, ergo neque excludentur superius laudati probandi modi, utpote qui in jure fundamentum habent. Tantum voluerunt patres tridentini abolere disciplinam privilegiorum liberaliter concessorum in detrimentum ecclesiarum, ac beneficiorum, qualia sæculo decimoquinto, et decimosexto passim invaluerant. At enim prosequuntur, et ajunt: *In iis vero personis, seu communitatibus, vel uni-*

versitatibus, in quibus id jus plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior et exatior probatio ad docendum verum titulum requiratur: nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quam si, præter alia ad eam necessaria, præsentationes etiam continuatæ, non minori saltem quam quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur. Singulare omnino est in hac parte tridentinum decretum et nonnisi certas personas, certasque communitates, universitatesve comprehendit. Hinc definiri in primis potest, in aliis, qui comprehensi in ea decreti parte non sunt, veterem adhuc vigere disciplinam, utpote non immutatam a tridentino concilio, proindeque iis omnibus modis probari ab ipsis posse juspatronatus, quos proponi ante concilium potuisse superius tradebam. Itaque a generali ratione probandi juspatronatus exclusi sunt omnes, quibus juspatronatus ex usurpatione quæsitum præsumi potest; atque istis onus impositum fuit, clarius, et pene cùm evidentia jus exhibendi, quod allegant. Et recte: siquidem cum mera consuetudo allegatur sine titulo, aut quidem cum titulo, sed non satis ostenso; aut cum conjecturæ tantum proferuntur utut graves; non est hæc facti evidentia, sed præsumtio, modo gravior, modo levior, prout vehementiora, vel leviora sunt argumenta: at hæc præsumtio eliditur contraria præsumtione, quam inducit usurpationis suspicio in eo genere personarum. Hinc statutum fuit, non quidem omnes omnino conjecturas etiam gravissimas, et quæ prope attingant evidentiam; non quidem præscriptionem quadragenariam justo titulo, et bona fide munitam excludi; sed cautum, *ut plenior, et exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur*; quasi ab hisce patronorum generibus non excludantur argumenta legitima, et veluti fontes probationum, sed excludatur ea probandi ratio, quæ in aliis eo genere non comprehensis permittitur. His simile est, quod traditur de immemoriali præscriptione; quam nec sufficere visum fuit ad allegandum exhibendumque titulum, nisi quinquaginta annorum præsentationibus muniatur. Revera præscriptio immemorialis loco tituli esse dicitur, et qui eam allegat, habetur, ac si quemcumque optimum titulum demonstraret. Verum hic ipse titulus non vere demonstratur, sed intra præsumtionis, utut gravissimæ, limites continetur; proindeque nec ista præsumtio satis valere visa fuit, nisi eidem alia præsumtio accederet, quæ emergeret ex presentationibus per annos quinquaginta factis, et effectum sortitis. Atque hac in parte quidquam amplius visum est postulari in præscriptione immemoriali, quam in ordinaria, quæ quadragenaria est, non sane quod ordinaria sit validior immemoriali natura sui, sed quod in ordinaria titulus revera allegetur et probetur, in immemoriali præsumatur, et loco tituli sint præsentationes illæ quinquaginta annorum, utut semper sint titulus præsumtus. Imo nec quidquam amplius adjectum videtur præscriptioni immemoriali, quam ad adjuvandam præsumtionem tituli, et ad excludendam suspicionem usurpationis, cum spatio quinquaginta annorum non adeo facile perire potuerint authenticæ presentationum scripturæ. Huic ridigiori probationum formæ adstriguntur primum ex tridentino decreto *Communitates*, vel *Universitates*, quarum sane nomine non veniunt aut collegia clericorum, aut monasteria, de quibus non videtur esse usurpationis suspicio. Veniunt igitur universitates, seu communitates laicorum, apud quas identidem ex multitudine et potentia populi agnitum est sine titulo ecclesiarum jura usurpata fuisse. Ne vero quisquam sub communitatum, aut universitatum nomine comprehensa crederet studia generalia, id expressum voluit concilium tridentinum, quod in dicto cap. 9 vers. *Exceptis*, singularem mandavit rationem haberi generalium studiorum. Deinde ex tridentino decreto adstrictæ fuerunt ridigiori probationi jurispatronatus personæ illæ, in quas usurpationis suspicio caderet. Istæ sunt personæ potentes, quarum scilicet in certo loco, ubi beneficia, et ecclesiæ consistunt, magna potestas est, præsertim cum jurisdictione conjuncta. Non tamen ad supremos principes tridentinum decretum refertur de quibus tantum abfuit, ut tridentini patres suspicionem usurpationis haberent, quin potius eorum singularem haberi rationem voluerint in dicto cap. 9 ibi: *exceptis patronatibus super cathedralibus ecclesiis competentibus, et exceptis aliis quæ ad Imperatorem, et reges, aliosque sublimes, ac supremos principes jura imperii in dominiis suis habentes pertinent.* Tradunt pragmatici, hanc concilii tridentini constitutionem exigentem in potentibus rigidiorem probationem, non solum in judicio petitorio, sed etiam in possessorio locum habere, quam ad rem laudant decretum congregationis concilii anni 1598 die 13 januarii. Non tamen locum habet, ubi non de beneficiis ecclesiasticis agatur, sed de laicis cappellaniis cum in istis non agatur de imminutione jurium ad ecclesiam pertinentium, de quibus sollicitì fuerunt antistites tridentini: Item locum non habet, quotiescumque personæ potentes non petant, aut vindicent juspatronatus adversus ecclesiæ libertatem, sed potius petant, aut vindicent a tertio possessore; neque enim per tridentinum decretum obviam itum est tuendis privatorum juribus sed tuendæ potius ecclesiarum ac beneficiorum libertati. Denique si juspatronatus adversus ecclesiam simul vindicetur a persona po-

tente, et ab alio omnino privato, de quo nulla sit usurpationis suspicio, nec tum quidem puto, rigidiorem illam probationis formam esse observandam; ne alias ex interventione personæ potentis privata persona ad judicium accedens damnum sentiat; et ex alia parte inæquale judicium instituatur in concursu plurium contendentium, quemadmodum pragmatici plures observaverunt, laudati a Defargna in parte 5 de jurepatron. can. 12, cau. 3, num. 9.

CAPUT VII.

De juribus patrono ex Canonum disciplina concessis.

Non semper eadem et constans fuit disciplina, qua patronis certa jura ex sacrorum canonum indulgentia concessa fuerunt. Siquidem licet olim vix concederetur aut inscriptio nominis, aut specialis commemoratio habenda inter publicas preces aut honor processionis, quemadmodum veteres loquebantur; sensim tamen obtinuit, ut jura juribus accumularentur. Hodie tanquam præcipuum jus habetur, quod in præsentatione consistit, c. 5 de jurepatron., c. 1 de præb. in 6. Et quidem quousque collatio beneficiorum a collatione sacrorum ordinum minime distinguebatur, patroni, cum beneficium vacaret, quendam idoneum sistebant apud episcopum, pro modo officii beneficio adnexi ordinandum; et ordinatione ipsa clericus patronatæ ecclesiæ adscribebatur; can. 32, cau. 16, q. 7. Postquam vero sejungi cœpit collatio beneficii a collatione ordinis, cœperunt patroni etiam ordinatos sistere caussa beneficii ex episcopali institutione consequendi. Itaque actus patroni certam personam sistentis presentatio dicta est, quæ, ut liquet, speciem quandam habet commendationis episcopo factæ, quam deinde episcopalis institutio sequitur, can. 38, cau. 16, q. 7, c. 4 hoc tit. Porro hoc jus præsentandi, utut vix a commendatione distinguatur, adeo plenum est, atque expeditum, ut ordinarius beneficii collator præsentatum instituere in beneficio teneatur, nisi forte præsentatus aut ineptus demonstretur, aut indignus, cap. 4 de offic. jud. ordin. Hinc datur facultas præsentato, quem sine caussa episcopus instituere recuset, ad superiorem appellandi, c. 29 hoc tit., quin ordinarius possit se excusare ajendo, sibi notas esse singulares caussas, quas non æstimat aperiendas, ne forte eo prætextu legitimis patronorum juribus contra mentem ecclesiæ detrahatur, juxta caput 9 principio tridentinæ sessionis 25. Ex his facile satisfieri potest vulgari quæstioni, an etiam laicus possit a patrono apud episcopum præsentari. Multa in hanc rem pragmatici scripserunt, quorum alii nominari quidem laicum posse dixerunt, non præsentari; alii etiam præsentationem admiserunt, dummodo sub conditione fieret, videlicet clericatus obtinendi; alii alia adjecerunt, universi nulla legis definitione innixi, tantum hoc principio contendentes, quo statuerent, per præsentationem jus ad beneficium adquiri, cujus juris laicos incapaces esse dixerunt. Ego sane, cui simplices observationes placent, et alienæ a perplexitate verborum, respicio ad veterem præsentandi usum, qui vigebat quum collatio beneficiorum erat cum ordinum collatione conjuncta, et cum intelligo præsentari a patronis consuevisse necdum ordinatos, sed ordinandos, tum colligo etiam non ordinatorum fieri præsentationem posse. Neque vero separata collatione ordinum a collatione beneficii, aut natura presentationis aut præsentati ratio, aut præsentantis jus immutata fuerunt; sed tantum facilior redditus fuit gratia episcoporum ordines conferentium ordinationis ritus, dum episcopi potuerunt etiam sine collatione beneficii clericum ordinare. Quid igitur est, quod dicitur, præsentationem etiam jus tribuere ad beneficium? Nihil aliud profecto, quam præsentatione facta jus adquiri præsentato, ut, quoties nihil aliud obstat, præsentatus ordinetur in eo ordine, qui beneficio adipiscendo congruat, eodemque tempore ecclesiæ beneficii adscribatur, et beneficio donetur, quæ si ita explicentur, uti explicari commode debent, percipitur statim ejus juris laicum non esse incapacem. Tantum observatione dignum est, eum, qui præsentatur, in ea conditione esse debere, ut possit intra legitimum tempus præsentantibus præstitutum, ad eum ordinem promoveri, quem beneficii qualitas postulat, et quidem servata in hac parte ecclesiastica disciplina. Quid enim ex. gr., si ageretur de ecclesia parochiali patronata, ad quam patronus præsentaret laicum, aut etiam clericum in minoribus ordinibus constitutum? Profecto cum parochiale beneficium postulet in possessore sacerdotalem ordinem; alias autem laicus, vel etiam clericus in minoribus ordinibus adhuc constitutus, nonnisi post longa temporum spatia, et post emensos varios majorum ordinum gradus insigniri sacerdotio queat; irrita erit presentatio, et tum demum recipietur, quando præsentato nihil oberit, quominus sacerdotio initietur intra tempus patrono a sacris canonibus concessum.

Quinque prioribus ecclesiæ sæculis necdum puto, patronis jus præsentandi clericos fuisse tributum, sive quod non possuit ulla temporis illius monumenta proferri, ex quibus de præsentatione hujusmodi constet, sive quod legamus sub nomine Gelasii papæ patronis nihil illud datum fuisse, quam *processionis aditum*, et quidem talem, *qui Christianis omnibus in commune debetur*, Can. 26 et 27. caus. 16, qu. 7. Hoc primum jus concessum

adparet gratia illorum episcoporum, qui ecclesias seu beneficia in aliena diœcesi erexissent, qui cum ab ordinatione clericorum in aliena diœcesi facienda excluderentur, illud saltem singulari gratia obtinuerunt, ut clericos ordinandos diœcesano exhiberent, quos ordinarii ipsi in eadem ecclesia, ac beneficio instituerent. Id manifeste liquet ex canone arausicani concilii anni 441, qui a Gratiano editus est in can. 1, caus. 16, quæst. 5 quamquam observandum ibidem sit, vitiatam esse inscriptionem, quasi tribueretur *Nicolao papæ*, quandoquidem ad Nicolaum papam minime pertinet. Potius moribus recipi cœpit, ut ea præsentatio paullatim admitteretur. Primum apud Græcos ex constitutione Zenonis imperatoris obtinuit, ut fundatoribus liceret futuræ administrationis modum in fundationis limine designare; at id generaliter, et quidem *secundum præscriptos fines*, uti legitur in leg. 15 cod. de sacros. eccles. unde conjicio, non in universum quidem fundatores, et fundatoris successores potuisse designare clericos ecclesiæ, et beneficii administros, sed tum demum, si quidquam singulare in hac parte reservaretur. Temporibus Justiniani abiit in vulgarem disciplinam, ut in xenodochiis fundatores, et caussam a fundatoribus habentes præficerent bonorum administros, et curatores, leg. 46, § 3, cod. de Episc. et cleric., quo casu episcopi ab administris libere præficiendis abstinere jubebantur. Id tamen adhuc erat jus singulare receptum in religiosis domibus, nondum tamen ad ecclesias, et ecclesiastica munera traductum, saltem certa et publica lege. Interea vero fundatores etiam istud vehementer exoptabant, quod probatum fuit ab Justiniano imperatore in nov. 57, cap. 2, hac adhibita cautione, ut præsentati ab episcopo examinarentur, et tum demum instituerentur in beneficio, cum essent ad idem beneficium idonei ab episcopo judicati; quod generaliter adhuc magis recipi visum est, ubi disertius et clarius publicatum est ab eodem imperatore in nov. 123, cap. 18. His institutionibus græco-romanum imperium regebatur. Sed in Hispania, ad quam justinianei codices traduci non potuerunt; veluti a barbaris gentibus occupatam, vetus disciplina integra mansit, juxta quam libera bonorum ecclesiæ a fundatoribus donatorum erat administratio penes episcopos, uti legimus in can. 19 concilii toletani III anni 589, seu in can. 2, cau. 10, qu. 1, quod confirmatum est in concilio toletano IV, anno 633, can. 6, cau. 10, qu. 1, uti demonstrant verba illa *juxta Canonum instituta*. Non multo postea toletani patres ab his regulis recesserunt; siquidem in concilio toletano IX anni 655 cum episcopi plures abuterentur administratione sibi concessa, et quidem contemta fundatorum voluntate, extra ordinem concessum fuit fundatoribus, ut isti, quamdiu viverent, curam bonorum sollicitam habere possent, imo et offerre episcopis administros instituendos in ecclesiis, quas illi erexissent. Extra ordinem, inquam, hanc facultatem obtinuerunt fundatores, quamobrem coercita fuit ea facultas ad personam fundatoris, quin ad successores transiret, can. 32, caus. 16, quæst. 7. Forte ob oculos toletanorum antistitum esse potuit decretum concilii arausicani anni 441 superius memoratum, quod sub nomine Nicolai I, exhibetur, in can. 1, cau. 16, qu. 5, unde facultatem fundatori episcopo, quoad ipse viveret ab arausicano concilio concessam, suadente necessitate, vel utilitate ecclesiarum, prorogaverunt ad fundatores universos sine discrimine personarum, dum tamen ultra personas fundatorum minime extenderetur. Sed paullatim ea res progressa fuit, præsertim post receptas ubique Justiniani novellas, et post novellarum disciplinam in hac parte confirmatam variis canonibus per provincias editis, ut æque fundatoribus, ac fundatorum successoribus jus præsentandi concederetur, quale hodie passim in universa ecclesia observatur.

Ita producta disciplina occasionem variis abusibus præbuit. Etenim cum primum generaliter factum est, ut patroni jus præsentandi clericos obtinerent, putaverunt patroni, idem jus vix distingui a quadam specie administrationis bonorum, quæ ipsis patronis reservaretur, quasi clericus præsentatus a patrono possessionem bonorum a patrono acciperet, et patroni nomine curam ecclesiæ, vel beneficii gereret universam. Noverant patroni de ea administratione sermonem fieri in dicta l. 15 cod. de sacros. eccles., ubi prima juris præsentandi delineamenta intuebantur. De eadem administratione sermo occurrit in dicta leg. 46, § 3, cod. de episc. et cler. ubi sermo est de designatione illorum, qui domibus religiosis ex fundatorum voluntate præessent. Insuper in nov. 57, cap. 2, mentio fit de iis, qui ministris ecclesiæ *ministrant alimenta*, quibus propterea jus præsentandi conceditur; quæ sane ministratio alimentorum designat possessionem bonorum penes patronos aliquando consistentem; atque idipsum adparet in conspectu novellæ 123, cap. 18. Et revera quousque in Hispania jus præsentandi concessum non erat patronis, toletana concilia id expresse sanxerunt, ut bona ecclesiæ semel collata in episcoporum potestatem omnino conferrentur, dicto can. 2 et 6, cau. 10, qu. 1, deinde data fundatoribus etiam in Hispania præsentandi facultate, hæc ipsa facultas non distinguebatur *a cura sollicita pro Ecclesiis habenda*, uti legimus in can. 32, caus. 16, qu. 7. Hinc factum est, ut patroni universi in patronatis ecclesiis, et bonis earundem ecclesiarum ita se gererent, ac se gerebant in bonis profanis, proindeque eo etiam aliquando devenirent, ut cum plures essent, inter se dividerent et ecclesias, et al-

taria, modo inter varias contentiones occasione divisionis obortas neminem clericum sacris obeundis ministeriis designantes, modo nominantes plures clericos, quorum unusquisque in parte ecclesiæ vel altaris sacra faceret, unde simultates, et jurgia etiam cum gravi populorum scandalo proficiscebantur. Ardua res erat in his adjunctis bono ecclesiarum prospicere, ne alias patronorum juribus jamdiu invectis, ac confirmatis fraus fieri videretur. Ceterum statui in primis cœpit, ut a divisione ecclesiarum, et altarium abstineretur, cujus rei vestigia sunt in can. 35, 36, cau. 16, qu. 7, cap. 1 et 2 de jurepatron., cujuscumque tandem auctoris existant; nimirum cautum est, ut inter istas divisiones episcopus intercederet, ipse juberet claudi ecclesiarum ostia, ac sacras reliquias ab eisdem ecclesiis auferri, uno verbo, sacris officiis ibidem interdici, nisi ab uno sacerdote sacra officia peragi patroni voluissent, uti legitur in can. 32 concilii triburiensis anni 895, quem Gratianus, non satis tamen integrum, retulit in dicto can. 36, cau. 16, qu. 7. Intercessit etiam eadem ætate Lotharius imperator, uti liquet ex ejus lege in l. 3 legum longobardorum tit. 1, cap. 44 ita concepta: *De ecclesiis, quæ inter coheredes divisa sunt, considerandum est, quatenus, si secundum nostram providentiam, et ammonitiones episcopi, ipsi coheredes eas tenere voluerint, et honores faciant: si autem hoc contradixerint, ut in episcopi potestate maneat, utrum eas ita custodire permittat, aut reliquias inde auferat, et ubi ad nostrum beneficium ecclesiæ pertinentes ita divisæ fuerint inventæ, et ut describantur et nobis enuncientur.* Fuit præterea certum definiendum tempus, intra quod patroni unum clericum præsentarent, ad excitandam patronorum quandoque negligentium sollicitudinem, ne ecclesia, vel beneficium diutius vacaret. Id primum adparet factum in romano concilio Eugenii II circa annum 825, can. 9, aut in alio sequente concilio romano Leonis IV circa annum 850, can. 24 his verbis: *Et si sæcucularium hominum sub jure sunt constitutæ, ab episcopo illius diœcesis admoneantur, et si admoniti presbyteros intra trium mensium spatium ibidem neglexerint constituere, curam exinde habens episcopus absque neglectu principi suggerat, quatenus ejus emendetur sententia.* Hinc adparet, quam falsa sit vulgaris interpretum plurimorum opinio, qui asserere non dubitarunt, tempus patronis nullum præfinitum fuisse ante concilium lateranense Alexandri III anni 1180, juxta cap. 3 de jurepatron. Notandum sane est in dicto canone Eugenii et Leonis, trimestre tempus patrono concessum numerandum fuisse non a die vocationis beneficii, neque a die scientiæ patroni, sed a die admonitionis ab episcopo factæ. Item notandum, negligentiam patroni non fuisse ab episcopo libere beneficium conferente supplendam, sed extraordinario remedio, quale indicant ipsa memorata concilii verba, consulendum vacanti beneficio fuisse. Notandum denique est, ibi non actum fuisse de ecclesiastico, sed de laico patronatu, quemadmodum ipsa etiam canonis verba demonstrant. Disciplinam istam in parte renovaverunt, in parte immutaverunt patres lateranenses sub Alexandro III, statuentes, episcopo libere licere beneficium conferre, si patroni intra tres menses neminem præsentaverint, dicto cap. 3 de jurepatron., in quo juxta integra concilii exemplaria emendanda sunt postrema verba, atque ita legendum: *et cui competat, intra tres menses non fuerit definitum* ex quo casu patroni plures suffragia divisissent, eum adprobari clericum, qui majoribus juvaretur meritis, et plurimorum eligeretur, et adprobaretur adsensu. Renovata, inquam, in parte fuit vetus disciplina, vel quod trimestre tempus patronis concessum adparet, vel quod de laicis, non de clericis patronis constitutionem intelligendam esse, nomina, quæ ibidem occurrunt, *fundatorum et heredum* perspicue demonstrat; immutata in parte, vel ubi data facultas est episcopo libere conferendi, quin opus amplius sit remediis extraordinariis, de quibus agitur in concilio romano Eugenii et Leonis, aut in cap. 1 et 2 eod. tit., in can. 36, caus. 16, qu. 7, vel ubi non a die admonitionis, sed a die scientiæ vacantis beneficii computandum trimestre tempus intelligitur, argumento cap. 2 de conces. præb. Forte adhuc hodie trimestre tantummodo tempus patronis laicis præfinitum agnosceremus, nisi amanuenses occasionem dedissent disciplinæ in hac parte immutandæ. Quum enim in nonnullis gregorianæ collectionis codicibus scriptum fuerit, *intra quatuor menses*, in aliis legeretur, uti etiam legitur in prima collectione decretalium, *intra tres menses*, interpretes in scripturæ varietate rem pro dubia habentes in humaniorem sententiam iverunt, ac quatuor menses patronis eisdem concesserunt, quasi a concilio præfinitos, quæ sententia tandem vim juris obtinuit, cum juxta illam rescripsit Bonifacius VIII in cap. unic., § 1, hoc tit. in 6. Sic coercita a lateranensibus patribus patronorum laicorum negligentia, dubitari cœpit, an adversus patronos ecclesiasticos negligentes similis recipienda foret disciplina. Rem in dubbio collocabat altera lateranensis ejusdem concilii constitutio, qua beneficiorum collatoribus semestre tempus collationis caussa indulgebatur, cap. 2 de concess. præbendæ. Hinc videbantur clerici patroni comparandi potius collatoribus, quia clerici; illinc comparandi potius patronis laicis, quia præsentantes erant, non conferentes. Voluit Alexander III, clericos patronos in hac re, scilicet in definitione temporis, collatoribus potius comparari, ac propterea

semestre tempus obtinere, cap. 22 hoc tit. Equidem fateor, in hoc cap. 22, perspicue non adparere, de ecclesiastico potius, quam de laico patronatu institutum fuisse sermonem. At ego observo, Alexandrum III hoc rescriptum edidisse post lateranense concilium a se celebratum, quemadmodum liquet ex toto contextu, qualis habetur in cap. 5 de æt. et qual. præfic. in 1 collectione, cujus etiam pars traducta est in capitulum 4 eod. tit. apud Gregorium IX, neque est verosimile, Alexandrum III aliquid insinuare voluisse contra statuta lateranensis concilii trimestre tantum tempus patronis laicis designantia, et quidem in eo ipso rescripto, in quo executionem concilii lateranensis urgebat. Post hæc adjicio, clarius deinde aperuisse mentem Alexandri Bonifacium VIII dum in cap. un. de jurepatron. in 6 definivit, patronis ecclesiasticis tempus semestre concedi. Fateor insuper, in dicto cap. 22, semestre tempus dici præterlapsum *postquam beneficia vacaverint*. Sanius intelligenda hæc clausula est; neque enim in eo tempore computandum est tempus illud, quo patroni ignoraverint, cum nihil imputandum sit ignoranti patrono, si ad præsentandum non deveniat. Etiam in lateranensi concilio in cap. 2 de concessione præb., cum semestre tempus definiretur caussa conferendi, id visum fuerat decernere, ne diutius quam semestri tempore beneficia vacarent; sed clarius definivit Innocentius III in cap. 5 eod. tit. intra illud tempus computandum non esse tempus, quo collatores redargui de negligentia minime potuissent. Cur igitur non idem dicendum sit de patrono ratione habita præsentationis; etiam in conspectu dicti capituli 22? Itaque ratione temporis nonnihil discriminis intercedit inter laicos et ecclesiasticos patronos. Sed præterea discrimen aliud observandum est in modo præsentandi. Nam laicus patronus facta prima præsentatione ad alteram, quamquam non ad ulteriores præsentationes, progredi potest, non quidem priorem excludendo, sed unam alteri cumulando, quosque secuta non fuerit institutio, quod sane ecclesiastico patrono non licet, cap. 5, 24, 29 hoc tit., Faber in cod. lib. 6, tit. 1, defin. 11, cujus discriminis rationem in eo positam esse arbitror, quod veteribus persuasum fuerit, præsentationem laicorum esse speciem commendationis episcopo factæ, nullumque proprie jus ad beneficium tribuere, cum laici spiritualia jura concedere nequeant; at præsentationem ecclesiastici patroni jus aliquod ad beneficium impertiri, instar electionum, quæ a capitulis, vel collegiis ecclesiasticis fiunt, ut scribebat Innocentius IV ad dictum cap. 24. Ex hoc discrimine aliud veluti consectarium invaluit, videlicet patronum ecclesiasticum, qui præsentet indignum, vel ineptum, sive scienter, sive ignoranter, ordinario jure pro ea vice removeri a præsentando, cum semel vel bene, vel male functus sit officio suo in ea parte, quam nosse tenebatur, argumento leg. 55 et 62 ff. de re judic. patronum autem laicum, cui facultas plures nominandi conceditur, post præsentationem factam indigni, vel inepti, ad præsentationem alterius adhuc admitti, dummodo intra quadrimestre fiat.

Si ex vulgari adagio rara est fraterna concordia; si præterea societates ipsæ a pluribus voluntaria animi adfectione initæ non semel concitant odia et lites, unde romanis legibus facilius societatem, quam contractus ceteros scindi permissum est; sane frequentiores erunt contentiones, ubi non natura, non libera voluntas, et specialis adfectio, sed lex, aut certorum adjunctorum qualitas, quarundam rerum communionem inter plures induxit, l. 26 ff. de servit. urbanor., l. 77, § 20, ff. de legat. 2. Parari quidem potuerunt judicia aut familiæ erciscundæ, aut communi dividundo in aliquibus caussis; at hæc obtinere nunquam potuerunt in jurepatronatus, utpote quod individuum est, et licet pluribus quandoque competat, semper tamen habetur, ac si unum sit apud singulos, atque indivisum. Ad summum illud ad tollendas contentiones induci potuit, ut compatroni dividerent inter se per alternas vices jurispatronatus exercitionem, veluti cum alternis vicibus, sive, ut ajunt, per turnum præsentent; at adeo parce ac sobrie id indulgetur, ut locum habeat hæc tributio, cum omnes patroni in eam, ne uno quidem excepto, consentiant, clement. 2 hoc tit. Imo etiamsi per alternas vices præsentatio facienda sit, adhuc tamen non semper litibus finis impositus fuisse videtur. Quocumque se vertant patroni plures, quemcumque præsentandi modum quærant, adhuc certæ disputationes occurrunt, quæ ut belle dirimantur, tres distinguendæ sunt species. Prima est, cum plures inter se de jurepatronatus contendant. Altera est, cum plures non contendant quidem de jurepatronatus, sed convenerint inter se, ut alternis vicibus unus præsentet exclusis ceteris. Postrema est, cum neque de jurepatronatus concedunt, neque convenerunt de præsentatione alternis vicibus facienda, sed unusquisque de suo jure semper explicando sollicitus, cum ceteris concurrit ad præsentandum.

Si de prima specie agatur, in qua nimirum sit inter plures de jurepatronatus contentio, et ista intra tempus legibus concessum ad præsentandum non finiatur, libera conferendi beneficii potestas pro ea vice ad episcopum devolvetur. Non opus est pluribus, quando in hanc rem perspicua est definitio concilii lateranensis in c. 3 in fine de jurepatron. clarius etiam expressa rescriptis Alexandri III, et Innocentii III in c. 12 et 17 eod. tit. Duæ tamen sunt ad hanc regulam probabiles ex-

ceptiones. Prima, et quidem lateranensi decreto et laudatis pontificum rescriptis consentanea, est, quoties non plures inter se contendant de jurepatronatus, sed contentio fiat inter eos ex una parte, qui sibi patronatum vindicent, atque inter episcopum ex altera parte, libertatem ecclesiæ seu beneficii vindicantem, neque enim, dum ab episcopo diu contenditur, et sibi suisque juribus collitigantes fraudem fieri conqueruntur, permittendum episcopo est, libere post quadrimestre tempus beneficium conferre; ne alias suspicio sit, ecclesiarum antistites lites, contentionesque movere ea spe illectos, futurum, ut ceteris modis, etiam tergiversationibus adhibitis, illud jus adquirant, quo minime gaudent. Quadrimestre tempus constitutum fuit ad coercendam patronorum negligentiam, vel in jurgando perfidiam, ne forte ex ea damnum in ecclesias emergat; non constitutum, ut facilius ecclesia libertatem nanciscatur in fraudem legitime quæsiti juris, cujus probatio non satis liquida est, nec facile potest intra quadrimestre tempus exhiberi. Quod si dicas, idipsum concedendum esse litigantibus laicis, cum inter se, non adversus episcopum contendant, quasi nemo facile ex oppositione adversantium exuatur jure suo, præsertim si negligens non sit, ego repono, litigantem esse quidem venia dignum, nec de negligentia facile incusandum, et, si singularia quædam non obstarent, ad præsentationem etiam post legitimum tempus admitti oportere; sed aliud postulare singularem ecclesiæ utilitatem, quam sane diu vacare non est opportunum, quin alias litigioso patronatui fraus fiat, propterea quod extra ordinem libere conferret episcopus non jure suo, et quasi ordinarius collator; e converso, ubi lis inter episcopum et extraneum instituitur, concessa episcopo post legitimum tempus conferendi facultate, jure suo conferre episcopus videretur, et quasi missus in possessionem illius juris, de quo adhuc pendet in judicio controversia. Utar adhuc contractiore argumento. Nimirum definitio temporis ex jure singulari inducta est. Ergo tantum locum obtinet in eo casu, qui jure singulari comprehenditur. Decretum lateranensis concilii in dicto cap. 3 hoc tit. concedit facultatem conferendi episcopo, si quæstio jurispatronatus emerserit *inter aliquos*: rescriptum Alexandri III conceptum est *de controversia laicorum*, cap. 12 eod. tit.: *de discordia laicorum* similiter conceptum est rescriptum Innocentii III in cap. 27 eod. Nullibi mentio fit de controversia inter laicos et episcopum ipsum. Igitur singularis illa devolutio inducta gratia episcopalis collationis, in hac specie locum non obtinebit. Altera exceptio est, quoties inter sese, non adversus episcopum, plures quidem de patronatu contendant, sed unusquisque ex illis clericum præsentaverit intra legitimum tempus; etenim obtinuit, ut etiam in hac specie locum non habeat devolutio juxta lateranense decretum, quasi patroni, seu litigantes, cum præsentationem fecerint, non sint de negligentia redarguendi. Hanc exceptionem ego puto potius ex jure recepto fuisse confirmatam, quam profectam fuisse ex germana interpretatione decreti lateranensis, ad quod tantum si exigeretur, forte videri undecumque accommodata non posset. Quicumque considerat sententiam lateranensis concilii, duplicem fuisse deprehendet edendi canonis caussam; primum, ut consuleretur ecclesiis vacantibus, ne ministro suo diutius destituerentur; deinde, ut negligentia præsentantium coerceretur. Esto, in proposito deficiat secunda caussa; non tamen prior deest, quæ principalis est, utilitas nempe ecclesiarum. Ast parendum est juri recepto, cujus plausu digna potest esse ratio, si dicatur, in potestate episcopi esse litem quantocius dirimere, ac definire, ut unum ex præsentatis litigantibus victorem pronunciet, eundemque vacanti beneficio preficiat. At enim etiam alio remedio consultum fuit incommodis ecclesiarum, quæ exinde emergere possent. Finge duos invicem de patronatu contendere, et utrumque lite pendente, necdum elapso legitimo tempore, duos clericos præsentare: moritur unus ex præsentatis: salubriter cautum est, superstitem in lite necessario instituendum ab episcopo fore, quin amplius locus detur novæ præsentationi gratia patroni collitigantis. Idipsum recipitur, ubi etiam plures collitigantes sint, dummodo ceteri defuncti sint, et unus tantum supersit. Id jam statuerat Bonifacius VIII in cap. 1 et 2 ut lite pendente in 6, deinde clarius traditum est in regula 29. Cancellariæ, quæ dicitur *de subrogandis collitigantibus*. Quod adeo verum est, ut patronus collitigans cœpta lite ne admittatur quidem ad præsentandos plures, ne facta plurium præsentatione, cum lites acriores fiant, tum etiam reddantur diuturniores. Ut vero subrogationi litigantium locus fiat, et ceteri impetratores excludantur, oportet, ut subrogatio petatur a superstite intra mensem, quemadmodum aperte definitur in laudata regula cancellariæ; item oportet, ut, qui superstes esse proponitur, sese non intruserit in beneficium, aut nihil fraudis admiserit in lite ineunda, quemadmodum contingeret, siquis sciens quemquam senem, aut in extremo laborantem præsentari, litem statim moveret sine caussa, et temere omnino, ut moriente adversario jus sibi bonum ad beneficii possessionem capessendam adsereret.

Altera species proposita erat, quoties plures sint compatroni non invicem de jurepatronatus contendentes, sed dividentes inter sese jurispatronatus exercitionem, alternis vicibus præsentaturi, juxta clementinam 2 hoc tit.

Viderentur ex hac tributione sublatæ controversiæ omnes; verum nihilominus quædam adhuc venire in disputationem possunt. Quid enim in primis, si is, ad quem præsentatio spectat, et qui turnarius dicitur, negligat intra tempus legitimum præsentare? Habetur quidem iste, ac si vices suas implevisset, atque eveniente deinde altera beneficii vacatione, alius esset turnarius pro modo successionis admittendus; imputet enim sibi, qui cum præsentare posset, noluit præsentare. Verum dicendumne erit, alterum compatronum, qui turnarius non est, post quadrimestre tempus ad præsentandum admitti, an potius collationem devolvi ad episcopatum libere collaturum? Quid deinde si turnarius, ne præsentet, fato impediatur? Quid si præsentet, sed sine effectu? Sunt hæc singula explicanda, præhabita tamen generali observatione, qua jus turnariorum explicetur. Oritur istud jus ex libera conventione a patronis facta; agnoscentes enim compatroni, facile se in unum minime consensuros, si simul et semel præsentarent, tribuunt sibi invicem præsentandi facultatem, quam dum turnarius exercet, non tam videatur suo, quam etiam compatronorum nomine præsentare. Ita postulat natura patronatus, quæ individua est: ita voluntas compatronorum, qui quoad fieri possit, jus præsentandi retinere contendunt, quod aliter fieri nequit, nisi vices suas delegando compatrono. Et quidem hæc delegatio ab initio est voluntaria, propterea quod ad eam temporum partitionem ex mutuo consensu deveniunt; ubi vero semel partitio facta est, necessaria redditur, cum compatrono amplius non liceat a facta partitione recedere, et delegationem semel factam gratia compatroni revocare. His generaliter positis, accedamus ad secernendas species, quibus turnarii jura sua non impleant. In primis obesse potest turnario casus fortuitus; uti contingeret, quoties turnarius quemquam præsentavisset, qui vel repentina morte correptus institui ab ordinario non potuerit, vel præsentationi necdum secuta institutione renunciaverit. Arbitror hac in specie, turnarium rursus valere ad novam præsentationem devenire, quasi nulla facta præsentatio fuerit, cum idem sit non præsentare, et præsentare sine effectu, adeo ut novum tempus ad presentandum concedi eidem debeat, quemadmodum in simili specie definitum legimus in cap. 26 de elect. in 6. Secundo obesse turnario potest impedimentum objiectum vel a collatore, vel a compatrono, vel ab extraneo; quibus in speciebus non erit turnarius censendus absolvisse jus suum, ac propterea ad primam præsentationem, quæ effectum sortiri possit, erit omnino admittendus, cum nemo sine facto, aut negligentia sua abs jure sibi competente excidere debeat. Tertio evenire potest, ut ex facto turnarii ejusdem nulla fiat præsentatio, aut fiat quidem, sed inutilis, veluti cum variis quæsitis effugis dolose tergiversaretur; tum vero ipse turnarius sibi quidem oberit, ut turnum suum absolvisse credatur, non tamen oberit compatronis, quibus facultas dabitur præsentandi communi suffragio, si plures fuerint, aut si unum tantum sit, facultas dabitur eidem libere præsentandi, ac si pro ea vice præsentatio turno non subjaceat; quamquam ab utilitatem ecclesiæ in hac specie videatur concedenda facultas episcopo, ut cogere compatronos turnarios possit ad præsentandum intra brevissimum tempus, et minus quadrimestri, ne diutius beneficium vacet. Cum enim nova hæc præsentandi facultas extra ordinem et ex quadam indulgentia concedatur compatronis, ita prudenter temperanda est, ne fraudem utilitati ecclesiæ faciat. Neque dicas, elapso quadrimestri tempore ex jure scripto liberam fieri episcopalem collationem; etenim repono, id verum esse, vel ubi patroni, cum præsentare possint, non præsentent, vel ubi patroni de jurepatronatus inter se contendat; ad has enim species coercetur concilii lateranensis constitutio in dicto cap. 3 hoc tit., at de ea specie patronorum, qui per alternas vices partiti sunt præsentationem bono pacis, etiam in utilitatem ecclesiæ vergentis, nihil dicitur apud patres lateranenses; ac propterea ubi scripto jure destituimur, prudentiæ, æquitatisque regulas sequi necesse est, ut hinc quidem prospiciatur utilitati ecclesiæ illinc consulatur tuendo legitimo juripatronatus semel quæsito, a quo si ex facto et negligentia turnarii deijcerentur ceteri compatroni, futurum veteri iidem possent, ne ecclesia possessionem libertatis habere inciperet, a qua nova eveniente vacatione difficilius dejiceretur; quando nemo ignorat, vim possessionis in collationibus beneficiorum maximam esse, quod beneficia non adeo frequenter vacent. Neque iterum dicas, imputandam esse negligentiam turnarii etiam ceteris compatronis, propterea quod turnarius habeatur veluti communis a compatronis electus procurator, et negligentia procuratoris nocere soleat principali. Siquidem repono, id verum esse, quoties de procuratore agatur, quem quis et libere constituat, et libere removere possit; non vero quoties aut quis dum procuratorem eligere, alium eligere non posset, aut semel electum revocare non valeret, quemadmodum contingit in proposito, cum compatronus dividendo præsentationis tempora, ei mandatum dederit non quem ipse elegisset, sed quem eligere ex necessitate tenebatur, et cui electo perpetuo ex necessitate obstringitur.

Tertia adhuc superest expendenda proposita species, in qua nimirum non interplures de patronatu contenditur, nec compatroni tribuerunt præsentationes per alternas vices;

sed compatroni simul et semel ad præsentationem concurrunt. Nonnihil interest in proposito, an præsentatio pluribus competat veluti collegio, quemadmodum contingit in patronatu familiari collegiali, an præsentatio competat pluribus singillatim, ita ut singuli ad suffragium ferendum, sive ad præsentationem admittantur. Si præsentatio pluribus veluti collegio competat, unica esse præsentatio videtur, quæ omnium nomine fiat. Quamobrem in hac præsentatione servari debent illæ omnes regulæ, quæ ordinariæ sunt in electionibus celebrandis. Hinc convocari omnes debebunt, quin admitti possit præsentatio ab aliquibus separatim facta; et ille nominatus præsentationis caussa censebitur, qui a majore suffragantium parte eligatur. Quod si inter eligentes contentio sit, libera erit episcopi collatio, quasi nulla facta fuerit præsentatio, dicto cap. 3 hoc tit. Quo autem casu singuli uti singuli præsentandi jure gaudent, si inter plures præsentatos præferetur, qui majoris partis suffragia obtinuerit; atque ubi unicuique singularia, seu paria suffragia sint, ego non dubito, quin episcopus libere possit uni potius ex præsentatis, quam alteri gratificari, argumento legis. 3, § 4, ff. ad senat. cons. silanian., quod et probavit Faber in codice lib. 6, tit. 1, def. 11 laudans etiam in hanc rem definitiones Rotæ Romanæ: imo etiam et probare visus fuit Locius III in cap. 24 hoc tit., non quidem in hac ipsa, sed in non absimili specie. Imo hæc ipsa gratificandi facultas expresse videtur concessa in ipso lateranensi decreto dicto cap. 3 hoc tit. dummodo tamen episcopi noverint, eum prælingendum esse, qui inter præsentatos a pluribus dignior sit, quemadmodum postulant generales leges in beneficiorum collationibus observandæ. Unum ad hanc rem adjicio de jurepatronatus, quod mixtum sit, idest partim ecclesiasticum, partim laicale. Nimirum, quoties inter ecclesiasticum et laicum patronum conventum fuerit, ut per alternas vices præsentatio fiat, pro ea vice, qua ecclesiasticus præsentat, juspatronatus habebitur, ac si omnino ecclesiasticum foret; quemadmodum pro ea vice, qua præsentat laicus, habebitur, ac si omnino esset laicale juspatronatus. Quod si ambo una ad præsentandum concurrant, communicantur jura, ita ut utrique patrono et semestre tempus concedatur, et jus variandi.

Barbara quidem sunt et præsentandi, et præsentationis vocabula; parcendum tamen est iis, qui eadem sequioribus sæculis invexerunt ex eo, quod nova jura et vetustati incognita exercenda fuerint, novis propterea nominibus designanda. Verba eligendi, vel electionis non satis apta videbantur, cum jam usurparentur ad significandum actum alicujus collegii ecclesiastici, vel religiosi, insuper actus patronorum ad designandum ecclesiæ, vel beneficii administrum non unus aliquando fuit, sed duplex; hinc passim audita sunt nominationum, et præsentationum nomina, quorum etiam significatio diversa est. Siquidem simplex nominatio dicitur designatio personæ beneficium adepturæ facta per literas, quibus constet de voluntate patroni; at præsentatio dicitur exhibitio personæ instituendæ in beneficio facta a patrono coram eo, qui instituendi jus habet caussa obtinende ejusdem institutioni. Ex hoc intelligitur, ad nominationem duas tantum personas concurrere, nimirum nominantem, qui suam explicet voluntatem certam personam designando, et nominatum, qui munus in se deferendum acceptet, imo etiam nominatio dicetur, cum tantum patronus suam voluntatem declaraverit, quanquam eadem in suspenso esse dicatur, quousque superveniat nominatus, qui degnationi de se factæ consentiat; at ad præsentationem tres necessarios concurrere necesse est, videlicet præsentantem, præsentatum, et prælatum, apud quem fit præsentatio. Insuper ex eo intelligitur, jus illud patronatus, quod passivum appellant, nihil aliud esse, quam nominationem a fundatore factam et quidem adhuc in pendenti existentem, quousque nominatus interveniat, et nominationi consentiat. Ex eo denique sequitur, ut, licet præsentatio ex parte patroni sit actus undique absolutus, cum nihil amplius ex parte patroni agendum supersit, nominatio tamen actus adhuc imperfectus dicatur, cum patronus adhuc debeat apud eum, cujus est institutio, præsentem sistere nominatum; proptereaque si intra legitimum tempus nominatio quidem fiat, non præsentatio, patronus jure suo cadat, et devolutioni locus, detur; similiter irrita fiat nominatio patroni, si ante secutam præsentationem decesserit, nisi illa ab herede; aut in patronatu successore rata habeatur, ac confirmetur; aut nisi agatur de fundatore ipso, cujus designationem factam sequi, religiosum semper fuit. Multa sunt et nominationi, et præsentationi communia quædam autem sunt alterutri singularia. Commune in primis est, quod modo ajebam; ut intra legitimum tempus fiant, secundo ut patronus sive per se, sive per procuratorem utramque facere possit, dummodo procurator, quoniam de re gravi agitur, instructus sit speciali mandato. Qua in re necessarium non est, ut constituatur procurator, cum beneficium vacaverit, sed et poterit constitui, antequam illud vacet, quamquam vetitum sit procuratori æque ac patrono, ne deveniant ad actum præsentationis, vel nominationis ante beneficii vacationem; cum longe distet disputare de viribus mandati a disputando de potestate mandati exequendi, ac propterea valere interea possit mandatum; licet exercitio mandati

in tempus legitimum differatur; eadem omnino ratione, qua ordinarius beneficii collator potest, etiam nullo beneficio vacante, alicui concedere conferendi potestatem, ceu vicario quamquam neque ordinarius ipse, neque vicarius conferre valeat necdum vacantia beneficia. Ex his tertia regula fuit, et præsentationi, et nominationi communis, juxta quam patronus seu a nominando, seu a præsentando abstineat, antequam beneficium vacet, argumento cap. ult. de concess. præb., et cap. 2 et 3 eod. tit. in 6. Exceptio est in fundatore, qui in limine fundationis nominare potest varios instituendorum sibi invicem succedentium gradus; siquidem fundatoris gratia multa recepta sunt contra regulas juris generales; quæ fundatoris nominatio tum primum compleri videtur, ubi non tam beneficium vacat, quam designatus nominationem acceptet; imo et tum in præsentationem evadit, cum nominatus a fundatore sese præsentem sistit apud eum, qui instituendi jus habet, postulans, ut in beneficio instituatur. Quarto illud commune est, ut a patrono non clericus tantum, sed et laicus et nominari, et præsentari valeat, dummodo iste tempore institutionis intra legitimum tempus suscipiendæ sit idoneus, justa ea, quæ superius tradita sunt; etenim a tempore collationis beneficii, quæ per institutionem fit, qualitatem beneficiarii metimur, ob veteris, quo adhuc superest, vestigium disciplinæ, juxta quam collatio beneficii ab ordinatione non sejungebatur. Quinto nemo poterit aut præsentare, aut nominare seipsum beneficii obtinendi caussa, ne in crimen ambitus patronus incidere videatur, cap. 26 de jurepatron., juncto cap. ult. de institutionibus, nisi ageretur de pluribus compatronis, quorum unus a ceteris, aut majore ceterorum parte designaretur, et ipse designationi de se factæ consentiret, argumento capituli 33 de elect., aut nisi ageretur de patrono, qui procuratorem constitueret ad nominandum, ac præsentandum, a quo deinde patronus ipse fraude nominaretur, et coram episcopo gratiose instituendus præsentaretur, cui simile illud esse videtur, cum patronus liberam relinquit episcopo pro ea vice collationem beneficii, et deinde ab episcopo beneficio sponte donatur, dummodo in utroque casu fraus et collusio absit in detrimentum ecclesiasticæ utilitatis, quæ ut plurimum non satis attenditur a nonnullis, qui sacra officia, ac si in proprium commodum instituta fuissent, a primigenia eorundem indole detorquere non dubitarunt, aut nisi ageretur de laica cappellania, quæ non tanquam beneficium habetur, sed potius tanquam pium legatum facile in hac parte ceteris ereditariis juribus comparandum; aut denique nisi ageretur de eo patrono beneficii, qui præter activum, uti vocant, patronatum, etiam passivum haberet; hac enim in specie non se ipsum nominaret, ac præsentaret nomine suo, sed jam nominatus a fundatore intelligitur, ac præsentare se procuratorio nomine fundatoris. Singularia nunc recenseamus, quæ modo tantum in præsentatione, modo tantum in nominatione observantur. Primum est, ut patronus ipse præsentaturus voluntatem suam vel per præsens coram episcopo explicet, vel literas, vel per procuratorem significet, cap. 6 de his, quæ fiunt a præl. eodem modo, quo olim etiam per literas suffragia electionum episcopalium ferebantur, can. 1, dist. 64, quamquam recentioribus sæculis invecta in electionibus episcopalibus severiore scrutinii forma id recipi amplius non debuerit, cap. 46, § ult. de elect. in 6. Adhuc tamen semper fuit, et esse perseverat inter electionem, quæ fit a capitulis, et inter præsentationem, quæ fit a patronis, discrimen, ut in præsentatione sisti debeat præsens, qui est ex patroni voluntate instituendus, non item in electione necessario sisti ab eligentibus debeat electus apud superiorem; sufficit enim electionem ita fieri, ut perveniat ad notitiam ejus, ad quem electionis confirmatio pertinet. Hic sane actus nihil commune habet cum simplici nominatione, utpote quæ tantum inter nominantem, et nominatum absolvitur. Nihil vero interest, an patronus præsentandi caussa constituat procuratorem ipsum præsentatum, an extraneum, quoniam præsentatus ipse duplicem potest sustinere personam, præsentati suo, et præsentantis alieno nomine. Hinc fit, ut passim admitti soleat tutor, ut nomine pupilli patroni præsentet, argumento cap. 32 de elect. in 6. Secundo illud singulare est in præsentatione, ut clericus se coram episcopo præsentem sistat, nec satis ipsi sit per procuratorem comparere, videlicet, ut fraudibus, quæ admitti a patrono possent, obviam eatur, nisi forte nominatus alias sit episcopo notus. Tertio non quidem ad simpliciter nominandum, sed ad presentandum concessa sunt patronis certa tempora, quibus si non præsentent, prodesse nominatio sola non potest, ne fiat locus devolutioni. Ecquidem non repugnat, episcopum posse patrono laico quadrimestre, ecclesiastico semestre tempus prorogare ex justa caussa dummodo tamen ultra aliud semestre tempus non extendat, cum sex tantum menses jure concedantur collatori, intra quos beneficium ex devolutione conferat, argumento cap. 57 de appellation. et legis 2 ff. de re judicata. Verum oportebit, ut intra tempus illud episcopi gratia concessum non simplex nominatio, sed præsentatio fiat. Denique singulare est in præsentatione, quo in nominatione non viget, ut semel facta præsentatio, subsecuta præsertim institutione, non revocetur, etiamsi post secutam institutionem liberum benefi-

cium fuisse probetur, aut extraneus quilibet juspatronatus evincat, cap. 19 de jurepatron., cap. 24 de elect. cap. 3 de caus. possess. et propriet. dummodo tamen in fraudem legitimorum patronorum facta non fuerit episcopi institutio. In fraudem autem facta censeretur, quoties episcopus instituisset nullis præcedentibus citationibus patronorum, aut post factas quidem citationes, sed institutione secuta ante tempus, vel abs jure, vel in ipsa citatione præstitutum, argumento clementinæ 1 de judiciis et legis 6 cod. de remissione pignorum.

Hucusque tantum actum est de jure nominandi, ac præsentandi, quod patronis concessum fuit. Aliud jus consistis in petendis, percipiendisque alimenta a clerico in patronali ecclesia, vel beneficio instituto, cum patronus ad inopiam redactus fuerit, can. 30, cau. 16, qu. 6, cap. 25 de jurepatron. Porro eximia fundatorum in ecclesiam, et viros ecclesiasticos pietas, atque religio provocare debuit ecclesiam ipsam, et ecclesiarum administros ad mutua caritatis officia rependenda. Si enim ex consensione gentium universarum ita suadente natura donatarius donatori quodam arctissimo officii vinculo obstringitur, ut gratus animus identidem, et prout res incidit, exhibeatur; dicam amplius, si ecclesia instar piissimæ matris indigentibus omnibus occurrere benignissime consuevit, unde bona ecclesiarum apud sanctos patres patrimonia pauperum appellantur; quid non conabitur illa erga patronos, ad quos adjuvandos non ex pietate tantum, sed ex debita æquabili beneficiorum repensatione concitatur? Id adeo sacris canonibus comprobatum est, ut patronorum juribus accenseatur, possintque patroni sacros administros in judicio convenire, ut sibi, cum indiguerint, beneficiariorum fructuum portione occurratur. Si hujus juris originem quæras, dixerim antiquissimam esse, et longe vetustiorem jure præsentandi. Etenim quo tempore apud Hispanos necdum receptum erat jus præsentandi, jam tradebatur, fundatoribus indigentibus esse præstanda alimenta, can. 30, cau. 16, qu. 7. Imo nec fundatoribus tanto id tributum est; quamquam enim in dicto can. 30 vel de fundatoribus vel de fundatorum filiis mentio fiat, quia forte apud Hispanos nondum certam formam acceperat successio patronalis, postquam tamen ex novellis justinianeis juspatronatus inter jura ereditaria recenseri cœpit, quemadmodum superius demonstratum est, obtinuit, ut jus petendorum alimentorum etiam heredibus competeret, seu iis omnibus, qui in patronatu fundatori succederent. Id hodie sine dubitatione receptum est, præsertim postquam definitum perspicue fuit in cap. 25 de jurepatron. ubi cum dicatur, patrono succurrendum esse *modeste*, duo erunt necessario observanda, nimirum et dos ecclesiæ, vel beneficii, et patroni conditio, quæ omnia ita prudens episcopus moderari debebit, ut hinc honori ecclesiæ, illinc patronorum dignitati nihil detractum esse videatur; eodem fere modo, quo beneficiari in diœcesi consistentes, quibus administranda relicta fuerunt peculia olim in episcoporum potestate constituta, tenentur identidem episcopis certam supsidia, suppeditare *secundum mediocritatem unius cujusque loci*, uti legimus in can. 10, caus. 10, qu. 3. Hæc adeo vera sunt, ut alimenta etiam debeantur cum in limine fundationis, auctoritate episcopi accedente, reservata fuerit certa pensio gratia patroni, uti in specie capituli 23 hoc. tit. et capituli 18, vers. *licet* de sent. et re jud. si modo ea pensione non satis occursum patroni inopiæ videatur. Nihil enim commune habet jus illud constitutæ pensionis ex pacto proficiscens, quod statim ac probatum est, ordinarium existimatur, cum jure alimentorum petendorum, quod extraordinarium est, et ex debita umanitate originem ducit. An autem hoc jus adhuc patrono sit concedendum, cum ipse juripatronatus vel gratia ecclesiæ, vel gratia extranei renunciaverit, acerrime apud nostros disputatur; affirmantibus nonnullis ex eo, quod in donatione patronatus, utut generali, non censeatur comprehensum jus alimentorum, utpote personæ intime adhærens; aliis negantibus ex eo, quod translato patronatu omnia translata censeatur jura, quæ patronatum sequuntur, aliis denique tradentibus, patronum cedentem posse percipere alimenta a cessionario, non vero ab ecclesia, vel beneficio, ita ut a patrono donatario denegante alimenta patrono donanti, tanquam ab ingrato, revocari possit juspatronatus, ad donantem reversurum. Postrema hæc opinio nullo modo probanda est, cum in cessione patronatus facta extraneo non id agatur, ut donatarius ad alimenta inopi cedenti concedenda teneatur, ne potius factam patronatus venditionem, aut venditioni similem simoniacam conventionem dicamus, quam gratuitam donationem; neque donatarius iste, si alimenta donanti non suppeditet, vocari ingratus poterit, eo minus subjacere periculo revocandæ donationis, cum caussa non sit ejus generis, ex quo revocari semel perfecta donatio queat, justa generalem Justiniani imperatoris constitutionem in l. ult. cod. de revocand. donation. Duas alias priores opiniones sic componendas esse arbitror: nimirum vel donatus est patronatus ecclesiæ, ut ipsa remaneat libera; tum vero adhuc alimenta debebuntur patrono; si enim ecclesia ex eo, quod bona a fundatore recepit, alimenta debet patronis, potiore jure debebit, ubi post recepta bona recepit etiam omnigenam libertatem. Quod si, cum necdum jus præsentandi patronis con-

cederetur, tum jus alimentorum competebat patronis, ut facile deducitur ex dicto can. 30, caus. 16, quæst. 7 cur non idem dicendum sit, ubi patronus jus presentandi sibi competens gratia ecclesiæ abdicaverit? Vel in extraneum translatus est patronatus; atque in hac specie videtur patronus omnia jura patronatui adnexa a se penitus abdicavisse, ne patronatus suapte natura individuus divisionem patiatur inter plures, quorum uni jus præsentandi competat, alteri jus alimentorum, aut ne ecclesia teneatur pluribus alimenta concedere, cedenti scilicet, et cessionario. Quod autem nonnulli dicunt, qui contra sentiunt, alimentorum jus cedi non posse, argumento legis 8 ff. de transaction. plerumque verum non est, et vix locum habet in specie singulari ejusdem legis 8. Agebatur ibidem de alimentis, vel testamento, vel codicillo relictis a defuncto, cujus mens erat, ut dum legatarius viveret, nunquam mendicitatis probro subjaceret, in quo casu nonnisi contra testatoris voluntatem transactio de alimentis fuisset inita. Ut vero patronus petere alimenta possit, hæc necessario concurrere oportebit. In primis probandum erit, ex iis, quæ ad beneficii, vel ecclesiæ cultum, aut ad beneficiarii congruam sustentationem necessaria sunt, aliquid superesse tribuendum indigenti patrono; etenim conveniens cultus erectæ ecclesiæ, et beneficii, necnon necessaria sacri administri alimenta juribus patroni præferuntur, nisi forte beneficiarius aliunde, quæ sibi necessaria sunt, nanciscatur, argumento can. 20, caus. 12, quæst. 1. Deinde patronus inopiam suam coram episcopo probare debebit, et quidem ejusmodi, cui ipse patronus aut culpa, aut facto suo nullam dederit caussam, cuique aliunde consuli nequeat, argumento leg. 5, § 18 et 19 ff. de agnosc. et alend. liber. Qui enim, si patronus donatione omnium bonorum facta in extraneum ad summam sese redegerit inopiam, ut de facultatibus ecclesiæ viveret? Quid, si in monasterio voluntaria professione paupertatis voto sese obstringeret? Non sunt isti casus ecclesiæ detrimentum allaturi. Perspicuæ esse videntur hæ regulæ, ubi patronatus ad singulares personas spectet. Quod si spectet ad universitatem, sane non erit onus beneficiarii, singulis, aut aliquibus de universitate indigentibus alimenta præbere, quasi patronis, cum non singuli, sed universitas ipsa habeat juspatronatus: non dubito tamen, quin loco alimentorum, quorum incapax est universitas, teneatur beneficiarius universitati ipsi, si forte gravissimis oneribus prematur, certas præstationes ab episcopo definiendas suppeditare.

Cum quis ita donat, ut in re donata certa adhuc sibi jura reservet, vel ut quandam adhuc in illam exerceat potestatem, non videtur omnino illam quasi liberam penes donatarium deseruisse. Donat uxor dotem marito, adeo ut maritus fundi dotalis dominus existimetur; adhuc tamen illa sollicita esse potest, ne quid pereat, ne quid fraudis in re ipsa, aut in rei administratione admittatur. Donat directus dominus feudum, aut emphytheusim; sed uterque sollicitus est de officiis, aut obsequiis, quæ vel feudi, vel emphytheuseos natura atque indoles postulat. Idipsum proportione quadam, et æquabilitate servata obtinet in eo, qui bona in erectam ecclesiam, vel beneficium contulit, reservato sibi et successoribus patronatu. Abdicavit iste rerum collatarum dominium, abdicavit etiam administrationem; eo ipso tamen, quo juspatronatus retinuit, in hoc constitutam quandam vigilem defensionem voluit. Hoc est tertium jus, quod patronatui cohæret. Sane quousque intra certos limites sese patroni contineant, sacri iidem canones non repugnant; sed si eo deveniant, ut amplius, quam par est, illi vindicent sibi, tum sacrorum canonum censuræ subjacebunt. Itaque curandum est, ut duo præ oculis habeantur, primum ne patroni, secundo ne ecclesiæ juribus fraus ulla fiat. Qua in re tria possumus veluti fundamenta præjacere. Primum est, licere fundatoribus in limine fundationis eas apponere conditiones, quibus et sibi, et suis in patronatu successoribus quædam jura etiam administrationis caussa reserventur. Alterum est, quoties fundatores nihil in limine fundationis specialiter reservaverint, nihil juris competere patronis in beneficii et ecclesiæ administratione. Postremum est, competere quocumque in casu patronis sollicitudinem quandam, qua curent, ut omnia rite recteque per eos, ad quos pertinet, administrentur. In primis verum generaliter est; quemcumque liberalem donatorem posse tempore donationis a se factæ adjicere conditiones sibi bonas, quibus certa jura, imo etiam pensiones, aut exactiones sibi reservet, quemadmodum passim docent jureconsulti ad legem 4, cod. de donation. Cur non eadem ratione fundatores beneficiorum potuerunt sibi in limine fundationis reservare similia jura, vel singularis cujusdam administrationis, vel annuæ pensionis, vel etiam extraordinariæ alicujus certis in casibus percipiendæ præstationis? Id præsertim auctoritate episcopi fieri videtur, ad quem spectat caussa cognita fundatoris voluntatem, et conditiones a fundatore adpositas explorare, probare. Laudari in hanc rem posset canon 30, caus. 18, qu. 2, ubi cum de certis obventionibus ageretur, fundatrix judicio suo modum eisque tribuit minime improbandum, nisi cum viris eruditis observarem, parum firmam esse illud monumentum, tanquam non certa adscriptum aut Pelagio, aut Gelasio pontifici maximo. Potius in medium profero capitulum 18, § *Licet autem* de sent. et re judic., ex quo constat, ab ecclesia

annuum quidquam in decem solidis consuevisse patronis. Item profero capitulum 16 de censib. ubi liquet, in limine fundationis concessum fundatori fuisse, ut monasterium ad certam pensionem præstandam alteri monasterio obstringeret. Denique profero capitulum 23 de jurepatron. ubi quamquam patronis injunctum sit, ne novas et graves pensitationes ab ecclesiis extorqueant, mandatum tamen est, ut antiquorum, et moderatorum redditunm ratio haberetur. Ipsum tridentinum concilium, dum coercuit patronorum quorundam excessus in administratione, vel participationem jurium beneficii, hanc adjecit clausulam, *nisi quatenus id eis ex institutione, ac fundatione competat*, sess. 24, de ref. cap. 3. Deinde, quoties nihil singulare in limine fundationis cautum fuerit, omnia sive ecclesiarum, sive beneficiorum jura, omnisque administratio est penes sacrum ministrum sub jurisdictione episcopi constitutum, can. 2, 3 et 4, cau. 10, qu. 1, can. 29, cau. 16, qu. 7. Nullam igitur aut jurisdictionem in clericum in beneficio institutum, aut administrationem bonorum ecclesiæ patronus nanciscetur. Ecquidem fateor, sequioribus sæculis, patronos, aut vi jurispatronatus, cujus caussa veluti dominos se esse censebat, aut vi advocatiæ susceptæ, vindicasse sibi aut jurisdictionem quandam in clericos institutos, ut eos, vel instituerent, vel destituerent, vel etiam vulneribus aliquando, vel, quod dictu pene incredibile est, cæde afficerent; aut administrationem quandam bonorum ecclesiæ, quorum etiam portionem sibi retinebant, uti liquet ex cap. 4, 13 et 23 de jurepatron., cap. 12 de pœnis, c. 13 de elect, in 6 adeo ut quandoque clericos a se nominatos variis cautionibus ad sibi obtemperandum obstringerent, etiam jurejurando firmatis, cap. 15 de censib. dicto cap. 12 de pœnis, quæ sane vetita fuerunt ex decretis modo commemoratis. Notatione dignum est inter cetera dictum cap. 23 de jurepatron. quod jungendum est cum cap. 9 de hæretic. quemadmodum auctor colletionis 1 decretalium adnotavit in cap. 29 de jurepatron. Ex hac Lucii III decretali in duo fragmenta divisa colligitur, primum laicos plures sibi spiritualium, seu hierarchicorum jurium exercitionem vindicavisse, unde hæreses detestabiles prodierunt; deinde laicos plures sub specie patronatus, aut advocatiæ extorsisse ab ecclesiis varias pensitationes, quæ omnia damnata a Lucio III fuerunt. In dicto c. 23 nominantur *fodrum*, *albergaria*, *et regium*. Nomine *fodri* veniebat commeatus, sive pabula jumentorum quoties patroni, vel advocati ad ecclesias accedebant, atque hic commeatus aliquando in certa taxata pecunia luebatur. Nomine *albergariæ* veniebat hospitium concedendum patrono, vel advocato in itinere consistenti; quod jus ab aliis vocabatur *paramenta*, sive *parata*, uti in capitularibus regum francorum, quasi hospitium præparatum; in decretalibus cum de episcopis, aut prælatis visitantibus agitur, vocatur *procuratio*, apud Romanos autem veteres appellabatur *metata*, l. ult. cod. de metatis. Nomine *regii* veniebat quædam, uti loquuntur, capitatio, sive tributum per singula capita luendum. Postquam hæc omnia jam damnata in decretalibus fuissent, tridentinum concilium supremam manum admovisse videtur abusibus eliminandis. Siquidem cum in cap. 11, sess. 22 de reform. vetuisset patronis, ne quidquam in suos usus converterent de bonis ecclesiæ, deinde in cap. 3, in fine sess. 24 de reform. ita decrevit: *Patroni in iis, quæ ad sacramentorum administrationem spectant nullatenus se præsumant ingerere; neque visitationi ornamentorum ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus immisceant, nisi quatenus id eis ex institutione, ac fundatione competat; sed episcopi ipsi hæc faciant, et fabricarum redditus in usus ecclesiæ necessarios et utiles, prout sibi expedire magis visum fuerit, expendi curent.* At enim dicendumne erit post hæc, actum esse de omni patronorum sollicitudine? canones hucusque laudati nonnullos patronorum graves abusus emendare quidem voluerunt, non vero legitima, et canonibus probata jura abolere. Siquidem vix tuitores, et defensores ecclesiarum patroni dici possent, vix etiam rebus suis consulere valerent, si quædam adhuc sollicitudo eisdem non concederetur; ac si forte propter incuriam clericorum res beneficiariæ interirent, patroni reficere ecclesias, et restituere bona tenerentur, quorum ipsi pridem ignoravissent, imo et prorsus ignorare debuissent rationes. Adhuc hodie interpretes nostri distinxerunt triplicem ecclesiæ, aut beneficii curam, quarum primam *auctorizabilem* dixerunt, quæ jurisdictionem habet adnexam, alteram *ministerialem*, quæ actus explicat spirituales, aut spiritualibus adnexos, postremam *providentialem*, sive *sollicitudinis*; et quamquam priora duo curæ genera patrono denegata agnoverint, præsertim ex tridentino decreto, nisi in specie expresse reservationis in limine fundationis factæ, non tamen postremum curæ genus denegatum fuisse tradiderunt. Hanc ipsam providentialem, sive sollicitudinis curam jam suffragio suo comprobaverant vetustissimi toletani patres in can. 31, cau. 16, qu. 7. Consistit autem potissimum in eo, ut detur patrono facultas inquirendi, non tamen sub quadam jurisdictionis, aut officii specie, sed privatim, an beneficiarii oneribus beneficii satisfaciant, an bona beneficii recte administrent, et similia; et cum quidquam in ea re peccatum inveniant, tum id deferant ad superiorem, a quo congruum opportunumque

remedium petant, expectent. His proximum est, quod etiam hodie tradi solet receptum, nimirum si ad unionem, vel divisionem beneficii patronalis episcopus deveniendum putet juxta concilium tridentinum sess. 24 de reform. cap. 15, aut si in collatione beneficii pensio gratia alterius reservetur, aut beneficium cum alio beneficio permutetur, vel gratia alterius resignetur, aut in eo vicarius perpetuus constituatur, aut res beneficii ex necessaria, vel utili caussa alienetur, necessarius erit consensus patroni, cum in his omnibus casibus interesse patroni possit, ne quidquam innovetur. Ubi vero nullum patrono detrimentum ingeritur, non erit necessarius illius consensus, quamobrem poterit episcopus novam cappellam in ecclesia patronata libere erigere, confraternitatem inducere, scamna extraneis, non tamen honorifica, concedere et jubere sepulchra excavari.

Ad jura honorifica, quæ fundatoribus conceduntur, pertinent quoque inscriptiones nominum, quibus deinde stemmata gentilitia successerunt. Jam receptum fuerat apud gentes, ut qui certa donaria in templis publicis Numini dicata pendebant in illis sua nomina inscribi curarent, uti liquet ex l. 58, § ult., ff. de auro et arg. leg. Præterea quicumque opus quoddam publicum extruxisset, in eo suum nomen inscribebat, quod nequis evaderet, cavebatur, l. 2, § ult., ff. de oper. publ. Clarius Callistratus hanc rem expendit in l. 7, § 1, ff. eod., ubi speciem a specie distinxit. Tradidit in primis, licere erigentibus opera publica nomen suum inscribere; addidit, inde, opus publicum ab uno factum, deinceps ab alio magnifice ornatum, notari posse etiam inscriptione nominis illius, qui ornavit, dummodo nomen illius, qui fecit, non deleretur; denique conclusit, ubi opera quædam facta fuerint pecunia publica, et aliquis certam summam de suo adjecerit, licere adjicienti ita titulo inscriptionis uti, ut quantam summam contulerit in illud opus, scribat. Generaliter autem tradidit Macer in l. 3, § 2, ff. eod., nemini licere, in operibus publicis nomen inscribere, nisi agatur de nomine principis, vel ejus, cujus pecunia opus factum sit. Hæ sane regulæ plurimum valere possunt ad explicanda ejus generis jura, quæ fundatoribus competunt, cino et ad modum præstituendum probationibus jurispatronatus, quæ ex inscriptione nominis repetuntur. Cum enim ex hac veterum consuetudine receptum fuerit, ut in ecclesiis nomina privatorum inscriberentur, alias autem nemo, nisi auctor operis, nomen suum inscribere posset, et si tantum certam summam erogavisset, eam tantum summam consignare adjecto nomine valeret, facile liquet, fundatores nomen suum templis a se erectis inscribere potuisse, et ex ea inscriptione posse probari fundationem factam ab eo qui nomen suum inscripsit, dummodo inscriptio simplex esset, nec coercita ad designandam singularem pecuniæ quantitatem in erectionem ecclesiæ collatam. Istæ ecclesiarum inscriptiones primis ecclesiæ sæculis *tituli* dicebantur, eamque ob rem a fundatoribus ipsis nomina accipiebant templa; sic dicebatur titulus Damasi, titulus Eudoxiæ, titulus Lucinæ, templum illud, quod a Damaso, ab Eudoxia, a Lucina ædificatum fuisset. Erat hæc tituli inscriptio veluti symbolum, modo dominii, modo patrocinii vel tutelæ; atque hac significatione titulus fundatoris adjiciebatur in templis, ad indicandam ædificium illud ante dedicationem in dominio fuisse illius, cujus nomen inscribebatur, item post dedicationem adhuc in ejusdem patrocinio, et clientela existere, quod patrocinium et clientelam juspatronatus appellaverunt recentiores. Hæc disciplina clarius adhuc exhibetur ex moribus veterum, qui etiam quibuscumque prædiis nomina inscribebant. Nomen imperatoris inscribebatur in fiscalibus prædiis, ne quisquam eadem invaderet, occuparet, imo statim ac prædia privatorum fisco addicerentur, ipsa imperatorii nominis inscriptio addictionem factam significabat, l. 3, cod. de bonis vacantibus, l. 2, cod. de aquæductu. Exemplo imperatorum potentes quidam etiam bonis suis nomina sua, seu titulos inscribebant, ut ea nominis adjectione quemquam ab invasione vel occupatione terrerent; imo et quidam id agebant ad injuriam legitimorum, possessorum, quos ut a possessione dejicerent, prædiis suum titulum adjiciebant, aliquando etiam imperatoris, uti colligitur ex leg. 1 et 2, codice ut nemo privatus, ex l. 1 et 2 codice ut nemini liceat sine judicis, et ex l. 1 cod. de iis, qui potentiorum nomine; atque utinam id in injuriam pauperum a clericis nunquam factum fuisset, quod tamen cum quidam molirentur, vetuit Gregorius Magnus in can. 1, cau. 16, qu. 6. Dicta hæc sint, ut indicetur, inscriptionem nominis fuisse veluti quoddam patrocinii ac defensionis symbolum, quod sane fundatoribus, patronisque universis concedebatur. Nihil plane olim intererat, an fundatores nomina sua, vel cognomina, vel prænomina inscriberent, quo tempore ea in usu erant apud veteres, quemadmodum nec interesse etiam potuit, postquam cognomina familias distinguentia renovata sunt passim post sæculum decimum. Imo quum post idem decimum sæculum invecta sunt stemmata familiaria, atque ista nominibus habita fuerunt nobiliora; vel nominibus eadem stemmata adjecta sunt, vel omissa inscriptione nominum subrogata fuere stemmata vel picta, vel insculpta. In conspectu novorum hujusmodi symbolorum recipi cœpit, ut si de ecclesiastico patronatu

agatur, non liceat fundatorii adjicere stemmata, vel personalia, vel familiaria, ne forte hac occasione fraus fiat ecclesiæ, neve adjectio illa stemmatum argumento esse posse possit patronatui, vel in heredes, vel in agnatos transituro. Tantum licebit patrono pingere stemmata, si quæ sunt, dignitatis suæ, vel officii ecclesiastici. Anvero stemmate adposito a patrono non ecclesiastico, argumentum sit jurispatronatus gentilitii potius, quam hereditarii, ubi nullæ aliæ sint conjecturæ, ego puto, hanc quæstionem potius esse facti, quam juris. Si de erectione ageretur non satis antiqua, ego non dubitarem, patronatum gentilitium esse quasi ex adpositione gentilitii stemmatis fundator agnatos suos ad defensionem ecclesiæ vocavisse præsumatur, ubi alia non sint qualitatis hereditariæ indicia. At si ageretur de adjectione stemmatis antiquissima, et eo tempore facta, quo primum stemmatum usus invehi cœpit, censerem, juspatronatus justa generales regulas hereditarium potius esse propterea quod initio stemmata personalia fuerint, et nonnisi sensim ad filios, nepotesque commeaverint. Non est hic locus, de stemmatum origine, et progressu fuse disserere; cum prostent in hanc rem eruditorum plurium observationes.

Aliud jus honorificum, et quidem antiquissimum illud est, quod fundatoribus concedebatur inter sacras ecclesiæ functiones, ac celebritates; nimirum eisdem fundatoribus quædam prærogativa competebat in conventu fidelis populi ad ecclesiam confluentis, ita ut potior, digniorque ratio fundatoris haberetur; quod paullatim et successu temporum traductum est una cum ceteris juribus patronatus ad fundatoris successores. Jam quædam jura similia in ludis publicis apud romanos æthnicos agnoscebantur. Sic in l. 6, ff. de annuis legat species est de eo, qui annuam pecuniam ad ludos civitati reliquerat, quibus præsidere heredes voluit, et in l. 10, ff. de pollicitation. quædam Septicia certamen patriæ suæ pollicita fuerat, in quo agonotheta, et præses vir ejus futurus esset, et deinceps liberi ex ea nasciturі. Itaque cum primum erecta fuere in ecclesia templa, non dissimilis honor concessus fuit fundatori, ut ipse in conventu totius populi veluti primus haberetur, et quasi dignior in congressu. Hoc ego esse censeo illud jus, quod veteres appellaverunt *jus processionis*, ita dictum, quod fundator primus procederet, et veluti dux esset ceterorum fidelium ad locum sacrum convenientium. Hujus juris mentio fit in can. 26 et 27, caus. 16, qu. 7, in quibus cum legatur, processionis aditum omnibus christianis in comune deberi, clarius intelligitur, nomine processionis designatum fuisse pubblicum conventum. Atque id magis magisque confirmatur ex can. 3, dist. 21, ubi mentio fit *de loco processionis celeberrimo ad mysteriorum consecrationem*, item ex can. 5 de cons. dist. 1, ubi mentio fit *de basilica ad cultum processionis adducta;* insuper ex can. 7 de consecr. dist. 1, ubi dicitur, non posse *publicam processionem impendi, et publicam frequentationem et processionem cessare* debere, ubi ecclesia, vel oratorium non fuerit pontificia permissione dicatum. Mentio quoque ejusdem juris processionis fit in cap. 25 de jurepatron. Hinc liquet quam falsa sit quorundam interpretatio, qui processionem a præsentatione distinguere nesciverunt, scribentes, patronum, cum clericum instituendum coram episcopo sistit, tum una cum clerico instituendo ad episcopum *procedere*; et cum agnoverint, jus processionis in dictu canon. 26 et 27 dici cuicumque christiano commune, tradiderunt, non id intelligi, quasi non sit jus singulare fundatorum, ac patronorum: sed quasi nemo eo jure experiri possit, nisi sit christianus, seu quasi, fundator, ac patronus, excluderetur ab eo jure quoties iudæorum, paganorumve supertitiones sequeretur. Cetera honorifica jura, nimirum precum, thuris, aquæ, panis, et candele benedictæ, item sedis, ac sepulturæ, ego censeo abs jure processionis non posse sejungi, sed potius in jure processionis tanquam species in suo genere contineri, vel esse quædam juris processionis consectaria. Talis est in primis honor precum consistens in eo quod inter publicas ecclesiæ preces nomen patroni palam recitetur, ac Deo commendetur. Si enim pro toto fidelium conventu sacri ministri orare consueverunt, specialis inter orandum mentio decere videbatur nominis patroni, veluti ducis populi confluentis, concilio emeritensi can. 19. Talis est honor thuris, patrono delatus, cum ipse singulari suffitu excolatur; si enim ecclesiastico ritu incendi consueverunt thura, ad honorem clericorum, et fidelis populi, quasi in omnibus divini Spiritus habitaculum agnosceretur, præ cæteris sane laicis hunc singularem honorem postulabat fundatoris, vel patroni singularis prærogativa. Simili de caussa singulari ritu erat in conventu populi aspergendus lustrandusve patronus aqua benedicta juxta singulares ecclesiarum, seu diœceseon consuetudines, ex quibus fit, ut modo clericus patrono ecclesiam ingredienti aspersorium, quo sacro ritu lustretur, exhibeat, modo clericus populum universum aqua benedicta aspersurus, patronum singulari aspersione distinguat. Simili ratione receptum alicubi est jus candelæ, vel panis benedicti; si enim panis, vel candela benedicta convenienti populo statis diebus tribuenda fuit, decuit, ut patronus aut specialem candelam, aut specialem, et quidem præcipuam, panis illius portionem acciperet. Honor sedis non adeo antiquus est, sed habetur ad-

huc veluti juris processionis consectarium. Cum enim vetustissima ætate nemini liceret in ecclesia sedere, frustra honorem sedis concessum fuisse patrono diceremus. Tum primum id patrono concedi cœpit, ubi sedes singulari jure data est viris illustribus, et de ecclesia optime meritis; inter quos cum fundator, et fundatoris successor recenseretur, et ipse jus illud obtinuit; neque enim honestum videbatur sedere quemquam in ecclesia, nisi et sedere posset dux populi totius convenientis qualis erat patronus. Successione temporum cum sine discrimine unicuique licuit in ecclesia sedere, jus patronorum in eo consistere cœpit, ut patroni digniorem locum sedendi caussa eligerent inter laicos, et nobiliorem etium præ ceteris sedem collocarent. Quando vero in ecclesiis nonnisi exemplo sedis viventibus concessæ, excavari ceperunt sepulchra, quasi sedes defunctorum, quemadmodum alibi suo in loco adnotavi; etiam patronis concessum fuit jus sepulturæ in digniore loco eligendæ, ubi patronus defunctus tumularetur. Id tamen ita intelligas velim tum demum cum patronus sepulturam expresse sibi, suisque in patronatu successoribus designaverit; secus enim idem erit in ecclesia parochiali juxta generales juris ecclesiastici regulas sepeliendus. Observandum est in hac re, non singula onorifica, quæ hucusque recensui, jura patronis omnibus generaliter, et expressa lege fuisse concessa. Multa ex iis ideo competunt, quia in tabulis fondationum specialiter reservata fuerunt; multa invexit longa et probata locorum consuetudo: et quando omnia, uti notabam, vel continentur in generali jure processionis sacris canonibus comprobato, vel ex hoc processionis jure tanquam consectaria educta sunt, semper intererit observare, quid in primis fundationum tabulæ postulent, quid postulet consuetudo; ac denique qualis honor ex interpretatione prudentis juxta mores locorum debeatur illi, qui veluti princeps congredientis populi in ecclesia constituitur, ut ille honor tribuatur, qui pactioni initæ in limine fundationis, qui receptis moribus, qui patroni ejusdem singulari prærogativæ conveniat. Nonnulli aliquando monasterium fundatores, aut patroni facultatem sibi vindicaverunt ingrediendi monasteria patronata, sive vivorum, sive virginum. Hodie tamen obtinet, ut regulariter secluso singulari privilegio ea facultate destituantur, et generali clausuræ lege teneantur, quemadmodum deducitur ex constitutione Gregorii IX. *Quia refrigescente* 39 in bullario romano anni 1234, die 13 Januarii.

CAPUT VIII.

De modis quibus juspatronatus amittitur.

Quamquam suapte natura juspatronatus perpetuum sit, sicuti sunt perpetuæ servitutes omnes, nihil tamen prohibet, quominus certæ esse possint caussæ, ex quibus illud amittatur. Ex tribus summis capitibus eæ pendent; primum ex voluntate fundatoris, deinde ex facto patroni denique ex natura rei, in qua patronatus consistit. Amittitur ex volontate fundatoris, quoties fundator ab iis, qui in patronatu succedunt, peragendum quidquam voluerit, adjecta pœna caduci, et successor in patronatu fundatoris voluntatem minime impleverit. Quid enim proponi potest, cur fundatoris voluntas eo in casu patronatum avvocantis non impleatur? Tantum dubitari potest, an exinde ecclesia libertatem adquirat, an potius in ulteriores successores juspatronatus transferatur. Distinguendum puto inter hereditarium, et non hereditarium patronatum, qualis esset, aut familiaris, aut gentilitius, aut ecclesiasticus. Si hereditarius sit, non dubito, quin ecclesia libertatem nanciscatur, etenim cum heredes ea tantum adquirere jura possint, quæ penes defunctum fuerunt tempore mortis, frustra dicerentur illud jus adquisivisse, quo defunctus destitui cœpit. Atque ex hac ipsa ratione si de jurepatronatus reali quæstio sit, etiam qui sint singulares in re successores, ex facto alienantis adquirere non possunt patronatum, a quo jampridem cecidit alienans. Aliud dicendum est, ubi juspatronatus familiare sit, vel gentilitium; siquidem in eo succedunt ulteriores vocati de familia vel gente dummodo et isti voluntati fundatoris satisfaciant, cum isti, nec quidquam admiserint, quod imputari eisdem valeat, nec caussam habuerint ab eo, qui voluntati fundatoris non paruit, argumento l. 69, § 3, l. 77, § 27, ff. de legat. 2, juncta l. 3, ff. de interd. et relegat. Atque ad ipsum recipiendum puto in jurepatronatus ecclesiastico, in quo licet possessor officii, vel dignitatis, cui patronatus cohæret, interea careat jurepatronatus; cum tamen alius in officio, vel dignitate successerit, tum iste quasi novo jure præditus patronatum vindicabit. Neque dicas, similem esse patronum ecclesiasticum illi patrono, qui gaudeat patronatu reali, puta villæ, vel fundo cohærente; siquidem nonnihil discrimini ego reperio. In primis patronus ecclesiasticus magis exercitionem patronatus, quam titulum habet cum titulus sit potius penes dignitatem, aut officium, quam penes personam; at contra viget in possessore prædii, cui patronatus cohæret, qui sicut dominium prædii, ita titulum cohærentis patronatus habet. Deinde successor in prædio nihil

juris realis adquirit, nisi quod a decessore ipso transferatur, cum universum jus sibi competens ab eodem decessore consequatur; contra quam vigeat in successore in dignitate vel officio ecclesiastico, qui caussam habet ab ecclesia, non abeo, qui beneficium antea possederat. Ex hac observatione deducitur, non fieri omnino caducum patronatum, nec adquiri ab ecclesia libertatem; quoties agatur de jure patronatus reali in ea re constituto in qua quis non plenum rei dominium habeat, sed tantum utilem possessionem, qualis est vassallus in feudo, emphytheuta in re emphitheusi supposita, fructuarius, aut similes; ac propterea iis negligentibus implere conditiones patronatui adjectas a fundatore sub pœna caduci, carebunt quidem ipsi exercitione patronatus; ii tamen, qui directum dominium in re habent, adhuc titulum retinebunt; nisi et ipsi de negligentia redarguantur; ne alias ex negligentia utilis dominii quidquam iis depereat, qui dominium directum habent. Nunc fingamus, fundatorem certos adposuisse modos a patrono implendos, nulla tamen adjecta pœna caduci. Hac in specie non pato, patronum non implentem a patronatu cadere. Siquidem speciales modi a fundatore præstituti iis modis æquiparantur, qui ex legibus generalibus servandi a patronis imminent. At quæcumque obligatio, cui ex lege patronus subjacet, talis non est, ut observari debeat sub pœna caduci, quando scimus, leges ipsas tantum in singularibus casibus caduci pœnam indixisse. Paratæ quidem erunt iis, quorum interest, actiones ad obligandum patronum, ut voluntati fundatoris satisfaciat, non tamen statim ad pœnam caduci deveniendum est, quæ utpote gravis non tacite in esse creditur, nec adeo facile præsumitur. Equidem fateor, destitui nos in hac parte expressa juri sanctione: at ex hoc ipso ad generales juris regulas respiciendum est, ex quibus hæc controversia dirimatur. Porro, quidquid olim vigeret, prostat jamdiu lex Gordiani in l. 2 cod. de his, quæ sub modo, ex qua statutum fuit, ut adjecti quicumque modi non conditionem faciant, qua non impleta ab adquisitione cessetur, sed potius obligationem inducant, nulla juris adquisitione suspensa, eove minus amisso jure semel legitime quæsito, perspicuum est inde argumentum ad demonstrandum, patronum cogi quidem modis omnibus posse, ut onus a fundatore impositum impleat, et quidem adhibitis juris remediis, non ut jurepatronatus privetur, quoties non impleverit.

Amittitur juspatronatus ex facto patroni, non quidem quoties patronus delinquat, sed quoties ita delinquat, ut delicto imposita lege sit pœna amissionis patronatus. Id contingit in primis cum patronus rectorem, aliumve clericum ecclesiæ patronatæ occidat, aut mutilet, quemadmodum expresse definitum legimus in cap. 12 de pœnis. Nonnulli censuerunt, non id fuisse primum inductum a lateranensi concilio in dicto cap. 12, sed potius renovatum fuisse in hac parte, quod jampridem constituerat Gelasius papa in can. 25, caus. 25, qu. 2. Verum longe distat Gelasii providentia in dicto can. 25 a providentia concilii lateranensis in dicto cap. 12. Apud Gelasium consulebatur cuidam ecclesiæ cathedrali, cujus episcopos jam duos popolus occiderat. Hanc ipsam cathedralem ecclesiam non episcopali dignitate perpetuo voluit destitutam Gelasius, sed tantum intra certa tempora finitimo episcopo commendaverat, quemadmodum ego adnotavi in meis lucubrationibus in Gratianum. Cum hæc ita se habeant, nihil profecto commune habent cum sanctione concilii lateranensis lata in delinquentes patronos. Vulgaris est traditio, hanc pœnam ipso jure locum habere, ob verba illa canonis *prorsus amittent*. Certum quoque est, eandem pœnam heredibus obesse ob expressa ejusdem canonis verba; quamobrem si de patronatu hereditario sermo sit, ecclesia statim libertatem nonciscetur. Potiore ratione, ubi juspatronatus laicale sit, et cohærens villæ, vel fundo, propterea que reale, nullum jus vindicare poterit successor in villa, vel fundo; semel enim patronatus amissus transferri non potest. At si de patrono agatur, qui non tam suo nomine juspatronatus exerceret, quam alieno, qualis esset vassallus, qui etiam nomine domini directi, usufructuarius, qui etiam nomine proprietarii, clericus, qui in patronatu ecclesiastico nomine suæ dignitatis, vel beneficii patronatum exerceat, ego puto, tantum delinquentem jurepatronatus exui, quin ceteris fraus fiat. Sic in vassallo, quousque ipse, et ejus heredes feudum tenent; aut in usufructuario, quousque ususfructus perseverat, omne jus perit, resque ita habetur, ac si ecclesia libera esset, at post feudum devolutum ad dominum, post finitum usumfructum, iterum juspatronatus emergit gratia possessorum, utpote qui delinquenti penitus extranei sunt. In patronatu autem ecclesiastico adhuc luculentior res est; siquidem patronus ecclesiasticus ita delinquens cum beneficium amittit, una cum beneficio juspatronatus quoque amittere debet, ita ut patronatus beneficium sequatur, et una cum beneficio transeat in successorem; neque enim æquum videretur, ex crimine beneficiarii jura dignitatum, et beneficiorum extingui. In patronatu gentilitio, vel familiari non puto, ecclesiam quocumque in casu liberam fieri, sed tum demum, cum ecclesia illud juspatronatus vindicaret a descendentibus, vel ab heredibus, propterea quod de solis heredibus, et descendentibus concepta est concilii lateranensis constitutio in dicto cap. 12. Concludunt patres lateranen-

ses, amitti juspatronatus, *nisi fuerit misericorditer dispensatum.* Hæc verba occasionem præbuerunt interpretibus disputandi, an sufficeret dispensatio ordinarii, an a sola apostolica sede esset expectanda. Qui tradunt, sufficere dispensationem ordinarii, innituntur solido generali principio, quod suadet, liberam semper esse potestatem ordinariorum, quousque non constet de expressa reservatione. Qui contra sentiunt, ajunt, consultius esse, id sedi apostolicæ reservari; propterea quod cautius patroni sese gererent in hac re, dum sublatam agnoscerent ordinariis dispensandi facultatem. Hæc ratio, meo judicio, nihil aliud probat, quam æquam futuram reservationem, si fieret, non vero probat, de reservatione facta constare. Secundo amittitur juspatronatus, cum patronus tale crimen admittit, quo omnibus bonis ex juris sanctione privatur, cujusmodi est crimen læsæ majestatis, sive divinæ, uti loquuntur, sive humanæ, cap. 19 de hæret. in 6. Id verum ita est in patronatu hereditario, vel reali cohærente fundo, ut ecclesia inde libera maneat. At si juspatronatus familiare sit, vel gentilitium, si item sit ecclesiasticum, amissum jus patronatus a reo commeabit in ceteros vel de familia, vel de gente, vel in beneficio successores. Atque idipsum dicendum est, ubi jus patronatus reale competat vassallo, fructuario, et aliis, qui utilem patronatus exercitatione habeant, non titulum; nam patronatus ab iis amissus transibit ad eos, qui rei dominium habent, quasi possessor reus obierit, et devolutioni locum fecerit. Tertio similis pœna amissionis jurispatronatus, ex sententia tamen judicis, locum olim habebat adversus clericos, qui advocatis ecclesiarum ideo adquirebant industri arte, ut postmodum filios, vel nepotes suos ad easdem ecclesias præsentarent, cap. 6 de jurepatron. Sed cum advocatiarum jura hodie nulla supersint, et qui olim erant plures adquirendi patronatus modi, intra certos limites ex concilii tridentini decretis coerciti sunt, rescriptum illud Alexandri III non videtur amplius nostris temporibus facile accommodari posse. Quarto amittitur patronatus ab eo, qui illum venditionis, vel alio quocumque titulo in alios contra canonicas sanctiones transferre præsumserit, concilio tridentino sess. 25 de ref. cap. 9 vers. *Nec dictum;* quod decretum pariter intelligendum est de patronatu hereditario, vel etiam reali cohærente fundo; ita ut in hac specie fiat ecclesia libera; at in patronatu ecclesiastico, item in patronatu exercito ab eo, qui plenum jus non habet, veluti a vassallo et fructuario, item in patronatu familiari, venditor quidem juspatronatus amittet jure tamen in alios transferendo juxta singolarem patronatus qualitatem, qui jus successionis vindicare sibi possunt. Denique amittitur juspatronatus cum patronus res ecclesiasticas in proprios usus convertit, vel usurpat, vel impedit, ne illæ ab iis, ad quos jure pertinet, percipiantur. Ne hæc fierent a patronis, jamdiu cautum fuerat aput veteres, imo et ab Innocentio III constitutum, ut patroni modum excedentes *per severitatem canonicam districtissime compescerentur,* cap. 12 de pœnis, nondum tamen lege expressum fuerat, ut jurepatronatus privarentur. Primum id constitutum legimus in concilio tridentino sess. 22 de ref. cap. 11. An inde ecclesia libertatem nanciscatur, non constat, ac propterea generales regulas sæpe in præcedentibus commemoratas sequi oportet, ac præ ceteris distinguere juspatronatus laicale hereditarium, vel reale, quod quis pleno jure possideat, abs jurepatronatus vel ecclesiastico, vel laicali familiari, aut gentilitio, vel reali pleno jure non competente, ita ut in prioribus speciebus libera fiat ecclesia, non in posterioribus, in quibus ad alios juspatronatus juxta ipsius qualitatem devolvitur. Singulare est in hac parte, quod sano judicio passim interpretes tradunt; nimirum tridentinos patres in hac re non tam patronorum factum, quam pervicaciam damnare voluisse; cum enim generaliter tradiderint; occupatores bonorum ecclesiasticorum tamdiu anathemati subjacere, quamdiu non restituerint, et si de patronis ageretur, istos etiam ipso jurepatronatus privari, tacite insinuaverunt, tamdiu patronum esse sine spe restitutionis in integrum, quamdiu deliquerit; ceterum facile restitui, cum facti pœnitens ab illicita usurpatione cessaverit, et caverit, ne in posterum modum sibi præstitutum excedat.

Amittitur juspatronatus ex natura rei, in qua consistit, quoties ecclesia diruta est, vel beneficium ita collapsum, ut nullus amplius clericus in eo constitui possit. Equidem in hac specie non tam facultas conceditur, quam imminet obbligatio patrono, ecclesiam, vel beneficium restaurandi, concilio tridentino sess. 21 de ref., cap. 7, quæ restauratio si a patrono fiat, dubium non est, quin patronus jus suum retinere pergat. Multi tamen eveniunt casus, ex quibus restauratio non fit. Quid enim si patronus pauper sit, et non possit restaurare? Quid si episcopus utilem non censeat prudenti arbitrio dirutæ ecclesiæ restaurationem? Sane in his casibus pereunte ecclesia, et juspatronatus perire necesse est, quasi jus rei cohærens, quod nonnisi in re esse potest. Idipsum dixeris, siquis non ecclesiæ patronus sit, sed tantum alicujus cappellæ in ecclesia erectæ, de qua re videre poteris Pittonium de controvers. patron. allegat. 12., et cardinalem de Luca de jurepatron. disc. 84. Forte autem investigandum tunc esset, num ecclesia diruta, eamque ob caussam amisso jurepatronatus, posset patronus non reædificans repetere sacra supellectilia, orna-

mento, iconem, et dotem eidem ecclesiæ olim concessam. Nihil sane in hac specie jure scripto definitum novi; quamobrem ex generalibus juris regulis, ita rem arbitror dirimendam. Vel patronus de reædificanda ecclesia non est sollicitus; ac tum non video, cur ipse repetere possit, quod donavit ecclesiæ, et quidem ita, ut ex negligentia sua referat emolumentum. Nihil ergo prohibebit, quominus relinquatur arbitrio episcopi, quæ superfuerunt ex ecclesia diruta, alteri ecclesia adsignare, vel etiam eidem ecclesiæ reservare, si restituatur aliorum impendiis, concesso etiam jurepatronatus novo restauratori, aut pleno jure, si antiquus patronus de negligentia redarguatur, aut etiam admittendo ad patronatum una cum restauratore antiquum patronum, si antiquus patronus non ex negligentia, sed ex inopia ad restaurationem non deveniat. Vel patronus paratum sese exhibet ad ecclesiam reædificandam, sed ab episcopo prohibetur; ac tum distinguendum rursus arbitror inter patronum, qui nullo constituto ecclesiastico administro quandam ecclesiæ, vel cappellæ curam semper gesserit, rebus ecclesiæ, vel cappellæ pro opportunitate consuluerit, atque ideo claves ecclesiæ, vel cappellæ custodierit; et patronum, qui post constitutam dotem ad ministrum ecclesiasticum designaverit, nulla sibi retenta administratione. Nimirum patronus, qui res ecclesiæ, vel cappellæ semper administravit, retentis præsertim ecclesiæ, vel cappellæ clavibus, non videtur collatorum supellectilium adeo dominium abdicavisse, ut sine facto proprio eo jure sit spoliandus, quoniam clavium detentio quandam adhuc dominii speciem designat, argumento l. 74, ff. de contrah. emtione; proindeque res illas, quæ consecratæ sunt, vel benedictæ sacerdotali prece, non poterit quidem in profanos usus convertere; poterit tamen alteri ecclesiæ, et cuicumque voluerit, donare argumento canonis 38 et sequentium dist. 1 de consecrat., et cap. 51 de reg. jur. in 6. At res nec consecratas, nec benedictas, utpote quas non prorsus abdicavisse patronus præsumitur, sibi vindicabit. Quod si patronus administrum ecclesiasticum designaverit, cum tunc ipse videatur penitus res a se donatus abjecisse, nihil vindicare ex rebus ecclesiæ concessis poterit, sed illæ res ad aliam ecclesiam transferendæ erunt per administrum ipsum ecclesiasticum, una cum omnibus oneribus in limine fundationis administro impositis, retento, quoad fieri possit, jurepatronatus in beneficio translato, et in juribus universis beneficio cohærentibus.

Aliquando contingit, ut non quidem amittatur juspatronatus, sed tantum patronus semel jure præsentandi privetur, ex. gr. si intra semestre, vel quadrimestre tempus non præsentaverint, juxta ea, quæ superius adnotabam ex cap. 3 de jurepatron., item si præsentaverit apostatam, uti vulgo tradunt pragmatici ex constitutione Paulli IV, quæ incipit *Postquam divina bonitas*. His addi potest casus, quo beneficium cum beneficio permutetur; nam quandoque a prælato permutatio admitti potest etiam irrequisito patrono, nimirum iis in casibus, in quibus non interest clericorum permutantium, sed interest ecclesiæ ex singulari necessaria caussa, juxta ea, quæ docet Faber in codice lib. 6, tit. 1, def. 2. Addi præterea potest, quod tradi vulgo solet de derogatione jurispatronatus, præsertim quæ fiat auctoritate pontificis maximi. Sane distinguere oportet derogationem illam, quæ dicitur *medietatis vocum*, sive suffragiorum, a ceteris derogationibus. Derogationem *medietatis vocum*, sive suffragiorum, fieri ajunt, cum patroni plures sunt, et suffragiis æque divisis plures nominaverunt, ac præsentaverunt. Dixi *cum patroni plures*, ut indicarem, tum demum derogationi huic fieri locum, cum revera plures patroni existunt, etenim si agatur de patronatu competente alicui universitati; et singuli de universitate suffragia laturi in æquales partes sese dividerent, non fieret locus huic derogationi, cum nulla esset tunc nominatio facta ex parte universitatis, et potius relinquendus esset post legitimum tempus devolutioni locus, ut ordinarius libere conferat, quasi nulla præsentatio facta sit ab universitate, nisi forte universitas ipsa duos æqualibus suffragiis nominatos æque præsentaret, qua in specie ita res sese haberet, ac si unus singularis patronus duos præsentes coram episcopo sisteret. Dixi præterea *suffragiis æque divisis*, ut indicarem, locum non fieri ejus generis derogationi, ubi duo de jurepatronatus contenderent, duosque singuli præsentarent; non enim isti suffragia divisisse dicuntur, sed potius unusquisque suum suffragium veluti plenum et liberum adserere. Itaque hæc derogatio medietatis vocum modo ab episcopo fieri potest jure ordinario, argumento cap. 3 et 24 de jurepatron., modo fit extra ordinem a pontifice maximo, cum unus ex patronis, vel unus ex præsentatis a summo pontifice institutionem præ concurrente impetrat. In concursu autem et pontificiæ, et episcopalis præelectionis, eædem regulæ servantur, quæ obtinent in beneficiis liberæ collationis, ubi beneficium idem et a pontifice maximo, et ab ordinario confertur, quemadmodum inferius adnotandum erit. Ceterum hæc derogationis species proprie derogatio non est, cum juspatronatus minime imminuat, et potius dici posset gratificatio. Quid enim derogatum dici patronatui potest, quando hæc præelectio

ex natura ipsa patronatus descendit? Est juspatronatus individuum, etiam cum pluribus competit: ubi plures diversa suffragia ferunt, qualitas individui beneficii postulat, ut uni tantum beneficium conferatur: cum utrique beneficium conferri nequeat, habentur duo præsentati, ac si simul ab uno, eodemque patrono præsentati fuissent. Hanc ob rem fit locus prudentiæ definitæ in dicto cap. 3 et 24 de jurepatron. Res eodem fere modo se habet, ac si unus vassallus æque duobus dominis obstrictus uni potius, quam alteri occurreret, dum ab utroque uno, eodemque tempore vocaretur; vel unus ex libertis duobus patronis operam debens uni potius, quam alteri operam præstaret, argumento l. 3, § 4, ff. et senat. cons. silan., quin hisce in casibus aut vassallus alterutrius ex dominis, aut libertus alterutrius ex patronis juribus detrahat. His adjicio, per actum gratificationis juspatronatus gratia omnium patronorum magis magisque confirmari; etenim qui gratificatur, eo ipso, quo unum præsentatum præ altero instituere vult ex gratia, jam utrumque rite, atque a legitimo patrono præsentatum agnoscit. Denique observo, eum, qui præelectus est, decere, ut ab altero compatrono, a quo præsentatus non fuit, consensum petat, et veniam, ut hac ratione, quoad fieri possit, alterius etiam compatroni ratio habeatur; quamquam non sit necessarium, ut alter compatronus consentiat. Nequem novum est in jure, certa honoris signa alicui exhiberi, utut nihil inde juris proficiscatur; quemadmodum contingit in ea specie, qua quis citetur ab judice non competente, coram quo comparere tenetur, licet ejus jurisdictionem eo ipso evitare contendat, l. 5, ff. de judiciis. Sunt tamen, qui adhuc gratificationem a derogatione medietatis vocum distinguunt in eo, quod gratificatis a meritis præsentatorum pendeat, ita ut qui gratificari velit, debeat digniorem inter præsentatos minus digno præferre; contra in derogatione possit etiam minus dignus digniori præferri; unde ajunt, gratificationem æque fieri ab episcopo, et a pontifice maximo posse, at derogationem uni pontifici maximo reservari. Hæc observatio mihi videtur gravem injuriam in pontifices maximos inferre, quasi supponatur, pontificis ejusdem auctoritatem in eo consistere, ut possit minus dignos in concurso digniorum ad sacra ministeria eligere; quod deinde minus conveniens ordinariis asserunt; quasi magis ordinariorum, quam pontificis maximi cordi esse debeat, utilitatem ecclesiæ curare; atque hanc ob rem piaculum putarem huic opinioni subscribere. Imo etsi id admitteretur, non video, quomodo hæc appellari posset derogatio jurispatronatus. Potius esset derogatio juris generalis, præstituentis digniores minus dignis esse in conferendis muneribus ecclesiasticis antehabendos.

De aliis derogationibus, quæ proprie derogationes jurispatronatus dici possent, generaliter dicam, difficilem esse, atque improbabilem earundem usum, cujuscumque tandem auctoritate factæ proponantur, nisi urgens, et necessaria subsit caussa quæ suaderet, certa in patrono coerceri delicta debere, quemadmodum liquet in conspectu legum superius commemoratarum, quæ patronos graviter delinquentes jurepatronatus privarunt. Revera aput Romanos veteres scribebat Marcianus in l. 2 in fine, ff. de natal. restituend., imperatores non facile solere quemquam natalibus restituere, nisi consentiente patrono; quod ipsum tradidit et Paullus et Modestinus in l. 4 et 5, ff. eod., et in simili propemodum specie jam tradiderat Marcianus idem in l. 3, ff. de jure annul. aur. Fateor quidem, juspatronatus inter privilegia recenseri; sed adhuc observandum est, illud esse privilegium, ut aiunt, onerosum; quod exerit vires pacti, nec facile semel datam pactorum fidem esse fallendam. Agitur de eo, qui erexit ecclesiam, vel beneficium data fide adquirendi jurispatronatus; nec sine fraude posset jus semel legitime quæsitum ab eo divelli sine caussa, quæsitum, inquam, ob factum proprium et liberalitatem singularem, ad quam alias minime devenisset. Neque quisquam dicat, forte derogari in parte posse, quamquam in totum nequeat derogari; siquidem eadem ratio est in utraque specie, cum singula jura patronatum sequentia ex pacto descendant, et ex non gratuito privilegio, tantum discrimen est inter unam et alteram speciem, quale agnosceretur inter eum, qui gravius, et inter eum, qui levius ingessisset detrimentum. Adhuc tamen notant in hanc rem pragmatici, distinguendum esse laicum ab ecclesiastico patronatu. Siquidem cum pontifex maximus supremam habeat in ecclesiis omnibus administrationem, facilius recipitur, ut extra ordinem ipse ea administret jura, quæ patronis ecclesiasticis in vim dignitatis et beneficii competunt, eadem ratione, qua identidem confert beneficia quædam ordinario jure ad collationem inferiorum Antistitum pertinentia, argumento cap. 6 de offi. legati. Describam in hanc rem, quod lego apud Fabrum in codice lib. 6, tit. 4, def. 6, sibi: *Etsi in beneficiis omnibus conferendis plenissimam summus pontifex habeat potestatem, non facile tamen* (notanda sunt verba illa *non facile* ad modestiam composita, exemplo Marcelli in dicta l. 3, ff. de natal. restituend.) *confert beneficia patronata spretis patronis, sive laici ii sint, sive clerici; sed si laici multo parcius, ne alioqui eveniat, ut laici a fundandis, dotandisque ecclesiis revocentur. Inde fit, ut constitutio pontificia de reservatione mensium, licet generalissimis ver-*

bis concepta, non comprehendat beneficia, quæ sunt de jurepatronatus laicorum, sive ex fundatione, sive ex dotatione. Cui consequens est, ut nec liget manus ordinarii, quominus possit ille de beneficio ad patroni laici præsentationem quocumque mense providere. Non idem est, si de jurepatronatus clericorum agatur; facilius enim summi pontificis constitutiones clericos afficiunt, quam laicos. Quæ res facit, ut, quoniam juripatronatus clericorum pro arbitrio derogare in totum potest, derogasse quoque videatur, etiamsi non expresserit. Juri autem patronatus laicorum non item, quia nec expressim solet unquam ei derogare in totum, nisi cum litigiosum existit, ne interim beneficium diutius jaceat. Plane ad dimidiam usque partem derogare et potest, et solet, sed expressis in eam rem verbis opus est. Hanc definitionem sabaudi senatus consideranti, quædam statim occurrent innixa generalibus principiis, quædam receptis ecclesiarum usibus accommodata, quædam etiam ex vulgaribus pragmaticorum traditionibus derivata, uti etiam liquet ex scriptorum numero ad calcem definitionis laudatorum; in omnibus autem adparebit, certam servatam esse scribendi prudentiam ac sobrietatem.

DISSERTATIO QUINTA

DE BENEFICIORUM COLLATIONIBUS.

Huc referendi sunt tituli 7 et 8, libri 3.

Beneficium legitime erectum viris idoneis concedendum est perpetua successione, ita ut priore defuncto, aut quoquo modo cedente, alius substituatur. Substitutionem hanc appellamus beneficii collationem, in qua expendenda multa sunt observatione dignissima. In primis enim investigare oportet, ad quos collatio ipsa pertineat, atque id paucis comprehendi non potest ob varios collatorum ordines et gradus; cum modo collatores agnoscamus episcopos, unumquemque nimirum in diœcesi sua, can. 10, cau. 16, qu. 7, modo prælatos episcopis superiores, cap. 6 de concess. præb., cap. 1 de offic., leg. in 6, potissimum autem supremum ecclesiæ antistitem pontificem maximum, cap. 2 de præb., in 6 modo collegia canonicorum, cap. 2 et 4 de conces. præb., modo prælatos quosdam episcopis inferiores, quales indicari possunt abbates, decani, archidiaconi, aliique similes, cap. ult. de institut., cap. ult. de præbend. in 6. Quid plura? Non defuerunt, qui laicos ipsos aliquando, raro tamen, et nonnisi ex singulari privilegio, quorundam beneficiorum collatores esse adnotaverunt, Rebuffus lib. 1 praxis benefic., cap. 15, numero 9. Deinde expendendæ necessario sunt variæ collationum formæ, quatenus vel omnino liberæ adparent, vel supponunt electionem, præsentationemve ab aliis factam; unde necessariæ dicuntur, alias etiam dicuntur institutiones, vel confirmationes, modo simultaneæ, cum plures ad collationem concurrunt, modo tituli collativæ, quando jus beneficii conceditur, licet nondum data possessione, modo etiam auctorizabiles, ita dictæ, quod collato beneficia collata etiam intelligatur animarum cura, vel jurisdictio, modo corporales institutiones, cum beneficiarius in possessionem beneficii inducitur, modo optiones vocantur in ea specie, qua licet beneficiario aliud beneficium simile vacans eligere, dimisso priore, et illud propria auctoritate occupare. Postremo inquirendum etiam est, quænam sint a collatoribus beneficiorum in ipso collationis actu observanda. En jam distributam amplissimam materiæ segetem in tres partes, in quarum prima agatur de collatoribus, in altera de collationum formis, in postrema de iis, quæ a collatoribus in ipso collationis actu serventur.

PARS I.

DE BENEFICIORUM COLLATORIBUS.

CAPUT I.

De jure ordinariorum in beneficiis conferendis.

Primam habendam esse ordinariorum rationem in beneficiis conferendis non dubito, ita ut ad ipsos semper pertinere collatio præsumatur, nec adversus eosdem quisquam admittatur, nisi jus quoddam singulare alleget, ut plurimum etiam demonstret. Ordinarios voco illos, qui sive episcopi sint, sive abbates, sive cujuscumque nominis prælati, jurisdictionem in certa diœcesi, seu finibus ecclesiasticis explicant. Habent isti, uti nostri loquuntur, intentionem fundatam in jure communi: ubi enim universam ecclesiasticam jurisdictionem vi suæ dignitatis exercent, necessario illud inferetur absurdum, collationem beneficiorum non esse speciem ecclesiasticæ jurisdictionis, nisi illi jure ordinario beneficia diœceseos, seu administrationis suæ conferrent. De episcopis primum certa res esse videtur in conspectu sacrorum canonum, præsertim eorum, ex quibus origo hujus disciplinæ repetitur, quique propterea futuris sæculorum sequentium rebus formam dederunt. Revera olim quousque invecta non fuerunt patrimonia clericalia, et quousque non alius erat ordinationis titulus, quam titulus beneficii ecclesiastici, idem erat conferre beneficium, ac clericum ordinare, eamque ob rem ad eum spectabat beneficii collatio, ad quem spectabat ordinatio: quod cum ita sit, eodem jure episcopi beneficio conferebant, quo clericos ordinabant. Atque, ut paucis singula complectat, in ordinatione clericorum tria distinguebantur. Prima erat manus impositio, seu ipsa ordinatio. Altera erat commendatio officiorum, ministeriorumque sacrorum ab ordinato clerico peragendorum in certa ecclesia. Tertia erat admissio ordinati sacra ministeria gerentis ad communionem emolumentorum ad vitæ sustentationem. Quodcumque ex his tribus consideretur, singula sane in episcoporum erant potestate. Episcopale munus agnoscitur in impositione manuum, ex qua sacra ordinatio pendet, adeo ut nec hodie in hac parte aliqua disciplinæ immutatio adpareat. Episcopale munus agnoscebatur in commendatione officiorum sacrorum, necnon in admissione ordinatorum ad participationem ecclesiastici peculii, sive ex eo, quod partitio officiorum pendebat omnino ex episcopali arbitrio, sive ex eo quod totum ecclesiasticum peculium in fidem, potestatemque episcopi redigebatur, certis modis inter administros tribuendum. Abstineo a recensendis numero plurimis canonum monumentis in re perspectissima; tantum laudo canonem 3 et sequentes, cau. 10, qu. 1, canonem 11, cau. 16, qu. 3, canonem 16, cau. 16, qu. 7, et canones 23 et 24, cau. 12, qu. 1. Veteris illius disciplinæ vestigium adhuc hodie superest in ordinatione episcoporum, in qua ipsa ordinatio a beneficii episcopalis collatione non distinguitur. Quemadmodum autem is, qui jure suo episcopum ordinat, etiam jure suo ministeria episcopalia in certa diœcesi peragenda ordinato commendat; necnon jure suo ordinato potestatem, dat episcopo percipiendi debitos redditus, atque obventiones universas; ita olim qui clericum jure suo ordinabat, ordinatum clericum jure etiam suo addicebat ecclesiæ ministeriis, et jura percipiendi certas obventiones concedebat. At enim ex quo recentioribus sæculis collatio beneficiorum fuit ab ordinum collatione sejuncta, nihil in hac parte derogatum proponi potest auctoritati episcoporum qui, dum beneficiorum collationem ab ordinatione sejungerent, animum quidem habuerunt magis magisque prospiciendi commodis ecclesiarum, augentes clericorum numerum, etiam ultra quam redditus ecclesiarum ferrent; nusquam tamen veterem episcopatui ingenitam, et pluribus sæculis firmatam jurisdictionem abdicandi. Hinc deinde facile deduces, eandem esse ceterorum prælatorum, qui episcopi non sunt, sed diœcesim habent instar episcoporum, potestatem; uti enim isti vice episcoporum in certa diœcesi, in qua nullus constitutus episcopus est, sunt constituti, ac una demta episcopalis ordinis potestate, episcopis æquiparantur, ita non video, cur ipsis sit beneficiorum collatio deneganda, hodie præsertim, cum eadem beneficiorum collatio est ab ordinum collatione sejuncta. Habent ipsi regimen, et curam omnigenam ecclesiarum, ipsi ministeria tribuunt inter clericos ordinatos, ipsi generalem habent ecclesiastici peculii curam, olim etiam exemplo episcoporum administrationem gerebant. Tantum non ordinant clericos, propterea quod non sunt episcopali charactere insigniti; ordinaturi tamen jure suo, si etiam ex accidenti, episcopali ordine pollerent; imo et cum clerici diœcesani ordinandi sunt, ex eorundem prælatorum mandato ab episcopis finitimis ordinan-

tur. Quid ergo amplius requiritur, ut recte concludatur, ad illos ordinario jure spectare beneficiorum collationem?

Utinam ad hæc principia perpetuo interpretes omnes, ac pragmatici respexissent, tunc enim in re exploratissima omnem disputandi, ac contendendi occasionem evitavissent. At quidam partim ex eo, quod inciderint in quædam recentiorum temporum præjudicia vetustati prorsus ignota, partim ex eo, quod non satis intellexerint dubias quasdam decretalium, seu rescriptorum pontificiorum formulas, distracti sunt in varias partes; et noscuntur alii ordinariam beneficiorum collationem uni pontifici maximo asseruisse, quasi siquid juris in hac parte sibi episcopi vindicent, id totum obtinuerint ex sedis apostolicæ delegatione, alii noscuntur magni fecisse auctoritatem archidiaconorum, quasi archidiaconorum dignitas jure ordinario sibi propriam fecerit, et singularem beneficiorum collationem. Quod in primis spectat supremam pontificis maximi auctoritatem, ultro et ipse fateor, episcopos, sicut in ceteris jurisdictionis speciebus, ita et in collatione beneficiorum subesse romano antistiti; at hæc subjectio ordinariam episcoporum potestatem minime excludit, cum non repugnet, ordinarium majori potestati subesse. Non est hic locus disputandi de qualitate jurisdictionis, quæ episcopis competat, an ista ordinaria sit, an delegata. Jam de hac re alibi actum est, probatumque, esse episcopos apostolorum successores, et ex divino jure diœcesanam administrationem habere, quamquam non summam, non supremam, sed majori potestati apprime obnoxiam. Quid ergo est, quod in hac parte singulare agnoscatur, dicaturque, collationem beneficiorum totam, quantacumque est, in supremum ecclesiæ principem fuisse collatam. Num ex eo, quod in can. 1, dist. 22 dicitur, dignitates omnes ab ecclesia romana institutas fuisse, actum putant de jurisdictione episcopali? At verba illa, quæ non Nicolai pontificis sunt, sed Petri Damiani, quemadmodum aliis in locis observabam, non pertinent ad collationes beneficiorum, sed potius ad fidei, morumque doctrinam, in qua dicitur, ecclesias omnes habere veluti magistram, atque institutricem romanam ecclesiam. Num ex eo, quod *plenaria dispositio beneficiorum* in cap. 2 de præb. in 6 dicatur ad romanum pontificem pertinere, concludunt, episcopos ab ordinaria collatione excludi oportere? Qui ita Clementem IV interpretantur, supremam, seu quod idem est, plenariam dispositionem cum ordinaria confundunt; quando Clemens IV non alias ea formula usus est, quam ut indicaret, in vim supremæ potestatis pontificem maximum quandoque certorum beneficiorum collationem sibi reservare posse, uti facile colligitur ex integro contextu, ex quo deducitur, reservata fuisse pontifici maximo beneficia, quæ in curia romana vacarent. Quorsum enim hæc reservatio, si romano antistiti ordinaria collatio beneficiorum quorumcumque competeret? Video tamen, quo fundamento innitantur, qui ita opinati sunt. Putaverunt ipsi, apud unam romanam ecclesiam esse dominium omne bonorum ecclesiæ universæ, propterea que omnium ecclesiarium peculia ab uno pontifice maximo administrari oportere nomine ecclesiæ romanæ. Optarem, ut mihi indicarent, qui fieri possit, aut qui fieri debeat ut peculii ecclesiarum late constitutarum dominia in unam romanam ecclesiam derivent. Non sane proficiscitur ex voluntate donantium, qui certæ ecclesiæ, vel certo altari, vel certis clericis, a quibus sacra percipiunt, donant eorundem gratia. Quod si ita non esset, frustra apud veteres agitata quæstio fuisset, cui ecclesiæ adsignari debuissent bona ab aliquo ecclesiæ legata, quam quæstionem definitam scimus in leg. 26 cod. de sacros. eccles. Non proficiscitur ex vi potestatis, quam habeat ecclesia romana in ecclesias inferiores; etenim vis potestatis tum demum vindicat dominia gratia illius, qui potestatem habet, cum is, qui in potestate est, nequeat dominium adquirere, quod sane de ecclesiis, et collegiis, inferioribus dici nequit. Non proficiscitur ex vi societatis, et generalis christianæ communionis; siquidem societas ista non caussa peculii inita est, et si forte etiam peculium in societatem veniret, non video cur peculium romanæ ecclesiæ non subjaceret æque potestati inferiorum ecclesiarum, si ex ea caussa peculium inferiorum ecclesiarum subjaceret administrationi ecclesiæ romanæ. Quod vero spectat ad archidiaconos, equidem scio, istos constitutos aliquando fuisse, veluti vicarios episcoporum in administratione temporalium rerum ad ecclesiam pertinentium cap. 1 de offic. archid. atque eam ob caussam mandatum accepisse ab episcopis, ut in possessionem reddituum ecclesiasticorum ordinatos immitterent. Sic archidiaconi decedentibus beneficiariis, prædia beneficiaria vacantia custodiebant, can. 20, dist. 63. Sic facta ab episcopo ordinatione clerici; collatoque beneficio, archidiaconi inducebant in possessionem bonorum, quem actum appellaverunt institutionem corporalem, cap. 7 et 9 de offic. archid. At hæc firmant potius ordinariam episcopi auctoritatem, quando ab archidiaconis hæc omnia episcopi nomine gerebantur, uti liquet in conspectu capituli 18 de sent. et re jud. Ceterum non inficior, inde evenire potuisse, ut archidiaconi quidam sensim sibi hanc potestatem adsererent, quamquam tamen hic titulus singularis habendus sit, quemadmodum uberius in cap. 3 sequente adnotandum erit.

Nihil autem refert, an episcopi (idem di-

eas de ceteris ordinarii) per sese, an per vicarios beneficia conferant; postquam enim ad potestatem jurisdictionis beneficiorum collatio referri cœpit, nihil amplius prohibet, quominus eadem demandetur juxta receptissimas juris ecclesiastici regulas. Non opus pluribus, ubi hæc facultas vicariis expresse adseritur in cap. 3. de institut. Dubitari forte posset, num concessa vicarios generaliter episcopali jurisdictione, competat facultas beneficia conferendi, nisi Bonifacius VIII in cap. 3 de offic. vicar. in 6. quæstionem omnem definivisset, statuens, non sufficere generalem jurisdictionis delegationem, sed requiri præterea speciale mandatum, quo etiam potestas conferendi beneficia commissa exprimatur. Quamobrem verba illa dicti capituli 3 de institut. *qui hoc de jure possunt*, ita recte interpretaberis, non ut innuatur, officiales episcopi, sive vicarios jure suæ delegationis generalis beneficia conferre, sed potius non ab aliis beneficia esse conferenda, quam ab illis vicariis, qui eam ab episcopis facultatem specialem obtinuerunt. Revera cum collatio beneficiorum minime distinguatur a designatione ministrorum ecclesiæ, imo, si originem species, minime distinguatur ab ordinatione clericorum, facile liquet, collationem beneficiorum inter graviores diœcesanas curas recenseri; at vero, quæ graviora sunt non facile intelliguntur generali mandato comprehendi. Atque id est, quod ajebat laudatus Bonifacius VIII. *Cum in generali concessione nequaquam illa veniant, quæ non esset quis verosimiliter in specie concessurus etc.* Quid vero est, quod subjicitur? *Nec regulariter donare valeat, cui bonorum administratio etiam libera est concessa.* Nemo hæc intelligat, quasi inter species donationis enumeretur collatio beneficiorum; est enim collatio grave episcopi onus, dum episcopus pro electo clerico rationem gravissimam est Deo redditurus, quo in genere non liberalitas exercetur, aut exhibetur benevolentia, sed sollicitudo excitatur. Potius ea verba spectant ad explicandam generalem positam regulam, quasi dixisset Bonifacius, in generali concessione non venire ea, quæ verosimiliter non esset in specie aliquis concessurus, uti contingit in exemplo procuratoris generalis, cui donandi facultas denegatur. Regula illa locum habet non solum, ubi de libera, sed etiam ubi de necessaria, seu ea quæ præsentationem, electionemve supponit collatione agatur, siquidem etsi agatur de collatione necessaria, sive de institutione præsentatorum, vel electorum, hæc ipsa adhuc grave onus est, cum adhuc episcopi sit inquirere in qualitatis electi, aut præsentati administri, atque in hac specie etiam locum habeat generalis ratio Bonifacii VIII, in dicto cap. 3 juncto cap. 81 de regul. jur. in 6. Idem dicendum erit, etiamsi episcopus vicarium constituendo facultatem ipsi concesserit generalem administrandi etiam libere omnia ecclesiastica negotia; nam particula *libere* modum quidem significat, quo is, cui concessa sit certa potestas, eandem potestatem exerceat, non potestatem amplificat, nec reddit latiorem, extendendo unum ad aliud genus potestatis; imo et id videtur a Bonifacio VIII definitum in dicto cap. 3, vers. *Nec regolariter*. Neque obstat capitulum 4 in fine de procurat in 6, ubi enim Bonifacius VIII definit, procuratorem certa negotia gerere posse, si *libere* administratio concessa fuisset, indicavit, id facile admitti, ubi specialiter concessum proponatur, et verbum *libere* adjecit, quasi diceret *specialiter*, quemadmodum in ceteris rescripti partibus tradebatur. Quid vero si mandato generali adjiceretur hæc clausula, ut possit vicarius ea etiam omnia peragere, quæ mandatum exigunt speciale? Idem Bonifacius VIII in dicto cap. 4 de procurator., cui jungi posset Clemens V in cap. 2 eod. tit., rescripsit, in hac specie mandati non censeri ea commissa, quæ mandatum speciale requirunt, nisi aliqua ex istis veluti exempla mandatæ amplioris potestatis exprimantur. Adderem ego exceptionem aliam, videlicet nisi episcopus consuevisset specialiter vicarios suos ad conferenda beneficia delegare; tum enim ex his, vel similibus conjecturus non repugnat, ad casus, qui mandatum speciale requirunt, episcopi voluntatem extendi. Non agitur heic de legis, sed de voluntatis interpretatione, qua in re conjecturis locus datur. Neque dicas, clausulam illam non inanem esse debere, et certos effectus debere operari: siquidem repono, novum non esse, clausulas in genere tantum adjectas vix effectum suum sortiri, argumento l. 4, § 4, ff. siquis cautionibus, ne alias quis verbis suis videatur magis dixisse, quam cogitaverit. Clausulæ generales conjecturam quidem præbent enixæ, propensæque voluntatis erga eum, cujus gratia adjiciuntur, non tamen ad ea pertinent, quæ quis non foret in specie concessurus. Quoties vero speciale mandatum episcopi intercesserit, plurimum intererit observare, qua formula mandatum ipsum exprimatur; ex ista enim qualis quantaque potestas vicario competat, perspicue colligetur. Nam si ex. gr. episcopus collationem beneficiorum vicario concesserit, tunc mandatum beneficiorum omnium collationem facile comprehendet, sive liberam, uti vocant, sive necessariam, ex natura vocabuli *collationis*, vel *conferendi*, quod omnibus beneficiis accommodatur. At quoties episcopus vicario concesserit facultatem instituendi præsentatos, vel confirmandi electos, videbitur tantum mandata vicario potestas necessariæ, non liberæ collationis, cum aliud sit instituere, aut confirmare, aliud con-

ferre, et invicem hæc tanquam species a genere differant, argumento capituli 1 de instit. in 6. Potiore igitur jure dixeris, vicarium conferre beneficia non posse, etiamsi specialiter mandatum ipsi fuerit, ut beneficia erigat, vel uniat, vel dividat; multum enim differunt istæ facultates a facultate conferendi; et quamquam forte par, aut major videatur jurisdictio explicari in beneficiis erigendis, uniendis, vel dividendis, quam in conferendis, in illis tamen, quæ mandatum requirunt speciale, non licet ex facultate majore concessa argumentari, concessam quoque esse minorem, quando minor in majore, veluti pars in toto, vel species in genere non continetur.

CAPUT II.

De jure capituli cathedralis ecclesiæ in collationibus beneficiorum.

Huc referri possunt tituli 9 et 10, lib. 3.

Vix satis dignosci potest ordinaria episcoporum in conferendis beneficiis potestas, nisi una observetur, quæ qualisque sit potestas capituli cathedralis ecclesiæ, propterea quod capitulum, veluti unum corpus cum episcopo suo quasi capite constituere dicitur. Quæ jura olim erant communia clericis universis sub episcopo in sacra hierarchia militantibus, illis præsertim, qui in majoribus ordinibus constituti essent, obtinuit hodie, fere omnia singularia fieri canonicorum cathedralis ecclesiæ, uti demonstravi in tractatione de potioribus ecclesiæ dignitatibus et officiis. Atque hæc ratio est, cur investigaturus clericorum infra episcopos consistentium jura in beneficiorum collationibus explicanda, tantum mentionem facio, ac disputationem propono de capitulo cathedralis ecclesiæ. Initio autem juvet id prænotavisse, ut facilius intelligatur, ea omnia, quæ in vetustis canonibus de cleri jure in hac parte statuta sunt, recte nunc ecclesiarum cathedralium capitulis accomodari. Itaque in hoc definiendo capitulorum jure distinguere oportebit duo tempora, nimirum tempus, quo episcopus vivit, ac jurisdictionem in sua ecclesia explicat, et tempus sedis vacantis, sive vacans dicatur ob episcopi mortem, sive vacans dicatur, quod episcopus sit ab officio suo depositus, aut quoquo modo suspensus.

Quum episcopus ecclesiæ præest, suamque jurisdictionem libere exercet, generalis quidem stabiliri regula potest, qua tradatur, non aliam esse capituli potestatem, quem coercitam intra certos fines, videlicet capitulum id juris sibi vindicare, ut consilium, sive consensum præbeat episcopo beneficia conferenti, ipsa tamen collatione veluti propria, et singulari aput episcopum consistente, quæcumque tandem beneficia sint, sive erecta in cathedrali ecclesia, sive extra cathedralem, et in tota diœcesi. Verum res ista varias passa fuit vices, fuit etiam variis contentionibus obnoxia, non sane quod generaliter de regula episcopis favente dubitaretur, sed quod in cathedralibus ecclesiis certa emerserint adjuncta, inter quæ probabilis contendendi caussa exhiberetur, et transactionibus expediret universa componi, quodque etiam magis rem hanc turbat, illud est, non posse generaliter tempora definiri, aut certam legem ubicumque communem designari; propterea quod alicubi citius, alicubi serius immutatio disciplinæ facta fuerit, alicubi vix immutatio disciplinæ agnoscatur, pro modo adjunctorum, quæ immutationi aut præbuerunt occasionem, aut præbere potuerunt. Tria igitur tempora consignare necesse est. Primum tempus primigeniæ, et antiquissimæ disciplinæ, de inde tempus contentionum inter episcopos et capitula; postremo tempus conventionum, ac transactionum. Quænam fuerit primigenia et antiquissima disciplina, jam satis indicatum, probatumque videtur ex iis, quæ in præcedente capite tradebantur. Nimirum exinde liquet, penes episcopos fuisse collationem quorumcumque beneficiorum, sive enim consideretur sacra ordinatio, sive tributio ministeriorum in ecclesiis per ordinatos clericos peragendorum, sive admissio in communionem ecclesiastici peculii; qui actus omnes a collatione beneficiorum minime distinguuntur, iidem actus ab episcopi auctoritate pendebant; tantum penes clericos erat jus, aut consensum, aut consilium episcopo præstandi, quia collegium clericorum veluti senatus ecclesiæ juxta priscorum patrum formulas habebatur; quod non solum verum erat in collatione beneficiorum, sed etiam in ceteris jurisdictionis ecclesiasticæ speciebus, quemadmodum liquet conferrenti capitulum 4 et 5, cum capitulo 3 de his, quæ fiunt a prælatis. Successu temporum factum est, ut episcopi mandare deberent œconomis ecclesiastici peculii curam, et administrationem, quo expeditius et commodius in res vere sacras, atque divinas episcopi incumberent, canon. 21, caus. 16, quæst. 7, in quo œconomorum officio recentioribus sæculis archidiaconi successerunt. Et quamquam œconomi, vel archidiaconi non propriam viderentur, sed ab episcopo mandatam potestatem exercere; cum tamen mandatum illud non personæ œconomi, vel archidiaconi adhæreret, sed potius œconomatus, seu archidiaconatus officio, quod perpetuum erat; œconomi primum, deinde archidiaconi sibi videbantur ordinariam quodammodo potestatem induere, quasi in vim officii, et dignitatis propriæ competentem. En primam contendendi occasionem subortam inter epi-

scopos, et œconomos, sive archidiaconos. Nam si episcopi clericum ordinaturi essent, eundemque adicturi ecclesiæ ministeriis, non omnino ratum esse poterat episcopale judicium, nisi œconomi, vel archidiaconi penitus consentiret; eveniebat enim quandoque, ut œconomi, vel archidiaconi allegarent, facultates ecclesiæ, quas ipsi administrabant, pares non esset tot exhibendis clericis, quot ab episcopis ordinabantur, et ministeriis addicebantur. His accessit novus ordo collationis; siquidem postquam auctoritate episcopi clericus ordinatus esset, et ministeriis addictus, item admissus ad jura communionis ecclesiastici peculii, opus erat ministerio œconomi, vel archidiaconi, ut clericus idem in possessionem peculii mitteretur, quam recentiores apellaverunt institutionem beneficii corporalem. Atque in his adjunctis propemodum tributa videbatur potestas collationis inter episcopos et œconomos, sive archidiaconos, quamquam præcipua conferendi potestas semper penes episcopos esset, et ipsa corporalis, ut ajunt, institutio nonnisi ex mandato episcopi fieri ab œconomo, vel archidiacono intelligeretur. Deventum inde fuit ad communionem vitæ initam inter clericos omnes sub episcopo in ecclesiæ cathedrali, sæculo ecclesiæ quinto; et quamquam eadem non statim ubique recepta fuerit, aut etiam brevi dissociata, nono tamen sæculo, et sequentibus ac præsertim undecimo ac duodecimo fuit restituta. In his adjunctis agnoverunt clerici cathedralium ecclesiarum, se instar cœnobitarum in communi viventium redactos esse, imo et nonnullas cœnobitarum regulas sequendas sibi præstituerunt, eo etiam vividius in iis ecclesiis, in qnibus monasteria in cathedrales fuere conversa; atque hæc vitæ ratio patronos habebat pontifices maximos, fovebatur insuper canonibus conciliorum; cum universæ ecclesiæ interesset, ea ratione consuli honori clericali jamdiu ex ignoratione supina canonum, et corruptela morum labefactato. En alteram, et quidem graviorem contendendi occasionem in designatione ministrorum, contendentibus hinc episcopis, ad se pertinere, uti olim, præcipuam potestatem; contendentibus illinc canonicis, facta communione bonorum inter ipsos, et episcopum ad eandem communionem non posse extraneum admitti, nisi æqualiter tum ex episcopi, tum ex capituli voluntate. Ipsa collegiorum clericalium, et cœnobiorum monasticorum similitudo, quam pene æqualem reddebat earundem fere regularum professio, canonicorum jura promovebat. Si enim sæpe monachi sibi adserebant facultatem saltem una cum abbate suo novos monachos admittendi, argumento canonis 9, cau. 18, qu. 2, et capituli ult. de regolar. in 6, eodem jure putabant canonici, se una cum episcopo potestatem explicare in admissione canonicorum, qui essent in collegio adscribendi. Inde colligitur, hujus generis contentionem locum quidem habere potuisse in beneficiis cathedralis ecclesiæ, non vero in beneficiis diœcesanis, in quibus constitutum non erat collegium clericorum. Interea disjungi cœpit collatio sacrorum ordinum a collatione beneficiorum; ac tum eo vehementius canonici contendere potuerunt adversus episcopos, quasi liberius sibi asserere valerent potestatem adscribendi in collegio, et admittendi in communionem bonorum clericorum jampridem ab episcopo ordinatum, quasi adscriptio in collegio, et admisso in communionem bonorum sejuncta ab ordinatione nihil haberet commune cum potestate ordinis episcopalis soli episcopo reservata. Tandem iterum deventum est ad dissociationem vitæ communis, primum ita, ut episcopus adhuc intra eadem claustra vivens mensam separatam a mensa capituli habere, exemplo abbatum quorundam monasticorum, deinde ita, ut penitus vita communis cessaret, et canonici a claustris recederent, retenta apud ipsos administratione mensæ capitularis, et tantum tributis inter canonicos singularibus præbendis. En vero gravissimam alteram contendendi occasionem; cum enim canonici exclusissent episcopos ab administratione mensæ capitularis, quasi episcopus singularem et discretam mensam percepisset, proposuerunt, nullas amplius esse episcopi partes in designatione canonicorum, quasi solius capituli interesset, novos sibi sodales adsciscere. In his omnibus adjunctis factus est variis consuetudinibus locus, item statutis, conventionibus, ac transactionibus, pro modo scilicet contentionum excitatarum. Alicubi enim receptum est, ut episcopus solus penitus irrequisito capitulo beneficia quæque conferret, uti contingit in multis aliis jurisdictionis speciebus explicandis; alicubi retentum fuit jus disciplinæ generalis, juxta quam episcopus conferre debet accedente capituli consilio, vel consensu; alicubi capitula sibi vindicaverunt jus conferrendi beneficia plura, præsertim in cathedrali ecclesia erecta, eove magis illa, quæ capitulum ipsum constituunt, irrequisito prorsus episcopo; alicubi reservatum fuit episcopi gratia vel consilium, vel consensus, dum a capitulo collatio fieret; alicubi denique simultanea inducta est, et episcopi, et capituli collatio. Qua in re notatu dignum est, contigisse aliquando, ut collatio beneficii at capitulum pertineret, secluso episcopo, etiamsi episcopus ad conferendum interveniret, et suffragium ferret. Quid enim, si ipse interveniret non uti episcopus, sed uti unus ex canonicis? Id insinuatur in cap. 15 de concessione præbendæ, et in cap. 11 de appellat. in 6. Istud discrimen ex conjecturis de-

duces, quarum præcipua hæc est: Si ex. gr. episcopus in capitulo, vel collegio sedeat primus, præsumetur ibi sedere, ac propterea intervenire tanquam episcopus. At si secundum locum in capitulo teneat, sedere præsumetur, ac propterea electioni, seu collationi intervenire uti canonicus, quemadmodum tradunt inter pragmaticos fagnanus, ac panormitanus ad dictum capitulum 15 de conces. præb. miraris fortasse, audiens, episcopum canonicis adcenseri, seu canonicatum in capitulo cathedralis ecclesiæ obtinere. Fuerunt hæc opportuna recentionibus sæculis restituendæ episcoporum jurisdictioni: non enim latet juris ecclesiastici studiosos, fuisse, et extare adhuc in præsentia capitula quædam cathedralium ecclesiarum abs jurisdictione episcopali prorsus exemta, quæ propterea nihil magis anxie curare solent, quam ut exemtionem suam tueantur, siqui episcopi mandata declinent, aliquando etiam intestino quodam schismate auream animorum unitatem dissolvant. In his præsertim adjunctis curaverunt episcopi, ut quoquo modo et ipsi negotiis capitularibus intervenirent, uniendo episcopatui suo, aut canonicatum, ut in specie dicti capituli 15, aut præbendam canonicalem, ut in specie capituli 3 de probat., ea enim ratione futurum sperabant, ut canonicorum animos sibi melius conciliarent, imo etiam aliqua ratione ne certis in rebus, quas capitula, usu, præscriptione, statutis administrare cœperant in præjudicium auctoritatis episcopalis, suam pristinam jurisdictionem, quoad fieri posset, recuperarent.

Hæc ita veluti per quandam historicam seriem observata demonstrans, quam inania argumenta sint illa, quibus usi sunt nonnulli interpretes, qui putarunt, deduci posse ex nonnullis rescriptis, aut canonibus insertis inter decretales Gregorii IX simultaneam collationem beneficiorum, et episcopo, et capitulo competere jure communi. Huc adferunt ipsi capitulum 31 de election., cap. ult. de suppl. neglig. Prælat., capitulum. 2 et 15 de concess. præb., et cap. 11 de appellat in 6. Ego sane observo, hæc monumenta edita fuisse illis temporibus, quibus jam post diuturnas concertationes superius memoratas, variæ consuetudines inductæ, transactiones etiam initæ erant adversus juris communis disciplinam; imo et eadem monumenta, quæ magna in parte rescripta sunt singularia ad consuetudines ipsas referuntur. Etsi enim ea rescripta in corpus juris communis redacta sint, non tamen jus commune constituunt; propterea quod sunt certis quorundam ecclesiarum consuetudinibus accommodata. Ceterum et in ipsis decretalibus Gregorii IX alia rescripta sunt, quibus probatur collationem beneficiorum ad episcopum solo accedente consilio capituli pertinuisse. Id legitur in cap. 4 de his, quæ fiunt a prælat., et quando in cap. 2 ne sede vacante, dubitatum est, an capitulum succederet episcopo vita functo in collatione præbendarum, tacite insinuatum est, episcopo, quoad viveret, collationem præbendarum competiisse. Si comparentur invicem hæc rescripta inter se minime convenientia, nisi dicere quis velit juri communi jus commune adversari, dicere oportebit, ex illis jus communi minime comprobari. Revera in dicto cap. 5. de suppl. neglig. Prælat. agitur de singulari consuetudine ecclesiæ salamantinæ. In dicto cap. 31 de elect. tantum dicitur, in Tuscia consuetudinem extitisse, qua capitulum una cum episcopo beneficia conferebat, et ex uno consuetudinis titulo ea potestas capitulo adseritur, quando non opus fuisset allegare, ne dum probare consuetudinem, si capitulo jus commune faveret. Eadem adnotari possunt in cap. 2 et 15 de concess. præb., cui etiam jungi potest capitulum 11 de appellationibus in 6, cum similibus. Forte quemquam adhuc morabitur dictum capitulum 2 de concess. præb., propterea quod editum illud fuerit in generali concilio, nec facile possit unius tantum, vel alterius ecclesiæ consuetudini accommodari, sed potius debeat ex jure communi interpretationem accipere. Dicitur ibidem inter cetera, ubi ad episcopum collatio beneficii pertinet, devolutionem ad capitulum fieri, si episcopus intra semestre tempus minime conferat. Equidem fingi non potest, capitulum veluti episcopi superiorem esse, qui vices deficientis episcopi suppleat. Non aliter ergo conferre poterit, quam vi communionis, quam cum episcopo ingenitam habeat, et ordinariam in collatione beneficiorum. Agnosco difficultatem. At enim notandum est, in eo canone lateranense concilium non fuisse sollicitum de definienda ordinaria potestate beneficiorum conferendorum; tantum voluisse tempora definire, intra quæ beneficia conferri deberent. Ubi non conferretur intra legitima tempora, ulterius definivit, devolutioni locum fieri. Speciem prætermisit, qua episcopus collator esset juxta generalem canonum disciplinam; hæc enim singulari definitione non indigebat; cum jam constaret de devolutione ad proximum superiorem facienda juxta regulas generales. Sed quando agnoscebant patres lateranenses, pluribus in locis receptam fuisse consuetudinem, qua et capitulo et episcopo collatio competeret, statuerunt, ut quo casu et capitulum et episcopus negligentiam admisissent, devolutio fieret ad metropolitanum; quo autem casu per vices alternas collationem et capitulum et episcopus tribuissent, statuerunt, ut turnarii negligentia alteri non obesset et quemadmodum negligente capitulo episcopus, ita negligente episcopo capitulum conferret.

Colligi ex his quædam consectaria possunt. Primum est, non aliter capitulo competere posse collationem beneficiorum, vel una cum episcopo, vel episcopo excluso, nisi singularis titulus, vel consuetudinis, vel præscriptionis, vel statuti, privilegii, transactionis allegetur, ac probetur; quia jure communi inspecto collatio ad episcopum spectat, quamquam accedente consilio, vel consensu capituli celebranda. Secundum est, hanc consuetudinem facilius induci, ac recipi potuisse in canonicatibus, ac præbendis ecclesiæ cathedralis, quam reciperetur in ceteris beneficiis diœcesanis, propterea quod quæ argumenta ad collationem sibi adserendam adferebantur a capitulis, spectabant canonicatus, ac præbendas, non facile producebantur ad cetera beneficia diœcesana. Tertium est, exemplo capitulorum ecclesiæ cathedralis similia jura sibi vindicavisse alia collegia clericorum in ecclesiis conventualibus, sive collegiatis, propterea quod quæ argumenta a capitulis cathedralis ecclesiæ proponebantur, communia etiam erant canonicis ecclesiarum collegiatarum. Quartum est, ex contentionibus, quæ inter capitula cathedralium ecclesiarum, et episcopos emerserunt, atque ex subinde initis transactionibus, facile evenisse, ut episcopi in beneficiis diœcesanis extra cathedralem ecclesiam erectis non amplius peterent consensum, vel consilium capituli, contra quam jus commune postularet, quasi capitula contenta esse deberent novo jure quæsito conferendi canonicatus et præbendas. His etiam accessit, quod capitula cathedralium ecclesiarum singularibus se juribus prædita passim profitebantur, neque in consortium jurium suorum ceteros diœcesanos clericos admittebant, quamobrem videbantur omnem reliquarum ecclesiarum curam a se abjecisse. Postremum consectarium est, in iis collegiis, in quibus capitula jus conferendi adquisiverunt, beneficia cœpisse ibidem vel per electionem conferri, vel ex optione adquiri, quemadmodum inferius tradetur.

Si sede plena tot, tantæque emerserunt contentiones, nonnisi conventionibus, statutis, ac consuetudinibus tandem aliquando pacatæ, num sperari potuit ut beneficiorum collatio certas susciperet nunquam prætereundas regulas, sede episcopali vacante? Profecto si ex generalibus prudentiæ nostræ principiis definienda res esset, non dubitaremus asserere, ad capitulum spectare collationem omnium beneficiorum, quæ ad collationem episcopi, si viveret, pertinerent. Novimus enim et collationem beneficiorum speciem esse jurisdictionis episcopalis, et ea omnia, quæ pertinent ad jurisdictionem episcopalem, ad capitulum vacante sede devolvi, cap. 44 de major. et obed., cap. 3 de suppl. negl. Prælat. in 6., cap. un. de major. et obed. in 6. Verum aliter definitum fuit jure scripto, quo collatio beneficiorum a generali regula excepta dignoscitur, eamque ob rem non ad capitulum fere devolvitur, sed successori episcopo riservatur, cap. 2 ne sede vacante. Heic tamen est, in quo gravissimam inciditur difficultatem, cui occasionem præbet istud ipsum Honorii III rescriptum in dicto cap. 2. Cum enim capitulum sede vacante præbendas contulisset, rescripsit Honorius, non valere collationem, adjecta ratione, *cum nusquam inveniatur cautum in jure, quod capitulum sede vacante fungatur vice episcopi in collationibus præbendarum.* Num igitur, ut eam facultatem capitulum explicaret, opus habebat singulari et expressa juris concessione? Verum qui rem hanc exegerit ad generalia juris principia, noveritque generaliter universam episcopalem jurisdictionem in capitulum sede vacante transire, plurimum hærebit, nec injuria contrariam regulam figet, qua statuatur, capitulum potius eas omnes jurisdictionis species explicaturum, quæ expressa lege non reservantur, ideoque capitulum tum demum a collatione beneficiorum arcendum, cum denegata capitulo collatio adpareat, nunquam vero, si expresse non sit concessa. Agnoverunt interpretes omnes gravissimam difficultatem, a qua ut sese extricarent, varia commenti sunt, plurimum a recta interpretandi ratione aliena. Tradiderunt aliqui, in eo singularem esse caussam, cur capitulum a libera beneficiorum collatione excludatur, quod capitulum collationem ipsam adversus episcopum præscribere inciperet, quando tamen sede vacante nulla adversus episcopalia jura sit admittenda præcriptio. Hæc ratio parum meo judicio constat; nam minime percipi potest, quomodo capitulum, cui episcopi vices mandatæ videntur, sede vacante, contra episcopum præscribere valeat; quod si fieri potest, nulla jurisdictionis episcopalis species ab eodem capitulo exercenda foret, prætextu impediendæ in omnibus speciebus præscriptionis. Alii tradiderunt, fructus episcopalis mensæ capitulo sede vacante non adquiri, ideoque nec liberam beneficiorum collationem, utpote quæ sit habenda veluti quidam fructus mensæ episcopalis. Verum hæc opinio minus informem exhibet beneficiariæ collationis imaginem, quasi collatio beneficiorum adferat utilitatem et commodum conferenti, non vero unam spectet utilitatem ecclesiæ; quamobrem mirandum sane est, eam collationem beneficiorum, quæ apud veteres patres tanquam gravissimum ecclesiasticorum antistitum onus semper habita fuit, apud interpretes istos in optabile conferentium commodum fuisse transformatam. Quod si non puderet me in hac efficta collationis imagine consistere, dicere etiam possem, ea admissa, collationem

beneficiorum iis fructibus potius esse adcensendam, qui servando servari non possunt, propterea quod publice expediat, consuli quantocius ecclesiis vacantibus, atque hanc ob caussam eodem jure debere collationem a capitulo fieri, quo a capitulo alienari possunt fructus mensæ episcopalis, qui diu nequeant adservari. Alii putaverunt, se distinctione facta omnes controversias diremisse. Diviserunt enim jurisdictionem episcopalem in voluntariam, et necessariam, hanc, non illam capitulo sede vacante adserentes; deinde eam collationem beneficiorum capitulo denegaverunt, in qua episcopus plena fruitur libertate, et quicumque voluerit beneficium concedit; unde isti fassi sunt, capitulo posse collationem competere, quoties episcopus non omnino liber est, sed debet certæ personæ beneficium conferre, quemadmodum contingit in beneficiis patronatis et electivis. Ingeniosa quidem visa est, et plausu excepta hujusmodi interpretatio, cui passim morem gesserunt pragmatici, eo vel magis, quo propius ad eam accesserunt decreta plura pontificum, quibus certa deinde disciplina in hac materie firmata est, quemadmodum ex inferius dicendis constabit. Verum ea ipsa interpretatio in gravissimas adhuc inducit, atque inextricabiles difficultates. Etenim in primis nuillbi in sacris canonibus definitum est istud, quod jacitur principium, quo scilicet necessaria jurisdictio, non voluntaria in capitulum transeat; nullibi præterea definitum adparet, quænam ad voluntariam, quænam ad necessariam jurisdictionem referantur, neque id facile definiri potest. Neque enim ex. gr. video, cur necessaria dicatur jurisdictio explicari in admissione præsentationis, aut in confirmatione electionis; at voluntaria explicetur in libera collatione beneficiorum, præsertim si agatur de parochialibus, quæ conferuntur hodie indicto concursu. Deinde quis ignorat, capitulum posse aut dimissorias literas clericis ordinandis aliquando concedere, mandare episcopo non diœcesano, ut in ecclesia vacante pontificalia exerceat, sacramenta ordinis, ac confirmationis conferat, pœnitentiario concedere facultatem absolvendi a reservatis, et alia numero plurima, quæ juxta eorundem interpretum definitiones ad voluntariam pertinent jurisdictionem? Non memoro ulterius, quid alii in hac re interpretes senserint; nihil enim apud ipsos invenio, quod valeat ingenui viri expectationem explere. Tantum aperiam meam, qualiscumque ipsa habeatur, opinionem, quam etsi ultro fatear, non certis omnino innixam esse principiis, in re tamen obscura, et perdifficili rejiciendam non puto, quousque saltem non inverisimilis censeatur.

Itaque arbitror propositam materiam magis in facto, quam in jure consistere. Nimirum usque ad sæculum undecimum, vel duodecimum beneficiorum collatio a collatione ordinum, sive a ministrorum sacrorum ordinatione minime sejungebatur; ergo usque ad ea tempora collatio beneficiorum utpote cohærens potestati ordinis episcopalis, in capitulum vacante sede transire non poterat. Sejuncta deinde fuit utraque collatio, ac tum primum visa est collatio beneficiorum potestatis jurisdictionis, non potestati ordinis adcenseri. Quid ergo? An statim capitula eam sibi vindicaverunt una cum ceteris episcopalis jurisdictionis speciebus? Non fuit hæc episcoporum voluntas, cum collationes beneficiorum, et ordinum sejunxerunt, qui tantum voluerunt, ut multiplicaretur ministrorum numerus, non ut partem potestatis amitterent, in capitula sede vacante transferandam. Neque fuit hæc voluntas canonicorum, qui si forte eam potestatem beneficia conferendi ad se devolvi proposuissent sede vacante, vereri poterant, ne episcopi a separatione illa utriusque collationis in posterum abstinerent, suæ jurisdictionis integræ servandæ caussa, quod canonicis molestum et grave extitisset, quando inducta disciplina ordinandorum sine titulo beneficii emergebant plures alii clerici sacrorum administri, canonicorum eorundem adjutores, in oneribus subeundis ecclesiasticis capitula sublevantes, quin tamen de redditibus capitulorum, seu cathedralis ecclesiæ, ne minimam quidem portionem haurirent. In hac tacita et episcoporum et canonicorum voluntate, qua sine imminutione episcopalis juris invecta fuit recens disciplina, quis illico non percipiat, singularem receptam fuisse regulam, ut beneficia vacantia, sicut olim, ita deinceps, collationi successoris episcopi reservarentur sede vacante; quæ regula non esset innovanda, nisi aliud specialiter, et expresse caveretur? Conjicitur hinc, quo spectent illa Honorii III verba: *Cum nusquam inveniatur cautum in jure, etc.* Erant tamen ista novi juris exordia temporis Honori III quæ scriptis constitutionibus destituebantur, sed solis cathedralium ecclesiarum moribus hinc capitulorum, illinc episcoporum consensione firmatis constabant. Paullatim vero, et quasi per gradus hæc res certam induit formam, et nonnihil canonicis concessum est, sub ea specie, quod collatio beneficiorum ad potestatem jurisdictionis episcopalis pertineret, et quod jurisdictio episcopalis ad capitulum sede vacante devolveretur; quamquam et alia ex parte non omnia concessa fuerint, sub ea specie, quod vetusta disciplina, juxta quam collatio ordinum, et collatio beneficiorum juncta erat, collationem beneficiorum, uti collationem ordinum, successoribus episcopis reservabat: atque hæc omnia paullatim invecta fuerunt pro modo diœceseon, prout capitula non undecumque repugnantes episcopos invenerunt,

pro modo etiam traditionum, quales fingebant interpretes, distinguentes præsertim necessariam a voluntaria jurisdictione; unde licet retineretur generalis regula, qua reservarentur successoribus episcopis collationes beneficiorum, certæ tamen probarentur, ac reciperentur regulæ exceptiones, certisque in casibus collatio beneficiorum non denegaretur capitulis sede vacante.

Stratam hinc viam habemus ad designandas singulas exceptiones quarum aliæ probantur expressi pontificum maximorum decretis; aliæ vero receptæ sunt ex traditionibus pragmaticorum, quorum etsi magna non esse possit auctoritas, et tanta, quanta condendo juri sit necessaria, tamen in disciplina, quæ ex factis emersit, multum valuit. Expressa decreta primum adparent in institutione præsentatorum, quæ capitulis sede vacante concessa fuit, cap. 1, de instit. in 6. Idipsum receptum est in beneficiis electivis, in quibus non est libera episcopi collatio, sed tantum confirmatio electionis, cap. 14 de major. et obedient. Cum enim sive in istitutione, præsentatorum, sive in confirmatione electorum parum interesse videretur episcoporum, iidem episcopi facile passi sunt, ut vacante sede episcopali capitula eam potestatem explicarent. Præterea, postquam obtinuit, ut in quibusdam cathedralibus etiam sede plena capitula sibi vindicarent quorundam beneficiorum collationem, vel episcopo prorsus irrequisito, vel consensu seu consilio episcopi accedente, vel etiam una cum episcopo conferrent, receptum est, probatumque, ut in his omnibus beneficiorum speciebus sede vacante collatio per capitulum fieret, cap. un. ne sede vacante in 6. Præter generales caussas, quibus admissa capitula fuerant ad hasce collationes, erat probabile exemplum monachorum et regularium, qui sede abbatiali vacante, monachos recipiebant, si æque ad collegium regulare ac ad abbatem fratrum receptio pertineret, cap. ult. de regular. in 6. Adjiciebantur his regulæ juris accrescendi; quæ ex jurisconsultorum studiis tunc temporis maxime excultis ad hanc etiam materiam facile traducebantur, ubi collatio duobus æque idest episcopo, ac capitulo competeret. Non tamen e converso concessum fuit capitulis, ut conferant beneficia, quæ juxta jus commune pertinebant ad collationem episcopi accedente canonicorum consilio, vel consensu. Exceptio adjecta fuit a Bonifacio VIII in dicto cap. un., § *quum vero* ne sede vacante in 6, quoties ageretur de episcopo suspenso, et in petenda suæ suspensionis relaxatione moroso; hic enim episcopus non id mereri poterat, ut ejus gratia capitulum a collatione beneficii interea vacantis abstineret. Hæc omnia, uti liquet, expresse definita fuerunt. Alia sunt, que ex interpretatione juris scripti recepta sunt, præsertim postquam nonnulli pragmatici tradiderunt, gratia capitulorum plurima esse recipienda, quoties non de omnino voluntaria, sed potius de necessaria collatione ageretur, dixerim verius, postquam episcopi facto suo passi sunt in quibusdam collationum speciebus, præsertim non adeo liberis capitula majorem jurisdictionem explicare. Hinc, quibus in casibus et quibus in locis potest episcopus admittere, aut resignationes in favorem, aut permutationes beneficiorum, facile admittitur, etiam id a capitulo sede vacante fieri posse; quamquam enim generaliter capitulo interdictum sit collatione beneficiorum, ista tamen adhuc distinguitur abs jurisdictione, quæ explicatur in resignationibus in favorem, aut in permutationibus, cap. 4 de offic., leg. in 6. Agitur hic de exceptione adversus jus commune definita, quæ propterea, non facile ab expresso casu ad non expressum traducitur, eo vel magis, quod in resignationibus, quæ dicuntur in favorem, nec non in permutationibus admittendis, explicari videtur jurisdictio necessaria, Clement. un. de rer. permut., quæ ex vulgari pragmaticorum opinione transferri dicitur in capitulum. Neque ego dubito, quin capitulo concedatur collatio beneficiorum illorum, quæ non jure ordinario, sed jure devolutionis, ab episcopo, si viveret, conferrentur. Non enim est verosimile, sacrorum canonum auctores, qui ideo jure devolutionis induxerunt, ut quantocius fieri posset, vacanti beneficio ecclesiæque consuleretur, voluisse post elapsum tempus inferiori collatori concessum adhuc expectandum esse, donec successor episcopus designetur, qui jus devolutionis inde sit explicaturus. Imo etiamsi ageretur de beneficio reservato papæ, cui unius mensis spatium caussa conferendi jure constitutum fuerit, quemadmodum in specie capituli 3 de prebend. in 6, elapso mense, non dubito, quin ad capitulum vacantis ecclesiæ jus conferendi quodammodo devolvatur. Si enim juxta dictum capitulum 3 ubi episcopus agat in remotis, vicario illi facultas conferendi conceditur, cur capitulo denegabitur, quod episcopi vices gerere videtur sede vacante, non quidem mandato hominis sed juris potestate, nisi dicere velis, vicarium juris minore potestate frui, quam fruatur vicarius hominis? insuper non dubito, ad capitulum pertinere posse collationem parochialiam beneficiorum saltem post invectam disciplinam tridentini concilii, juxta quam parochialia eadem beneficia nonnisi indicto concursu conferuntur, cap. 18, sess. 24 de ref., hæc enim collatio ex iis est, quæ inter necessariæ jurisdictionis species referuntur a pragmaticis; hæc itidem collatio est, quam non adeo episcoporum interest successoribus reservari. Non tamen inficias iverim, has propemodum omnes reservationes hodie vim suam ami-

sisse quibus in locis recepta est regula cancellariæ, (adde constitutionem Pii V, quæ incipit *Sanctissimus in Christo Pater*) juxta quam quæ beneficia sede vacante episcopali sunt conferenda, nunc sedi apostolicæ reservantur, iis tantum exceptis, quæ ad collationem episcopi cum alio, vel aliis, vel ad alterius præsentationem, vel electionem pertinent. Huic reservationi occasionem dederunt argumenta illa, utut parum apta, quibus pragmatici ad favendum successoribus episcopis utebantur, et quæ episcopis eidem placuerunt. Ajebant ipsi passim ad excludenda capitula, collationem beneficiorum esse in fructu mensæ episcopalis; inde autem deducebant, exemplo ceterorum fructuum, etiam collationem beneficiorum successoribus episcopis reservari oportere. Romani pontifices inducto recentioribus sæculis jure spoliorum, et perceptionis fructuum vacantis ecclesiæ episcopalis, eodem jure quo fructus vacantes, etiam collationum beneficiorum vacantium sibi vindicabant, et quidem sine contradictione episcoporum, quorum opinione jamdiu receptum erat, collationem beneficiorum in fructibus computari, et eam ob rem capitula a collatione eadem excludi. Quamobrem hodie vicarius capitularis concursum quidem vacante parochiali ecclesia indicet juxta formam a tridentino concilio præstitutam; sed ejusdem beneficii collatio erit a sede apostolica expectanda. Id tamen non prohibet, quominus vicarius idem capitularis parochialem ecclesiam commendare valeat ad semestre tempus, quoties id postulet ecclesiæ utilitas, vel necessitas, juxta capitulum 15 de elect. in 6 necnon œconomum, seu vicarium parochiali ecclesiæ vacanti præficere, eidemque, quousque officio fungitur, certam pensionem adsignare, juxta caput 18, session. 24 de reform. in concilio tridentino. Nec dubito ea omnia generaliter a capitulo conferri beneficia posse, in quibus collatio necessaria dici potest, quousque id patiatur aut germana, aut recepta moribus interpretatio dictæ regulæ secundæ cancellariæ. Hinc si ex. gr. agatur de beneficiis illis, in quibus in limine fundationis designatæ personæ sunt, quibus conferantur, puta ex certa familia, ex certa civitate, aut in certo gradu constitutæ, cum istæ a fundatore ipso præsentatæ videantur, erunt a vicario capitulari instituendæ, juxta regulam dicti capituli 1 de institution. in 6. Denique eadem ratione dixero, a vicario capitulari expediri posse collationem beneficii, quam episcopus, si viveret, expedire deberet ex pontificio mandato de providendo. Siqua enim dubitatio foret, ea proponeretur, quod mandatum de providendo mortuo episcopo intercidat. At vero cum mandatum hoc non potissimum episcopi personam spectet, sed ordinaria episcopi jurisdictionem, hanc ipsam jurisdictionem sequitur in capitulum transeuntem, Rebuffus de devolution. n. 85, cui consonat panormitanus ad capitulum 2, ne sede vacante, paucis generalia principia colligo. Separata collatione beneficiorum a collatione ordinum, collatio beneficiorum, quæcumque ista sint, ad potestatem jurisdictionis referri cœpit. Regulas est juris communis universam jurisdictionem episcopalem in capitulum sede vacante devolvi, nisi quædam sint specialiter et expresse reservata. Ergo juri communi consentaneum est, ut collatio beneficiorum capitulis adquisita dicatur. Ergo capitulorum potestas semper erit etiam in hac re adjuvanda. Viceversa cum non ex jure communi, sed ex voluntate episcoporum factum fuerit, ut collatium beneficiorum a collatione ordinum sejungeretur, nonnihil dandum erit in proposito eidem episcoporum voluntati, ut eatenus collatio beneficiorum mutavisse naturam credatur, quatenus episcopi illi immutationi consenserint. Ergo facile recipiendæ sunt quædam exceptiones, quæ intra certos limites potestatem recens capitulis quisitam coercuerunt. Uno verbo: potestas conferendi in conspectu capitulorum est juri communi conformis, in conspectu episcoporum est juri antiquo consentanea. Juris communis magnus est favor; juris antiqui magnus est honor. Utrique cum prudentia et moderatione velificandum est, ut dum uniformitatem sequimur principiorum in jure communi custodiendo, uniformitatem sequamur temporum in antiqua retinenda disciplina.

CAPUT III.

De jure illorum qui singulari titulo beneficiorum collationem adquisiverunt.

Postquam collatio beneficiorum cœpit a sacrorum ordinum collatione sejungi, ac propterea collatio beneficiorum, quæ olim ordinis episcopalis potestas esse videbatur, cœpit haberi tanquam potestas jurisdictionis episcopalis, mirum videri non debet, si tot emerserint collatores beneficiorum, quot esse in ecclesia possent, qui jurisdictionem episcopalem, etiam non insigniti episcopali ordine, adquirere valerent. Id jam demonstratum est in capite præcedente, ex quo constat, eam ob caussam capitula cathedralium ecclesiarum adquisivisse conferendi beneficia potestatem, quia nihil amplius capitulis oberat, quominus ad conferenda beneficia admitterentur. Cur non aliæ etiam singulares ecclesiasticæ personæ simile jus ad se traherent? Nihil quoque his obesse potest, ex natura episcopalis jurisdictionis, quæ ex singularibus titulis adquiri etiam non episcopis solet. Pro singulari con-

ferendi titulo modo fuerunt illis tabulæ fundationum, quibus prælato inferiori, non ordinario episcopo, collatio expresse reservaretur, modo fuit consuetudo legitima, modo justa præscriptio, modo etiam privilegium.

In primis tabulæ fundationum præbuerunt legitimum titulum conferendi, siquidem is erat honor fundatori tribuendus, ut posset quascumque conditiones novo erigendo beneficio adjicere, quas episcopus erectionis tempore probare teneretur, dummodo turpes non essent, vel minus honestæ, argumento capituli 25 de jurepatron., cap. 13 vers. *Qui autem* de elect. in 6, Clement. 2 vers. *Ut autem* de religios. domib. Quamquam enim reservando collationem beneficii inferiori prælato, quidquam adversus juris communis disciplinam inducatur, nihil tamen in eo est, quod generali morum honestati repugnet. Id sane sine ullo discrimine receptum, custoditumque fuit usque ad tempora tridentini concilii, quo tandem ademtam fundatoribus hujusmodi facultatem interpretes nonnulli scripserunt, proptereaquod in sess. 14 cap. 12 de ref., statutum fuerit, in beneficiis patronatis in casu fundationis, aut dotationis institutionem episcopo, et non alteri inferiori esse reservandam. Ego ita concilii tridentini mentem interpretandam censeo, ut in primis nova hæc disciplina non afficiat beneficia ante concilium tridentinum eadem conditione erecta, sive quod canon præteritos casus expresse non comprehendat, sive quod verba ipsa canonis in futurum collata videantur, sive denique quod in subsequentibus sessionibus concilii adhuc specie effingantur, quibus prælatus episcopo inferior beneficia conferat, quemadmodum in capite 18, sess. 24 de ref ibi: *Cum vero institutio ab alio, quam ab episcopo erit facienda*, et in cap. 9, sess. 25 de ref. ibi: *Quod si ad inferiores institutio pertineat.* Deinde quod ad beneficia pertinet post concilium erigenda, censeo, ablatam esse eam a fundatoribus facultatem, nisi tamen episcopus, ad quem collatio jure ordinario spectaret, id expresse indulgeret; non enim est verosimile, tridentinos antistites auctoritati episcoporum detrahere voluisse eo ipso, quo de eadem tuenda, ac restauranda tractabant. Neque dicas, hac ratione supervacaneum reddi tridentinum decretum; etenim in eo adhuc illud novi constitutum adparet, quod ante concilium fundatores possent adigere episcopos ad confirmandam reservationem collationis, gratia alterius prælati, veluti ad confirmandam conditionem, quæ utpote non turpis, non inhonesta, adjici a fundatoribus sine injuria poterat, post concilium vero libera episcoporum jurisdictio emergat ita, ut episcoporum voluntati tribuatur, an ea reservatio adiiciatur, an vero sit ab eadem reservatione abstinendum.

Forte quemquam adhuc morabitur caput 13 ejusdem tridentinæ sessionis 14, quo statutum est, non licere patronis clericos præsentare cujuscumque privilegii pretextu, nisi episcopo loci ordinario, ad quem provisio, seu institutio beneficii, cessante privilegio pertineret. Hoc decretum cum præsentationem afficiat, non solum spectat jurepatronatus post concilium adquirenda, sed etiam respicit antea quæsita. Sed sanius intelligendum est, quam aliqui arbitrati fuerint, ne forte tridentinas sanctiones invicem sibi contrarias esse dicamus, quemadmodum liquet ex collatione hujus capitis cum memoratis capitibus, idest capite 24, sess. 18, et cap. 9, sess. 25. Jure propterea dixero, ibidem potius præstitui modum, qui in collatione servetur, quam legitimas conferendi facultates ab inferioribus prælatis auferri. Nimirum voluerunt tridentini patres, neminem cujuscumque privilegii prætextu in patronato beneficio institui ab inferiori prælato instituendi facultatem habente, nisi primum idem clericus fuerit episcopo præsentatus, et ab episcopo examinatus, idoneusque repertus juxta eam formam, quæ de simplicibus beneficiis expressa fuerat in sess. 7 de ref. cap. 13 et de beneficiis curatis statuta inde fuit in sess. 24 cap. 18 de ref. quemadmodum etiam clarius definitum adparet in dicto cap. 9, sess. 25 ibi: *Quod si ad inferiores institutio pertineat, ab episcopo tamen juxta alia statuta ab hac sancta synodo examinentur, alioquin institutio ab inferioribus facta irrita sit et inanis.* Hujus tridentinæ sanctionis duplicem caussam agnosco. Prima est, ne in diœceses episcoporum inducantur ab inferioribus collatoribus minus apti clerici, et ecclesiarum administri, qui sane licet ab episcopo non proponantur instituti, nihilominus episcopo subesse, et rationem officii reddere debent. Secunda est, ne ignorantibus episcopis, prælati inferiores prætextu privilegiorum in fundatione expressorum aliquando jurisdictionem sibi vindicent episcopalem, imo etiam libera ipsa beneficia patronatui subjiciant, non investigantes tempore collationis, utrum præsentantium tituli justi sint, necne. Quamobrem illud semper in simili specie animadvertendum erit, ut quoties lis de existentia jurispatronatus emergat, etiamsi institutio ad inferiorem prælatum pertineat, illa tamen controversia non coram inferiore prælato, sed apud episcopum, et ab episcopo sit dirimenda. Posteriorem hanc caussam ego precipuam puto, ac propterea arbitror, tridentinum decretum de subjiciendo examini eo, qui ab inferiore prælato sit instituendus, tantum locum habere in beneficiis, patronatis, vel electivis, non autem in illis quæ, ad liberam prælati inferioris collationem spectent; neque enim generalia sunt memorata concilii tridentini capita, in quibus

omnibus vel patronalium, vel electivorum tantummodo beneficiorum expressa mentio habetur.

Consuetudine quoque ac præscriptione adquiri posse inferiori prælato collationem beneficiorum, perspicuum fit ex eo, quod nulla esse potest episcopalis jurisdictionis species, quæ, sicut præscriptione, ac consuetudine amitti ab episcopo potest, ita nequeat alteri adquiri. Imo in hac specie collationis beneficiorum apertissima sunt scripti juris monumenta in cap. 15 de offic. et pot. jud. deleg. cap. 9 de arbitris, cap. 6. de institution. cap. 31 de elect. et cap. 15 de præscription. Sunt, non ignoro, qui ab hac regula exemta voluerunt beneficia curam animarum adnexam habentia, ad hanc exceptionem proponendam adducti ex cap. 4 de offic. Archidiac. ubi Alexander III, eliensi archidiacono præcepit, ne obtentu alicujus consuetudinis sine licentia et mandato episcopi cuipiam animarum curam committeret. Verum non eo pertinet Alexandri sententia, qui non omnem consuetudinem in adquirendo eo jure improbavit, sed tantum eam, quam eliensis archidiaconus allegabat. Vices episcopi sui gerens archidiaconus eliensis (quod erat archidiaconorum omnium munus, cap. 1 de offic. archid.) nomine, et mandato eiusdem episcopi sæpius beneficia curata contulerat; deinde vi hujus consuetudinis, quasi eam facultatem præscripsisset, etiam sine mandato episcopi, imo et episcopo repugnante, conferendi potestatem sibi adserebat. Quis archidiacono illi non obstitisset, cui nullum jus adferre poterat quasi possessio conferendi, quam non suo, sed sui episcopi nomine habebat? Sane ubi præscriptionem, ac consuetudinem admittimus adquirendæ collationis gratiam, eam intelligendam credimus, qua quis proprio nomine, et animo sibi illud jus adquirendi, beneficia contulerit, non eam, qua quis alienam jurisdictionem quasi procurator, vel mandatarius explicaverit, ita postulantibus generalibus regulis præscriptionis, quæ nullum jus transferunt in eum, qui alieno nomine possidet. Forte etiam evenire potuit, ut ea consuetudo, quam eliensis archidiaconus allegabat, non esset consuetudo ejusdem archidiaconi propria et singularis, sed potius aliorum archidiaconorum, qui in finitimis diœcesibus, vel provinciis constituti erant, quorum exemplo simile jus et ipse exercere vellet, quando tamen singularis unius, vel alterius consuetudo, utpote quæ non facile extenditur, eidem alleganti tanquam sufficiens titulus esse non poterat ad excludendum episcopum, cujus potestas juri communi innitebatur.

Hæc cum ita sint, nulla amplius superesse dubitatio poterit, quin etiam privilegio collatio beneficiorum inferiori prælato adquiratur: Regula enim est ab omnibus comprobata, ea, quæ consuetudine, vel præscriptione obtinentur, obtineri etiam privilegio posse. Forte deliberandum putabis, cujusnam auctoritas in hoc concedendo privilegio sit necessaria? Sane si agatur de privilegio, quod ordinarius, donec ipse vixerit, alicui fecerit, non licebit eidem ordinario adversus factum suum venire, et jus conferendi beneficium, quod favore alterius abdicavit, vindicare. Sed ubi privilegium ultra terminum vitæ ordinarii extendatur, unde successori lædi jurisdictio possit, altius repetenda res est, et ex generalibus principiis quæstio dirimenda. Nimirum investigandum est, num ordinarii, sive episcopi sint, sive alii quicumque prælati possint aut generaliter, aut certis saltem in casibus in detrimentum successoris res, aut bona ecclesiastica, vel etiam jura suæ dignitatis, aut officii alienare. Sed commodius hæc disputabuntur inferius, precipue ad interpretationem extravagantis unicæ de rebus eccles. non alien. et ex iis, quæ suo loco tradentur, propositam etiam controversiam facile quisque discutiet, aut a me discussam intelliget.

CAPUT IV.

De iis, qui beneficia conferunt jure devolutionis.

Interest bene constitutæ formatæque reipublicæ, ut quemadmodum cum quis sua jurisdictione abutitur, ita et cum quis in re necessaria jurisdictione non utitur, ad superiorem confugiatur, qui aut excessum coerceat, aut defectum suppleat inferioris. Id sane recipiendum est in collationibus beneficiorum; cum enim ecclesiæ, publicæque utilitati maxime expediat, ne diutius beneficia vacent, non conferente ordinario collatore, alter prælatus designandus erat, ad quem beneficii collatio devolveretur. Qua in re certa definita sunt tempora, quibus collator ordinarius conferre beneficium teneatur, et quo elapso superioris officium excitetur. Sex a concilio lateranensi sub Alexandro III celebrato præstituti sunt menses, cap. 2 de concess. præb. quod quidem tempus non continuum est, sed utile, ac propterea incipit a die dumtaxat notitiæ vacationis beneficii, non vero ab ipsamet vacatione, cap. 3 de suppl. neglig. prælat. et cap. 5 de concess. præb. præsumitur tamen notitia vacationis ad collatorem pervenisse, statim ac vacatio ipsa in loco ubi collator residet, erit publice nota, clement. un. de concess. præb. Hinc etiam sequitur, intra semestre tempus non computari, quo collator impeditus fuerit, sive impedimentum fuerit juris, puta quia collator esset suspensus (in-

telligе de suspensione, cui collator nullam dederit caussam; nam si caussam dederit, is beneficium rite conferet, quin opus sit devolutione a negligentia prælati suspensi, (qui dignitatis jura ministrat, et exercet) sive impedimentum fuerit facti, puta, quia collator ageret in remotis, cap. 5 de conces. præb. Semel vero elapso tempore collator prorsus excidit abs jure conferendi, quin opus sit aut citatione, aut monitione; siquidem unumquemque de officio suo satis admonet jus scriptum; nec moram poterit negligens purgare, propterеaquod ubi executio ab ipso jure indicitur, nullo modo admittitur moræ purgatio, argumento cap. 3 de suppl. neglig. Prælat. et ibi Glossa verbo *imponatis*, Osasceus decis. 71 num. 65, sola de forma, et solemnitate servanda pro confirmatione contractuum glossa 1, num. 26. Qui in hanc rem plura adnotare velit, observare poterit, facilius admitti purgationem moræ, ubi tempus ab homine concedatur, l. 26 cod. de fidejussor. difficilius autem ubi designetur abs jure, l. 13, § 4 et sequenti de excusation. tutor. in proposito autem tempus abs jure, nimirum a concilio lateranensi præstitutum fuisse. Itidem observare poterit, facilius purgationem moræ admitti, ubi actoris vel nihil, vel parum interest, l. 8. ff. Siquis caution. l. 135, § 2, ff. de verb. oblig. atque in proposito plurimum ecclesiæ interesse, ne diutius beneficia vacent. Denique observare poterit, purgationem moræ facilius admitti, ubi tempus designatum est specialiter, ut intra illud quis agere valeat, quam ubi tempus designatum est ideo, ut eo elapso de negligentia redarguatur, ac puniatur, uti in proposito contingit.

Ita imminent in ecclesia majores minoribus dignitatibus, et officiis, ut cum prælati inferiores neglexerint intra statuta tempora conferre, tum superiorum munus esse debeat, ut ipsi negligentiam suppleant, neque enim aliter potest recte gerendorum ordo servari. Hinc, quemadmodum in beneficiis patronatis, aut electivis, patronis neminem præsentatibus, vel iis, ad quos spectat, neminem eligentibus, libera fit ordinarii collatio, ita ordinario ipso collatore intra præstitutum tempus non conferente, proximus superior conferet, nimirum episcopus, ubi ad inferiorem prælatum, archiepiscopus, ubi ad episcopum collatio pertineat, cap. 3 de jurepatron. cap. 3 de suppl. neglig. prælat. Perspicua res esset, nisi paullisper turbaretur in conspectu decreti concilii lateranensis in cap. 2, de concess. præb. ubi æque adeo libratur et capituli cathedralis ecclesiæ, et episcopi jurisdictio, ut, quemadmodum negligente capitulo, ubi ad capitulum spectat, collatio ad episcopum devolvitur, ita negligente episcopo, ubi ad episcopum spectat, collatio ad capitulum devolvatur. Varia ad hanc speciem varii interpretes comminiscuntur; quæ, ut candide fatear, mihi satis placere non possunt. Qui collationem beneficiorum ordinariam capitulo, æque ac episcopo tribuerunt, facilius hanc difficultatem explanare se putant; statim ac enim in beneficiis conferendis æqualem agnoscunt in capitulo, ac in episcopo potestatem jure communi, æquissimum arbitrantur decretum, quo et episcopus capituli, et capitulum episcopi negligentiam suppleat. At enim hujus opinionis fundamentum quam inane sit, superius demonstratum est. Deinde adhuc vix percipi potest, quomodo coæqualis defectum alter coæqualis supplere debeat, ne alias dicatur, coæqualem in parem suum exercere jurisdictionem. Expeditius sese ab omni difficultate extricarunt, qui dixerunt, laudatum lateranense decretum in ea parte non fuisse usu receptum. Observatio ista est facti; alias autem non omnem difficultatem diluit; quamquam enim usus sententiam patrum lateranensium non probaverit, inquirendum tamen est in caussam, quare lateranenses patres ita constituerint; et lateranensium patrum decretum in concilio generali editum ita expendendum est, ut cum generalibus disciplinæ principiis congruat, non ita, ut eadem principia evertisse videatur, eamque ob rem usu recipi non potuerit. Ad propius attingendam patronum lateranensium mentem, ego puto, ponendum in primis, non undecumque integra ad nos pervenisse acta illius concilii, non decreta cum suis caussis, adjunctisque universis, sed tantum fragmenta decretorum, qualia in collectione Gregorii IX descripta sunt; eamque ob rem non perspicue in ipsis exhiberi, quæcumque occasionem, et caussam edendo canoni dederint, sed esse hæc ex adjunctis temporum, imo et ex probabilibus conjecturis eruenda. Ponendum insuper est, celebrationem concilii lateranensis incidisse in ea tempora, quibus, separata collatione ordinum a collatione beneficiorum, capitula cathedralium ecclesiarum cum episcopis suis contendere cœperant de potestate conferendi canonicatus, ac præbendas, et quamquam juxta vetera jura collatio ad episcopum pertineret, ob emergentia tamen adjuncta lis passim fuit transactione composita, admissa in pluribus locis simultanea collatione, quæ modo per actum episcopi æque ac capituli explicabatur, modo pro diviso exercebatur, idest per alternas vices, sive, ut vocant, per turnum facta collatione. His positis, ajo, concilium lateranense in eo decreto minime fuisse sollicitum de dirimenda ea quæstione, utrum si ad solum capitulum, excluso prorsus episcopo, collatio spectaret, devolutio fieret ad episcopum post admissam a capitulo negligentiam. Non indigebat hæc quæstio sin-

gulari decreto, ac providentia, utpote quæ sine ullo discrimine dissoluta a quocumque fuisset. Quid enim clarius, quam negligentiam inferioris, nimirum capituli, a superiore, nimirum ab episcopo esse supplendam? Præterea ajo, neque sollicitum fuisse lateranense concilium de dirimenda altera quæstione, ad quemnam devolutio fieret, quo casu ad episcopum juxta jus commune collatio pertineret, et episcopus negligens esset in conferendo. Neque indigebat hæc quæstio singulari definitione, quando ex generali disciplina canonum, ac perpetua, devolutio facienda erat ad metropolitanum, quando metropolitanorum dignitates ea de caussa institutæ erant, ut prælatus existeret superior, qui inferioris negligentiam emendaret. Igitur fingenda est singularis species eousque necdum sacris canonibus definita, quæ discuteretur ac definiretur in concilio lateranensi. Hujusmodi species alia esse non poterat, quam ea, qua ex singularibus statutis quarundam cathedralium ecclesiarum, collatio præbendarum simultanea erat apud episcopum et capitulum, distributa tamen per vices alternas collatione. Ad hanc si contrahatur lateranense decretum, statim adparet, et dignam fuisse caussam, cur lateranenses patres singulari providentia intercederent, utpote in ea re, quæ necdum olim discussa erat, ac definita; et lateranenses antistites nihil statuisse, quod generali canonum disciplinæ adversaretur; et denique decretum illud, uti observare deinde debuit, ita etiam hodie observandum. Ubi ita fingatur conceptus canon, fingitur, conferendi facultatem æque esse penes capitulum, ac penes episcopum, et quamquam per vices alternas ab alterutro ea facultas ex pacto exerceatur, fingitur, capitulum, quum confert, etiam episcopi nomine ex mandato conferre, quemadmodum conferre episcopum nomine capituli, cum ipse conferat. Negligente collatore turnario, adhuc turnarii alterius jura explicari possunt, non quidem veluti facta devolutione, qua negligentia unius ab altero suppleatur, sed ne unius jura ex negligentia alterius imminuantur. Agitur de procuratore non omnino voluntarie constituto, sive electo pro arbitrio mandantis. Etenim quamquam nonnisi voluntate et episcopi, et capituli divisa per vices alternas collatio fuerit, ut tamen semel vices suas capitulo episcopus, semel vices suas episcopo capitulum mandaret, id necessitas servandi juris utrique competentis postulabat. Quid ergo mirum, si ex lateranensi decreto ex negligentia turnarii collatoris nihil diminuebatur alteri concollatori, sed eo casu concollator ad collationem deveniret? Ut id clarius liqueat, fingamus nos adhuc in lateranensi concilio constitutos, quo tempore semestre tempus collatoribus definiendum erat, quod minime excederetur. Pridem ubi collator negligeret, erat tempus conferendi a superiore definiendum prævia admonitione. Ubi autem ad capitulum æque ac ad episcopum collatio pertineret, metropolitanus debebat et capitulum, et episcopum de facienda collatione admonere, ut si intra certum tempus metropolitani arbitrio determinandum non conferrent, beneficio vacanti ex metropolitani providentia consuleretur. Et quamquam per alternas vices capitulum, et episcopus collationem tribuisset, nihilominus tamen et capitulum, et episcopus erant a metropolitano admonendi; siquidem tributio illa privati juris erat, utpote ex singulari inter episcopum, et capitulum conventione profecta, cujus nulla ratio habenda erat apud metropolitanum, qui generali jure fretus ad admonitionem deveniebat. Mutanda fuit in lateranensi concilio disciplina, et pro eo tempore, quod pridem a metropolitani arbitrio pendebat, definiendum erat semestre tempus, juris generalis sanctione; intra quod tempus nulla de negligentia collator ordinarius incusaretur, post quod tempus de negligentia puniretur. Qui interea turnarius non erat, ubi per turnum distributa collatio fuisset, opponebat intra semestre tempus, non posse de negligentia redargui, proptereaque petebat, sui gratia aliquid generali lege remitti. En caussam, cur patres lateranenses exceptionem adjecerunt gratia concollatoris alterius, ut iste post negligentiam turnarii adhuc ad conferendum admitteretur, et quidem extra caussam devolutionis. At dices. Agitur de generali decreto, et quidem edito in generali concilio, quod præterea congruit interpretari non de singulari quadam specie, tributæ per turnum collationis inter plures concollatores, ubi canonis verba de hac singulari specie expresse concepta non sunt, sed potius interpretari congruit juxta generalem collationum disciplinam. At ego repono, quoscumque interpretes debuisse semper decretum illud lateranense contrahere ad certas species. Nimirum nemo unquam dixit negligente episcopo conferre beneficia, quæ sunt extra cathedralem ecclesiam erecta, collationem devolvi ad capitulum, et quicumque fuerunt decretum illud interpretati de devolutione collationis ad capitulum ex negligentia episcopi, devolutionem coercuerunt intra limites canonicatuum, et præbendarum ecclesiæ cathedralis; quamquam generaliter de quibuslibet officiis in aliqua ecclesia vacantibus conceptum decretum sit. Ergo novum non est, nec intentatum, coercere ad species singulares verba illius decreti, quod sane ex eo proficiscitur, quemadmodum initio prænotabam, quod acta lateranensis concilii ad nos integra non pervenerint. Deinde

satis mihi est ad meam interpretationem sustinendam, dicere, ita intelligi posse lateranense decretum, ut hac ratione intelligatur, quando si hac ratione non intelligeretur, decretum ipsum generali disciplinæ canonum minime conveniret. Illud præterea adjicio, subsequentes pontifices maximos decretum lateranensis concilii in parte, qua de supplenda negligentia capituli, et episcopi agitur, intellexisse de specie simultaneæ collationis episcopo æque ac capitulo competentis. Ita intellexit Innocentius III, in cap. 15, de concess. præb. Ita intellexit Bonifacius VIII, in cap. 11, de appellat. in 6, cui jungi etiam potest clementina 5, de præbendis. Quod si cum his omnibus conferatur capitulum 5, de concess. præb. ubi definitum adparet, tempore suspensionis episcopi, cui suspensioni episcopus caussam dedisset, non ad capitulum collationem beneficiorum devolvi, sed ad illum, qui propter episcopi negligentiam beneficia conferre potuisset; quid clarius erit, ad demonstrandum, capitulum ab eo distingui, qui jure devolutionis facultatem conferendi nanciscitur tum, cum libera spectat ad episcopum collatio, quemadmodum spectabat in proposita specie ad episcopum eboracensem, juxta priora ejusdem capituli verba?

Ex his statim dirimes disputationem illam, num ubi plures sunt concollatores, vel compatroni, quorum aliqui tantum negligentes sunt in conferendo, vel præsentando, fiat devolutioni locus? Sane si collatio, vel præsentatio simul facienda est, non utentibus aliquibus facultate sua, accrescet ipsa, et solida fiet penes utentem, quemadmodum negligentibus omnibus facultas conferendi ad superiorem devolvitur. At si collatio, vel præsentatio fiat alternis vicibus, sive per turnum, probate non possum opinionem quorundam pragmaticorum, qui asserunt, turnario negligente, devolutionem fieri ad superiorem, quasi qui turnarii non sunt, pro ea vice jure omni destituantur, et divisio juris nequeat juri devolutionis moram adferre. Verosimilius arbitror, jus adhuc penes non turnarios remanere, ut ipsi agnita consortis negligentia adhuc ad jus suum exercendum admittantur; siquidem etsi per turnum collatio fieri debeat, omnium tamen consortium nomine fieri semper a turnario intelligitur, nec negligentia unius aliis facile poterit imputari. Quam tamen opinionem ita recipiendam velim, ut locum habeat in ea tantum specie, qua qui turnarii non sunt, quædam diligentiæ suæ specimina exhibuerunt, ex. gr. prope finem legitimi temporis turnarium monuerunt, ut vacanti ecclesiæ, beneficiove consuleret, non vero in ea specie, qua qui turnarii non sunt, una cum turnario omnino desides extitissent.

Dixi, ad proximum superiorem beneficii collationem devolvi. Hinc deduces, in beneficiis, quæ spectant ad collationem pontificis maximi, nullum esse devolutioni locum. Quid quam singulare agnoscitur in beneficiis vacantibus in curia, ac propterea de caussa pontifici maximo reservatis; nam quemadmodum in hac specie mensis tantummodo, et quidem continuus, ad conferendum præstitutus fuit; ita elapso mense beneficia illa adhuc vacantia libere ordinarius conferet, non quidem jure devolutionis, sed quasi reservatione cessante, cap. 3, de prebend. in 6. Præterea deduces, nomine proximi superioris intelligi eum, qui superior est ratione diœcesis, in qua beneficium situm est, non qui superior est ratione habita illius, qui beneficium conferre debuit. Duæ sunt devolutionis caussæ. Prior est, quia consulere oportet ecclesiæ vacanti, qua inspecta, ad eum collatio spectare debet, in cujus diœcesi sita est ecclesia. Posterior est, quia supplenda est negligentia collatoris ordinarii; atque hac inspecta caussa, jurisdictio competere videretur superiori ordinarii collatoris. Prior caussa in conspectu posterioris veluti potior habita fuit, exemplo solemnitatis, quæ intervenire debet in alienatione prædii vel pupilli, vel minoris, implendæ apud magistratum, in cujus provincia prædium est, l. 16, cod. de prædiis, et aliis reb. minor. Revera ita statuisse videntur pontifices maximi, sive in cap. 2, de suppl. neglig. prælat. in iis verbis *in tuo episcopatu habentes*, sive in Clement. unica eod. titul. ibi: *Diœcesani locorum*. Quod si collator beneficii in diœcesi quidem sit, et in diœcesi beneficium possideat, sed ab ordinarii jurisdictione proponatur exemtus, num ad ordinarium ipsum, an ad eum, cui exemtus immediate subjectus est, devolutio fiet? Distinguere oportebit inter prælatos regulares. A sæcularibus non fit ad ordinarium devolutio, sed ad eum, cujus jurisdictioni obnoxii proponantur, argumento capituli 3 de suppl. neglig. prælat. Ubi vero agatur de prælatis regularibus, a temporibus Clementis V specialis invecta est disciplina, qua ad episcopum devolutio fiat, tanquam hac in parte sedis apostolicæ delegatum, clement. un. de suppl. negligent. prælat., juncto cap 32, in fine de præbend. in 6.

Facta semel ad proximum superiorem devolutione, nullum superiori eidem præstitutum est tempus, intra quod conferre cogatur. Attamen si forte et ipse distulerit, a superiore suo ita monendus erit, ut si intra certum tempus pro singularibus caussarum adjunctis determinandum vacanti beneficio non consulat, jure quæsito cadat, devolutione quasi per gradus de minore in majorem prælatum traducta, donec ad pontificem maximum deveniatur. Quid vero, si proximus superior

nondum elapso tempore, quod devolutioni locum facit, beneficium contulisset, num hæc collatio, quæ ab initio irrita erat, valere incipiet, postquam devolutioni factus est locus? Repugnare videntur generales juris regulæ, juxta capitulum 18 de regulis juris in 6. Nihilominus tamen distinguendum puto inter superiorem illum, qui alias jure ordinario conferendi gaudet, quemadmodum esset unusquisque episcopus in sua diœcesi, si conferret beneficia jurispatronatus, non expectata præsentatione patroni, aut beneficia, quæ pertinerent ad collationem prælati inferioris ex singulari titulo, puta consuetudinis, statuti vel privilegii; atque inter superiorem, cui jus ordinarium minime favet, qualis est archiepiscopus, qui conferret beneficium spectans ad ordinariam suffraganei collationem, etenim qui ordinarius est, generalem semper habet potestatem, quæ obtinere suum debet effectum, quocumque casu singulari alicujus titulo non excludatur. Cum ergo patronus, aut prælatus inferior jure suo adversus ordinarium experti non sunt, non tam videtur ordinarius jure devoluti jurisdictionem explicare, quam videatur ordinaria jurisdictio, quæ semper fuerat, non impediri. At hæc ratio in superiore non ordinario valere non potest, cui tum primum adquiritur jurisdictio, ac potestas conferendi, cum inferior de negligentia redarguitur.

CAPUT V.

De jure pontificis maximi in beneficiis conferendis.

Si quid est apud recentiores studiosos ecclesiasticæ disciplinæ cultores involutum, et circumfusum undecumque tortuosis ambagibus (sunt autem multa); inter cetera illud plane est, quod spectat collationes beneficiorum, quæ a pontificibus maximis jamdiu fieri consueverunt. Hinc qui gratia curiæ romanæ scripserunt, proposito suo velificantes uti romanæ ecclesiæ bonorum ecclesiasticorum late in omnibus diœcesibus consistentium addicere dominium, ita et conferendorum omnium beneficiorum plenam et liberam potestatem adserere romano antistiti non dubitarunt, eatenus indulgentes jurisdictioni diœcesanorum, quatenus indultum ipsis ex liberalitate romanorum antistitum ostendatur: illinc qui ordinariorum caussam tuendam susceperunt, præsertim ultra montes Italiæ, querelis acerrimis impleverunt paginas, utinam ab adducendo in discrimen primatum ipsum romanæ sedis temperavissent. Dandum id est fervori concitationique animorum, ubi ad litigia et contentiones perveniunt. Qui pacato animo, suppositoque studio partium velit sincere loqui, et, quod potis imum est, eam ferre sententiam, quæ et definitionibus ecclesiæ, et voluntati eorundem pontificum consonet, tria hæc statuere poterit. Primum est ad pontificem maximum, uti supremum ecclesiæ principum pertinere curare ecclesiæ universæ utilitatem. Ex hoc necessario sequitur, valere pontificem maximum, quædam beneficia ex prudenti æquabilique arbitrio certis clericis concedere, utut sita in diœcesibus inferiorum antistitum, quoties ecclesiæ universæ utilitas, vel necessitas eosdem clericos curando bono totius ecclesiæ addictos certis redditibus postulet sustentari. Quid enim ex. gr., si generale concilium convocetur, et clerici sint aut in sacra theologia, aut in disciplina canonum peritissimi, quorum opera, lucubrationibus, consilio synodus indigeat; iisdemque aliter occurri commode nequeat, quam certi beneficii collatione? Quid, si evangelicæ prædicationis caussa clerici quidam mittendi sint in peregrinas oras, in quibus necdum oblationibus piorum hominum valeant exhiberi? In his, et similibus casibus denegari nequit pontifici maximo, ut pro ea, qua urgetur generalis ecclesiæ cura, certa beneficia conferat. Alterum est, ad pontificem maximum uti supremum omnium antistitum principem pertinere, vel cohibere excessus, vel supplere defectus prælatorum inferiorum. Ex hoc necessario sequitur, quandoque romanos antistites beneficia conferre non solum posse, sed etiam debere, ubi ea collatione aut defectus suppleatur, aut excessus cohibeatur eorundem antistitum. Id adparet in primis in devolutionibus, de quorum jure actum est in capite præcedente. Id insuper adparet in iis beneficiorum collationibus, quas pontifices maximi fecerunt, ubi clerici quidam sine titulo ab episcopis nonnullis ordinari cœperunt adversus canonum disciplinam, quibus sane erat collatione beneficiorum consulendum. Tertium est, ad honorem pontificis maximi pertinere, ut quandoque patiantur inferiores antistites, quosdam clericos extra ordinem ex pontificis maximi indulgentia certo beneficio donari. Id jam persecutus sum in tractatione de potioribus ecclesiæ dignitatibus, et officiis, cum de pontificis maximi potestate dissererem. Tantum heic dicam, olim licuisse primati carthaginensi, in tota Africa quandoque clericum ordinare, quod sine injuria africanorum præsulum fiebat; olim licuisse constantinopolitano patriarchæ, clericum etiam ordinare in suo patriarchatu extra suam diœcesim sine invidia inferiorum antistitum. Profecto similem prerogativam potiore jure sibi vindicabat romanus antistes in ecclesia tota; eo vel magis, si ageretur de ecclesiis illis, quæ vel romano patriarchatui singulari jure etiam suberant, aut de ecclesiis illis, quæ arctiore vinculo, puta primatiali, vel metropolitico, cum eadem romana ecclesia jungebantur institutæ a san-

ctis apostolis Petro et Paullo, vel a discipulis, aut successoribus istorum apostolorum romanæ ecclesiæ fundatorum. Id facile deduci posset ex can. 20, caus. 9, qu. 3, si certo adscribi valeret Stephano papæ. Quod si ordinatio clericorum olim non disjungebatur a collatione beneficiorum, idem jus, quod in ordinatione, præterea in collatione beneficii romani antistites explicabant; disjuncta autem collatione ordinum et beneficiorum, sive in ordinibus, sive in beneficiis eandem potestatem retinere romani antistites perrexerunt.

Firmissima videntur et inconcussa tria ista principia, quibus positis præparata res esse videtur, ut propius ad propositum accedatur. Usque ad sæculum ecclesiæ duodecimum, qua ætate collatio beneficiorum erat ordinum collationi conjuncta, aut vix aut admodum raro evenit, ut pontifices maximi in diœcesibus inferiorum antistitum beneficia conferrent. Vix scimus, usos fuisse facultate clericos præter numerum ordinandi, argumento dicti canonis 20, caus. 9, qu. 3. Ubi de ordinando clerico in locum decedentis ageretur, aut episcopi statim alium clericum et in officio, et in beneficio sufficiebant; aut siquid ab episcopis desidiæ admitteretur, id totum a metropolitano vel in provinciali synodo, vel etiam extra synodum emendabatur. At sæculo duodecimo sejuncta ordinatione clericorum a collatione beneficiorum, passim a nonnullis episcopis peccatum est contra canonum disciplinam, quæ neminem sine titulo ordinari mandabat; atque ob delinquentium moltitudinem non facile subjacere poterant pœnæ canonum, qualis erat depositio ab ordine et officio ita suscepto, ad quam pœnam evitandam etiam induci cœpit, ut patrimonia loco beneficiorum substituerentur, quasi patrimonium loco tituli ecclesiastici esse posset, uti inferius tradendum erit in appendice. Imo neque interea ordinati omnes patrimonium sibi constituebant: plurimi ordinabantur, spe bona concepta futurum, ut beneficium, cum vacaret, nanciscerentur. En caussam, cur clerici sine titulo ordinati, et necessariis vitæ subsidiis destituti, confugere cœperunt ad romanum antistitem, ut ab eo vel directo collationem beneficii impetrarent, aut saltem mandatum obtinerent ad episcopum dirigendum, quo episcopus ad conferendum beneficium, aut vacans, aut proxime vacaturum adigeretur, cap. 13, de ætat. et qualit. præfic., cap. 16 de præb., cap. 30 eod. tit. in 6. Erat hæc ingenita potestas romano primatui, cujus auctoritate aut supplendi defectus, aut cohibendi excessus erant antistitum inferiorum. Pontificiis quoque collationibus novam occasionem ead. tempestate præbuerunt urgentes singulares caussæ, quibus excitabatur romanorum pontificum sollicitudo ad consulendum necessitatibus quorundam clericorum optime de universa ecclesia meritorum, quibus non aliter consuli poterat, quam collatione beneficiorum in diversis diœcesibus constitutorum. Quoties igitur de his, aut similibus caussis mandabatur episcopis, ut certo clerico beneficium conferretur, appellabantur ista *mandata de providendo*, si ad certum beneficium jam vacans, aut *gratiæ expectativæ*, si ad certum beneficium nondum vacans, vel generaliter ad quod primum in certa ecclesia vacaret, referrentur. Quoties autem iidem pontifices sine mandato, vel expectativa per se directo conferrent, collatio hæc vim habere dicebatur, vel jure præventionis, si pontifex maximus ordinarium prævenisset, vel jure concursus, si eodem tempore et ab ordinario, et a pontifice maximo diversis clericis ejusdem beneficii collatio facta fuisset.

Jam attingere paucis cœpi speciosam pontificiarum collationum originem, partim ex jure singulari pontificis maximi, sive ex honore pontifici eidem debito, partim ex cura pastorali pontificis maximi, modo universæ ecclesiæ bono consulentis, modo abusum inferiorum antistitum corrigentis repetendam. Singulari illa honoris prærogativa, qua possent quandoque conferre beneficia, sive clericos ordinare in diœcesibus inferiorum, non frequens usi fuerunt; frequentius allegarunt pontifices maximi pastoralem curam, et sollicitudinem, modo adversus prælatos, modo erga inferiores clericos, modo ad ecclesiarum commodum exercendam. Fuit aliquando res hæc plena contentionum, plena etiam querelarum, adeo ut cum ad tridentinum concilium deducta fuisset, duxerint tridentini patres, et mandata de providendo, et gratias expectativas abolere; tum vero visæ sunt etiam expirare jura concursuum, et præventionum. Dabo operam, ut res hæc in claro lumine collocetur; quamquam enim hodie extraordinariæ illæ collationes cessaverint, earum tamen notitia maxime, vel ad intelligendas plurimas decretales epistolas, seu pontificia rescripta, qualia in juris corpore continentur, vel ad percipiendam hodiernarum reservationum originem, caussasque conducit. Quod dum perficio, tria potissimum consectaria deducenda velim; primum est, abusum episcopalis jurisdictionis præcipue dedisse locum frequentibus pontificum mandatis de conferendo, aut etiam collationibus directo factis; alterum est, abusum clericorum, suscepta sollicitudine provida pontificibus maximis occasionem dedisse, ut mandata de conferendo abolerentur; postremum est, in his omnibus nihil detractum fuisse episcopali, nihil pontificiæ auctoritati.

Mandata de providendo quum primum invaluerunt, nihil aliud exhibebant, quam epistolas quasdam a summo pontifice ad ordinarium missas, quibus clerici commendabantur

gratia certi vacantis beneficii obtinendi, atque illis si morem ideo non gererent ordinarii, quod singulares caussæ executionem vel differrent, vel omnino impedirent, allegandæ istæ erant, qua iidem summi pontifices recepturos se profitebantur, cap. 5 de rescript., cap. 13 in fine de ætat. et qualit. præficien., cap. 6 de præbend. At si mandatum exequi sine caussa ordinarii detractarent, solebant a sede apostolica mitti ad contumaces, primum monitoriæ, deinde præceptoriæ, ac demum executoriæ epistolæ, quibus extraneus mandati executor constituebatur in pœnam ordinarii, irrita declarata quacumque alia beneficii collatione; aliquando etiam instar peremtorii prætorum edicti, argumento leg. 68, 69, 70, 71 ff. de judiciis, una tantum tum pro omnibus epistola executoria dirigebatur, cap. 19, 30, 37, 39 de rescript., cap. 12, 14 eod. tit. in 6, cap. 27 de præbend., cap. 4 de conces. præben. Eadem erat ratio gratiarum expectativarum, nisi quod gratiæ expectativæ concedebantur ratione habita beneficii necdum vacantis, sive certum esset, sive incertum, puta quod proxime esset, vel primo vacaturum. Præterquamquod hæ collationes improbari summo jure non poterant ob pontificis maximi prærogativam, qui quandoque valebat certos clericos in prælatorum diœcesibus instituere, uti superius adnotabam; præterquamquod insuper ea ratione pontifex maximus consulebat quandoque universæ ecclesiæ bono, dum certis clericis provideret vel bene jamdiu meritis, vel bene merentibus de universa ecclesia, quod non effugit pontificis maximi providentiam, præ ceteris tamen occasionem præbebat his extraordinariis collationibus negligentia quorundam antistitum qui clericos ordinabant, quin istos certis ecclesiis adscriberent, et beneficio donarent, cujus rei argumentum evidens est in cap. 13 de ætat. et qualit. præfic., et in cap. 16, de præbendis. Quousque in his adjunctis, et pontifices maximi, et episcopi, et clerici inferiores versabantur, cum sua vindicabatur romano episcopo auctoritas, tum nihil detrahebatur ordinariæ potestati episcoporum, qui potius commovebantur, ut suo muneri satisfacerent. At enim ubi magna esse cœpit mandatorum de providendo, et gratiarum expectativarum frequentiæ, clerici inferiores abuti cœperunt pontificia providentia. Plurimi ex ipsis tutius putaverunt petere a pontifice maximo, quam ab episcopo suo beneficium, atque ut voti compotes fierent, obreptitias, aut subreptitias preces pontifici maximo exhibebant. Ipsa etiam multitudo, et improbitas impetrantium pluribus contentionibus occasionem præbebat. In primis contingebat, ut aliquando, unum idemque beneficium pluribus clericis in romana curia concederetur, nulla facta in secunda prioris concessionis mentione, cap. 38 de rescript., cap. 12, 13, 14 eod. titul. in 6, cap. 20 de præben., cap. 7 eod. tit in 6, et quamquam regula esset, secundum rescriptum non valere, utpote subreptitium, et propterea voluntate pontificis destitutum; imo licet pontifices iidem providam hanc clausulam solerent in rescriptis adjicere, *nisi de mandato nostro ecclesia foret in alterius receptione gravata*, cap. 30 de rescript., tamen pluribus pari rescripto munitis singulares emergebant quotidie controversiarum caussæ, vel quod qui posterius rescriptum obtinuisset, prius coram executore se præsentem constituisset, aut etiam prius possessionem beneficii occupasset, vel quod qui prius rescriptum obtinuerat, moram dolo culpave contraxisset, cap. 11, 13 et 31 de præbend. in 6. Contingebat etiam aliquando, ut clerici rescripta obtinentes improbas inirent inter se pactiones, quibus unus gratia alterius sub conditione pensionis juri suo renunciabat, unde beneficiorum fieret turpis quæstus, et abominanda mercatura. Contingebat insuper aliquando aliis prætermissis ecclesiarum incommodis, ut clericus impetraret plura rescripta, quibus plura in diversis diœcesibus beneficia obtineret, eo animo, ut quod pinguius agnovisset, illud statim ab ordinario postularet, exhibito pontificio mandato, quod ejus caussa impetratum fuisset, ceteris interea mandatis alia beneficia spectantibus dissimulatis, quibus deinde, quotiescumque sibi libuisset, uteretur. Graviora similiter ex numero, et improbitate petentium in dies emergebant ecclesiarum incommoda ex gratiis expectativis. Vel enim expectativa ad certum beneficium referebatur: atque in ea specie occasionem avidiores nonnulli clerici capiebant beneficiarii mortem optandi; quod votum, imo et quamcumque hujus voti occasionem jamdiu avertere studuerunt canonum conditores, cap. 2 de concess. præben., cui jungi debet lex ult. cod. de pactis. Vel in expectativa nullum certum beneficium designabatur, sed ex. gr. quod primo esset in certa ecclesia vacaturum: ac tum quis non videt, quot potuissent ab impetrantibus fraudes admitti, quotque inter plures simili rescripto præditos contentione emergere? Perpendantur in hanc rem capitulum 10, 11, 13, 14, 29, 39 et ult. de præbend. in 6, capitulum 1 et totus titulus de concess. præbend. in 6, clementina 5 de rescriptis, et clement. 5 de præbendis. Tot, tantique clericorum abusus delati fuere ad tridentinum concilium, cujus auctoritate decretum fuit, mandata de providendo, et gratias expectativas nemini amplius etiam collegiis, universitatibus, senatibus, et aliis singularibus personis concedi, nec eatenus concessis cuiquam uti licere. Adjectum insuper fuit, nec reservationes mentales amplius valere, quarum no-

mine illæ intelliguntur, quibus pontifex maximus aliquando vel certum beneficium, vel primo in certa ecclesia vacaturum collationi suae semel reservabat concedendum clerico, quem non expresse indicabat, sed tantum animi designatione, aut memoria tenebat concil. trident. sess. 24 de reform. cap. 19. Hæc concilii providentia uti adversus clericorum inferiorum subterfugia tuita fuit episcoporum potestatem, ita nihil detraxit pontificiæ auctoritati; cujus respectu tantum prohibuit, ne eam clerici, ut olim solebant, mentitis precibus, aut conquisitis artificiis circumvenirent. Ceterum incolumis mansit pontificia potestas, sive quod identidem valeat romanus antistes antiquum honorem explicare, de addicendis identidem quibusdam clericis in diœcesibus episcoporum ministraturis, sive quod certis beneficiis donare valeat clericos ad utilitatem universæ ecclesiæ laborantes, quibus non commodius occurri posset; sive quod in devolutionibus supplere possit prælatorum inferiorum negligentiam, aliisque similibus de caussis, quæ principiis modo positis consonat.

Abolita disciplina mandatorum de providendo, consectarium fuit, ut propemodum cessarent jura concursuum, vel præventionum, utpote quæ non aliter explicabantur, quam mandatis de providendo. Revera si in collatione beneficii ordinarius prævenisset pontificem maximum, tum mandatum de providendo irritum erat, quasi collationem contineret beneficii, quod vacans non esset, quodque proinde sine injuria possessoris conferri non poterat. At si e converso in collatione beneficii pontifex maximus prævenisset ordinarium vel mandato, vel expectativa, frustra ordinarius deveniebat ad beneficii collationem, quam pontifex maximus præoccupaverat. Quod si aut uno, eodemque tempore et pontifex maximus, et ordinarius beneficium contulissent, aut ignorabatur, uter alterum prævenisset, in hoc concursu potior ratio pontificis maximi habebatur. Huc spectat capitulum 31 de præbendis in 6, in quo Bonifacius VIII auctoritate sua finem imposuit controversiæ, quæ tunc temporis concursuum caussa agitabatur, de duabus collationibus eodem die factis, et a pontifice maximo, et ab ordinario, quin adpareret, quæ collatio primum facta fuisset. Ait in primis Bonifacius, tuendam esse possessionem illius, qui jam in beneficio institutus fuerit, sive institutio auctoritate pontificia, sive auctoritate ordinarii facta fuisset. Prudentissima sane responsio, quæ ubi in dubio res versatur, favet possessori, cap. 65 de reg. jur. in 6, juncta l. 36, § 3, ff. de testam. milit. Subdit deinde Bonifacius, ubi neuter possideat, præferendum esse eum qui, pontificia auctoritate beneficium nactus fuisset. Displicere nemini debet hæc definitio: Siquidem observandum est, collationes, quæ tunc temporis fiebant auctoritate pontificia, extra ordinem fieri consuevisse, nimirum ex quibusdam singularibus emergentibus caussis, quibus consulere, insuper habita ordinarii juris forma, romanus antistes judicabat. Regula autem est, jus ordinarium extraordinariæ cuidam providentiæ cedere. Hanc ego caussam puto, quare Bonifacius ita rescripserit; et quamquam in eo rescripto ipse profiteatur ita definivisse *propter conferentis ampliorem prærogativam*, hoc tamen non erat definitionis ejusdem fundamentum; neque enim novum est apud interpretes, ratione rescriptis adjectas non esse illas, quæ animum rescribentis moverint, sed alias; quæ certis de caussis prudenter omissæ fuerint, unde in adagium abiit, rationes juris non facere jus. Revera non semper verum est, majorem prærogativam dignitatis attendi in concursu duarum potestatum in diversa tendentium: potius quod extra ordinem est, ordinario juri præfertur. Exemplum sit, utut longe petitum, in jure civili, et in jure prætorio: quamquam enim præstantius sit jus civile a populo lege lata constitutum, jure prætorio ab uno magistratu edito, tamen jus prætorium juri civili præfertur, non alia de caussa, nisi quod jus apud prætorem extra ordinem reddebatur. Quamobrem ea Bonifacii VIII definitio hodie meo judicio frustra accommodaretur simili casui, qui eveniret in reservationibus pontificiis, propterea quod reservationes non amplius extra ordinem, beneficiorum collationi pontificiæ locum faciunt, sed quodammodo in jus ordinarium, utut singulare, abiverunt.

Nondum recedo ab hac præventionum, et concursuum materie, nisi primum nonnulla tradiderim ad explicationem regulæ 30. Cancellariæ, quæ inscribitur *de verosimili notitia*, siquidem hæc regula, utut etiam hodie vigeat in caussis beneficiorum pontifici maximo reservatorum, originem tamen habuit ex caussis præventionum, et concursuum, in quibus clerici identidem de prærogativa adepti beneficii contendebant. Quando frequentia erant mandata de providendo, et plures clerici mandatum surripiebant pontificis maximi, caussa ejusdem beneficii adsequendi, guari ejus potiorem esse caussam, qui prævenisset, inter varias, quas admittebant, fraudes hæc erat, ut vel impetrarent beneficium per obitum viventis, vel tempora supplicis libelli repræsentarent, sive, ut alii loquuntur, *datam anteverterent*, ut facilius agnoscerentur tempore priores. Jamdiu his fraudibus obviam itum fuit. Et primo cautum, ne quis viventis beneficium adipisceretur, cap. 1 de concess. præb., item ne cui promitterentur beneficia, antequam vacarent, cap. 2 eod., cap. 2 eod.

in 6, quod confirmatum est in regula 21 cancellariæ *de non impetrando beneficium per obitum viventis.* Deinde contra eos, qui tempora repræsentabant, statutum est in dicta regula 30, non valere collationes pontificias, nisi post obitum beneficiarii, et ante datam literarum apostolicarum tantum tempus effluxerit, quantum requiritur, ut pontifex maximus notitiam vacationis habuisse credatur. Hæc regula, utpote maxime opportuna ad fraudes tollendas, tanquam omni favore digna ab omnibus recipitur; et quamquam ante inductas reservationes generales edita fuerit vel a Benedicto XII, vel, uti aliis placet, ab Joanne XIII, vel a Martino V, nihilominus tamen adhuc viget post editas generales reservationes; neque a prudentiæ regulis aberrant, qui putant, etiam habere locum in collationibus factis auctoritate episcoporum, in quibus similes fraudes admitterentur cum publice intersit, hujus generis fraudes a quocumque collationum genere eliminari. Plane hoc tempus non est in regula determinatum; neque enim determinari poterat ob varias locorum distantias; eamque ob rem Judicis arbitrio determinandum relinquitur. Observandum est in hac re, si pontifex maximus ab urbe abesset, et in urbe reliquisset signatorem, satisfactum esse regulæ, si post obitum beneficiarii tantum tempus effluxerit, quanto ad eundem signatorem notitia devenire potuerit, quod declaratum fuisse a Clemente VIII refert Rigantius ad eandem regulam n. 2.

Nunc stratam viam habemus ad expendendas generales reservationes pontificis maximi gratia inductas post abolita mandata de providendo, et gratias expectativas. Quando in hac abolitione, uti superius dictum est, nihil adversus auctoritatem pontificiam tentatum fuit; tantum obviam itum fraudibus clericorum pontificem maximum circumvenientium, congruum erat, ut pontificia potestas sua jura retineret, qualia in canonibus, et in perenni disciplina temporum fundamentum habebant; sive ex eo, quod pontifici maximo concedendum erat, ut certos identidem clericos in diœcesibus ordinariorum constitueret, et ecclesiis ministraturos, et ab ecclesiis alimenta percepturos, argumento canonis 20, cau. 9, qu. 3, et cap. 7 de major. et obed., sive ex eo, quod pontifici maximo concedendum erat, ut certorum beneficiorum collatione providere posset clericis universæ ecclesiæ utilitati laborantibus, sive ex eo, quod interesse poterat, pontificem maximum singulari beneficiorum quorundam collatione oportunis consulere commodis inferiorum ecclesiarum, aut supplendo episcoporum negligentiam, aut cohibendo episcoporum excessus, in quo primatus pontificii sollicitudo consistit. Hic tamen est, ubi certi fines statui non potuerunt, quando extraordinaria illa pontificis maximi potestas ex prudenti arbitrio, cui potissimum locum facere poterant varia caussarum, locorum et personarum adjuncta, pendebat. Non defuerunt episcopi quidam, qui de diminuta in beneficiis conferendis potestate sua conquererentur, universa suæ diœcesis beneficia collationi suæ perpetuo vindicantes. E converso quidam romani ponfices veterem potestatem ordinandorum identidem clericorum in diœcesibus inferiorum antistitum sibi adseruerunt, eademque ratione potestatem beneficiorum conferendorum. Utraque pars non destituitur caussæ suæ tuendæ præsidiis, dummodo modus servetur; idest dummodo episcopi agnoscant, se pontifici maximo et subesse, et certum honorem etiam in hac parte debere; et dummodo pontifices maximi pergant profiteri, quod sæpe professi sunt, nimirum nolle se inferiorum episcoporum jura turbare, et pro lubitu trahere ad se, quod cana antiquitas ordinariis universis concessit, can. 1 et sequentibus cau. 25, qu. 1, can. 1 et sequentibus cau. 25, qu. 2, quod et agnoscere visi sunt patres tridentini concilii, quando statuerunt, caussas beneficiales in prima instantia esse ab ordinariis dirimendas, nisi gravibus, urgentibusque de caussis pontifex maximus aliquam ad se advocare prudenti arbitrio judicaverit, cap. 20, sess. 24 de ref. Quid tamen? Ad ea tempora deventum erat, quibus disputationes et concertationes acres emerserunt occasione collationum. His occasionem dederat, ut dictum est, episcoporum desidia, et clericorum plurium apostolicam sedem circumvenientium insolentia. Non ad juris principia semper respiciebatur in hoc controversiarum genere dirimendo, ea præsertim tempestate, qua non bene exculta erat sacrorum canonum disciplina. In his rerum adjunctis utraque pars ad extrema vergebat, uti contingere solet inter medios æstus litigantium, ac disputantium; unde gliscere cœperunt opiniones veteribus patribus prorsus incognitæ, modo illorum, qui pontificiæ auctoritati plus æquo velificantes ordinariam pontifici maximo collationem beneficiorum in tota latissime patente ecclesia asseruerunt, tantum episcopis concedentes, quantum ex delegatione vel indulgentia pontificis maximi concessum eisdem adpareret; modo illorum, qui episcopalem potestatem plus æquo provexerunt, quasi nihil honoris, aut potestatis in episcoporum diœcesibus romano antistiti relinquatur. Inter has disputationes non verbis modo, sed et factis pugnatum est: conferebant pontifices maximi beneficia, conferebant episcopi: unusquisque suam collationem pro viribus tuebatur. Ex factis, ne confusio in ecclesia fieret, oriri certe debuerunt transactiones, pacta, concordata. Arbi-

traria illa mandata de providendo, arbitrariæ gratiæ expectativæ post tridentinum concilium cessaverunt. Successerunt regulæ quædam, ex quibus certa beneficia conferenda reservarentur pontifici maximo, cetera collationi ordinariorum relinquerentur. Hinc receptæ hodiernæ reservationes, alicubi non omnes, alicubi pleræque, alicubi paucæ, alicubi universæ, pro modo temporum, locorum, et similium adjunctorum; atque hac ratione consultum est pontificiæ, æque ac episcopali auctoritati. Itaque nemo non videt, quam sobrie, quam prudenter sit de hac reservationum materie judicandum, quod sane perficietur ab iis, qui superius posita principia recte tenuerint, quibus pontificia potestas asseritur, explicatur.

Ceterum dici initio potest, reservationes omnes, quæcumque illæ sint, ab interpretibus numero plurimis, inter quos est Gartias de beneficiis parte 5, c. 1, n. 67, odiosas appellari, seu, quod idem est, strictam pati interpretationem, eam scilicet, qua quanto minus fieri possit ordinariorum potestati detrahatur; adeo ut in dubio semper respondendum sit pro ordinaria potestate. Et re quidem vera, quid aliud est reservatio, quam recessus abs jure communi et generali, cujus admissio nec facilis est, nec extendenda? Quid aliud reservatio, quam exceptio singularis ad regulas, quæ sane exceptio, quoad fieri potest, certis debet limitibus circumscribi, ne latius pateat? Quod si reservatio beneficiorum cum ceteri reservationibus æquiparetur, uti comparari et potest, et debet, statim liquet, nunquam pro reservatione respondendum esse, nisi de ea expresse constet. Ipsi etiam pontifices maximi ita se sentire professi sunt, seu cum dixerunt, *cupere* se eas reservationes *restringere,* cap. 3. de offic. leg. in 6., seu cum reservationem beneficiorum in curia vacantium locum tantum habere voluerunt intra mensem, et quidem continuum, non utilem, utut potestas ordinariorum in conferendis beneficiis explicari intra sex menses et quidem utiles possit cap. 3 de præb. in 6. Neque in contrarium dicas reservationes successisse in locum veterum mandatorum de providendo, quorum vis amplissime explicabatur, adeo ut Bonifacius VIII voluerit, collationem beneficii a se factam præferri collationi factæ ab ordinario, ubi collatio eodem die facta fuisset, et neuter ex iis, quibus collatum beneficium esset, possessionem haberet, c. 31 de præbend. in 6. Ego sane non inficior, reservationes successisse in locum mandatorum. Sed an eadem sit veterum mandatorum, et recentiorum reservationum indoles, et natura, plurimum dubitaverim; neque enim semper verum est, subrogatum induere naturam ejus juris, in cujus locum subrogatur. Observo, mandata de providendo caussam habuisse in extraordinariis adjunctis personarum, temporum et locorum, quibus consulere maxime intererat. Tum mandatum de providendo prodibat auctoritate pontificia, cum clericus sine titulo erat ordinatus contra canonum disciplinam generalem. Cur non in hac specie extendenda fuisset interpretatio mandati, quo disciplina generalis juris vindicabatur? Tum mandatum de providendo, prodibat, cum pauper quidam clericus necessariis esset subsidiis adjuvandus. Cur non in hac specie favendum clerico, ne in injuriam totius clericalis ordinis mendicaret? Tum prodibat mandatum de providendo, cum certus clericus pro ecclesiæ universæ utilitate laborabat. Cur non etiam in hac specie favendum clerico ob eam caussam omni favore dignissimam? Quousque collationes pontificiæ singularibus hisce mandatis fiebant extra ordinem, adjuvari potuerunt interpretatione. At succedente ætate cum mandata frequentiora esse cœperunt, cum mandatis ejusdem abusi fuere clerici numero plurimi, uti superius dictum est, mandata ipsa digna esse desierunt tanto favore, imo et abrogata fuerunt tridentino decreto. Quod si mandatis successere reservationes generales, istæ non iisdem caussis innixæ sunt, neque enim specialibus, et extraordinariis caussis consulunt; tantum coercent potestatem ordinariorum atque istam favore dignam, tantum servant incolumen pontificis maximi auctoritatem in collationibus beneficiorum, quæ auctoritas etiam incolumis manet, etiamsi reservationes non admittant latam interpretationem. Igitur reservationes non adeo facile extenduntur, sed suis debent, ut in ceteris, ita in hac re, limitibus circumscribi.

Variæ designari solent a pragmaticis reservationum partitiones. In primis ajunt, alias unius pontificis maximi gratia fieri, alias fieri gratia cardinalium, quando scilicet pontificia auctoritate indulgetur cardinalibus, ut beneficia ecclesiarum cathedralium, quibus renunciaverint, adhuc conferre pergant, non obstante renunciatione; alias fieri gratia legatorum, seu nunciorum apostolicæ sedis, quibus identidem conceditur, ut certa conferant beneficia, quæ vacent intra fines legationis. Secundo ajunt, alias esse reservationes mentales, alias reales. Mentales vocant eas, quibus pontifex maximus conferat certum beneficium personæ non expresse designatæ, sed quam idem pontifex mente retineat. Ceteras reservationes appellant reales. Hodie hæc partitio minus opportuna est, cum reservationes mentales sublatæ sint tridentino decreto in cap. 19, sess. 24, de ref. Utilior est alia reservationum partitio in eas, quæ clausæ dicuntur in corpore juris, et in eas, quæ extra corpus juris

constitutæ sunt. Sed hic quæstio esse solet, quando in decretalibus Gregorii IX, quæ certe corpus juris communis constituunt, nulla adparet reservatio. Equidem nonnullæ reservationes extant in extravagantibus sive Joannis XXII, sive communibus. Ad extravagantes ex sententia vulgari interpretum fere omnium corpus juris minime constituunt. Itaque tota res refertur ad sextum decretalium, de quo non omnes catholici orbis provinciæ consentiunt in ea quæstione, an iis liber Bonifacii VIII ad corpus juris pertineat. Quidquid sit de hac re passim pragmatici tradunt, reservationem clausam in corpore juris unicam esse nimirum reservationem beneficiorum vacantium in curia romana per obitum beneficiarii, propterea quod hæc reservatio firmata fuerit in cap. 2 et 34 de præbend. in 6. Ceteras reservationes ajunt extra corpus juris consistere, videlicet inductas aut per extravagantes constitutiones, aut per regulas cancellariæ. Inter extravagantes constitutiones Joannis XXII recenseri potest extravagans unica de præbendis, quemadmodum inter communes extravagans 13 eod. tit., et extravagans unica de tregua et pace. Regulæ cancellariæ non sunt antiquiores Joanne XXII, qui vixit ab anno 1316, usque ad annum 1334, Avenione ut plurimum residens. Quamquam enim romana cancellaria longe antiquior sit, cap. 10 de rescript., cap 6 de confirmat. ut. vel inut., cap. un. ut eccles. benef., cap. 4 de crimine falsi, cujus officiales etiam memorantur in cap. 14 de cler. non resid., nihil tamen aut in cancellaria, aut a cancellariæ officialibus præstabatur, quod spectaret reservationes beneficiorum, neque certæ erant scripto consignatæ regulæ. Tantum tractabantur res judiciariæ, aut etiam formulæ mandatorum de providendo, et gratiarum expectativarum, atque omnia digerebantur ex placito pontificio oretenus habito. Primus regulas scribi mandavit Joannes XXII, quas deinde certa methodo exornaverunt successores pontifices, inter quos præcipue Nicolaus V, adeo ut inde, non quidem statim, sed pedetentim, et sensim eam formam induerint, quam exhibent in præsentia. Certum est in iis cancellariæ regulis plura beneficia sedi apostolicæ reservari; sed reservatio ipsa non primum ex regulis prodii, sed ex constitutionibus, ad quas regulæ referebantur. Hæc ratio est, quare regulæ promulgari extra cancellariam minime consueverint, et quare non obstante promulgationis defectu executioni fuerint demandatæ; quasi non leges essent, sed instructiones, quibus officiales romanæ curiæ uterentur in exequendis pontificiis constitutionibus. Ecquidem non omnibus peræque christiani orbis gentibus placere potuit hæc disciplina, unde profluxit regulas cancellariæ non ubique paratam executionem invenisse. In Italia, insulisque adjacentibus major habita fuit earum ratio. Extra Italiam quædam receptæ sunt, quædam non receptæ, pro modo singularum, prout nimirum aut æquissimam generalis juris interpretationem continebant, aut quidquam novi promovebant adversus jura ceterarum potestatum. Proponebatur contra illas alicubi, eas non esse in provinciis promulgatas, et licet plura continerent, quæ in constitutionibus pontificiis sancita fuissent, proponebatur tamen, constitutiones illas aut non ubique receptas fuisse, aut, ubi etiam receptæ essent, non fuisse perpetuas, inter has controversias omnia diremit usus, et consuetudo provinciarum: ut plurimum facto suo adquieverunt episcopi, minime audentes conferre beneficia in illis regulis reservata, præsertim quod regulæ essent decreto irritante munitæ, certasque pœnas in refragantes inferrent. Obtinuit, ut istæ regulæ proponantur ut plurimum die crastino assumtionis novi pontificis, a quo primum tempore obligare dicuntur, etiamsi forte notitia publicationis necdum ad episcopos beneficiorum collatores, pervenerit, non quidem ita, ut episcopi publicationem ignorantes pœnis coerceantur, sed ita, ut collatio post publicationem facta irrita sit. Solent hodie pontifices maximi recens electi easdem regulas edere, quas editas a decessoribus noverint, et raro admodum quidquam immutatur. Interveniunt autem ad illas edendas, ac publicandus datarius, subdatarius, duo antiquiores Rotæ auditores, regens cancellariæ, duo abbreviatores de majori præsidentia, totidem advocati, et procuratores magis edocti, et periti in curia romana, præter peritiores datariæ officiales; et desinunt eædem regulæ fere omnes obligare, ubi pontifex maximus mortuus fuerit, iterum obligaturæ, cum a successore pontifice publicentur. Hæc ratio est, quare pragmatici has regulas comparare soleant veteribus romanorum prætorium edictis, quæ utut perpetua esse cœperint, quotannis tamen renovato prætorum officio promulgabantur; imo et passim tradunt, publicationem regularum non fieri, ut illæ innotescant, sed potius, ut adpareat, illas a pontifice recens electo fuisse confirmatas. Quomodo producendæ sit regulæ, ut fides illis in judicio adhibeatur, constitutum fuit in regula 28. Hac posita reservationum partitione, voluerunt pragmatici majorem vim adserere reservationibus claussis in corpore juris, quam adsererent reservationibus ceteris. Quid diceret in hanc rem Nicolaus I qui adversus Gallos disputans olim ajebat, parum interesse ad vim legum, an in corpore juris continerentur, an minus, quamquam ageret de decretalibus, quas incauta ætas perperam priscis pontificibus adscripserat,

can. 1, dist. 19? Quando nulla alia est in corpore juris comprehensa reservatio, quam beneficiorum in romana curia vacantium juxta capitulum 2 et 34 de præbend. in 6 danda venia est illis, qui huic majorem vim indere satagerunt, quam ceteris, si cum id peregunt, tum sexti decretalium auctoritate promovent, quod interest curiæ romanæ. Ceterum si nulla alia œconomiæ ratio ita suaderet, non video, quid interesse possit inter capita juris in codicem decretalium relata, et inter cetera capita, quæ usu recepta sunt et comprobata. Dicant quidem, reservationum beneficiorum in romana curia vacantium majore favore dignam esse: Quid si fateamur? Id ex alia caussa proficisci potest, quam ex eo, quod ea reservatio in corpore juris, ut ipsi ajunt, contineatur. Quid caussæ fuerit, cur hæc reservatio induceretur, inferius dicam; tum autem liquebit caussam consistere in gravi proposita ecclesiarum omnium utilitate. Itaque ex sententia pragmaticorum reservatio clausa in corpore juris unica est: Hæc ipsa singulari innititur ratione. Quid ergo opus erat, eam prædicare majore favore dignam ex generali principio, propterea quod in corpore juris clauderetur, quando satis erat, singularem ejus reservationis inducendæ caussam significare, ut satis digna favore videretur? Ceterum audiamus pragmaticos, cum tradunt, reservationis clausæ in corpore juris majorem esse habendam rationem. Ajunt ipsi in primis, si collatio beneficii ad pontificem maximum spectet ex multiplici reservatione, et inter istas reservationes una sit clausula in corpore juris, hanc tantum reservationem attendi, ceteras nullo modo. Ad id probandum hoc utuntur argumento: reservatio clausa in corpore juris est antiquior: ceteræ recentiores sunt: ergo cum ceteras pontifici maximi induxerunt, tum demum reservarunt beneficia, cum necdum reservata adparerent. Clarius id demonstratur exemplo. Reservata sunt in corpore juris, ut ajunt, beneficia vacantia in curia. Reservari inde cœperunt beneficia, quæ ab officialibus romanæ curiæ possiderentur. Secunda ista reservatio videtur sub conditione facta, nimirum si beneficium non in curia romana vacaverit; quid enim opus in hoc casu secunda reservatione, quando jam beneficiorum erat reservatum? Agnosco vim hujus argumentationis, sed non satis video, quomodo propositum juvet. Revera si attenditur ex mente pontificis reservantis præcipue reservatio illa, quæ tempore præcessit, non ideo attenditur, quia sit clausa in corpore juris, sed quia jampridem fuerat constituta; atque ex accidenti fit, quod, quæ reservatio tempore præcessit, eadem corpori juris insereretur. Quod si reservationes extra corpus juris indictæ invicem inter se comparentur, cum una sit altera tempore prior, eadem ratio etiam in istis locum habebit; scilicet ut non attendatur reservatio inducta posteriore tempore, ubi alia jam reservatio prius constituta collationem elevat ordinarii. Non immoror diutius in hac re; siquidem ignoro, quænam esse possit in praxi hujus observationis utilitas. Revera ubi multiplex reservatio impedit ordinarii collationem, parum interest pontificis maximi, utra reservatione utatur, quando certum est, ipsum unum conferre: parum quoque interest ordinarii, quando certum est, ipsum conferre non posse. Ajunt secundo pragmatici, regulas de annali, vel triennali possessore locum quidem habere in beneficiis reservatis reservatione extra corpus juris indicta, non vero in beneficiis reservatis reservatione clausa in corpore juris. Hæc non æque facile probantur, ac scribantur, neque enim pragmatici quidquam in hanc rem adferunt, quod persuadere quemquam possit. Ego observo, etiam reservationem clausam in corpore juris strictam interpretationem pati, et revera fuisse coercitam ab ipsis pontificibus maximis in cap. 3 de præbend. in 6, e converso regulas aut de annali, aut de triennali possessore maximo favore dignas passim haberi, propterea quod et publicam utilitatem contineant, et fraudibus obviam eant, et fundamentum habeant in jure communi, quod omnes omnino reservationes antevertit. Si hæc adamussim perpendantur, quid est, quod proponi possit ad anteferendam reservationem clausam in corpore juris regulis de annali, aut de triennali possessore? Profecto regula de annali possessore, non tam possessori favet, quam punit eum, qui subreptitiis precibus beneficium a pontifice maximo impetraverit. Num puniendus non erit subreptitius impetrator, quando beneficium impetrat reservatum reservatione clausa in corpore juris? Nihil tale dicitur in regula de annali: in jure autem passim generaliter traditur, nemini prodesse posse pontificium rescriptum quod fuerit subreptitiis precibus impetratum. Regula de triennali possessore etiam in jure communi fundamentum habet, quando triennalis præscriptio jure ipso probata est, cap. 1 da præscription. Deinde non video, quinam possit esse hujus observationis effectus, quando in reservatione clausa in corpore juris tantum mensis, et quidem continuus definitus est, intra quem collatio pontificis maximi admittatur, cap. 3 de præbend. in 6 ac propterea inutiliter turbaretur, qui jam a triennio beneficium vacans possederit, ab eo, qui recens beneficium obtinuerit ab apostolica sede, eo prætextu, quod in curia vacaverit. Non diffiteor, in regula 36. de triennali possessore expresse definiri, nemini suffragari triennalem possessionem, qui se intruserit in beneficia reservata reservatione clausa

in corpore juris. Sed observo in primis, similem clausulam non haberi in præcedente regula de annali, ex quo verosimilis capitur conjectura, pontifices maximos non idipsum recipi voluisse in annali possessione. Deinde observo in conspectu dictæ regulæ 36 duo requiri, ut quis a triennalis possessionis beneficio excludatur, primo, ut beneficium sit reservatum reservatione clausa in corpore juris, secundo, ut se facto suo intruserit. Denique observo, aliud esse, sic intrusum non posse habere jus in beneficio, aliud, adhuc habere locum reservationem clausam in corpore juris, non obstante triennali beneficii vacatione, quod sane foret contra definitionem dicti capituli 3 de præbend. in 6. Ajunt tertio pragmatici, quemadmodum concessio generaliter facta a pontifice maximo alicui prælato conferendi quæcumque beneficia etiam reservata, non refertur ad beneficia reservata reservatione clausa in corpore juris; ita etiam generalem derogationem reservationibus factam nullo modo reservationem in corpore juris clausam afficere. Etiam hæc definitio probatione indigeret. Ego observo, id totum consistere in interpretatione voluntatis, vel pontificis maximi, quando alicui indulget, ut valeat beneficia reservata conferre, vel etiam alterius, quando jubet, aut paciscitur, ne reservationes pontificiæ in collatione certorum beneficiorum locum habeant. Non dubito, quin exceptæ intelligantur reservationes clausæ in corpore juris, quando qui reservationes aut remiserunt, aut excluserunt, in ea voluntate fuisse probentur. At utrum ea voluntas fuerit, quæstio facti est, quæ facile non præsumitur. Ne dicas, reservationes clausas in corpore juris validiores esse, et firmiores, ita ut, quoad fieri possit, conandum sit pro illis tuendis, ac sustinendis. Est hæc petitio principii necdum explorati. Reservatio etiam clausa in corpore juris nunquam eo favore digna visa fuit, quemadmodum liquet in conspectu dicti capituli 3, de præbend. in 6. Distinguamus speciem a specie. Proponi in primis potest species de fundatore, qui in limine fundationis beneficii ita voluerit perpetuo beneficium conferendum ab ordinario, ut nullæ reservationes pontificiæ locum haberent. Tunc ego puto, ita interpretandam esse fundatoris voluntatem, ut reservationem etiam in corpore juris clausam excluserit, etiamsi ejus expresse et specialiter non meminerit. De potestate fundatoris non dubitatur: Tota quæstio est de voluntate. Jamvero qui voluit ordinariæ potestati favere, exclusis reservationibus, voluit sane eum beneficio donari, quem ordinarius utpote apprime conscius adjunctorum, quæ beneficium in diœcesi situm circumstant, elegerit; non præsumitur eam clausulam adjecisse odio pontificiæ potestatis, quod sane impium esset, et christiano homine prorsus indignum, sed gratia utilitatis ecclesiæ, et beneficii, quam proprius episcopus curat, et nonnisi eminus curare summus pontifex potest. At enim, qui in hac fuit voluntate, etiam reservationem in corpore juris clausam exclusit. Proponi potest altera species de reservationibus sublatis per pactiones, et concordata inita inter apostolicam sedem et ecclesias inferiores. Cur non simili ratione etiam sublata censebitur reservatio clausa in corpore juris? Iterum quæstio est non potestatis, sed voluntatis. Voluntas paciscentium non eo tendebat, ut elevaretur pontificia auctoritas; eo potius collimabat, ut dispositio ecclesiarum et beneficiorum illi concederetur, qui præsens intueretur necessitates, utilitatesque ecclesiarum, qualis est ordinarius: at hæc voluntas quæcumque beneficia reservata quacumque reservatione complectitur. Dices, in dubio actus universos interpretationem capere ex jure communi; eamque ob rem, salvam manere reservationem clausam in corpore juris, ubi expresse sublata non fuerit. Ego repono, reservationem clausam in corpore juris non esse jus commune, quemadmodum jus commune non constituunt plurima rescripta singularia, quæ in corpore juris inserta deprehenduntur. Ajo insuper, reservationem clausam in corpore juris esse jus novum, jus sane strictissime interpretandum, jus non sine contradictione plurium nationum inductum, jus sane, a quo facile fit ad pristina jura regressus. Tertia species proponi potest de pontifice maximo, qui gratia alicujus prælati voluerit eidem indulgere generaliter collationem beneficiorum reservatorum. Hic sane est, ubi sola pontificis maximi voluntas inspicitur, et finis non alius proponitur, quam benevolentia in prælatum indultarium exhibenda; hanc ob rem in hac specie ego facile admiserim, non esse sublatam reservationem clausam in corpore juris, nisi de ea specialis mentio facta fuerit. Præterquamquod enim id expresse cautum videtur in dicto cap. 2 de præb. in 6 ubi cuicumque denegatur facultas conferendi beneficia in curia romana vacantia, *nisi ei sit super conferendis eisdem specialis, et expressa ab ipso pontifice summo auctoritas attributa*, consonat etiam disciplinæ apud romanos pontifices inductæ, qui nunquam voluerunt, facultatem illam competere iis, quos indulto generali conferendi beneficia reservata decoraverint. Concludunt denique pragmatici, et ajunt, reservationem clausam in corpore juris habere vim specialis inhibitionis. Quid vero his verbis sibi velint, non intelligo, quando reservare beneficia pontifici maximo, quæcumque demum sit reservatio, nihil aliud est, quam inhibere cetaris collatoribus, ne conferant. Id adeo verum est, ut pragmatici iidem fateri hoc ipsum coecti

fuerint, ajentes, illud ipsum vigere in ceteris Reservationibus, uti scribit post Lotherium rigantius in rubricam regulæ 4 cancellariæ § 4 numero 57.

Alia ut reservationum partitio, juxta quam modo speciales dicuntur, modo generales. Specialis reservatio est, quæ ad certum beneficium pro certa, vel incerta persona ex singulari caussa nec perpetua refertur. Hujusmodi olim erant reservationes mentales, quibus pontifex maximus certum beneficium vacans sibi reservabat, conferendum pro una vice personæ in mente retentæ, sed istæ sublatæ fuerunt ex tridentino decreto, uti superius, adnotabam. Hodie apud pragmaticos quædam recensentur specialium reservationum exempla, in quibus tamen acriter disputant inter se, uti evenire solet in iis negotiis, quæ certis principiis non innituntur, sed potius usu provecta sunt, velificantibus nonnullis scriptoribus, qui delectati videntur perturbatione rerum et idearum. Vulgo traditur, reservationem specialem emergere ex collatione pontificia alicujus beneficii incompatibilis facta gratia illius, qui aliud jam incompatibile beneficium possideret, quoties in concessione secundi beneficii decretum, uti solet, apponatur, ut primum beneficium eo ipso vacet, a nemine conferendum, præterquam a pontifice maximo. Ego sane non video singularem in hac specie reservationem, quando in decreto pontificio ita concepto tota res exigitur ad generalem reservationem explicandam. In extravag. 4, de præb. int. com. vers. *quæ omnia* statutum fuit, ut quicumque duo incompatibilia beneficia possideret, ita a beneficio caderet, ut beneficii collatio a sede tantum apostolica fieri posset. Benedictus XII in extravag. 13, eod. tit. etiam expresse cavit, ut reservarentur apostolicæ sedi beneficia quæcumque, quæ vacarent ex promotione alicujus in curia romana ad aliud beneficium. Est hæc reservatio generalis, quam explicare intendunt pontifices maximi, quin novam specialem reservationem inducant, quoties alicui jam beneficium obtinenti beneficium concedunt, adjecto decreto, ut beneficium primum exinde vacans ab uno pontifice maximo sit impetrandum. Fingere quidem possunt pragmatici, in eo singulari decreto majorem quandam viam inesse, ut hoc prætextu specialem reservationem inde eruant; sed expectandum adhuc ab ipsis est, quid intelligant nomine vis cujusdam majoris decreto inhærentis, præter eam, quæ generali reservationi inest; nisi dicere velint, hac speciali reservatione obtineri a sede apostolica posse, quod olim executionem paratam non habuit vi memoratarum extravagantium, quod sane esset novas excitare contentiones, inter quas curetur, obtinere singularibus, prout res incidit, mandatis, quod generali lege non obtentum fuerit. Alterum exemplum specialis reservationis profertur in affectione beneficiorum, quam vulgo a reservatione distinguunt, quemadmodum distinguunt beneficium affectum a reservato, quasi speciem a genere, unde affectionem vocant reservationem quandam specialem. Affectionem dicunt adpositione manus pontificiæ in beneficio, quam secuta ajunt, ad honorem pontificis maximi pertinere, ut nemo ordinarius possit pro ea vice beneficium conferre, quasi specialiter pro ea vice reservatum. Atque hac in re consonant quidem plurimi in tradendis affectionis esemplis, veluti cum tradunt, pontificiam manum ad eum finem adponi, cum beneficium vacans auctoritate pontificia alicui commendatur, aut cum coadjutor datur cum jure futuræ successionis. Verum et hæc ipsa exempla in nonnullorum contradictiones inciderunt; et in aliis exemplis adferendis nec ii quidem conveniunt inter se, qui pro affectionibus tuendis promovendisque dimicaverunt. Ita evenit, iterum dico, in iis caussis, quæ certis principiis non innituntur. Quid tamen? Non defuere, qui reservationem hanc specialem, quam affectionem nominant, aut clausam dixerint in jure communi aut saltem ex juris communis disciplina recta interpretatione derivatam. Adferunt isti in hanc rem capitulum 56 de appellat. capitulum 1 et 2, de confirmat. util. vel inutil. et capitulum 11, de excess. prælat. Hæc vero omnia juris capitula nihil commune habent cum memorata affectionis doctrina. In dicto cap. 56 traditur, neminem ex inferioribus judicibus cognoscere posse de caussa, quam romanus antistes ad se advocaverit, quod sane longe distat a proposito affectionum. Ex cap. 1, de confirm. ut. vel inut. nescio an pro affectionibus, an contra affectiones quidquam deduci possit. Ibidem definitur, si cœpto apud inferiorem judicem judicio quis confirmationem rei litigiosæ a sede apostolica impetraverit nihilominus judicem inferiorem posse judicium prosequi. Hinc probari posset, adpositionem, ut ajunt, pontificiæ manus non obstare ordinariorum potestati explicandæ. Pergit Alexander III. et ait, si obtenta fuerit ab apostolica sede confirmatio rei, quæ pacifice possideretur, et deinde de eadem re litigium obortum fuerit, litem esse dirimendam a sede apostolica. Hic est, ubi memorati pragmatici affectionis prærogativam constituunt. At vero nihil id commune habet cum affectione beneficiorum. Referenda est ea definitio ad adjuncta illius temporis, quo passim unusquisque possessor petebat, ut bona sua in patrocinium, fidem et tutelam sedis apostolicæ reciperentur. Pontifices maximi passim concedebant literas confirmationis, quæ tituli loco esse poterant. Quid mirum, si de titulo a sede apostolica concesso dicebatur, eum esse

apud eandem apostolicam sedem dijudicandum? Idipsum dicendum est in conspectu capituli 2, eodem modo titulo, ubi notandum occurrit, literas confirmationis minime obfuisse ordinariorum judicum potestati, quoties literæ obreptitiæ proponerentur. Quid denique commune habet cum doctrina affectionum, quod dicitur in dicto cap. 11 de excess. prælat.? Ad cantorem pertinebat conferre succentoriam. Cantor ita deliquerat in collatione, ut mereretur facultate conferendi privari. Privatus est auctoritate Innocentii III, qui proinde mandavit ut pro ea vice auctoritate apostolica succentoria conferretur. Nulla hic occurrit affectio, sed speciale conferendi beneficii mandatum. Si verum amamus, primus auctor affectionum, sive pontificiæ manus adpositionum fuit Paullus II in extravag. ult. de præb. neque enim ante hanc extravagantem ullibi occurrit aut affectionum, aut adpositionum manus pontificiæ mentio. Dicam amplius: quæ ibidem memoratur affectio, seu manus pontificiæ adpositio arctissimis admodum finibus ibidem circumscribitur; nimirum ad eum unum casum refertur, quo pontifices maximi generaliter sibi reservaverant beneficia quædam suorum familiarium, vel etiam familiarium cardinalium, reservatione duratura usque donec pontifices iidem viverent. Si beneficia illa ita reservata vacavissent vivente romano pontifice, collatio pontificis erat vi reservationis. Querebatur, quid juris, si beneficia eadem vacarent post pontificis obitum? Cessaverat procul dubio reservatio. Verum ob manus pontificiæ adpositionem adgnoscebatur in illis beneficii quædam affectio, uti dicebatur a nonnullis. Res nova visa est, de qua propterea sæpe numero *hæsitatum fuisse inter utriusque juris interpretes, etiam officiales romanæ curiæ* testatur idem Paullus II, adeo ut *adverterit propter ambiguitatem hujusmodi, varias quoque jurisperitorum opiniones et discrepationes, plerumque pro reservatione et affectione, interdum vero contra pronunciatum et definitum fore.* Subsistant hic, et perpendant memorati pragmatici scriptores, num vel in ipsa curia romana adeo facile affectiones istæ admitterentur, quantaque proinde cautione agendum sit, ne extra casus definitos provehantur. Novam igitur controversiam ita definivit Paullus II, ut declararet, cessante per obitum papæ reservatione, manere adhuc affectionem, ut pro una vice collatio beneficii adhuc ad pontificem maximum pertineret. Hæc paullina constitutio non ubique paratam executionem invenit; proindeque adhuc hodie in nonnullis provinciis hæc affectionum doctrina minime recipitur, quemadmodum iidem pragmatici testantur, eodem modo quo ne in romana quidem curia apud omnes recipiebatur ante paullinam constitutionem. Itaque etiam ubi recepta est paullina constitutio, locum tantum habet affectio, ubi præcessit reservatio; nimirum ubi summi pontifices quædam generaliter beneficia sibi reservaverunt, animo eadem conferendi, quoties conferendi sese offerret occasio. Reservatione cessante, seu executioni non demandata, dicebatur affectio perdurare; et quando conferendum erat, cum nullus amplius esset reservationis titulus, qui ceteroquin pridem fuerat, titulus alter succrescebat, qui dicebatur titulus affectionis, sive manus adpositionis. Hæc si pragmatici consideravissent, uti decebat apprime, forte non adeo disciplinam affectionum provexissent, uti provexerunt, atque provehere in dies pergunt. Ante Paullum II, nulla erat certa, seu firmata legibus affectio. Paullus II, affectionem constitutione sua firmavit, ita, ut tum collationem ordinariorum removeret affectio, cum præcessisset pontificia reservatio. Nunc proponantur facti quæstiones, quas pro lubito suo uniquique ex interpretibus dirimere voluerunt. Quæsitum jampridem fuit, num beneficium auctoritate pontificia alicui commendatum, vel in perpetuam administrationem concessum diceretur affectum, ita ut cessante commenda, vel administratione per obitum commendatarii, seu administratoris, non posset ordinarius illud conferre. Passim a pragmaticis reservationum promotoribus affectum dicitur, proindeque pontifici maximo reservatum. An hæc conveniant juris regulis, vel etiam laudatæ paullinæ extravaganti, facile unusquisque colliget ex jactis principiis. Quæsitum itidem fuit, an beneficium diceretur affectum, quoties auctoritate pontificia datus fuisset beneficiario coadjutor cum jure futuræ successionis, et coadjutus decederet, antequam coadjutor literas intimasset, vel coadjutoris officium exercere cœpisset. Passim traditum est, affectionem inesse ex pontificiæ manus adpositione. Si hæc certa ratione reciperentur, ostendere oporteret, quamcumque manus pontificiæ adpositionem affectionem inducere; quod tamen ne ipsi quidem affectionum promotores admittunt. Meo judicio, quod sane conforme est laudatæ paullinæ extravaganti, ea tantum manus pontificiæ adpositio affectionem inducit, quam præcedens reservatio indicat si manus adpositio ad alium finem tendit, non inde affectio proficiscitur. Hoc posito principio sequitur, nec commendam, nec administrationem a pontifice maximo alicui datam affectionem inducere, propterea quod aliud sit commendare, vel in administrationem concedere, aliud reservare. Sequitur itidem, unionem beneficii a pontifice factam neque affectionem inducere, ita ut quo casu unio dissolvatur, beneficium sit a pontifice maximo conferendum, propterea quod aliud sit unire, aliud reservare. Sequitur insuper, collationem beneficii a pontifice maximo factam, nul-

lam inducere affectionem, si collatio eadem beneficii tanquam irrita declaretur, ex quacumque caussa, propterea quod aliud sit conferre beneficium, aliud reservare. Dixi ex quacumque caussa: non enim ignoro, distinguere pragmaticos inter casum, quo pontifex maximus beneficium contulerit, quia putaverat sibi reservatum, quando tale non erat, et ex errore, cui falsæ impetrantis preces caussam dedissent, beneficium contulerat; qua in specie ajunt cessare affectionem, in irritum cadente pontificia collatione, atque inter casum, quo pontifex maximus concesserit beneficium ex alio errore, unde rescriptum, in irritum ceciderit, vel etiam rite concessum beneficium adpareat, cujus tamen possessionem fato quodam nancisci non potuit, qui rescriptum obtinuit; qua in specie ajunt, affectionem ordinariorum collationi obesse. Hujus generis distinctiones non cohærent principiis, quæ tum demum affectioni locum faciunt, cum præcessit reservatio. Nunc alii casus proponantur, et si quæratur, an fiat locus affectioni, cum qui ad beneficium vacans adspirat, et certo impedimento detentus, petit a pontifice maximo dispensationem; an fiat locus affectioni, cum duo de jure patronatus vel activo, vel passivo litigant, et caussa a pontifice maximo dirimitur. In iis, et similibus casibus respondendum erit, affectionem nullam esse, eo semper retento principio quod nonnisi post varias hæsitationes statuere voluit Paullus II nimirum ex sola reservatione præcedente affectionem oriri. Novi ego, quod pragmatici nonnulli tradere soleant. Ajunt ipsi, in multis manus pontificiæ adpositionibus tacitam inesse reservationem, quasi in eisdem ea fuerit voluntas pontificis, ut ipse unus beneficium vacans conferret. Hanc voluntatem agnoscunt, cum pontifex commendat alicui beneficium, vel illud in administrationem concedit. Similem voluntatem agnoscunt, cum pontifex coadjutorem constituit cum jure futuræ successionis. Miror tam acutam pragmaticorum mentis aciem, secretum pontificiæ voluntatis penetrantium, de qua tamen voluntate vix adparet exterius conjectura. Probandum ab ipsis esset, concessionem commendæ actum esse pontificis non tantum commendatario faventis, verum etiam providentis alteri successori. Probandum erit constitutionem coadjutoris, actum esse pontificis non tantum indulgentis præcibus impetrantis coadjutoriam, verum etiam indulgentis alteri clerico inde beneficium impetraturo. Ego sane non video, qua ratione princeps dum gratiam uni faciat, de simili gratia alteri concedenda simul et semel deliberaverit, quando novi, rescripta esse singularia, nec ad alios extendi, qui rescripto comprehensi non sunt. Denique, qui ita ratiocinantur, meminerint, quantæ fuerint sub Paullo II concertationes, aut hæsitationes, dum inducenda foret affectio in beneficiis ceteroquin expresse reservatis, et quidem reservatione generali, ex qua facilius specialis reservatio, qualis est affectio, deduci potuisset; deinde concludant, si concludi potest, an facile, et sine lege scripta inducendæ etiam sint affectiones ex reservatione tacita, cujus vel nullum extat evidens argumentum, imo et cujus levissimæ esse possent, sique tamen forent conjecturæ; addo denique, ex reservatione speciali, qualis ex singulari facto pontificis emergit; quando difficilius ex una speciali reservatione proficisci potest altera specialis, qualis affectio dicitur. Ad hujus rei coronidem, notatu dignum est, vel ex ipsa communi pragmaticorum sententia, affectiones non in omnibus provinciis locum sibi vindicare; neque locum habere in beneficiis impropriis, qualia sunt manualia, vel meram administrationem continentia, vel patronata seu laici, seu mixti jurispatronatus. Ceterum in hac materie, uti liquet, variis opinionibus intricata, atque obvoluta, non diffiteor, magnam sibi partem vindicare receptos singularum provinciarum usus tribunalium placitis confirmatos, a quibus non est recedendum jureconsulto consilium litigantibus adlaturo, qua in parte utile est pragmaticorum scripta pervolvere tanquam testium disciplinæ, quæ hodie magis ex facto, atque ex usibus curiarum, quam ex germana juris et constitutionum pontificiarum interpretatione profectam fuisse deprehendimus. Dicta hæc sint de reservationibus specialibus. Generales reservationes sunt, quæ vel in jure scriptæ sunt, vel constitutionibus pontificiis invectæ, vel cancellariæ regulis confirmatæ, atque ad hæc summa capita rediguntur. Nimirum respiciunt vel locum, vel tempus, vel dignitatem personarum, vel qualitatem beneficiorum, vel crimen, quo admisso beneficiarius, aut collator beneficii suo jure spolietur. Sed hæc cum fusius, tum clarius inferius expendentur.

Quibus in provinciis, et qua in parte reservationes pontificiæ receptæ sunt, prælatorum omnium inferiorum collationes impediunt. Nomine prælatorum intelligo non illos tantum, qui singulari titulo collationem adquisiverunt, sed et episcopos ipsos, quorum potestas in jure communi fundamentum habet. Qua tamen in re observandum est, pontifices maximos parcius egisse adversus ordinariam episcoporum potestatem, quam egerint adversus potestatem ceterorum prælatorum, quorum jus erat singulare, ac propterea non tanto favore dignum; quod etiam hodie adparet in reservatione mensium, uti vocant, apostolicorum, in qua obtinet, ut prælati episcopo inferiores nunquam conferre beneficia valeant, nisi quatuor anni mensibus vacantia episcopi

autem e converso alternativa utantur, si cum in diœcesi resederint, tum eadem alternativa uti voluerint. De cardinalibus, an, sicut ceteri, ita et ipsi reservationibus subjaceant, seu quæ ex pontificiis constitutionibus, seu quæ ex regulis cancellariæ inductæ sunt, vetus disputatio fuit. Nemo sane dubitavit, etiam subjacere cardinales, quoties de ipsis specialis mentio aut in constitutionibus, aut in regulis cancellariæ de ipsis facta fuerit: tantum quæsitum, an sine expressa eorum mentione, generali interdicto tenerentur. Hic ad trutinam revocari semper debuit, quod tradi consuevit, cardinales obligari quidem generali illa lege, quæ tendat in publicum bonum, et cujus ratio ipsis etiam cardinalibus facile accommodetur, verum ob singularem illorum prærogativam non obligari generali lege, cujus ratio singularis sit, et restringenda: Traditio ista usu potius, quam lege scripta confirmata, controversiis sæpe occasionem tribuit, propterea quod passim disputatum fuit de quibusdam pontificiis constitutionibus, imo et de regulis ipsis cancellariæ, an in publicum bonum tenderent, rationeque inniterentur etiam cardinalibus accommodata, an stricta essent interpretatione donandæ, ac coercendæ. Hinc cum quæstio emerserit, an cardinales comprehendantur in regula 19 cancellariæ, quæ dicitur *de viginti*, sive *de infirmis resignantibus*, pragmatici non dubitaverunt, eos comprehendi, propterea quod in bonum publicum edita fuerit ad fraudes a resignationibus eliminandas. Eadem ratione tradiderunt, etiam cardinales comprehendi in regula 20, *de Idiomate*, et in regula 21, *de non impetrando beneficio per obitum viventis*. E contrario scripserunt, cardinales non comprehendi in regula 45, ac propterea licet dicatur ibidem, resignantes debere personaliter si præsentes in romana curia fuerint, resignationi consentire, admittitur tamen cardinalis ad renunciandum etiam per simplicem schedulam. Cum hæc ita sint, ad naturam, et indolem constitutionum, et regularum certa beneficia pontifici maximo reservantium respiciendum fuit, ut definiretur an cardinales in illis comprehensi intelligerentur. Has reservationes esse odiosas, proptereaque coercendas, clamare non dubitaverunt cardinales ipsi, ut sese a reservationibus eximerent. Plane voti sui facti compotes fuissent cardinales, nisi intercessisset singulari decreto suo Alexander VII, qui in describenda regula 70, cancellariæ, qua olim declarabatur, cardinales exemtos esse a regulis editis et edendis, voluit eam regulam emendari, quemadmodum hodie legitur emendata, ita ut ibidem declaretur, cardinales exemtos quidem esse a regulis *edendis*, non autem ab *editis*; quam facti seriem refert Rigantius ad dictam regulam 70. Itaque hodie obtinuit, cardinalium privilegium intra certos limites coerceri; nimirum cardinales exemtos esse a regulis, quas pont. max. singuli post publicationem initio sui pontificatus factum adjecerint, non iis, quæ pontificatus initio publicantur. Ut res hæc in claro lumine collocetur, in primis notandum est, cardinales libere conferre posse beneficia titulorum sui cardinalatus, nisi ipsi sint absentes a curia romana, uti legimus in regula 8, cancellariæ; quin ipsis suffragetur absentia ex necessaria caussa, veluti ob residentiam in episcopatu; etenim cum cardinales beneficia sui tituli non jure ordinario, sed ex speciali pontificia indulgentia conferant, liberum fuit pontificibus maximis, indulgentiam hanc suam contrahere ad unum casum residentiæ in curia, secundo notandum est, cardinales, qui ecclesias regendas extra curiam romanam obtinuerint, veluti episcopales, abbatiales, et similes, æque ac episcopos, et abbates ceteros in regulis cancellariæ comprehensos intelligi, nisi ubi specialiter exemti sunt, quemadmodum liquet ex memorata regula 70. Porro specialis exemtio facta adparet in regula 9, in qua agitur de reservatione mensium. Hoc tamen non obstante solent pontifices maximi speciale indultum cardinalibus concedere, quo isti reservata beneficia suæ ecclesiæ conferent; quo indulto qui utuntur pro facultate sibi concessa juxta ejusdem indulti tenorem, liberius utuntur sua ordinaria jurisdictione. Hac in re mihi placere non potest quorundam pragmaticorum opinio, qui tradunt, recepto indulto censeri cardinales collationem beneficiorum exercere in vim unius indulti, etiam illorum quæ sine indulto potuissent conferre, qualia sunt beneficia ex caussa mensium reservata, quorum ratione cardinales exemti sunt a regula 9 cancellariæ. Etenim non satis firmum videtur esse hujus opinionis præsidium, cum dicitur, cardinalem, qui indultum petiit, censeri renunciavisse ordinariæ alias sibi competenti facultati. Quid enim prohibet, ut quis facultatem facultati accumulet, præsertim si nova, quæ impetratur, facultas amplior sit, et ad plures species extendatur. Renunciationes juris alicui competentis non adeo facile presumuntur, præsertim in eo ipso actu, quo quis jus suum promovere velle deprehenditur. Forma indultorum hodie amplis formulis describitur, et comprehendere solet non solum beneficia, quæ ad indultarii collationem spectant, sed etiam ea, quæ spectant, ad collationem simultaneam indultarii, et aliorum, inferiorum, puta capituli, vel monasterii: imo nec dubito, quin cardinalis indultarius ea conferat beneficia reservata, quæ cessante reservatione ad alios inferiores, privative, ut ajunt, spectarent. Siquidem quicumque titulus collatoribus inferioribus faveat, semper est titulus singularis, qui concursu quidem excludit

ordinarium collatorem, non tamen impedit, quominus collator ordinarius adhuc ordinarius dici possit; eamque ob rem collatio privative competens inferiori certa ratione adhuc simultanea dici potest ob jus habituale conferendi, quod in ordinario manet. Hujus rei argumento est, quod si collator ordinarius vacans beneficium statim conferat, et collator singulari jure munitus non conferat intra legitimum tempus, collatio ordinarii sustineatur, non tam jure devoluti, quam cessante singularis collatoris concursu. Quæstio olim fuit, num cardinales vigore indulti ita possent beneficia conferre, quasi indultum non novam potestatem cardinalibus contulerit, sed potius sustulerit reservationes. Ita passim admittebatur, eamque ob caussam si collatio beneficii simul ad episcopum, et ad capitulum pertineret, etiam capitulo prodesse videbatur indultum episcopi cardinalis. Sed aliter inducta pontificia interpretatus est Urbanus VIII, in sua constitutione 59, ex qua invaluit ut hodie cardinales censeantur in hac parte delegati sedis apostolicæ, reservationibus adhuc firmis manentibus, uti observavit cardinalis De-Luca disc. 1 de beneficiis. Nihil est, quod in hoc proposito difficultatem faciat, cum indulta pontificia ex voluntate pontificium interpretationem capiant, et hanc esse voluntatem pontificum liquet ex memorata Urbani VIII constitutione. Denique notandum est, aliud indulti genus concedi solere cardinalibus caussa conferendorum beneficiorum, nimirum cum cardinalis episcopus, aut aliquam ecclesiam administrans, episcopatui, aut ecclesiæ renunciaverit, et eidem concedit pontifex maximus, ut ea valeat beneficia conferre, quæ in dimissa ecclesia conferret pontifex maximus vi reservationum. Sed hoc indulti genus extraordinarium est, nec tanto favore dignum, quanto illud, quod cardinalibus ordinaria jam potestate præditis conceditur; quamobrem in ejus indulti interpretatione ita versandum est, ut in primis nihil admittatur gratia indultarii, quod non expresse in indulto significetur; deinde ut indultum nunquam intelligatur concessum in diminutionem juris alteri competentis; id enim semper in rescriptis, et privilegiis principum tacite inest, ut cum uni liberalitatem exhibent, alteri non ingerant detrimentum.

Jam vero ad expendendas singulas generalium reservationum caussas propius accedamus. Prima reservatio dicitur ratione loci, quæ locum habet in beneficiis sive apud apostolicam sedem, sive in curia romana vacantibus. Hanc reservationem magni faciunt plurimi scriptores, propterea quod sibi persuaserunt, eam esse clausam in corpore juris, seu in cap 2 de præbend. in 6 uti superius fuit observandum. Prædicant etiam tanquam majore favore præ ceteris reservationibus dignam, quasi eam, quæ non tam in honorem pontificis maximi, quam in utilitatem ecclesiarum edita fuerit. Sed inter hæc cum in dies eadem reservatio modo magis extenderetur, velificantibus plurimis propter magnificatam ejusdem utilitatem, modo contraheretur, ne magis magisque juris communis in dies diminutio fieret, uti contingit in omni reservationum genere; ingens oborta fuit disputandi materies, in qua pragmatici paginas impleverunt, unusquisque suo genio indulgens, prout aut pontificias reservationes provehere sibi proposuit, aut ordinariorum tueri potestatem. Quod ego dicere possum, illud est, originem hujus reservationis esse minus antiquam, quam vulgo credatur; rationem ejusdem reservationis non ita amplam esse, ac vulgo recipitur; et modum reservationis ita vel ab ipsis pontificibus maximis agnitum fuisse, ut non dissimili fere jure cum reservationibus ceteris habenda sit. De origine primum dico. Repetitur ista ex cap. 2 de præbend. in 6. In vetustis sexti decretalium editionibus inscribitur monumentum nomine Clementis III, alii editores adjecerunt, *alias IV*. Quid? Jam Pithæus erratum agnovit, et Clementi IV, illam constitutionem adseruit, et quidem jure, ac merito. Etenim in primis si jam a Clemente III ea reservatio generali decreto inducta fuisset, decretum illud non omisisset in sua collectione Gregorius IX, in quo novæ disciplinæ positum erat fundamentum, præsertim cum de disciplina agatur provehendæ romani antistitis potestati accommodata. Præterea in præfatione sexti decretalium profiteor Bonifacius VIII, se compilare voluisse decretales epistolas pontificum maximorum a Gregorio IX, et deinceps, quod indicat, Bonifacium Clementis IV, decretales inserere codici suo voluisse, non Clementis III, et revera in bonifaciano codice nullum extat aliud Clementis III monumentum. Adde his Gregorium X, dum moderari voluit hoc Clementis statutum in cap. 3, eod. tit., appellavisse illud *Statutum Clementis papæ prædecessoris sui*; successerat autem Gregorius in sede pontificia Clementi IV, cui magis propterea conveniebat nomen *prædecessoris*. Itaque perspicuum pene est, reservationem istam Clementi IV, esse adscribendam. Magnificis verbis exorditur Clemens, professus initio, ecclesiarum omnium, dignitatum aliorumque beneficiorum plenariam dispositionem nosci ad romanum pontificem pertinere, ita ut non solum possit, illa vacantia de jure conferre, verum etiam jus tribuere in vacaturis. Ceterum subjicit, antiquam consuetudinem specialius ceteris reservavisse romanis pontificibus collationem ecclesiarum, personatuum, dignitatum, et beneficiorum apud sedem apostolicam vacantium. Hæc in præfatione. Deinde constituit,

se non solum hanc consuetudinem adprobare sed etiam velle, ut quoties beneficium quodquam in curia romana vacare contigerit, illud a nemine quacumque auctoritate prædito conferatur; sed tantum collatio a sede apostolica expectetur, nisi cuiquam specialis et expressa conferendi facultas ab eadem sede facta fuerit, irritum decernens et inane, quidquid secum actum fuerit, vel attentatum. Notant viri eruditi numero plurimi, allegari quidem potuisse a Clemente antiquam conferendi consuetudinem, de qua ceteroqui non satis ex prædecessorum pontificum factis apprime constat. Quamquam enim in collectione Gregorii IX multa sint rescripta, ex quibus liquet, pontifices maximos ad collationem beneficiorum sæpe manum admovisse, vix tamen inveniunt monumentum, quo iidem videantur singulari jure sibi vindicavisse collationem beneficiorum in romana curia vacantium. Eo autem minus inveniunt hujus generis monumenta in antiquioribus codicibus canonum, aut decretalium. Alii e contrario ejus consuetudinis vestigia agnoscunt apud Innocentium III in cap. 23, de accusation., et in epistola ad episcopum uratislaviensem, relata a Gonzalezio in cap. *vacante* 26, de præbend., ex quibus liquet, Innocentium III jam contulisse beneficia quædam apud sedem vacantia. Oportet sane, eos, qui ita sentiunt agnoscere auctore dicti capituli 2, non Clementem III, sed Clementem IV, cum Clemens III, præcesserit tempora Innocentii III. Ego arbitror, consuetudinem istam fundamentum habuisse in jure præventionum, quod jam temporibus Clementis IV, inoleverat, non in jure singularis reservationis ex facto emergentis. Revera a sæculo ecclesiæ decimotertio sæpe numero contingebat, ut cum beneficium in diœcesibus inferiorum antistitum vacaret, collatio modo ab eisdem antistibus fieret, modo a pontifice maximo, atque in concursu duorum collatorum ea collatio prævalebat, quæ tempore præcessisset. Porro cum beneficium in romana curia vacaret obeunte in urbe Roma beneficiario, verosimilius erat, pontificem maximum utpote statim vacationis conscium antevertisse collationem ordinarii; eaque propter ordinarium a conferendo cum effectu exclusisse. Hæc est illa antiqua consuetudo memorata a Clemente IV, dum novam reservationem induceret juxta morem illius ætatis, qua passim pontifices etiam in rebus novis inducendis inniti se antiqua consuetudine profitebantur, uti conjicitur ex extravag. 1, de pœnit. et remiss., in qua Bonifacius VIII, primus anni jubilæi institutor ad antiquorum relationes respicere se protestatus est. Neque ab hac mea interpretatione dissonant species apud Innocentium III, propositæ in laudatis rescriptis. Imo et huic interpretationi conveniunt, quæ de hac reservatione et dici solent, et deinceps constituta fuerunt. Dici solet, hanc reservationem majore præ ceteris favore esse dignam. Non alia probabilior reddi ratio potest, quam quia ex collatione pontificis maximi quamcitissime consulitur vacanti beneficio, et ecclesiæ, quando beneficium vacans in curia statim a pontifice maximo nec nisi serius ab ordinario procul residente confertur. Constitutum fuit a Gregorio X, successore Clementis IV, in c. 3, de præb. in 6, ut ea reservatio tantum locum haberet intra mensem, et quidem non utilem, sed continuum; quod perspicue demonstrat, eam reservationem fundamentum habuisse in celeri collatione a pontifice maximo facienda. Dices tamen: quid opus fuit ea singulari reservatione, quando pontifices maximi jure præventionis utebantur quod satis erat ad episcopos seu collatores ordinarios excludendos? Respondent viri eruditi, cum notant, collatores ordinarios obviam ivisse pontificum præventioni, cum vicarios quosdam Romæ designatos haberent, qui conferrent beneficia Romæ vacantia, statim ab eadem vacarent; eamque ob rem Clementem IV, generali constituta reservatione, minus providis illorum vicariorum actis restitisse.

Itaque hæc reservatio, cum primum prodiit, coercita fuit ita, ut tantum mensis unicus, et quidem continuus ad conferendum pontifici maximo concederetur, dicto cap. 3, de præb. in 6, quæ definitio passim dicitur clausa in corpore juris. Sunt, qui putant, id abrogatum fuisse a Bonifacio VIII, in extrav. 1, de præbend. At vero nec id expresse in hac Bonifacii constitutione continetur, nec adparet, Bonifacium quidquam voluisse contra definitionem Gregorii X, decernere, quando sibi reservavit beneficia intra unum mensem *a data* constitutionis in curia vacantia; quasi tempora unius mensis potius confirmaverit, quam extenderit. Adjicitur his, dictam constitutionem prodiisse anno primo pontificatus Bonifacii, ac propterea antequam sextus decretalium a Bonifacio ederetur; nec esse verosimile, Bonifacium in sexti compilatione voluisse inserere definitionem Gregorii X, si eam abolevisset, quando Bonifacius in sexti editione professus est, se superfluas, aut contrarias juri recepto definitiones resecavisse. Alii putant, definitionem Gregorii X, non quidem a Bonifacio VIII, sed serius a Benedicto XII, fuisse abrogatam, quando Benedictus absolute sibi reservavit beneficia in curia romana vacantia in extrav. 13, de præbend. Verum si attente legatur hæc constitutio, nihil tale invenitur. Tantum confirmatur, imo et extenditur reservatio beneficiorum in curia vacantium. De tempore pontificiæ collationis nihil dicitur; quamobrem constitutio ipsa recta interpretationem sumit juri jam

inducto conformem. Dicant nunc, qui contra sentiunt, indecorum admodum esse pontificem maximum debere coerceri adeo angustis temporum limitibus, quando inferioribus collatoribus sex menses, et quidem utiles, conceduntur. Statim reponitur, non agi hic de reservatione, cujus finis sit honor pontifici maximo debitus, sed potius sit utilitas ecclesiarum, et beneficiorum, quibus quamcitissime consulatur. Ex his ipsis observationibus perspicue deducitur, tum demum locum fuisse reservationi in conspectu dicti capituli 2, de præbend. in 6, cum beneficiarius in romana curia mortem obiret. Novæ leges interpretationibus semper obnoxiæ sunt ob varios emergentes casus. Hinc Bonifacius VIII, debuit clarius mentem Clementis IV, aperire. Primum statuit in cap. 34, eod. tit., eam reservationem locum habere in beneficiis, quæ legati, aut nuncii apostolicæ sedis, vel quivis alii ad romanam curiam venientes, vel etiam recedentes ab ipsa obtineret, si eo in locis vicinis ipsi curiæ mori contingeret, quemadmodum si in loco ipso, ubi curia residet, morerentur. Hæc disciplina demonstrat, reservationum non tam curialium personarum, quam loci curiæ caussa inductam fuisse, quod magis magisque confirmat, quod superius adstruebam, nimirum reservationis caussam præcipuam fuisse celerrimam beneficiorum collationem a pontifice maximo perficiendam. Quinam occasione curiæ dicantur in curia, vel prope curiam morari, facile unusquisque percipit; videlicet tales sunt, qui curiæ pontificiæ adscribuntur; tales, qui in curia, vel pro se, vel pro aliis procuratorio nomine caussas agunt, et quoties curia de loco in locum transfertur, eo etiam transferratur. Quinam locus dicatur curiæ vicinus, definivit idem Bonifacius in vers. *Loca vero*, eum nimirum, qui ultra duas legales dietas a loco curiæ non distet. Amplius progressus est Bonifacius in vers. *Idem est*, statuens etiam reservatum esse beneficium quod possideret curialis mortuus, non quidem in loco curiæ, sed in loco curiæ vicino, quo secessisset, etiam ecclesia romana vacante, peregrinationis, infirmitatis, recreationis, aut alia quavis caussa, dummodo tamen ibidem proprium domicilium non haberet. Heic est, ubi Bonifacius modo coercendam voluit, modo extendendam reservationem. Coercuit in eo, quod ubi quis mortuus fuisset in loco propriæ domus, qui etiam locus esset curiæ vicinus, in hac æquali caussa, potiorem esse dixerit habendam domicilii, quam curiæ rationem, ideoque beneficium exemtum a reservatione voluerit. Imo et in vers. *Sane* constituit, ut siquis in loco ipso, ubi degit curia, et simul domum suæ originis habens moriatur, beneficium an eo possessum non alias reservatum sit, quam si ille curialis esset antea, et ibidem occasione curiæ moraretur; alterutro autem deficiente, beneficium ordinarii collationi relinquatur. Extendit in eo, quod reservationi adhuc locum esse voluerit ecclesia romana vacante, quod sane aut menti Clementis IV non penitus consonabat, aut saltem non conveniebat fini, quem sibi Clemens IV proposuerat. Finis erat, ut quamcitissime per sedem apostolicam vacantibus beneficiis, et ecclesiis consuleretur. At vero, quomodo id obtineri poterat, ubi sedes apostolica vacaret? Verosimile est, de ea re conquestos fuisse collatores ordinarios, quo et factum ipsum Bonifacii VIII, demonstrat. Etenim in cap. 35, eod. tit. moderatus est ipse præcedens decretum, statuens, ut, si de beneficio parochiali ageretur apud sedem apostolicam vacante tempore sedis pariter vacantis, nulli reservationi subesset; quod ipsum, obtinere voluit, quo casu parochiales ecclesiæ pontifice adhuc vivente apud sedem vacavissent, nec collatæ fuissent alicui ante pontificis obitum. Hoc rescripto, si non omnino satisfecit ordinariorum querimoniis, gravioribus saltem, quæ ex prorogata reservatione emergebant, ecclesiarum incommodis provide consuluit. Denique in fine dicti capituli 34, ait Bonifacius, quoties curiam transferri contingat, et curiales, dum in itinere curiam sequuntur, moriantur, vel moriantur in eo loco, in quo consistere debuerunt caussa infirmitatis, qua curiam sequentes correpti fuissent, etiamsi a curia proponeretur valde remoti, nihilominus eorum beneficia sedi apostolicæ reservari.

Clementis IV, et Bonifacii VIII reservationem, ipsos etiam reservationis ejusdem modos confirmavit Joannes XXII in extrav. 4 de elect. int. com., imo et adauxit. Statuit enim in primis, reservationem locum habere in omnibus beneficiis sive majoribus, sive minoribus, sive liberæ collationis, sive electivis (de patronatis nulla adparet expressa reservatio), sive sæcularibus, sive regularibus. Deinde vacare in curia illa beneficia declaravit caussa reservationis, quæ vacarent non solum per obitum curialium, uti conceptæ erant veteres decretales, dicto cap. 34 de præb. in 6, sed etiam quæ vacarent per actus in romana curia factos, nimirum per depositionem, ac privationem eorum, qui beneficia possiderent, per electionum, aut postulationum denegatam confirmationem, seu admissionem, per renunciationem, per translationem, ac per susceptionem muneris consecrationis, vel benedictionis a sede apostolica impetratæ. Quum vero hæc constitutio temporalis esset, et ad vitam pontificis circumscripta, uti ejusdem verba perspicue demonstrant, renovata fuit a Benedicto XII in extravag. 13 de præbend., qui tamen iterum reservationem illam ad tempus vitæ suæ

circumscripsit, quemadmodum ex ejusdem etiam formulis intelligitur. Hinc cœpit ab interpretibus distingui vacatio in curia, et vacatio apud sedem apostolicam, quæ voces olim idem significabant, et promiscue sumebantur, dicto cap. 2 de præbend. in 6. Dici cœpit vacatio apud sedem, quæ fieret per obitum beneficiarii in curia, juxta constitutiones Clementis, et Bonifacii; vacatio autem in curia appellata est generali nomine, sive quæ fiat per obitum beneficiarii in curia, sive quæ fiat per quemcumque actum in curia perficiendum, veluti permutationem, resignationemve beneficiorum, vel beneficiarii depositionem, aut promotionem, nisi specialiter vacationem in curia quis appellet eam, quæ fit tantum per quemcumque actum in curia perficiendum, ut clarius distinguatur a vacatione apud sedem, quæ tantum contingit per obitum beneficiarii. Vestigia horum pontificum presserunt recentiores, qui eandem reservationem in suas cancellariæ regulas traducere consueverunt, quo spectat regula 4 cancellariæ, facile ex iis, quæ hucusque dicta sunt, intelligenda. Tantum adjicio ad hanc rem, pragmaticos universos in eo consentire, quod reservationem beneficiorum apud sedem vacantium majore favore dignam esse crediderint, quam reservatio beneficiorum vacantium in curia, propterea quod reservatio vacantium apud sedem dicatur ab ipsis clausa in corpore juris. Neque ego dissentio ab hoc proposito. Nihilominus tamen observo, reservationem beneficiorum vacantium in curia esse quidem reservationem recentiorem, sed adhuc haberi posse, tanquam accessionem quandam reservationis beneficiorum apud sedem vacantium, nisi dixeris fuisse hujus reservationis extensionem. Eam ob rem quamquam verissimum sit, non omnia, quæ caussa provehendæ reservationis beneficiorum vacantium apud sedem inducta sunt, accomodari posse reservationi beneficiorum vacantium in curia; quæ tamen e converso inducta sunt caussa coercendæ reservationis beneficiorum vacantium apud sedem, accomodari et extendi facile posse ad reservationem beneficiorum in curia vacantium, quousque non obstent receptæ pontificum maximorum constitutiones, aut regulæ cancellariæ; ne forte quæ reservatio fatentibus pragmaticis magis odiosa dicitur, latius pateat, et majori donetur prærogativa.

Altera generalis reservatio dicitur ex caussa temporis, quæ quidem duplex est. Prima est reservatio beneficiorum, quæ vacant, dum sedes vacat episcopalis. Hujus reservationis auctor fuit Pius V in sua constitutione 55, professus eo se devenisse, ut pauperibus clericis, et aliis benemeritis personis provideret, eamque ob rem cum caussa temporaria esset, etiam constitutio temporalis fuit, et una cum auctore suo expiravit. Gregorius XIII libere ea beneficia ordinariis reliquit conferenda. At Sixtus V reservationem illam renovavit, et regulis cancellariæ inseruit, quem secuti fuerint pontifices successores in regula 2 cancellariæ. Tunc interpretes novas speciosas reservationis caussas commenti sunt. Dixerunt ipsi, per collationem a pontifice maximo faciendam citius consuli ecclesiis, beneficiisque vacantibus, quæ sane vacante episcopali sede non poterant ex juris communis disciplina conferri, nisi cum successor episcopus datus fuisset. Adjecerunt, collationem beneficiorum tanquam fructum vacantis sedis considerari; cumque seculo decimosexto jam spolia clericorum omnium, imo et antistitum cederent gratia pontificis maximi, et tradiderunt, beneficiorum collationem spolio comprehendi. En quo tandem tetenderunt vetera illa litigia inter episcopos, et capitula canonicorum concitata, caussa collationis beneficiorum tempore sedis episcopalis vacantis faciendæ, ea ætate, qua beneficiorum collatio primum fuit ab ordinatione sejuncta. Hinc contendebant capitula, ad se pertinere collationem beneficiorum, veluti speciem jurisdictionis episcopalis ex juris communi a capitulo administrandæ. Illinc contendebant episcopi, collationem beneficiorum reservari oportere futuro successori, quemadmodum olim reservabatur, quum collationi ordinum cohæreret. Allegabant capitula, utile esse ecclesiæ ut quantocius beneficia conferrentur, quod sane fieri non potuisset, si expectandus esset successor episcopus. Allegabant episcopi, collationem in fructu esse, quæ propterea una cum fructibus ceteris successori esset episcopo reservanda. Equidem prævaluit episcoporum caussa. Sed successione temporum pontifices maximi episcopos, æque ac capitula excluserunt, quin aut capitula aut episcopi contradicere amplius possent, propterea quod in aula pontificum adversus utrosque illud ipsum objiciebatur, quod utrisque olim fuerat litigi fundamentum. Penes episcopos persuasio invaluerat, qua passim tradebatur, beneficiorum collationum esse in fructu. Hæc proposito utut minus æqua, seu minus consona rectæ collationis imagini, rejici amplius non potuit ab episcopis, utpote propositionis ejusdem auctoribus, quando eadem objiciebatur a sede apostolica, cui jam fructus vacantis sedis cedere cœperant. Penes capitula persuasio invaluerat, utile esse ecclesiis quantocius beneficia conferri. Hæc propositio utut capitulorum collationi faveret, postquam tamen capitula a conferendo exclusa fuerunt, favore dignam reddebat pontificiam reservationem, adversus quam propterea nec capitula ipsa mussitare potuissent. Imo nec aberraret longe a vero, qui suspicaretur, gavisos fuissa canonicos, propterea quod tandem aliquando placuerit pontificibus maximis, quod

olim capitula adversus episcopos allegabant, quamquam sine fausto exitu caussæ. Hinc facile deducitur, reservationem non comprehendere beneficia, quorum collatio est communis et episcopo, et capitulo, vel celebranda fit a capitulo de consensu, vel consilio, vel prævia præsentatione, aut nominatione episcopi; quorum collatio, ut paucis dicam, vel institutio præsentatione præeunte, vel etiam confirmatio præeunte electione fieri potest a capitulo sede vacante, juxta capitulum unicum ne sede vacante in 6. Præterquamquod enim hæc beneficia expresse excepta fuerunt in regula 2 cancellariæ, eisdem beneficiis non facile accomodabatur reservationis ratio, sive quod nulla erat necessitas collationis citius faciendæ per apostolicam sedem illius beneficii, quod quamcitissime a capitulo conferri poterat; sive quod in his beneficiis nunquam receptum fuerat, ipsa inter fructus episcopalis mensæ reservandos, successori episcopo computari. Ex hac ipsa ratione colligi potest, libere a capitulo conferri valere beneficia, quorum collatio esset simultanea, et divisa turnatim per alternas vices inter episcopum, et capitulum, quamquam vacarent sede episcopali vacante, quo tempore ad episcopum collatio pertineret; siquidem per turnarias vices non aliter vacua fit conturnarii potestas, quam cum alius turnarius concurrit. Sunt, qui putant, reservationem extendi ad eum casum, quo beneficia vacent vivente episcopo, sed necdum collata fuerint ab episcopo morte prævento. Ut verum fatear, huic casui accommodatur ipsa reservationis ratio, qua consulendum quantocius vacanti beneficio, et ecclesiæ proponatur. Verum plurimum vereor, ne hæc reservatio ad casum in regula non expressum extendatur, quando regula concepta est de beneficiis sede vacante vacantibus; alias autem reservationum arcta est interpretatio, ita ut de specie ad speciem ne similitudinis quidem prætextu prorogentur. Sit quidem eadem ratio; lege tamen destituimur; et quicumque ea ratione innixus, deficiente lege, vellet reservationem inducere, eo progrederetur, ut diceret, etiam ante Pium V primum legis auctorem reservationem locum habuisse, quia ante Pium V jam suberat eadem ratio reservationis, consistens in cleri provisione ecclesiarum. Plane nihil refert, an sedes episcopalis vacet per episcopi obitum, an per dimissionem, translationem, amissionem, privationem, vel alium quemcumque modum, dummodo revera vacet, propterea quod ita in regula cancellariæ expressum est. Additur in eadem regula, non solum reservari beneficia spectantia ad dispositionem patriarcharum, primatum, archiepiscoporum, et episcoporum, verum etiam spectantia ad dispositionem abbatum, ac aliorum quorumcumque collatorum, et collatricum sæcularium et regularium, quod tamen ad eas dignitates coercetur, quæ providentur ab apostolica sede, non quæ ab aliis conferuntur, ob perspicua regulæ verba, quibus reservantur beneficia vacantia *usque ad successoris provisionem auctoritate apostolica faciendam*. Cessat hæc reservatio, quum beneficium vacat utraque sede, idest et pontificia, et episcopali, vel abbatiali vacante, cum regulæ cancellariæ vacante apostolica sede nullam vim habeant. Hinc si ordinarius nondum possessionem suæ dignitatis cepisset, et interim mortuo pontifice beneficium quoque in diœcesi vacaret, capta possessione, poterit ordinarius libere beneficium conferre.

Caussa quoque temporis dicitur reservatio inducta, quæ habetur in regula 9 cancellariæ; quæ duas habet partes. In priore parte reservantur omnia beneficia ecclesiastica cum cura, et sine cura, sæcularia, et quorumvis ordinum regularia, quæ vacatura essent in singulis mensibus januarii, februarii, aprilis, maii, julii, augusti, octobris et novembris. In posteriore parte professi sunt pontifices maximi, se velle gratificari episcopis illis, qui in sua ecclesia, vel diœcesi residerent; ac propterea eisdem liberam relinquere facultatem conferendi beneficia sex anni mensibus vacatura, scilicet februario, aprili, junio, augusto, octobri et decembri; quæ tamen alias aut reservata, aut affecta non essent apostolicæ sedi, dummodo etiam hanc alternativam, ut vocant, acceptare episcopi voluerint, et se acceptasse per patentes literas manu propria subscriptas, suoque sigillo firmatas declaraverint. Nescio, an sincere scripserint, an potius ordinarii collatoribus illudere voluerint pragmatici quidam, cum scripserunt, adparere in hac parte urbanitatem, liberalitatemque pontificum maximorum erga ordinarios collatores, propterea quod cum pontifices maximi plenaria potestate uti possent in omnibus beneficiis quocumque tempore vacantibus, adeo sobrie uti se velle profiteantur, ut beneficia quatuor anni mensibus vacantia, aliis de caussis nec numero paucis non reservata, conferenda relinquant ordinariis collatoribus, adhuc autem liberalius agere erga episcopos, quibus alternativam collationem per singulas mensium vices concesserunt, dummodo residentiæ legibus satisfaciant, et eandem alternativam acceptent. Nova hæc est liberalitatis species, qua jus alicui communi juri quæsitum intra angustos terminos coercetur. Nova liberalitatis species, qua qui liberalis videri vult, scrupulosas exigit cautiones, de re donata acceptanda; et quasi acceptatio non sufficiat, chirographum acceptationis exigit non tantum acceptantis manu signatum, sed et sigillo munitum. Nemo ex iis, qui prudentes sunt, non intelligit,

has cautiones in alternativa episcopis concedenda conquisitas fuisse, ut facilius episcopi juris communis præsidio muniti alternativam acceptarent, suoque juri authenticis, et irrefragabilibus monumentis cederent, veriti, ne cum contradicerent, minori quatuor mensium spatio, quasi in pœnam non secutæ acceptationis, uterentur. De aliis collatoribus episcopo inferioribus tanta non habenda erat ratio; neque enim istis jus commune favebat, nec tam solida esse poterant oppositionum argumenta. Neque vero ejus reservationis caussa adeo gravis erat, quæ querimonias omnes suffocaret. Siquidem reservationis auctores ad eam devenisse ideo professi sunt, quod vellent, *pauperibus clericis, et aliis benemeritis personis providere*; alias autem reponere episcopi potuissent, suæ quoque vigilantiæ esse, ut et consulant paupertati clericorum bene de ecclesia in diœcesi merentium, quorum ipsi notitiam cominus habent, et quorum numerus non exiguus est. Consentium pragmatici in eo, quod reservatio mensium antiquior sit regula cancellariæ, in qua de reservatione constaret. Sed mirum est, non consentire illos in designando reservationis auctore, imo nec in designando tempore, quo primum ea reservatio in regulas cancellariæ traducta fuerit. Quidam deducunt originem ex constitutione Martini V an. 1418, qua ut satisfaceret nationum querelis adversus frequentissimas collationes pontificias, voluit, ut ex tribus beneficiorum partibus duæ conferendæ assignatæ censerentur apostolicæ sedi, alia pars ordinariis reservaretur. Alii originem repetunt a Nicolao V circa annum 1447, alii ab Alexandro V alii abs Joanne XXII longe ante Nicolaum V, omnes tamen fatentur, ne tempore quidem Nicolai V, hanc reservationem inter regulas cancellariæ redactam fuisse, sed edi consuevisse seorsim, quum pontificibus maximis placuisset, seu verius, opportunum visum fuisset. Inter has dubitationes facti minime perspicui ego puto a temporibus quidem Martini V, et Nicolai V usque ad tempora tridentini concilii certos menses designatos fuisse pontificia auctoritate, quibus mandata de providendo, et gratiæ expectativæ nullum effectum sortirentur, quales erant aut menses alterni, aut quatuor ex duodecim, ut hac ratione satisfieret episcopis conquerentibus de nimia mandatorum, vel expectativarum frequentia, eousque tamen non fuisse eam generalem reservationem. Evidens hujus rei argumentum habeo in extrav. 2 de treuga et pace int. com., ubi Sixtus IV anno 1472 professus est, mandata de providendo et expectativas vim non habituras memoratis mensibus. Quod si menses pontificii jam tum designati fuissent, frustra cautum fuisset, intra eos menses mandata, expectativasve valere, quando non opus speciali mandato fuisset in beneficio reservato reservatione generali. Deventum est ad concilium tridentinum, quo sublata fuerunt una cum expectativis mandata de providendo. Primus Pius V constitutionem edidit, non tamen in regulas cancellariæ redactam, qua certis mensibus vacantia beneficia collationi suæ reservavit constitutione ipsa certo tantum temporis spatio duratura, quod ipsum peregit Gregoriis XIII. Quid opus temporariis hisce constitutionibus, si jampridem perpetua reservatio inducta fuisset? Sixtus V renovavit eam reservationem usque ad sui beneplacitum duraturam; denique Gregorius XIV eadem in regulas cancellariæ traduxit, quemadmodum hodie legitur in regula nona.

Ut huic reservationi fiat locus, beneficium vacare oportet mense reservato; etenim non ad diem collationis, sed ad diem vacationis reservatio refertur; qua in re more romano finem mensis esse dicemus, dum labitur media pars noctis diem postremum sequentis, l. 8. ff. de feriis, quod tempus dimetiri solemus ex horologiis, ita ut si isthæc invicem minime consonent, illud potius habeatur, quo communiter regi homines solent, qualis esset ex. gr. parochialis, aut alterius publicæ turris. Solet quæri, num censeretur vacasse beneficium mense reservato, quoties decederet beneficiarius ea nocte, quæ præcedit ex. gr. calendas januarias, dum prima vix audiri cœpit horæ duodecimæ gallicæ pulsatio. Non ignoro, passim a pragmaticis tradi, prima pulsatione jam dimidium noctis esse completum: verum hanc disputationem potius ab iis, qui horologia ad naturale solis curriculum componunt, quam ab jurisperitis dirimendam arbitror, ac propterea prudentem judicem juxta illorum testimonia judicaturum, præsertim quod in hac re variæ esse possent eorundem opificum, variæ etiam variarum provinciarum consuetudines. Quod si ignoretur, quo momento temporis mortuus beneficiarius fuerit, qui ex. gr. summo mane compertum fiat, præcedente nocte obiisse eundem repentino casu correptum, aut quia ea nocte, quæ menses dividit, fama sit, illum naufragio periisse; aut alias de temporis momento non constet; ego putaverim, locum fieri collationi ordinarii, quæ nunquam submota intelligitur, nisi qui singularem reservationis titulum in contrarium allegat, eundem titulum perspicue demonstret. Neque enim in hac specie probari meo judicio potest illorum opinio, qui asserunt, distinguendum esse, quisnam sit reus, quis actor uti si institutus in romana curia sit actor et institutus ab episcopo conveniatur veluti possessor, non aliter ille admittatur, quam si reservato mense beneficium vacavisse probaverit; at e converso, si institutus in romana

curia jam beneficii possessionem nactus fuerit, et conveniatur ab instituto ordinaria auctoritate, onus probandi sit penes institutum ab ordinario tanquam actorem. Siquidem institutus ab ordinario, licet actor, jam suo muneri satisfecit, ut possessorem expelleret, quoties docuit, se ab eo institutum fuisse, qui jure ordinario jus habeat instituendi. Siquod jus possessori in hac specie competat, totum pendet ex exceptione, qua allegetur, beneficium fuisse reservatum. Regula autem est, reum excipientem debere exceptionem suam probare. Neque prætereaprobare possum aliam opinionem illorum, qui putant, in ea dubitatione favendum esse illi collatori, ad quem collatio pertinebat præcedente, non illi, ad quem pertinet sequente mense, quasi prior, non posterior sit in possessione collationis, et in ea perseveret, quousque non demonstretur prior a possessione dejectus, et posterior in possessionem immissus. Siquidem non satis percipio, quomodo dicatur esse in possessione conferendi beneficium, quod ex. gr. vacet eo temporis momento, quod medium est inter menses januarium, et februarium, ille, qui tantum est in possessione conferendi beneficia vacantia mense januario; eodemque sane jure dicere posset, se in possessione esse, ille, qui possessionem habet juris conferendi beneficia mense februarii vacantia. Neque enim novum est, duos æque in possessione esse diviso jure per tempora, et utrumque remediis uti possessoriis, argumento l. 5, ff. de aqua quotid. et æstiva. Forte quemquam turbabit definitio capituli 31 de præbend. in 6, ubi traditur, in æquali caussa duorum, quorum unus ab apostolica sede, alter ab ordinario beneficium obtinuerit, potiorem esse caussam instituti a sede apostolica. Non tamen ego a proposito dimoveor, animadvertens, ibidem agi non de reservatione generali, sed de extraordinaria quadam, et speciali pontificis maximi collatione, quæ, ut moris erat temporibus Bonifacii VIII fiebat per mandata de providendo, ob certa urgentiora personarum, caussarum, ceteraque hujus generis adjuncta, cuique propterea nonnihil favendum esse postulat juri regula, qua per singularia, generalibus derogatur, cap. 1 de rescript. cap. 33, 74 et 78 de reg. jur. in 6.

Hæc mensium apostolicorum regula refertur ad omnia beneficia, sive curam animarum adnexam habeant, sive sine cura animarum sint. Plane beneficiorum nomine non veniunt, quæ nonnisi improprie beneficia dicuntur, ac propterea ista sunt ab hac reservatione exemta. Hujusmodi sunt laicæ cappellaniæ, item beneficia manualia, aut vicariæ sive temporales, sive perpetuæ, aut commendæ ordinum quorumcumque militarium. Duo tamen adnotanda sunt. Primum est, in beneficiis curatis obtinere quidem reservationem ob expressa regulæ verba; adhuc tamen indicendum esse concursum ab ordinario juxta formam a tridentino concilio constitutam. Alterum est, in beneficiis non curatis non ubique eam regulam fuisse receptam, quemadmodum non receptam fuisse in beneficiis simplicibus apud Sabaudos, testatur Faber in codice lib. 1, tit. 2, def. 11, numero 3. Dubitari solet, an beneficia jurispatronatus sub hac reservatione contineantur. Sane ad beneficia jurispatronatus laici universi pragmatici tradunt regulam non pertinere, cum nec romani antistites jurispatronatui laicorum derogare soleant, nec in ea regula sit huic juripatronatus derogatum. Idipsum dicendum est, quoties jurispatronatus mixtum sit, obtinuit enim hoc patronatus genus in iis, quæ patronis favorabilia sunt, laicalis jure censeri. At juripatronatus ecclesiastico passim traditur derogatum fuisse. Hæc derogatio non ubique probatur, cum in diversis provinciis diversa disciplina servetur. Ego autem dixero, quoties verbis regulæ insistendum sit, sub reservatione non hujus quidem patronatus beneficia comprehendi; quamquam tamen in iis provinciis, in quibus et hæc beneficia tanquam reservata habentur, usus ipse reservationem per se non adeo latam potuerit ad ea beneficia prorogare. Ajunt qui contra sentiunt, pontifices maximos facilius ecclesiastico, quam laico patronatui derogare. Esto. Non quæritur hic, an facilius derogetur, sed an revera fuerit derogatum. Reponunt, de derogatione adparere, quando legitur in regula, reservari beneficia *ad præsentationem* spectantia. Id ego fateor. Sed observo, non omnem præsentationem excludi, sed tantum eam, quæ collatoribus, aut collatricibus competit. Itaque si collator, vel collatrix sit, quæ ad se una cum collatione præsentationem traxerit, puta abdicato gratia conferentis jurepatronatus, hæc beneficia in regula comprehenduntur. At ubi ad unum præsentatio, ad alterum collatio pertinet, nihil speciale in regula exprimitur. Idem dicendum puto de beneficii electivis, quoties electio simplex est, et indiget alterius confirmatione; siquidem in regula tantum reservantur beneficia *electionem collatorum, vel collatricum pertinentia.* Insuper puto, exemta esse ab hac reservatione beneficia patrimonialia, videlicet illa, quæ ex tabulis fundationum certo personarum generi conferenda sunt; etenim ratio, et caussa reservationis, nimirum ut quibusdam pauperibus clericis per romanum antistitem provideatur, hujus generis beneficii accommodari nequit, de quibus propterea præsumi non possunt romani antistites regulam concepisse. Excipiuntur præterea ab hac reservatione beneficia, quæ spectant ad cardinalium collationem, præsenta-

tionem, aut electionem; quod in ipsa regula specialiter expressum adparet. Atque horum beneficiorum nomine facile intelliges venire beneficia, quorum collatio spectat ad cardinales non tantum vi propriæ dignitatis, sed etiam ratione suorum episcopatuum, aut abbatialium ecclesiarum. Denique expresse in regula excipiuntur beneficia, quæ conferenda sunt ab iis, qui hoc jus ex concordatis inter sedem apostolicam, et quoscumque alios initis, nacti fuerunt.

Quum vero diximus, oportere beneficium revera vacare, id profecto non contingit, quoties agitur de præbendis, quarum non est determinatus numerus in ecclesia constitutus, aut de portionibus, quæ in massa communi adhuc consistunt, aut de præstimoniis, quæ ad certum tempus constituta videntur. In istis enim nulla videtur esse vacatio, etiamsi clericus, qui præbendam illam, aut portionem, aut præstimonium obtinebat, obierit. In aliis beneficiis, quæ proprie vacant nihil interest, an vacent per obitum clerici, an per matrimonium a clerico contractum, an per assecutionem alterius beneficii incompatibilis. Etenim generalia sunt regulæ verba, ibi: *quocumque modo vacatura.* Observandum tamen est, in vacatione beneficii per assecutionem alterius considerari debere mensem, non quo quis fuerit in secundo beneficio institutus, sed quo quis pacificam obtinuerit secundi beneficii possessionem; tunc enim demum vacare censetur cap. 26, 28 de præb. in 6, Clem. 3 et extravag. *execrabilis* vers. *qui vero deinceps* int. com. eod. tit. Excipe tamen beneficia vacantia per resignationem, quæ fiat in manibus, ut ajunt, episcopi, hæc enim in regula nominatim excipiuntur. Quamobrem non dubito, quin excepta etiam intelligantur beneficia, quæ vacant permutatione; siquidem permutatio, cum mutuam resignationem contineant, sub generali resignationis nomine comprehenditur.

Cessat regula hujus reservationis, sive in priore parte, qua menses quatuor ordinariorum collationibus designantur, sive in posteriore parte, qua alternativa conceditur, sede apostolica vacante: etenim id perspicue suadent verba illa regulæ *usque ad suæ voluntatis beneplacitum*, juncto capitulo 5 de rescriptis in 6. Hinc sede romana vacante fit ad jus commune regressus, atque ordinarius non attenta hac mensium reservatione, jure omnia beneficia confert. Sunt etiam aliæ caussæ, quibus locum non habet regula in ea parte, qua præstituitur alternativa; in primis moriente episcopo, nam alternativæ acceptatio utpote personalis, et arbitraria in successorem non transit: eadem ratione locum non habebit, si episcopus de una in aliam ecclesiam transferatur; tunc enim non solum successori non proderit alternativa, sed neque proderit translato ratione ecclesiæ recens obtentæ; propterea que opus erit nova ex parte utriusque episcopi impetratione, et acceptatione. Item locum non habebit, si episcopus in sua ecclesia, aut diœcesi non resideat, ob perspicua summi pontificis verba in ea regula expressa. Denique locum non habebit, ubi alternativæ renunciatum fuerit, vel expressa conventione inter pontificem maximum, et episcopum subsecuta, vel tacite, quoties non contradicente episcopo romanus antistes beneficia contulerit vacantia mensibus non reservatis; vel viceversa non contradicente romano pontifice episcopus contulerit beneficia mensibus reservatis vacantia.

Tertia generalis reservatio dicitur ratione dignitatis quarundam personarum, quæ certa beneficia possident, atquæ hæc reservatio passim personalis appellatur. Huc reducuntur quatuor personarum genera beneficia possidentium. Primo cardinales, secundo apostolicæ sedis officiales, tertio spoliorum collectores, quarto denique familiares pontificis maximi et cardinalium. Ratio, et caussa reservationis fundamentum apud romanos antistites habuit in ea, quæ dudum præcesserat, reservatione beneficiorum apud sedem apostolicam vacantium. Ut plurimum cardinales, sedis apostolicæ officiales, familiares papæ, aut cardinalium apud sedem apostolicam merebant, curiamque pontificiam sequebantur. Hinc morte illorum beneficia ab eisdem possessa in curia vacare dicebantur. Quod si istæ personæ a curia aberant, non dubitaverunt romani antistites easdem habere quadam juris fictione tanquam residentes in curia, propterea quod dignitas, munusve susceptum curiæ illas addicebat. Quæ juris fictio cum obtinuit, tum etiam facile in illarum censum redegit collectores spoliorum. Hæc tamen omnia ut inducerentur, non sufficiebat sollicita ista et ingeniosa interpretatio, et fictio juris, nisi lege expressa confirmaretur. Primus Joannes XXII eam interpretationem, ac juris fictionem probavit expressa constitutione, qui propterea reservavit sibi in extravag. 4. de elect. int. com. beneficia vacantia per obitum cardinalium, ubicumque ipsi morerentur, item officialium apostolicæ sedis, et familiarium pontificis maximi. Cum hæc constitutio temporaria esset, videlicet ad vitam auctoris duratura, Benedictus XII, etiam quousque viveret, sibi eadem beneficia reservavit; extrav. 13. de præben. Recentiores pontifices passim hanc reservationem renovaverunt, ac renovare pergunt in regula 1 cancellariæ. Item in regula 4. cancellariæ expresse reservantur beneficia vacantia per obitum illorum, qui fuerint, vel romani pontificis, vel cardinalium familiares. Denique in regula 5 cancellariæ, eo etiam itum est, ut reservarentur beneficia possessa a collectoribus spo-

liorum, de quibus in laudatis et Joannis XXII et Benedicti XII constitutionibus nulla mentio facta fuerat. Sic sensim protensa fuit reservatio beneficiorum apud sedem apostolicam, seu in curia romana vacantium, quæ in ipsa sui origine nonnisi certis finibus circumscripta prodierat.

Itaque in primis reservata sunt beneficia cardinalium, sive obtenta ab illis fuerint ante, sive post munus adeptum, siquidem in hac reservatione non tempora adeptionis, sed tempora vacationis considerantur. Quæstio olim fuit, an cardinalis indultarius posset beneficia sui episcopatus conferre, etiamsi vacarent beneficia per obitum alterius cardinalis. Et quidem minime dubitatum fuit initio, indultarium hoc jure uti posse, quousque tradebatur, indultum reservationes omnes de medio tollere. At postquam ex constitutione Urbani VIII receptum est, indulto non obstante perdurare reservationes, atque indultarium nomine pontificis beneficia conferre, recipi quoque debuit, abstinere debere indultarium ab eorum beneficiorum collatione, propterea quod licet in indulto exprimi soleat, ut cardinalis conferre valeat, beneficia vacantia per obitum officialium curiæ romanæ, aut familiarium papæ, non tamen solet exprimi, ut conferre valeat beneficia vacantia per obitum cardinalis, quod necessarium esset, ut facultas singulari mandato concessa etiam ad eam speciem extenderetur.

Secundo reservata sunt beneficia vacantia per obitum officialium apostolicæ sedis. Expresse isti nominantur, tum in dicta extravag. 4. de elect., tum in dicta extrav. 13 de præb., nimirum vicecancellarii, camerarii, notarii, auditores literarum contradictarum, auditores caussarum palatii apostolici, correctores, scriptores literarum apostolicarum, penitentiarii, abbreviatores, et cappellani, quibus adjecti fuerunt familiares, seu commensales romani antistitis. His etiam adjecti fuerunt legati, et nuncii apostolicæ sedis, item rectores, et thesaurarii in terris sedis apostolicæ constituti; quorum tamen ratione constitutum fuit, ut demum reservatio locum haberet, cum in eo officio morerentur. Hic tamen pragmatici scribere non dubitant, cessare quidem reservationem, sed remanere affectionem, vi cujus adhuc collatio beneficiorum ad romanum antistitem spectet. An hæc traditio consentanea sit constitutionibus Joannis XXII et Benedicti XII, quorum mens erat expressa ut eatenus perduraret reservatio, quatenus legati, nuncii, rectores, et thesaurarii in officio manerent, prudentum judicio relinquo. Jure enim postulari posset, quo tenderet illa conditio, si adhuc cessante officio pontificiæ collationi locus esset; alias autem nihil amplius inducitur ex reservatione personali, quam quod ex affectione induceretur; cum et reservatio, et affectio singularis sit, quæ unica collatione absolvitur, ac consummatur. Ista inter reservationem, et affectionem distinctio meram vocabulorum, aut idearum subtilitatem continet, quam subtilitatem edunt pragmatici illi, qui ceteroqui viros vere in sacris canonibus eruditos solent redarguere ex eo, quod nimium subtiles disserendi, atque interpretandi modos excogitent, agitent, producant, atque promoveant. Non desinunt adhuc pragmatici in ceteris hujus reservationis partibus subtiles videri, ut reservationem eandem sui natura angustis finibus contentam prorogent. Observant ipsi, reservationem duas habere caussas quarum prima est officium apud sedem apostolicam susceptum, altera est familiaritas apud pontificem maximum contracta. Hinc concludunt, reservationem existere, ubi alterutrum evincantur. Non esset improbanda traditio, quousque fictionibus non obvolvetur. At enim fictiones adjiciunt, cum nonnulli scribunt, ex. gr. multiplex esse notariorum, vel protonotariorum genus, quorum alii sunt participantes, et vere in officio, alii non participantes honoris tantum caussa designati. Posteriores cum in officio minime essent, dicebantur tamen ab eisdem pragmaticis familiares papæ, uti declaravit Paullus III in constitutione 3. At cum idem Paullus III in constitutione 4 declaraverit, protonotarios non partecipantes, esse quidem familiares fictos, non autem veros, eamque ob rem pragmatici difficile judicarent, se posse ad eos reservationem extendere, iterum voluerunt, eosdem sub nomine officialium comprehendere. Mihi aliud dicendum videtur, et quidem ex mente Joannis XXII et Benedicti XII in laudatis constitutionibus expressa. Etenim isti pontifices hanc reservationem induxerunt, quasi consectarium reservationis beneficiorum apud sedem apostolicam vacantium. Vix autem contingebat, ut protonotarii non participantes ut plurimum ab urbe remoti apud sedem pontificiam residerent, et supremum diem obirent. Amplius iverunt pragmatici; et quando in laudatis constitutionibus Joannis XXII et Benedicti XII beneficia commensalium romani pontificis fuerunt eidem romano pontifici reservata, quod confirmatum est in regula 1 cancellariæ; quando insuper in regula 4 cancellariæ reservata fuerunt beneficia possessa a familiaribus papæ, tradiderunt inde fieri, ut beneficia conclavistarum sint sedi apostolicæ reservata, propterea quod conclavistæ declarari soleant ex privilegio veluti papæ familiares ac commensales. Mirum est, quot verborum involucris utantur, ut hanc definitione adstruant; eo enim devenerunt, ut ad inducendam reservationem, de qua expresse non constat, et quam fictionibus adumbraverunt,

triplex dixerint esse reservationis vinculum, primum ratione conclavistatus, cujus officium dixerunt exhibitum in sedem ipsa apostolicam, quasi conclavistæ sint sedis apostolicæ officiales; alterum ratione familiaritatis, quam dicunt contractam a conclavista non tam cum romano antistite, quam cum sede ipsa apostolica; postremum ratione protonotariatus, propterea quod plurimi ex conclavistis protonotarii creentur. Digerat hæc omnia is, cujus cum palato sapiunt, tum sunt stomacho lenia. Ego sane duriora, quam par sit, esse sentio. Quousque hæc deprehendatur esse usu recepta, nec dissentire possum, nec dissentio; at quoties contendatur, inductam fuisse se hanc disciplinam ex germana interpretatione vel apostolicarum constitutionum, vel regularum cancellariæ, heic est, ubi exoptarem, ut clarior fieret demonstratio. Tantum dicam, expresse definitum esse in regula 4 cancellariæ reservationem ex caussa familiaritatis inductam non esse perpetuam, sed referri ad ea tantum beneficia, quæ quis adquisiverit, quo tempore familiaris existeret, non ad ea, quæ cessante familiaritate obtinuisset. Denique in regula 7 cancellariæ reservata fuerunt beneficia, quæ cubicularii etiam honorarii, item cursores pontificii obtinuissent.

Tertio reservata sunt beneficia vacantia per obitum collectorum, qui scilicet colligendis spoliis, decimis, quindenniis, aliisque juribus apostolicæ cameræ addicti sunt. Id primum inductum fuit ex regula 5 cancellariæ, ex eo quod collectores habeantur veluti sedis apostolicæ officiales. In hac regula duo personarum genera distinguuntur. Primum collectores designati sunt, atque horum omnium, etsi numero plurimi sint, beneficia reservantur. Secundo designati sunt subcollectores, atque istorum tantum reservantur beneficia, si unicus subcollector in diœcesi, vel civitate sit, non si plures, quo casu nullius subcollectoris beneficia sunt reservationi obnoxia. Insuper coercetur reservatio in eadem regula ad ea tantum beneficia, quæ collectores, aut unicus subcollector durante officio obtinuerint, aut in quibus, seu ad quæ durante officio jus eisdem competebat.

Quarto denique reservata sunt beneficia, quæ possidentur a familiaribus cardinalium, quod quamquam inductum primum fuerit ex regula 4 cancellariæ, non dubito tamen, quin eadem fuerit ratio hujus reservationis, qualis olim erat in reservatione beneficiorum, quæ a cardinalibus possiderentur. Triplicis generis designari beneficia possunt. Primum ea, quæ quis obtinuisset, antequam familiaris esset alicujus cardinalis. Secundo ea, quæ tempore familiaritatis obtinuisset, vel ad quæ certum jus eodem tempore habuisset. Tertio ea, quæ dissoluta familiaritate adquisivisset. Ad priora duo genera refertur reservatio, adeo ut hæc perduret etiam dissoluta deinde quacumque de caussa familiaritate. Ad tertium autem genus reservatio non refertur ob expressa regulæ verba. Dicitur in regula, reservari beneficia familiarium, qui sint *continui commensales*. Id videtur relictum judicio boni viri, qui ex adjunctis universis arbitretur, quinam *commensalis* dicatur, videlicet ex stipendio cardinalis vivere, et quinam *continuus* commensalis dicatur, videlicet non in fraudem, sed ex animo penes cardinalem habitet eidem certo in officio ministraturus. Multi sunt, qui putant, quadrimestre tempus præterlabi debere, ut quis *continuus* commensalis censeatur; quemadmodum et multi putant, reservationem hanc inductam fuisse potius gratia cardinalium, quam gratia apostolicæ sedis. Hæc ut intelligantur, duæ aliæ proponendæ sunt regulæ cancellariæ, videlicet 32 et 33 jamdiu obtinuerat, ut quoties vacaret, beneficium per obitum familiaris alicujus cardinalis, pontifex maximus illud concedere soleret personæ, quam cardinalis idem commendavisset, neque alteri gratiam faceret, nisi prævio ejusdem cardinalis consensu. Id confirmatur in dicta regula 32, eo tamen adjecto ut cardinalis in curia resideat, aut saltem in loco vicino infra duas dietas degat, brevi intra decem, vel ad summum quindecim dies reversurus; eo insuper adjecto, ut privilegium hoc cardinalium locum habeat in beneficiis, quæ familiaris tempore familiaritatis obtinuisset, etiamsi inde a familiaritate recessisset, et familiaritatem cum alio cardinali contraxisset, quasi eodem retento statu: eo denique adjecto, ut familiares ii censerentur, qui saltem per quatuor menses fuissent cardinali commensales. In regula 33 cautum fuit, ut si beneficii vacantis collator ordinarius sit cardinalis vi sui episcopatus, vel alterius dignitatis, isque, uti solet, apostolicæ sedis indulto munitus, cesset omnino privilegium cardinalis alterius in dicta regula 32 confirmatum, et cardinalis ordinarius libere beneficium conferat, præterquam si beneficium apud sedem apostolicam vacet, cum hic casus in indulto minime comprehendatur; hac enim in specie cardinalis, cujus familiaris decessit, privilegium consensus habet, quemadmodum haberet, quocumque in casu, si ordinarius non esset cardinalis. Num igitur exinde concludetur, non aliter beneficium reservatum esse vi regulæ 5 cancellariæ, quam si familiaris per quatuor menses apud cardinalem fuisset? Non id in necessariam consequentiam deducitur, argumento ducto ex regula 32. Jam olim Bonifacius VIII in cap. ult. de verbor. signif. in 6, cuidam concesserat collationem beneficiorum, quæ vacavissent per obitum familiaris, *qui existeret continuo domesticus commensalis*. Nulla erat de-

finitio temporis facta. Ex proposito admittentis, et admissi commensalis, quale ex adjunctis colligi poterat, res tota dirimebatur. In regula 4 cancellariæ nec ulla quidem quadrimestris temporis facta mentio adparet. Quod si in regula 32 definitum fuit quadrimestre tempus, hoc inductum est ad singulares fraudes eludendas, quæ admitti possent, ut consensus prærogativa cardinali adquireretur. Quæ autem singularia sunt, protrahi recta interpretatione nequeunt ad alteram regulam, quæ fundamentum habebat in vacatione beneficiorum apud apostolicam sedem, per pontificias constitutiones, aut regulas ad casus fere similes prorogata. His adjicitur in dicta regula 4 cancellariæ, æque reservari beneficia vacantia per obitum familiarium papæ, ac vacantia per obitum familiarium cardinalium. Quod si definitio quadrimestris temporis facta in dicta regula 32, ad regulam 4 referretur ad fraudes evitandas, dicere oporteret, summos pontifices etiam declarare voluisse, quandoque locum esse posse fraudibus apud se in suis eligendis familiaribus, quorum beneficia reservata non essent, nisi elapso saltem quadrimestri, quod sane vel suspicari indecorum foret. An autem memorata regula 4, induxerit reservationem potius gratia cardinalium, quam gratia apostolicæ sedis; cardinalium in quam, ut eorundem consensu beneficia ita vacantia conferrentur; apostolicæ sedis, ut plurium beneficiorum collationem nancisceretur, res definiri facile potest. Regula quidem cardinalibus favet, dum confirmat præstandi consensus prærogativam. At præcipue edita est gratia sedis apostolicæ, quando certum est, uti modo notandum fuit, etiam quo casu cardinalis consensus non est expectandus, veluti cum abest a romana curia, adhuc reservationi locum esse, et ordinariorum collationem excludi.

Quarta generalis reservatio dicitur ex caussa dignitatis nonnullorum beneficiorum. Huc spectat in primis regula 8 cancellariæ, in qua pontificiæ collationi reservantur canonicatus, præbendæ, dignitates, personatus, et officia constituta in tribus basilicis romanæ urbis, nimirum S. Joannis lateranensis, sancti Petri et sanctæ Mariæ majoris. Hæc plane reservatio non eandem habet naturam, quam ceteræ reservationes; siquidem non quidquam novi juris ex ea reservatione pontifici maximo adquiritur: tantum pristinum jus ordinarium in beneficiis romanæ urbis, romano antistiti competens asseritur, vindicatur et quatenus opus sit, restituitur, sublatis de medio in hac parte privilegiis, aut indultis, quæ ex pontificia largitate concessa fuerant, aut cardinalibus earundem ecclesiarum archipresbyteris, aut etiam ipsarum ecclesiarum capitulis. Eadem ratione in eadem regula reservantur pontifici maximo beneficia, quæ cardinales ratione episcopatuum sui cardinalatus, vel ratione cardinalium titulorum conferre possunt, quoties absentes ipsi sint a curia romana. Sunt istæ quædam indultorum coercitiones, non veræ et propriæ reservationes. Aptius ad hanc generalis reservationis speciem refertur reservatio, quæ habetur in 2 regula cancellariæ; in qua in primis statuitur, spectare ad pontificem maximum collationem omnium ecclesiarum patriarchalium, primatialium, archiepiscopalium et episcopalium. Disputant pragmatici de hujus reservationis antiquitate, aliis reservationem repetentibus a Gregorio IX, aliis a Bonifacio VIII, aliis a Clemente V, aliis ab Joanne XXII, aliis nonnisi a recentioribus pontificibus; quodque mirum est, tradentibus nonnullis, ex hac reservatione nihil novi inductum fuisse, sed restitutam antiquam disciplinam, cujus monumentum inveniunt in can. 1, dist. 22. Gravissima istos obruit disciplinæ ecclesiasticæ veteris ignoratio, quando nihil in tota vetustate frequentius occurrit quam episcopalia omnia munera suffragio cleri, ac consensu populi præcedente in synodis provincialibus committi consuevisse. Non opus hic est adnotare, quænam sit germana interpretatio canonis 1, dist. 22 cujus auctor est Petrus Damiani. Alibi jam id expendi, tradens, nihil cum proposita traditione commune ibidem occurrere. Ego observo primum Clementem V specialiter sibi reservavisse ecclesiam burdegalensem, de qua ipse ad romanam sedem assumtus fuerat, una cum monasterio Sanctæ Crucis pariter burdegalensi in extrav. 3 de præb. De aliis cathedralibus ecclesiis nulla reservatio adparet, nisi tum demum cum apud sedem romanam vacarent, quemadmodum legitur in dicta extrav. 3 istud ipsum statuit Joannes XXII in extrav. 4 int. com. de elect., et confirmavit Benedictus XII in extrav. 13 de præb., ex quibus facile deducitur, nonnisi serius eam generalem reservationem inductam fuisse, et inter regulas cancellariæ receptam. Additum fuit in regula, reservari pariter pontificiæ collationi omnia monasteria vivorum valorem annuum ducentorum florenorum auri (florenus aureus idem valet apud Romanos, ac julii argentei septemdecim cum dimidio) communi æstimatione excedentia. Observandum tamen est, non ubique regulam istam esse receptam, ob varias etiam transactiones et concordata, quæ diversam in diversis ditionibus disciplinam induxerunt, quod etiam observandum voluerunt tridentini antistites in cap. 1, sess. 24 de ref. Ubi vero suas vires exerit reservatio, quotidiana praxis demonstrat, non esse solam reservatam electionis episcoporum, vel abbatum a capitulis, vel monachis factæ confirmationem, aut episcoporum consecrationem, sed liberam omnino epicopalis, atque abbatialis beneficii collationem. Neque dicas in regula non fieri spe-

cialem mentionem de monasteriis aut cathedralibus ecclesiis, ad quas per electionem quis assumatur, ut concludas, ab hac regula excipi ecclesias, et monasteria electiva, argumento capituli 16, § *illis vero* de præb. in 6. Etenim jam observaverunt interpretes regulæ, non opus fuisse expressam mentionem facere electivarum ecclesiarum, et monasteriorum; propterea quod tam cathedrales ecclesiæ, quam monasteria non ex accidenti, sed suapte natura sunt electiva, satisque sit memorare cathedrales ecclesias, aut monasteria, ut beneficia hujus generis electiva memorata intelligantur. Hinc hodie in his majoribus beneficii aliorum electioni, vel nominationi locus fieri non solet, nisi vel speciale privilegium, vel inita transactio, seu concorcordatum, vel immemorialis consuetudo suffragetur. Item regula locum habet in monasteriis æque conventum habentibus, ac conventu carentibus, quæque propterea commendari sæcularibus clericis consueverunt, dummodo omnia isthæc regularia beneficia jure tituli perpetui possidenda conferantur. Ad eandem speciem reservationis generalis etiam refertur reservatio, de qua concepta est regula 4 cancellariæ, ubi reservatæ fuerunt dignitates omnes majores post pontificales in cathedralibus, etiam metropolitanis et patriarchalibus, nec non valorem decem florenorum auri communi æstimatione excedentes principales in ecclesiis collegiatis, ea declaratione adjecta, ut si forte quædam dignitas non sit major in ecclesia cathedrali, sed principalis sit in ecclesia collegiata a cathedrali distincta, hæc ipsa dignitas sit sedi apostolicæ reservata. Hæc ita intelligenda sunt, ut prima dignitas, etiam unica, reservata sit, quando tamen in eadem ecclesia plura supersunt beneficia, etiam sine titulo dignitatis, non vero si, præter unicam dignitatem, nulla alia superessent beneficia, ne per hanc reservationem universa ordinarii jurisdictio evacuetur. At si forte in prima dignitate reservatio non consistat, vel quod prima dignitas suppressa sit, et unita capitulo, vel quod sit juripatronatus aliquorum obnoxia, vulgo scribunt, reservationem locum habere in secunda, quasi secunda in hac specie locum teneat primæ. Præterea in eadem regula 4 reservati sunt prioratus, præpositurae, præpositatus, aliæque dignitates conventuales, quod intellige de ecclesiis tantum regularibus, sive actu, ut vocant, sive habitu, item de dignitatibus tantummodo perpetuis, non de temporalibus, sive de iis, quæ obedientiales vocantur ex eo, quod in illis constitutus ad nutum superioris possit amoveri; atque in hac regulæ parte locum etiam habet, quod superius adnotavi ad regulam 2 cancellariæ de monasteriis, nimirum non esse id ubique receptum, sed esse variis consuetudinibus, provinciarum, ac concordatis obnoxium. Quod si petas, quid discriminis intercedat inter monasteria jam reservata in regula 2, et dignitates conventuales reservatas in regula 4, respondent passim interpretes, nomine monasteriorum in regula 2, venire abbatias consistoriales, et nomine dignitatum regularium in regula 4 venire præfecturas monasteriorum non consistoriales. Adjicitur denique in dicta regula 4, reservari præceptorias generales quorumcumque ordinum, non tamen militarium.

Postremo generalis reservatio dicitur ratione delicti, quo admisso beneficiarius jure suo spolietur, non sane quod omni hujus generis crimine admisso reservatio inducatur sed quod quædam sint delicta, quibus admissis reservata certa beneficia sint. Huc pertinet in primis, quod tradi solet, reservari beneficia sedi apostolicæ, quæ vacant per assecutionem alterius beneficii incompatibilis. Multa tamen in hac re sunt observanda. Primum est, jamdiu cautum fuisse in concilio lateranensi Innocentii III, sive in cap. 28, de præb. ut, siquis curam animarum, vel dignitatem, vel personatum habens alterum ejus generis beneficium obtineret, ipso jure primum vacare censeretur, quod libere posset ab ordinario conferri. Hæc sine discrimine obtinuerunt, quousque aut vix, aut raro pontifices maximi beneficia per se conferebant. Deventum est ad ea tempora, quibus pontificiæ collationes esse cœperunt frequentiores. Tum vero si pontificia auctoritate beneficium, uti vocant, incompatibile concederetur alicui alterum beneficium incompatibile possidenti vacabat, quidem primum sed conferri non poterat ab ordinario, postquam reservationes beneficiorum vacantium in curia induci cœperunt. Statim ac enim actus collationi secundi beneficii, ex quo primum beneficium vacabat, perficiebatur in curia, vacatio secundi beneficii in curia sequi dicebatur, unde reservatio emergebat, quamquam adhuc verum esset, vacationem nondum fuisse undecumque perfectam, propterea quod expectandum adhuc esset tempus, quo quis pacifice possessionem secundi beneficii adipisceretur, quod hodie bimestre esse solet, ita tamen, ut adepta pacifica possessione vacatio retrotrahatur ad tempus adeptionis secundi beneficii. Nihilominus tamen Joannes XXII, expresse eadem beneficia sedi apostolicæ reservare voluit in extravag. sua unica de præb. relata etiam in extravag. 4, eod. tit. int. com. quod confirmavit Benedictus XII, in estravag. 13, eod. tit. atque hanc ipsam reservationem confirmaverunt recentiores pontifices in regula 1 cancellariæ. Ego non puto, hanc reservationem expressam in dictis constitutionibus distinctam esse ab altera reservatione, quæ dicitur beneficiorum in curia vacantium; neque enim quid amplius in illa continetur, quam quod in ista

contineatur, nisi dixeris, Joannem XXII reservasse sibi beneficia, quæ vel ipse, vel prædecessores sui contulissent numero plura etiam cum dispensatione, proptereaquod noluit, eam dispensationem alicui prodesse, ac statuit, liberum esse possessori, ut ultimo adeptum beneficium retineret, si vero utrumque retinere pergeret, utrumque et vacaret, et esset collationis sedis apostolicæ reservatum. At enim hæc reservatio perpetua non erat, tantum casus præteritos respiciebat plurium beneficiorum ex dispensatione pontificia pridem obtentorum. Itaque hodie si quis auctoritate pontificia beneficium quoddam incompatibile nanciscatur, dicitur beneficium primum in curia vacare, propterea que est sedi apostolicæ reservatum. At si obtineatur ab ordinario, vacabit quidem similiter beneficium primum, sed non erit collationi pontificiæ reservatum, quia in curia minime vacat. Nihil autem refert, an pontifex per se, an per delegatum beneficium conferat, puta per legatum sedis spostolicæ ob verba in laudata extravaganti 13 expressa, quibus beneficia reservantur vacantia per concessionem secundi incompatibilis factam vel a pontifice, vel auctoritate literarum pontificiarum.

Adversus hanc reservationem nonnulli effugia quæsiverunt, non tantum ut plurium beneficiorum possessores evaderent, quod eveniebat permutando beneficium incompatibile, uti loquuntur, cum compatibili, sed etiam ut beneficium primum, quod ex adeptione secundi vacaturum erat, vel in alterum resignatione facta transferrent, vel libere renunciarent apud ordinarium collatorem ad excludendam pontificiam reservationem. His obviam iverunt pontifices maximi in regula 3 et 26, cancellariæ. Statuerunt in regula 3, non valere aut resignationem, aut cessionem, aut permutationem beneficii incompatibilis in fraudem pontificiæ reservationis factam ab eo, qui certum vacans beneficium sit a sede apostolica impetraturus, eo etiam adjecto, ut irrita insuper sit collatio beneficii secundi, salvis tamen manentibus quibuscumque juribus competentibus, alteri parti, ad cujus favorem facta esset resignatio etiam ex caussa permutationis. In regula 26, specialiter definitur, non valere renunciationem, cessionem, et quamcumque dispositionem beneficiorum, quæ facta fuerit ab eo, qui promovendus sit ad cathedrales ecclesias, vel monasteria, vel quascumque prælaturas a die, quo eædem ecclesiæ, vel monasteria, vel prælaturæ vacant, qua in specie pœna quidem adjecta est, ut resignatio, cessio, et quævis alia dispositio irritetur, non etiam ut irritentur acta pontificiæ collationis ejusdem cathedralis ecclesiæ, vel monasterii, vel prelaturæ.

Gravis sollicitudo, quæ tenuit perpetuo pontifices maximos, ut executioni demandarentur tridentina decreta, occasionem etiam dedit, ut reservarentur pontifici maximo beneficia, de quibus, vel ordinarii, vel alii collatores contra decreta tridentini concilii disposuissent. Ita habetur in fine regulæ 1, cancellariæ quod primum a Sixto V, deinde a successoribus pontificibus constitutum est. Itaque hodie sunt reservata pontificiæ collationi beneficia parochialia illi collata, qui necdum 25, ætatis annum attigerit contra præceptum tridentini capitis 3, sess. 7, de ref. beneficia simplicia collata non habenti primam tonsuram aut illi, qui non sit saltem in decimoquarto ætatis anno constitutus, contra caput 6, ses. 7 de ref. beneficia collata illegitimo, vel alias incapaci, contra cap. 15, sess. 25 de reform. contra caput 6. 8. 18. 19. sess. 24. de ref. beneficia vel sæcularia regulari, vel singularia, sæculari concessa, contra caput 11 sess. 14 de ref. beneficia parochialia collata contra formam concursus, contra caput 18 sess. 24 de ref. quo in casu jam reservationem singularem induxerat Pius V in sua constitutione 33, ex qua interpretationem sumit hæc regula; nimirum reservatio quidem locum habebit, ubi ordinarius collator, qui culpam admisit adversus tridentinum decretum, libera collatione fruitur, non vero si collatio beneficii parochialis ad alium collatorem spectet, aut patronatui ecclesiastico sit obnoxia; ne alias culpa ordinarii fraudem faciat, aut collatori singulari, vel patrono; nisi vel collator singularis, vel patronus ecclesiasticus etiam in culpa sit, proindeque dignus sit, qui suo jure spolietur. Observandum adhuc est, in dicta regula 1 cancellariæ non definiri, beneficia reservari apostolicæ sedi, quæ contra formam, aut decreta concilii collata fuissent, sed definiri, reservari beneficia, de quibus ordinarii, aut allii collatores disposuerint aliter, quam concilium tridentinum statuerit. Verbum *disponendi* collationem quidem in se continet, sed alios etiam actus præter collationem complectitur. Hinc fit, ut si episcopus univerit beneficia, quibus in casibus ne uniat, concilio tridentino prohibetur, non solum unio irrita sit, sed et collatio beneficii vacantis sedi apostolicæ reservetur. Hæc regula pœnalis est, proindeque ea tantum in specie locum habet, quoties ordinarius, vel alius collator de dolo, vel culpa redarguatur, minime vero, quoties vel justa caussa, vel excusabilis error facti, vel probabilis ignorantia caussam dederit dispositioni tridentino concilio contrariæ. Eove minus reservatio locum habebit ubi patronus, non collator, violaverit tridentina decreta, cum regula mentionem tantum de collatoribus faciat, non de patronis.

PARS II.

DE VARIIS COLLATIONUM FORMIS.

CAPUT I.

De forma collationum ordinaria.

Cum sæculo ecclesiæ duodecimo excoli cœpit jurisprudentia romana, cujus etiam suppellectilem auxerunt recens inductæ feudorum consuetudines, nonnulla exinde traducta fuerunt in disciplinam ecclesiasticam occasione collationis beneficiorum, præsertim quod ista tum primum novam formam indueret, et secerneretur a collatione sacrorum ordinum, cui olim conjungebatur. Interea tamen et nonnulla veteris disciplinæ vestigia remanserunt, quasi collatio beneficiorum in parte retineret naturam collationis ordinum, in parte autem nonnihil novi adquireret, exemplo adquisitionum bonorum, vel etiam feudorum, quando beneficia bonis clericorum adcenseri cœperunt, et parum visa sunt distare a feudis, quæ olim etiam beneficia dicebantur, et tantum concedebantur ad vitam vassalli, post hujus obitum ad concedentem reversura. Itaque in primis beneficiorum collatio certa retinuit vestigia disciplinæ veteris. Si enim cum jungeretur collationi ordinum, uti collatio ordinis, ita et collatio beneficii perpetua erat; nec quis sine caussa potuit æque a beneficio, ac ordine, aut sponte recedere, aut prælati auctoritate dejici; unde obtinuit, ut beneficii collatio fieri debeat pure, non in diem, non sub conditione, can. 2, dist. 55, can. 7, dist. 57. Tantum quædam exceptiones, ad regulam adjiciebantur etiam hodie probatæ, et primum in beneficiis manualibus, idest ad nutum superioris revocabilibus, cap. 6, vers. *nec alicui* de statu monach. secundo in commendis, quæ in parrochialibus ecclesiis ad semestre tempus auctoritate ordinarii constituuntur, cap. 15, de elect. in 6, 1 tertio in coadjutoriis, ut in specie capituli et ult. de cleric. ægrot. quarto in juribus visitationum, de quibus agitur in cap. ult. de suppl. neglig. prælat. in 6, cap. 19, de elect. et cap. 42, de elect. in 6, quinto denique in extraordinariis quibusdam caussis, quibus romani antistites aliquando duxerunt collationi beneficiorum tempus vel certum, vel incertum, puta usque ad beneplacitum sedis apostolicæ, adjicere, can. 42, caus. 7, quæst. 1, cap. 5, de fil. presbyt. cap. 5 de rescript. in 6. Istæ exceptiones firmant magis regulam, magis etiam regulæ rationem; siquidem quæ universæ exceptiones proponuntur, ad eos casus pertinent, in quibus beneficia seorsim a sacra ordinatione conferebantur. Non erant ab ipsa origine sui adnexa ordinationi beneficia manualia, quæ ut plurimum regularia erant, et concedebantur monachis minime ordinatis. Non erant adnexæ ordinationi commendæ, quæ etiam laicis conferri potuerunt. Non visitationes, non coadjutoriæ, aliaque similia jura, quæ officio potius, quam ordini cohærebant. Hæc observatio, quæ plana est, et primigeniæ beneficiorum naturæ conformis, aut fugit oculos, aut non explevit animos illorum, qui sæculo duodecimo ebrii erant in studiis jurisprudentiæ romanæ. Isti, quibus ea tantum arridebant, quæ derivarentur ex principiis veterum jureconsultorum, novas excogitarunt caussas, quibus diceretur, beneficia pure omnino concedi debere. Hinc dixerunt, collationem beneficiorum esse actum legitimum, cui ex doctrina jureconsultorum neque dies, neque conditio adjici potest, can. 2, cau. 1, qu. 2, cap. ult. de pactis, cap. 2, de elect. in 6, juncta l. 77. ff. de reg. jur. nisi talis conditio adjiceretur, quæ tacite inesset, ex. gr. ita beneficium concedendo, ut aliud, quod antea possidebatur, resignetur, argumento cap. 17, de rescriptis. Præterea ex eodem superius jacto principio facile dignoscimus, quare in quibusdam saltem beneficiis adipiscendis fieri consueverit, et soleat fidei professio, nimirum si agatur aut de beneficiis parrochialibus, aut de dignitatibus, vel canonicatibus ecclesiæ cathedralis. Erant omnia beneficia sacræ ordinationi adnexa. In sacris ordinationibus, præsertim majorum ordinum, inductum jam olim fuerat, ut ordinandus fidei professionem faceret, quæ tantum remittebatur in ordinatione minorum clericorum. Cur non igitur professio fidei a parochis sacerdotale officium suscipientibus, aut a dignitatibus, vel canonicatibus cathedralis ecclesiæ, quæ munera sacrum ordinem postulant, exigeretur? Id magis perspicue statutum est in tridentino concilio in sess. 24. Cap. 12, de reform. ubi cautum fuit, ut omnes beneficiarii, quibus cura animarum immineat, teneantur a die adeptæ possessionis saltem intra duos menses in manibus episcopi, vel ejus vicarii orthodoxæ fidei publicam facere professionem; item ut provisi de canonicatibus, et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus non solum coram episcopo, seu ejus officiali, sed etiam in capitulo idem fa-

cere teneantur, indicta pœna adversus negligentes amissionis fructuum, quin illis ulla beneficii possessio suffragetur. Formam professionis fidei edidit Pius V anno 1564, idibus novembris. Insuper ex eodem principio profluit, ut beneficiarii tempore adeptionis beneficii quædam se peracturos collatori spondeant, et quidem jurejurando. Istæ sponsiones jam fiebant tempore ordinationis, dum ordinatus promitteret episcopo obedientiam, et reverentiam, item se susceptum officium rite administraturum. Idipsum promittebatur caussa beneficii, cujus respectu adjici consuevit, ut beneficiarius, sponderet, se, et episcopo, et sedi apostolicæ perpetuo obsecuturum, sacris officiis peragendis juxta onera beneficio imposita institutum. Postulavit inde politiæ ecclesiasticæ ratio ad coercendos nonnullorum abusus, ut sponsioni adjiceretur, beneficiarium non alienaturum bona beneficii, una cum protestatione, qua beneficiarius fateretur, nihil se beneficii consequendi caussa dedisse, can. 18, cau. 22, qu. 5, can. 3, cau. 35, qu. 5, cap. 4, 5 et 11, de jurejur. cap. 19, de verb. sign. Quæ omnia etiam hodie fieri solent ad veteris, ut ajebam, disciplinæ vestigium. Nunc ea persequamur, quæ collationibus beneficiorum accesserunt ex studio veteris jurisprudentiæ romanæ, aut etiam ex consuetudinibus feudorum. Juxta principia jureconsultorum, ac feudistarum aliud erat jus ad rem, aliud jus in re nancisci. Item jus in re modo per symbola tradebatur, modo actuali missione in possessionem. Hinc cœpit induci in beneficiis, ut electus, nominatus, præsentatus ad beneficium jus quidem ad beneficium haberet, non vero jus in beneficio quod tantum constitui traditum est in institutione, argumento cap. 17, de præb. in 6. Duplex quoque institutio agnita est, altera tituli collativa, altera corporalis, sive actualis in possessionem immissio. Institutio collativa tituli facta est per collationem symbolorum, ad exemplum præsertim feudalis investituræ. Institutio corporalis facta est per inductionem beneficiarii in prædia beneficiaria; et quando beneficium potissimum in rei sacræ administrationem versatur, ab actibus ipsis possessoriis neque ecclesiæ, neque altaria immunia esse potuerunt. Exterioribus actibus institutio utraque explicata fuit, quibus adpareret, beneficium alicui esse concessum cap. 1, de reg. jur. in 6, quæ variis modis in variis provinciis, et pro varietate beneficiorum exercentur. Alicubi enim clerico vel per se, vel per procuratorem coram conferente consistenti pileus imponitur; alicubi annulus digito inserendus porrigitur, cap. 4, de concess. præb. alicubi calamus traditur, quam vulgo beneficii investituram exemplo feudorum, sive institutionem tituli collativam appellant. Et quamquam olim hac institutione secuta statim et libere clericus valet sponte capere possessionem actualem jurium æque et onerum beneficii, imo et eandem possessionem recepisse per tradita beneficii symbola videretur, argumento l. 1, § 21, ff. de adquir vel amit. posses. l. 74, ff. de contrah. emt. cap. 18, de sent. et re jud. inde tamen passim factum est, ut collatoris auctoritate beneficiarius corporalem possessionem caperet, cap. 18, de sent. et re jud. ibi: *ipsum instituit in eandem, in possessionem eum induci faciens corporalem.* Et quidem quousque archidiaconorum, tanquam vicariorum, opera episcopi usi sunt, hæc possessionis traditio per archidiaconos fieri solebat, cap. 7 et 9 de offic. Archid. Sed postquam episcopi alios delegare cœperunt ad exercendam jurisdictionem, aliis etiam mandarunt, ut recens institutos beneficiarios in possessionem inducerent, quod hodie vulgare factum est ita, ut nulla esse soleat specialis delegatio, sed passim cuicumque ex clero committatur, ut beneficiario auctoritate episcopi possessionem concedat, dummodo semper caveatur, ne pro danda possessione aliquid exigatur, cap. 9 et 36 de simonia. Solemnitas capiendæ hujus possessionis in eo consistit, quod beneficiarius ecclesiam ingrediatur, et, si parochus sit, manu capiat aspersorium aquæ lustralis, altare majus osculetur, vel similia faciat pro usu recepto uniuscujusque ecclesiæ, si sit canonicus, stallum in choro occupet; si minor sit beneficiarius, antiphonarium, vel alium librum ritualem pro sui officii qualitate manu capiat, vel similia præseferat possessionis argumenta. Sive de corporali, sive de tituli collativa institutione agatur, solent ad perpetuum rei gestæ monumentum omnia redigi in scripturam, ut facilis sit probatio, can. 3, cau. 16, qu. 3, solent insuper duo saltem testes intervenire; et cum agitur de possessione corporali, solet etiam intervenire notarius, qui acta in scripturam redigat, ut auctoritate publica capta possessio videatur.

Adeptæ possessionis effectus est, ut possessor adversus quemcumque alium beneficium illud impetrantem exceptionem opponat, qua in re duæ sunt observandæ regulæ cancellariæ, nimirum regula 35, de annali, et regula 36, de triennali possessore. Hæc quoque consectaria sunt jurisprudentiæ romanæ, in cujus conspectu multa sunt concessa privilegia, præsertim auctoritate prætoria, possessoribus jurium, vel bonorum, ne facile, aut temere a sua possessione turbentur. Priore regula definitur, reprimendos esse improbos lites exquirentium motus, ac proinde siquis impetraverit a sede apostolica beneficium, quod alter per annum immediate præcedentem pacifice possideret, quod certo modo vacare diceretur, non aliter eam impetrationem ipsi prodesse, quam si in impetratione ex-

presserit nomen, gradum, nobilitatemque possessoris, et possessionis tempus, et caussam, quare possessori nullum jus in beneficio competat, item possessorem ipsum infra sex menses in judicium vocet, caussamque ex tunc infra annum usque ad definitivam sententiam prosequatur. Id nonnihil simile habet cum actione in rem prætoria publiciana, eatenus nimirum, quatenus tum in publiciana, tum in regula memorata annalis possessionis pacificæ ratio habetur. Ceterum multum adhuc discriminis inter utramque intercedit, propterea quod in publiciana possessori favetur; at in regula non possessor adjuvatur, sed potius subreptitius impetrator coercetur; cujus rei argumento est, quod annali beneficii possessori non actio conceditur, sed exceptio; quod item, non opus est, ut annalis beneficii possessor sit aut justo titulo munitus, aut bona fide; tantum sufficit, ut impetrator beneficii regulæ non satisfecerit. Hinc qui beneficio hujus regulæ uti velit, demonstrare dumtaxat debebit, annum elapsum fuisse a die captæ a se possessionis usque ad impetrationem beneficii ab adversario factam, et per illud tempus pacifice, idest sine ulla controversia possedisse, quin opus sit tituli, ne colorati quidem, allegatione, Faber in codice lib. 2, tit. 6, def. 15. Id adeo verum est, ut regula etiam prosit ei, qui ipso jure beneficio jam privatus esset, vel ob hæresim, vel ob assecutionem alterius beneficii incompatibilis, vel etiam ob simoniæ crimen admissum; imo et prosit ei, qui sese in beneficium intruserit etiam adversus reservationes pontificias, utut clausas in corpore juris, non obstant irritante decreto; quando regula non ideo inducta est, et possessori faveatur, sed ut iniqui et molesti impetratores repellantur; propterea que regula non præbet, neque auget, neque firmat possidendi titulum, sed tantum jus dat, ne ab eo, qui iniquum titulum exhibet, excludatur. Hæc in caussa sunt, quare pragmatici communi consensione fateantur, regulam istam omni favore dignam esse, cum in bonum publicum tendat ad evitandas fraudes, quæ passim a beneficiorum aucupatoribus admittuntur; neque enim istis desunt prætextus ad ingerendas molestias adversus eos, qui jamdiu beneficia possident. Nescio autem, qua ratione post hæc nonnulli ex pragmaticis plures investigent casus, quibus regula cesset; dum ajunt, modo regulam non obesse ei, qui beneficium impetraverit cum clausula *motus proprii*; modo regulam non habere locum, ubi possessor titulo munitus sit evidenter irrito; modo habere locum, ubi quis possideat beneficium reservatum reservatione clausa in corpore juris quin illud a sede apostolica obtinuerit; modo etiam testentur, in romana curia huic regulæ in parte saltem derogari solere. Esto, in pluribus casibus possessorem non esse adjuvandum ob improbitatem, quam voluit sibi esse præsidium adsequendi beneficii; eminet tamen super hæc publica utilitas, quam hæc regula fovet ad compescendos iniquos beneficiorum impetratores, qui mentem pontificis maximi circumveniunt. Verba regulæ amplissima sunt, nec ullam exceptionem admittunt. Finis regulæ sanctissimus est, cujus caussa extendi potius, quam coerceri eadem regula debet. Quod si pontifices maximi eidem regulæ aliquando derogent, ego non dubito, quin cum id egerint, tum gravi derogationis caussa, si non magis, æque saltem bono publico prospicientes, innitantur; interea tamen non erit facile præsumenda derogatio generalibus quibusdam clausulis, qualis esset clausula *motus proprii*, quæ hodie ex curiæ stilo omnibus beneficiorum impetrationibus adjici solet non sine facto eorundem impetrantium, aut aliæ clausulæ non dissimiles.

Posteriore regula, nimirum 36, decernitur, ut siquis quæcumque beneficia ecclesiastica, qualiacumque sint, absque simoniaco ingressu ex quovis titulo apostolica, vel ordinaria collatione, aut electione, et electionis confirmatione, seu præsentatione, et institutione illorum, ad quos pertinet, per triennium pacifice possederit; dummodo in beneficiis hujusmodi, si dispositioni apostolicæ ex reservatione generali in corpore juris clausa reservata fuerint, se non intruserit, super eisdem beneficiis taliter possessis nullam molestiam patiatur; et quæcumque impetratio horum beneficiorum facta sit, in irritum cadat. Idipsum operatur hæc regula, quod in jure romano usucapio, vel præscriptio; unde duo passim traduntur. Primum est, hanc regulam exemplo usucapionis, vel præscriptionis in bono publico fundamentum habere, ut jura semel quæsita non maneant in incerto: alterum est, hanc regulam jus tribuere in beneficio illi, cujus jus alias non plenum, aut integrum foret. Vulgo traditur, hanc ipsam triennalem possessionem illam esse, quam olim firmam fore voluerunt africani patres in cap. 1, de præscription. Verum meo judicio magis sobrie de hac re ferenda sententia est. Qui enim apprime callet, qualis aut necessario, aut opportune adhibenda œconomia fuerit, quinto præsertim ecclesiæ sæculo in Africa in caussis catholicorum et donatistarum, in quarum medio diœceses ipsæ, et episcopales administrationes gravissima turbabantur, facile dignoscit, plura tunc bono pacis singularia induci debuisse, et revera inducta fuisse, in exemplum minime protrahenda. Constituerant imperatores in l. 3. Cod. de hæret, ut administrationes, et ecclesiæ ab hæreticis omnibus auferrentur, transferendæ in catholicorum antistitum potestatem. Hinc si catholicus antistes partem diœcesis adversus hæreticum oc-

occupasset, et triennio possedisset, ex sententia africani concilii eam sibi veluti propriam vindicabat. Fuerunt hæc singularia, nec quidquam commune habent cum caussis in memorata cancellariæ regula definitis. Opus sane fuit hac utili regula, quia vel necdum præscriptio in beneficiis inducta fuerat, vel si forte inducta probari posset, necdum certam formam acceperat. Itaque ex regula triennalis possessionis vera præscriptio inducta est, et certam formam accepit; unde eadem regula jure interpretationem capit in iis, quæ expressa non sunt, ex disciplina generali præscriptionum. Quamobrem concludi potest, et tempus requiri, et titulum, seu caussam præscribendi, et bonam fidem, et rem ipsam minime vitiosam; est enim hæc regula valde distincta a regula annalis possessionis; cum regula annalis nullum jus tribuat possidenti, uti superius notandum fuit, tantum excludat iniquum beneficii impetratorem; at regula triennalis verum jus tribuat possessori Faber in cod. libr. 2, tit. 6, def. 15. De tempore nulla est dubitatio, quando expresse in regula triennium designatur. Titulus justus esse debet, nimirum collatio, sive apostolica auctoritate, sive ab ordinario facta, sive proficiscens ex electione confirmata, sive ex institutione, quam præsentatio præcesserit; hæc enim omnia justi tituli sunt caussa beneficii adipiscendi. Neque enim interest, an qui beneficium contulit, vel præsentatum instituit, vel electionem confirmavit, jus conferendi, instituendi, vel confirmandi habuerit, an minus. Siquidem quid opus fuisset regula, quid opus triennali possessione; si talis titulus ab initio requireretur, ex quo jus in beneficio quæsitum undecumque firmum existeret? Dummodo in collatione, in institutione, in confirmatione certus color adpareat, quo omnia exteriorem habeant rei bene gestæ figuram, triennalis possessio jus tribuet. Hinc si pontificia auctoritate impetratum fuerit beneficium non reservatum; si ordinarius contulerit beneficium sedi apostolicæ reservatum; si ordinarius insuper habita præsentatione libere contulerit beneficium patronatum, aut insuper habita electione libere contulerit beneficium electivum si alter prælatus inferior, aut etiam superior certa jurisdictione munitus contulerit beneficium, ad alterius collationem pertinens: in his omnibus, et similibus casibus regula proderit. Frustra autem regulæ præsidium impetraret, qui beneficium per vim occuparet, sive se in beneficium intruderet, cum in hac specie titulo destitueretur. Quid vero est, quod in regula expresse legitur, prodesse triennalem possessionem, *dummodo in beneficiis, si dispositioni apostolicæ ex reservatione generali in corpore juris clausa reservata fuerint, se non intruserit?* In conspectu hujus clausulæ tradunt pragmatici, prodesse regulam illi, qui auctoritate ordinaria nactus fuerit beneficium reservatum sedi apostolicæ reservatione facta extra corpus juris; non vero illi, qui etiam auctoritate ordinaria beneficium consecutus est reservatum reservatione clausa in corpore juris. Videatur Faber in cod. libr. 1, tit. 2, def. 5. Mihi, ut verum fatear, placere nequit ista traditio, utpote quæ neque est juri communi conformis, neque ex ipsa cancellariæ regula satis deduci potest. Non est in primis conformis generali juris disciplinæ, etenim scimus, præscriptionem, a cujus regulis hæc triennalis possessio non recedit, semper habere locum, etiamsi titulus adquirendi non ab eo dimanet, qui possit jus constituere, ac donare; scimus item, quam inani fundamento innitantur, qui reservationem clausam in corpore juris multo favorabiliorem ceteris reservationibus esse dixerunt, uti superius suo in loco traditum est. Non deinde satis belle deducitur ex ipsa regula cancellariæ, quando in verbis modo descriptis duo necessario requiruntur ad exclusionem regulæ, primum, ut quis se *intruserit*, secundo, ut quis se intruserit in beneficia reservata *reservatione generali clausa in corpore juris*. Porro qui beneficium reservatum etiam reservatione clausa in corpore juris adeptus est ex auctoritate ordinarii, non dici potest se intrusisse, quod tamen regula expresse postulat, ut quis a regulæ præsidio excludatur. Dices tamen: quo spectat singularis illa exceptio *reservatorum beneficiorum reservatione clausa in corpore juris*? Repono ego: quo spectat formula illa, *dummodo se non intruserit*? Æquis observationibus hucusque pugnaremus; atque in hac æqualitate videtur pro præscriptione concludendum, pro ea, inquam, præscriptione, quam pragmatici ipsi ex bono publico prædicant interpretatione adjuvandam. Ceterum adhuc dixero, pontifices regulæ auctores voluiss equidem excludere a præsidio regulæ eos, qui se intruderent in beneficia sede apostolicæ reservata reservatione clausa in corpore juris, non tamen inde voluisse patrocinari ceteris intrusis in alia beneficia non reservata reservatione clausa in corpore juris; etenim non semper statim ac certa beneficia specialiter memorantur, cetera exclusa intelliguntur, cum quædam memorari possint, veluti exempla regulæ generalis etiam in ceteris receptæ. Quod si adhuc certam caussam extitisse pontificibus maximis dicendum sit, quare specialem mentionem facerent beneficiorum reservatorum reservatione clausa in corpore juris, dicam, id eo pertinere, ut facilius indicaretur, in hoc beneficiorum genere difficilius præsumi posse bonam fidem, quam adversus juris communis disciplinam non satis probari, nec tuto allegari posse a viris ecclesiasticis, compertum est, cum viri eccle-

siastici juris saltem communis notitiam habere debeant. Hæc est altera conditio, quæ sequi debet triennalem possessionem exemplo præscriptionis; cujus defectu quicumque se in beneficia intrudunt, præterquamquod legitimo etiam, justoque titulo destituuntur, regula triennalis possessionis juvari nequeunt. Denique vitiosa possessio obicem ponit triennalis possessionis juri; qualis demonstratur in eo, qui beneficium simoniace obtinuit, uti expresse in eadem regula definitur; qualis etiam demonstratur in eo, qui plura beneficia incompatibilia possidet; non tam enim respectu ipsorum vitiosa est plurium beneficiorum impetratio, quam retentio, cum utraque aperta sacris sit canonibus interdicta. Eadem ratione dicetur vitiosa possessio, cum sæcularis beneficium regulare obtinuerit, aut e converso regularis beneficium sæculare; item cum quis obtinuerit beneficium certa lege, puta, ut intra certum tempus sacrum ordinem suscipiat, adjecta pœna caduci, et intra idem tempus legi non paruerit; præterea cum quis, dum esset excommunicatus, beneficium impetraverit, et diu manens in excommunicatione beneficium retinuerit. Denique regula triennalis possessionis minime favet illi, qui manuale, seu ad nutum conferentis avocabile beneficium impetraverit; ad hujus generis enim beneficia regula minime pertinet, tantum habens locum in beneficiis perpetuis; ne regula hæc adversus naturam beneficiorum inducta videatur, qua tantum bono publico prospectum fuit.

CAPUT II.

De forma collationis parochialium ecclesiarum.

Maximam præ ceteris sollicitudinem a conferentibus postulant parochialia beneficia, quæ licet olim eodem modo, quo reliquia, conferrentur, posterioribus tamen constitutionibus singularem collationis formam, ita exigente necessitate quadam, aut certe gravi utilitate ecclesiarum receperunt. Id primum inductum fuit a concilio tridentino, in quo sess. 24. cap. 18 de ref., statutum est, ut statim ac parochialis ecclesia vacet, auctoritate episcopi debeat interea vicarius in ea constitui, qui curam animarum gerat, donec idoneus rector præficiatur, adsignata illi congrua, quam idem episcopus arbitretur, fructuum portione; quod locum habet in quibuscumque ecclesiis, sive liberæ collationis, sive patronatis, sive patrimonialibus, ubi nimirum episcopus tenetur certis, puta illius civitatis, vel loci clericis beneficium conferre, sive ad episcopi collationem spectantibus, sive romano pontifici aut reservatis, aut quocumque modo affectis, sive pertinentibus ad collationem inferiorum prælatorum, seu capitulorum, caussa privilegii singularis; sive vacent per obitum ultimi possessoris, sive per renunciationem etiam in curia romana factam. Interest enim reipublicæ christianæ, interea populo rectorem sine mora præstitui, et quidem auctoritate illius, cui communi jure diœceseos universæ administratio mandatur, argumento capituli 4, de offic. jud. ordin. Quod si sedes episcopalis vacet, sive jure, quia episcopus obierit, vel depositus fuerit, vel renunciaverit, sive facto, quia episcopus longe absit, nec sit, qui gerat episcopi vices, poterit capitulum cathedralis ecclesiæ ad illius vicarii constitutionem devenire, quod ad vicarii capitularis officium pertinet; etenim in his speciebus jurisdictio episcopalis ad capitulum, sive ad vicarium a capitulo constitutum devolvitur. Imo si forte agitur de vicaria parochiali, quæ ad certum collegium spectet, collegium ipsum poterit interea, ubi opus sit, œconomum vicariæ vacanti constituere, si episcopus longe distet, œconomi officio tamdiu duraturo, quamdiu episcopus certior factus sit, et vicariæ vacanti consulat, quemadmodum sacram congregationem definivisse testatur Garzias de benefic. p. 9, cap. 2, num. 11, non quidem ut vicarius iste sacramenta administrare possit, illa præsertim, quæ jurisdictionem postulant, sed ut bona ecclesiæ, beneficiique custodiat. Porro vicarius ab episcopo constitutus omnia munera obire poterit, quæ obiret parochus ipse, si viveret, dummodo excipias illa, quæ parochus obiret, non uti parochus, sed uti dignitatem habens in cathedrali, vel collegiali ecclesia, quoties parochiale beneficium dignitati collegiali esset adnexum; nam munera isthæc obeunda erunt per alias dignitates, vel canonicos, qui proxime in gradu succedunt.

Postquam ita per episcopum vacanti ecclesiæ consultum est, trident. patres duplicem parochi designandi rationem proposuerunt, ut alterutram episcopi sequerentur. Primum enim facultas facta fuit episcopis, imo etiam quibuscumque, sive clericis, sive laicis, nominandi, quoscumque voluerint, clericos ad regendam ecclesiam idoneos, quorum nomina deputandis examinatoribus exhiberentur, ut præhabita inquisitione nominatorum omnium, isti ad faciendum doctrinæ suæ periculum episcopi auctoritate vocarentur; secundo facta facultas episcopo fuit publico edicto indicendi concursum, ut quicumque velint subire doctrinæ suæ periculum, accedant omnes apud deputandos examinatores, atque horum alterutrum intra decem dies a notitia vacationis ab episcopo faciendum tridentini patres decreverunt, nisi episcopus idem ex justa caussa tempus prorogandum judicaret. Liquet hinc, aut sublatam fuisse, aut sal-

tem coercitam facultatem commendandi ad semestre tempus parochiales ecclesias, quæ olim episcopis competebat juxta capitulum 15, de elect. in 6. Præterlapso statuto tempore omnes seu nominati, seu sponte concurrentes examinandi erunt ab episcopo, vel ejus vicario generali, atque aliis examinatoribus saltem tribus, quorum suffragiis, si paria sint, vel singularia, accedere poterit episcopus, vel vicarius, quibus magis videbitur, illos videlicet adprobando, quos idoneos vel omnes, vel major pars judicaverint. Si unus tantum ex concurrentibus idoneus judicetur, huic conferendum est parochiale beneficium; ubi autem plures idonei judicentur, ex his episcopus eum seliget, quem magis idoneum ipse judicaverit, cui necessario beneficium conferatur. Quales autem esse debeant examinatores ex verbis tridentini concilii perspicue constat, quemadmodum etiam constat, magis idoneum ita instituendum esse, ut non valeat episcopus minus idoneum, licet vere idoneum, præferre, qua in re non scientia tantum, sed etiam prudentia, ætas, mores, ceteraque ad regendam ecclesiam opportuna erunt solertissime conferenda. Re ita absoluta, qui magis idoneus habitus est, ab episcopo, si ad eum, vel ab alio quocumque prælato, si ad alium prælatum collatio beneficii pertineat, erit instituendus. Quod si de patronato beneficio agatur, distinguendum voluerunt tridentini patres laicum ab ecclesiastico patronatu ita, ut in ecclesiastico patronatu fiat quidem consueto more concursus; deinde ab examinatoribus declarentur, quotquot inter examinatos idonei habendi sint, atque inter adprobatos, qui magis idoneus a patrono judicabitur, is ab eodem patrono præsentetur episcopo instituendus, si ad episcopum pertineat institutio; quoties autem non ad episcopum, sed ad alium pertineat institutio, tunc episcopus ipse digniorem inter examinatos, ac probatos eligat, atque ita electus per patronum præsentetur ei, a quo institutio est facienda; at in patronatu laico abstineatur ab indicendo concursu, sed liceat patrono, etiam unum tantum, si voluerit, præsentare necessario instituendum, postquam ab eisdem deputatis examinatoribus dignus repertus fuerit, et idoneus. Denique addiderunt tridentini patres, ab examinatorum, atque ab episcopali judicio executionis impediendæ caussa nullam fieri, ne ad sedem quidem apostolicam, provocationem posse.

Nova hæc disciplina generali tridentino decreto constituta novis in dies interpretationibus, imo et adjectionibus indiguit, prout varia inde emergentia vel temporum, vel caussarum adjuncta postulaverunt. Vix absoluto tridentino concilio Pius V anno 1566, 15 calend. aprilis constitutionem in hanc rem edidit, quæ incipit *In conferendis*, statuens in primis, collationes parochialium ecclesiarum factas præter formam tridentini concilii irritas esse, neque ullum jus institutis, imo nec titulum quidem coloratum possidendi præbere, ipsaque beneficia sic collata tanquam vacantia habenda esse, sublata eisdem, qui contra tridentinam formam contulerunt, rursum pro ea vice conferendi facultate. Deinde decrevit, spatium decem dierum, quod fuerat a tridentino concilio præfinitum ad indicendum concursum ita, ut episcopo liceret illud prorogare, non posse ultra alios decem dies extendi; item ubi libera sit episcoporum, vel aliorum ordinariorum collatio, intra semestre tempus faciendam esse collationem; ubi vero collatio pertineat ad pontificem maximum, designandum esse, et significandum romano antistiti intra quatuor menses a die vacationis eum, qui magis idoneus repertus fuerit; item ubi agatur de ecclesiis jurispatronatus ecclesiastici, vel laicalis, non posse ab episcopo differri institutionem ultra bimestre tempus a die præsentationis numerandum, data post illud tempus facultate patronis impetrandæ institutionis vel a metropolitano, vel a viciniore ordinario, vel a sede apostolica. Denique statuit, licere illi, qui non æquo judicio episcopi, alteri concurrenti minus idoneo postpositus fuerit, appellare ad metropolitanum; vel si agatur de metropolitani, aut alterius exemti episcopi judicio, provocare ad viciniorem antistitem, qui tanquam apostolicæ sedis delegatus ad novum subeundum periculum, et appellantem, et præelectum vocet, ita ut si appellantem magis idoneum noverit, ipsum, alio submoto, in parochiali beneficio instituat, vel inferiori prælato tum instituendum remittat, cum institutio ad inferiorem prælatum, non ad episcopum spectet. Porro introducta appellatio ex Pii V sententia impediet quidem, quominus ulla possessio instituto suffragetur, non tamen impediet quominus qui ab ordinario fuit electus, instituatur; unde asserunt pragmatici, appellationem hujusmodi introduci quidam, ut suspendatur ordinarii judicium quoad effectum, ut ajunt, devolutivum, non autem quoad effectum executivum.

Sed iterum post hæc disputatum ab interpretibus fuit ad interpretationem tum tridentini decreti, tum pianæ constitutionis. In primis enim passim quærebatur de beneficiis quibusdam, quæ a lege concursus exemta vel expresse, vel ex recta interpretatione dicebantur. Deinde inveniebant plurimi novas caussas, quibus melius videretur consulendum formæ concursui præstitutæ. His omnibus obviam itum est sensim, aut receptis, probatisque ecclesiarum moribus, aut providentia recentiorum pontificum, quos cum consilio suo adjuverit Prosper Lambertinus,

dum a secretis esset congregationis concilii, occasionemque præbuerit circa annum 1720. Clementi XI utiliores regulas proponendi, quales revera propositæ fuerunt anno 1721 die 10 januarii per encyclicas literas ad episcopos directas, tum etiam rem vigilantissime æque ac sapientissime absolvit, postquam ad pontificatum maximum evectus est in sua constitutione anni 1742, die 14 decembris. Itaque juxta verba tridentini decreti etiam locum habere debuit forma concursus in beneficiis patronatis, si patronatus sit ecclesiasticus. In patronatu laico satis est, si præsentatus a patronis periculum sui faciat apud synodales examinatores, a quibus cum idoneus declaretur, tum sit sine discrimine instituendus. Quod si patronus plures præsentet, facile intelligitur, inter præsentatos quasi concursum fieri, illumque institui, qui magis idoneus episcopali judicio habitus fuerit inter eos, qui idonei fuerint ab examinatoribus declarati. De jurepatronatus mixto, ne verbum quidem in tridentino decreto habetur; eamque ob rem verius est, aberi illud, ac si sit laicale, ne occasione juris et ecclesiastico et laico communis, fraus, seu detrimentum fiat juri laicorum, cujus tridentini patres magnam semper rationem habuerunt. Neque dubitatum est, quominus subjacerent legi concursus parochiales ecclesiæ pontifici maximo reservatæ, aut affectæ. Etenim in tridentino decreto fit de his ecclesiis reservatis etiam mentio specialis; et quamquam mentio fiat in ea parte decreti, qua præstituitur, interea vacanti ecclesiæ œconomum esse designandum episcopali auctoritate, id tamen etiam protrahitur ad ceteras decreti partes, veluti præcedentis consectaria. Atque id quidem receptum est, ita, ut concursus ab episcopo semper indicatur, et fiat, non tamen ut excludatur pontificis maximi collatio. Itaque in beneficiis reservatis obtinuit, ut episcopus, statim ac parochia vacat, ne petita quidem a summo pontifice venia, concursum indicat; post initum autem a concurrentibus periculum pro diversis reservationum speciebus diversa ab episcopo iniri ratio debet, qua romanum antistitem de eo, quod agendum superest, certiorem faciat. Nimirum si talia sint beneficia, quæ apostolicæ sedi reservata proponantur ratione mensium, tunc episcopus magis idoneum more ordinario seliget, cujus nomen in romana dataria significabit, nec acta concursus eo mittet, nisi fuerit a datario requisitus. At si talia proponantur beneficia, quæ reservata sint, vel affecta sedi apostolicæ ex alia caussa, tunc episcopus a seligendo, designandoque magis idoneo abstinebit, sed integra concursus acta ad datarium mittet, ut in romana curia fiat electio. Poterit tamen interea episcopus nonnihil adjicere de singularibus alicujus ex concurrentibus qualitatibus, non ita, ut ipse illum seligere videatur, sed ut magis instruat pontificis animum, quemadmodum expresse declaravit Benedictus XIV in fine suæ superius laudatæ constitutionis. Quæsitum insuper fuit, num concursui obnoxia sint curata beneficia, quæ vel clericorum, vel monachorum collegiis adhærent. Sane quoties cura animarum actu per canonicos, vel monachos exercetur, nullo constituto perpetuo vicario, frustra disputationi locus fieret, cum nusquam hæc beneficia aut jure, aut facto vacare intelligantur. Quoties vero cura animarum exercetur per vicarium amovibilem, nec concursui locus fit, cum nec sit necessaria episcopi institutio, sed tantum adprobatio requiratur. Imo nec si vacarius perpetuus sit instituendus, concursui locus fiet, propterea quod nominatio vicarii ad collegium, vel monasterium pertineat, quemadmodum definivit Pius V in sua constitut. 47, quæ incipit *Ad exequendum*, quod ipsum etiam recipitur in iis vicariis, quæ pendent ab aliqua singulari dignitate, ob abnexam eidem dignitati curam animarum, nisi ex immemorabili consuetudine concursui obnoxiæ deprehendantur. At enim legi concursus obnoxiæ sunt vicariæ illæ quæ constitutæ sunt in quibusdam vicis, oppidis, aut pagis, dismembratione facta ecclesiæ cujusdam parochialis ita, ut parochus matricis proprie parochus dicatur, vicarii nomine dato alteri curato in divisa ecclesia constituto; si enim adpareat, factam esse veram ecclesiæ divisionem, vicaria ita erecta nonnisi nomine tenus vicaria dicetur, ac proprie erit beneficium parochiale, ac proinde concursui obnoxium. Sunt præterea, qui exemta a concursus lege asseruerunt curata beneficia dignitati cathedralis, vel collegialis ecclesiæ adnexa. Verum hæc opinio probari quidem poterit, ubi parochialis beneficii adnexio fuerit per accessionem facta, ne beneficium parochiale dignitati accendens dignitatis ipsius jura immutare videatur, non vero ubi unio sit æque principalis, eove minus, ubi dignitas parochiali beneficio accesserit. Nulla sane dubitatio est, quin in beneficiis curatis, quæ permutantur, aut resignantur in favorem in romana curia, nullus sit indicendus concursus; sufficiet enim, doctrinæ suæ periculum facere eum, cujus gratia resignatio fit, aut permutatio, qui propterea repertus idoneus sine discrimine instituetur, quod quotidiana praxi receptum testatur Pyrrhus Corradus in praxi beneficiaria lib. 3, cap. 3, num. 5. Potiore ratione locus concursui non fiet, quotiescumque vacante beneficio jam videtur constitutus coadjutor perpetuus parochus datus cum jure futuræ successionis, ne inutilis reddatur succedendi gratia a pontifice maximo dudum impetrata. Cum denique constituerit triden-

tinum concilium in fine dicti capitis 18, si adeo exigui redditus parochialis ecclesiæ fuerint, ut totius hujus examinis operam non ferant, aut nemo sit, qui se examini quærat subjicere, aut ob apertas factiones, seu dissidia, facile graviores rixæ, ac tumultus possint excitari, ordinarii arbitrio cum deputatorum consilio remitti, ea forma omissa, aliud examen privatum, ceteris tamen servatis, quæ servari possunt, adhibere; receptum est, ut si post indictum concursum statuto die nemo comparuerit suæ doctrinæ periculum facturus, aut si ex examinatis nullus repertus idoneus fuerit, possit tunc episcopus sine forma concursus alium examinare, illumque repertum idoneum instituere, quin locus fiat aliis, qui elapso termino in edicto concursus definito, admitti se ad periculum subeundum postulaverint, nisi ipsi se describi ante diem concursus in concurrentium numero curaverint, et ostenderint, se legitimo impedimento fuisse distentos, ne ad concursum accederent. Opportunum est hic adjicere, tridentinam hanc concursus legem protractam etiam fuisse a Benedicto XIII ad præbendas theologales, et pœnitentiarias in Italia et insulis adjacentibus constitutas, eo tantum discrimine facto, ut in his præbendis sufficiat quatuor examinatores intervenire, etiamsi non sint synodales. Videatur ejusdem pontificis constitutio, quæ incipit *Pastoralis* impressa in appendice ad synodum romanam.

Quod in forma concursus contentionibus perniciosis occasionem diu præbuit, fuit concurrentium, postpositi essent episcopali judicio, appellatio juxta facultatem appellandi expresse factam a Pio V. Hinc speciosum erat appellandi remedium, ut ea ratione episcopi electuri magis idoneum inte idoneos, in officio suo continerentur. Illinc autem postpositis etiam inhabilibus, aut indignis, via sternebatur ad premendos electos, ed istitutos parochos, et ad evacuandam quandoque prudentissimam episcoporum electionem. Examen concurrentium, ut plurimum oretenus fiebat sine scripto Judicium episcopale innitebatur in acceptis responsionibus oretenus datis item in testimoniis etiam oretenus acceptis de prudentia et moribus concurrentium. In his adjunctis, qui appellabat, nihil apud judicem exhibebat, ex quo vel tantillum de iniquitate episcopalis judicii adpareret. Hinc opus erat novo examine apud judicem appellationis. Interea qui appellaverat, moras faciebat inter litigia, atque inter moras et subterfugia tempora protrahens; in studiis insudabat, ut idoneus redderetur, qui pridem minus idoneus erat; et e converso parochus ab episcopo electus, et institutus, post varias fatigationes judiciales, quas graviores reddebat exercita sine intermissione animarum cura, pressus in novo examine cedere appellanti debebat. Hæc omnia minus æqua per se videbantur, imo et contraria formæ judiciorum, quæ exigit, ut non de re nova in judicio appellationis quæratur, sed versetur quæstio circa ea, quæ in priore judicio ob oculos extiterunt. Itaque huc pertinuit sollicititudo laudati Prosperi Lambertini, cujus consilio gliscentibus abusibus prospexit laudatus Clemens XI et qui deinde ad maximum pontificatum assumtus certam formam concursibus dedit, a qua cum minime declinaretur, tum appellationis caussa et æqua esset, et foret iuri omnino conformis. Itaque primum Clemens XI anno 1721, edixit primo, ut omnibus concurrentibus eædem proponantur quæstiones, quibus satisfiat, idem evangelii textus, quem sermone expendant; secundo, ut id fiat eodem tempore; tertio, ut omnibus idem temporis spatium præstituatur; quarto, ut concurrentes omnes in conclavi claudantur, in quod nemo extraneus ingrediatur, a quo nemo ex concurrentibus nisi re absoluta egrediatur; quinto, ut singuli responsa sua, sermonemque scribant, suaque subscriptione censignent; sexto, ut responsa quidem latino, sermo autem eo, quo haberi apud populum solet, idiomate scribatur; postremo, ut singulorum scripta etiam a cancellario concursus, item ab examinatoribus, nec non ab episcopo, vel ejus vicario, qui concursui interfuerint, subscribantur. Post hæc cautum fuit, ut non admittatur appellatio aut ab examinatorum, aut ab episcopali judicio, nisi intra decem dies a die collationis interposita; item ut in judicio appellationis exhibeantur acta concursus, vel authographa ipsa obsignata, vel authentica exemplaria subscripta a cancellario concursus, alteroque notario collatione facta cum authographo coram vicario episcopi, vel altero ab episcopo deputato, imo et subscripta ab examinatoribus, qui concursui interfuerunt. Ab his actis pendere jussit novum judicium circa doctrinam electi, et appellantis. Quod si appellans conqueratur caussa aliarum qualitatum, de istis etiam fidem facere voluit vel ex actis primi concursus, in quibus scripto etiam essent exhibenda morum, prudentiæ, ceterarumque dotium testimonia, vel ex novis documentis etiam extrajudicialibus, dummodo gravia existerent. Clementis XI, mentem confirmans, imo clarius explicans, et nova quædam adjiciens Benedictus XIV, in sua constitutione *Cum illud* anni 1742 sanxit primo, ut episcopus statim ac notitiam vacantis ecclesiæ parochialis habuerit, vicarium deputet ad normam tridentini concilii; secundo, ut pubblico edicto evulgetur notitia concursus congruo certoque tempore celebrandi, eodemque edicto moneantur omnes, ut interim coram cancellario,

vel altero ab episcopo deputando unusquisque ex concurrentibus suarum qualitatum, meritorum, et munerum testimonia exhibeat, post elapsum terminum non amplius recipienda; tertio, ut cancellarius hæc ipsa exhibita documenta summatim bona fide exhibeat episcopo, vel vicario, atque omnibus examinatoribus ad concursum adscitis; quarto, ut die præstituta concursus habeatur juxta formam a Clemente XI præstitutam, et examinatores renuncient, quotquot idonei fuerint, rejectis illis, quos rejiciendos suo suffragio judicaverint; quinto, ut absoluto concursu notula compendiaria requisitorum a cancellario confecta vel comburatur, vel penes acta secreto custodiatur, nemini sine episcopi mandato pandenda; ac subinde ordinarius, cum primum ei libuerit, inter adprobatos digniorem eligat, et electo nullo appellationis, vel inhibitionis obtentu possessio non retardetur; sexto, ut si forte appellatio inde interponatur, judicium appellationis totum fiat in conspectu actorum in concursu exhibitorum, quin amplius sit facultas nova documenta prodendi; septimo, ut si episcopus forte habeat certas occultas suæ electionis caussas, valeat familiaribus literis eas judici appellationis patefacere, ut earum ratio, si expediat, haberi possit, adjecta lege inviolabilis secreti; quod si episcopus suspectam fidem habuerit judicis, ad quem appellatum est, eam significet familiaribus literis præfecto congregationis concilii, qui nec consilio, nec auctoritate deerit, quominus a judice appellationis debitus justitiæ locus tribuatur; octavo denique, ut si judex appellationis conformem episcopali sententiam protulerit, non alia appellatio admittatur; quamquam si sententia difformis fuerit, liceat victo appellare; qua apellatione secuta, executioni omnino mandetur judicium illud, quod duorum judicum sententia fuerit comprobatum.

His omnibus perstrinxi concursus formam, qualis obtinuit a temporibus tridentini concilii usque ad hanc ipsam ætatem. Non debeo tamen silentio præterire, quod quidem scriptores in hac materie aut nimis effræni, aut certe parum maturato judicio tradiderunt. Quidam extiterunt, minime dubitantes carpere tridentinum e decretum, eove etiam magis Pii V constitutionem; utrobique enim notarunt stratam esse viam clericis, ut sponte ad beneficia parochialia prosiliant, eadem, dum concurrunt, vehementer postulent, dum abs judicio examinatorum, aut episcopi appellant, se ceteris magis idoneos, magisque dignos prædicent, quæ omnia ajunt esse plena ambitus, eamque ob rem generali canonum disciplinæ contraria, quando apud veteres, qui ad animarum curam vocabantur, potius aut trahebantur inviti, aut etiam fugientes vi facta detinebantur, quemadmodum testatur Augustinus in can. 38, cau. 23, qu. 3, cui jungi potest lex 31, eod. de epis. et cler. Audax hæc est scribendi licentia, qua de providentia tridentini concilii, et Pii V multis laboribus excogitata; ac producta ob unam ecclesiarum omnium utilitatem tale judicium feratur; neque enim mihi videntur, qui ita sentiunt, adjuncta callere, quæ concursus disciplinam si non omnino necessariam, saltem utilissimam fore persuaserunt. Debet in primis perpendi, patres ecclesiasticos etiam in conciliis constitutos non semper reducere posse disciplinam, et mores priscæ ætatis, imo et aliquando debere novas edere leges in iis, quæ nec naturali honestati, nec divinæ legi repugnant, propterea quod circumstant successum temporum caussæ plures, quibus alias consuli salubriter nequit, quam novitate quadam, quæ etiamsi quidquam contineat aut paullo asperum, aut minus speciosum, dummodo non inhonestum, nec pravum, laudanda semper est, quasi medela quædam porrecta illis, quorum salutis magis, quam palati delicatioris ratio habeatur. Itaque tria hæc dici jure possunt; primum, nihil contineri, aut in tridentino decreto, aut in constitutione Pii V quod honestati repugnet; alterum, etiamsi quidquam duriusculum adpareat, dandum quidquam esse adjunctis temporum, quibus opportunius remedium adhiberi non poterat; postremum, quidquid asperitatis contineri initio videbatur, sollicitudine recentiorum pontificum lenitum adhuc fuisse, uti evenire solet in novis legibus universis; quas dum legumlatores condunt, prospiciunt statim utilitati pubblicæ, successoribus suis relinquentes, ut legum earundem executionem poliant magis magisque, atque etiam, ubi opus fuerit; magis exornent, atque accommodent. Revera quid est, quod objicitur tridentino decreto? Ajunt, sponte clericos beneficium postulare, sese quasi dignos, aut etiam præ ceteris digniores prædicare, dum periculum subeunt, quasi suscepto certamine inter plures, qui de morum, doctrinæ, et prudentiæ prærogativa contendant. At enim, etsi quandoque contingere possit, ut clerici concurrentes ambitu moveantur, id tamen non evenit, nisi ex concurrentium facto, non ex tridentina lege, qua non aliter præstituitur concursus, quam præhabito edicto episcopi omnes advocantis; quare non ex ambitu concurrit, qui vocanti episcopo paret. Fateor, edictum episcopi neminem obligare; verum adhuc illud facit, ut qui accedat, non sponte dicatur accedere, sed vocatus, rogatus, et vehementi quadam suasione invitatus. Quidquod concilium tridentinum etiam expresse voluit, ut certorum clericorum expressa nominatio vel ab episcopo, vel a patronis, vel etiam ab aliis fieri posset; et tum demum

edicto publico episcopi opus fieret, cum id episcopus, vel provincialis synodus magis expedire judicaret? Hæc sane omnem ambitus suspicionem eliminant. Reponunt, ambitus crimen adparere ex appellatione, quam aut rejecto, aut posthabito competere Pius V declaravit. Sed observandum est, eum, qui appellat ex eo, quod inidoneus, aut indignus judicatus est, omni venia dignum esse, cum injuriam in se illatam prosequatur, postquam enim aut specialiter, aut generali edicto vocatus est, ut se apud episcopum sisteret suæ doctrinæ, ceterarumque qualitatum specimen præbiturus, et paruit; rite ad superiorem conqueritur nominis famæquæ suæ, cujus diminutionem passus est, reparandæ caussa. Paullo quidem distat a rejecto, qui idoneus declaratus est, et alteri postpositus, sed non est longe remotus, etenim et iste injuriem in se illatam prosequitur. Quod siqua videtur species ambitus, hanc diluit ecclesiarum utilitas, quam promovet concessa appellandi facultas, nimirum ad continendum episcopum in officio, ne secuta renunciatione idoneorum ab examinatoribus facta, suæ voluntati indulgeat. Qui rejectus est velut inidoneus, provocat ab judicio examinatorum, quibus talis non visa est concedenda auctoritas, qualis nec episcopis competit, nimirum ut inappellabilem sententiam proferant. Qui idoneus ab examinatoribus declaratus provocat ab judicio episcopi, a quo postpositus fuit provocat sane a sententia singulari, quam unus episcopus protulit sententiæ autem singularis non tanta habenda est ratio, ut minime possit retractari. Siqua adhuc species ambitus est, saluberrimæ inde prodierunt pontificum maximorum constitutiones Benedicti XIV, quibus et insolentia temere appellantium, et facilitas appellationis, et appellandi modus, rationesque universæ coercitæ fuerunt ita, ut cum hinc moniti visi fuerint episcopi, et examinatores, ut sincere integreque judicent, tunc illinc omnis temere appellantium abitus damnaretur. Quod tamen magis magisque disciplinam concursus laudabilem efficit, consistit, in caussis, adjunctisque universis, inter quæ eadem fuit in concilio tridentino probata, ac debuit deinde in certam formam redigi pontificum maximorum provida auctoritate. Plures in tridentino concilio actum est de obligatione residendi in ecclesiis, quæ episcopos tenebat. Episcopi residentiam ut plurimum negligentes incusabant mores illius ætatis, in quorum conspectu inanis propemodum residentia videbatur. Allegabant ipsi, parochos ut plurimum institutos reperiri eos, qui inidonei passim essent, et si idonei forent, detrectare illos episcopis obsequi, obtemperare; propterea quod parochi frequentius instituebantur a pontifice maximo, et quidem ii, de quorum doctrina, et moribus conscius nunquam romanus antistes fueret; itidem ii, qui ob exercita in curia romana officia, aut ob singularia privilegia exemtionem ab ordinariorum jurisdictione obtinuerant. Episcopi plures, presertim hispani, proposuerunt, caveri in concilio, ne beneficia parochialia ulli obnoxia essent reservationi, sed libere omnino ab episcopis conferrentur. Romanis antistitibus minime placuit consilium, quasi inde diminui videretur sedis apostolicæ auctoritas in beneficiis ferendis, jamdiu moribus confirmata; præsertim vero episcopis Hispanis oppositum fuit, jam plura beneficia majora, seu concistorialia universa ex regis nominatione pendere, et vix superesse collationi pontificiæ locum, si a collatione pontificia eximerentur etiam beneficia parochialia. Interea novi modi excogitandi fuerunt, quibus ecclesiarum utilitati consuleretur. Proponi cœpit, beneficia curata universa ita conferri ab episcopis, ut cetera beneficia non curata omnino reservarentur pontificiæ collationi. Si id non placeret, propositum subinde est, beneficia parochialia non alio modo conferet, quam *in forma dignum*. Si neque id placeret, propositum tandem, pontificem maximum conferre debere beneficia parochialia tantum viris dignis diœcesanis, quorum syllabus ab ordinariis mitteretur. Post varias concertationes cum nulla ex propositis forma placeret, proposita fuit forma concursus etiam in beneficiis reservatis. Hæc magis arrisit; cum vero quidam allegarent, locum inde fieri æmulationibus, odiis, et importunis ambientium petitionibus, his omnibus satisfactum est, proposita forma edicti convocantis eos, qui concurrere maluissent, et nominationis selectorum virorum ab episcopo, a patronis, atque ab aliis faciendæ, uti legitur in tridentino decreto, quod omnino et statim placuit, ac fuit comprobatum. Post hanc providam sollicitudinem quid amplius objici potest adversus tridentinum decretum, quando per se nihil inhonestum, aut indecorum exhibet, publicam ecclesiarum utilitatem fovet, ac promovet, et in iis adjunctis editum fuit, quo opportunius remedium gliscentibus malis adhiberi non poterat; inde autem ita recentiorum pontificum cura talem modum accepit, quo omnia rite, atque ex integritate perficiantur?

Quidam adhuc extiterunt, qui tridentinum decretum laudabile quidem esse fassi sunt, adhuc tamen *odiosum* esse dixerunt. Passim hæc phrasis apud pragmaticos invenitur, non sane, uti ego censeo, quod pragmatici putent, concursus formam ægre esse ferendam, sed quod dicere velint, novam omnino esse, nec facile protrahendam ad casus in tridentino decreto minime expressos. Ita passim pragmatici prædicare solent *odiosas* leges novas universas, utut in publicam utilitatem editas, propterea quod rem odiosam putent eam, quæ veterem

disciplinam immutat. Id fundamentum habet in laudabili conatu, quo unusquisque tendit ad veterem retinendam legem, aut consuetudinem, quousque aut legi, aut consuetudini non adpareat expresse derogatum. Simile ego exemplum propono in conspectu capituli 22, de elect. in 6. Statuerat Gregorius X nequis ad parochiale munus adsumeretur, nisi qui aut sacerdos jam esset, aut intra annum ad sacerdotalem ordinem promoveretur. Quid utilius, quid favorabilius esse poterat hoc decreto, quo statuebatur, neminem parochum esse posse, nisi qui munus parochiale in officiis præsertim sacerdotalibus exercendis consistens implere posset? Quæsitum fuit, num decretum illud etiam comprehenderet eos, qui nanciscerentur in collegiata ecclesia dignitatem, cui adnexa esset cura animarum. Congruum sane videbatur, ad hanc speciem gregorianum decretum extendere. Aliud tamen placuit Bonifacio VIII in dicto cap. 22. Hic pontifex jureconsultum agens observavit, gregorianum decretum novum esse, idemque pœnale; observavit, nihil expresse continere de dignitatibus collegiorum. Inde deduxit, dignitates collegiorum esse a decreto exemptas. Bonifacii doctrinam imitantur, ac sequuntur laudati pragmatici, cum tridentinum decretum *odiosum* dicunt, proptereaque non prorogandum ad casus in eodem decreto minime expressos. Si hæc ita considerentur, concludi facile potest, tridentinum decretum in iis, quæ expressa sunt, omni favore dignum existere, sive quod ex eo seligantur ecclesiis regendis administri maxime idonei, ac digni, sive quod nonnisi post maturam deliberationem illud editum fuerit ad medendum gravissimis abusibus, qui irrepserant, sive demum quod nulla alia meliore ratione ecclesiis consuli poterat. Quod si odiosum credidisset Benedictus XIII, non sane illud extendisset, uti extendit, ad præbendas theologales, ac pœnitentiarias, quemadmodum superius observabam. E converso concludi etiam potest, in iis, quæ specialiter expressa non sunt, indulgendum maxime, si idem decretum non extendatur, sive quod agatur de lege nove, sive quod ex eo decreto pœna inferretur, ut ajunt, nullitatis collationis beneficii; quod legem pœnalem facit, propterea que coërcendam; sive demum quod ex eo decreto passim plurimi conquerantur, jura sibi jamdiu competentia imminui, quod vel ipsi tridentini patres executi sunt, cum patronalia beneficia immunia esse voluerunt a lege concursus. Hæc in causa sunt, quare, uti superius dictum est, in vicariis etiam perpetuis, in beneficiis parochialibus adnexis dignitatibus, aliisque similibus, exceptio agnita est, qua plura beneficia parochialia a lege concursus eximerentur, argumento dicti capituli 22, de elect. in 6. Adeo verum est, etiam ea, quæ in publicam utut gravissimam utilitatem eduntur, non semper singulis omnino placere; privataque studia modos invenire etiam probabiles, quibus singularis utilitatis ratio habeatur, qualis est modus iste, qui adinvenitur, prætextu veterum legum, ac consuetudinum sanctissime tuendarum, quousque expresse, et specialiter illis non adpareat derogatum.

CAPUT III.

De forma adsequendi beneficia electiva, vel optabilia, vel patronata.

Canonicatus, aut præbendæ cathedralium, aut collegiatarum ecclesiarum singularem aliquando clericorum instituendorum formam postulaverunt; nimirum in nonnulis ecclesiis receptum est, ut beneficia, quæ vacarent in capitulo, vel collegio, conferrentur iis, quos capitulum, vel collegium elegisset, cap. 31, in fine de elect., Clement. 4, de præbend., in nonnullis etiam receptum est, ut vacantem præbendam, vel canonicatum liceret uni ex canonicis optare, a sua præbenda, vel titulo in vacantem præbendam, vel titulum transeundo, cap. 4, de consuetud. in 6. Singularibus his disciplinis invehendis occasionem potius dederunt consuetudines, aut statuta, præsertim apostolica auctoritate confirmata, quam generale jus scriptum, quo inspecto neque electio, neque optio probatur, cum omnia beneficia tantum consentiente capitulo debeant ab ordinario conferri. Potissimum vero singularia illa electionum, aut optionum jura invecta sunt quo tempore aut iniri, aut restaurari inter canonicos vita communis cœpit. Cum enim deventum esset ad ea sæcula, quibus ecclesiarum antistites, ac præsertim pontifices maximi ad avertendos abusus, qui clericalem disciplinam omnino labefactaverant, omnem sollicitudinem adhibuerunt, nihilque aptius esse duxerunt; quam si vitam communem inveherent, exemplo monachorum, quorum vita omnibus facile erat imitationi proponenda; clerici iidem ad vitam communem vocati, cum oneribus monachorum, seu vitæ monasticæ sibi viderentur subjacere, tum privilegia, et jura monachorum sibi facile vindicarunt. Quid enim adversus canonicos objici poterat, cum ad jura monachorum explicanda anhelarent, quando quotidie ad illos in officio continendo proponebatur tanquam exemplar vita monastica? Porro apud monachos invaluerat ex eorundem ut nemo regulis, ad monasterium admitteretur, nisi qui communi monachorum suffragio electus esset. Idipsum et canonici postulaverunt; proponebant enim et id institutioni vitæ communis esse opportunum, propterea quod is in familiam ea ratione advocaretur, qui esset omnibus gratus; alias autem nihil episcopalis ordinis sibi vindicabant, quando jam tum

disjungi cœperat collatio ordinum a collatione beneficiorum. Item invaluerat apud monachos, ut cum unus ex ipsis decederet, cubicula, domus vel prædiola, cubiculis, aut domibus adhærentia a defuncto possessa, seniori ex monachis utenda cederent, si eisdem senior monachus uti voluisset. Idipsum et canonici sub eodem tecto viventes sibi vindicaverunt. Hæc sunt jura vel electionis, vel optionis apud canonicos invecta, quo primum tempore vitam communem, et pene monasticam inierunt, quæ etiam superfuerunt eadem vita communi successione temporum dissoluta.

Ut de electione primum dicam, non æquali ratione in omnibus ecclesiis recepta est. Alicubi enim invaluit, ut electione a canonicis facta, superioris, sive episcopi confirmatio, atque institutio expectetur, quæ electionis species minus recedit a forma juris communis. Alicubi invaluit, ut sola electio titulum beneficiario tribuat, qui proinde statim ab electione secuta sine ulla superioris institutione, aut confirmatione canonicatus, seu præbende possessionem capere potest, atque in hac specie beneficia proprie electiva vocantur. Qualis autem debeat esse electio, ex moribus potius, aut ex statutis unicuique collegio singularibus deduces, quam ex aliis caussis: atque in dubio semper eo referenda res erit, quo, quoad minus fieri possit, lædatur jurisdictio superioris, ac propterea superioris ejusdem confirmatio, quæ locum institutionis teneat, nisi exclusa perspicue adpareat, desideretur. Non immoror hic diutius in tradendis electionum regulis, quas alio in loco opportunius expendi. Tantum dixero, in specie eligendorum canonicorum non esse necessario, servandam formam, quæ singulari jure in eligendis prælatis præstituta fuit a concilio lateranensi, cap. 41, 42, 43 et 44, de elect., sed sufficere, si canonicorum more solito collegialiter, ut ajunt, congregatorum major pars suffragio suo clericum quemquam idoneum, et dignum elegerit, ut statim electus jus in vacante beneficio nanciscatur, quin eligentibus detur facultas post hoc jus electo quæsitum ad novam electionem deveniendi. Singularia quædam induxit in hac re Bonifacius VIII, non quidem in beneficiis, quæ vere electiva sunt, et sola electione conferuntur, sed in beneficiis, in quibus post electionem a collegiis factam adhuc requiritur superioris confirmatio, uti legitur in cap. ult. de elect. in 6, ubi statutum est, ut, quoties electio, etiamsi in concordia, celebrata sit, non primum superior electionem ratam habeat, ac confirmet, quam si proposuerit generale edictum, quo intra certum peremptorium tempus, vocaverit eos, qui velint adversus electionem opponere ad allegandas, probandasque in judicio exceptiones; imo, si constet coelectum quemquam alterum esse, vel singularem esse contradictorem, etiam istos speciali citationem in judicium vocet, caussas allegaturos, ac probaturos, ob quas electio non sit confirmanda: quod si non actum fuerit, confirmatio ipsa una cum subsecuta institutione nullius sit momenti.

In optione, quoties ex statutis, vel moribus certarum ecclesiarum locum habeat, plura observantur, in primis obtinet, ut vacante beneficio collegiali, sive canonicatus sit, sive præbenda, canonicus antiquior possit illud optare, dummodo voluntatem suam declaret intra tempus statuto definitum, vel, si nullum expressum sit tempus in statuto, intra viginti dies, qua non declarata, locus gradatim fiat optantibus junioribus, ita ut qui senior optaverit, statim ex eo titulum, aut præbendam obtinuisse videatur, quin opus habeat institutione. Deinde observandum est non unum esse in omnibus ecclesiis optionum genus. Sunt enim aliquæ ecclesiæ, in quibus determinatus est quidem numerus canonicorum, et canonicatuum, discretis singulorum officiis, juribus, titulis et oneribus, non vero determinata sunt ex. gr. prædia præbendalia, sive urbana, sive rustica, jura decimarum, et similia, ita ut non eadem eundem semper canonicatum sequantur, sed modo uni, modo alteri canonicatui juxta singularem canonicorum electionem adhæreant. Sunt aliæ ecclesiæ, in quibus sicut beneficia ipsa, ac tituli, ita et redditus omnes beneficiarii invicem discreti sunt, et redditus semel uni beneficio, sive titulo adsignati inseparabiliter beneficium, seu titulum sequuntur, cuicumque beneficium seu titulus conferatur. Sunt insuper aliæ ecclesiæ in quibus præter titulum et præbendas, etiam extant jura habitationum, jura sane residua ex vitæ communis consuetudine, quum canonici in uno domicilio consisterent. Modo enim domicilium ipsum ita distributum et inter canonicos, ut unusquisque partem ædificii possideat, modo ut quibusdam adhuc portio ædificii concedatur, non universis: sive portio ædificii separabilis sit a titulo, vel a præbenda, sive portio ædificii perpetuo et inseparabiliter conjuncta sit titulo, vel præbendæ. Hinc fit, ut tria possint in optionem venire, videlicet titulus, præbenda et habitatio. Qua in re observandum est, ubi hæc omnia inseparabiliter unita sint, non posse unum optari, nisi et alterum optetur, ne unio semel legitime et perpetuo facta, ex voluntate optantium singulari dissolvatur. At optari poterit unum sine altero, quoties non perpetuo, et inseparabiliter hæc unita fuerint, adeo ut in hac specie admittatur optio præbendæ retento priore titulo; vel admittatur optio habitationis retento priore titulo, vel præbenda. Hæc optandi disciplina, quæ in collegiis canonicorum vigere cœpit a pluribus sæculis, traducta etiam fuit ad collegium cardinalium, ita ut isti valeant titulos cardinalatui adnexos iden-

tidem pro modo vacationis optare. De quare late scripsit Rigantius in commentario ad regulam 8, cancellariæ § 2, ubi multa traduntur, sive de hujus optionis origine, sive de modo et forma optandi, quæ sane non uniformis semper fuit, sed variis pontificum constitutionibus atque indultis obnoxia.

Quibus in collegiis recepta sunt jura electionum, vel optionum, eadem certis in casibus locum habere desinunt. Quæsitum in primis aliquando fuit, utrum seu electioni, seu optioni obstat pontificia reservatio? Olim ante inductas generales reservationes vigebat, ut siquis mandatum de providendo a summo pontifice impetrasset in ecclesia, in qua esset jus apud seniores canonicos optandi, posset quidem obtinere non beneficium primo vacans, sed illud, quod erat ab optantibus postremo dimissum, dicto cap. 4, de consuet. in 6. Ex quo liquet, ex mandato de providendo, necessario clericum fuisse instituendum in ecclesia, sublata quidem aut ordinarii collatione, si ad ordinarium collatio pertineret, aut electione capituli si hæc capitulo competeret; incolumi tamen manente optandi facultate. Locum habere poterat optio, propterea quod facta optione adhuc executioni mandari valebat pontificium mandatum in canonicatu ab obtante dimisso. Non poterat habere locum ordinarii collatio, ubi ad ordinarium pertineret, quia ordinariorum potestas erat mandato circumscripta, et regula est, singularia generalibus derogare. Neque etiam poterat locum habere electio capituli quamquam enim hæc singulari jure inniteretur, hoc tamen jus singulare pontificio mandato prævalere non poterat. Siquidem jus singulare canonicorum quodammodo ordinarium redditum erat; at pontificium mandatum præterquamquod singulare esset, erat extraordinarium, et singularibus omnino caussis innixum, et regula est, singularia extra ordinem edita, ordinariis juribus utut specialibus derogare. At post inductas generales reservationes aliis principiis digerenda res est. Revera si sepositis pragmaticorum traditionibus arbitrari quis velit, facile intelliget, per easdem generales reservationes non esse diminuta jura capitulorum, sive in electionibus, sive in optionibus, nisi istis adpareat in reservatoriis constitutionibus expresse derogatum. Ecquidem in reservatoriis constitutionibus non opus erat, ut specialiter juri ordinariorum derogaretur, eo enim suapte natura reservatio tendit. At cum jura capitulorum sive in electionibus, sive in optionibus singularia essent, ad hæc auferenda speciali opus erat derogatione. Si de optione loquamur, statim, ac scimus, eam nec tum cessavisse quidem, cum exiberetur mandatum de providendo utut extraordinarium, dicto cap. 4, de consuetud. in 6, percipimus, nec cessare potiore jure, cum concurrit reservatio generalis, quæ dici nequit extraordinaria; ne majorem vim ordinariæ, quam extraordinariæ providentiæ tribuamus. Quod si loquamur de electione, cum et ipsa singulari jure innitatur, sublata non censetur alio jure singulari superveniente, nisi in hoc specialiter declaratum fuerit cessare debere. Plane in nonnullis cancellariæ regulis expresse cautum fuit, ut cum reservatio locum habet, tunc aut electio, aut optio cesset. Sed ob hanc ipsam caussam concludendum est, adhuc fieri electioni, aut optioni locum in aliis reservationum speciebus, in quibus non similiter expresse fuerit aut electio, aut optio sublata. Hinc etiamsi in quibusdam regulis reservatoriis sublata fuerint expresse jura præsentationum, aut nominationum, non tamen inde sublata intelligentur jura electionum, aut optionum; cum aliud sit præsentare, vel nominare, aliud eligere, vel optare. Hinc in extravag. 13, de præb. int. com. renovam in regula 1 cancellariæ, qua in parte sedi apostolicæ reservantur beneficia vacantia in curia ob promotionem ad episcopatus, aliisve prælaturas, expresse dicitur, locum habere reservationem, *etiamsi ad illa beneficia personæ consueverint, et debuerint per electionem, vel alium quemvis modum assumi*. Electio quoque exclusa fuit in regula 9, cancellariæ, ubi reservata sunt beneficia certis anni mensibus vacantia; imo et expresse exclusa fuit optio, adeo ut specialius ceteris ea reservatio in hac regula ad omnes etiam excludendas et electiones, et optiones extendatur.

Præterea cessabit optio, aut electio, quoties canonicus in romana curia canonicatum resignat alterius gratia; aut coadjutorem perpetuum recipit pontificis maximi auctoritate cum jure futuræ successionis. Uti enim pontificiæ istæ provisiones et sunt singulares et extraordinariæ, ita prævalent juri eligendi, vel optandi canonicis competenti, quod licet singulare sit, ordinarium tamen habetur. Hæc tamen ita intelligenda sunt, ut cesset optio tituli vacantis una cum obtione jurium, quæ inseparabiliter titulo cohærent, non vero cesset optio rerum, aut jurium, quæ cedens, aut defunctus canonicus possidebat, quin titulo ex vi institutionis cohærerent, sed modo uni, modo alteri canonico addici consueverunt, quemadmodum solet præsertim contingere in jure habitationis et similibus. Hæc quoque distinctio recipienda erit; quoties quæratur, utrum ad optandum etiam admittendi sint canonici, qui beneficia possident juripatronatus alicujus obnoxia. Etenim dubitandum non est canonicum a patrono præsentatum alios vacante canonicatus optare non posse, ne detur occasio patrono indirecte præsentandi etiam ad alia beneficia non patronata, neve etiam patronus alias privetur jure præsentandi ad beneficium dimissum.

quoties alter canonicus ad istud optandum admitteretur. Nihil tamen prohibebit, quominus canonicus possidens beneficium patronatum possit retento titulo suo devenire ad aliqua jura optanda, quæ vita functo canonico competebant, ea nimirum, quæ vacanti canonicatui non erant inseparabiliter adnexa, sed tantum generaliter canonicis, modo uni, modo alteri concedi sine discrimine consueverunt.

Vix aliquid singulare notandum esset in forma collationis beneficiorum patronalium, nisi quædam interpretum placitis invaluissent aut recens a tridentino concilio constituta proponerentur. Ex interpretum placitis invaluit, ut, quod Bonifacius VIII constituit in beneficiis electivis in c. ult. de elect. in 6, traduceretur ad beneficia patronata, de quibus tamen altum est apud Bonifacium silentium. Hinc hodie cum a patrono certus clericus præsentatur, antequam ad institutionem procedatur, proponi debent edicta, quibus aut generaliter, aut etiam specialiter, si appareat quemquam esse specialem contradictorem, citentur, quotquot certum jus in eo beneficio, vel patronatu sibi possint asserere, vindicare; adeo ut institutio sine ejus edicti editione facta irrita penitus habeatur, quemadmodum e converso proposito edicto, et nemine intra peremtorium terminum comparente, valeat institutio inde secuta, nec retractetur, etiamsi post institutionem quis se sistat, allegans, sibi bonas esse contradicendi caussas. Hæc interpretum traditio, licet jure scripto destituatur, æquitate tamen innititur; et cum generali ecclesiarum usu sit comprobata, scrupulose nimis ageret, qui eandem negligeret eo prætextu, quod formam lege expressa non acceperit. A trident. concilio constitutum est in c. 13, sess. 7, de ref., ut quicumque præsentati, electi, vel nominati, a quibusvis ecclesiasticis personis non instituantur, nec confirmentur, neque admittantur, nisi fuerint a locorum ordinariis examinati et idonei reperti, exceptis iis, quos universitates, seu generalia studiorum collegia præsentant, eligunt, seu nominant. Hæc examinis forma in patronatu laico locum generaliter non habet: tantum datur facultas ordinario, sive episcopo, præsentatum repellendi si idoneus non sit. Exceptio tamen est in ea specie, in qua institutio pertineat ad prælatum episcopo inferiorem, tunc enim præsentatus erit ab episcopo examinandus, alioquin facta institutio irrita, et inanis habebitur, cap. 9, vers. *ad hæc*, sess. 25 de ref.

CAPUT IV.

De forma collationum, quæ fiunt apud Sedem apostolicam.

Quæcumque fiat in romana curia beneficiorum collatio, tribus modis perfici solet. Primus admodum infrequens, et nonnisi in collationibus factis gratia sublimium principum, aliorumve, quibus extra ordinem pontifex maximus beneficium concedit, locum habens, expeditur per breve apostolicum speciale. Secundus est, qui perficitur in romana cancellaria, atque obtinet in beneficiis consistorialibus, quoties nulla potest in conferendo difficultas emergere, aut dubitatio. Tertius demum est, qui explicatur per datariam, et locum habet in omnibus beneficiis non consistorialibus, imo etiam in consistorialibus, ubi horum collatio non habeat per se paratam executionem, sed aliquibus difficultatibus, puta dispensationum, reddatur obnoxia. De primo modo, utpote extraordinario, nihil in præsentia dicam: tantum de secundo et tertio, quorum discrimina, quum oriantur ex qualitate consistorialis, vel non consistorialis beneficii, erunt animadvertenda, postquam paucis exposuerim, quænam proprie consistorialia, quænam vero non consistorialia beneficia appellentur.

Nomen ipsum consistorialium beneficiorum per se indicat, ea proprie dici beneficia consistorialia, quorum provisio fit in consistorio pontificis max. Apud Romanos veteres appellabatur consistorium locus ille amplissimus, in quem apud imperatorem conveniebant primates, proceres, virique honoratiores, leg 3, cod. de offic. divers. jud., leg 12., cod. de pœnis, juncta inscriptione legis 2, cod. de excusat. mun. Hodie in urbe romana consistorium dicitur locus, in quem solemni ritu conveniunt apud pontificem maximum cardinales in urbe degentes. Duplex autem esse solet, nimirum solemne, ad quod præter cardinales etiam alii prælati honoratiores, item principum oratores, ministri, ac magistratus admittuntur; et ordinarium, quod et secretum dicitur, ad quod tantum accedunt selecti ex cardinalibus. Pendet hæc congregatio ex arbitrio pontificis, fitque plerumque bis singulis mensibus, ad quam cardinales maxime solemni more conveniunt, qua in re pragmatici testificantur, romanæ ecclesiæ majestatem elegantissime adparere. Nihil plane contentiosum hodie in hoc conventu fieri solet, tantum quod spectat singulares gratias, ac politica graviora negotia. Itaque in hoc consistorio conferuntur, præter cardinalitias dignitates, etiam patriarchales, metropoliticæ, et quæcumque episcopales ecclesiæ. Accesserunt istis monasteria virorum titulo perpetuo concedenda, quorum redditus annuos ducentos florenos excedit, præsertim ubi abbatiæ, aut prioratui jurisdictio quasi episcopalis adhæreat. In electione episcoporum duo fieri solent consistoria, in quorum primo fit præconizatio, qua scilicet proponitur episcopi electi persona, resolutione dilata in aliud consistorium, in quo cardinalium convenientium suffragia colliguntur, post

quæ ad confirmationis literas devenitur, atque hac ratione vestigium quoddam superest vetustæ disciplinæ, juxta quam episcopi ut plurimum in synodis, seu in clericorum conventu solemni eligebantur. Porro cum memorata majora beneficia vacent, qui jus habent nominandi, vel eligendi, postquam sua suffragia in consistorio palam fecerint, servatis, vel quæ in concilio tridentino sess. 24, de reformat. cap. 1 statuta sunt, vel quæ singularibus variarum provinciarum usibus conveniunt, confirmationem electionis, seu nominationis expectant, quæ confirmatio fieri solet perpensis in consistorio electi qualitatibus, ita ut aliquando plures dies ad inquirendum cardinalibus concedantur, habitaque tandem matura deliberatione, omnia per schedulam conficiantur, quæ dicuntur literæ confirmationis. Non est tamen novum, aliqua monasteria, quæ suapte natura consistorialia sunt, non conferri in consistorio, sed potius in dataria, quorum disciplinam, et discrimina ex usu potius curiæ, quam ex scripta, statutaque lege disceremus. Quamobrem apud romanos pragmaticos etiam consistorialia monasteria habentur, quæ conceduntur in dataria, et extra consistorium, dummodo in libris cameræ apostolicæ taxata reperiantur; proptereaque in iis concedendis adjici solet clausula, qua exprimitur, valere collationem, *perinde ac si consistorialiter facta fuisset.*

Quæ beneficia consistorialia non sunt, conferri solent per apostolicam datariam; non tamen omnia eadem ratione; nam aliqua conceduntur per simplicem supplicationis, ut vocant, signaturam; alia vero præter signaturam etiam postulant pontificiam bullam, sive literas, a quibus pendet serico filo adsuta bulla plumbea, quæ hinc nomen concedentis pontificis, illinc imagines apostolorum Petri et Pauli exhibet. Per simplicem signaturam, seu sine bulla, conceduntur beneficia simplicia, vel pontifici maximo reservata, vel devoluta, quorum annui redditus non excedunt ducatos duos cum dimidio auri de camera, secus tamen, si extra ordinem concedantur, ex. gr., quæ sint jurispatronatus laicorum, et a papa impetrentur cum derogatione, ut ajunt, medietatis vocum, aut si conferantur per subrogationem collitiganti factam; his enim, aut similibus in casibus expediri solent literæ plumbea bulla firmatæ Præterea si agatur de beneficiis canonicalibus, aut dignitatibus residentiam exposcentibus, solent etiam ista conferri per simplicem signaturam sine bulla plumbea, quoties eorum redditus non excedant sex ducatos auri de camera; quemadmodum etiam parochialia beneficia quæ non excedunt duodecim. Quæ tamen disciplina intra fines Italiæ, aut insularum adjacentium fere continetur; nam extra Italiam, memoratasque insulas bullæ plumbeæ fere ubique solent in quorumcumque beneficiorum collationibus pontificiis expediri.

Ut isthæc disciplina perspicue tradatur, non inutile est, quædam de signatura observare. Hujus nomine pragmatici intelligunt scripturam quandam, quæ continet duplicem partem; nimirum in priore preces clerici beneficium a pontifice petentis, et in posteriore rescriptum ejusdem pontificis. Hinc sane liquet, romanos antistites regulariter non solere beneficia, nisi petentibus, concedere; imo et beneficia a sede apostolica impetrata in dubio semper præsumi petenti clerico concessa, nec aliter præsumtionem cessare, quam si expresse constet ex literis collationis, motu proprio pontificem collationem fecisse, cap. 23, de præbend. in 6; qua adhuc in re animadvertere juvat, parum hodie ad id probandum valere clausulam *motu proprio*, utpote quæ ex stylo potius curiæ, quam ex rei gestæ veritate solet in omnibus concessionum pontificiarium literis adjici. In supplici libello exhibendo non tantum petentis nomen exprimendum est, sed etiam nomen diœceseos tum petentis ejusdem, tum beneficii, quod petitur; item exprimenda erit beneficii qualitas, an ex. gr. parochiale sit, an canonicatum, vel dignitatem adnexam habeat, an juripatronatus seu laicorum, seu clericorum subjaceat; item exprimenda redditu:m quantitas, quæ ex beneficio percipi solet, uti deduci commode potest ex regulis 20, 30 et 57, cancellariæ. Præterea exprimendum erit, petentem alia jam possidere beneficia, si forte possideat, alias rescriptum nullius erit momenti, dicto cap. 23, de præb. in 6. Quoties supplici libello gratia pontificis respondet, solet idem pontifex hac formula uti, rescribendo *fiat, ut petitur*, vel, si alius pontificis nomine subscribat, *concessum, ut petitur, in præsentia domini nostri papæ*, ex qua subscriptione signatura nomen accepit, quasi scriptura signata, sive subscripta. Inter utramque subscriptionis formulam hoc discrimen intercedit, ut si forte concurrant eodem die plures ad idem beneficium, et omnes obtinuerint, præferatur ille, qui obtinuit per formulam *fiat*, alteri, qui obtinuit per formulam *concessum*, etiamsi formula *concessum* clausulam adnexam habeat *motu proprio*, vel etiam alias clausulas prægnantiores, et quantumlibet privilegiatas quemadmodum constitutum adparet in regula 34, cancellariæ. Ceterum si plures eadem formula conceptum rescriptum obtinuerint eodem die, ex regula 17, cancellariæ, præferuntur in primis, qui rescriptum cum clausula *motu proprio* impetraverunt; alias graduati non graduatis, aut inter graduatos magis graduati, ac inter æqualiter graduatos prius graduati; nec non colorato titulo possessores non pos-

sessoribus; ac inter alias personas, in curia præsentes absentibus ab ea, atque inter præsentes non beneficiati beneficiatis; et similiter inter absentes, ceteris paribus, oriundus non oriundo, diœcesanus non diœcesano, in reliquis vero singuli, qui prius apostolicas literas executoribus præsentaverint. Hæc ratio est, quare in regula 16, cancellariæ cautum fuit, ut notæ temporum numerales debeant per extensum in rescriptis pontificiis adponi ad evitandas contentiones, quæ ex numeris brevioribus alias adpositis emergere possent. Post confectam signaturam per memorata verba, quibus gratia pontificis exprimitur, succedunt in eadem charta formulæ, quæ in literis expediendis ex voluntate pontificis sunt exprimendæ, qualis est inter ceteras absolutio a censuris ad effectum beneficii impetrandi, item protestatio papæ, qua per concessionem illam declarat, se nolle derogare juri jam alteri forte quæstio, quod in regula cancellariæ 18 generaliter propositum legimus, et similes. His apud pontificem peractis, licet concessio beneficii facta dicatur, adhuc tamen nemini suffragabitur, nisi literæ conficiantur, ante quas gratia apostolica dicitur adhuc informis, juxta regulam 27, cancellariæ, cui addi possunt 31 et 32. In literis autem conficiendis, quæ paucis a pontifice concedente per signaturam perstricta fuerunt, latiore stylo explicantur, plumbeoque sigillo juxta ea, quæ superius adnotata sunt firmantur, unde literæ bullarum nomen multis jam ab hinc sæculis acceperunt.

Non est omittenda hoc in loco quarundam formularum observatio, quarum aliquæ olim tantum viguerunt, cum in usu essent mandata de providendo, aliquæ etiam hodie locum obtinent, appellanturque universæ his nominibus, vel *in forma pauperum*, sive *cum secundum apostolum*, seu *in forma communi*; vel *in forma dignitatis*, seu *in forma dignum*; vel *in forma gratiosa*, vel *rationi congruit*, vel *perinde valere*, vel *perinde etiam valere*; *vel in forma novæ provisionis*, vel denique si *neutri*, aut *si nulli*, aut si *alteri*.

Forma, quæ dicitur *pauperum*, sive *communis*, sive *cum secundum apostolum*, eadem omnino est, atque originem habuit ab Innocentio III in cap. 16 de præbend., quod cum his verbis incipiat *cum secundum apostolum*, ideo formulæ nomen dedit. Adhiberi ista consuevit, quoties clericus ab episcopo sine ullo, aut sine sufficienti patrimonii titulo ordinatus, non habet, unde necessaria vitæ subsidia percipiat, cui propterea romanus pontifex beneficium aut concedit, aut concedendum mandat, atque hinc dicta etiam est *forma pauperum*, quia pauperibus clericis ea ratione consulitur; aut etiam *forma communis*, quod clericis indigentibus ea ratione concessum juri communi maxime consentaneum videtur, dicto cap. 16, cap. 27, de rescriptis, cap. 13, de æt. et qualit. præficiend.

In forma dignitatis, seu *in forma dignum* datæ literæ dicuntur, quoties pontifex maximus scribit ad locorum ordinarios vel ad executores a se constitutos, mandans, ut clerico aut ob nobilitatem generis, aut ob insignem literarum peritiam, vel ob singularem vitæ integritatem, vel ob certa in ecclesiam merita beneficium conferatur; appellanturque literæ *in forma dignum*, quia priora literarum verba hæc describi solent: *dignum arbitramur*, etc. Olim dum vigerent mandata de providendo, mitti hujusmodi literæ solebant ad ordinarios, collaturos beneficium, quod ad suam collationem libere pertinebat. Hodie diriguntur ad executorem apostolicum ad id specialiter designatum qui esse solet vir in dignitate ecclesiastica constitutus. Ut plurimum vero is, qui auctoritate pontificia collaturus est beneficium *in forma dignum*, non dicitur merus gratiæ pontificiæ executor, qui scilicet sine cognitione caussæ beneficium conferat, sed executor, uti vocant, mixtus, qui scilicet cognoscat de caussa, seu de meritis clerici, an ista talia sint, qualia in literis pontificiis enunciantur; et tum demum ad beneficii collationem deveniat, cum satis menti pontificis factum animadverterit. Quod si aliquando nulla habenda sit caussæ cognitio, tunc erit rescriptum *in forma gratiosa*, et executor apostolicus non mixtus, sed merus dicetur, a quo propterea non propria beneficii collatio, sed potius in possessionem missio postulabitur. An vero cognitio caussæ mandata fuerit, necne, ex verbis, et clausulis pontificiarum literarum deduces, ut ex. gr. cognitio caussæ mandata intelligatur, quoties certæ fuerint in literis conditiones adjectæ, veluti, *si vera sunt exposita*, etc., *constituto*, etc., *si idoneum esse repereris*, etc.

Forma *rationi congruit*, ita dicta ex prioribus literarum pontificiarum verbis, locum habet, quoties quis jam obtinuit beneficium per simplicem signaturam pontificis, mortuo inde pontifice, antequam literæ expedirentur; tunc enim successor pontifex omnia mandat expediri nova concessione, profitens, rationi congruere, ut ea, quæ a prædecessore suo prodierunt, suum sortiantur effectum; quod quidem in romana curia sine difficultate expediri solet, dummodo impetratores intra semestre tempus expediendum petant, uti habetur in regula 10 cancellariæ, eadem ratione, qua juxta regulam 22, siquis rescriptum obtinuisset, cujus vi instituendus esset in beneficio ab executore pontificio, si ante executionem rescripti romanus pontifex infra annum moreretur, ita literæ a successore pontifice confirmantur, ut quodammodo revivi-

scere intelligantur. Qua in re observandum est, regulam hanc 12 cancellariæ distinctam esse a regula 10, in qua disciplina traditur formulæ *rationi congruit* in eo, quod formula *rationi congruit* tum locum habet, cum simplex a prædecessore signatura manaverit; at regula 12 locum habet tum, cum præter signaturam etiam literæ editæ fuerint a prædecessore. Insuper observandum est, regulam 12 necessariam fuisse, ubi ageretur de mixto executore, qui scilicet delegatus fuerit æque ad cognoscendam caussam, ac ad conferendum caussa cognita beneficium; non vero necessariam, sed tantum ex abundanti, ut ajunt, utilem, quoties ageretur de mero executore. Etenim morte pontificis effectu quidem carere arbitror literas mixti executoris, non meri, quemadmodum intelligere possumus ex cap. 9 de offic. et pot. jud. del. in 6, collato cum cap. 36, de præbend. in 6, quorum primum de mero, alterum de mixto executore intelligendum nemo non arbitrabitur, ne Bonifacius VIII sibimetipsi in eadem specie adversatus fuisse videatur.

Hinc facile intelligitur, formam *rationi congruit appellari* etiam jure posse *formam novæ provisionis*, quatenus nova successoris pontificis provisio obtinendo beneficio accedit. Sed ad formam novæ provisionis alia quoque pertinent mandatorum genera, quæ appellantur, vel *perinde valere*, vel *perinde etiam valere* Quandocumque enim in collatione beneficii in certa re peccatum adparet, unde collatio ipsa quoquo possit modo impediri, tum novæ literæ impetrantur, quibus omnia impedimenta tollantur, quæ nova provisio recte appellatur; nam ista non retrotrahitur ad tempus primæ collationis. Hinc siquis clericus medio tempore inter primam collationem, et novam provisionem beneficium impetraret, iste excluderet eum, qui novam impetrasset provisionem, nisi qui novam provisionem impetravit, allegaret, se impetrasse tantum ad cautelam, uti vocant, paratusque esset ad demonstrandum, primam collationem omnino valere. Qua in re patet, formulam novæ provisionis non revocare primam collationem, sed jura juribus accumulare. Excipe tamen casum, quo nova provisio sit petita, quoties primam summus pontifex revocaverit; nam tunc solum secunda collatio attenditur, quin respiciatur ad primam, et hæc proprie appellatur forma *perinde etiam valere* ex ordinario curiæ stylo. Huc pertinet regula 44 cancellariæ, qua statuitur, ut si preces beneficia petentium tantum signatæ fuerint, nondum tamen confectæ literæ pontificiæ, quo sane in casu nulla nova provisio cum forma *perinde valere* necessaria est, et error obrepserit in signatura, iste quidem reformari possit, non tamen sub priore data, ut loquuntur, si ex hujusmodi expeditione cuiquam videatur fieri posse præjudicium, nisi reformationes hujusmodi per formulam *fiat* sub prima data signate fuerint.

Quum pontifices maximi profiteantur, se in concessionibus beneficiorum non tollere jus alteri quæsitum, quemadmodum habetur in regula 18 cancellariæ; quoties contingat beneficii possessionem litigiosam esse, nemini soleat illud jus concedere, nisi adjectis conditionibus *si nulli*, vel *si neutri*, vel *si non alteri* jus adquisitum fuerit. Conditio *si nulli* adjicitur literis, ubi extraneus petit beneficium tribus, aut etiam pluribus de beneficiis contendentibus, sicut conditio *si neutri* adjicitur literis, ubi duo tantum sunt collitigantes; at conditio *si alteri* adjicitur literis ab uno ex duobus collitigantibus impetratis, ut si alter nullum jus quæsitum haberi dignoscitur, superstes in lite beneficium nanciscatur.

Ex quibuscumque literis pontificiarum collationum constitui a pontifice solent executores, modo mixti, qui et judices appellantur, modo meri, qui voluntatem pontificis jam perfectam exequuntur. Ad executores mixtos pertinet, quod statuitur in regula 48 cancellariæ, nimirum mandatur ibidem, ut, cum judex post signaturam per literas, seu bullas designatur, tum literæ ita expediantur, ut exprimatur judicem per se ipsum executionem facere oportere. Id passim usuvenit, cum literæ expediuntur in forma *dignum*, quæ etiam *commissoria* dicitur, quæ literæ unicæ sunt, et diriguntur ad ordinarium. Quod si literæ expediuntur in forma gratiosa, duæ tunc expediuntur literæ, quarum una actum continet collationis beneficii a pontifice maximo factæ, et ad beneficiarium dirigitur, altera dirigitur ad executores numero tres, ut unus ex ipsis beneficiarium postulantem vel per se, vel per alium in possessionem immittat. Consulto hic omitto plurima, quæ de executoribus tradi possent, utpote quæ latius expendi in tractatione de potioribus ecclesiæ dignitatibus, cum de iis agerem, qui ex mandato pontificis maximi pontificiam ipsam jurisdictionem extra romanam curiam exercent. Tantum hoc in loco adjiciam, receptum esse, ut executores apostolici valeant mandatum exequi pontificium, etiamsi illud ordinario, in cujus diœcesi agunt, minime exhibeant; neque enim pragmaticis placuit ad hanc mandatorum speciem extendere quod de dispensationibus pontificiis gratiose concessis statutum fuit in concilio tridentino sess. 22, de ref. cap. 5.

PARS III.

DE GENERALIBUS SACRORUM CANONUM PRÆCEPTIS A COLLATORIBUS IN IPSA COLLATIONE OBSERVANDIS.

Huc potissimum referri potest tituli 14, lib. 1.

Generalia canonum præcepta a collatoribus observanda, ad tria capita commode reducuntur; vel enim spectant beneficium ipsum, vel beneficiarii instituendi personam, vel denique personam ipsam conferentis.

Quod in primis ad beneficium ipsum pertinet, non aliter sane istud conferri poterit, nisi sit vacans, quod adeo verum est, ut ne illa quidem collatio sustineatur, quæ facta sit beneficio non vacante, utut suspensus fuerit in tempus vacationis ejusdem collationis effectus; siquidem periculosum ac triste est, beneficiarii mortem expectare, cap. 2, de concess. præbendæ. Imo, quidquid olim vigeret, hodie post saluberrimam Bonifacii VIII constitutionem etiam interdictum adparet, ne generaliter beneficium primo vacaturum, quodcumque illud sit, alicui conferatur, cap. 2, de concess. præbend. in 6. Jamdiu veteres canones visi sunt perpetuo removere a beneneficio eum, qui beneficium nondum vacans acceperit, can. 7, caus. 2, qu. 1, can. 10, et 40, cau. 7, qu. 1, cap. 1 et 2, de concess. præbend. His vestigiis inhærentes romani antistites regulam ediderunt 21, inter regulas cancellariæ, qua statuerunt, nullius roboris, vel momenti existere quamcumque provisionem, aut dispositionem beneficio necdum vacantis, quod impetratum ab aliqu fuisset tanquam vacans, etiam si deinde vacaverit, et impetrans novis precibus idem beneficium obtinuerit. Quod si certis in casibus ecclesiastica utilitas suadeat, nondum vacans beneficium alicui esse promittendum, ad pontificem maximum pertinebit de caussa cognoscere; atque ubi personarum adjuncta quamcumque suspicionem ambitus æque, ac voti captandæ mortis amoveant, summus idem pontifex vacatura beneficia a die demum vacationis obtinenda concedet, cap. 2, de præbend. in 6. Hinc quamquam in concilio tridentino sess. 24, de reform. cap 19, omnes gratiæ expectativæ in romana etiam curia impetratæ sublatæ fuerint, quotidiana tamen consuetudo docet, coadjutores cum jure futuræ successionis solere constitui, cum interesse ecclesiasticæ rei quandoque possit, beneficiario aut ægrotanti, aut senio confecto coadjutorem dari, et tum optimus quis coadjutor inveniatur, cum fiducia contrahatur futuræ in beneficio successionis. Hujusmodi coadjutorum constitutio, uti liquet, exhibet dispensationem a generali lege, ab ea, inquam, lege, quæ in juri naturali, atque in ipsis gentium juribus fundamentum habet, uti legimus in dicto cap. 2, de concess. præbend., edita ad avertendum ambitum, et quod magis est, ad votum avertendum captandæ mortis. Quamobrem caute in proposito agendum est, ne alias ad eam dispensationem deveniatur, quam si eæ saltem probabiles concurrant conjecturæ quibus facile quis sibi persuadeat, et ambitum, et votum captandæ alienæ mortis cessare. Hinc factum est, ut hodie non concedantur coadjutoriæ hujus generis, nisi consentiente titulari; quasi consensus iste minuat suspicionem voti captandæ mortis, eatenus, quatenus præsumitur, titularem non consensurum, nisi ejus gratia, cujus benevolum sibi animum esse credat. Sed vereor, ne hoc prætextu beneficia hereditariæ quodammodo successioni subjaceant, cum coadjutoriæ cum futura successione exinde iis facilius concedantur, quos titularis ipse designaverit, contra sacros canones, cap. 5, de pactis. Hinc provide tridentinum concilium in cap. 7, sess. 25, de reform. postquam constituerit, ut nemini permitterentur coadjutoriæ cum futura successione, ut omnis imago hereditariæ successionis a beneficiis removeretur, subjunxit, siquando urgens necessitas postulet coadjutorem dari, non aliter id fieri, quam causa apud romanum pontificem cognita diligenter, et quam si constet in coadjutore concurrere qualitates omnes, quæ ipsum dignum beneficio reddant. Coadjutores ita constituti proprie beneficiarii non sunt, imo nec in beneficii possessione esse dicuntur, cum tantum habeant jus ad beneficium, cum primum istud vacaverit. Quamobrem nec regula de annali, nec regula de triennali possessione tueri se possunt; item nequeunt sese ingerere aut ignorante, aut invito titulari in beneficii fructibus; quemadmodum nec ratione beneficii dici possunt subditi illi episcopo, in cujus ecclesia coadjutoris officio funguntur,

quamquam ratione domicilii, quod apud eam ecclesiam contraxerint, obnoxii sint. Habent tamen coadjutores isti quandam beneficiariorum speciem, sive in eo, quod una cum coadjutoria beneficii residentialis, alterum residentiale beneficium possidere nequeant, cum coadjutor non possit utrique residentiæ satisfacere, sive in eo quod teneantur postulante titulari muneribus beneficii satisfacere, sive in eo, quod a nemine excludi possint ab eisdem beneficii muneribus obeundis nomine titularis, unde si de dignitate, aut canonicatu agitur, locum in conventu tenent, seu dignitati, seu canonicatui debitum, sive in eo, quod initio coadjutoriæ susceptæ quandam sedis possessionem capiant, utut obeunte titulari iterum in plenam possessionem inducantur, quin opus illis sit novo titulo: siquidem mortuo titulari, statim et sine alicujus facto hujusmodi coadjutores veri beneficiarii esse incipiunt quasi beneficium aut non vacaverit, aut vix vacavisse brevi temporis momento censeatur.

Ex parte quoque beneficiarii plura requiruntur. Et quidem in primis ætas legitima, quam juxta qualitates varias beneficiorum variam etiam sacri canones constituerunt. Sane quousque beneficiorum collatio collationi ordinum fuit adnexa, eadem ætas et suscipiendis ordinibus, et impetrandis beneficiis requirebatur. Sed separatis collationibus, statim non dubitaverunt collatores aliquando beneficium conferre etiam puerulis, qui muneri ecclesiastico exequendo adhuc impares essent. Idcirco concilium claromontanum anno 1093 in can. 1, dist. 60 statuit, nequis archidiaconus fieret, nisi diaconatus, nequis archipresbyter, aut decanus, nisi presbyteratus ordinem suscepisset. Adde canones 2 et 3, ejusdem dist. 60. Hac vigente disciplina nulla specialis ætas adhuc consequendis beneficiis erat præstituta, sed tantum illa necessaria videbatur, quæ ordini beneficio adnexo congrueret. Primum in concilio lateranensi sub Alexandro III cautum adparet, nequis eligeretur in episcopum, nisi jam trigesimum ætatis annum exegisset; item nequis in archidiaconum, decanum, aut parochum assumeretur, nisi qui annum vigesimumquintum attigisset, cap. 7, de elect. quod confirmasse visi sunt tridentini patres in cap. 11, sess. 24 de reform. ubi in primis decretum legimus, nequis ad dignitates aliquas, et beneficia, quibus cohæret animarum cura, promoveatur, nisi annum vigesimumquintum attigerit; deinde, nequis dignitates illas, vel personatus, quibus nulla inest animarum cura, consequatur, qui minor sit annis duobus supra viginti; præterea, nequis canonicatum, aut portionem in ecclesia cathedrali obtineat, nisi eam sit nactus ætatem, quæ requiritur ad ordinem canonicatui, vel portioni exercendæ adnexum, ea subjecta declaratione, qua intelligatur, canonicatus, vel portiones cathedralis ecclesiæ nonnisi presbyteris, aut diaconis, aut subdiaconis, numquam autem inferioris gradus clericis posse concedi. Exinde liquet, in dignitatibus, vel personatibus cujuscumque ecclesiæ requiri annum vigesimumsecundum, non quidem incœptum, sed completum, ob perspicua tridentini verba ibid. *et 22 annis non minores*, quemadmodum et declaratum fuisse testatur Fagnanus ad cap. *inter cetera* de offic. jud. ordin. At vero in canonicatibus ecclesiæ cathedralis videtur sufficere ea ætas, quam qui natus est, potest intra annum ad sacrum ordinem, quem canonicatus postulat, promoveri, juxta id, quod traditur in tridentino concilio sess. 22, cap. 4, de reform. Dubitabis forte de canonicatibus, aut portionibus ecclesiarum collegialium. De istis altum silentium est in dicto cap. 12 tridentino. Propterea ad ea beneficia non videtur eadem porrigi disciplina; sed sufficiet, canonicum ecclesiæ collegialis in ea constitutum ætate esse, quam cetera beneficia minora requirunt, nimirum annorum saltem quatuordecim, juxta caput 6, tridentinæ sessionis 23, de reform. nisi tamen agatur de canonicatibus, quibus ex fundatione, aliove titulo onus missarum celebrandarum, legendi evangelium, aut apostolum incumbat; hac enim in specie talis ætas desideratur, qua intra annum beneficiarius valeat per sacri ordinis susceptionem idoneus fieri sacro numeri exequendo, juxta dictum caput 4, sess. 22. Advertendum tamen ibidem volunt tridentini patres, neminem ex canonicis etiam in collegiali ecclesia constitutum posse vocem in capitulo habere, seu, quod idem est suffragium ferre, quosque saltem subdiaconatus ordinem non susceperit, etiamsi id libere forte ab aliis canonicis concederetur, clement. 2, de ætat. et qualit. præfic.

Præter ætatem in eo, qui est beneficium adepturus, observandum insuper est, an eo ordine ecclesiastico sit insignitus, qui necessario beneficio juxta ipsius qualitatem adhæret. Bifariam autem potest ordo adhærere, vel actu uti locuuntur pragmatici vel habitu: videlicet actu, quando is, cui beneficium confertur, tempore collationis jam in ordine constitutus esse debet; habitu, seu potestate, quando sufficit, beneficiarium intra certum tempus, ut plurimum annum, ordine initiari. In his caussis potissimum erant investigandæ formulæ, quæ in tabulis fundationum exhibentur; nam si ex. gr. diceretur in tabulis fundationum, beneficium conferendum esse illi, qui missam per hebdomadam celebret, non dubitarem, quin beneficium actu sacerdoti conferendum esset; viceversa si definivisset fundator, missam quidem esse celebran-

dum a beneficiario, data tamen facultate munus sacrum obeundi per substitutum, quoties impediretur, nec dubitarem, quin beneficium etiam non sacerdoti conferri posset, dummodo hic intra certum tempus sacerdotium consequeretur. Agitur in his, aut similibus casibus de interpretatione non juris, sed voluntatis fundatoris, quæ interpretatio ex arbitrio prudentis judicis pendet pro singulis rerum, et caussarum adjunctis probabilem sententiam pronunciaturi. Certum hoc tempus ad annum usque solet prorogari, cap. 14, de elect. in 6, clement. 2, de ætat. et qualit. præfic. dicto c. 4, sess. 22, in concilio tridentino; atque id tempus incipit numerari a die pacificæ possessionis in beneficio obtentæ, ita ut si forte quis ultra annum differat ordinari, non sponte, aut negligentia, sed quia legitime impediatur, non ideo a beneficio cadat, quemadmodum declaravit Bonifacius VIII in cap. 35, de elect. Profecto ubi quis ultra annum promoveri se ad ordinem negligat, si de beneficio parochiali agatur, ab eo cadit ipso jure, cap. 14, de elect. in 6. Si vero agatur de aliis beneficiis etiam in collegiata, aut cathedrali ecclesia constitutis, monendus negligens erit, et nonnisi contumax beneficio per sententiam judicis spoliandus, cap. 22, eod. in 6, junct. cap. 7, vers. *inferiora* eod. apud Gregorium IX. Excipe tamen prioratum conventualem; etenim hic ex sententia Clementis V. Parochialibus beneficiis æquiparatus est in hac parte ita, ut statim et ipso jure amittatur, clement. 1, vers. *ceterum* de statu monach. Si quæras de fructibus intra annum perceptis, respondet Bonifacius VIII illos restituendos esse, quoties eo animo percepti fuerint, ut intra annum ab ordine suscipiendo abstineretur, imo etiam collatorem beneficii, si fraudis conscius fuerit, teneri ecclesiam indemnem servare, cap. 35, de elect in 6. Inde conjicere juvat, quoties nulla intercesserit fraus, ad restituendos fructus bona fide perceptos, ac consumtos beneficiarium non adstringi. Non est hoc in loco omittendum, quod gratia studiorum cavit idem Bonifacius in cap. 34, eod. tit. nimirum voluit, eum, cui collatum sit beneficium parochiale, posse per septennium scholasticis studiis vacare, accedente dispensatione episcopi, dummodo intra annum subdiaconatus ordinem suscipiat, et interea parochiali beneficio idoneus vicarius præstituatur, elapso autem septennio, intra annum presbyteratus ordine innitietur. Non defuerunt, qui putarent, id sublatum fuisse a concilio tridentino in sess. 7, cap. 12, de reform. Ego vero video, disciplinam illam, et dispensationem potius fuisse confirmatam, dum tridentini patres cum intra annum coercuerunt *facultates de non promovendo*, tum exceptionem adjecerunt, *præterquam in casibus a jure expressis*. Adfert quidem Barbosa de officio, et potest. parochi parte 1, cap 5, num. 22: sacræ congregationis decretum, quo nonnullorum contra sentientium opinionem confirmet. Sed vereor, ne decretum illud, quod non integrum exhibetur, non ea, qua decet, interpretatione donetur. Forte enim pertinere poterit ad speciem constitutionis Pii IV promulgatæ in romana cancellariæ anno 1564, die 4 novembris, qua declaratum est, neminem posse ea facultate uti, nisi ordinarii dispensatio accesserit.

Requiritur etiam in eo, qui beneficium suscipit, rerum sacrarum doctrina, ea scilicet, quæ ad implendum munus beneficio adnexum sufficiat. Hinc ex. gr in parocho ea necessaria erit, qua fideles sibi creditos instruere valeat, et sacramentis rite recteque administrandis vacare: in canonicis cathedralium ecclesiarum ea necessaria videtur scientia, atque prudentia, qua consilio suo episcopum adjuvare valeant, et sede vacante vice episcopi ecclesiam regere, quemadmodum innuit concilium tridentinum in sess. 22, cap. 2, de reform. Imo aliquibus in beneficiis, præsertim dignitatibus cathedralium ecclesiarum, requiritur, beneficiarium esse magistrum in sacra theologia, vel doctorem in jure canonico, vel saltem prolytam in alterutra facultate, quemadmodum de archidiaconatu, et pœnitentiaria expresse definiverunt iidem tridentini patres in cap. 8 et 12, sess. 24, de reform. His cohærent, quæ definita deprehenduntur in regula 20, cancellariæ, nimirum nemini posse conferri parochiale beneficium, vel quovis modo curæ animarum adnexam habens exercitionem, nisi intelligat, et loqui sciat idioma loci, ubi ecclesia, seu beneficium consistit. Non persequor ceteras, quæ in beneficiariis requiruntur, qualitates. Tantum dico generaliter, a beneficiis excludi irregulares, quorum numero quinam habeantur, tradetur in commentariis ad librum 5, decretalium.

Ratione collatoris illud in primis requiritur, ut simoniæ vitium omnino declinet, can. 21, et passim cau. 1, quæst. 1, sive, ut ajunt, a manu, sive a lingua, sive ab obsequio, can. 8, vers. *ideo qui easdem* cau. 1, q. 3, cap. 6 de pactis, cap. 20, et passim de simon. Sed de hac re opportunius agendum erit in commentariis libri 5. Deinde cavere debent collatores, ne pro lubitu suo clericos clericis præferant, idest dignioribus minus dignos, dantes locum humanis affectionibus, scituri, se summo Deo rationem reddituros minus fidelis administrationis. Non opus probationibus in hac re. Paucis dico; prælati ecclesiæ non suum; sed ecclesiæ, sed Dei ipsius negotium gerunt in administris seligendis. Dispensatores sunt a Deo ipso constituti in utilitatem ecclesiarum, non in commodum

sui aut familiarium, vel necessariorum. His principiis perpetuo adhæserunt sancti patres, qui in ordinatione ministrorum, cui olim collatio beneficiorum cohærebat, rem gravissimam se gerere profitebantur; et licet hodie collatio beneficiorum a collatione ordinum sejuncta sit, idem tamen, qui olim erat, finis adparet, idemque scopus, cum per beneficiarios potissimum sacra officia in ecclesia et geri debeant, et gerantur. Alta mente reponant prælati auream illam Hadriani VI sententiam apud papirium massonum in vitis pontificum, ætatis, non beneficiia hominibus dandos esse, tum vero muneri suo satisfacient.

DISSERTATIO SEXTA

DE ONERIBUS ET JURIBUS CLERICORUM QUI BENEFICIA OBTINUERUNT.

Huc referendi sunt tituli 3, 6 et 41, lib. 3.

CAPUT I.

De oneribus et juribus, quæ spectant spirituale munus beneficio adnexum.

Nullum potest esse beneficium ecclesiasticum, quod sacri cujusdam officii non habeat onus adnexum cap. ult. de rescript. in 6, quod quale esse debeat, vel tabulæ fundationis vel lex scripta, vel uniuscujusque beneficii qualitas singularis perspicue demonstrabit. Ex qualitate beneficii, ut exemplum tradam, ad episcopos pertinebit clericos ordinare, fideles baptizatos sacramento confirmationis communire, divinum prædicare evangelium, atque omnia, quæ diœcesanam curam spectant, negotia gerere: quemadmodum ad parochos, sacramenta subjectæ plebi conferre, aut ad canonicos consilium postulanti episcopo præbere, publice divinas laudes persolvere. Ex tabulis fundationum onera illa beneficiariis imminent, et jura, quæ fundator ipse etiam præter qualitatem erecti beneficii præstituerit. Non est, cur immorer in re vulgatissima, præsertim quod in commentariis istis passim tradita fuerunt pro opportunitate rerum, quæ pertractuntur, quæ, et qualia singulis beneficiariis competant. Nonnulla dumtaxat attingam de singularibus duobus oneribus, quibus omnes fere indiscriminatim beneficiarii subjacent, nimirum de obligatione et divinas laudes horis canonicis persolvendi, et residendi in ecclesia, in qua beneficium erectum est.

Antiquissimum esse usum divinarum laudum a clericis horis canonicis persolvendarum, nemo est qui dubitet, cum, ut ait Ivo carnotensis in epist. 218, ad it instituta sit militia clericalis, ut *psalmodiæ et hymnodiæ quotidianum Deo offerat sacrificium.* Psalmodiæ nocturnæ, matutinæ et vespertinæ mentionem fecit Justinianus in l. 42, § 10, cod. de episc. et cleric., et auctor vetustus constitutionum apostolicarum in lib. 8, cap. 34, meminit precationum faciendarum, *mane, tertia hora, ac sexta, et nona, et vespere usque ad galli cantum.* Adde his sermonem 55, de tempore inter opera S. Augustini, et canonem 9, dist. 92. Verum nec modus idem apud omnes in hoc peragendo munere perpetuo servatus est, nec eædem orationes apud omnes peræque clericos beneficia possidentes recitatæ; nam olim universi clerici, ne uno quidem excepto, quotidie statis horis conveniebant in ecclesiam caussa psalmodiæ, ac publicarum orationum, eorumque exemplo universus etiam populus ad simile peragendum religionis officium concitabantur. Sed tepescente in res divinas charitate, ubi minor fuit populi frequentia, plures etiam ex clericis, præsertim qui a communione vitæ recesserant, a quotidianis sacris laudibus cessaverunt. Interea monachi præter vetustam psalmodiæ rationem, aliam, institutore Petro Damiani, ecclesiæ sæculo undecimo invexerunt sub nomine Officii B. Mariæ, atque horum exemplo clerici quidam, præcipue ad communionem vitæ eo tempore reduces, pias easdem orationes una cum ordinaria divinarum laudum recitatione junxerunt, saltem certis diebus; alii ita novo ritui adheserunt, ut prætextu singularis in B. Mariam devotionis ordinariam psalmodiam omitterent: alii denique, qui in communem vitam redigi non potuerunt, ab utroque sacræ laudis genere abstinuerunt allegantes, modo se tantum in minoribus ordinibus constitutos, modo se tenui beneficio donatos. In concilio lateranensi sub Innocen-

tio III, hæc dolebant ecclesiæ Patres, uti liquet ex cap. 9, de celebration. Missar., quo constitutum fuit, ut singuli clerici potissimum vero ecclesiarum prælati, nocturnum pariter, et diurnum officium studiose celebrarent, pœna indicta suspensionis adversus inobedientes. Observandum sane est in conspectu ejus canonis, agi ibidem de divino officio publice in ecclesia celebrando; item divini officii partem fuisse missarum celebrationem. Hanc lateranensis concilii sanctionem pressius etiam urgere visi sunt viennenses patres sub Clemente V, quemadmodum adparet ex clement. unic. de celebrat missar. In concilio quoque coloniensi anni 1280, can. 1, clericis omnibus, iis præsertim, qui essent in sacris ordinibus, vel in beneficiis constituti, præceptum est, *ne horas canonicas, et de Domina nostra ulla unquam die dicere prætermittans*; quod præceptum renovavit basileense concilium sess. 22, cap. 5, ubi tamen nihil statutum adparet de officio B. Mariæ: tantum decretum, ut *quicumque beneficiati, seu in sacris costituti diurnum, nocturnumque officium peragant*: atque idipsum confirmavit concilium lateranense sub Leone X, sess. 9, § *statuimus*, in quo beneficiariis divinum officium non recitantibus pœna indicta est amissionis fructuum. Tandem Pius V, anno 1571, 18 calend. octobris relata concilii lateranensis constitutione sanxit, ut beneficiarii divinum officium omittentes suos non facerent fructus pro rata omissionis, re ita distributa, ut si uno die emitterent, fructibus carerent, qui diei respondent; qui vero alicujus diei partem omisissent, dimidiam partem diurnorum fructuum amitterent, si de matutino ageretur: si de ceteris horis, sextam alterius dimidiæ partem, habita singularum ratione. Præterea idem summus pontifex declaravit, eadem obligatione adstringi eos, qui præstimonia, aut præstimoniales portiones, et quæcumque alia beneficia, etiam nullum omnino servitium habentia obtinerent, quemadmodum etiam declaravit, teneri eadem ratione, et sub eisdem pœnis ad recitationem parvi, ut ajunt, officii B. Virginis eos, qui pensionis, fructus, vel alias res ecclesiasticas extra beneficii titulum possiderent. Et quando officii sacri universi celebrandi varii erant ritus, qui sane nec universi omnino placere poterant, mandatumque subinde fuit a tridentinis patribus in fine concilii, ut auctoritate pontificis maximi hæc res absolveretur; non defuerunt iidem pontifices sollicitudini, qua adhibita tandem et ratio divini officii, et missarum ordo in certam formam reducerentur, unde confecti sunt missales libri, et breviaria, quæ dicuntur romana, quamquam illorum ritus nec ad quascumque provincias, nec ad quascumque universitates, sive collegia traducti fuerint; qua in parte adhuc singulis provinciis, singulisque collegiis sui supersunt mores, suæ receptæ, probatæque consuetudines.

Sunt hæc beneficiariis omnibus communia. Est tamen animadvertendum vulgare discrimen, quod inter clericos, et clericos intercedit. Etenim licet clerici quidam sint, et quidem beneficiarii qui muneri suo satisfaciunt, etiamsi privatim divinum officium recitent: aliqui tamen sunt, qui sub memoratis pœnis publicæ recitationi adstringuntur. Hujusmodi sunt canonici sive cathedralium, sive collegiatarum ecclesiarum. Jamdiu isti, si publicis ecclesiæ precibus non interessent, certo fructuum portione privabantur. Undecimo jam ecclesiæ seculo Ivo carnotensis in epist. 219 ad paschalem scripsit, se canonicis ecclesiæ suæ dimidium tantum adsignavisse præbendæ, ut alterum dimidium resolveretur in distributiones quotidianas, præsentibus, et psallentibus concedendas, et non psallentibus denegandas. Atque ego suspicor, forte hujus naturæ fuisse dimidias illas præbendas, quarum mentionem fecit Bonifacius VIII. in cap. 27, de præbend. in 6. Huc etiam spectant duo tridentina decreta, quorum primum extat in cap. 3, de ref. sess. 22., quo data fuit facultas episcopis, ubi necdum distributionum quotidianarum disciplina invecta adpareat, dividendam tertiam partem ex fructibus, et proventibus quibuscumque omnium dignitatum, personatuum, et officiorum in ecclesiis, cathedralibus, vel collegiatis existentium, eandemque pro arbitrio in distributiones quotidianas adsignandi, ut, qui munus non impleverit, distributionem adsignatam juxta episcopalem definitionem amittat, data insuper episcopo facultate, amissam distributionem pio loco applicandi, item severioribus pœnis coercendi eos, quorum major sit inobedientia et contumacia. Alterum decretum extat in cap. 12, de ref. sess. 24, ubi definitum est, distributiones dandas tantum illis esse, qui horis canonicis interfuerint, exclusis reliquis, quibus nulla prodesse aut collusio, aut remissio possit. Hinc receptum est, ut, licet quotidianæ distributiones, quarum jacturam faciunt non psallentes, psallentibus adcrescant, canonici tamen inter se ne expressa quidem pactione convenire possint, ut singulis remittantur, cum hoc vergeret in divini cultus diminutionem, et conciliorum, ac patrum sollicitudinem eluderet atque enervaret. Imo si forte quisquam ex canonicis præbenda contentus, ac de distributionibus parum sollicitus, divinis nunquam, aut vix officiis interesset, arbitrio prælati etiam privatione præbendæ puniri posset, quemadmodum et in dicto trident c. 3, definitum est, et decisum testatur Fagnanus ad capitulum *Licet* de præbend. num. 35. Idipsum potiore jure diceres, ubi vel nullæ adhuc sunt, vel admodum tenues distributiones adsignatæ. In beneficiis parochialibus optandum

sane esset, ut publicæ etiam quotidianæ psalmodiæ locus fieri posset. Sed quoniam pauci in parochialibus ecclesiis solent esse ministri, satis erit, si psalmodia publica tunc celebretur, cum frequentior est populi conventus, qualis esse solet festivis diebus; imo et licebit parocho, ubi alias divinæ psalmodiæ juxtà breviarii ritum vacare non potest, psalmodiam ipsam in alias probatas orationes, et rudi populo accomodatas commutare; dummodo tamen meminerit idem parochus psalmodiæ ejusdem saltem privatim recitandæ. Aliis beneficiariis onus imminet privatæ saltem psalmodiæ, quin exemtum dicere se quisquam possit ne prætextu quidem beneficii tenuis; turpe enim est, atque indecorum, sacrarum orationum, et psalmodiæ onus attemperare fructibus, ut hinc illinc libratio quædam, et mensura pendatur. Hinc miror, nonnullos scriptores adversus generales leges et canones ecclesiasticos hujus generis opinionibus subscripsisse, imo etiam eo fuisse progressos, ut quantitatem fructuum determinarent, infra quam divini officii recitandi obligatio esset, et ex qua statim emergeret: quod contingere dixerunt quidam, ubi beneficii redditus in aureis duodecim, quidam etiam, ubi in aureis octo consisteret. Hæc sunt ex iis, in quibus nonnulli pragmatici licentiæ suæ temere, et sine ulla penitus caussa indulserunt, ut oscitantiæ, aut avaritiæ velificarentur.

Alterum onus, quod beneficiariis imminet, residentiam spectat Sane non dubitant viri gravissimi, quin residendi obligatio jure communi omnes omnino beneficiarios adstringat, sive de duplicibus, sive de simplicibus beneficiis agatur. Fagnanus ad capitulum *conquerente* de cleric. non resid., Garzias de benefic. parte 3, cap. 2, numero 1. Jus hoc commune duplici fundamento innititur. Primum est singulare in iis beneficiis, quæ ex voluntate privata fundatorum erecta fuerunt; atque est ipsamet fundatorum voluntas. Statim ac enim fundatores in certa ecclesia beneficium erigendum postulaverunt, certaque bona ideo contulerunt, ut clericus bonis utens certa officia in eadem ecclesia præstaret, quid clarius produci potest ad eruendam fundatorum voluntatem, qua tacite saltem declaravisse videantur, se velle, ut clericus in ecclesia beneficii resideat? At dices: beneficia ista simplicia nullum habent singulare onus adnexum; tantum debet beneficiarius recitationi divinarum laudum incumbere juxta constitutionem Pii V, superius commemoratam. Ego repono, istud ipsum esse, quod probatione indiget. Beneficium datur propter officium ait Bonifacius VIII in cap. ult. de rescript. in 6. Est autem crassa nimium interpretatio illorum, qui putant in eo capitulo officii nomine recitationem breviarii significari. Eo ipso, quo fundator in certa ecclesia beneficium erigendum voluit, non unius beneficiarii personam, seu vel jura, vel onera personalia respexit, sed et ipsius ecclesiæ habuit rationem; quasi beneficiarius vel juribus uteretur, vel oneribus subjaceret in cultum illius ecclesiæ, cui beneficium cohæret. Porro hæc voluntas in rem concepta residentiam postulat, cum clericus beneficiarius nihil peragere possit ad cultum ecclesiæ beneficiariæ, nisi apud eamdem ecclesiam resideat. Neque discrimen intercedere potest inter hæc beneficia, et beneficia duplicia; nisi eatenus, quatenus in duplicibus publica institutio id postulet, in simplicibus autem id postulet voluntas privati fundatoris. Publica institutio in beneficiis duplicibus voluit, ut beneficiarius certa munera exequeretur. Hinc emersit residendi obligatio. Cur non eadem obligatio emerget, ubi privatus fundator certa clerico munera implenda in ecclesia mandaverit? Si dicas, munera per substitutum impleri posse; reponi facile potest, has substitutiones non esse probatas in beneficiis duplicibus; caussasque ipsas, quare in duplicibus improbentur, etiam in simplicibus beneficiis existere, vel quin substitutus alieno nomine agens, et quasi mercede conductus, minorem adhiberet sollicitudinem, vel quia redditus beneficii pares esse nequeunt duobus exhibendis administris; vel quia decorum non est, eum, qui sibi jura vindicat, per se onera non ferat, et in otio vivat. Alterum fundamentum juris communis, generaliter obtinet in beneficiis omnibus, et collocatum est in ipsa ingenita hierarchiæ ecclesiasticæ seu clericalis ordinis antiquissima, et pene apostolica distributione. Jamdiu cautum est, ut nemo ordinetur, nisi certæ ecclesiæ adscribatur. Hæc adscriptio nihil aliud fuit olim, antequam patrimoniorum disciplina induceretur, quam collatio beneficii, cujuscumque tandem generis beneficium esset. Hæc eadem adscriptio residentiam procul dubio postulabat. Neque successione temporum, post inductam disciplinam patrimoniorum, ab his regulis recessum est: imo eædem regulæ sunt magis magisque firmatæ, quando in concilio tridentino non aliter admissæ sunt ordinationes titulo patrimonii, quam si clericus certæ ecclesiæ adscriberetur. Quod si clericus titulo patrimonii ordinatus, utut hic titulus subsidiarius sit, nihilominus ecclesiæ adscribitur, nec nisi ex episcopi dispensatione abesse ab ecclesia potest, potiore sane jure adscribetur ecclesiæ beneficii, quodcumque illud sit, qui titulum ordinarium beneficii adeptus est, ordinarium, inquam, titulum ordinationis. Hinc est, quod etiam hodie episcopus beneficii etiam simplicis potest jure suo clericum etiam non diœcesanum ordinare. Hinc est, quod plura beneficia etiam simplicia non possunt a clerico sine dispensatione obtineri, quod sane fundamentum tum habet

in lege residentiæ, cui non potest clericus satisfacere, quoties in diversis ecclesiis beneficia obtineat. Equidem verum est, hodie aliam opinionem invaluisse, qua, qui simplex beneficium possident, a personali residentia liberantur, dummodo quæ certo in loco sacra officia ex fundationum tabulis celebranda sint, per substitutum obeantur. Vereor tamen ego, ne consuetudo isthæc, licet in caussa sit, cur beneficiarii pœnas legitimas non residentium evadant, possit illis satis tutum esse præsidium, quo a gravi peccato eximantur. Hæc consuetudo ex illis est, quæ occasione præbet violationi pactorum inter fundatores, et ecclesias initorum; quando fundatores convenerunt in limine fundationis de personali officio a beneficiario in certa ecclesia peragendo. Hæc consuetudo ex illis est, quæ primigeniam, aut antiquissimam beneficiorum tributionem, perpetuo canonibus confirmatam enervant, proindeque corruptelæ potius, quam consuetudinis nomine donanda est. Quod ut clarius explicetur, indicanda est consuetudinis hujus origo et progressus. Quibus seculis relaxata fuit ecclesiastica disciplina, passim clerici ab officiis, ecclesisque, quibus addicti fuerant, vacabant, aut huc illuc errantes, aut procul ab ecclesiis domicilium suum figentes, ique religiosiores videbantur, qui certo clerico substituto ecclesiæ, officiique cura mandata, quandam ecclesiæ, et officii sollicitudinem adhuc eminus habere videbantur. Nec ipsi quidem parochi; dixerim amplius, nec ipsi quidem episcopi gregem pascebant, contenti vicarios præstituere, quos pacta mercede conducebant non sine gravissimo animarum detrimento. Hæc cum passim in usu essent, quid non erat permittendum minoribus clericis, quibus nulla animarum cura imminebat? Istis sane ab ecclesia, et beneficio profugis favebat exemplum et parochorum, et episcoporum, et quis beneficiarios illos ad residendum urgere debuisset, quando ipsi episcopi, ad quorum sollicitudinem id pertinebat, simili negligentia ab ecclesiis aberant? Hucusque consuetudo æque favebat omnibus, sive curam animarum habentibus, sive aliis quibuscumque minoribus clericis. Deventum tandem est ad concilium tridentinum, in quo graves propositæ fuerunt contra non residentes querimoniæ. Diræ in hac re fuerunt concertationes, inter quas non parum laboratum est, ut saltem episcopi, parochi et canonici cathedralium, et collegialium ecclesiarum pœnis propositis gravibus ad residentiam obligarentur. At enim quid aliud hoc fuit, quam declarare, præcedentem non residendi consuetudinem non episcopis, non parochis, non canonicis suffragari potuisse, utpote quæ abusus potius erat, et corruptela? uti expresse legitur in cap. 1, sess. 23, de reform. De aliis beneficiis minoribus disputatum amplius non est; neque enim tempora ferebant, omnibus omnino abusibus medelam adferre: satis erat, si gravioribus prospiceretur. Interea tamen etiam de minoribus clericis cautum fuit, ne quisquam ordinaretur, quin ordinatio aut necessaria, aut saltem utilis ecclesiis esset; ne quisquam ordinaretur, quin certæ adscriberetur ecclesiæ, et in eadem ecclesia sacra officia gereret. Hæc satis aperiebant concilii mentem, quæ eo tendebat, quo omnes clerici nossent, ecclesiæ serviendum personalis officio fore, ecclesiæ, inquam, illi, a qua stipendia percipiunt. Quod si certa pœna in hac parte legem non muniverunt, id in caussa quidem est, ut clerici non residentes in judicio non conveniantur, non vero ut a crimine liberentur. Atque hinc intelligitur tridentinum decretum in cap. 17, sess. 24, de ref. ubi prohibetur, nequis plura obtineat beneficia, tantum exceptione adjecta, quo casu unum insufficiens esset, qua etiam in specie permissum est, alterum beneficium obtinere, dummodo utrumque personalem residentiam non requireret. Generalis regula de pluribus beneficiis non obtinendis indicat mentem tridentinorum patrum, residentiam in uno quoque beneficio sine discrimine postulantium; quando precipue plurium beneficiorum possessio ideo prohibetur, quia qui plura beneficia possidet, nequit in pluribus ecclesiis ministrare, residere. Quod si in exceptione mentio fit beneficiorum residentiam non exposcentium, horum nomine ea beneficia intelliguntur, in quibus, siquis non resideat, certæ pœnæ non sunt in sacris canonibus, atque in ipso etiam concilio præstitutæ. Exceptio isthæc, ut liquet, dispensationem continet a generali lege, atque ideo dispensatur a generali lege prohibente plurium beneficiorum possessionem, quia dispensatur a lege residentiæ, utpote quæ eadem est cum lege prohibente plura beneficia possideri. Porro in dispensationibus facilior est animus dispensantis, ubi de illis agitur, quæ minora sunt, et in quibus non tanta est, aut fuit legumlatorum sollicitudo. Sollicitudinem autem maximam adhibuerunt tridentini antistites in urgenda residentiæ lege apud episcopos, parochos, ac canonicos, atque ad hos propterea nunquam dispensatio erat protrahenda. Siquæ dispensatio aut necessaria, aut utilis videbatur, in ceteris tantum minoribus beneficiis locum habere poterat. Siquis hæc apprime, uti decet, perpenderit, mirabitur plane pragmaticos tradere, non posse episcopos certis propositis pœnis adhigere possessores simplicium beneficiorum ad residentiam, propterea quod, ut illi ajunt, episcopi nequeant immutare generalem disciplinam. Quid? Num episcopi destituuntur facultate, tuendi fundatorum voluntates? Unum destituuntur collate, jus commune confirmandi, abusus corrigendi, atque

eam disciplinam ecclesiasticam instaurandi, quæ cum clericum unumquemque suo officio addicit, tum fundamentalis esse deprehenditur? Hæc non apud alios in animum induci possunt, quam apud eos, qui in beneficiis sibi tantum constituerunt optabile commodum, exemptum prorsus ab omni onere; quæ beneficiorum imago uti a luxuria, aut ab avaritia, aut ab ambitu originem turpissimam habet, ita non tam positivis ecclesiæ legibus, quam primis ecclesiasticæ disciplinæ principiis adversatur.

Jamvero singularia expendamus, quæ præsertim in tridentino concilio constituta fuerunt de residentia episcoporum, parochorum, ac canonicorum. Quod in primis ad episcopos attinet, in tridentino concilio diutius disputatum est, utrum episcopi jure divino ad residendum in ecclesiis obligarentur. Utilis erat hæc disputatio, ut via inde pararetur, ad damnandam consuetudinem non residendi, quæ passim inoleverat cum gravissimo detrimento ecclesiarum. Et quidem initio omnibus opportunum visum est, abusui medelam adferre; sed definire, ex jure divino derivari residentiæ legem, eo tendere videbatur, ut damnaretur multorum antistitum memoria, qui pridem non residebant; imo etiam eo, ut nonnulla maximorum pontificum facta minus probarentur, quando plures episcopi privilegia non residendi ab apostolica sede obtinuerant. Hinc, dummodo utilitati ecclesiarum prospiceretur, caute æque ac prudenter decreta in hanc rem digesserunt, ac prodiderunt. Primum in sess. 6, cap. 1, de ref. professi sunt tridentini antistites, velle se restituere collapsam admodum ecclesiasticam disciplinam, seque accingere ad emendandos mores in clero, et populo christiano depravatos, cujus rei initium sumendum erat ab iis, qui majoribus ecclesiis præsunt. Hinc monitos voluerunt episcopos universos, ut suum ministerium implerent, scirentque illud se implere non posse, si greges sibi commissos desererent. Doluerunt inde vehementer, eo tempore fuisse nonnullos propriæ etiam salutis immemores, terrenaque cœlestibus, ac divinis humana præferentes, qui vagabantur in diversis curiis, aut in negotiorum temporalium sollicitudine derelicto ovili, et ovium cura neglecta, se detinebant occupatos. Doluerunt, vetustos canones de residentia editos pene in desuetudinem incuria temporum, atque hominum abiisse, eamque ob rem eos instaurandos omnino duxerunt. Vides hinc, quali dexteritate usi fuerunt patres tridentini in firmanda residentiæ lege, tanquam ex divinis ipsis institutionibus, sive ex ingenita episcopatus natura profisciente; adversus quam consuetudo omnis improbanda penitus videretur. Ut autem certus residendi modus, certæque adversus non residentes pœnæ definirentur caverunt, ut quicumque episcopi quacumque dignitate, gradu, aut præeminentia fulgerent, sine caussa sex continuis mensibus extra suam diœcesim morando abfuissent, quartæ partis fructuum unius anni fabricæ ecclesiæ, vel pauperibus loci per superiorem ecclesiasticum applicandorum pœnam ipso jure incurrerent, quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverint, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amitterent; crescente vero absentum contumacia, a metropolitano, aut ab antiquiore episcopo, si de metropolitano delinquente ageretur, certior fieret pontifex maximus de episcopi negligentia, ut ad alias illius auctoritate, et quidem gravissimas pœnas, etiam usque ad episcopi depositionem, deveniatur. Non tamen ex hoc ipso decreto quisquam jure inferret, licere episcopis quinque continuis mensibus a sua ecclesia abesse. Cum enim tridentini patres plectere voluerunt episcopos per semestre tempus absentes, gravioribus cœperant abusibus mederi, prospecturi opportuniore tempore minus gravibus. Et revera mentem inde suam declaraverunt in cap. 1, sess. 23, de ref. Vetus jam fuit disciplina, qua non licebat episcopis die quocumque dominico ab ecclesia abesse, excepta infirmitatis caussa, can. 4, dist. 3, de consecr. et concilium sardicense can. 15, prohibuerat, ne episcopi trium hebdomadarum tempora prorogarent, quibus ab ecclesia sua abessent. Ad hæc respicientes tridentini patres in dicto cap. 1, sess. 23, et certam formam legibus residentiæ iterum præbituri, post instauratam controversiam, utrum episcopi ad residendum jure divino obligarentur, professi initio sunt, præcepto divino mandatum esse omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbisque divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum operum, exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in certa munia pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari, et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt; hinc universos admonuerunt, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis in judicio, et veritate pascerent et regerent. Quid clarius in istis, ad insinuandum sobrie, prudenterque, residentiæ episcopalis legem in jure divino fundamentum habere? Prosequuntur, ut ajunt, ne ea, quæ statuta fuerant in dicto cap. 1, sess. 6, in sensus a synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius decreti quinque mensibus continuis abesse liceret, omnes omnino episcopos ad residentiam obligari, neque abesse posse, nisi ex certis caussis, certisque modis. Legitimas

absentiæ caussas esse dixerunt christianam charitatem, urgentem necessitatem, debitam obedientiam, ac evidentem ecclesiæ, vel reipublicæ utilitatem, istasque caussas a romano pontifice, vel a metropolitano, vel eo absente a suffraganeo episcopo antiquiore in scriptis esse adprobandas, nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, et reipublicæ officium episcopatibus adjunctum, cujus quoniam caussæ sunt notoriæ, et interdum repentinæ, nec eas quidem significari metropolitano necesse erit. Dum vero ex caussa episcopi absunt, tenentur prospicere diœcesi ita, ut ex eorum absentia nullum detrimentum emergat. Modus ita constitutus est, ut, quoniam qui tantisper abest, non videtur abesse, quia statim reversurus est, brevis hujus absentiæ spatium singulis annis sive continuum, sive interruptum, extra prædictas caussas, duos, aut ad summum tres menses non excedat, et habeatur ratio, ut adhuc id nonnisi ex æqua caussa fiat, et sine ullo gregis detrimento, quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relictum est. Item admoniti episcopi fuerunt, ne recedant a cathedrali diebus dominicis adventus, quadragesimæ, nativitatis, resurrectionis Domini, pentecostes item, et corporis Christi diebus, nisi episcopalia munera in sua diœcesi eos alio vocent. Quod siquis contra hujus decreti dispositionem abfuerit, præter alias pœnas indictas in dicto cap. 1, sess. 6, de ref. adjectum est, ut episcopi absentes pro rata temporis absentiæ fructus suos non faciant, erogandos per superiorem ecclesiasticum vel fabricæ ecclesiarum, vel pauperibus loci.

Nemo non videt, in his commemoratis tridentini concilii capitibus, non de nomine, sed de officio episcopi et disputatum, et pronunciatum fuisse. Hinc plana res est, residentiæ legem eos omnes urgere, qui episcopalem, seu quasi episcopalem administrationem nacti sunt, et quando animarum cura, quæ præcipue episcopali dignitati incumbit, a parochis etiam singulis pro ipsorum modo quasi ab episcoporum adjutoribus exercetur, non dubitaverunt tridentini antistites, quominus eodem jure, quo episcopos, etiam parochos ad residendum in ecclesiis obstringerent, imo et obstrictos declararent. Primum in sess. 6, de ref., postquam in cap. primo sollecitudinem episcopalis curæ habuerunt, uti modo indicabam, deinde in cap. 2, mandatum fuit episcopis, ut opportunis juris remediis cogerent ad residendum, quotquot beneficia ecclesiastica personalem residentiam de jure, sive consuetudine exposcientia possident, quin alicui suffragarentur aut privilegia, aut indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis; tantum in suo robore permansuris indulgentiis, ac dispensationibus temporalibus ex veris et rationabilibus caussis concessis, et quidem coram ordinario legitime probandis; quibus in casibus data fuit facultas episcopis providendi, ut per deputationem idoneorum vicariorum, et congruæ portionis fructuum adsignationem cura animarum nullo modo negligatur. Post hæc cum tridentini patres iterum de residentiæ lege firmanda, urgendaque deliberaverint in cap. 1, sess. 23, de ref. postquam plurima de residentia episcopali sanxerunt a me modo laudata, decreverunt, ut eadem omnino, seu quoad culpam, seu quoad pœnas, locum haberent in beneficiis curam animarum adnexam habentibus, ita tamen, ut quandocumque parochi absint, caussa prius per episcopum cognita, et probata, vicarium idoneum ab ordinario adprobandum cum debita mercedis adsignatione relinquant. Adjecerunt insuper, discedendi facultatem in scriptis gratisque concedendam, nonnisi ex gravi caussa ultra bimestre tempus impetrari posse. Denique concluserunt, parochos non residentes per edictum, etiam non personaliter, citatos, ac contumaces, auctoritate ordinariorum per censuras ecclesiasticas, et sequestrationem, et subractionem fructuum, aliaque juris remedia etiam usque ad privationem posse compelli, quin sententiæ executio suspendi possit quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemtione, etiam ratione cujuscumque beneficii, pactione, statuto, consuetudine etiam immemorabili sive appellatione, aut inhibitione etiam in romana curia, vel vigore eugenianæ constitutionis: extat hæc eugeniana constitutio in extrav. 3, de privileg. int. com.

Ad canonicos cathedralium, vel collegialium ecclesiarum spectavisse videbantur tridentini antistites in sess. 6, cap. 2, de ref. quo cautum erat, ut etiam illi residentiæ legibus subjacerent, prout episcopi singuli in singulis diœcesibus pro locorum qualitate et temporum opportunitate definivissent. Sed deinde in sess. 24, cap. 12, vers. *Præterea,* clarius et pressius constitutum fuit obtinentes in ecclesiis cathedralibus dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non posse, ne statuti quidem, aut consuetudinis vi, ultra tres menses quolibet anno abesse, servatis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt; alioquin primo anno privari unumquemque dimidia parte fructuum; quod si iterum negligens sit, privari integris totius anni fructibus; crescente vero contumacia, sacrorum canonum pœna mulctari, seu, quod idem est a beneficio removeri, juxta capitulum ult. de cleric. non resident.

Sunt nihilominus receptæ quædam caussæ quibus aliqui, licet non residentes, pro residentibus tamen habeantur, nullisque propterea pœnis canonum teneantur. Hujusmo-

di in primis esset corporalis infirmitas, cui aeris inclementia caussam dedisset, aut cui mutatio cœli medelam adferret; qua in specie pragmatici tradunt, ad tempus quadrimestre etiam gratia parochorum dispensari ab episcopis posse, interea constituto vicario, qui parochiale munus exerceat. Præterea pro residentibus considerantur canonici, qui actu episcopo in rebus ecclesiasticis administrant extra cathedralem ecclesiam; officium enim episcopo præstitum videtur præstitum ecclesiæ, cap. 7, de cleric. non resid. Ne vero exinde sequatur, ecclesiam cathedralem aliquando canonicis omnino destitui, prætextu officii apud episcopum obeundi, ex interpretatione capituli 18, eod. tit. receptum est, ne plures, quam duo canonici in officio episcopo præstando detineantur. Denique a residentiæ onere excusantur canonici, vel parochi, qui studiorum caussa absunt, cap. ult. de magistris, cap. 12, de cler. non resid., quibus jungi potest Eugenii papæ privilegium taurinensi athenæo concessum anno 1438, 11 kal. julii; tantum enim abest, ut tridentini patres huic utilissimæ disciplinæ derogaverint, quin potius eandem expresse confirmaverunt in cap. 1, sess. 5, de ref. Sunt, qui putant, hodie parochis facultatem hujus generis fuisse sublatam ex declaratione Pii IV, anni 1564, die 24 novembris. At vero si accurate Pii IV sententia perpendatur, nihil aliud declaratum dignoscetur, quam parochos non posse dispensationes caussa studiorum in romana curia, vel pœnitentiaria obtinere, nisi ordinariorum consensus accesserit; atque id optima ratione constituendum erat sive quod tridentinum concilium expresse caverat in sess. 6, cap. 2, de ref., pontificias indulgentias et dispensationes coram ordinario esse probandas; sive quod cavendum erat maxime, ne temere per parochos gratiæ illæ impetrarentur, dolosis precibus pontifici maximo exhibitis, neve propterea ordinarii conquererentur, sine caussæ cognitione dispensationes illas concedi, quæ vergerent in gravissimum ecclesiarum detrimentum. Ceterum ubi exceptionibus istis fiat locus, quibus aliqui beneficiarii ab onere residendi excusentur, advertendum erit, in collegiis canonicorum, in quibus præter præbendales fructus constitutæ sunt distributiones quotidianæ, canonicos rite excusatos lucrari quidem fructus præbendales, non vero distributiones quotidianas, cum istæ non iis, qui tantum residentes sunt, sed iis, qui et resident, et in choro psallunt, concedantur. Quamobrem plurimum intererit dignoscere an qui excusatur, tantum habeatur pro residente, an vero etiam habeatur pro psallente. Qui tantum pro residentibus habentur, solos præbendales fructus percipient, uti contingit in iis, qui absunt caussa studiorum, aut qui episcopo deserviunt; at distributiones quotidianas etiam percipient, qui habentur etiam pro psallentibus, quemadmodum evenit in infirmis, aut in iis, qui ob evidentem ecclesiæ utilitatem, vel necessitatem abesse coguntur, cap. un. de cler. non resid. in 6.

CAPUT II.

De juribus et oneribus quæ spectant beneficialium prædiorum, aut jurium administrationem.

Huc referendi sunt tituli 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 23, 24, lib. 3 et titulus 4, lib. 5 decretalium.

Paucis exprimeret munus beneficiariorum in administrandis prædiis, vel juribus beneficialibus juxta generales canonum, vel pontificiarum constitutionum regulas, quales proponuntur, aut apud Gratianum in cau. 12, qu. 1 et 2, aut apud Gregorium IX in titulis decretalium modo commemoratis, qui diceret, jura omnia decimarum, oblationum, atque his similia, item prædia semel ecclesiæ quæsita per beneficiarios esse custodienda, ut perpetuo penes ecclesiam permaneant, nunquam alienationi subjaceant, concessa tantum beneficiariis facultate, fructus, obventiones omnes, eaque universa, quæ fructuum instar obtinent, percipiendi. Equidem fateor, prioribus ecclesiæ sæculis nullam specialem statutam fuisse legem, qua rerum ecclesiasticarum alienatio prohiberetur. Viri enim sanctissimi, qui tunc regebant ecclesiam, nullo humano affectu labebantur in ministerio suo, ac si forte alienarent, gravissimis, vel utilitate, vel necessitate ecclesiarum urgente, caussis premebantur modo pauperibus, sive laicis, sive clericis, modo martyribus in carcerem detrusis, atque humano fere subsidio destitutis, exhibendis intenti. Postquam vero gravissimæ illæ caussæ defuerunt, aut minus frequentes agnitæ sunt; alias etiam nonnulli ex administris temere ecclesiarum patrimonia perderent; opus fuit non solum ecclesiastica, sed etiam imperatoria lege, qua omnis sine gravi caussa, et ecclesiæ utilitate facta alienatio irritaretur, l. 14 et 17, cod. de sacros. eccles. nov. 7 et 120, ex quibus commode deducitur, qua ratione veluti per gradus interdictum prorogatum est; primo nimirum in ecclesia constantinopolitana consistens, deinde ad ecclesias constantinopolitani patriarchatus, postremo ad ecclesias universas extensum. Amplius iverunt providi ecclesiastici legumlatores; etenim, quasi non satis per leges consuleretur indemnitati ecclesiarum, caverunt, ut cum clerici beneficia impetrarent, tum jurejurando sponderent se

nunquam jura ac bona adepti beneficii alienaturos.

Itaque rerum ecclesiasticarum alienatio beneficiariis interdicitur. At quid veniat nomine alienationis, ex generalibus juris principiis dignoscendum est. Justinianus in l. ult. cod. de reb. alien. non alien. perspicue declaravit, quidnam interdictum intelligeretur, quoties aut lege aut voluntate hominis alienatio prohiberetur. Similia specialiter in hanc rem declarantur in cap. 5, de reb. eccl. non alien., quod licet silvanectensi concilio adscribatur, aut tamen depromtum est ab justinianeis constitutionibus, aut cum Justinianeis constistutionibus, consonat, nimirum cum novell. 7, cap. 1, vers. *alienationis*. Hinc in primis interdictus agnoscitur omnis actus, quo sacri administri dominium rerum ecclesiasticarum in alios transferant, cujusmodi est ex. gr. donatio, aut venditio. Idem dices de permutatione, quia hæc sub alienationis nomine continetur, novel. 7, cap. 1, necnon de datione in solutum, siquidem hæc venditioni æquiparatur, leg. 44, ff. de solution, l. 4, cod. de eviction, item de locatione pro uno nummo, aut pro simili leviuscula pensione, cum hæc donatio potius, quam locatio sit, l. 46, ff. locati, l. 10, § ult. ff. de adquir. vel amit. posses.

Ait Justinianus in dicta l. ultim. cod. de reb. alien. non alien, prohibita alienatione, prohibitam censeri servorum manumissionem. Num igitur prohibebuntur sacri administri, ne servos ecclesiæ manumittant? Incerta a certis separemus. Sunt quidam ex interpretibus, qui id definitum deprehenderunt expresse in c. 5, de rebus eccles. non alien. ibi: *alienationis autem verbum continet conditionem*. Ego non satis intelligo, qua ratione *conditionis* nomine veniat servorum manumissio. Deinde observo, et ipsos collectionum codices in hac parte variam exhibere lectionem, cum alibi legatur *condictionem*, alicubi *conditionem*, alicubi etiam vox illa *conditionem* desideretur. Imo et ipsi interpretes ancipiti calamo, et suspensa, ita dixerim, opinione in hanc rem scripserunt, quemadmodum liquet ex notis dicto capitulo adjectis sub nomine Quintini. Innocentius IV intelligebat de contractu, cui adiecta conditio esset. Sed hæc opinio Quintino placere non potuit. Alii de conduetione intelligebant: at id placere non potuit Innocentio IV ajenti, aliud esse conducere, aliud alienare. Hostiensis, ut eam interpretationem probabilem redderet, scripsit, de perpetua conductione auctorem capituli esse intelligendum. Quintinus subaudiendum voluit *testamenti conditionem*, quæ sane species alienationis est. Sed iterum de hac sua interpretatione incertus subjunxit, nomine conditionis intelligi posse immutatam rei conditionem, idest statum, caussam, naturam prædii, veluti siquis prædium tributarium faciat, vel annua pensione gravet. Ex his interpretationibus una est altera pejor, cum nemo ad germanam constitutionem exegerit lectionem: atque hi interpretes non dissimiles videntur iis judicibus indorum, qui ideo damnavisse feruntur eos, qui temere ajebant, globum terraqueum a dracone sustineri, propterea quod sustineri non poterat, nisi ab elephante, qua in specie judicis æque ac rei crassa se prodit ignoratio. Si verum amamus, ad authographum respiciendum est, ex quo capitulum gregorianum depromtum est; nimirum ad novellam 7, cap. 1, his verbis conceptam: *alienationis autem nomen generalius ideo posuimus, ut prohibeamus et donationem, et venditionem, et commutationem, et in perpetuum extensam emphytheusim, quæ non procul ab alienatione consistit.* Nullum hinc nomen condictionis occurrit, proindeque recte conjicio nomen istud in textum ex amanuensium ignoratione, vel incuria irrepsisse. Forte extiterunt amanuenses de papiro in papirum textum traducentes, qui vocem illam *venditionem* ita delineatam legerent, ac si exhiberet hanc vocem *condictionem*; utramque propterea vocem retulerunt in textum ne quidquam omitterent diligentiæ, relinquentes emendatoribus MSS. codicum, vel unam vel alteram vocem delere pro scientia eorundem; quod non infrequens amanuensibus fuit. At fato contigit, ut nunquam textus emendaretur. Obiter hic adnotandum est; in dicto capit. 5, de reb. eccles. non alien., inferri adversus alienantes pœnas illas, *quas leonina constitutio comminatur.* Idipsum etiam legitur in dicta novella 7, cap. 1, ex qua liquet commemoratam fuisse imperatoriam legem Leonis et Anthemii, quæ habetur in l. 14, cod. de sacrosanct. eccles. Dictum autem id sit, ad notandam quorundam interpretum oscitantiam, qui ibidem respexerunt ad constitutionem Leonis papæ IV, que refertur in can. 18, caus. 12, qu. 2. Itaque, ut revertamur in viam ex ea voce *conditionem* quæ legitur in dicto cap. 5, nihil sane deduci potest, ex quo prohibita ecclesiasticis administris perhibeatur servorum manumissio. Ceterum de mancipiorum rusticorum alienatione conceptum expresse est dictum capitulum 5, imo et ipsa novella 7, justinianea cap. 1, siquidem alienatis mancipiis rusticis, rura ipse et agri ecclesiarum diminutionem maximam sentiebant. At de manumissione non adeo clara res erat, quamquam enim in l. ult. cod. de reb. alien. non alien. sub nomine alienationis etiam manumissio venire intelligatur, difficultas tamen esse poterat in servis ecclesiarum; siquidem manumissio servorum inter pias caussas perpetuo relata fuit; et ecclesia cum per-

petuo fuerit piarum caussarum patrona, imo et ipsas manumissiones laudaverit, quæ proinde fieri in sacrosanctis ecclesiis consueverunt, tum videri debuit non adeo tenax esse, in servis suis sub potestate tenendis, ita ut in perpetua, et nunquam dissolvenda servitute consisterent; alias sub hoc legis rigore, servi ecclesiarum doluissent, se duriore servitutis vinculo detineri, quam si servi aliorum existerent. Quod si et favore digna erat manumissionum ratio, et ecclesia ipsa in redimendos captivos, atque in ingenitam libertatem reducendos diu elaboravit, nec dubitavit unquam, quin in eas caussas ipsos sacrorum templorum thesauros exhauriret, can. 70, caus. 12, quæst. 2, quod proferri potuisset, quo concluderetur, prohibita generaliter alienatione viris ecclesiasticis, prohibitam illico censeri manumissionem servorum? Verum res hæc modum quendam accipere debuit, ne passim et temere viri ecclesiastici servos manumitterent, præsertim cum exinde ecclesiarum patrimonia maxime imminui viderentur, cum non deessent administri, qui sine discrimine ad manumissiones devenirent. Generaliter etiam vetitum fuit ne manumissio fieret in certarum nationum conciliis, prout quorundam abusus coercendus in nonnullis provinciis videbatur, c. 4, de reb. eccles. non alien. juncto can. 58, caus. 12, qu. 2, difficilius etiam concessa facultate distrahendi servos ita, ut in laicorum servitutem redigerentur, cau. 55, can. 12, qu. 2, nisi ageretur de servis fugitivis, can. 54, ead. caus. et quæst. facilius e converso concessa facultate manumittendi, cum retineretur penes ecclesiam juspatronatus, aut cum manumisso servo modicum tantum peculium concederetur, can. 57 et 58, ibid. At vero si de servis ageretur, quorum certa essent in ecclesiam merita, pietas et religio antistitum manumittentium laudabatur, quasi id non esset perdere res ecclesiasticas sed benevolam ecclesiæ voluntatem et clementiam prodere, ac pro dignitate explicare, dicto can. 57, cau. 68, 69, 70 et 71, ead. caus. et quæst.

Pergit Justinianus, et ait, prohibita alienatione, prohibitam etiam intelligi ususfructus, alteriusve servitutis constitutionem, item nexum pignoris, vel ipothecæ. De usufructu dubitari non potest, siquidem is pars dominii habetur, l. 4, ff. de usufr. et quemadm. In ceteris vero servitutibus quæ reales sunt, evidens ratio idipsum demonstrat; nam cum istæ prædiis ipsis inhæreant, prædia ipsa diminuere quoquo modo videntur; sacris autem administris onus illud etiam singulare impositum adparet, ut meliorem quidem facere possint rerum ecclesiasticarum conditionem, nunquam deteriorem, can. 23 et 25, caus. 12, qu. 2. Quod si civilibus in romanorum legibus cautum scimus, ne fructuarius possit servitutem imponere, facultas illa erit clericis eo facilius deneganda, quo minore jure in fundis beneficiariis gaudent. De nexu pignoris et hypothecæ perspicua sunt juris ecclesiastici monumenta, cap. 5, de reb. eccles. non alien., extravag. unic. eod. tit. int. com. cap. 1 et 3, de pignor., et ratio apertissima suffragatur, quia pignoris constitutione facta non tam securitas, quam non soluto debito vendendi facultas creditori concederetur, ac propterea majorem facultatem dato pignore, aut constituta hypotheca in creditorem beneficiarius transferret, quam quæ sibi competeret.

Concludit Justinianus in dicta l. ult., alienatione prohibita, et contractum emphyteuticum prohibitum censeri; addere possumus novellam 7, cap. 1, ubi expresse interdicitur, ne bona ecclesiarum alicui emphyteuseos perpetuæ titulo concedantur. Non opus pluribus; ubi expressæ sunt constitutiones in cap. 5 et 11, de reb. eccles. non alien., in cap. ult. eod. tit. in 6, in extravag. unic. eod. tit. int. com. Eadem igitur ratione nec licebit bona ecclesiastica *ad firmam*, uti mediæ ætatis scriptoribus loqui placuit, concedere, cum concessio ad firmam valde similis sit emphyteusi, nimirum qui ad firmam concedit, locat ad longissimum tempus, argumento capituli 7, de jure patron., propereaque caussam præbet ut res ecclesiasticæ diu ab ecclesiastico patrimonio divellantur, clement. 1, de reb. eccles. non alien., ubi Clemens V, licet vetitas firmas declaraverit, profitetur tamen non voluisse se eam prohibitionem extendere *ad locationes, vel etiam redditiuum, aut fructuum venditiones ad tempus modicum faciendas*. Post hanc constitutionem quæri ab interpretibus cœpit, uti evenire solet in conspectu legum vagis indeterminatisque formulis conceptarum, quodnam esset modicum illud tempus, intra quod fieri locationes potuerint, ultra quod vetarentur. Passim ad generales juris regulas respexerunt, ut quod in præscriptione, sive in usucapione longum tempus diceretur, illud ipsum vocarent longum tempus, quo res ecclesiasticas locare nullo modo liceret. Verum hic graviores emerserunt disputationes, aliis ajentibus, longum tempus esse annorum triginta, quo actionum et jurium præscriptio compleri solet, nov. 120, cap. 3, aliis decennium sub nomine longi temporis venire scribentibus, juxta legem 1, et seq. eod. de præscript. long. temp. aliis denique tradentibus, breve tempus, intra quod locatio sit in proposito permittenda, triennio finiri. Postremam hanc opinionem probavit Paullus II, in extravag. un. de reb. eccles. non alien, quæ sane controversiæ finem imposuisset, si in hac parte esset ubique recepta. At vero fatentur pragmatici, non ubique illam observari in eo, quo locationes ul-

tra triennium prohibentur, cum adhuc in præsentia alicubi ad annos novem, alicubi usque ad novem supra viginti fiant. Hinc prudentissimi tridentini patres in sess. 25, de reformat. cap. 11, vetuerunt quidem, ne fierent locationes in annos triginta, instar novellæ 120, cap. 3, de locatione ad decennium ne minimam quidem mentionem fecerunt; ita enim cavendum erat in eo decreto, quod proponeretur universis ecclesiis ubique generaliter observandum. In hanc rem adnotare juvat, locationem ad tempus legitimum factam etiam successorem in beneficio, aut dignitate obligare, dummodo facta proponatur nomine beneficii, aut dignitatis, argumento cap. 10, de solution. et c. 5, de rescript. in 6, quamquam non inficias iverim, locationem rescindi posse a successore, implorata officio judicis in integrum restitutione, si læsio ecclesiæ proponatur. Juvat præterea adnotare, locatorem non posse a conductore repræsentatam pecuniam sibi solvendam curare ne forte, si interea locatur obierit, detrimentum successori ingeratur, concilio tridentino sess. 25, de reform. cap. 11. Denique adnotandum est, ubi receptum fuit, ad triennium tantum locationem fieri, admitti exceptionem in eo prædio, quod nonnisi diuturniore annorum curriculo fructus parit, uti contingit in sylva cædua, cujus locatio ad tantum tempus permittitur, quanto per tres vices fructus colligi valeant, quasi triplex fructuum collectio triplici anno locationis prædiorum, quæ singulis annis fructus ferunt, æquiparetur.

Pauca nunc subjicienda sunt de infeudatione, ac de precariis. Sane non dubito, quin Justinianus in dicta l. ult. etiam sub nomine alienationis infeudationem comprehendi declaravisset, si Justiniani temporibus inductæ jam fuissent feudorum rationes; item non dubito, quin et infeudatio vetita adpareret in dicto cap. 5, de reb. eccles. non alien. si illud esset concilii silvanectensis sub Ludovico rege celebrati, quemadmodum ex Burchardo inscripsit primum auctor collectionis 1, decretalium, et ex eo Raymundus. Ceterum uti superius notandum fuit, verba dicti capituli 5, depromta sunt ex novel. 7. justinianea cap. 1. Itaque cum recentiores sint infeudationum mores, recentiores quoque sunt constitutiones, quibus expresse rerum ecclesiarum infeudatio interdicitur. Item cum feudorum jura consuetudine potius, quam lege scripta, regerentur, non indiscriminatim idem receptum est in quocumque infeudationum genere, quod a viris ecclesiasticis fieret. Possedit ab antiqua ætate decimas ecclesia; adquisivit deinde prædia; adquisivit denique ex largitione principum quædam jura, quæ et jurisdictionem, quandoque etiam et imperium adnexum habuerunt. In decimis, aut prædiis ecclesiasticis si feudum esset a prælatis constitutum, proprie feudum erat; cum utile dominium in vassallum transiret, directum penes ecclesiam remaneret. At in juribus, quæ jurisdictionem publicam, aut quæ imperium adnexum habebant, si prælati ecclesiastici feudi tantum titulo ex principum largitate ea obtinuissent ecclesiæ nomine, quacumque ratione hæc jura in alios a prælatis feudi nomine transferruntur, non feudum proprie, sed potius sub feudum dici poterat, cum nunquam penes ecclesiam directum dominium constitisset. Igitur ex moribus obtinuit, ut facilius subinfeudarentur postremi hujus generis jura ecclesiastica, quam infeudarentur aut jura decimarum, aut prædia ad directum ecclesiæ dominium pertinentia, quandoquidem in iis juribus, quæ prelati nomine ecclesiæ tanquam feuda a principibus tenuerum, militia quædam constituta erat, neque satis decorum visum est, per se prælatos ecclesiæ militare; eamque ob rem opportunum fuit, alios seligere inter laicos, in quos eadem jura titulo subfeudi concederentur, domino directo militaturos. Ad hoc feudorum genus pertinere non videntur leges ecclesiasticæ, quæ vetuerunt, ne a prælatis ecclesiarum bona infeudarentur. Jam sui erant in hac re singulis provinciis mores, ac consuetudines, et cum ad formam, et divisionem imperii pertinerent, tum continebant juris publici rationes, et caussas, quæ non episcopali sollicitudini, aut arbitrio committuntur. Quamobrem etiam hodie, ubi emergant hujus generis controversiæ, semper respiciendum erit ad receptos usus singularum provinciarum, præsertim quod nemo ignoret, feudales caussas consuetudine potius regi, quam scripsit legibus. Ecclesiasticæ leges, quibus cum generaliter ecclesiæ administris interdictum esset, ne alienarent bona eeclesiarum, tum etiam prohibendum fuit, ne infeudarent, spectant ea bona quæ pleno jure ecclesiis adquisita fuissent, qualia ut plurimum erant prædia rustica, vel urbana. Siquidem cum inductis feudorum usibus passim prælati eadem bona infeudarent, quasi infeudatio necdum videretur legibus improbata, opportunum fuit, generale alienandi interdictum, specialiter etiam ad infeudationes extendere, ita ut quicumque præficerentur rerum ecclesiasticarum administrationi, deberent jurejurando spondere, se res ecclesiasticas non infeudaturos, cap. 2, de feud. juncta extrav. un de reb. eccl. non alien int. com. Exceptio tamen recepta fuit, qua adhuc infeudari a prælatis possent ea ecclesiastica prædia, quæ antea infeudari consuevissent, id enim exceptum a generali regula conditores canonum voluerunt, dict. cap. 2, de feudis dummodo tamen in reinfeudatione eadem investituræ forma servetur, quæ in prima infeudatione edita fuerat, ne ecclesia detrimentum patiatur, titul. 91, jun. tit. 35, lib. 2,

et titul. 1, lib. 1, feudorum. At enim multo parcius actum est, ubi de decimarum jure ageretur, quando plures caussæ singulares in decimis occurrebant, ex quibus rigidiorem disciplinam induci oporteret. In primis tradi consueverat, decimas antiquissima lege deberi, eaque, quæ in divino veteris testamenti jure fundamentum positum haberet, cap. 14, et passim de decimis. Cur non sanctius firmandum erat, ne in laicos transferrentur? Deinde decimarum jura jamdiu sæculo duodecimo deprehendabantur a laicis occupata, non quidem justo titulo, seu legitima concessione ab ecclesia facta, sed potius vi quadam adhibita. Etenim cum nono et decimo sæculo clericorum mores depravati essent, passim clericis decimæ denegabantur, unde identidem monachis potius luebantur ex facto laicorum, qui potius in monachorum, quam in clericorum ecclesiis sacramenta percipiebant. Valde laboraverunt clerici, ut amissa decimarum jura recuperarent; et quando suasiones, hortationes, consilia parum valebant, opem imploraverunt a viris potentibus, quorum facto tandem decimas vindicarent. In his adjunctis opportunum videbatur, decimas jamdiu amissas in feudum potentibus eisdem viris concedere quorum opera exercerentur facilius jura ecclesiarum, ac, quoad fieri posset, instaurarentur. Cur igitur severiore lege non fuit deinceps, præsertim ubi caussæ istæ cessarent, decimarum earundem infeudatio prohibenda? providentia lateranensis concilii (quodnam fuerit hoc lateranense concilium non satis perspicuum habeo) vetitum fuit, non solum, ne decimæ infeudarentur a prælatis, verum etiam ne nova infeudatio fieret decimarum illarum, quæ olim in feudum concessæ fuissent, et in potestatem ecclesiæ reversæ, cap. unic. vers. *sane* de decim in 6, cap. 7, de his, quæ fiunt a prælatis, argumento tituli 41, lib. 2, feudorum.

Quod ad precarias attinet, tradere sufficiat, illas longe distare a precarii concessione, de qua apud romanos veteres conceptum erat prætorium interdictum, toto titulo ff. de precario. et leg. 14, § 11, ff. de furtis. Siquidem rerum ecclesiasticarum precariæ dicebantur, quoties prælatorum auctoritate alicui clerico, vel laico, rerum sive mobilium, sive immobilium, sive etiam jurium ecclesiasticorum usus ad certum tempus, aliquando etiam ad vitam concedebatur; ita tamen, ut identidem memoriæ servandæ caussa renovari acta deberent, ut plurimum singulis quinquenniis; et quidem modo gratis, ob singularia alicujus in ecclesiam merita; modo impositis annuarum pensionum oneribus, can. 11, caus. 16, qu. 3, can. 4, caus. 10, qu. 2, can. 44, caus. 12, quæst. 2, cap. 1, 2 et 3, de precar. Id, inquam, paucis tradidisse sufficiat, cum hodie concessiones hujus generis penitus ab usu recesserint. Iis, qui rebus antiquis delectantur, minime deerit Gonzalezius, qui ad laudatum titulum de precariis multa erudite æque ac ingeniose congessit.

Quicumque hæc omnia, quæ de alienatione rerum beneficiariarum administris ecclesiasticis interdicta dicta sunt, apprime considerat, statim intelligit, clericum beneficiarium constitutum esse tanquam frugi rerum et jurium administratorem, qui provide omnia gerat, nec majorem sibi concessam esse putet facultatem, quam quæ ex generalibus juris regulis quibuscumque rerum alienarum administratoribus, veluti tutoribus, curatoribus, aut fructuariis conceditur. Hinc est, quod beneficiarius nequeat in novam formam regulariter commutare prædia beneficiaria, nequeat aut fructuosas arbores succidere, aut etiam eas, quæ infructuosæ sunt ubi de sylva incidua agitur, cujus tantum referre poterit ramos et pedamenta, quemadmodum frugi paterfamilias facere solet. Ut verbo dicam, alienatio, ac dissipatio, sive dispersio rerum æquo jure censetur; nihilque refert, an quis in alterum rem certam transferat, an ita perdat, ut domino intereat.

Generalia sunt, quæ hucusque tradidimus, eademque sine ulla exceptione locum habent, quotiescumque de minoribus clericis jurisdictione carentibus agatur. Quod vero ad prælatos ecclesiasticos attinet, quales præ ceteris episcopi sunt, obtinet quidem eadem disciplina, sed adhuc non adeo istorum potestas angustis finibus circumscribitur, ut nequeant aliquando a regulis generalibus, ubi caussa postulet, paullisper recedere. Id suadet ipsum ingenitum eorundem prælatorum officium. Etenim olim ad episcopos, uti sæpius in hac tractatione adnotandum fuit, universa prædiorum ecclesiasticorum cura pertinebat, imo et ad ipsos totum ecclesiasticum peculium referebantur inter minores clericos partiendum. Habebant ergo episcopis in bonis ecclesiæ summam potestatem, et ab eorum arbitrio pendebat alienatio; quoties ad eam deveniendum esset, antequam per leges eadem alienandi facultas coerceretur. At inferiores clerici hac administrandi peculii facultate destituebantur; quod si successione temporum satius duxerunt episcopi, administrationem certorum prædiorum, aut jurium, aut certi etiam peculii, sub beneficii nomine inferioribus clericis concedere, ita tamen concesserunt, ut iis uterentur, non ut alienandi etiam facultatem haberent. Hanc ob rem si certæ emergant caussæ, ex quibus ad alienationem sit aliquando deveniendum, prælati ipsi re cognita de alienatione decernent, quasi sibi reservata, et nunquam clericis inferioribus concessa. Caussæ, quibus liceat prælatis, non obstante prohibente generali lege, res ecclesiasticas alienare, ad tria summa capita com-

mode referuntur, nimirum vel ad necessitatem ecclesiæ, vel ad utilitatem ejusdem, vel ad religiosam pietatem. Ex caussa necessitatis faciendam alienationem minime interdici, non solum antiqui canones, verum etiam recentiones pontifices manifeste declaraverunt, can. 51, 53, cau. 12, qu. 2, cap. 1, de pignor. clement. 1, de reb. eccles. non alien. Quid vero est, quod legimus apud Gratianum in can. 20, caus. 12, qu. 2, ubi traditur, ne pontifici quidem maximo licere, prædium ecclesiæ alienare, etiam *pro aliqua necessitate*, ac subjicitur, idipsum in quibuscumque ecclesiis esse servandum? Duas partes habet hoc monumentum. Posterior pars spectat episcoporum potestatem in alienatione rerum, quæ ad cathedrales ecclesias pertinent, prior spectat potestatem romani antistitis in alienatione rerum ecclesiæ romanæ. Quæ in posteriore parte a Gratiano descripta fuerunt, emendanda profecto sunt ex authographis, quemadmodum recto judicio emendaverunt subjectis notis romani correctores. Etenim, quidquid singulare recipiendum, aut definiendum tunc fuisset in ecclesia romana, cujus jura Symmacho papæ in romano concilio vindicabantur, nimirum etiamsi Symmacho opportunum esse deberet, ab omni alienatione prædiorum romanæ ecclesiæ abstinere, etiamsi alienandi necessitas quædam subesset; in eo tamen canone cautum fuit, ut hæc constitutio tantum in apostolica sede observaretur, minime protraheretur ad ecclesias inferiores, quarum respectu integra mansit singulorum episcoporum potestas in alienatione facienda, quoties necessitas postularet. Ita exhibetur in canone, qualis in actis concilii describitur, qualis a correctoribus romanis expressus est ad emendationem gratianei codicis. Quod si in priore parte consistamus, ea sane, quæ de coercita intra angustissimos limites romani antistitis potestate traduntur, ad ea temporum adjuncta referre oportet, quæ edendo canoni singularem occasionem præbuerunt; ac proinde eadem non perpetua sunt, sed singulari caussæ, ac personæ Symmachi papæ accommodata. Inflammaverat romanorum animos controversia schismatis Laurentiani, de pontificatu Symmacho, et Laurentio contendentibus Utut Symmachi caussa videretur probanda, Laurentiani tamen plura adversus Symmachum opponebant, illud inter cetera, quod Symmachus romanæ ecclesiæ patrimonium dissipaturus esset ac perditurus. Ut quæcumque hujus generis suspicio averteretur, eodem Symmacho urgente cautum fuit in eo providentiali canone, ut ne necessitate quidem urgente liceret Symmacho prædium romanæ ecclesiæ alienare. Hæc dispositio, uti singularem medelam schismati adferebat, ita intra illius temporis, caussæque adjuncta continebatur, ex qua propterea nihil deduci potest ad constituendam generalem, ac perpetuam disciplinam. Utilitatis etiam ecclesiasticæ habendam esse rationem statutum agnoscimus in can. 52, 54, 55, cau. 12, qu. 2, cap. 1 et 4, de rer. permut. cap. 2, § *sane* de decim. in 6, cap. 8, de reb. eccles. non alien. clement. 1, et extravag. unic. int. com. eod. tit. Denique plura habemus argumenta, quibus colligamus, religiosam pietatem plurimum apud sanctos antistites valuisse, ut jure alienatio fieret, puta caussa alendorum pauperum gravi necessitate pressorum, redimendorum captivorum, divini cultus augendi, et sepulturarum instituendarum, can. 68, 70, 71, 73, 74 et 75, caus. 12, quæst. 2, cap. 9, de donation. cap. 9, de his, quæ fiunt a prælat. cap. 12, de testament. Gregorius Magnus lib. 6, epist. 35, et lib. 7, indict. 2, epist. 14, l. 21, cod. de sacrosanct. eccles. nov. 120, cap. 10. Qua tamen in re caveri debet, ne improvida pietas sit, seu ne prætextu adjuvandæ unius ecclesiæ, vel monasterii, alter sacer, vel religiosus locus spolietur. Hujus rei argumento est, quod mandatum episcopis fuerit, ut si vellent monasterium, vel ecclesiam conventualem erigere, non amplius conferrent ex bonis ecclesiæ suæ, quam quinquagesimam partem, aut etiam non amplius, quam centesimam, si vellent erigere ecclesiam minime conventualem, can. 74, caus. 12, quæst. 2, cap. 9, de his, quæ fiunt a prælat. imo et abstinerent a collatione aut quinquagesimæ, aut centesimæ, si id vergeret in ecclesiæ detrimentum, cap. 9, de donation.

Ad necessitatem, vel utilitatem ecclesiarum referuntur etiam caussæ illæ, quæ occasionem identidem præbere consueverunt iis contractuum generibus, quibus non omnino a dominio ecclesiæ res ecclesiasticæ abscedunt, sed quibus gratia alicujus concedebatur dominium utile, retento apud ecclesiam dominio directo, fide data, ut post certum tempus, certum usum, et sub certo utendi modo ecclesia integre jura sua recuperet. Id viguit aliquando in locationibus longi temporis, sive, uti vocabant, ad firmam, atque in precariis; viguit etiam, atque viget adhuc in præsentia, in feudatione, atque emphyteusi. Caussæ infeudationis ut plurimum sese offerebant, quoties quidam hostili propemodum impetu, aut in ecclesias, aut in bona ecclesiarum debacchabantur. In his adjunctis ecclesiarum prælati, imo et cætus clericorum universus seligebat potentes viros, quorum præsidio ecclesiæ tuerentur, et quibus certa ecclesiarum bona feudi nomine, quasi militare stipendium, dabantur cap. 2, de feudis emphyteuseos (idipsum dicas de locationibus ad firmam, vel de precariis) caussæ sese offerebant, quoties prædia quædam apud ecclesiam erant inculta, nec commode poterant per ecclesiasticos administros curari, atque ad

culturam redigi. Tum enim utilitas ecclesiæ postulabat, ut certis pactionibus, ac præsertim solutione annui canonis, quibusdam ea prædia in emphyteusin concederentur, ut eadem post certum tempus ecclesia cum emolumento recuperaret. Debebat in his omnibus bona fides intercedere, ne commentitiis figuris amicorum, aut consanguineorum gratia contractus hujus generis inirentur, ac dum specie tenus videretur ecclesiarum utilitas promoveri, tum privatis affectionibus indulgeretur. Hæc ratio est, quare Justinianus primum caverit, ne locationes fierent ultra annos viginti, l. 24, § 3, cod. de sacrosanct. eccles. deinde ut saltem non excederent annos triginta, novell. 120, cap. 3. Hæc ratio fuit, quare Justinianus, idem irritaverit emphyteuses omnes, quas per se, vel per interpositam personam administratores ecclesiarum cum ecclesia contraxissent aut etiam quas contraxissent administratores ecclesiarum nomine ecclesiæ cum parentibus vel filiis suis, vel cum iis, quibuscum vel genere, vel nuptiarum jure junguntur, nov. 120, cap. 5. Quod si vel legitimis modis avocatum fuerit feudum, uti ex. gr. contingit extinctis vocatorum omnium gradibus, et prædium ecclesiæ olim infeudatum, ad plenum ecclesiæ dominium revertatur; vel emphyteusis etiam finem habuerit, minime licebit prælato, sine caussa iterum rem in feudum vel in emphyteusim concedere. Id docet in primis recta ratio; etenim cum ecclesia primum infeudavit, aut in emphyteusim concessit, non eo animo fuit, ut bona perpetuo a se abdicaret, sed ut eadem post certum tempus integra recuperaret. Ab hoc autem ecclesiæ animo recedit prælatus, si iterum post devolutionem aut feudum, aut emphyteusim concedat, imo et in hanc renovatione feudi, vel emphyteusis, suum potius, quam ecclesiæ negotium gerit, contra quam legibus publicis caveatur. Quid vero argumenta quæram, quando Paulus II in extravag. un. de rebus eccles. non alien id expresse definivit, dum ait, prælatos posse contractum emphyteuticum celebrare in bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, *et tunc cum ecclesiarum evidenti utilitate?* Qui contra sentiunt, proferunt in medium capitulum 2, de feudis, ubi Innocentius III mediolanensi archiepiscopo rescripsit, posse cum *libere* concedere feudum alteri postquam vassallus obierit, et feudum ad archiepiscopum reversum fuerit. Ex particula *libere* deducunt, frustra desiderari novam infeudandi caussam. At enim hæc interpretatio verbis ipsis, necdum menti Innocentii III repugnat. Ait Innocentius, posse archiepiscopum alteri fundum concedere, *si viderit expedire.* Quo tendit hæc clausula, nisi eo, ut tum demum episcopus iterum infeudaret, cum ecclesiæ utilitas id postularet? Itaque verbum *libere,* eo spectabat, ut non opus haberet mediolanensis archiepiscopus confugere ad apostolicam sedem, cui jurejurando pollicitus fuerat, ut in eodem capitulo dicitur, se nihil inconsulto romano antistite, infeudaturum. Hoc jusjurandum singulare erat quo promiserat episcopus, *se non infeudare de novo, romano pontifice inconsulto.* Nihil id habebat commune, aut cum ordinariis solemnitatibus aut cum caussa infeudandi. Eam ob rem respondit Innocentius, propositam speciem in jurejurando præstito minime contineri. Addere possum, perspicue ex eo capitulo non constare, an feudum libere omnino reversum fuisset ad mediolanensem ecclesiam, an potius ite reversum esset, ut mortuo primo vassallo, aliis ex primæ investituræ lege vocatis esset concedendum, puta filiis vel agnatis. Revera idem mediolanensis antistes etiam de filiis, vel agnatis, Innocentium interrogavit, quo in casu per vassallum feudum alienaretur, uti liquet ex eo eodem capitulo. Cur non de eisdem agnatis, aut filiis præsumi potest interrogavisse, quo casu vassallus decederet? Ubi ista species Innocentiano rescripto adfingatur, cum invicem magis, et interrogationes, et responsa maxime cohærebunt, tum etiam liquebit, ibi non agi de propria, sed de impropria reinfeudatione, nimirum agi de renovatione investituræ facienda gratia illius, qui ex prima investitura jus habebat ad feudum petendum, atque impetrandum.

Hæc prælatorum ecclesiasticorum potestas in alienandis legitima interveniente caussa rebus ecclesiarum, nunquam fuit, neque est adeo libera, ut valeant ipsi caussa cognita sine certis solemnitatibus ad alienationem procedere. Debebant olim ipsi consilium, sive consensum cleri sui exquirere, et saniore cleri suffragia sequi, quod recentioribus sæculis, postquam capitula cathedralium ecclesiarum in universa cleri jura successerunt, idem fuit, ac dicere, teneri episcopos consilium, vel consensum sui capituli exposcere, can. 51, 52, cau. 12, quæst. 2, cap. 1, 2, 3, 4, 5, 8, 9, de his quæ fiunt a prælat. cap. 1 et 2, de rer. permut. cap. 2, 3, 7, in fine de donat. cap. 1 et 2, de reb. eccles. non alien. in 6, clement. 1 et 2, eod. tit. Imo si de spectabilium rerum alienatione ageretur, certis in provinciis caussa erat in provinciali concilio discutienda, ac probanda; etenim apud veteres obtinebat, ut episcopi etiam cum cleri sui consilio, sine comprovincialium consensione, graviora diœceseos suæ negotia non perficerent, can. 1 et 2, caus. 9, qu. 3, præsertim quod episcopi suffraganei rationem gestorum suorum in provinciali synodo reddere tenerentur, et quidem frequentissime, dum aut singulis annis, aut singulis saltem triennis provincialia concilia celebrantur. Adde his, quemad-

modum inferiores clerici jurejurando spondere recentioribus sæculis consueverunt, se inscio episcopo ordinatore bona beneficii per ordinationem adepti non alienaturos; ita etiam episcopos tempore suæ consecrationis spopondisse consecratoribus, quales erant metropolitani cum suffraganeis, se bona ecclesiarum non alienaturos. Huc spectat definitio concilii agathensis, quæ habetur in can. 53, caus. 12, qu. 2, dummodo legatur non juxta gratianeam editionem, sed juxta integra agathensis concilii exemplaria. Ita legitur in agathensis concilio: *Terrulas, aut vineolas exiguas, et ecclesiæ minus utiles, aut longe positas parvas episcopus sine concilio fratrum, si necessitas fuerit, distrahendi habeat potestatem.* Germana hæc est concilii agathensis sententia. Si de prædiis minus utilibus, iisdemque non gravis momenti, alienatione necessaria agendum sit, ea facultas episcopo conceditur, quin opus habeat rem deferre ad concilium fratrum, idest ad concilium comprovincialium episcoporum. Jam generaliter statutum erat in eodem agathensi concilio, ne episcopi bona ecclesiarum alienarent, can. 1, cau. 10, q. 2. Ubi aliud necessitas, vel utilitas ecclesiæ postularet, facultatem concesserunt episcopis iidem patres agathenses, ut alienare valerent, re tamen apud comprovinciales episcopos comprobata, can. 3, vers. *quibuscumque modis* cau. 10, qu. 2, quod fragmentum est agathensi concilio tribuendum. Deinde in dicto can. 53, cau. 12, quæst. 2, exceptionem adjecerunt patres agathenses, qua declararetur, non opus esse concilio comprovincialium episcoporum, si suadente necessitate alienandæ essent terrulæ, vel vineolæ exiguæ, ecclesiæ minus, utiles et longe positæ. Hæc sane perspicue erant demonstranda, ut patefieret crassa vulgarium interpretum ignoratio, qui ad ejusdem canonis 53, interpretationem accedentes nihil aliud in gratianeæ editionis conspectu tradere sciverunt, quam episcopum in alienatione rerum levioris momenti absolutum esse ab universis solemnitatibus, nec teneri ad poscendum consensum, vel consilium cleri, quia pro illis verbis *sine concilio fratrum* legerunt *sine consilio fratrum,* quod tamen nec verbis canonis, nec sententiæ agathensis concilii ullo modo consonat. Itaque perpetua, et constans canonum traditio est, episcopum in hac parte teneri, cleri, capitulique sui consensum exquirere. Recentiore ætate parum placui quibusdam episcopis hæc disciplina, præsertim quod jam multæ prodiissent inter episcopos, et capitula contentiones; nec satis opportunum episcopis videbatur, a consilio, vel consensu capituli executionem decreti alienationis caussa pendere. At obsistebat jus commune, quod capitulorum jura fovebat. Hinc cœperunt episcopi iidem confugere ad apostolicam sedem, cujus auctoritas cum intercessisset, actum erat de solemnitatibus ordinariis, atque episcopi liberi omnino a necessitate exposcendi consensus a capitulo ad alienationem progrediebantur. In his adjunctis passim tradebatur, ad alienationem alterutrum requiri, nimirum vel consensum capituli, vel auctoritatem apostolicæ sedis, primum ex disciplina juris communis, alterum extra ordinem, cap. 9, in fine de iis, quæ fiunt a prælatis. Neque aliter ego intelligere possum, quod dicitur in cap. ult. de reb. eccles. non alien. in 6, non posse prælatus bona ecclesiarum alienare *absque capituli sui consensu, et apostolicæ sedis licentia speciali.* Etenim non aliter necessario intervenire debuit licentia specialis apostolicæ sedis, quam si capituli consensus deesset; nec novum est, copulativam particulam et aliquando pro disjunctiva *vel* usurpari, l. 53, ff. de verb. sign. quod in proposito admodum verosimile est, propterea quod Clemens V, in clem. 1 et 2, de reb. eccles. non alien. editis sane post laudatum capitulum ultimum, nullam de facultate a romano pontifice impetranda fecerit mentionem, quam sane fecisset quoties semper necessariam censuisset, nisi malis dicere, dictum capitulum ultimum singulare esse, ac spectare donationes illas, quæ improvide gratia laicorum fiebant, uti tradit Vanespen in operibus posthumis ad canones concilii lugdunensis. Postrema ætate aliud jus invaluit, quo passim receptum est, neminem ex prælatis sive secularibus, sive rægularibus quacumque ex caussa bona ecclesiæ alienare posse, nisi impetrata a romano pontifice alienandi facultate. Hic subsistendum paullisper est, ut hujus disciplinæ origo, progressus et ratio demonstretur.

Passim traditur, huic disciplinæ invehendæ caussam dedisse constitutionem Paulli II, in extrav. un. de reb. eccles. non alien. quæ magis confirmata dicitur ex consueta jurisjurandi formula, quam apud pontificem maximum adhibent universi episcopi, dum a romano antistite consecrantur, profitentes se non alienaturos bona ecclesiæ suæ sine facultate a sede apostolica impetrata. Quænam sit Paulli II, sententia, modo indicabo. Interea prenotare juvat, jusjurandum, quod hodie episcopi præstant romano antistiti consecratori, illud ipsum esse, quod olim episcopi præstabant metropolitanis, cum a metropolitanis ordinabantur, quamquam pro modo temporum, locorum, et caussarum modo quædam veteri formulæ adjici, modo detrahi debuerunt, argumento capituli 4, de jurejur. Olim nemo ignorat, a metropolitanis consecrari consuevisse antistites suffraganeos; tempore consecrationis multa pollicitos fuisse episcopos consecratori metropolitano, atque inter cetera, se sine metropolitani consensu res ecclesiæ suæ præsertim magis conspicuas non

alienaturos, quod quidem consonat vetustissimæ disciplinæ a me modo indicatæ. Facile hinc fuit, novam recipere consuetudinem, qua episcopi alienaturi confugiant ad apostolicam sedem, eodem modo, quo hodie episcopi solent certis temporibus limina apostolica visitare, propterea quod hodie id spondeant consecratori pont. max. quando tamen olim, cum episcopi consecrarentur a metropolitanis spondebant metropolitanis consecratoribus, se visitaturos identidem ecclesiam metropolitanam, seu, quod idem erat, ad provinciale concilium accessuros. Hæc cum ita sint, duo facile colliguntur. Primum est, recentem hanc consuetudinem non alienandi inconsulta apostolica sede ex immutata disciplina consecrationis episcopalis, seu ex reservatione episcopalis ordinationis pontifici maximo facta, originem duxisse. Alterum est, eam consuetudinem, quousque aliud in medium non proferatur, locum non habere, quibus in locis consecratio episcopi non pendet ab apostolica sede. Formula jurisjurandi hæc est juxta pontificale romanum: *Possessiones ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu capituli ecclesiæ meæ inconsulto romano pontifice; et si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas, eo ipso incurrere volo.* Ut mihi videtur, singularis est hæc jurisjurandi formula, et spectat tantum bona episcopalis mensæ; de bonis, quæ ad mensam episcopalem non pertinent, nihil dicitur. Deinde notatu dignum est, in hac formula profiteri episcopum, se, si contra jusjurandum veniat, incursurum in pœnas contentas *in quadam super hoc edita constitutione.* Quid sibi vult hæc indefinita putatio? Quid non specialis constitutio nominatur, sed dicitur incerta, minus nota, seu *quædam* constitutio? Pandamus difficultates, easdemque si fieri potest, enodemus. Passim hujus constitutionis nomine intelligitur constitutio Paulli II, in estrav. un de reb. eccles. non alien. Hæc constitutio est, quam pragmatici passim prædicant, quæ per ora omnium volitat, quando de alienatione rerum ecclesiasticarum agitur. Hæc illa constitutio est, in cujus conspectu offusæ sunt tenebræ, et variis involucris tecta sunt multa. Hæc illa constitutio est quæ postremo loco hic est exhibenda.

Tres habet nova hæc paullina constitutio partes, præfationem, prohibitionem, sanctionemque pœnalem. In præfatione profitetur Paulus, se occurrere velle abusibus, quibus ecclesiarum, monasteriorum, piorum locorum rectores bona ecclesiastica, aut religiosa profanis usibus applicabant, aut usurpabant; quæ sane indicant, eo intentum fuisse pontificis animum, quo curaretur, ut bona illa nunquam profana fierent, proindeque non cogitasse illum de contractibus, aut pactis, in quibus mutua ecclesiarum invicem paciscentium utilitas versaretur. In prohibitione statuit Paulus, ne eædem res, ac bona distrahentur, transferrentur, hypothecæ subjicerentur, locarentur ultra triennium, concederentur in feudum, vel in emphyteusim, præterquam in casibus ab jure permissis, ac de rebus, et bonis ab antiquo in emphyteusim concedi solitis, et tunc cum ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus et bonis, quæ servando servari non possunt, prædecessorum constitutionibus, prohibitionibus, et decretis aliis super hoc editis, quæ innovare se dixit, in suo nihilominus robore permansuris. In sanctione pœnalis decrevit Paulus, primo, ut alienatio contra eam constitutionem facta nullius momenti sit, et bona distracta ad ecclesiam, aut ad locum religiosum revertantur; secundo, ut tam alienans, quam is, in quem bona alienata fuerint, sententiam excommunicationis incurrat; tertio, ut alienanti inconsulto romano pontifice, aut contra hujus constitutionis tenorem, si episcopali, aut abbatiali fulgeat dignitate, ingressus ecclesiæ sit penitus interdictus, et, si per sex menses pervicax in interdictio perseveraverit, a regimine et administratione ecclesiæ, aut monasterii sit omnino ipso jure suspensus: Quod si de inferioribus prælatis, aut beneficiariis quibuscumque, aut commendatariis agatur, eo ipso a beneficiis, quæ possident, vel administrationibus cadant, quæ beneficia et administrationes, ac si vacent, libere ab eo, ad quem pertinet, conferantur. Ab expendendam hanc constitutionem incredibile dictu est, quæ, et quanta commenti pragmatici fuerint, modo clarius species ibidem propositas explicaturi, modo eam ad species minima designatas extendentes, modo ejusdem generales formulas ad certos tantum casus contrahentes, nescio, an ubique auctoris mentem fuerint consecuti. Quid amplius dicam, quando ipsi sibi in stabiliendis principiis contradixisse deprehenduntur? Unde fluxit, rem hanc hodie ex usu potius, et receptis moribus regi, quam verbis, et germana interpretatione constitutionis, quod fateri ipsimet pragmatici debuerunt. Infinitus essem, si scriptores materiam hanc variis nexibus intricantes recenserem: duos tantum laudabo, Barbosam et Antonellum, quorum prior in allegat. 95, de offic. episc. num. 55, postquam tradidit, sine ea solemnitate posse invicem permutari bona ecclesiarum, subjecit num. 57, *in praxi servari contrarium*; et posterior in lib. 1, de regimine ecclesiæ episcopalis cap. 8, § 3, postquam in eadem specie idem se sentire professus fuerit, non dubitavit adjicere; *quidquid sit, de jure, contrarium in praxi servari.* Dabo paucis contractas illorum fere omnium interpretatiores. In eo in primis constitutio-

nem explicaverunt, quod etiam de mobilibus pretiosis conceptam integram constitutionem voluerint. Neque ego in hoc repugno, quoniam de iis expressa mentio saltem in præfatione habetur. Sed quoties deliberandum est, an exceptio admittenda sit, ceteroquin a pragmatici eisdem probata, nimirum non comprehendi casum, quo ad reparandam, instaurandamve ecclesiam pretiosa mobilia sint distrahenda, quando alios quoscumque casus, utut quæ gravet, forte etiam graviores, comprehendi generali interdicto scripserunt, merito postularem dissimilitudinis caussas, ubi Paulus ne verbum quidem habet de singulari proposita exceptione. Insuper ubi de contractu emphyteutico sermo habetur, tradiderunt, ad hunc tantummodo actum referri illa verba, *præterquam in casibus ab jure permissis, ac de rebus et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, et tunc cum ecclesiarum evidenti utilitate*; quamobrem dixerunt, tria omnino requiri ad emphyteusim libere a prælato faciendam; primum, ut si casus ab jure permissus; alterum, ut res ea sit, quæ in emphyteusim dari consueverit; postremum, ut hæc fiat cum evidenti ecclesiæ utilitate; imo et his duo alia adjecerunt; primum, ut forma præcedentium concessionum in concessione nova minime varietur in detrimentum ecclesiæ; deinde, ut res concedi in emphyteusim solita, necdum sit inter bona ecclesiæ, uti loquuntur, incorporata, sive in censum relata, ac descripta, de quibus duabus adjectionibus altum est in paullina constitutione silentium. Si verba illa, *præterquam in casibus ab jure permissis* ad solam emphyteusis speciem sunt referenda, pragmaticos rogo, ut indicent, quomodo non sint ea verba prorsus inutilia, etenim in subsequentibus conditionibus, *ac de rebus, et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, et tunc, etc.*, designatur casus jure permissus, extra quem nulla emphyteusis concessio fieri potest, quando verum est, quemadmodum et ipsi tradunt, tres illas conditiones simul et una requiri. Præterea cum de assensu romani pontificis mentio fiat in constitutione, statuerunt, ut præcedere alienationem debeat, non subsequi, quasi formam contractui det, non locum teneat veteris solemnitatis consensus capituli, qui parum intererat, an alienationem faciendam præcederet, an succederet factæ, cap. 3, de his, quæ fiunt a præl., quamquam non ignoro, traditum esse a pluribus, alienantem sub conditione impetrandi, obtinendique consensum apostolicæ sædis, interea esse a pœnis constitutionis immunem, dummodo ab alienante interea nihil juris, ne per clausulam quidem constituti, recedat. Item ubi devenerunt ad expendendam pœnam legi adjectam, qua fit, ut alienatio contra constitutionem facta irrita habeatur, et bona ad ecclesiam revertantur, addiderunt, non solum id intelligendum esse de rebus ipsis distractis, sed et de earum fructibus, non a die motæ litis, sed a die alienationis item addiderunt, pœnam illam esse inductam unius ecclesiæ gratia, nihilque prodesse posse iis, qui rex ex alienatione possideant, eamque ob rem possessorem allegare non posse irritam alienationem, si forte damnum senserit, data dumtaxat ecclesiæ facultate, rem distractam repetendi, si ecclesia detrimentum sensisse proponat. Non hic substiterunt pragmatici, sed constitutionem ipsam ad quosdam casus ibidem non expressos extenderunt, in eo primum, ut locum habeat prohibitio, etiam cum de ecclesia in ecclesiam, de monasterio in monasterium, de religioso loco in locum religiosum alienatio fiat, contra quam Paullus II, in præfatione suadere videatur; secundo extenderunt in eo, ut abolitas omnino voluerint veterum solemnitates, nec amplius alienatio admittatur ex necessitate, vel maxime utilitate ecclesiæ facta, et communi totius capituli consensione comprobata, quando conjici adhuc posset, aliud visum fuisse Paullus II, seu cum præfatus est, ambitiosæ cupiditati illorum occurrere voluisse, qui cum maximo detrimento divini cultus sibi ecclesiarum bona usurpant, seu cum exceptionem adjecit; *præterquam in casibus ab jure permissis*, seu cum testatus est, se *decreta alia in eadem re olim edita renovasse, in suo nihilominus robore permansura*, seu denique cum in sanctione pœnali conclusit, puniri illos, qui alienavissent, non præcise quidem romano pontifice inconsulto, sed *inconsulto romano pontifice; aut contra constitutionis tenorem*; et quando in præcedentibus verbis nihil de consensus papæ necessitate dicitur, levissimæ sunt conjecturæ, quibus deducatur, abolitas inde esse solemnitates a priscis vigliantissimis patribus excogitatas, inventas, et longa sæculorum serie confirmatas; neque enim, ut ait Gregorius IX, in cap. 57, de elect., credendum est, romanum pontificem, qui jura tuetur, quod alias excogitatum est multis vigiliis, et inventum, uno verbo subvertere voluisse: jungatur lex. 35, cod. de inoffic. testam. Tertio extenderunt in eo, ut sublatam dixerint facultatem expresse a canonibus factam prælatis, concedendi, uti superius observandum fuit, portionem aut centesimam ecclesiis, aut quinquagesimam monasteriis, juxta canonem 74, cau. 12, qu. 2, juncto c. 9, de donat., et c. 9, de his, quæ fiunt a præl., quando tamen Paullus constitutioni suæ exceptionem adjecit, *præterquam in casibus ab jure permissis*, eo etiam adjecto, ut *prisca decreta in suo nihilominus robore permanerent*. Quarto etiam extenderunt in eo, ut traderent, prælatos sine consensu sedis apostolicæ non posse arbores cædere, excepta

sylva cædua, cujus respectu incisio arborum, dummodo tempestive fiat, et sine fraude, in fructu est. Non minore usi fuerunt libertate pragmatici in constitutione contrahenda: et primo a constitutione exceptum voluerunt casum, quo agatur de re exigua, eaque inculta, et longe posita (quænam res exigua dicatur, multi ex iis indicant, determinantes valorem aureorum viginti, multi amplius quidquam, aut minus, omnes sane suæ voluntati confisi, unde probabilior videtur opinio illorum, qui quantitatem arbitrio judicis designandam scripserunt argumento 10, capituli 4, de offic. jud. deleg. et l. 1, in fine de jure deliber.) Si quæramus, quibus argumentis hanc exceptionem probaverint, primum respondent Paullum II, excepisse casus in jure permissos, ibi: *præterquam in casibus ab jure permissis*, deinde exhibent canonem 53, cau. 12, qu. 2, quo ea facultas expresse probatur. Diluant hæc emblemata, quibus se ipsos involvunt, pragmatici iidem, quando, uti superius observabam, verba illa *præter quam in casibus ab jure permissis*, ad unum emphyteusis contractum pertinere definiverunt, nunc vero mutata sententia ad alienationem rerum exiguarum referunt; imo et abutuntur dicto canone 53, in quo nullum extat hujus exceptionis fundamentum; tantum enim ibidem decretum adparet, posse episcopum terrulas et vineolas exiguas sine concilio fratrum, idest comprovincialium episcoporum, necessitate urgente alienare; quemadmodum insuper habita gratianea lectione, utpote depravata, superios agathensem canonem interpretatus sum quod, sane nihil commune habet cum hac ipsa quæstione, in qua agitur de auctoritate romani antistitis in præbendo consensu alienationi, quasi pontificis consensus hodie locum teneat solemnitatis ordinariæ, quæ ex jure communi consistit in consensu capituli. Aliam exceptionem collocaverunt pragmatici in ea specie, in qua necessitas alienationis urgeat, nec facile possit ad sedem apostolicam recursus haberi. Inest hæc exceptio positivis legibus universis, in qua propterea nihil singulare adnotandum occurrit. Tertia exceptio fit, si de re agatur, quæ necessario, seu ex juris præcepto sit alienanda, uti contingit in ea specie, qua ecclesia heres instituta legato, seu fidei commisso gravetur; tunc enim libere rem legatam transferet, et fidei commissam alienabit, argumento legis 13. ff. famil. ercisc., item in ea specie, qua monasterium adquirendo incapax, bona immobilia adquirat ad effectum vendendi, et pecunia inde redacta utendi, cap. 3, vers. *ad hæc quia fratribus* de verb. sign. 6. Non contradico: tantum adnoto, vix nomine tenus has alienationes dici posse; cum in utraque specie res vere quæsita ecclesiæ, vel monasterio non intelligatur. Quarta exceptio verbis ejusdem constitutionis probatur nimirum de rebus mobilibus non prætiosis, et quæ servando servari non possunt, potissimum autem quæ usu consumuntur, argumento l. 22, cod. de admin. tutor., et leg. ult. cod. quando decreto opus non est. Quintam adjiciunt exceptionem, ubi agatur de infeudatione rei, quæ sit infeudari solita, in qua idem dicunt recipiendum, quod in emphyteusi recipitur, uti superius traditum est, argumento cap. 2, de feudis. Verum arbitraria isthæc a similibus argumentatio percipi a me, ut candide fatear, nequit; quando iidem pragmatici verba *præterquam in casibus ab jure permissis* ad solam emphyteusim coërcent, nunc vero etiam ad infeudationem protendunt, voluntque, adhuc hodie manere integram disciplinam capituli 2, de feudis, e contrario abolitum capitulum 9, de donation. capitulum 9, de his, quæ fiunt a præl. et canonem 74, cau. 12, qu. 2, quasi, quæ sibi placeant, admittere conentur, rejicere pro lubito, quæ displiceant. Addunt sextam exceptionem in hypotheca generali, ajentes, nomine hypothecæ a Paullo II, interdictæ specialem tantum venire, argumento capituli 5, de reb. eccl. non alien. in quo de hypotheca duntaxat speciali fit mentio. At in conspectu paullinæ constitutionis, nemo dicet, eas tantum prohibitas fuisse alienationum species, quæ in veteribus canonibus, et in dicto cap. 5, prohibentur. Simplex hypothecæ nomen a Paullo usurpatum et generalem et specialem comprehendit, nam etiam per hypothecam generalem via sternitur an dominii translationem, tum nimirum, cum debito satis non fiat. Et quidem pragmatici id ipsi agnoverunt, proindeque modum adjicientes interpretationi suæ, ad fructus tantum bonorum generali hypothecæ subjectorum vim constitutæ generalis hypothecæ retulerunt, nimirum, ad eum tantum finem, ut creditor fructus nomine ecclesiæ, vel loci religiosi colligat, donec sibi sit satisfactum. At quis in speciali hypoteca non idipsum admitteret? Postremam exceptionem collocaverunt in rebus non quæsitis, sed quærendis; has enim scripserunt ipsi, ex juxta caussa posse etiam specialiter hypothecari, ut contingeret in nova erigenda fabrica obliganda ejus gratia, qui pecuniam ad ædificandum dedit, aut in emendo prædio obligando ejus gratia, qui pecuniam credidit; imo et addiderunt in donatione rei, cujus quidem adquirendæ jus est ecclesiæ quæsitum, non tamen dominium in ecclesiam, vel in locum religiosum translatum est, cessare paullinam constitutionem, quamquam in hac specie dicant, cedentem prælatum adhuc teneri ad indemnem servandam ecclesiam, tantum esse a constitutionis ejusdem pœnis immunem. In tot tantisque præjudicatis opinionibus, quibus paullina extravagans modo explicatur, modo

extenditur, modo coercetur, quid concludemus germanæ disciplinæ studiosi, quando liberi a prejudiciis scriptorum non possumus ad constitutionis interpretationem accedere? Ego sane in hac re candide fateor, me, quid concludam, penitus ignorare; nisi dicam paucis, parendum esse receptis uniuscujusque provinciæ consuetudinibus; etenim scio, in judiciis jus receptum locum sibi præcipuum vindicare; neque novum est, quasdam leges, utut simplicissimas, diu fuisse coërcitas, aut prorogatas. Quod vero iterum difficultatem movet, illud est, disputare etiam pragmaticos, an constitutio recepta ubique fuerit, ubi autem recepta proponatur, an recepta fuerit in omnibus. Hoc ipsum est, quod superius adnotabam, dum traderem, prohibitas quidem esse locationes ad longum tempus; sed longi temporis locationes alicubi dici ad triennium, alicubi ad viginti, alicubi ad decem, alicubi ad triginta annos, quamquam in paullina constitutione expresse decernatur, ne ultra triennium locationes fiant. Hoc ipsum esse suspicor, quod episcopi, cum consecrantur, promittunt, se bona mensæ suæ non alienaturos, et, si alienaverint, sese jurejurando subjiciunt pœnis, *in quadam super hoc edita constitutione contentis*; quadam, inquam, indefinite; quod recipi ex eo potuit, quia licet hæc verba ad paullinam constitutionem referantur, de constitutione tamen agitur non ubique, nec in omnibus suis partibus peræque recepta, quamque propterea non fuit opportunum expresse et specialiter commemorare. Quid ergo? Mea hæc erit sententia, nimirum quæ recepta fuisse adparebunt, persequenda esse; at ubi satis non constat de receptis quibusdam interpretationibus superius commemoratis, conandum esse bono jureconsulto, ut quod fieri possit, omnis controversia ad germanam paullinæ constitutionis interpretationem exigatur, quam puto unumquemque facile consecuturum, si ad ea, quæ hucusque observata fuerunt, accurate respexerit.

CAPUT III.

De juribus et oneribus beneficiariorum, ratione habita fructum, et obventionum, quæ ex beneficiis rediguntur.

Huc referendi sunt tituli 25, 26 et 27, lib. 3.

Quam bene Augustinus ajebat in can. 7, dist. 40, scribens ad Valerium episcopum suum, a quo recens fuerat ad presbyteratus ordinem advocatus et pene compulsus, *nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore* (indicantur hoc in loco ea tempora, quibus ecclesiæ jam cœperant bonis temporalibus abundare) *facilius, et lætius, et hominibus acceptabilius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio si perfunctorie, atque adulatorie res agatur, sed nihil apud Deum miserius, et tristius, et damnabilius; item nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster imperator jubet!* Id plane verius adhuc dici hodie posset, quando ecclesia majoribus bonis affluit, et in hac bonorum copia in varias partes inter varios administros tributa facile gliscere potest avaritia, ambitus et lucri in dies majoris desiderium apud eos, qui plus æquo sibi blandiantur. Quot numero sunt qui clericos beneficiarios beneficiariorum fructuum dominos esse scripserunt? Quot numero, qui hanc opinionem factis, exemplisque confirmant? Ipsa etiam nomina verenda, quæ olim divinis ministeriis tribuebantur, qualia erant nomina muneris, officii, oneris gravissimi et similia, immutata sunt, et, dulci inducto vocabulo *beneficiorum*, evanuerunt; neque aliter beneficium apud eos, qui rerum corticem considerant, intelligitur, quam si commodum extet, honor, utilitas, emolumentum, non aliunde referendum quam ex redactis beneficii fructibus. Siqui adhuc sunt (sunt autem non pauci), qui sanctorum patrum doctrinæ perenni adhærent, isti audire solent rigidiores scholastici, austeri quotidianarum rerum censores, utinam non dicerentur etiam novatores! Ceterum constans est in hac re ecclesiæ disciplina, non tantum dixerim ab apostolica ætate verum etiam a temporibus Christi Domini ad nostra usque sæcula traducta et perpetuo confirmata, juxta quam intelligimus, fructus quidem, et obventiones bonorum ecclesiasticorum erogandos esse in sustentationem clericorum, qui hac tenus caussa hodie beneficiarii appellantur, quod tamen ex usu clericorum eorundem superest, id totum in pias caussas esse erogandum. Neque vero agitur in hac re de certa lege, quam sibimet, veluti conventione quadam mutationibus et vicissitudinibus obnoxia, clerici dixerint, sed potius de jure publico, eo ipso jure, quod fundamentum præbet rebus sacris rite tractandis, quod præsidium est fidei datæ, ac receptæ, pactionibus tuendis inter dantem et accipientem, quod nectit societatem vinculis arctissimis nullo unquam tempore dissolvendis.

Non id melius explicari potest, quam si consideretur, quibus ex caussis per varias temporum revolutiones, et quos ob fines ecclesiæ bona quæsiverint, ex quibus inde facta est inter clericos tributio peculiorum. Modi, quibus ecclesia bona quæsivit, ad hæc summa capita reducuntur. In primis obligatio erat, qua fideles tenebantur alere sacros administros, juxta Domini præceptum in evangelio,

de quo etiam Paullus in suis epistolis meminit. Inde fluxerunt oblationes, et post has successu temporum præstatio decimarum, ac denique loco oblationum et decimarum, certa prædia, quorum designatio in caussa fuit, cur in pluribus provinciis decimæ præstari desierint, quasi prædia exhibendis sacris administris sufficerent. Et quando fideles invicem charitatem mutuam inter se exhibebant, imo et fratrum nomine sese appellabant: ac propterea locupletiores indigentibus sponte occurrerent, non aptior videbatur modus indigentibus occurrendi, quam si et clericorum, et pauperum unum peculium esset, tribuendum in singulos prudentia atque officio episcoporum, qui præsumebantur magis edocti de qualitatibus singulorum, quam sane formam apostoli initio induxerunt, ad præbendum egregium successoribus suis exemplum. Alterum caput erat pia quorundam fidelium liberalitas, sive inter vivos, sive caussa mortis demonstrata. Singulari ratione id contingebat, quoties exempla cathedralium, aut parochialium ecclesiarum, novæ ecclesiæ aut in civitate, aut in pagis, aut etiam in agris construebantur, facta largitione prædiorum, quibus clerici ibidem extra cathedrales et parochiales ecclesias alentur. Quis non videt, in hac specie eam fuisse tradentium mentem, ut, quemadmodum in ecclesiis parochialibus et cathedralibus, bona omnia in pios usus erogabantur, ita et similiter erogarentur in novis ecclesiis erectis extra parochiales et cathedrales, quando novæ istæ ecclesiæ a ceteris et normam et exemplum accipiebant? Neque vero aliter liberalitates testamento, vel codicillis factæ ita aliquando habite fuerunt, ut revocari minime possent, contra quam ferret natura ultimarum voluntatum, quod tamen quandoque receptum fuisse viri eruditi testantur, nisi quod in hac ultimarum voluntatum specie caussa undecumque pia, atque omni favore dignissima versaretur. Tertium caput erat potestas legis. Id eveniebat in duobus casibus, nimirum primo, cum quis clericus esset, et bona patrimonialia haberet, eadem bona vel statim derivabantur in ecclesias, si clericus ecclesiæ remisisset, vel post mortem clerici ecclesiæ adquirebantur, si clericus ab intestato sine legitima successione decessisset, juxta legem unicam cod. theodos. de bonis clericorum, seu legem 20 codicis justin. de episc. et cler. Atque utinam nunquam hanc ob caussam auditæ fuissent querelæ adversus episcopos quorum aliqui ordinabant locupletes pene invitos, ut ecclesia bonis ordinorum ditarent! Adversus querelas hujus generis in ordinatione Piniani presbyteri sese excusavit s. Augustinus in epistola ad Alypium Tagastensem, et in epist. ad Albinam. Alter casus erat, cum pius quicumque testator olim vel hereditatem, vel legatum generaliter pauperibus reliquisset; nondum enim religiosis domibus, idest hospitalibus, in quibus pauperes in communi alerentur, institutis, ecclesiastici administri, præsertim episcopi, pia illa relicta sibi vindicabant, quasi pauperum curam suscepturi, eademque ecclesiasticis bonis ad eundem finem collatis adjungebant, juxta leges Justiniani, nov. 131, cap. 11, juncta l. 28 cod. de episc. et cler. Quis dubitat, in utroque casu, jus sacrorum administrorum vel expressa, vel tacita defunctorum voluntate concessum, nihil aliud esse quam dispensationem vel in caussas ecclesiæ ipsius, vel in caussas pauperum, atque indigentium personarum? Quartum caput erat et caussa donandi, et certus modus donationi adjectus. Quid enim, si pii fideles ita voluntatem suam expresserint, cum ecclesiæ, vel ecclesiasticis administris donarent, ut dicerent, se ideo donare, vel propterea quod per ecclesiasticos administros multa pia opera impletum iri cum effectu sperarent, vel adjecto modo, ut ex donatis certa pia opera implerent, vel fide data, et recepta, ut certis piis operibus satisfieret? Heic est, ubi et caussæ ratio habenda est, et modus adamussim implendus, et data fides debæt paratam executionem habere, præsertim a viris ecclesiasticis, de quibus apud donantes erat magna integritatis fama et existimatio, unde fiducia erat pene secura. At enim multa hac ratione ecclesiis obvenerunt, et maxima pars eorum, quibus hodie adspicimus locupletatas ecclesias. Primæ conspicuæ donationes in ecclesiam collatæ et facto, et legibus Constantini imperatoris post pacem ecclesiæ datam hanc formam habuere. Ita de eodem Constantino scripsit Eusebius in lib. 4 de vita Constantini cap. 28: *Sed præcipue in ecclesias Dei plurima contulit beneficia in alimoniam pauperum et viduarum et pupillorum largiter.* Similiter de suis temporibus testimonium fert Justinianus in lib. 42, § 1, cod. de episc. et cler. ibi: *Nam cum quidem ad sanctissimas accurrant ecclesias, ut eis omnes suas facultates adferant, et derelinquant, ut in pauperes, et egentes, et alios pios usus consumantur.* Idipsum persuasum erat sæculo ecclesiæ nono, quod colligitur ex concilio aquisgranensi I anni 816, cap. 116, ibi: *Fideles namque suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt ecclesiam, ut his et milites Christi alerentur, et ecclesiæ exornarentur, pauperes recrearentur, et captivi pro temporum opportunitate redimerentur.* Suo quoque sæculo ita etiam scribebat Petrus Damiani relatus a Baronio ad annum 1055 numero 2 his verbis: *An ignoras, quia ad hoc ecclesiis prædia conferuntur, ut ex eis pauperes sustententur, indigentes alantur, ut ex eis viduis, atque pupillis subsidium procuretur?* His consonat recentiore adhuc ætate s. Thomæ observatio, ita scribentis in epist. 2

ad Corinth. cap. 12, lect. 5: *Quod principes non dederunt divitias prælatis propter se, sed propter pauperes; et ideo non dederunt eis, sed pauperibus: prælatis autem dantur, tanquam pauperum dispensatoribus.* Denique in hanc rem laudo mediolanense IV concilium anni 1576, cap. 7, ibi: *Memento ejus, quod a sanctissimo patre Ambrosio scriptum est, sua fideles eo animo obtulisse ecclesiæ ministris, ut per eorum manus quorum fidei, atque integritati sua omnia tribuebant, ad pauperes pervenirent.* Vel hæc pauca testimonia quibus posterior ætas consonat primæ, satis luculenter evincunt constantem, et in idem semper collimantem mentem illorum, qui ecclesiæ donaverunt, non simpliciter, sed ob caussam, sed ob finem, sed ob contractam fiduciam futurum, ut res donatæ in pias caussas erogarentur; quorum propterea voluntatem aut frustrari, aut evertere, et perfidia, et iniquitas est. Media ecclesiæ ætate novæ prodierunt donandi caussæ, quarum tamen non est absimilis finis, nec difformis modus. Et quidem vulgare fuit, in testamentis, ac codicillis quædam ecclesiis pro animæ salute relinquere, quod tunc dicebatur *pro anima judicare*; atque hujus judicii singulare etiam erat, ut impuberum legata, et dispositiones piarum caussarum gratia admitterentur, juxta regis Luitprandi constitutiones. Exempla harum largitatum refert Muratorius in antiquitatibus medii ævi dissert. 67. Quid aliud amabo est pro animæ salute donare; quid aliud reges voluerunt, dum hanc etiam facultatem infirmiori ætati concederent, quam piis caussis præsto esse et occurrere? His accedebat voluntas illorum, qui inter varias præliorum vices, quibus media ætas agitabatur, peregre proficiscebantur, atque de incerto belli exitu dubitantes, ut sibi etiam divinum patrocinium conciliarent, ecclesiis donabant. Equidem fateor, inter hos varios fortunæ casus, quibus modo in hunc, modo in illum transferebantur jure belli dominia castrorum, civitatum, ac provinciarum juvantibus præsertim episcopis, qui veluti arbitri populorum erant media ecclesiæ ætate, multa a ducibus, ac militibus in ecclesiam collata fuisse, quasi ad conciliandam benevolentiam et gratiam antistitum, unde factum est ut non prædia modo, sed et castra, urbes, provinciæ ecclesiasticorum præsulum potestati concessæ fuerint. Sed iterum hic emicat donantium voluntas, et finis, qui cum donare ecclesiis, eoque ipso piis caussas favere deprehenderentur, tum in populis exhibebant, se pietate, religione, charitate antecellere, quo populos magis proclives redderent ad fidem et obedientiam in se exhibendam. Quod si formulas inspiciamus, quibus media ecclesiæ ætate utebantur, quicumque ecclesiis donabant, frequens occurrunt apud veteres formulæ illæ, quibus donatores profitebantur, se ideo donare temporalia locis sacris, quod *centuplum in cælis acciperent*, imo *et vitam æternam*, juxta dominicam promissionem. Hujusmodi formulas plures edidit Balutius ad calcem tom. 2 capitularium Francorum. Plane hæc ad evangelii institutiones relata indicant, donatores intellexisse, se pauperibus occurrere, quando in evangelio Dominus spopondit, se ea præmia largiturum iis, qui bona sua pauperibus erogavissent. Ampliora reddidit patrimonia ecclesiarum post sæculum ecclesiæ octavum, quod passim tradi solebat juxta phrasim sacrarum literarum, peccata esse elemosynis redimenda. Quod passim ita tradebatur, ut indicaretur, non solum elemosynam esse certam pœnitentiæ speciem, verum etiam per elemosynas redimi posse quotquot sub pœnitentiæ, et satisfactionis nomine peccatoribus ad ecclesiam conversis sacerdotum præcepto expiationis caussa indicebantur. Quisquis velit memoria recolere ecclesiasticam disciplinam, qualis ex variis ecclesiarum pœnitentialibus fuisse deprehenditur, statim intelliget, pro unoquoque gravi crimine, imo et quandoque etiam pro delicto venia et indulgentia digno, graves pœnitentias per longa annorum curricula peragendas imponi consuevisse. Videbatur hoc jugum quoddam penitus inferendum, quod ut excuterentur, eo fuit rimedio consultum, quo certa pecuniarum præstatione anni pœnitentiæ redimerentur; atque inde factum est, ut quoties multa essent expianda crimina, pro ingenti pecuniarum quantitate, et fundi, et prædia, et castra ipsa ecclesiæ gratia substituerentur. Idque eo magis recipiebatur, quandocumque ageretur de expiatione furtorum, quibus damnum illatum erat in personas incertas; quod enim restitui non commode poterat damnum passis, restitutum censebatur facta ecclesiis donatione. Istud ipsum recipiebatur, ubi de votis elicitis ageretur, quorum implementum durum et asperum voventibus erat: vota hæc ecclesiarum antistites commutabant, quasi a voventibus satis voto fieret, quoties certa bona in pios usus eroganda in ecclesiam conferrent. Ita passim episcopis suadebant omnibus, ita in publicis concionibus, ita in privatis monitis suam sententiam aperiebant. Frustra laborem impenderem in hujus disciplinæ demonstratione cum vulgaria sint, et passim prostent hujus rei monumenta. Hinc factum est, ut bona ecclesiarum dicta sint pretia peccatorum, ac redemtiones, quod sane percipi nequit, nisi ab eo, qui dicat, bona hæc in pios undique usus esse impendenda. Quintum, et postremum caput, quo ecclesiæ locupletatæ sunt, erat accessio, et in dies factum bonorum incrementum. Id evenit ex eo primum quod ecclesiastici administri ex redactis fructibus prædiorum, vel etiam ex uberrima oblationum copia res immobiles et fructife-

ras emerent. Atque hoc in casu cum supponere juvat, pecuniam emitionis caussa erogatam, postquam satisfactum esset piis emergentibus caussis, superfuisse, tum etiam concludere oportet, emta prædia fuisse designata ad satisfaciendum piis eisdem caussis, in quas, pecunia conferri debebat. Deinde id evenit ex eo, quod multi divites clero nomen dabant, et adscripti clericali militiæ cedebant ecclesiæ bono in suo modo simpliciter, et in universum quò liberius Deo servirent, modo retento sibi usufructo, quoad viverent. Atque hac in specie non alia fingi potest donantium ac cedentium voluntas, quam quæ pietate ac religione moveretur. Præterea id et aliquando evenit ex quibusdam pactionibus, quæ fiebant inter ecclesias et dominos certorum prædiorum, et quibus utriusque contrahentis utilitati prospiciebatur; aut veluti cum quis petebat ab ecclesia, ut sibi certa bona ecclesiastica ad certum tempus possidenda, et fruenda precario concederentur, promittenti, ea finito tempore ecclesiæ se restituturum una cum certa quantitate bonorum suorum, quæ dimidiam acceptorum partem saltem æquare debebat, juxta canonem 22 concilii meldensis anni 845; aut veluti cum quis ingentis patrimonii dominus se bonaque sua ecclesiæ commendabat, cedens bona sua ecclesiis, ut ab oneribus suis relevaretur, dummodo eadem bona reciperet ab ecclesia vel feudi, vel emphytheuseos, vel libellariæ nomine, spe data ecclesiæ, ut tandem aliquando pleno jure ad eandem ecclesiam pertinerent. Priore casu de contractu agitur qui proxime accedit ad emtionem venditionem, aut ad permutationem; unde bona de novo ecclesiæ quæsita locum tenent bonorum, quorum interruptus fuit usus in pias caussas, propthereaque sunt in easdem pias caussas ex natura sua, et conventionis qualitate eroganda. Posteriore casu, quando caussa adquirendi fuit singulare patrocinium ab ecclesia præstitutum, et communicatio privilegiorum ecclesiæ competentium; et sive patrocinium ecclesiæ, sive privilegia ab ecclesia communicata fundamentum habent in pietate principum, et religione populorum, nihil proponi potest, quominus eadem bona diversæ naturæ a ceteris bonis ab ecclesia quæsitis esse dicantur. In his omnibus adquirendi, augendive ecclesiastici peculii modis, nihil aliud, ut liquet, adparet, quam finis juvandi pias caussas ex pactis, ac conventionibus, ex fide data ac recepta, ex conditionibus adjectis, sine quibus nihil datum fuisset; sive de expressa voluntate constet, sive tacite, ac vel ea præsumtionibus, vel ex conjecturis voluntas donantium eliciatur; unde fit hæc omnia non juris privati esse, sed jure publico regi, ac propterea nullo contrario facto sacrorum administratorum posse immutari sine nota perfidiæ, fraudis et doli.

Nunc sane ab iis, qui attente, uti decet, commemorata peculii ecclesiastici caussas perpenderint, intelligetur, quare perpetuo, ac constantissime sancti patres modo in conciliis, modo extra concilia monuerant clericos, ne extra pias caussas bona ecclesiarum sibi commissa erogarent; imo et intelliget, acres formulas a patribus eisdem adhibitas non fuisse expressas ex nimio tuendæ disciplinæ zelo, non ex tenaci quadam austeritate sed exactas fuisse ad commutativæ justitiæ leges, illius inquam justitiæ quæ pacta custodit, et semel datam fidem tuetur ac servat. Paucis texam nonnulla, non eo animo, ut in hunc locum traducam, quotquot a sanctis patribus tradita in hac parte fuerint (ea enim amplum volumen implerent); sed eo animo, ut liqueat, nullum unquam fuisse ecclesiæ sæculum, quo non idipsum, et non eisdem formulis hæc traditio proponeretur. Prima ecclesiastici peculii forma in evangelio adparet, de qua ita scribebat Augustinus in can. 17, cau. 12, qu. 1: *Habebat dominus loculos, et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, et aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta.* His consonat Beda l. 4, cap. 12, in Lucam ibi: *Ipse dominus ad informandam ecclesiam suam loculas habuisse legitur, et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, aliisque indigentibus tribuens.* Christi vestigia presserunt apostoli qui oblationes sibi factas in usus indigentium passim convertebant, uti liquet apud S. Lucam in actis, præcipue vero cap. 14, prope finem, ubi legimus, vix fuisse tunc temporis indigentes, propthereaquod apostoli omnibus præsto essent, collatione facta, ac tributione oblationum, quas cum largissime fideles conferebant, tum apostoli nihil recepisse videbantur. Quidquod Paullus apostolus in cap. 8, epist. 2, ad Corinth. divites exhortabatur, ut largi in oblationibus essent? Is erat Paullo animus, ut inde indigentibus per ecclesiasticos administros consuleretur; de Paullo loquor, qui testis est, se labore manuum, unde ipse viveret, sibi plurimum consuluisse, ut facilius pauperibus provideret. Hinc non dubitavit Christianus Lupus tom. 2, scholiorum in canones pag. mihi 1318, ita scribere: *Ecclesiastica bona non solummodo ad clericos, sed etiam ad captivos, peregrinos, orphanos, viduas, quosvis pauperes, stricto, et æquo proportionis jure pertinere, est lucidum dogma apostolorum.* Viri apostolici ab his exemplis minime deflexerunt. Laudò Dionysium Corinthium, qui secundo ecclesiæ sæculo floruit, cujus hæc verba sunt Eusebium lib. 4. histor. eccles. cap. 23: *A principio namque vobis est moris, fratres omnes variis juvare beneficiis, multisque ecclesiis, quæ sunt per diversa terrarum loca, cuncte, quibus indi-*

gent, destinare, singulorum quoque necessitates in omnibus consolari, sed et per metalla fratribus relegatis, quæ usus poscit, præbere. Indicant hæc disciplinam nec recens tunc exortam, nec uno, aut altero loco circumscriptam, sed antiquam, sed perennem, sed communem. Tertio sæculo idipsum in more fuisse testatur Tertullianus in apologetico cap. 39, his verbis: *modicam unusquisque stipem menstrua die, vel, cum velit, si modo velit, vel si modo possit, apponit: nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita sunt pietatis. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque, et pueris, ac puellis re ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis, et siqui in metallis, vel in custodiis duntaxat ex caussa Dei rectæ alumni confessionis suæ sunt.* Quarto ecclesiæ sæculo hinc viri locupletes ecclesiam in easdem caussas ditaverunt, præsertim data eidem ecclesiæ pace; illinc moniti clerici universi, ne alio peculium ecclesiæ diverterent. De Constantini donationibus ita scribit Eusebio in lib. 4, de vita Constantini cap. 28, *sed præcipue in ecclesias Dei plura contulit dona; nunc annonas in alimoniam pauperum, et viduarum, ac pupillorum largiens.* Quænam essent exempla in hanc rem episcoporum, exhibet iterum Eusebius in lib. 10, histor. eccles. cap. 4, de Paullino episcopo Tyriorum, et Socrates lib. 7, histor. ecclesias. cap. 21, de acacio episcopo Amideno. Siqui administri aut desidiæ, aut perfidiæ rei viderentur, præsto erant concilia monitis suis, gravissimisque præceptis, sollicita, ne ea disciplina everteretur, ne data fides violaretur. Hinc in concilio antiocheno, postquam definitum est, penes episcopum esse facultatem dispensandi res ecclesiæ *erga omnes, qui indigent, cum summa reverentia et timore Dei*, subjicitur, etiam de iis episcopum participare posse, *si tamen indiget*, can. 23, cau. 12, qu. 1. At enim ubi tum primum in diem ecclesiæ ditescere cœperunt, visa fuit irrepere in clericos plurimos avaritia, qui ecclesiarum peculia suis, suorumque usibus addicebant. Hinc penes laicos invidiæ subortæ, ad quas avertendas sancti patres passim docebant, se veterum vestigiis perpetuo inhærere. Hinc etiam adversus clericos avaritiæ, ac perfidiæ reos sancti iidem patres stylum exacuerunt, adeo ut nec defuerint, qui adversus episcopo legem sibi dictam transgredientes insurgerent, et literis re ardentibus eosdem continerent. Johannes Chrysostomus homil. 21, in epist. ad Corinth. ita loquebatur: *Ne hos præferamus prætextus, nec existemus esse defensionem, quod ecclesia multa possideat. Quando ejus facultatum videris magnitudinem, cogita etiam inscriptorum pauperum greges, ægrotantium multitudinem, etc. Sumus parati vobis reddere rationem. ecclesia propter vestram paucitatem necesse habet habere, quæ nunc habet... Ipsa autem necesse habet impendere viduarum cœtibus, choris virginum, hospitum adventibus, peregre proficiscentium afflictionibus, eorum, qui sunt in vinculis, calamitatibus, eorum, qui sunt manci, ac mutili, necessitatibus, et aliis hujusmodi caussis.* Quæ orabat Chrysostomus, etiam facto confirmabat: nam *posthæc* (sunt verba Palladii ita de eo scribentis in c. 5) *dispensatoris ecclesiastici scripta relegens, inutilesque ecclesiæ sumtus deprehendens, amputari hoc protinus jubet. Accessit et ad solemnes episcopi sumtus inspiciendos, inveniensque immodicam profusionem, transferri hanc magnificentiam ad infirmorum solatia præcepit, et cum superessent pecuniæ, nova quoque infirmorum receptacula construit.* Eadem erat Augustini sententia, dum responderet Donatistis, improbantibus catholicorum clericorum avaritiam, quasi suis usibus ecclesiarum bona vindicarent, ita scribens in ep. ad Bonifacium comitem, sive in can. 28, cau. 12, qu. 1. *Si autem quæ nobis sufficiunt, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.* His consonat sollicitudo papæ Gelasii in can. 27, cau. 12, qu. 2, jubentis, redditus ecclesiasticos in quatuor partes tribui, quarum prima episcopo, altera clericis, tertia pauperibus, postrema fabricis applicetur. Quam sollicitudinem renovaverunt pro modo variarum diœceseon pontifices alii, et concilia bene multa, can. 25, 26, 28, 29, 30 et 31, cau. 12, q. 2. Hieronymus relatus a Gratiano in can. 71, cau. 12, qu. 2, ita scribebat: *Gloria episcopi est pauperum inopiæ providere; ignominia sacerdotis est, propriis studere divitiis*, et in ep. 9, provocans ad exemplum Nebridii episcopi ajebat: *Quæ vidua non hujus* (Nebridii) *auxilio sustentata est? Quis pupillus in eo non reperit patrem? Totius orientis episcopi ad hunc miserorum preces, et laborantium desideria conferebant. Quidquid ab imperatore poscebat, elemosyna in pauperes, pretium captivorum, misericordia in afflicto erat, unde et ipsi principes libenter præstabant quod non uni sciebant, sed pluribus indulgeri.* Hanc ipsam puto fuisse caussam, quale aliquando Hieronymus acerrime exagitaverit quosdam episcopos, illos nimirum, qui plus æquo sibi indulgerent in administratione peculii ecclesiastici, adeo ut de episcopo hujus generis ita scriberet in cau. 25, dist. 93: *Solus incubat bonis, solus ministerio utitur, solus universæ sibi vindicat, solus partes invadit alienas, solus occidit universos.* His jungendæ sunt acres illæ ac vehementes formulæ, quæ adhibitæ fuerunt

a patribus concilii et vasensis, et agathensis in can. 10 et 11, cau. 13, qu. 2, ubi qui res ecclesiæ sibi usurpant modo *necatores egentium*, modo *necatores pauperum* appellantur. Julianus Pomerius, qui sub finem quinti sæculi floruit, multis demonstravit in libro 2, de vita contemplativa, qualis esset in hac re doctrina ecclesiæ, atque inter cetera in cap. 9, post proposita exempla Paullini et Hilarii arelatensis, ita conclusit: *Unde datur intelligi, quod tales, ac tanti viri, qui volentes esse Christi discipuli, renuntiaverunt omnibus, quæ habebant, et idcirco scientes nihil aliud esse res ecclesiæ nisi vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum, non eas vindicaverunt in usus suos, ut proprias, sed ut commendatas pauperibus diviserunt. Hoc est enim possidendo contemnere, non sibi, sed aliis postulare, non habendi cupiditate ecclesiæ facultates ambire, sed eas pietate subveniendi suscipere.* Hoc monumentum norma fuit aquisgranensi concilio anni 816, ut idipsum definiretur in cap. 35. Quid memorem scriptores sexti ecclesiæ sæculi? Perspicue et palam in conspectu omnium prostant Justiniani monumenta in l. 42, § 1, cod. de episc. et cler. in nov. 65 et 131, cap. 11. Testis ibidem est imperator, non ob aliam caussam bona fuisse ecclesiis donata ex largitate fidelium, quam *ut in pauperes, et egentes, et alios pios usus consumantur*, atque indecorum propterea esse, *episcopos in suum illa conferre lucrum, aut in propriam sobolem, et cognatos impendere*, concilium aurelianense I, anni 511, can 5, expresse monuit episcopos, fructus bonorum ecclesiæ erogari oportere *in reparationibus ecclesiarum, alimoniis sacerdotum, et pauperum, vel redemtionibus captivorum.* Cæsarius arelatensis episcopus pro concione hortabatur populum, ut donaret ecclesiæ, ea persuasione, quod inde peccata redimerentur, patrocinio piarum caussarum clericis commendatarum. Ejus verba sunt in hom. 9, ubi: *Sed tu forte respondes, et dicis: ex eo, quod mihi Deus amplius dederit, quam opus sit, volo filiis et filiabus meis argentum emere, ornamenta pretiosissima comparare; cui ego respondeo: ornamenta quidem emis, sed peccata non redimis: et quia non solum decimæ non sunt nostræ, sed ecclesiæ deputatæ, verum quid quid amplius, quam nobis opus est, a Deo accipimus, pauperibus erogare debemus. Si quod eis deputatum est, nostris cupiditatibus, vel vanitatibus reservamus, quanti pauperes in locis, ubi nos sumus, fame et nuditate mortui fuerint, noverimus, nos rationem de animabus illorum in die judicii reddituros.* Denique non multo postea Gregorius Magnus non solum generaliter tradidit, tribuendos esse in pios usus ecclesiasticos redditus, uti liquet ex can. 29, cau. 12, qu. 2, sed etiam testatus est, in more fuisse apostolicæ sedis, ut cum episcopi ordinarentur, tum eisdem præciperetur, ne aliam administrationis formam inirent, can. 30, cau. 12, qu. 2.

Incidimus hic in ea tempora, sive in mediam ecclesiæ ætatem, qua multorum clericorum vita deflectere cœperat ab antiquis regulis. Conquestus id fuerat in Occidente Hieronymus supra commemoratus: in Oriente autem similiter dolebat Isidorus Pelusiota, qui in lib. 1, epist. 1, conferens suæ ætatis clericos cum antiquioribus ita scribebat. *Tunc virtute prædíti sacerdotia admovebantur, nunc avari. et pecuniæ cupidi. Tunc imperia dignitatesque ob rei magnitudinem, defugiebant, ut Nazianzenus, Crysostomus, et alii. nunc vero sponte assumunt ob deliciarum copiam, atque invadunt. Recidisse jam sacerdoti dignitatem, ac regnandi cupiditatem adparet, ab humilitate ad superbiam, ab jejunio ad delicias prolapsam, a dispensatione denique ad dominium venisse. Non enim ut dispensatores administrare rem volunt, sed ut domini sibi propria vindicant.* En primam originem novarum opinionum apud clericos obortarum, qui cogitale cœperunt de dominio vindicandum oblationum sacrarum, atque hinc misere collabi visa est disciplina clericalis, adeo ut venditiones emtiones sacrorum munerum eam ob caussam facile fierent, cujus rei caussa plurimum adlaborare debuerunt sancti et vigilantissimi plures antistites, ut hanc luem ab ecclesia detergerent, uti liquet ex conciliis præsertim illius ætatis usque ad sæculum duodecimum. Interea nullum aptius remedium excogitari potuit a viris prudentibus, quam cum curatum est, ut, quibus in locis fieri posset, clerici ad vitam communem ineundam adducerentur. Id sæculo octavo et nono curatum est, et passim clerici communem vitam profitebantur, inde propterea appellati *canonici regulares.* His potissimum a laicis datæ decimæ, ceteris aliquando denegatæ, quia ceteri vix muneri imposito satisfaciebant. Ad rem Christianus Lupus tomo 5, scholior. in canones pag. mihi 191, ita de clericis regularibus adnotavit: *Sanctissima erat istorum clericorum vita, ideoque per ipsos, quam per pagenses præsbiteros visæ sunt decimæ fidelius in pauperes, et ecclesiæ fabricam dispensandæ. Eorum sanctitati creditum fuit totum decimarum onus, et honesta presbyteri alimentatio, et ecclesiasticæ fabricæ reparatio, et cura pauperem et peregrinorum.* Interea gravissime monebantur clerici universi, ne alio diverterent ecclesiæ facultates, uti legimus in concilio rhemensi, cujus fragmentum extat in cap. 14, de pecul. clerici ubi dicitur, *hoc sacrilegium esse, et par crimen Judæ furis, qui sacras oblationes transportabat et furabatur*; uti etiam legimus in concilio romano Eugenii II, seu in can 27,

caus. 12, qu. 1. Commune fuit in hanc rem studium et græcæ et latinæ ecclesiæ, ad disciplinæ labentis reformationem. Apud græcos cum Photius ad conciliandam sibi plurium gratiam bonis ecclesiæ abuteretur, synodus generalis octava definivit, non esse lædendos redditus ecclesiasticos, quos præcipue *ob escam pauperum et peregrinorum sustentationem* datos esse professa est, atque in hac parte renovare se *apostolicos et paternos canones*, quorum violatores deponendos jubet, *ut prævaricatores divinarum legum, et præceptorum*, can. 13, cau. 12, qu. 2. Apud latinos quæ erant tunc temporis dogmata, ea relata sunt in libros capitularium. At enim in lib. 7, can. 375, ita legimus: *Instruendi sunt presbyteri pariterque admonendi, quatenus noverint, decimas, et oblationes, quas a fidelibus accipiunt pauperum et hospitum, et peregrinorum esse stipendia, et non quasi suis, sed quasi commendatis uti debere; de quibus omnibus sciant, se rationem reddituros in conspectu divinæ majestatis, et nisi eas fideliter pauperibus, et his, quibus præmissum est administraverint, condemnationem patiendos.* Et quidem uti his, ita et veteribus monumentis consonabat doctrina concilii aquisgranensis anni 816, cap. 116, his verbis concepta: *Res ecclesiæ, sicut a sanctis patribus traditur, vota sunt fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum. Fideles namque fidei ardore, et Christi amore succensi ob animarum suarum remedium, et cælestis patriæ desiderium, suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt ecclesiam, ut his, et milites Christi alerentur, et ecclesiæ exornarentur, pauperes recrearentur, et captivi pro temporum opportunitate redimerentur. Quapropter vigilanti ac solerti cura providendum est his, qui ejus facultates administrant, ne eas in suos solummodo usus convertant, sed magis juxta possibilitatem rerum Christo famulantium, imo eorum, in quibus Christus pascitur, et vestitur, curam gerere penitus non negligant. Sed et sententia B. Hieronymi non solum prælatis, sed etiam ceteris, qui rebus utantur ecclesiasticis, vigilanter perpendenda est, qui ita in commentario Matthæi evangelistæ ait: Omnes igitur, qui stipe templi et his, quæ conferuntur ad usus ecclesiæ, abutuntur in aliis rebus, quibus suam expleant voluntatem, similes sunt scribarum, et sacerdotum redimentium mendacium, et Salvatoris sanguinem. Ergo res ecclesiæ pauperibus, et militibus Christi stipendiariæ debent intelligi; unde totis nisibus prælatis satagendum est, ut sanctorum patrum dictis, et exemplis obsequentes, de rebus sibi commissis et subditos gubernent, et pauperes foveant, cunctisque utilitatibus, ac necessitatibus ecclesiæ fideliter administrando consulant, etc.* Hæc ipsa vox fuit concilii VI, parisiensis can. 15, ibi: *Quod nulli sacerdotum liceat, res Deo dicatas, sibique commissas, utpote proprias tractare, et ad multifarios secundum libitum suum usus eas detorquere. . . . et licet crescente fidelium devotione copiosissimis, ac munificentissimis eorum liberalitatibus sancta donata sit ecclesia, eumdem tamen usum apostolorum successores in tractandis, ac dispensandis ecclesiasticis rebus se servare debere meminerint.* Hæc ipsa vox fuit concilii III turonensis cap. 16, ibi: *Episcopi maximam curam et sollicitudinem circa pauperes habeant, et res ecclesiasticas caute dispensent, quasi Dei ministri, non quasi turpis lucri sectatores, illisque utantur, non ut propriis, sed ut sibi ad dispensandum commissis.* Hæc ipsa vox fuit aliorum ejusdem temporis conciliorum, scilicet cabilonensis II, can. 6, aquisgranensis II, cap. 2, moguntini anni 847, can. 4, vormaciensis anni 868, can. 7, triburiensis anni 895, can. 13, nannetensis in can. 10, quibus addi possunt Leonis imperatoris numero 2, 12, item epistola hincmari rhemensis ad suos parochos, quibus exhibetur eadem et constans disciplina perpetuo firmata etiam illis sæculis, nonum dico, et decimum, quibus mores in clero fuisse corruptissimos nemo ignorat.

Quis modo dubitet, quin pressius etiam locuti fuerint sæculo undecimo, duodecimo et decimotertio viri ecclesiastici, ubi primum isti corruptam clericalem disciplinam restaurare monitis ac exemplis voluerunt? Emicuit inter primus S. Petrus Damiani, qui passim in suis operibus nihil magis urgere debuisse deprehenditur. Refert Baronius annum 1055, num. 2, ita Damianum scripsisse ad quendam episcopum, quem dissipare bona ecclesiæ noverat: *An ignoras, quia ad hoc ecclesiis prædia conferuntur, ut ex eis pauperes sustententur, indigentes alantur, ut ex eis viduis, atque pupillis subsidium procuretur?* Quod vie religiosissimus ajebat, id et suo exemplo firmabat; hinc legimus de eo apud Bolland. ad diem 23 februar, cap. 8. *Nullus in vestiendis nudis, in reficiendis egenis, in visitandis ægrotis promtior illo potuit esse unquam, turbæ pauperum episcopalia limina quotidie frequentantes.... Ajebat enim, se dominicarum rerum constitutum fore administrum, non dominum, dispensatorem, non possessorem.* Pone secutus est S. Bernardus, qui aperte adoritur passim abusum plurium clericorum a veterum patrum sententia recedentium in hac parte. Longum esset seriem texere hujus generis monumentorum. Refero inter cetera, quæ ipse scribebat in epist. 2, ad Fulconem ibi: *Conceditur ergo tibi, ut, si bene deservis, de altario vivas, non autem, ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, ut indi compares tibi fræna aurea,*

sellas depictas, calcaria deargentata, varia griseaque pellicea a collo, et manibus ornatu purpureo diversificata. Denique quidquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est, etc. Refero quæ scribebat in epist. 42 ad Henricum archiepiscopum Senonensem, ibi: *Clamant nudi, clamant famelici, nostrum est, quod effunditis: nobis crudeliter substrahitur, quod inaditer expenditis.... Nostris necessitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus vestris. Duo denique mala de una prodeunt radice cupiditatis, dum et vos vanitando peritis, et nos spoliando perimitis.* Refero denique, quæ scribebat in sermone 23, in cantica, post medium, ibi: *Timeant clerici, timeant ministri ecclesiæ, qui in terris sanctorum, quas posident, tam iniquagerunt, ut stipendiis, quæ sufficere debeant, minime contenti, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impie, sacrilegeque sibi retineant, et in usus suæ superbiæ, atque luxuriæ victum pauperum consumere non vereantur, duplici profecto iniquitate peccantes, quod et aliena diripiunt, et sacris in suis vanitatibus, et turpitudinibus abutantur.* Omittere hic non debeo collectorem canonum Gratianum, qui ad calcem canonis 27, caus. 12, quæst. 1, ita docebat: *Sicut perfectione charitatis manente, secundum discretionem ecclesiarum distributio fit ecclesiasticarum facultatum dum aliis possessiones hujus ecclesiæ ad dispensandum committuntur, ex quibus, licet res ecclesiæ omnibus debeant esse communes, primum tamen sibi, et suæ ecclesiæ deservientibus necessaria subministret, reliqua quæ supersunt, fidelium usibus ministraturus: ita ut præbendæ ecclesiarum, eadem charitate manente, pie, et religiose possunt distribui, ne tunc rebus ecclesiæ, ut propriis, sed ut communibus utilitatibus deservituris, ut ex his, quæ sibi adsignata sunt, primum sibi necessaria percipiat: si qua vero suis necessitatibus supersunt, in communes usus ecclesiæ expendat.* Excipit hos Petrus Blesensis ita scribens in epist. 15, ad Rainaldum episcopum carnotensem electum: *Si te illius discipulum profiteris, qui venit ministrare, non ministrari, sic ministrabis pauperibus, ut non vituperetur ministerium tuum, ut patrimonium Christi, et pauperum ejus, quod tibi commissum est, in egentium necessitate, non in usus extraordinarios expendatur.* Commemorari etiam debet Arnulphus episcopus Lexoviensis, qui dum anno 1163, sermonem haberet in concilio Turonensi, ita congregatos antistites alloquebatur: *Possumus divitias licite possidere, si tamen earum nos reputaverimus non dominos, sed ministros; si intellexerimus, patrimonium pauperum esse patrimonium Christi, si proventibus ecclesiæ, si pauperum necessitatibus eroganlur. Alioquin fures et latrones nos ratio manifesta convincet, si res alienas invitis dominis nostro præsumserimus arbitrio contrectare.* Similiter Gaufridus abbas clarevallensis, dum plura ex S. Bernardi sententiis una contexeret, hæc inter cetera scribebat § 17, declamationum in illa Evangelii verba: *Ecce nos reliquimus omnia. Sed esto studiose quis et fructuose laboret: dignus plane est operarius mercede sua, ut qui altario servit, de altario vivat, vivat, inquam, de altario, ut juxta eundem apostolum alimenta, et quibus tegatur habens, his contentus sit. Tertium enim hoc periculum est; de altario, inquit, vivat, non superbiat, non luxurietur, denique non ditetur.... non sibi de bonis ecclesiæ ampla palatia fabricet, mutans quadrata rotundis, nec loculos inde congreget, nec in vanitate, aut superfluitate dispergat, non extollat de facultatibus ecclesiæ consanguineos suos, aut neptes (ne filias dixerint) nuptui tradat. Res pauperum non pauperibus dare par sacrilegio crimen esse dignoscitur. Sane patrimonia sunt pauperum facultates ecclesiarum, et sacrilega eis crudelitate surripitur, quidquid sibi ministri, et dispensatores, non utique domini, et possessores ultra victum accipiunt et vestitum.* Adjicio his verba concilii excestrensis in Anglia celebrati anno 1287 can. 18, ibi: *Et licet ecclesiastici quidquid vitæ suæ necessitati eis superfuerit de patrimonio Jesu Christi, in usus pauperum, quorum dispensatores existunt, teneantur ex debito erogare, etc.*

Viri scholastici, qui deinceps nova scribendi disputandique methodo usi, palam proposuerunt, quid veteribus canonibus contineretur, ut labens cleri disciplina totius separaretur, eadem passim principia confirmaverunt. S. Raymundus in Summa lib. 2, tit. 5, de raptoribus et prædonibus § 6, ita scripsit: *Quid de prælatis ecclesiarum, et aliis clericis, qui bona ecclesiastica pauperibus debita consumunt in usus illicitos, videlicet in meretricibus, in histrionibus, consanguineis, potentibus, et divitibus, et similibus, et de his etiam faciunt aliqui testamentum, numquid tales sunt judicandi raptores? Videtur quod sic; quia contrectant rem alienam invito domino; ait enim Hieronymus: quidquid habent clerici, pauperum est; item Augustinus, etc.... Tales, inquam, prælatos, et clericos qui talibus conferunt bona ecclesiastica pauperibus debita, dico esse raptores, et per consequens teneri ad restitutionem.* S. Thomas Aquinas, cum in cap. 12, epist. 2, ad Corinth. lect. 5, sibi objecisset hanc propositionem: *Videtur, quod male fecerint principes et alii, dando divitias prælatis,* ita respondit: *Dicendum est, quod non dederunt prælatis propter se, sed propter pauperes,*

te ideo non dederunt eis, sed pauperibus; *prælatis autem dantur, tanquam pauperum dispensatoribus*. Item in secunda secundæ quæst. 185, art. 7, in corp et ad secundum de clericis ita scribit: *Propriorum bonorum dominium habent..... ecclesiasticorum bonorum sunt dispensatores vel procuratores*. Petrus de Aliaco in lib. 1. de auctorit. eccles. part. 2, apud Gersonium tom. 1, refellit opinionem illorum, qui tunc romano antistiti rerum ecclesiasticarum dominium vindicabant, quamquam meram dispensationem adsererent episcopis, ceterisque inferioribus administris. Ac postquam in eam rem adtulit testimonium Paulli: « Sic nos existimet homo, ut ministros « Christi, et dispensaturos, etc. *ita prosecutus « est*: Cum sit minister, et dispensator bono- « rum communitatis, in quo requiritur bona « fides, non habet collatam sibi potestatem su- « per bonis ipsis, nisi ad necessitatem, vel com- « munem ecclesiæ utilitatem.... Unde ulterius « concluditur, quod si papa pro libito distra- « hat bona ecclesiæ, et non dispenset bona « fide, de jure non tenet, et non solum tene- « tur ad pœnitentiam de peccato, quasi pro- « pter abusum rei, sed infideliter agit, et ad « restitutionem tenetur, si aliunde haberet, « cum sit defraudator rei alienæ. Secus, si « esset dominus, quia in re sua quilibet est « ultimus moderator, et arbiter. » S. Antoninus archiepiscopus Florentinus in 3 partæ summæ theologicæ tit. 15 cap. 1. § 19, ita scribebat: « De bonis, seu fructibus benefi- « ciorum, quæ dant clerici consanguineis, vel « personis turpibus, utrum in dando peccent, « et teneantur ad restitutionem. Super hoc « dicit Raymundus, quod clerici, qui con- « sanguineis potentibus .... bona ecclesiasti- « ca pauperibus debita tribuunt, raptores « sunt quia quidquid clerici habent, pau- « perum est, dicit Hieronymus 16, qu. 1, « can. finali; nam pauperibus debentur; unde « ad restitutionem tenentur pauperibus, vel « in utilitatem ecclesiæ ». Sanctos hosce viros secuti sunt Dionysius Chartusianus in tractatu de vita canonicorum, præsertim art. 24. Estius, ubi expendit in hanc rem caput 5, epistolæ 1, Paulli ad Thimoteum, et alii numero plurimi.

Interea quæ concilia, aut comitia sacra recentioribus sæculis celebrata sunt, idipsum passim sanxerunt. Ita statutum in concilio ravennatensi II, anni 1311, can. 30, in concilio londinensi anni 1342, in concilio burdigalensi anni 1583, in concilio aquensi anni 1585, et in concilio toletano anno 1565. cardinalis Polus pergens in Angliam, ut ibi legatione sedis apostolicæ fungeretur, anno 1566, inter decreta reformationis constituta, hæc habet num. 5: « Ne sumtuum moderatio « avaritiæ tribuatur quidquid ex fructibus ec- « clesiarum, deductis eis, quæ earum oneri- « bus sustinendis, et ipsis, atque ipsorum « familiaribus necessaria sunt, supererit, id « omne, juxta illa, quæ B. Gregorius papa « Augustino episcopo de fructibus ecclesiæ « dispensandis rescripsit, ad pauperes Christi « suscipiendos et alendos, atque in alia pia « opera distribuant, sint patres pauperum, « sint orphanorum, viduarum et oppresso- « rum refugium et tutela ».

Commemorare debeo S. Carolum mediolanensem antistitem, quem refert Giosan lib. 7, cap. 1 exceptum fuisse splendide a quodam episcopo, atque hospiti his verbis respondisse objurgando: « Pauperibus neces- « se est episcopos residua omnia dilargiri ubi « suis ipsi necessitatibus consuluere »; et lib. 8, cap. 25, tradit, familiaria illi hæc dicta fuisse: « Dispensatorem tantummodo esse « episcopum, non dominum rerum ecclesiæ, « ideoque nec arbitratu suo posse eum sum- « tum facere, maxime in sæculi pompas et « delicias; denique expendi ab eo nihil posse, « nisi in utilitates ecclesiæ et Dei cultum. » Porro sanctus hic antistes in concilio mediolanensi I, anni 1564, inter cetera « sub « titulo: Quæ pertinent ad bonorum et ju- « rium ecclesiasticorum conservationem, *ita « decrevit*: Ubi primum ecclesiæ, bona esse « cæperunt; hanc naturam et conditionem « consecuta sunt, ut in alium, quam sacrum « et pium usum eorum fructum converti nefas « esset ... Quamobrem per viscera misericor- « diæ Jesu Christi obtestamur, atque mone- « mus, ut meminerint, ea bona non esse sibi « credita ad luxum, neque ad augendos con- « sanguineos, sed ad vitam honeste, ut fi- « delem Dei ministrum et pietatis christianæ « magistrum decet, traducendam; ex eo vero, « quod supererit, si necessaria pauperibus « alimenta denegarint, intelligant, se, quos « non paverint, occidisse ». Neque omisit adjicere, eos, qui contra fecerint, *sacrilegii esse reos ex sacris canonibus, et SS. Patrum sententia, et eorum omnium necessaria restitutione teneri, neque ulla omnino etiam immemorabili consuetudine excusari*. Quæ omnia confirmabit in concilio mediolanesi IV, inter monitiones, quæ in parte 3, datæ sunt episcopis et clericis universis beneficia possidentibus, ibi: *memores estote ejus, quod a sanctissimo patre Ambrosio scriptum est, sua fideles eo animo obtulisse ecclesiæ ministris, ut per eorum manus, quorum fidei atque integritati summa omnia tribuebant, ab pauperes pervenirent*. Concludam referendo sententiam concilii tridentini. Postquam in eo sess. 22, de reform. cap. 1, statutum fuit generaliter, clericos debere mores suos ad veterum canonum disciplinam componere, et in cap. 11, ejusdem sess. traditum est, ecclesiarum quascumque obventiones *in ministrorum et pauperum necessitates debere con-*

verti : pressius deinde in cap. 1, sess. 25, de reform. episcopis mandatum est, ut in usu rerum modestiam ac frugalitatem servarent; omnino autem interdictum, « ne ex redditi- « bus ecclesiæ consanguineos, familiaresve « suos augere studeant, cum et apostolorum « canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, « quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed, « si pauperes sint, iis ut pauperibus distri- « buant; eas autem non distrahant, nec dis- « sipent illorum caussa; imo, quam maxime « potest, eos S. Synodus monet, ut homnem « humanum hunc erga fratres, nepotes, pro- « pinquosque carnis affectum, unde multo- « rum malorum in ecclesia seminarium extat, « penitus deponant. Quæ vero de episcopis « dicta sunt, eadem non solum in quibuscum- « que beneficia ecclesiastica tam sæcularia, « quam regularia obtinentibus, pro gradus « sui conditione observari, sed et ad s. roma- « næ ecclesiæ cardinales pertinere decernit, « quorum consilio apud sanctissimum roma- « num pontificem cum universalis ecclesiæ ad- « ministratio nitatur, nefas videri potest, non « iis etiam virtutum insignibus, ac vivendi « disciplina eos fulgere, quæ merito omnium « in se oculos convertant.

Paucis multa mihi videor complexus; videbor forte aliquibus nimium, et præter meum scribendi morem in hac parte moratus. Id tamen maxime opportunum esse censui, ut, cum demonstrarem, hanc clericalis administrationis disciplinam perpetuo fuisse in ecclesia probatam, propositam, confirmatam, renovatisque perpetuis legibus adversus corruptos plurium mores vindicatam, tum demonstratum intelligeretur eandem semper fuisse ecclesiæ mentem, nec aliam fuisse recentioribus, aliam vetustis, aliam mediis sæculis opinionem, sive sententiam. Per omnia sane tempora, per omnium æque ecclesiarum statuta sum pervagatus; ubique, et quandocumque idipsum traditum, custoditum, inculcatum invenio. Contrarias consuetudines tanquam corruptelas damnatas intueor; facta clericorum aliter utentium bonis ecclesiarum video detestata. Postremi canones et mediis, et primis respondent: non de subtilitate agitur arcanæ cujusdam philosophiæ, quæ austeritati quorundam temporum imputetur, et quæ parum sit clementiæ, indulgentiæque ac humanitati accommodata; non de summo jure, quod aliter flecti valeat æquitate, sed agitur, de fide fundatoribus et donatoribus data implenda, verius dixerim non frangenda, nec violanda; agitur de damnanda perfidia, de iniquitate evitanda, de ipsa naturali honestate, in qua una est laudatorum canonum, et monumentorum fundamentum Agitur de re, in qua nemo sibi blandiri potest, aut in conspectu quorundam scriptorum avaritiæ velificantium, qui et nuperi sunt, et levissimis ratiunculis innituntur, et se præferunt auctoritati omnium æque temporum atque ecclesiarum. Si prætextu auctoritatis unius, vel alterius scriptoris quis potest ab ea doctrina recedere, quænam erit laxa opinio, quæ certos et patronos, et sectatores habere tuto non possit? Si prætextu consuetudinis aliquorum quis possit semel editos, et millies restauratos canones negligere, quænam erit corruptela morum quæ pro legitima consuetudine ad interitum legum saluberrimarum haberi non queat? Si prætextu versatilis cujusdam, et in transversum ducendæ æquitatis ab eo jure se quisquam recedere posse suadeat sibi; quænam erit iniquitas, que indulgentia, humanitate non protegatur? Si quæ traditio est, quæ perennis sit, quæ constans, quæ perpetua, ab apostolica ætate, dixerim ab ipsis Christi præceptis, et exemplis ad nostra usque tempora æque traducta; hæc ipso profecto est, quam si violare licet, quid erit in ecclesia Dei, quod nequeat violari? At enim lugendum est, multos ad has, quæ ceteroquin ecclesiæ voces sunt, in utramque aurem obdormire; et si quandoque expergefiant, inania veluti tonitrua audiunt iterum dormituri: putant zelum esse ferventiorem; acerbitatem styli, qui potius sacro oratori, quam jureconsulto conveniant; nimium vetustæ restaurandæ disciplinæ studium, illius, inquam, disciplinæ, quam non amplius nostrorum temporum facilitas, ac lenitas patiatur. Si candide mihi liceat aperire, quod sentio paucis dicam, nullum unquam fuisse vitium, quod difficilius eradicari potuerit, aut etiam possit, quam ubi vitium est situm in amore peculii, vitium sane, quod facile, omnis ætas contrahit, nulla deponit, vitium, quod in adolescentia luxum fovet, virorum ambitum nutrit, in senectute avaritiam, tenacitatemque alit; et quamquam sit malorum omnium origo, uti ait Justinianus in novel. 8, in fine principii, quandocumque tamen protegitur sub specie honoris, decoris, quod dignitas adepta postulat, ac sub specie cujusdam sollicitudinis, ac providentiæ debitæ in res familiares, ad perennitatem nominis, ad agnationis splendorem; unde fieri solet, ut in vulgare adagium abierit, quo prædicetur, ut plurimum morientes homines non bona dimittere, sed a bonis dimitti, non exuere, opes, sed opibus exui; tum dimittere, tum exuere, cum tenere non possint. Moralis philosophiæ studiosis hoc argumentum penitius tractandum relinquo: tantum observo, fuisse in clero abusus alios identidem, sed facili ratione deletos unum augendi peculii studium evadere consuevisse conatus sanctorum patrum, modo obsistendo, modo excusationes prætexendo, modo pallia speciosa inducendo; uti evenit in vitio simoniæ, in plurium beneficiorum obtinendorum voluntate, in transla-

tionibus de una in aliam ditiorem ecclesiam et similibus.

Sunt hæc generalia, quæ tamen viam parant ad dirimendas controversias nomullas, quibus agitatis modo effugia, modo prætextus quæsiti sunt ad eludendas saluberrimas leges, si aliter quam decet, eædem controversiæ definiantur. Quæsitum fuit in primis a scholasticis: num beneficiarii impendere debeant in pias caussas ecclesiarum obventiones, ita urgente vera, atque, ut vocant, commutativa justitia, an potius ita suadente charitate, nec defuerunt, qui delinquentes a violatæ justitiæ peccato absolverent. Bone Deus! Num adversus sanctorum patrum dicta, ac traditiones perennes modo a me expositas vis major fieri potest, quam ab iis, qui ita opinantur? Num qui ita scribunt, vel leviter attigerunt modos et caussas, quibus bona ecclesiis fuere quæsita? Demonstratum est evidentibus monumentis, ecclesiarum bona clericorum potius administrationi fuisse concessa, a piis fidelibus ideo data, ut in caussas pias erogarentur, ut pauperum, et miserabilium personarum necessitatibus præsto essent. Hac de caussa veteres antistites apud populum urgebant, ut locupletas bona sua ecclesiis daret: dum donatores conferebant, hanc suam esse mentem profitebantur, quam executioni mandari stipulabantur a clericis, clerici promittebant. Hoc amplius constat, multa non ecclesiis, non clericis donata fuisse, sed pauperibus generaliter, veluti testamentis, aut codicillis: ubi ita legatum esset, tum clericos bonorum possessionem cepisse, fide data ut voluntatem defunctorum ipsi implerent. cujus fidei vades se leges ipsæ publicæ costituerunt. Id totum liquet in cospectu legum Justiniani superius laudatarum, inter ceteras novellæ 131, cap. 11. Hæc fuerunt perennia dicta patrum commemorata, quibus dictum est, ideo fideles donariis auxisse ecclesias, ut pauperes recrearentur, redimerentur captivi, ornarentur templa; quibus dictum est, clericos omnes dispensatores esse, et curatores pauperum, non proprietatem sibi vindicantes, administros esse, non dominos; quibus dictum est furtum admitti, sacrilegium, et vim bonorum raptorum a clericis in alios usus bona sibi commissa impendentibus; quod rem contrectent invito domino, teneri illos ad restitutionem, similes esse Judæ furi. et perfidos deprehendi datæ fidei violatores. Nihil in his ajo quod non exibeatur in testimoniis patrum, quæ hucusque delineabam. Quod si hæc non contineant veræ commutativæ justitiæ præcepta, quid erit, quod huic virtuti adversabitur, et quando contra hanc virtutem delinquetur? Præcepta charitatis laicis æque ac clericis communia sunt, obligant æque et bonorum dominos, ac dispensatores, nihil praeterea singulare clericis immineret, si tantum charitatis regulis impellerentur eo, ut piis causiss præsertim indigentium occurerent.

Altera quæstio est, utrum beneficiarius, cujus providentia tota posita est in fovendis, promovendisque piis caussis, quadam uti possit libertate, qua, prout placuerit, uni potius quam alteri dummodo piæ subveniat, præsertim si omnibus præsto esse nequeat. Hic iterum investiganda occurrit voluntas fundatorum, quicumque ecclesias bonis auxerunt cujus voluntatis quæstio cum lateat utpote voluntatis defunctorum, tum in æstimatione prudentis judicis est, uti scribebat Imperator in l. 7 cod. de fidecommis. definituri, quid ut plurimum intendi a piis fidelibus consueverit. Investigandi itidem erunt canones ecclesiastici, qui mentem aperiunt ecclesiæ in fidem suam recipientis pias fundatorum, ac donantium voluntates. Distinguendæ profecto erunt duæ species: aut enim pia caussa admodum gravis sese offert una cum minus gravi: aut piæ, quæ sese offerunt, caussæ æque graves existunt. Qua tamen in re non puto, premendum adeo esse beneficiarium, ut in libratione, seu collatione caussarum sese continuo torqueat, suamque conscientiam angat, dummodo bona fides adsit, et sincera animi integritas. Itaque ubi una ex piis caussis altera gravior sit; quæ gravior est, hanc præferre oportebit. Si voluntatem fundarum exploramus agnoscimus illam exigi ad regulas pietatis. Porro pietatis leges sunt, ut in cospectu gravioris caussæ levior insuper habeatur; et quamquam qui leviorem præponere in re sua, nihil justitiæ detraheret, non tamen pietatis, quæ mitior est, quæ non stricto jure movetur, sed commiseratione cietur ac concitatur, regulas adamussim sequeretur argumento l. 1 et sequentium ff. de solution. Quod autem fundator, vel donator ex pietate voluit, aut voluisse præsumitur, id executor voluntatis, clericum dico dispensatorem, ex justitiæ legibus debet executioni mandare. Sacri canones id etiam manifeste comprobant; quando scimus in can. 70 et 71, cau. 12, qu. 2, reprehensos fuisse episcopos illos, qui dum pecuniam ecclesiæ erogaturi essent impendebant in vasa sacra, et ornamenta templorum potius, quam in alimenta pauperum et egenorum. Utraque plane causa pia erat; nec alia de caussa reprehensi fuerunt, nisi quod minus gravem minusque urgenteur, graviori atque urgentiori prætulerint. At si caussa æque gravis sit, curare quidem debebit administer, ut quibus omnibus præsto esse possit, occurrat, interea tamen, si omnibus prodesse nequeat, heic libertate sua utetur. *Non enim*, usurpo in hanc rem verba Ulpiani in l. 67, § 1, ff. de legat. 2. *facultas necessariæ electionis propriæ liberalitatis beneficium est. Quid est*

enim, quod de suo videatur reliquisse, qui quod reliquit, omnino reddere debuit? In simili propemodum caussa iterum ajebat Ulpianus in l. 3, § 4, ff. ad Silanianum. *Illud durum est dicere, si cum duobus auxilium ferre non possit, elegit alteri esse auxilio, electione crimen eum contraxisse.*

Hinc profecto strata via est ad definiendam totam, qualis et quantacumque sit, clericorum beneficia possidentium potestatem. Consistit ista in dispensatione fructuum in pias caussas erogandorum. At enim inter istas enumeratur ejusdem clerici beneficiarii caussa, qui propterea debet ex beneficii fructibus exhiberi. Debent beneficiarii in ecclesia, cui addicti sunt, assidue ministrare, abstinere etiam debent a sæcularibus negotiis: quæ sane aut sperari, aut obtineri non possent, si clericus extra ecclesiæ obventiones victum sibi quærere teneretur. Interest ecclesiæ ipsius, interest boni publici, sacræque administrationis, ut inde clericus alatur, ex quo operi hierarchico incumbit. Atque hæc præcepta sunt juris gentium, jure etiam divino espresse firmata; uti enim scribebat Apostolus in prima ad Corinth. cap. 9. *Et Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiat, de evangelio vivere.* Heic tamen est, ubi plura observatione indigent; neque enim ubi clerici certam fructuum portionem percipere queunt, recte judicabunt ibi uti valere se amplissima potestate. Facultas clericis concessa necessitate tenus concluditur, neque eo amplius extenditur, ut vel sibi, vel suis indulgeant. Hinc s. Augustinus in libro de pastoribus, et ovibus cap. 2 nominare non dubitavit *sustentationem necessitatis,* quæ clericis tribuitur ex redditibus ecclesiarum, et ceteri veteres patres similibus formulis usi perpetuo fuerunt, uti liquet præsertim in conspectu canonum 22, 23, cau. 12, qu. 1, et can. 50, cau. 12, qu 2, ac s. Bernardus cum sua ætate nosset ea facultate clericos abuti, tum ita scripsit inter cetera in declamatione in evangelium: *Ecce nos reliquimus omnia* § 16: *Vœ vœ tibi, clerice, mors in olla, mors in ollis carnium, mors in ejusmodi deliciis, non modo quia secus introitum delectationis posita esse cognoscitur, sed ob id maxime, quia constat, populi esse peccata, quæ comedis, sumtus ecclesiasticos habere reputas? Cantando, ut ajunt, bona tibi provenire videntur, sed bonum erat magis fodere, aut etiam mendicare.* Meo judicio nihil aptius in hanc rem apud Gregorium IX paucis tradi potuit, quam cum in ejus collectionem titulus inscriptus est *de peculio* clericorum. Peculium, inquam, appellatum fuit quod clericis administrationis, ac dispensationis caussa conceditur, propterea quod recte peculium dicitur, quod administrantis non est, nisi usu, et administratione tenus, eamque ob rem proprie olim dicebatur de ea pecunia, quæ servis a domino, quæ filiis familias a patre concedebatur, l. 4, § 2, 4 et 5, l. 3, § 5, l. 5, ff. de pecul., pecunia sane, quam administrator non poterat donare, vel perdere, l. 28, § ult, ff. de pactis, l. 7, ff. de donat. cui quidquid adcresceret, id totum aut domino, aut patri cederet, l. 40 et 41 ff. de peculio.

In hanc ipsam rem plures a veteribus editæ fuerunt saluberrimæ sanctiones quibus, cautum fuit, ut ea redditibus ecclesiarum quatuor fierent portiones, quarum una episcopo, altera sacerdotibus, atque administris, tertia reparationibus templorum quarta pauperibus, infirmis, et peregrinantibus cederet, can. 25, 26, 27, 28, 29, 30 et 31, caus. 12, quæst. 2. Mirum tamen est, leges istas ideo proditas, ut clerici, et episcopi ipsi memores essent fidei, religionisque suæ in alium sensum a quibusdam fuisse detortas. Etenim putaverunt aliqui, arithmeticam quandam tributionem fieri oportere collato numero ad numerum, et quantitate ad quantitatem obventionum, ut exinde quarta tota episcopo cederet, quarta administris episcopo inferioribus, duæ aliæ quartæ in celeras pias caussas erogarentur; unde concluserunt, episcopum in quarta sibi debita plenum dominium nancisci, etiamsi esset amplissima, et longe exuberans, quod et de ceteris administris facile tradiderunt. Ego pro certo habeo, in laudatis canonibus, atque aliis non dissimilibus veterum monumentis numero plurimis non arithmeticam tributionem esse designatam, sed geometricam, ita ut monerentur viri ecclesiastici, quatuor esse caussas in quas redditus erogarentur, servato tamen uniuscujusque caussæ modo. Qui enim si facta arithmetica divisione vix ex una redditum quarta clerici ali possent? Actumne erit de alimentis ipsorum, quin aliquid ex ceteris quartis detrahi valeat? Videant ne, qui ita canones explicant, cum clericis beneficiariis favere se profitentur, tum istorum caussam patrocinio suo destituant, aut etiam perdant. Hæc, quam sibi fingunt, arithmetica divitio repugnaret voluntati donantium, qui generaliter voluerunt, fructus omnes in pias caussas luendos esse, uti superius demonstratum est. Hæc ipsa divisio iniqua etiam multis diœcesibus videretur, quasi tantum uni episcopo tributum sit, quantum clericis universis, quantum pauperibus, infirmis et peregrinis quantum sacris ædibus debeatur. Quid vero, si ageretur de diœcesi, in qua sub uno episcopo magnus esset constitutus numerus clericorum? Num in hac specie episcopus unus tantum de redditibus ecclesiæ exhauriet, quantum universi administri? Quid si ageretur de diœcesi, in qua templa omnia nec reparatione indigerent, aut vix etiam cultu quodam majore? Num prætextu quartæ in hanc rem tri-

buendæ, fraus fiet clericis forte subsidio destitutis, et pauperibus inopia pressis, ut in ævum servetur, ac custodiatur pecunia in seram templorum reparationem? Quod si de moribus nostrorum temporum loquimur, postquam præsertim bona ecclesiarum divisa sunt inter clericos discissa communione; ratio harum quartarum ab usu desiit; neque enim beneficiarius quisque quartas istas seponit, et, quod verissimum est, nec a clericis minoribus quarta episcopo datur, nec similis quarta ab episcopo minoribus clericis suppeditatur. Atque incivile esset tertias arithmeticas portiones inducere, quibus factis et episcopi, et clerici universi unam sibi retinerent, alteram pauperibus darent, postremam in reparationem ecclesiarum impenderent: etenim exinde eveniret, ut, qui amplissima beneficia possiderent, adhuc in rei familiaris amplitudine versarentur, e converso, qui tenuia nacti essent, vix aberent, unde necessaria exhaurirent. Hanc ob rem verius est, nihil obesse memoratam fructum partitionem, quominus ea sit fructuum eorundem indoles; ut præter ea quæ sunt beneficiario necessaria, cetera omnino in caussas pias impendantur.

Cum hæc vera sint, statim definitur altera quæstio, quæ proponi potest de fructibus, uti vocant, parsimonialibus. Finge: ad honestam clerici sustentationem, quam vir prudens æstimare jure, et sine fraude posset, requiruntur annua centum: clericus usus singulari parsimonia, ac sobrietate tantum impendit quinquaginta: queritur, utrum clericus idem quinquaginta, quæ supersunt, valeat pro lubitu erogare. Quid dubitandum? Ait Boetius Epo ad c. 42 de testam. n. 47, ita scribens: *Quæcumque supersunt clerico quantumlibet parcenti, nihilominus penes ecclesiam remanere debeant, quia verum semper est, ea intuitu ecclesiæ esse quæsita.* Peculium illud, quod paratum est ad usum clerici necessarium, ecclesiæ est: tum primum fit clerici proprium, cum illud consumit; ex usu ipso ecclesiæ esse definit; quænam superest clerico caussa, ut sibi ipse adquirat, quod revera minime impendit? Recurrit hic memorata peculii similitudo, illius, inquam peculii, quod apud romanos veteres a domino, vel a patre, servo, vel filio concedebatur. De hoc ajebant jureconsulti, nihil esse, quod administratori adquireretur, quacumque ipse usus esset parsimonia. Ita Florentinus in l. 39 ff. de pecul. *Peculium et ex eo consistit, quod parsimonia sua quis paravit.* Mirum in modum ad hanc ipsam definitionem facere potest argumentum a simili, quod deducitur ex lege 137, § *Cum ita* 2, ff de. verb. obligat. Quis stipulatus a Titio fuerat Ephesi dari: quæsitum de tempore, quo dari deberet. Responsum, id bonum virum æstimare oportere, ut, qui Ephesi daturum se spoponderit, neque duplomate diebus, ac noctibus et omni tempestate contemta iter continuari cogatur neque tam delicate progredi debeat, ut reprehensione dignus adpareat, sed habita ratione temporis, ætatis, valetudinis, sexus, cum id agat, ut mature perveniat, idest eodem tempore, quo prelique ejusdem conditionis homines solent pervenire. Pergit jureconsultus: debitor Titius duplomate usus, vel felici navigatione, maturius quam quisque pervenit ephesum: respondet, confestim obligatum esse, *quia in eo, quod tempore, atque facto finitum est nullus est conjecturæ locus.* Utinam æthnici hujus jureconsulti solidam philosophiam sequerentur, qui de proposita quæstione disputant. Sic enim ex eisdem principiis ita dissererent: clerici beneficiarii jus habent alimenta petendi ex redditibus beneficii. Alimentorum quantitas posita est tota in prudentis judicis æstimatione, ut, qui ea percepturus est, neque austerus, neque plus æquo indulgens sibi sit, ut reprehensione dignus adpareat, sed habita ratione temporis, loci, ætatis, conditionis, atque id genus adjunctorum, cum id agat, ut sibi prospiciat, idest eodem modo, quo plerique ejusdem conditionis homines sibi prospicere solent. At si singulari parsimonia usus, facto suo non ita peculium ecclesiasticum imminuerit, quemadmodum alius quisque imminuisset, concluderet nihil amplius ipsi deberi eleganti adjecta ratione, *quia in eo, quod facto finitum est, nullus est conjecturæ locus.*

Amplius progredior perpetuo inhærens doctrinæ sanctorum patrum, et ajo, clericos illos, qui privatum patrimonium possident a peculio ecclesiastico distinctum, istudque necessitatibus suis sufficiens, non posse ex ecclesiastico peculio alimenta percipere. Si veteres ecclesiæ patres consolantur, nemo invenietur, qui huic sententiæ refragetur, multi e converso, qui id aperte tradiderint. Si recentiores scholasticos adeamus, facile reperiemus animorum discissionem, quorum alii in affirmantium, alii in negantium castra descenderunt. Id in hac ipsa sibi proposita disputatione considerans Dionysius Chartusianus in tract. de vita canonicorum art. 24 ita concludere non dubitavit: *Salubrius ac securius creditur, ac paretur dictis sanctorum per quos locutus est spiritus Dei, quam scolasticorum quorundam, qui suo magis, quam expedit, credunt, et nituntur ingenio, auctoritatem sanctorum ad suam retorquentes opinionem.* Paucis dico: Quicumque ex veteribus patribus usque ad sæculum ecclesiæ decimumtertium de ea re scripserunt, ii omnes laudatis finibus clericorum jura concluserunt. Post sæculum decimumtertium scholastici quidam ab eadem doctrina non recesserunt. Siqui recedere voluerunt, novas caussas, quare recederent, non allegaverunt. Ii ipsi non omnium in se

consensionem trahere potuerunt: ii talis non sunt, qui novis institutionibus suis vim legis indere valuerint, eove minus instituta patrum, et formam ecclesiastici peculii immutare. Quid ergo aliud superest, quam ut cum iis consentiamus, qui toti consonant vetustati, cujus maximus est, et esse debet in ecclesia cultus, et auctoritas, ubi præsertim nihil nova lege legitur immutatum? Quicumque contra sentiat, is, si Diis placet, monumentum adferat veterum conciliorum, pontificum, aut patrum, quod suæ opinionis possit esse præsidium: etsi vel unum tantum adtulerit profiteor, me palmam cessurum; adeo mihi persuasum est, ne leve quidem argumentum exinde capi valere. Contra ego profero in primis antiquissimum antiochenum canonem sæculo quarto editum, qui habetur apud Gratianum, in can. 23, cau. 12, qu. 1, et sub nomine canonis apostolici refertur in can. 22 et 24; ead. quæst., editum, inquam, eo tempore, quo universa ecclesiarum bona in manum, potestatemque episcoporum conferebantur, inde in ceteros clericos tribuenda. Ibidem autem ita legitur constitutum: *Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes, qui indigent, cum summa reverentia et timore Dei. Participet autem ipse, quibus indiget si tamen indiget tam in suis, quam in fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis.* Verba illa *si tamen indiget*, perquam cautissime adposita, perspicue indicant, ne episcopum quidem ipsum potuisse participare de redditibus ecclesiæ, nisi revera indigeret seu, quod idem est, nisi privatum patrimonium non possideret. Græcus interpres Zonaras ita notat ad eum canonem: *esse namque penes episcopum res ecclesiasticas administrandi auctoritatem, sed ita esse, ut nequaquam ipsius arbitratu abutendi, verum in usus pauperum conferendi facultas sit, ac sibi etiam retinendi ea, quibus opus habet, necessaria videlicet, sed ea quoque si egeat, hoc est, si inopia laboret.* Adferri in hanc rem posset monumentum Hieronymo tributum apud Gratianum in can. 6, cau. 1, qu. 2, ibi: *Clericos autem illos convenit ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum, et propinquorum nulla suffragantur bona. Qui autem bonis parentum, et opibus suis sustentari possunt, si, quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt, et per abusionem talium judicium sibi manducant et bibunt.* Sed quando hæc in iis, quæ hodie supersunt, Hieronymi monumentis minime reperiuntur, satis mihi erit adnotare, hanc sententiam temporibus Gratiani ita receptam fuisse, ac si etiam a beato Hieronymo esset confirmata. Et revera cum quidam Lupus de Oliveto præpositus generalis monachorum sancti Hieronymi opusculum ediderit, quod professus est ex Hieronymi sententiis una congestis se elucubravisse, eoque nomine Martino V confirmandum obtulerit, inter cetera hæc descripsit sub titulo de paupertate. *Clerici quoque, qui de bonis parentum sustentari possunt, siquid pauperum accipiunt, sacrilegium profecto committunt.* Idem judicium ferendum est de canone ult. cau. 16, qu. 1, tanquam ex eodem fonte depromto. Tutius est Augustini sententiam commemorare, qualis habetur in can. 28, cau. 12, qu. 1 et fusius in can. 3, cau. 23, qu. 7. Sanctus Antistes ibidem perspicue indicabat, qualis esset penes clericos usus bonorum ecclesiæ his verbis: *Quæ tamen, si pauperum compauperes sumus, nostra sunt, et illorum. Si autem privatim, quæ nobis sufficiunt, possidemus non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.* Vir eruditus Julianus Pomerius antiquitate etiam venerabilis, cujus opuscula de vita contemplativa inter opera sancti Prosperi relata fuerunt, istud ipsum non tam tradit quam fusa dissertatione persequitur; unde colligitur hanc fuisse sæculi ecclesiæ quinti, quo vivebat, ecclesiasticorum virorum persuasionem. Monumenta viri eximii habentur apud Gratianum sub nomine sancti Prosperi in can. 7, 8, 9, cau. 1, qu. 2, in can. 13 et 25, cau. 12, qu. 1. Memoratu digna sunt inter cetera, quæ leguntur in lib. 2, de vita contemplativa cap. 9 et 10, ibi: *Quod habet ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune, nec aliquid inde eis, qui sibi de suo sufficiunt, debet erogare, quando nihil aliud sit habentibus erogare, quam perdere. Nec illi, qui sua possidentes, dari aliquid sibi volunt, sine grandi peccato suo unde pauper victurus erat, accipiunt. De clericis quidem dicit Spiritus Sanctus: peccata populi mei comedunt: sed sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt, ita possessores non alimenta, quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt. Ipsi quoque pauperes, si se possunt suis artificiis, aut laboribus expedire, non præsumant, quod debet debilis, aut infirmus accipere, ne forte ecclesia, quæ potest omni solatio destitutis necessaria ministrare, si omnes etiam nihil indigentes accipiant, gravata, illis, quibus debet subvenire non valeat.* Non persequor alia bene multa in hanc rem congesta, quæ unusquisque loco commemorato facile inveniet. Hæc adeo valida et firma habita fuerunt Gratiano collectori, ut in cau. 12, qu. 1 ad calcem canonis 24 concluderet, non aliter permitti clericis sua bona patrimonialia retinere, *quam si retinendo sua a sumtibus ecclesiæ abstineant.* Justinianus quoque in nov. 3 cap. 3, testis est, ecclesiasticos redditus illis tantum debuisse ministrari, *qui*

pro veritate egent, et non habent aliunde alimentorum occasionem. Item laudata Juliani Pomerii verba traducta sunt in capitularia Francorum, quemadmodum liquet ex additione 3 in editione balutiana cap. 113 et 114, unde etiam constat, media ecclesiæ ætate ita passim universis persuasum fuisse. Sed et mediæ ætatis disciplinam alia monumenta confirmant. Laudo Benedictum III papam, qui in epist. 3 ad episcopos Galliarum dum confirmaret privilegia monasterii corbejensis, eosdem episcopos graviter admonebat, ne illius monasterii bona ullo modo, et ne in minima quidem parte sibi vindicarent, his verbis: *Si enim clericorum, qui de propriis abundant redditibus, communicatio prohibetur cum eis, quæ conferentur ecclesiæ ne dum illi acceperint, qui de propriis abundant, eorum, qui nihil habent, inopia non levetur qua conscientia episcopus suæ sumtibus ecclesiæ sufficiens. quæ servorum dei fuerint usibus collata, præsumat contingere? .. Omnia quoque, quæ sunt ecclesiis oblata, vel delegata in pauperum, pupillorum, viduarum, certum est necessitates destinata. Quare quisquis ex his aliquid in suas utilitates exigit, rapinam pauperis in domum suam congestam detinet.* Quorsum profecto gallicanos episcopos continere voluisset Benedictus, ne bona monasteriorum attingerent ex eo, quod qui bona patrimonialia haberent clerici, attingere minime possent bona ecclesiarum; nisi apud omnes tunc in confesso esset, clericos proprium privatumque peculium possidentes ab ecclesiastico peculio abstinere oportere? Laudo insuper Paschalem II pontificem maximum in tractatu confirmato ad normam canonicorum sanctæ Mariæ in portu. Ibi totus est Paschalis, ut viros ecclesiasticos levitis veteribus comparet, qui nimirum cum nihil proprium haberent, tum decimas perciperent. Inter cætera hæc habet: *Utrisque possessio tollitur, terrena facultas interdicitur.... Ex his igitur patenter ostenditur, Christo militantibus clericis fore illicitum, et terrenas facultates tenere et res ecclesiæ sumere; in sæculo patrimonium habere, et ecclesiarum portionem suscipere*: refertur id apud Gerohum præpositum reichspergensem in psalmum 64 vers. 12. Hac occasione nec omitto recensere quod ibidem tradit laudatus Gerohus ita scribens de vita comuni clericorum: *In qua solis illis, quos necessitas aut voluntas pauperes facit, stipendium competens, prout cuique opus est, ordinatur.... Quid vero turbidius eo, quo precipitur, ut in una eademque congregatione his, qui multa sua possidendo divitiis adfluunt, et his qui nihil vel parum habendo pauperes sunt æqualia dentur stipendia?... Pensata singulorum indigentia, prout cuique opus est, in hujusmodi habenda est cautissima differentia.* Et post multa: *Si enim docente propheta, væ his, qui conjungunt domum, vel agrum sæcularem domus, vel agro sæculari, cupiditate avaritiæ, quanto magis, qui contra interdicta legis divinæ domui, vel agro proprietatis suæ unde sibi sufficienter abundant, jungere audent domum, vel agrum, unde pauperes nihil habentes, et Deo expedite servientes debent vivere?* His omnibus addi potest concilium aquisgranense anno 816, in quo in can. 107 et 120, renovata fuerunt, quæ superius ex veterum patrum sententiis colligebam. In conspectu patrum ecclesiasticorum, quorum sententia et perpetua fuit, et constans, quinam erunt scholastici illi recentiores, qui se tantis viris opponant redarguendo doctrinam, et qua fronte, quæ non alia esset, quam novatorum, tradent, clericos privata peculia possidentes, posse de ecclesiastico peculio vivere? Sanius sapiunt scholastici illi, qui patribus adhærere perrexerunt, ex quibus duos laudo, nimirum Dionysium chartusianum et Æstium. Dionysius in tratatu de vita canonicorum num. 24 ita scribit: *Quamvis ergo de proposita questione quidam dicant scholastici posse id licite fieri, consultius tamen credendum et standum est verbis Hieronymi et Bernardi, imo et summi pontificis, beatique Prosperi. Ait enim Damasus papa: Qui bonis parentum sustentari possunt, si accipiant quod pauperum est sacrilegium incurrunt.... Horum itaque patrum setentiis statur securius, quam aliorum aliter opinantium.* Æstius expendens verba Paulli I ad Timoth. cap. 5, ubi monebat apostolus, ut cura haberetur viduarum, quæ vere viduæ sunt, ita scribebat: *Locus iste notari potest adversus eos; qui cum de suo satis habent, unde vivant, ecclesiasticis beneficiis impinguantur; aut qui uno beneficio, quod ad honestam sustentationem valeat, non contenti, plura accumulant. Nam si fidelis habens viduas, subministrare iis jubetur, ut iis, quæ vere viduæ sunt alendis ecclesia sufficiat, quanto magis qui vel patrimonium, vel unum habent ecclesiasticum beneficium, ex quo sufficienter ali possint, abstinere debent a gravanda ecclesia, quo plures ministros alere queat, per quos divina celebrantur officia, et christiani populi salus procuretur?*

Forte videbor aliquibus rem hanc fusiore oratione persecutus. At enim non aliter decet rem agere, in qua multitudo contra opinantium magna est; nec potui satis in aperto omnia collocare, quin et titulos universos, quibus bona ecclesia quæsiverit, late expenderem, et monumenta sanctorum patrum plurima recenserem ad indicandum, et quid recta ratio suadet, et quid perennis traditio docuerit. Nondum tamen recedo quousque non faciam satis illis argumentis, quæ contra adferri solent. Pauca ista sunt, et speciem potius argumenti habent, quam

firmitatem. Ajunt in primis, qui contra sentiunt, ecclesiasticos administros certam sibi operis sui mercedem lucrari; nec verentur dicere, oblationes ecclesiasticas sacerdotibus datas pretium esse impensi laboris. Amplius adjiciunt, hanc esse apostoli Paulli doctrinam, qui in cap. 9. epist. 1. ad Corinth. tradit, *Neminem suis stipendiis militare, eum, qui plantat vineam, de fructu ejus edere; eum, qui pascit gregem, de lacte gregis manducare; non alligandum esse os bovi trituranti; eos, qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edere, et qui altari deserviunt, cum altari participare; denique, dominum ordinavisse ut, qui evangelium annuntiant, de evangelio viverent.* Congerunt verba Paulli in epist. 1 ad Timoth., cap. 5, ubi similia leguntur, adjecta generali formula: *dius est operarius mercede sua.* Miror profecto, singula hæc iterum, atque iterum reponi, postquam a sanctis ecclesiæ patribus, atque ab aliis qui patrum vestigia secuti fuere, abunde discussa atque elisa fuerunt. In primis maxime indignum est dicere, evangelicum opus, quale est clericale ministerium, pretio appendi, ac mercede in pactionem deducta exerceri; hoc enim admisso, quid erit a labe simoniæ immune? deinde prava est illa sacrarum literarum interpretatio, quæ non talis sit, qualem perpetua indidit traditio patrum. Præterea, frustra clerici fructum laborum suorum a Deo expectarent, si peculium temporale tanquam laboris sui pretium, et mercedem haberent. Denique cum ad apostolorum, imo et veterum levitarum exempla provocant, non satis perpendisse videntur, quales apostoli, quales veteres levitæ fuerint; nimirum apostoli omnia sua dimiserant; ac levitæ veteres nihil possidere poterant. Quod cum consideretur, tum intelligetur etiam, clericos posse sibi exemplo apostolorum et levitarum vindicare oblationum portionem ad sustentationem sui, quando exemplo apostolorum et levitarum nihil proprium habeant. Nihil in hanc rem trado, quod non jam traditum fuit a sanctis patribus, a pontificibus maximis, atque a viris illustribus, pietate ac doctrina egregie commendandis. S. Agustinus in lib. de pastoribus et ovibus cap. 2, ita scribit: *Non redditur sustentatio necessitatis a populo quasi merces illis, qui sibi in charitate, serviunt sed tanquam stipendium, quo, ut possint laborare, pascantur.* Idipsum scribebat Julianus Pomerius in lib. 2 de vita contemplativa, cap. 10. ibi: *Qui ecclesiæ serviunt, et labori suo veluti debita reddi oportere credentes, ea, quibus opus non habent, aut accipunt libenter, aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt, si putant, quod ecclesiæ fideliter servientes stipendia terrena, ac non potius præmia æterna accipiant. Sæcularis quippe militia, quia cælestia non habet, terrena strenue militantibus præstat unde satis indignum est, si fidelis et operosa devotio clericorum propter stipendium temporale præmia sempiterna contemnat. Quod si quilibet minister ecclesiæ non habet, unde vivat, non ei præmium reddit heic, sed necessaria præstat ecclesia, ut in futurum praemium laboris sui recipiat.* Similia etiam tradidit Paschalis II apud Gerohum supra commemoratus, imo et Gerohus idem in laudata enarratione in psalmum 64. Digna sunt quæ hoc in loco recenseatur, quæ notabat Æstius in epist. 1 ad Timoth., cap. 5 ad interpretationem verborum Paulli, quibus abutuntur, qui contra opinantur. Ait ipse: « Neque significat apostolus « hac parte, subsidium temporale habere ra« tionem mercedis, quam prædicator evange« licus pro labore et opere suo recipiat; id « enim esset vendere evangelium, quod gratis « debet annunciari. Sed sensus apostoli est, « sicut operarius dignus est mercede, unde « vivat, ita et evangelii ministrum dignum « esse honorario subsidio, unde sustentetur. « Tantum enim in hac comparatione specta« tur sustentatio operanti debita unde et « Cristus Matthæi 10 eandem sententiam adse« rens pro mercede cibum nominavit: dignus « est, inquit, operarius cibo suo. »

Insuper illud objici solet, aliquando in sacris canonibus pœnam infligi in clericos desides, qua fructus beneficiorum *suos* non faciunt, ceu cum de clericis non residentibus agitur, uti in cap. unic. de cler. non resid. in 6, et in concilio tridentino sess. 24, de reform. cap. 12. Ergo e converso concludunt, *suos* faciunt fructus, et ipsorum *dominium adquirunt*, quoties clerici beneficiarii satis muneri faciant. Hanc argumenti speciem jam elevavit Panormitanus ad capitulum 10, de testament., et cum eo alii viri præstantes. Observarunt ipsi, verum fructuum dominium penes ecclesiam, et pias caussas existere; administrationem et dispensationem eorundem esse penes clericum; item amministrandi et dispensandi modum ita temperandum, ut clericus exinde quibus indigeat, utatur, reliquis in pias caussas impendendis. Hinc ubi clerici rite munere suo fungantur, tunc et administrationem et dispensationem habent, et sibi necessaria vindicant, et jure suo reliqua in pias caussas pro arbitrio impendunt; ubi vero desides sint, ac non resideant, tunc administratione omni, ac dispensatione carent, imo nec sibi vindicant ea, quibus indigent, et quæ alias jure sibi vindicare valerent. Quæ sane est germana laudatorum canonum interpretatio, et qualis ceteris ecclesiæ definitionibus omnino cohæret.

Præterea opponi solet consuetudo, quam ajunt piorum æque ac doctorum clericorum exemplo confirmatam, et juxta quam ajunt, beneficiarios magna libertate potiri in usu

fructuum beneficii. Ego sane non puto, allegari hanc consuetudinem ceu universalem, ac singulis peræque sine discrimine receptam. Id enim esset gravissimæ injuriæ plenum adversus plures, qui facto suo demonstrant, se piis tantummodo caussis patrocinari. Quod si hæc consuetudo generalis non est, qua fronte allegari potest, tanquam ea, quæ generalem canonum disciplinam aboleverit? At reponunt: consuetudo plurium est piorum, ac doctorum: ego heic nolo de pietate ac doctrina singulorum judicare; necque enim id meum est. Tantum sciscitari possem, an ii docti sint qui leges ecclesiæ perennes penitus negligunt, contemnunt, evertunt, ut avaritiæ serviant, ut in re aliena grassentur; itidem an hujus generis homines pii sint, qui pias caussas etiam in iis, quibus omnino, et ex lege parendum est, fraudant? Equidem scio, consuetudine leges abrogari; at non omnis consuetudo legitima est et secernendæ sunt a consuetudinibus corruptelæ. Si leges quædam innituntur naturæ principiis, et honestati, ac fidei datæ, si leges tales sunt, quas ad abolendos contrarios mores ecclesia quacumque occasione data renovaverit, irrita est quæcumque consuetudinis allegatio, propterea quod hi potius characteres sunt corruptelarum. At superius demonstratum est, leges beneficiariis indictas his principiis inniti. Nec aliter clerici possunt consuetudinem contrariam prætexere, quam prætexeret, qui gravatus esset ex testamento ad annua perpetuo præstanda quædam, ed allegaret, se jam a pluribus annis testamento non paruisse. Quod si ecclesia tales clericorum corruptos mores minime punit, non inde videtur ecclesia eos probare; tantum enim ad pœnas deveniri solet, cum delictum ni judicio probatur, at quando administratio conscientiæ clericorum relicta est, incivile foret, rationes contradicto judicio reddi. Addo in hanc rem, quod notabat S. Thomas in secunda secundæ quæst. 78, art. 1 ad 3. *Leges humanæ dimittunt aliqua peccata impunita propter conditiones hominum imperfectorum, in quibus multæ utilitates impedirentur, si omnia peccata prohiberentur districte pœnis adhibitis.*

Denique opponitur, hanc beneficiariorum potestatem adeo angustis limitibus circumscriptam præbituram occasionem clericis universis, ne beneficia petant, imo nec oblata quidem recipiant. Quis enim, ajunt, patiatur, se ecclesiasticis ministeriis addici, quibus cum addictus fuerit, nihil commodi nanciscatur, vix necessaria vitæ subsidia inde hauriat, et ne ipsa quidem alimenta, quoties privato sit patrimonio sufficienti instructus, totum se laboribus dedat, atque in ipso administrando ecclesiæ peculio angendus sit sollicitudine quotidiana, qua piarum caussarum curam gerat, et collatione istarum facta, nec libertatem habeat uni potius, quam alteri occurrendi, sed seligere gravissimam teneatur. Notant, rem hanc non inter angelos agi, sed inter homines, qui præmiis ad bona peragenda moventur, sine præmis torpent, et labores, vigilias, curasque refugiunt. Igitur concludunt, neminem amplius extiturum, qui non minora tantum, verum etiam ipsa majora beneficia, ipsos episcopatus velit accipere. At enim hoccene absurdum est? hoccene periculum, quod verentur, qui adversus systema modo a me positum sunt declamaturi? Utinam, hic esset exitus positæ receptæ doctrinæ. Utinam, inquam, eo res, reduceretur, ut nemo ad beneficia anhelaret, sed opus esset quærere, perconctari, monere, hortari, impellere etiam, qui officiis ecclesiasticis addicendus esset! Inde plane aurea reviviscerct disciplina sacrorum, quam optabant Leo et Anthemius in l. 31, cod. de episc. et cleric. volentes adeo *ab ambitu sepositum episcopum eligi, ut quaeratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat sola illi suffragetur necessitas excusandi; profecto enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus.* Una hæc via est, qua seligantur optimi ecclesiarum administri, quos non ambitus, non avaritia, non lucri cupiditas, non amor privati peculii, non cognatorum affectio faceret, sed amor Dei, sed sobrietas, sed vigilantia, sed religio, ac pietas, sed virtutes universæ. Nunc amabo conferatur utrumque systema, nimirum et illud, quod modo a me ex doctrina patrum positum est et illud, quod ponere nonnulli student, multum beneficiariis indulgentes in administratione peculii clerica. Ex priore nihil aliud periculi imminet, quam quod apud bonos in desiderio est. Ex posteriore, proh bone Deus! quod in ecclesiam detrimenta derivant! Ubi beneficium vacat, agmen accurrit clericorum utilitati suæ studentium. Apud hos etiamsi detur voluntas Deo, et ecclesiæ serviendi, concitatur tamen animus præcipue ex amore peculii: ubi uberiores sunt redditus et pauciores sollicitudines, ibi conatus ingeminantur, ut quod petitur, impetretur. Importunæ preces cientur, amicorum, aut potentiorum officia interponuntur, utinam non simoniæ turpissimæ aliquando locus esset. Collator beneficii pressus numero, ac multitudine postulantium vix discernere potest, qui dignior sit, qui præ ceteris antehabendus; omnia dijudicantur privatis adfectionibus, et ecclesiarum utilitas postrema est collationis faciendæ ratio. Qui deinde beneficium obtinuit, non gratis dat, quod non gratis accepit, argumento novellæ 8, in fine principii. Et cum putat gerere in ecclesia rem suam, tum rem ecclesiæ aut non gerit, aut perfunctorie gerit. Hinc ambitus, hinc avaritia, hinc amor privati peculii, hinc æmulationes et rixæ, hinc et templorum fabricæ incultæ, hinc lites et jurgia

inter clericos et clericos, quorum unusquisque sollicitus redditur de amplificandis sui beneficii juribus, hinc pauperum cura negligitur, hinc in ipsa sacrorum administratione in proventus, in oblationes oculi intenduntur, hinc luxus et epularum splendor, hinc studium plura beneficia obtinendi, hinc cura translationum de una in aliam ditiorem ecclesiam, hinc vitia universa. Ego sane pro certo habeo, ex hoc posteriore uno systemate repetendam esse morum corruptelam, quandocumque agnita in clero fuerit, non alia ratione avocandam, quam si prius, quod ecclesiæ semper fuit, systema in clerum reducatur. Non hic tamen ego consisto. Quando enim dicitur, inde eventurum, ut nemo velit se ecclesiæ ministeriis adscribi, facile ego inficias iverim. Num adeo friguit in ecclesia charitas et divinus amor, ut interiisse penitus videatur? Num talis fingenda est temporum nostrorum imago, ut quotquot evangelium Christi profitentur, uno ducantur amore privati commodi, ut ecclesiæ administrent? Non possunt hæc, nisi per summam injuriam, proferri. Cernuntur etiam hodie inter clericos qua majores, qua minores, viri sane integerrimi apostolicæ vitæ imitatores, quibus magnus pietatis est zelus, nihil est, quod sibi tribuant, præter sollicitudinem et curam ecclesiarum. Cerne, quot adolescentes a sæcularibus curis alieni ad monasteria singularem paupertatem profitentia convolent, ut omnibus humanis affectionibus spoliati soli Deo, et propter causam Dei animarum saluti studentes inserviant. Multi ex istis, alii etiam istorum exemplo ecclesiis militarent sine spe præmii temporalis, alimenta tantum ab ecclesia percipientes, si nossent, etiam talem esse clericorum omnium professionem. Cum hæc usu reciperentur in universum, tum profecto eveniret, ut cessarent æmulationes illæ, inter quas clerus universus luget se a primævo decore cecidisse et quodammodo non quidem gradu et dignitate, sed officiis, et existimatione regularibus, et monachis cedere aliquandiu debuisse; tum etiam viri eruditi, et disciplinæ ecclesiasticæ, præsertim veteris, studiosi intelligerent, quam ob caussam hodie imutatæ sint vices: nimirum olim e monasteriis viri advocabantur ad ecclesias, quasi ad vitam perfectiorem ineundam; hodie vero, et jam a pluribus sæculis. obtinuit, ut clerici ecclesiis adscripte facile permittantur, ut ab ecclesiis ad monasteria migrent, quo in istis vitam traducant, uti magis a sæculi curis alienam; ita etiam Deo magis acceptam. Paucis concludo, quoties hæc disciplina patrum, explosis quorundam opinionibus vere novis, restauretur, tum bona summa in clerum derivatura; atque vel hoc ex uno capite conatus omnes a cordato viro impendendos esse, ut quoad fieri possit, illa instauretur ac confirmetur.

Pertinent ista ad administrationem bonorum ecclesiasticorum apud clericos inter vivos agentes. Si vero quæratur de actibus ultimæ voluntatis, secernenda est vetus a nova, item nova a novissima jurisprudentia. Olim, quando universa peculii dispensatio, ac tributio penes episcopum erat, jubebantur quicumque ad episcopatum promoverentur, ut distinctas rei familiaris rationes haberent; neque istas cum ecclesiæ peculio confunderent; factoque propterea inventario tempore adepti episcopatus, cum libera forent bona patrimonialia penes episcopum, tum bona ecclesiastica in tuto gratia ecclesiæ collocarentur. Idipsum de clericis inferioribus statutum esset, si penes istos bona ecclesiæ fuissent; ac proinde cum primum clericis portio bonorum ecclesiæ data est, facile eadem disciplina ad eosdem traducta fuit. Videantur in hanc rem canones 20, 21 et 23, caus. 12, qu. 1. Itaque clerici universi libere testamentum condere poterant de bonis propriis patrimonialibus, non autem de peculio ecclesiastico, quod erat ecclesiis reservandum, can. 19, cau. 12, qu. 1. Sanctus Augustinus cum in ecclesia Hipponensi vitam communem inter clericos induxisset, quos insuper, ut bona propria abdicarent, optabat, ægre tulit aliquando, si forte clericus testamentum scriberet etiam de bonis patrimonialibus imo etiam licet ecclesiam instituisset heredem. Hinc de Januario presbytero ita conquerabatur in serm. 49, cap. 2, de diversis: « Testamentum « fecit presbyter socius noster nobiscum ma« nens, de ecclesia vivens, communem vitam « profitens, testamentum fecit, heredem in« stituit. Oh dolor illius societatis! Sed ec« clesiam scripsit heredem. Nolo munera « ista.... magnus inde mihi dolor: propter « hunc dolorem statui, hereditatem ipsam in « ecclesia non suscipere, etc. » Erant tamen hæc singularia in ecclesia Augustini vehementer solliciti, ut clerici omnem a se rerum proprietatem abjicerent. Ceterum generalis disciplina postulabat, ut clerici de peculio ecclesiæ testamentum non conderent, propterea quod peculium erat ecclesiæ reservandum, concessa tantum facultate testandi de bonis propriis, sive patrimonialibus, concilio antiocheno can. 24, epistola 1. Gregorii Magni ad Marinianum lib. 5, et ep. 55, ad Anthemium lib. 7, can. 39, inter vulgo apostolicos, can. 19, 20 et 21, cau. 12, quæst. 1, can. 1, 2, 3, caus. 12, qu. 3, can. 1, caus. quæst. 4, cau. 1, 2, 4, 5: caus. 12, qu. 5, cap. ult. de pecul. cler. cap. 1, de testament., nov. 123, cap. 19, juncta nov. 131, cap. 13, unde sumta est authentica *licentiam* cod. de episc. et cler. Eam ob rem, uti notat Baluzius in appendice ad Reginonem, mos fuit in ecclesia, quod diaconus inter missarum solemnia sedentibus in ordine clericis et episco-

po, post lectum evangelium formulam hanc canonice elucubratam recitaret: *Res et facultates, quas post diem ordinationis vestræ adquiritis, ad ecclesiam, ad quam titulati estis, pertinere sciatis*, quasi alta mente reponendum clericis esset, non licere ipsis de ecclesiastico peculio postrema voluntate disponere. Atque hæc disciplina incolumis diu mansit usque ad sæculum duodecimum, uti liquet ex concilio lateranensis sub Alexandro III celebrato, ubi can. 15, ita statutum legimus: *Indemnitati itaque ecclesiarum providere volentes, sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint* (clerici), *penes ecclesias eadem bona præcipimus remanere.* Quam sanctionem clarius exposuit idem Alexander III in cap. 12, de testamento ibi: *Quia statuimus in lateranensi concilio, ut bona per ecclesiam adquisita, ad eam in clericorum obitu devolvantur, dubitatis, an hoc sit de immobilibus tantum, vel de mobilibus sentiendum. Respondemus, quod generaliter, bona quælibet per ecclesiam adquisita, eis debent juxta lateranense concilium post adquirentis obitum remanere.* Dubium erat adhuc, penes quem esse debuissent bona a defuncto relicta, quando generaliter traditum erat, debere illa penes ecclesiam remanere. Id perspicue ibidem explicavit Alexander III, tradens, distinguendam esse speciem a specie. Nimirum si defunctus adscriptus esset collegio clericorum, tum collegium ipsum dispensationem relictorum haberet. Quod si nullum esset collegium, sed singularis successor clerico defuncto designandus, tum bona eidem successori reservarentur. Interea duriores, quam par esset, videbantur nonnullis clericis hujusmodi, sanctiones, quasi denegari non deberet morientibus clericis, quod viventibus concedebatur. Quid enim, si clericus testamento caussarum piarum rationem habere voluisset? Quid, si ex equitate noverit clericus, quidquam esse iis tribuendum, qui viventi servierant? Consuetudo eodem labente duodecimo sæculo recipi cœpit, ut id clerico permitteretur; atque hanc consuetudinem improbare non potuit Alexander III, in dicto cap. 12, dummodo certis limitibus concluderetur, his verbis: « Licet autem mobilia per ecclesiam adquisita, de jure in alios pro morientis arbitrio transferri non possint, consuetudinis tamen non est improbandæ, ut de his pauperibus, et religiosis locis, et illis, qui viventi servierant, sive sint consanguinei, sive alii, aliqua juxta servitii meritum conferantur ». Igitur quæcumque testandi facultas ex moribus potius, quam ex jure scripto, clericis competere cœpit post sæculum ecclesiæ duodecimum, non satis ampla esse potuit; decuit enim, non amplius morientibus, quam viventibus concedatur, concedi oportere; quando id ex æquitate quadam concessum est contra juris rigorem, et nonnisi exemplo quodam dispensationis inter vivos, ita ut perpetuo nihil agatur, nisi quod religio et pietas suadeat.

Quum clerici ab intestato decederent, olim multum intererat, an agnatos habuissent, cognatosve, an nullos legitimos heredes reliquissent; item an simul cum ecclesiasticis bonis alia bona haberent extra caussam clericalis peculii propria, an vero tantum bona ecclesiæ possiderent. Sane quo casu nullos heredes legitimos reliquissent, agnatos dico, cognatosve, totum defunctorum patrimonium ecclesiis addicebatur ex lege imperiali, l. 20, cod. de episc. et cler. Si enim martyrum bona qui nullis superstitibus cognatis decedebant, ex piorum principum constitutionibus ad ecclesiam devolvebantur, propterea quod, uti scribit Eusebius in lib. 2, de vita Constantini cap. 36, *defunctis utique molestum non erit, si cujus, gratia nullum non discrimen subierunt, eam ipsis heredem habere contingat*; non dissimili jure decebat, ecclesiam illis succedere clericis, qui pro illa enixe, dum viverent, universum laborem et operam impenderunt. His consonant, quæ tradiderunt toletani patres in vers. *quod si*, can. 2, caus. 12, quæst. 3, item patres triburienses in can. 7, cau. 12, qu. 5. Si vero clericis essent heredes legitimi, his bona defunctorum cedebant, quæ essent extra caussam ecclesiastici peculii quæsita, peculio ecclesiastico ad ecclesiam devoluto, juxta ea quæ modo adnotabam ex cap. 12, de testament. Ita perennis ferebat disciplina ecclesiarum canonibus confirmata, can. 1, caus. 12, qu. 4, epist. 11, Gregorii Magni lib. 9, concilio parisiensi VI, cap. 16, et alibi passim. Quod si quandoque nonnullorum temeritas eo progressa fuit, ut ecclesiæ spoliarentur, præsto fuit antistitum sollicitudo, qua pœnis ecclesiasticis graviter punirentur bonorum invasores; præsto etiam fuerunt religiosissimi principes, qui tanquam patroni ecclesiarum custodiam bonorum ecclesiæ debitorum in se piissimo officio susceperunt. Hinc hodie, ubi et qua in parte principes id muneris gerunt, valido hoc patrocinio sui ecclesia utitur; ubi autem et qua in parte non in se talem curam principes susceperunt, œconomi ecclesiastici designantur, reddituri successoribus rationem administrationis, quam in beneficio vacante gesserunt.

Recentioribus sæculis nova in ecclesia invecta fuit disciplina, juxta quam aliter de bonis beneficiariorum, sive testato, sive intestato decedentium dispositum est, quod appellaverunt jus spoliorum. Hujus origo repetenda esse videtur ex moribus monasteriorum, in quibus siquando monachus decessisset, abbas, seu quicumque alius regularis prælatus sibi vindicabat quæcumque apud defunctum reperiebantur, quod sæculo decimo-

tertio factum fuisse testantur ejus temporis concilia, salmuriense anni 1253, can. 21, redonense anni 1273, cap. 4, et langeacense anni 1278, can. 3. Prelatorum regularium exemplo episcopi cœperunt eodem fere tempore clericorum inferiorum decedentium bona sibi vindicare, rati, qualis erat abbatum in monachos, talem esse episcopi in clericos, præsertim ubi in communi vivebant, potestatem. Qualiscumque esset hæc ratio, certum est, episcopos in id maxima cum alacritate intendisse. Sic pictaviensis antistes in synodo anni 1280, cap. 8, ita cavit : *Omnes illos, qui de bonis sacerdotum et clericorum beneficiatorum intestatorum aliquid habuerint sede vacante, nobis, vel mandato nostro restituant intra mensem.* Cum id bono exemplo non esset, præsertim quod episcopi plures bona ita quæsita pro lubita impenderent, etiam extra ecclesiarum utilitatem improbatum fuit a Bonifacio VIII in cap. 9, de offic. ordinar. in 6, quod interdictum forte paratam ubique executionem habuisset, nisi ad regulam adjecta hæc exceptio fuisset : *nisi de speciali privilegio vel consuetudine jam præscripta legitime, seu alia caussa rationabili hoc eisdem competere dignoscatur ;* quis enim in episcopus conspectu hujus exceptionis non allegabat, aut speciale privilegium, aut consuetudinem aut aliam rationabilem caussam ad prætexendam facti sui excusationem? Id notavit Clemens V, in clement. unic. de exces. prælat., referens ulterius, episcopos quosdam eo fuisse progressos, ut clericos ex quibuscumque etiam leviusculis caussis a beneficio suspenderent, quo bona beneficii, quasi essent vacantia, *illicite occuparent.* Hinc ita constituit : *Præterea interdum abbates, priores, ac alios beneficiarios beneficiis suis privant, ut sic fructus beneficiorum illorum percipere valeant primo anno prætextu privilegii, quod asserunt se habere* (exemplum hujus privilegii adparet in cap. 32, de verb. signif.) *quod usque ad certum tempus fructus beneficiorum vacantium possint percipere primi anni... bona beneficiorum vacantium illicite occupant, quæ essent futuri successoribus reservanda.... Universis itaque prælatis ecclesiarum mandamus, quatenus ipsi a praedictis gravaminibus omnino cessantes, sua jura et privilegia eis* (beneficiariis) *servent.* Adducta deinde res fuit ad constantiense concilium, in quo ita statutum fuit sess. 39, anno 1417. *Prælatis etiam inferioribus hujusmodi spoliorum exactiones præter, et contra juris communis formam fieri interdicimus, constitutione Bonifacii VIII, papæ, quæ incipit præsenti, super hoc edita specialiter in suo robore duratura.* At satis erat renovare Bonifacii VIII, decretum, ut episcopi iterum prætexerent, modo privilegia, modo consuetudines, modo caussas singulares. Notandum est in hac re tantum episcopos consuevisse ea bona occupare, cum clerici ab intestato morerentur, ex quo conjicio, jam tum invaluisse, ut clerici de bonis ecclesiæ, sive de peculio suo disponerent. Id colligitur ex synodo Dertusana in Hispania anni 1429, in qua quum constitutum esset, ut episcopi abstinerent a peculiis capiendis monachorum decedentium, istud amplius decretum est can. 18. *Idem esse censemus de bonis clericorum saecularium decedentium, si juxta formam provincialium vel synodalium constitutionum sua ordinaverunt testamenta, vel ultimas voluntates.* Hæc tum primum usu abrogata fuerunt, cum jura spoliorum romani pontifices sibi vindicare cœperunt. Novæ hujus disciplinæ originem sunt qui auspicantur a sæculo decimotertio, seu a temporibus Innocentii IV ; propterea quod hujus generis factum reperiant apud Matthæum Parisium ad annum 1246. Quidam in Anglia archidiaconus, referente Parisio, *Objerat intestatus, et plura millia marcharum saeculo et saecularibus infeliciter dimiserat.* Ubi id compertum habuit Innocentius IV, decrevit, *ut si clericus ex tunc decederet intestatus, ejusdem bona in usus domini papæ converterentur;* proptereaque voluit, bona memorati archidiaconi cameræ apostolicæ addici, mandans dominicanis et franciscanis in Anglia degentibus, ut nomine apostolicæ cameræ possessionem illorum bonorum caperent; id minime placuit Anglorum regi, qui minime passus est, monachos illos mandatum pontificium exequi, eamque ob caussam nihil ulterius actum est. Ego sane censeo, nihil heic esse commune cum caussa spoliorum clericalium, tantum videtur actum esse de jure fisci in successione bonorum vacantium, præsertim si fingatur quod verosimile est, archidiaconum illum sine legitimis heredibus decessisse. Erant tunc nonnulla regna, quorum jura sedes apostolica sibi tributa sentiebat, atque inter ista fiduciarium tunc censebatur regnum Angliæ, quod jam notavit Natalis Alexander in historia ecclesiastica 13 sæculi cap. 1, num. 13, et dissertat. 5, art. 3, num. 12. Hæc forte fuit caussa, quare Innocentius IV voluit defuncti bona sibi vindicare, eamque ob caussam etiam potuit rex Angliæ de eadem re contendere. Plane etiam post Innocent. IV, nihil de spoliorum jure cameræ apostolicæ competente traditum est, sed jus commune passim custodiebatur, uti liquet in conspectu clementinæ unicæ de excess. prælat. item extravagantis 2 de elect. apud Johannem XXII et extrav. un. ne sede vac. int. com. Horum spoliorum disciplina gliscere primum cœpit tempore dissidii, quod anno 1381, intercessit Clemente VII et Urbano VI, de pontificatu maximo contendentibus. Dirum sane schisma fuit, dum Clemens in Galliis erat, Romæ sedebat Urbanus. Hic

romanæ cathedræ redditibus fruebatur. Ille remotus ab episcopatu, quem suum ajactabat, redditibus propriis omnino carebat: prætense tamen dignitas videbatur a Clemente honestam, et gradui respondentem vitæ rationem postulare, præsertim ubi cardinalium coronam sibi adsidentem non modicam creavisset, præter ingentem comitatum. Ut sibi in his adjunctis, curiæque suæ prospiceret, vacantium beneficiorum qua minorum, qua majorum bona et sibi, et suis addixit, et quæ a decedentibus clericis relicta erant, vindicavit. Quod, ut tutius exequeretur, principis auctoritatem sibi conciliavit apud Andium ducem, qui et regni gubernator erat, et tutor pupilli regis Caroli VI. Rem describit sandionysianus monachus ad annum 1381 in vita Caroli VI, ibi: *Quod exarsit Urbanum inter et Clementem schisma, gravissima ecclesiæ, et Galliæ regno dispendia importavit. Erant Clementi cardinales 36... exactiones fiebant tum vacantium ecclesiarum, tum decimarum: Heredes clericorum vehementer infestabantur, eorumque bona ad pontificem spectare debere jactabatur, connivente ad hæc omnia Andium duce regni rectore, quem et prædæ consortem suspicabantur.* Deinde ita prosequitur in lib. 4, cap. 14, *Siquis episcoporum fato suo fungebatur, volitabant ubique collectores, et sub collectores apostolicae camere, ut adsportarent quidquid ab illis adquisitum esset mobilium, quamvis ea satis probabiliter heredibus permittenda fuissent, vel certe executoribus testamentariis, ac ne sinebant quidem eas in reparationes maxime necessarias expendi. Temporalia quoque cænobiorum post mortem abbatum invadebant. Qui succedebant, monachos ex tantillis reliquiis sustentare non poterant, cogebanturque vili pretio vel distrahere, vel oppignorare sacram ecclesiarum suppellectilem, ut mendicitatis angustias declinarent.* Non diu hæc in Gallia viguerunt, propterea quod grandior factus Carolus VI, edicto suo indemnitati ecclesiarum prospexit, turbasque omnes coercuit, suadente academia parisiensi, quæ præcedentia facta inter medium schisma obrepentia rata minime habuerat. E curia Clementis VII in curiam romanam traducta fuere spoliorum jura, quibus viam similes caussæ aperuerunt. Etsi enim circa annum 1389 obierint et Urbanus, et Clemens de romana cathedra contendentes, alii tamen duo in locum defunctorum suffecti fuerunt, iterum de cathedra contendentes Bonifacius IX et Benedict. XI, qui, et XIII appellatur. Cœperunt tunc temporis spolia exigi in pluribus Italiæ provinciis, quod et factum est temporibus Innocentii VIII, anno 1404, et Gregorii XII, anno 1406, non tamen sine contradictione multorum; unde fiebat, ut aliquæ provinciæ novæ disciplinæ adquiescerent, aliæ absisterent, aliæ etiam prout ferret adjunctorum ratio, eam disciplinam modo reciperent, modo abjicerent. Anno 1409, electus pontifex Alexander V protestatus est, se spoliorum jure minime usurum. Ita legitur in sess. 22 concilii pisani eo anno celebrati: *Dominus noster notificavit per organum domini archiepiscopi pisani, quod non intendit amodo, ut antea, reservare bona, seu spoglia praelatorum, et aliorum morientium,* seu, uti in alia editione legitur: *Compatiens statui ecclesiarum, et paupertati, plene, et libere revocabat reservationes factas de spoliis defunctorum praelatorum.* At immaturo fato e vivis erepto Alexandro, successor Johannes XXIII., ut suorum temporum adjunctis serviret ob gravia concitata bella caussa fidei, ac religionis, iterum spoliorum jura explicavit. Defuncto Johanne anno 1417, deducta res est ad constantiense concilium ubi sess. 29, ita statutum legitur. *Cum per papam facta reservatio, et executio spoliorum decedentium praelatorum, aliorumque clericorum gravia ecclesiis, monasteriis et aliis beneficiis, ecclesiasticisque personis afferant detrimenta, præsenti declaramus edicto, rationi fore consentaneum, et reipublicæ accommodum, tales per papam reservationes, ac per collectores exactiones de cetero nullo modo fieri, seu attentari.* Forte res ex voto cessisset, si decretum hac fuisset pontificis auctoritate confirmatum. At Martinus V, eadem spolia exigi adhuc jussit, incusans adjuncta infelicium temporum, quibus ingenti pecunia opus esset ad ecclesiæ pacem ac tranquillitatem curandam. Vita functo Martino V, cardinales ad novi pontificis electionem convenientes, ventilatis spoliorum caussis, uti refert Rainaldus ad annum 1431, numero 9, statuerunt, atque jurejurando firmarunt, eum, qui electus esset in pontificem, a spoliis exigendis temperaturum. Forma jurisjurandi hæc fuit: « Quod bona dominorum cardinalium, prælatorumque, necnon et aliorum cortesanorum « in curia decedentium nullo modo occupabit, « vel occupari patietur, sed permittet juxta « juris dispositionem et consuetudinem, quæ « in multis regnis et regionibus servatur, « fieri executores juxta voluntatem decedentium, relinquendo conscentiis bonorum ad « eos quomodolibet pertinentium, etc. » Tamdiu viguit hoc decretum, quamdiu pontificia sedes vacavit, quodque quisquis cardinalis sentiebat, nescio quo factu electus pontifex revocavit. Itaque iterum sub Eugenio IV, Nicolao V, Calixto II, Pio II, Paullo II, Sixto IV, Innocentio VIII et Alexandro VI, pluribus in provinciis spolia exacta sunt; necque enim, uti conjicio, caussæ publicæ deerant, eædemque probabiles quibus apostolicæ sedi subsidia quædam essent ab inferioribus ecclesiis conferenda. Pius III, conatus est, ut eam disciplinam generaliter in occidente proponeret;

non tamen id potuit in Gallia præsertim recipi, repugnante Ladovico VII, anno 1503, quo Pius obiit. Hinc sub Julio II, Leone X, Adriano VI et Clemente VII, anceps fuit, et difformis consuetudo ecclesiarum, imo et fere ubique obnoxia contentionibus. Supremam manum tuendis apostolicæ cameræ juribus censuit admovendam Paullus III, anno 1541, edita generali constitutione, qua spolia generaliter indicerentur. Habetur ista in cap. 1 de spoliis clericorum in septimo decretalium; exitu tamen parum felici. Julius III censuit opportunum, eam constitutionem moderari; etenim anno 1549, statuit, ut quicumque ecclesiasticus in curia romana decederet, aut eam sequens, in quamcumque caussam testari posset; quod si intestatus decederet, ei legitimi heredes ubicumque degentes succederent. Deinde anno 1555, statuit ut quando multa jurgia in provinciis oriebantur occasione spoliorum, cognitiones caussarum reservarentur soli thesaurario generali *ut exactio spoliorum tam status s. romanae ecclesiae, quam aliarum partium Italiae, celerius et facilius fiat, ne ministrorum multitudine confundatur.* Nihil singulare occurrit sub Marcello II, ac deinde ubi Paullus IV anno 1556, mandavit aliquibus, ut spolia nomine cameræ exigerent, exceptionem addidit, nisi aliud obtineret *ex privilegio apostolico, seu ex consuetudine legitime praescripta in loco vigenti.* Similia etiam mandata prodierunt a Pio IV anno 1560. Ut paucis dicam, ea tempestate hinc singularibus bullis, hinc contrariis privilegiis, vel moribus contendebatur. Sed et idem Pius IV, eodem anno constitutionem edidit, qua decrevit, ut bona clericorum omnium illicite quæsita post eorum obitum ad apostolicam cameram devolverentur, qua tamen constitutione non comprehenduntur aut cardinales, aut decedentes in curia, aut clerici illi, qui singulari jure a pontificiis spoliis exempti probarentur. Laudanda est maxime in hac parte prudentia patrum tridentinorum, qui ne verbum quidem horum spoliorum facientes, contenti fuerunt definire in sess. 24, de ref. cap. 16 et 18, fructus vacantium beneficiorum per æconomos ab episcopo, et fructus mensarum episcopalium per œconomos a capitulo deputandos curari oportere, et futuris successoribus reservari Pius V, potius curavit, ut, ubi adhuc jus spoliorum vigeret, certis limitibus coerceretur. Hinc in constitutione anni 1567, 3 kal. septembris statuit, primum, ut nomine spoliorum capi nequeant supellectilia sacra ad episcopalem cappellam pertinentia; deinde, ut spoliis minime continerentur arcæ ligneæ, dolia, aliæve res domesticæ viliores, quæ in defuncti ædibus reperirentur; denique ut minime subjacerent spoliorum legibus beneficia illa, *quorum fructus, et proventus triginta ducatorum auri de camera secundum communem æstimationem valorem annuum non excederent*: quod ideo se statuisse refert, *ne deinceps contingat, insolentia spoliorum, cameræ apostolicae collectorum aliquas ecclesias, aut hominem quempiam damno, aut injuria affici.* Interea contentiones in hac materie variis in provinciis plurimæ extiterunt. In Galliis ortum quidem, uti modo notabam, spolia habuerunt, sed vix paucis annis vigere potuerunt. Germania ab eisdem semper fuit immunis, quod testatur Navarrus in commentario de spoliis clericorum § 14, num. 2. Exemta quoque fuit Polonia et Lusitania; imo etiam in Italia et insulis adjacentibus Sicilia, Venetiæ et ducatus mediolanensis. Videantur Marcus Antonin., variar. resolut. lib. 4, resol. 46, numero 1, Garzias de benefic. parte 2, cap. 1, Navarrus loco citato § 5 numero 5 et § 16, princ. qui et in § 9, numero 6, adjicit, « consuetudinem habere in multis « episcopatibus Hispaniæ, ut episcopus optet « unam speciem rerum mobilium, vel se mo- « ventium, quas beneficiarius mortuus reli- « quit, quod quoque fit in multis Belgii lo- « cis ». Videantur insuper Filliucius de spoliis clericorum cap. 7. num. 24. Azorius de spoliis cap. 4, § 2, vers. 4, et Acta ecclesiæ mediolanensis concilio provinciali 5, parte 3, sub titulo *De Ecclesiis, earum suppellectile et fructibus*, et parte 4, sub titulo *de beneficiis vacantibus.* In regno neapolitano vix ex mandato singulari Pii V, spolia quandoque exigi cœperunt, quando contentiones, statim emerserunt, quas extra ordinem compescere studuit Sixtus V, in sua constitutione *Cum sicut accepimus* anni 1589, 1.° januarii. In Sardiniæ regno jam a temporibus Pii V abs jure spoliorum explicando cessatum est gratia ecclesiarum. In Sabaudia et Pedemontio jamdudum Pius IV in brevi directo ad ducem Emmanuelem Philibertum gratia ejusdem principis jura spoliorum cesserat, ita tamen ut bona inde redacta in pios usus converterentur. Deinde ab anno 1590, iterum pontificiæ cameræ sollicitatores conati sunt, ut spoliis colligendis vacarent. Initæ interea temporales transactiones, et in pontificio regio concordato anni 1742, ita res relicta est, uti moribus erat recepta. Tandem vero anno 1750 ita res absoluta fuit, ut nihil amplius sub spoliorum nomine a clericis beneficiariis, eorumve successoribus exigatur. Reliquum est, ut intelligant beneficiarii redactam apud nos esse rem ad jus commune, nimirum testamenta quidem in pias caussas permitti juxta capitulum 12, de testam. non vero testatores libertate potiri, quasi de re sua disponant; ubi autem nihil testamento disposuerint, legitimos clerici heredes debere ecclesiæ restituere ea, quæ sciverint a defuncto intuitu ecclesiæ esse quæsita.

Expendenda adhuc supersunt onera quædam extraordinaria, quibus beneficiariis aliquando subsunt fructuum caussa. Hujusmodi in primis sunt præstationes quædam episcopo faciendæ in argumentum atque vestigium veteris amplissimæ potestatis, quæ uti initio præfabar, ecclesiasticis antistitibus competebat in omnibus bonis ecclesiasticis administrandis. Et quidem olim statim ac episcopi portionem bonorum immobilium, et jurium inferioribus administris administrandam cesserunt, adhuc identidem iidem episcopi pro modo novarum adquisitionum certa jura explicabant, uti erat quarta legatorum, quæ aliter dicebatur quarta mortuariorum, de qua jam alibi locutus sum, cum de beneficiis parochialibus agerem; item percipiebant certam decimarum portionem modo tertiam, modo quartam, denique percipiebant census annuos, prout pactione initio facta contineretur, can. 10, cau. 10, qu. 1, can. 23, 25 et sequentibus, cau. 12, qu. 2, cap. 16 de offic. judic. ordin. cap. 14 et 15 de testam., cap 6 de censib. Sed hæc jamdudum fere omnia exoleverunt, postquam præsertim adaucti fuerunt redditus mensarum episcopalium, nisi adhuc consuetudo alicubi servetur, cui sane semper est indulgendum. Videatur Panormitanus ad cap. *Conquerente* de offic. jud. ordin., et ad cap. *Certificavit* de sepultur. Si hodiernam disciplinam spectemus, jura illa extra ordinem ad episcopum pertinentia triplex ad caput reducuntur, nempe procurationem, cathedraticum, seu synodaticum, et subsidium, uti vocant, charitativum. Procurationis nomine intelliguntur impensæ, quæ episcopo sunt necessariæ, dum aut ecclesiam visitat, cap. 16 de offic. jud. ord., can. 45, vers. *Visitatores*, cau. 12, q. 2, aut ecclesiam consecrat, vel altare, cap. 10 de simonia, cap. 23 de censib., cap. 15. *Deinde*, et cap. 2 eod. tit. in 6. Ab eo tamen onere immunes sunt ecclesiæ pauperes, xenodochia, et loca sacra exemta abs jurisdictione episcopali, clemen. 1, eod. tit., concil. trident. sess. 24, de ref. cap. 3. Nihil in præsentia adjicio in hanc rem, quando hæc tradidi in tractatione de potioribus ecclesiæ dignitatibus in dissert. de episcopis. Cathedraticum, quod alio nomine *synodaticum* dicitur, et apud veteres *eulogia*, can. 8, dist. 18, est census duorum solidorum, qui a clericis episcopo lui solet in honorem cathedræ tempore celebrandæ synodi diœcesanæ, cap. 16, de offic. jud. ordin, can. 1, cau. 10, qu. 3. Verum cum solidorum veterum valor perspicuus non sit apud omnes, usus invaluit, ut cathedratici quantitas moribus potius uniuscujusque diœceseos definiatur. Subsidium charitativum petere olim consueverant episcopi, quo casu inopia premerentur, aut gravi aliqua caussa, cui ex bonis mensæ suæ non satis occurrere possent, dicto cap. 16 in fine, cap., 6 § *Prohibemus* de censibus. Hodie nonnisi semel ab episcopo exigitur; quæcumque tandem emergant caussæ, et quidem juxta eam quantitatem, quæ moribus uniuscujusque ecclesiæ definita dignoscitur; quod ex taxa innocentiana pragmatici testantur iductum fuisse.

Romano quoque pontifici aliquando extra ordinem certæ præstandæ fuerunt pensitationes. Potissimum his occasionem dederunt subsidia conferenda in expeditationem exercituum gratia tuendæ christianæ reipublicæ adversus dira odia infidelium consistebant autem modo in decimis, modo in vigesimis fructuum. Revocatæ istae fuerunt primum in constantiensi concilio anni 1417, sess. 41, deinde vero in regula 63, Cancellariæ, quæ hodie ita concipi solet. *Item revocavit quascumque decimarum, nec non subsidiorum, vigesimæ, et aliorum onerum impositiones ex quavis caussa emanatas* (*non tamen decimarum, subsidiorum, et onerum impositorum ex quavis caussa, et occasione expeditionis contra turcas et orthodoxæ fidei hostes*) *et quascumque facultates super decimarum vigesimæ, et onerum hujusmodi exactione, quibusvis fructuum et proventuum cameræ apostolicæ debitorum, collectoribus, et apostolicæ sedis nunciis ab eisdem prædecessoribus concessas.* Quibus olim formulis hæc regula conciperetur, et quænam sit hodie recepta hujus regulæ interpretatio, perspicue tradit Rigantius. Non tamen inde cessaverunt præstationes gratia romanæ ecclesiæ. Nam in vicem decimarum, aut vigesimarum successerunt annatæ, ita dictæ, quod quicumque beneficiarius, qui beneficium a sede apostolica sit impetraturus, teneatur luere in Romana curia fructus unius anni. Varia fuit in hac re disciplina, de qua passim multa notant juris ecclesiastici cultores. Hodie dimidium tantum annui redditus præstari solet gratia apostolicæ cameræ, quoties redditus beneficii excedat annum redditum 24 ducatorum Quod si agatur de beneficio perpetuo unito collegio, vel monasterio, fit præstatio quindennii, ita dicta, quod singulis quindecim annis solvatur annata, quasi fingatur, singulis quindennis beneficium vacare, quod ceteroqui nunquam vacat, ne alias ex unione detrimentum apostolicæ cameræ ingeratur. In beneficiis consistorialibus præter annatas pendi etiam consueverunt non solum, ut vocant, *minuta servitia* inter officiales romanæ curiæ dividenda, verum etiam *communia servitia*, ita dicta, quod pendatur integra annata, cuius dimidia portio papæ cedat, altera dimidia cardinalibus in consistorium convenientibus. Hæc tamen omnia non ubique obtinent: qua in re parendum est receptis una quaque provincia consuetudinibus

Præterea in caussam publicæ rei decuit, aliquando beneficiariorum fructuum portionem impendi; si enim isti generaliter in pias caus-

sas convertendi sunt, dandus erit necessario locus in patriam indigentem, et extraordinariis oneribus pressam charitati, pietatique exercendæ; uti enim ait Cicero in lib. 1 officior. cap. 18, sect. 17 *omnes omnium charitates patria una complexa est.* Id prudentissime agnoverunt Alexander III et Innocentio III, in c. 4 et 7, de immunit. eccles. ubi licet conquerantur, quod laici quidam ecclesiarum bona vastarent, volunt tamen, ut quoties urgens necessitas suadeat, facile de redditibus ecclesiæ publicæ saluti et incolumitati consulatur. Consonat clementina un. de immunit. eccles. et extrav. un eod. tit. int. com. Huc etiam refertur, quod scribebat Honorius III, anno 1224, ad clerum constantinopolitanæ ecclesiæ apud Rainaldum n. 25, ibi : *Attendentes, satius esse, ut bona vestra, et ecclesiarum vestrarum pro manutenendo imperii statu communicetis ad tempus, quam ea omnia perpetuo amittatis, de fratrum nostrorum consilio propter urgentem necessitatem duximus statuendum, ut omnium vestrorum proventuum hujus anni, omniumque aliorum mobilium, quæ nunc habetis in ipso imperio, exceptis duntaxat ecclesiarum thesauris, et vestibus et equis, et utensilibus, in quibus non est aurum, vel argentum, aut lapides pretiosi, medietatem integre conferatis* et quidem hæc præstatio in provinciis fiebat auctoritate episcoporum accedente cleri consilio, uti liquet ex cap. 4, de immunit. eccles. Primum sub Innocentio III, cum renovata fuisset eadem disciplina in c. 7, de immunit. eccles. adjecta fuerunt hæc verba. *Propter imprudentiam tamen quorundam, romanus pontifex prius consulatur,* quæ sane verba non simpliciter reservationem inducunt, tantum ex iis monentur ordinarii, ne inconsulto romano antistite suam in hac parte potestatem exerceant. Bonifacius VIII, in c. 3, de immunit. eccles. in 6, non aliter voluit subsidia haec concedi, quam si auctoritas intercedat apostolicæ sedis. Atque id primam præbuit occasionem dissidiorum inter eundem Bonifacium et Philippum Galliarum regem, cui sane clerus gallicanus ob caussas publicas annua quædam suppeditabat. Excusabat se Bonifacius in Epistola ad eundem regem, tradens, nolle se omnino subtrahere id subsidii genus, tantum vetuisse, ne sine licentia sedis apostolicæ id quisquam moliretur. Ceterum studio pacis idem Bonifacius alia edita constitutione die 20 julii anno 1297 ita mentem suam declaravit : « Adjicimus insuper » hujusmodi declarationi nostræ, quod si præ» fatis regi, et successoribus suis pro universa» li, vel particulari ejusdem regni defensione » periculosa necessitas immineret, ad hujusmo» di necessitatis casum se nequaquam exten» dat constitutio memorata, quin potius idem » rex, ac successores ipsius possint a prælatis » et personis ecclesiasticis dicti regni petere, » ac recipere pro hujusmodi defensione sub» sidium, vel contributionem, illudque, ac il» lam prælati, et personæ prædicti præfato » regi, suisque successoribus inconsulto etiam » romano pontifice teneantur, et valeant sub » quotæ nomine, aut alias etiam impetrari, » non obstantibus constitutione prædicta, seu » quovis exemtionis, vel alio privilegio ». Clemens V, Bonifacii VIII, successor agnitis periculis, et incommodis, quæ ex constitutione Bonifacii, et ad eam factis declarationibus emerserant, et bonifacianam constitutionem, et declarationes omnes abrogavit, rem totam exigens ad unam definitionem concilii lateranensis in dicto c. 7 de immunit. eccles. uti liquet ex clement. un. eod. tit. quod et confirmavit Benedictus XI in extrav. un. eod. tit. In hanc ipsam rem certi deinde modi propositi fuerunt in concilio constantiensi anni 1417 sess. 43, his verbis: « Per summos autem » pontifices nullatenus imponi generaliter su» per totum clerum, nisi ex magna, et ardua » caussa, et utilitate universalem ecclesiam » concernente, et de consilio, et consensu, et » subscriptione s. r. ecclesiæ cardinalium, et » prælatorum, quorum consilium commode » haberi poterit. Nec specialiter in aliquo re» gno, vel provincia, inconsultis, prælatis ip» sius regni, vel provinciæ, et ipsis non con» sentientibus, vel majori parte; et eo casu » per personas ecclesiasticas, et auctoritate » apostolica dumtaxat levari ».

Denique ad onera, quibus extra ordinem subsunt beneficiarii, pertinent pensiones gratia alterius ex fructibus beneficii, quotannis præstandæ. Si pensionum primam originem respiciamus, ea antiquissima dignoscetur, ita tamen ut non egrederetur naturam alimentorum, quæ certis personis ex miseratione, charitate, ac pietate decernebantur. Quid enim, si episcopus, aut quisvis clericus a sua ecclesia per vim ejectus, in aliam se reciperet? Dicebatur is tunc ecclesiæ, in quam recipiebatur, commendari, et ab eadem ecclesia alebatur. Simile exemplum adparet in actione 12 concilii chalcedonensis, ubi, cum de episcopatu ephesino ageretur, quem duo occupaverant, Bassianus nimirum, ac Stephanus propositum fuit, ut neuter episcopatum haberet, uterque ab ecclesia *pasceretur.* Hæc, uti ajebam, rudes sunt novarum pensionum imagines; etenim luebantur non a beneficiario singulari, sed ab ipsa ecclesia; non in certa quantitate consistebant, sed in alimentis; aliquando etiam, aut elapso certo tempore, aut mutatis caussarum adjunctis, ipso jure cessabant. Pensiones, quales in præsentia, existunt, introduci cœperunt, partitione facta inter clericos bonorum ecclesiæ, et unicuique certo adsignato titulo, certo officio sacro gerendo, certis etiam bonis titulo beneficii datis; et quoties bona

isthæc uberiora essent, non fuit dubitatum, quin ex illis certa portio detraheretur, alteri indigenti clerico concedenda, qui tamen nec sacri officii gerendi communionem haberet, nec ullo modo in administratione bonorum beneficii curam gereret. Hinc pensionarii a beneficiariis distinguuntur, propterea quod beneficiarii titulum universalem habere dicantur, pensionarii titulum singularem intra certam pecuniæ quantitatem coercitum, eodem fere modo, quo in successionibus defunctorum legatarii ab heredibus secernuntur. Olim imponere pensiones poterat quicumque esset ordinarius beneficiorum collator, sed hodie fere obtinuit, ut a romano pontifice impetrentur. Nullibi profecto de hac reservatione constat: tantum notant pragmatici, episcopos ab hac potestate non utendo cecidisse. Verum hæc ratio an suffragetur apud jureconsultos, plurimum dubito: etenim pensionum imponendarum facultatem extra ordinem exerceri, nemo dubitat, tum nimirum, cum gravis caussa id exposcant. Eam ob rem jure peterem, quomodo ea potestas non utendo amittatur, qua nemo uti valet, nisi emergens extra ordinem caussa id suadeat? Qui non usus est, facile dicet, nullam se utendi occasionem habuisse, tum demum usurus, cum occasio prodeat. Appellant alii ad titulum decretalium Gregorii IX *ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*. At enim an titulus ita inscriptus valeat per se reservationem inducere, prorsus ignoro, nec ego adfirmare auderem, præsertim quod titulus iste non eo pertineat, ut conferens beneficium alteri non concedat pensionem, sed potius eo, ut conferens beneficium nihil sibi retineat, quasi in pretium collationis, quemadmodum liquet, collatione facta cum capitulo unico eodem titulo. Provocant alii ad capitulum 21 de præbendis. Notandum tamen, pensionem, de qua ibi agitur, et quæ non omnino probatur, non jam fuisse impositam ab ordinario beneficii collatore, sed ab judicibus delegatis, ut caussam litigiosi beneficii dirimerent; verius dixerim, ab electis arbitris. Item notandum, non eam fuisse controversiam, in qua quæreretur, an ad unum pontificem maximum pertineret pensiones imponere, sed potius an controversiæ finis ea ratione imponi licite potuisset, qua uni ex litigantibus beneficium, alteri pensio concederetur. Id redolebat quandam simoniæ speciem, quam Innocentius III certa ratione cohibuit, neque omnino damnavit ideo, quia viri providi et honesti eo arbitrio intercesserant. Post hæc nemo dubitare potest, quin receptum jus certis finibus contrahatur, et adhuc hodie certis in casibus episcopi tuto pensiones imponant. Id evenit in primis, quoties bono pacis inter contendentes sanciendæ pensio constituatur. Si enim id electis arbitris, quamquam certo servato modo, aliquando concessum fuit, dicto c. 21 de præb. qui caussæ erit, cur ordinario provide disponenti denegetur? Idipsum præterea evenit, cum beneficia inter clericos auctoritate episcopi permutantur, et æquitas suadet, inter permutantes certas constitui pensiones. Denique, ut generaliter dicam, id evenit, cum utilitas, vel necessitas urgens ecclesiæ pensionem imponi suadeat, argumento can. 61, caus. 16, q. 1, can. 11, 12, caus. 16, qu. 3, can. 8, caus. 16, qu. 6 et c. 6 de relig. domib. Absit autem a me, ut aliis in casibus putem pensionum costitutionem ideo pontifici max. reservari, propterea quod in his pensionum reservationibus, quædam simoniæ nota inesse soleat, quod quidam ex nostris scribere non erubuerunt; novi enim siqui sunt in ecclesiastica hierarchia administri simoniacæ cujuscumque labis osores eos esse pro dignitate sua, et probitate pontifices maximos, quorum auctoritas in damnandis potius, quam in confirmandis simoniacis pactionibus exerceatur.

Ut plurimum gratia clericorum pensiones imponi consueverunt; aliquando, licet minus frequenter, etiam gratia laicorum bene de ecclesia meritorum, imo etiam feminarum religiosarum. Quid enim obstat, quominus cuicumque personarum generi hac ratione prospiciatur, quando beneficiarium peculium ideo a clericis administratur, ut ex eo indigentes quicumque percipiant? Plane alia est pensionum, alia sacrorum officiorum ratio, neque pensionis perceptio inducit sacrorum officiorum gestionem. Quando vero ex consuetudine recipi cœpit, ut pensio perpetua foret, atque in hac parte videretur quandam beneficii speciem exhibere, raro adsignari laicis cœpit, rarius etiam feminis, propterea quod in istis non satis probabile haberetur exemplum. Temporibus Pii V adhuc frequentes erant constitutæ pensiones gratia laicorum, nec satis inde clerici poterant ecclesiarum utilitatibus consulere ob imminutos beneficiorum redditus. Quamobrem prudentissimus pontifex severiorem disciplinam induxit, qua fieret, ut laici ad eas inidonei redderentur: præterea operæ pretium censuit, pensionariis clericis certum onus imponere; nimirum istis indixit, ut officium B. Mariæ recitarent, quemadmodum superius adnotabam in cap. 1. Hinc adparet, hodie pensiones propius adhuc ad beneficia accessisse, sive ratione habita illorum, quibus concedi solent, sive ratione habita oneris diurnarum recitandarum orationum. Qua in re juvabit distinguere duplex pensionum genus, quarum aliæ ita clericis conceduntur, ut sint in beneficii vicem, veluti cum dantur, ut qui ecclesiæ commodius administret, vel ut quis in sacris certo sub titulo ordinetur; aliæ nullam exhibent beneficii imaginem, veluti cum dantur in meritorum repensationem. Harum discrimen agnoscitur ex formula col-

lationis. Quoties ita conceduntur, ut sint in beneficii vicem, poterunt haberi pro sufficienti ordinationis titulo, concilio trident. sess. 24 de reform., cap. 2, et pensiones ita quæsitæ extinguentur iis omnibus modis, quibus ecclesiastica beneficia amittuntur, puta per ingressum in religionem, aut contractu inito matrimonii; secus dicendum, quoties pensio nullam exhibeat beneficii imaginem. Ceterum generaliter pensio a beneficio sejuncta est, cap. 4 de præbend. in 6, nec unquam venit sub generali beneficiorum nomine, nisi in iis casibus, in quibus aut generali, aut speciali jure exprimatur. Quamobrem poterit ad certum tempus concedi, item sine consensu superioris abdicari, multiplex etiam sine dispensatione obtineri, dummodo tamen semper servetur honestas, et dolus absit, ac fraus. Non tamen inficias iverim, multa esse et beneficiis, et pensionibus communia: hujusmodi est, quod generaliter traditur, non posse præter simoniæ vitium pensiones temporali commodo accepto concedi, nec etiam posse sub certis conditionibus, et modis imponi, quod potissimum induci debuit ad quascumque fraudes importune petentium evitandas. Adde his non valere concessionem pensionis factam tempore renunciationis beneficii, aut tempore litis, si in renunciatione fraus, aut in lite collusio intervenit, c. 31 de rescr., c. 3 de collus. deteg., c. 30 in fine de præbend., c. 6 de cler. non resid., quemadmodum nec valeret cessio facta, repræsentata pecunia, præsertim si pactum hujusmodi ab initio impositæ pensionis initium fuisset, atque id ad præcludendam omnem simoniacæ impetrationis suspicionem, uti statuit Benedictus XIV in constitutione, quæ incipit *In sublimi* anni 1741, 4 calend. semptembris. Qui putaverunt, cavendum quidem esse, ne pensiones aut emantur, aut vendantur, interea tamen permitti posse, ut vendantur, emanturve commoda pensionum, quid aliud profecto voluerunt, quam verbis ludere, et quæsito colore quodam saluberrimas ecclesiæ sanctiones evadere? Etenim supervacanea fuisset antistitum sacrorum sollicitudo ad avertendum etiam in hac parte simoniæ vitium, si mutatis vocabulis, idem facile tentari posset exitu inspecto. Ex his liquet, paullatim factum esse, ut quamquam adhuc summo jure pensiones a beneficiis distinguantur, multa tamen redderentur, et beneficiis, et pensionibus communia.

Generaliter observatur, etiam apud apostolicam sedem nonnisi ex caussa pensiones imponi solere: videlicet aut quoties reservantur gratia beneficiarii in resignatione beneficii, aut quoties egregia alicujus in ecclesiam merita illarum postulent constitutionem: hinc favore infantum vix audimus pensiones constitui, utpote quorum nulla erga ecclesiam merita præsumuntur, nisi forte aliquando contingat, ecclesiam in infante parentum merita remunerari. Præterea observandum est, ne pensiones in grave beneficiariorum detrimentum vergant; quamobrem obtinuit in primis, ne pensiones constituantur jam collato beneficio, sed tantum tempore collationis, et quidem tum, cum beneficiarius cujus potissimum interest, consentiat: deinde obtinuit, ut beneficia parochialia, quorum redditus summam ducatorum centum non excedant, nullis pensionibus gravarentur, quemadmodum nec episcopalia, quorum redditus summam ducatorum mille non excedunt: in aliis beneficiis usu receptum est ut pensio non excedat quantitatem parti fructuum tertiæ respondentem, licet extra ordinem quandoque usque ad dimidiam fructuum partem extendatur; incongruum enim videtur, ut aut æqualis aut pene æqualis habeatur ratio pensionarii, qui nullo onere premitur, et beneficiarii, qui munus sacrum exercet. Porro hæc quantitas debet esse determinata, nec unquam potest consistere in ipsa fructuum specie; proindeque nulla sterilitatis prædiorum, aut uberioris fertilitatis, seu vel majoris, vel minoris annonæ ratio habebitur; nisi constet, graviorem esse annuum pensionis censum, quam ferre beneficiarius possit, quo casu licebit beneficiario ad apostolicam sedem confugere, ut pensio intra minorem quantitatem coerceatur. Annuæ pensionis quantitas per dimidias portiones præstari solet singulis elapsis semestribus, obligatione reali existente in ipso beneficio, eamque ob rem in successorem beneficii etiam transeunte, ita tamen, ut successor non teneatur ad præstationes, quæ a defuncto faciendæ erant, nisi heres defuncti fuerit, aut nisi constet, quantitatem fructuum pensionario debitam versam fuisse in beneficii utilitatem, argumento cap. 1, de solution. Quod si beneficiarius ante elapsum semestre moriatur, pro rata temporis quantitate a defuncti heredibus pensio præstabitur, reliquum a successore, vel ab eo, qui bona beneficii vacantia administrat, postulabitur, quemadmodum e converso, si moreretur pensionarius, heres pensionarii non integram exiget quantitatem semestri tempori respondentem, sed eam, quæ respondeat tempori, quo pensionarius vixit. Singularia in hanc rem minime prostant juris capita, proindeque a similibus solent peti argumenta. Hinc est, quod vulgo traditur, facile his accommodari posse juris civilis regulas, quæ traduntur aut de dotibus, aut de usufructu, cum soluto matrimonio, aut finito usufructu, vel fundi dotales, vel fundi fructuarii sunt ab eo, ad quem pertinent una cum fructibus vindicandi, juxta legem 7, ff. soluto matrim., et leg. 58, ff. de usufructu, cum similibus, dummodo tamen proportio quædam inter hujusmodi jura servetur, et accommoda omnibus sit legum interpretatio.

Ex his omnibus jam satis intelligitur, pensionem, utpote quæ tota ad pensionarii commodum, utilitatemque refertur, onus esse reale, ac propterea non beneficiarii, sed pensionarii tantum morte extingui. Neque huc adferri potest, quod definitum est in cap. 21, de præbend., etenim pensio, de qua ibidem sermo est, nihil habet commune cum indole ordinariarum pensionum. Ea fuit concessa uni ex litigantibus in quandam veluti jurium repensationem adeo ut qui pensionem accepit, cederet juribus, quibus se uti posse censebat, et e converso, qui beneficium accepit cederet juribus, quibus se munitum putabat ad universos beneficii fructus retinendos. Quando vero cessiones istæ sunt personales, et personalem exinde, utpote ex conventione natam obligationem inducunt, nulla amplius habetur istarum ratio, ubi beneficiarius mortuus fuerit. Ceterum quandoque occurrit, ut pensionarius valeat de sui persona in alterum jus pensionis transferre. Non loquor hic de pensionibus, quas usus Romæ recepit in beneficiis Hispaniæ; in quibus cum ex concordatis nemo nisi Hispanus pensionem habere potest, nihilominus mutato nomine cujusdam Hispani pensio gratia alterius constituitur; etenim in hoc pensionum genere obtinuit, ut plus valeat rei veritas, quam fictio, propterea que non Hispanus, sed alter tanquam verus pensionarius habeatur. Potius loquor de pensionariis illis, qui quandoque indultum a pontifice maximo obtinuerunt, ut possint in alios pensiones transferre. Horum facultas metienda est ex verbis indulti, quo modo major; modo minor adparet. Hujus autem generis indulta conceduntur aut cardinalibus, aut conclavistis, aut aliis personis de romana curia benemeritis. Qua tamen in re media quædam via teneri solet ut hinc minus detrimenti, quoad fieri potest, et verba indulti patiuntur, beneficiario ingeratur; illinc facile sinatur pensionarius jure suo uti. Ne detrimentum ingeratur beneficiario, caveri solet, ut ex ea indulti specie non ita res sese habeat, ut duo sint veluti pensionarii, quorum unus alteri succedat post extinctam pensionem. Id profecto contingeret, quoties ultima voluntate pensio in alterum transferretur, aut transferretur quidem actu inter vivos, suspensa tamen translatione reali ejusdem pensionis in tempus mortis transferentis; quamquam tamen receptum est, ut etiam supremo vitæ die, dummodo ab eo, qui adhuc vivit, pensio transferatur; adeo, ut dici possit, extitisse tempus quo pensionarius omnino sese exuerit pensione. Præterea caveri solet, ut pensio semel de uno in alium translata non possit iterum a secundo pensionario transferri, etiamsi secundus pensionarius simili indulto gauderet; nisi tamen indulto id specialiter exprimeretur.

DISSERTATIO SEPTIMA

DE CAUSSIS ET MODIS, QUIBUS ECCLESIASTICA BENEFICIA AMITTANTUR.

Huc pertinent tituli 7, 9 et 13, lib. 1.

Quamquam beneficium ecclesiasticum ita clericis sit concedendum, ut nunquam concessio retractetur, plures tamen sunt caussæ jure probatæ, quibus extra ordinem amittatur. Id tribus modis contingere potest, primum juris potestate, deinde sententia judicis, postremo clerici beneficiarii facto.

CAPUT I.

De caussis, ex quibus beneficium amittitur juris potestate.

Instar personalium servitutum, qualis est ususfructus, usus, aut habitatio, amittitur primo beneficium ipso jure moriente beneficiario, cum nunquam recepta sit in ecclesiasticis juribus, vel oneribus hereditaria successio, cap. 5, de pactis Item cum beneficiarius majore excommunicatione ab ecclesia ejicitur, cap. 53, in fine de appellation. Etenim excommunicatio hæc morti æquiparatur, quemadmodum apud romanos deportatio, sive ejectio abs juribus universis romanæ civitatis. Id vero tum demum locum habet, cum clericus per annum in excommunicationem pervicax perstiterit sive, ut pragmatici loquuntur, insordescentiam contraxerit, argumento cap. 8 de ætat. et qualit. præfic., cap. 6, de cler. excom ministr., juncto cap. 3, vers.

qui autem de hæret, nisi tamen ante insordescentiam in officio ministraverit; cum enim excommunicatus ministrans irregularitatem illico incurrat, statim a beneficio cecidisse videtur, a cujus propterea possessione sit deturbandus, cap. 6, de cleric. excom. Hinc autem facile colliges, ipso jure cadere clericum a beneficio quoties irregularitatem contraxerit; qua tamen in re secernenda erit duplex irregularitas, in quam clericus inciderit, caussa, nimirum irregularitas ex delicto contracta ab irregularitate fato quodam contingente, ita ut ex priore irregularitatis specie beneficium amittatur, non ex posteriore, cap. 2, 5 et 6, de cler. ægrot. vel debilit. et cap. un. eod. tit. in 6. Ex sola suspensione non statim aut ipso jure clericus beneficio cadit, sed tantum datur prælato facultas eum clericum spoliandi, si per annum contumax in suspensione perstiterit, dicto cap. 8. de ætat. et qualit. præficien. Ex his facile liquet, beneficium ipso jure amitti ab eo, qui in hæresim, seu in apostasiam inciderit can. ult., dist. 50, cap. ult. de apostatis, cap. 6, et passim de hæret., cap. 2 vers. *hæretici*, et vers. *ad hæc* eod. tit. in 6. Quod si quis sit de hæresi suspectus, atque intra annum se purgare non curet, quamquam ad purgationem superioris auctoritate vocetur, instar hæretici habendus erit, cap. 5, de hæretic. in 6. Sunt qui putant, quod de hæreticis dicitur, ad hæreticorum filios, ad secundum usque gradum, si de paterna, et in primo gradu, si de materna linea agatur, esse extendendum, quasi id deducatur ex cap. 15, de hæret. in 6, et extravag. unic. Joannis XXII, vers. *Filii* de pœnis. Verum ego non arbitror, eam esse ecclesiæ mentem, ut pios, et bene de se meritos clericos, utut hæreticorum filios, ab officiis semel susceptis ejiciat, neque in memoratis constitutionibus aliud invenio cautum, quam hæreticorum filios non esse ad beneficia, officiave sacra vocandos; aliud autem est, non vocari, vel non admitti aliud semel vocatos, vel admissos arceri. Amittitur præterea beneficium ipso jure ab iis, qui simoniace illud impetraverint, can. 5 et 9, cau. 1 quæst. 3, concilio chalcedonensi can. 2; concilio trullano can. 22; item ab iis, qui aliud obtinuerint beneficium, quod sive ex veterum, sive ex tridentini concilii disciplina incompatibile appelletur quemadmodum superius fuit animadvertendum. His addendum est beneficia ipso jure vacare, quoties clericus beneficiarius intra annum se promoveri non curet ad illum ordinem, quo vel juxta beneficii naturam, vel ex tabulis fundationum singularibus debet initiari, cap. 14, de election. in 6, aut quoties beneficiarius patiatur, alium clericum per triennium in beneficio consistere, juxta ea, quæ diximus ad regulam 36, cancellariæ de triennali possessione. Electione quoque, aut translatione ad episcopatum, aliamque aut fere parem, aut majorem dignitatem, beneficia prius obtenta amittuntur, cap. 7, vers. *Cum vero* de election., qua in re singulari jure observatur; hodie non expectari tempus consecrationis, aut captæ episcopali beneficii possessionis, nisi singulare indultum a romano pontifice obtineatur; propter eaquod in consistoriali cedula, qua quis ad hujus generis dignitates promovetur, clausula apponi solet, qua declaratur, promoti beneficia vacare. Item pro vacante ipso jure habetur beneficium episcopale, si electus electioni de se factæ intra mensem non consentiat, nullo justo impedimento detentus, cap. 6 de election. in 6, aut si intra sex menses post præstitum electioni consensum non petat confirmationem, dicto cap. 6, in fine, aut si ante tempus abs jure concessum bona ecclesiæ administraverit, cap. 5, eod tit. in 6. Quicumque etiam beneficia ecclesiastica propria auctoritate invadunt, omni jure, quod illis in eadem forte competeret legis potestate privantur, cap. 18, de præbend. in 6, quod ipsum recipiendum est adversus eum, qui jura beneficii, auctoritate judicis occasione litis sequestrata, occupet, vel quoquo modo remanere penes sequestrem impediat, clement. unic. de sequestr. posses., et fruct., item adversus eum qui cum plura beneficia ex dispensatione pontificis maximi obtinuerit, monitus ab ordinario intra tempus præstitutum dispensationis monumentum minime exhibuerit, cap. 5, de offic. ordin. in 6. Istis adcensebis reos criminis læsæ majestatis, cap. 10, de hæret., falsi crimen in literis apostolicis admittentes, cap. 7, de crim. falsi, reos criminis ut vocant, *assassinii*, cap. 1, de homicid. in 6, reos atrocis contra ecclesiæ romanæ cardinales, aut episcopos injuriæ, cap. 5, de pœn. in 6, Clement. 1, eod. tit., et reos illatæ vis caussa resignationis clement. 2, eod. tit. Non est omittendum ipso jure beneficia amitti, cum beneficiarius in eam sese confert conditionem, et statum, quem ipsa beneficii ratio pati nequit, quod potissimum contingit, quoties beneficiarius vel matrimonium contrahat, cap. 3 et 5, de cleric. conjug. vel monasterio se tradat, habitumque induat monachalem, quod intellige ita demum, si firmum in monasterio permanendi propositum exhibeat, juxta capitulum 4, de regular. in 6. Nam si forte aut religiosam professionem non emittat, aut emissam revocet, allegando, eam irritam fuisse, non dubito, quin beneficium recuperare valeat, saltem ope restitutionis in integrum, argumento canonis 1, cau. 17, qu. 2, cui jungi potest cap. 16 sess. 25, de regul. in concilio tridentino. Dicendum etiam erit, esse amissum beneficium, quoties clericus habitum clericalem ita mutaverit, ut nulla supersit dubitatio,

quin a clericali militia recesserit, quemadmodum ex recentioribus numero plurimis pontificum maximorum constitutionibus receptum est. Denique, ut omnia paucis complectar, amittitur juris potestate beneficium, quandocumque, et qualicumque ex caussa vel generales, vel singulares diœceseon leges aperte declaraverint, clericum beneficio cadere. Qua in re illud erit perpetuo animadvertendum ut nunquam credendus sit clericus a beneficio jure cecidisse, quousque de perspicua constitutione clericum damnante non constet.

CAPUT II.

De caussis ex quibus beneficium sententia judicis amittatur

Omnia fere beneficia, quæ ipso jure amissa proponantur, videtur quoquo modo per judicis sententiam amitti: etenim utcumque casus eveniat, quo clericus beneficio cadat ex legis potestate, necessaria semper erit judicis declaratio, qua constet eumdem a beneficio cecidisse. Non inde tamen deducitur, beneficium ac ratione amissum proprie censeri quasi amissum sententia judicis; ob plures juris effectus, qui etiam ante sententiam locum habere possunt; inter quos ille præ ceteris recensetur, quod etiam ante judicis declarationem, beneficium eo modo vacans valide, uti loquuntur scholæ, conferretur, quoties nihil aliud obstaret, licet institutus in eo beneficio non citato spoliato non posset in corporalem vacantis beneficii possessionem induci, cap. 18 de præbend. Itaque beneficio proprie dicitur sententia judicis amitti, cum clericus dignis de caussis superioris auctoritate beneficio spoliandus est, vel ordinario jure, quoties id faciendum ab ordinario expresse sacri canones moneant; vel extra ordinem, quoties singularis emergat caussa, qua pœna gravis sit clerico infligenda sacris canonibus expresse non definita. Sane hac in re ecclesiastici judices duplicis generis sententiam pronunciare possunt. Vel enim clericum a beneficio repellunt per modum, ut ajunt, pœnæ, vel per modum, ut ajunt, censuræ. Pœna est privationis beneficii, cum clericus ita repellitur, ut perpetuo excludatur; si vero ad tempus tantum clericus arceatur, sive determinatur, puta ad annum, sive indeterminatum, ex. gr. quousque resipiscat, non pœna dicitur, sed censura, propterea quod hac in specie terretur quidem clericus, sed non punitur. Hinc liquet, proprie non vacare beneficium illata censura, sed demum inflicta pœna, an vero pœna, an censura illata sit, id ex conceptis pronunciatæ sententiæ formulis dignoscitur.

Caussæ, ob quas disciplina ecclesiastica postulat, ut clericus beneficio judicis auctoritate privetur, ad has ut plurimum referuntur. Prima est, si clericus sacri officii a se obeundi, et sui gradus immemor, sæcularibus negotiis incumbat. Secunda est si turpi et inhonestæ vitæ se dedat, cap. 14, de vita et honest. cler. cap. 4, 6, de cohabit. cler. et mulier., concilio tridentino, sess. 21, cap. 6, et cap. 14, sess. 25, de ref. Tertia, si clericus violaverit indictas residentiæ leges, juxta ea, quæ superius tradita sunt, tam ex generali veterum conciliorum disciplina, quam ex recentioribus concilii tridentini decretis, et romanorum pontificum constitutionibus, cap. ult. de cler. non resid. Concil. trid. sess. 6, cap. 2, sess. 23, cap. 1, et sess. 24, cap. 12, de ref. Denique paucis concludere possum, prudenti episcoporum arbitrio reservatum esse, ut, si quando clerici aut officio non fungantur suo, aut gravissimi cujusdam criminis rei redarguantur, pro modo admissi exasperare pœnas possint usque ad beneficii privationem, etiamsi hujus generis pœna expressa canonum definitione inferenda non dicatur dummodo tamen præcedat episcoporum eorundem monitio, cum non sit pœna adeo gravis, nisi in contumaces, ferenda. Hinc colliges, quid sentiendum sit in ea quœstione, num, si theologalem præbendam possidens caussa tradendæ sacræ doctrinæ, suo munere non fungatur, atque pertinax adeo sit, ut jubenti episcopo parere detrectet, possit tamen præbenda privari, licet in tridentino concilio sess. 5, cap. 1 de reform. nihil tale expresse definitum adpareat. Neque enim dubito, eam concessam intelligi episcopo facultatem juxta generalem canonum disciplinam quæ non fuit expresse denegata.

CAPUT III.

De caussis, quibus beneficiarii facto suo beneficia ecclesiastica amittunt.

Quoties de munere publico agitur, regulæ etiam romani juris perspicue docent, neminem posse se officio abdicare, l. 1, ff. de excusat. et vacat. mun. Quamobrem cum etiam clericorum munera beneficiis adnexa juris publici esse videantur, generalis erit recipienda doctrina, quæ postulat, ne semel suscepta dimittantur. Hæc ratio est, quare prioribus ecclesiæ sæculis usque ad duodecimum, vel decimumtertium, vix exempla inveniamus clericorum a suis beneficiis recedentium, ex eo præsertim, quod cum beneficia tunc temporis a sacra ordinatione penderent, et sacra ordinatio perpetuo vi indelebilis characteris consistat, ipsa quoque beneficia perpetuo clericis adhærebant. Non persequor fusius hanc rem, utpote quam expendi initio tractationis, dum beneficiorum naturam, et qualitates universas explicarem. Verum recentiore ætate, postquam præsertim collatio beneficii fuit ab

ordinum collatione sejuncta, inductum est, ut abdicationes, seu renunciationes facilius reciperentur. Huic etiam novæ disciplinæ invehendæ occasionem dedit diversa, quæ sequiore ætate fingi cœpit, beneficiorum imago, contra quam esset in rei veritate, atque ad sacros canones apte adpositeque. Ipsum beneficii nomen, quo exemplo feudorum eodem nomine olim designatorum, indicari videbatur, clericos ad beneficium vocatos præmio quodam affici, insinuabat apud plures, liberum esse sive illud retinere, sive rejicere, propterea-quod in invitum nullæ conferuntur liberalitates. Multitudo quoque illorum, qui beneficia passim postulabant, videtur inanem reddere priscam illam sollicitudinem episcoporum, qua invitos clericos in ministerio detinebant. His accesserunt, jura clericorum beneficiariorum, quæ ex usu loquendi, et ex pragmaticorum traditionibus magni fiebant; cum passim scribere non dubitaverint, beneficiarios aut esse fructuum dominos, aut saltem jus habere splendide utendi commodis beneficii; item e converso onera beneficiis adnexa, quæ passim imminuebantur, aut cum clerici plures dicti sunt a residentiæ lege soluti, aut cum traditum est, posse clericos per substitutum ecclesiæ ministrare, et his similia. Et quamquam identidem ecclesiasticis legibus, ac præsertim ex tridentinis decretis curatum sit, ne hæc difformis et prava beneficiorum imago cuderetur; interea tamen satis fuit, ut aliquando talis apud plures efformaretur, quo facile et cessiones et resignationes admitterentur. Eo amplius itum est; ut renunciationum etiam admitterentur diversa genera, qualia sunt, aut renunciationis simplicis, sive puræ, aut renunciationis conditionalis, quæ triplici adjecta conditione fieri posset: nimirum vel ut beneficiarius ad aliud beneficium transferatur, vel ut beneficium cum beneficio commutetur, vel ut dimissum beneficium, certo designato clerico conferatur, quam postremam speciem appellant nostri resignationem in favorem. Hinc statim nemo non videt, renunciationem simplicem, sive puram, illico vires suas exercere, ubi legitime facta sit; renunciationem autem conditionalem, quæcumque tandem ex memoratis conditionibus adjiciatur, in suspenso manere, donec conditio impleatur.

Si renunciationes pure ac simpliciter factas cum renunciationibus conditionalibus conferamus, illico observandum occurret, istas magis, quam illas sanctorum patrum regulis adversari. Revera renunciationes simpliciter, ac pure factæ repugnant tantum naturæ beneficiorum, quæ publica munera sunt, proindeque perpetua: at quæ sub conditione fiunt, præterquamquod æque repugnant beneficiorum naturæ, caussas identidem habere possunt in privatis adfectionibus, in ambitu, in avaritia, atque his similibus animi notis. Item renunciatio simplex, et pure facta adhuc esse potest penes eum, qui beneficiorum imaginem sibi fingat sacrorum canonum principiis consonantem. Finge enim vero, aliquem sibi persuadere, beneficia esse onera gravissima clericorum, beneficiarios laboriosam vitam suscipere, vix uti bonis beneficii posse ad sui necessitates. Hic sane adhuc moveri ad renunciandum potest, propterea quod velit vitam in quiete ac tranquillitate traducere eadem ratione, qua veteres etiam honesti viri regimina ecclesiarum fugiendo vitabant. E contrario, qui sub conditione beneficium resignat, jam animo præconcepit, beneficia commodum beneficiario parere, et commodum eo majus, quo majora beneficia sunt; præconcepit animo, ut verbo dicam, dari potius beneficia hominibus, quam beneficiis homines. At enim finge, quemquam renunciare beneficio, translationis, vel permutationis caussa. Is putat se majorem fructum ex novo adquirendo beneficio percepturum; quod vel ipsa quotidiana experientia docet, qua intuemur passim, unumquemque conari, ut vel de tenuioribus ad pinguiora beneficia transferatur, vel illud beneficium permutationis caussa adquirat, in quo majus sibi commodum fore sentiat. Finge, quemquam renunciare sub ea conditione, qua beneficium certæ a se selectæ persone adquiratur. Is putat, se ea ratione suis, necessariis, amicisve consulere. Hæc caussa est, quare apud veteres adeo improbarentur clericorum translationes, can. 24, 25 et passim cau. 7, qu. 1, can. 107, de cons. dist. 4. Hæc caussa est, quare beneficiariarum permutationum, aut resignationum in favorem nulla exhibeantur apud antiquos exempla, non in actis conciliorum, non apud historicos rerum ecclesiasticarum scriptores, non denique apud collectores canonum, ne apud ipsum quidem novissimum decretorum collectorem Gratianum. Equidem inde paullatim usu receptæ sunt omnes. Interea tamen juvat inprimis observavisse, quibus principiis nova hæc disciplina consistat, ex quibus concludi recte debet, cum illæ a recta canonum disciplina deflectant, tum demum probari facile posse, cum vel eas necessitas ecclesiarum probanda suadeat, vel saltem ecclesiarum utilitas ad eas deveniendum esse postulet, cap. 8, de præbend., cap. 5, de rer. permut. juncto cap. 1, eod. tit. in 6, et clement. un. eod. tit. Itaque in hac re cavendum semper erit, ne privati potius commodi, sive proprii, sive alieni, quam publicæ utilitatis ratio apud renunciantem locum habeat, ne forte turpe simoniæ vitium aliquando contrahatur, dicto cap. 5 de rer. permut. Declinandum præterea erit a vitio, uti vocant, confidentiæ, apertissimis pontificum maximorum, et numero plurimis constitutionibus im-

probato; quod tunc admittitur, cum clericus beneficium impetrat, intercedente conventione quadam, sive expressa, sive tacita, ut receptum beneficium in alium transferat, vel impetrati beneficii fructus ab extraneo percipi sinat, quod tanquam simoniæ labem detestabilem continens, damnaverunt Pius IV in constitutione *Romanus* 85, Sixtus V in constitutione *Pastoralis* 61, et Pius V in constitutione *Durum nimis* 104, inflicta etiam adversus confidentiarios omnes anathematis pœna. Paucis dicam: damnandus semper erit clericus, quoties beneficium impetrat, non animo perpetuo in eo manendi, sed illud post certum tempus dimittendi, vel gratia amici, vel consanguinei, vel ut habeat, quod cum alio beneficio permutet. Videatur etiam constitutio Paulli IV, quæ incipit *Inter ceteras* 33, ubi etiam excommunicatione innodantur illi, qui aliorum induentes personas sese examini subjiciunt caussa adipiscendi beneficia, quæ concurrentibus, aut alias post examen repertis idoneis conceduntur, ut brevi manu in amicos, vel in alios bene erga se meritos eadem beneficia transferant. His conditionibus, quibus pactum intercedit translationis, vel permutationis, vel concessionis beneficii alterius gratia, non dissimilis est altera conditio, qua quis ita cedit beneficio, ut pensionem in eodem beneficio sibi reservet; etenim etiam in ista conditione maxime locum habere aliquando potest et privata adfectio et fraus. Quid enim ex. gr. si quem ministerii ecclesiastici tædeat, et cum alias par esset obeundo ecclesiastico muneri, mallet post adeptum beneficium otiosam vitam traducere, nihilominus utens beneficii redditibus certa pensione sibi reservata in renunciatione? Quid, si quis beneficium impetraverit non animo retinendi, sed post breve tempus cedendi reservata sibi pensione? Hæc omnia, atque his similia, nonnisi ex pravis animi adfectionibus oriuntur, proptereaque damnanda ab omnibus existimantur.

Quæcumque fiat beneficii cessio, sive renunciatio, debet fieri legitimi superioris auctoritate, atque illis præterea consentientibus, quorum interest. Requiritur imprimis legitimi superioris auctoritas, non tam ex eo, quod unumquodque eo modo dissolvendum sit, quo fuit colligatum cap. 1 de reg. jur., ac propterea non debeat cedi beneficium, nisi interveniente auctoritate illius, sine cujus facto concedi non poterat; quam ex eo quod beneficium cedi nequeat, nisi legitima suadente caussa atque eadem caussa debeat a superiore probari. Legitimi superioris nomine eum intelligo, ad cujus ordinariam jurisdictionem pertinet collatio beneficii illius, de cujus agitur abdicatione, qui ut plurimum est episcopus, cap. 4 de renunc. Quod si agatur de renunciatione beneficii caussa permutationis, et beneficia in diversis diœcesibus sita sint, tunc utriusque episcopi accedere debebit auctoritas. Singulare quidquam jamdiu receptum est in translationibus episcoporum, quæ sunt soli romano pontifici reservatæ, cap. 2 de translat. episcop. Item hodie reservantur pontifici maximo admissiones renunciationum, que fiunt favore alterius, quod primum obtinuisse videtur post editam Pii V costitutionem, quæ incipit *Quanta ecclesiæ*, 58, in bullario romano. Visa fuit hæc caussa digna maturiore judicio, quam propterea pontifices maximi in suam curam ac providam sollicitudinem reciperent: adeo verum est, in his speciebus verendum maxime esse, ne fraus fiat utilitatibus ecclesiarum, et solis privatorum adfectionibus indulgeatur. Nihil amplius hoc in loco dico de renunciatione facienda sub reservatione pensionis, postquam plura in hanc rem in præcedente dissertatione cap. 3 adnotanda fuerunt Dixi præterea, requiri consensum illorum, quorum interest. Hujusmodi sunt patroni, sive laici, sive ecclesiastici, quoties agatur de beneficio eorum patronatui obnoxio: item ii, qui jus habent eligendi, quoties agatur de beneficio electivo. Quid vero, si episcopus, aut alius prælatus, ad quem ea pertinet jurisdictio, renunciationem existimet esse ecclesiæ necessariam, vel valde utilem, sed patroni, vel illi, ad quos spectat jus eligendi, dissentiant? receptum est, ut patroni, vel ii, qui jus habent eligendi, possint cogi ad præstandum assensum, et, si consentire nolint, possit prælatus iis omnino contemptis ad renunciationem adprobandam progredi, et executioni demandandam, Rebuffus in praxi beneficiaria parte 3, tit. de permutationibus numero 22, Garzias de beneficiis parte 2, cap. 3, num. 47 et seq., ubi refert conformem sacræ congregationis definitionem numero 27.

Præter legitimam auctoritatem justa etiam caussa requiritur, ut renunciatio valeat. Absit autem, ut eas justas caussas dicamus, quas ex corrupta renunciantium mente suis temporibus invasisse scribebat Rebuffus in praxi beneficiaria lib. 3, titulo de resignatione expressa num. 3, ibi: *Hodie caussa caussarum est affectio carnis, quia omnes volunt suos consanguineos præficere ecclesiis, quibus forte male præfuerunt, ut pessime quoque illi postea præsint, cap. grave de præbend:, cap. un. ut ecclesiastica beneficia, et ista est, quæ jamdudum labefactavit totam ecclesiam: altera est etiam caussarum regina pecunia, ut in toto titulo de simonia, can. fertur cau. 1, quæst. 1.* Justas caussas existimabimus eas, quas sciemus jure probatas, quales ad unam vel ecclesiarum necessitatem, vel gravem utilitatem referuntur, quemadmodum scripsit s. Thomas in secunda secundæ quæs. 100, art. 1 ad 3. Quibus in facti speciebus necessitas, vel utilitas ecclesiæ renunciationem admitti postulet, perspicue expressit Innocentius III, in

cap. 10 de renunciatione, cujus sententiam memoriæ juvandæ caussa duobus hisce versiculis contraxerunt decretalium breviatores.

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis
Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit.

Reprehendebat Innocentius III episcopum quendam, qui episcopali sollicitudine se abdicare volebat, statuens initio generalem regulam, docensque, nemini licere a ministerio semel suscepto recedere. Deinde caussas recensuit, propter quas probabilis est renunciatio. Primam caussam memoravit criminis conscientiam, et quidem non cujuscumque criminis, sed illius, quo admisso etiam post peractam pœnitentiam quis impeditur, ne officium exequatur. Quod enim crimen si notum esset, ac in judicio probatum, caussam judici præberet, ut beneficiarium ab officio dejiceret, caussam etiam præbet, ubi occultum est, ut beneficiarius ipse sponte beneficium dimittat, quasi officium judicis in se aut gerat, aut præveniat. Alteram caussam retulit corporis debilitatem, quæ vel ex infirmitate, vel ex senectute procedat, idque tum demum, cum ita quis debilitate fractus est, ut nequeat munus implere. Tertiam caussam collocavit in defectu necessariæ doctrinæ, qua in specie non tam ferendum esse scripsit, siquis renunciare voluerit, quam omnino laudandum. Quartam caussam esse tradidit malitiam plebis, qua interdam cogatur prælatus ecclesiæ ab officio cessare, tum nimirum, cum prælatus subditis suis proficere nullo modo posset. Quintam caussam dixit esse scandalum evitandum, quoties tale sit, quod bonis moribus, et utilitati fidelium curandæ adversetur. Postremam caussam voluit esse irregularitatem ex defectu; nam si ex crimine orta fuisset, hæc ad primam caussam refertur, seu ad conscientiam gravis criminis. Ceterum et in hac re distinguendam voluit Innocentius irregularitatem illam, quæ in sacris literis fundamentum habet, veluti cum quis bigamus sit, vel viduæ maritus, ab irregularitate illa, quam succedente ætate patres ecclesiæ indixerunt. Priorem irregularitatis speciem voluit Innocentius probabilem esse renunciandi caussam. At si de secunda specie ageretur, ubi irregularitas esset occulta, maluit, dispensandum esse ab irregularitate, ut prælatus in officio perseveret, quam dimitti officium sacrum; atque exemplum tradidit in eo, cujus natalia illegitima fuerint, quique paternum vitium non imitetur. Ceteras caussas, quæ in indulgentia erga privatas adfectiones sitæ essent, idem Innocentius improbavit. Ex quibus magis magisque firmatur, quod initio præstitutum est, caussas omnes renunciandi referendas esse in publicam ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem. Exinde autem liquet, in renunciationibus conditionalibus majorem requiri caussarum ecclesiæ utilium investigationem, sive quod in istis, ut dictum est, major est suspicio, ne privatis adfectionibus indulgeatur, sive quod duplex judicium esse debet, videlicet primum, quo probetur renunciatio, secundum, quo probetur conditio adjecta renunciationi.

Renunciare omnes beneficiarii possunt, qui lege non prohibentur, sive renuncient per se, sive per procuratorem ad id specialiter constitutum, et quidem publico instrumento, quemadmodum quotidiana praxis demonstrat, quod recto consilio inductum fuit ad evitandas fraudes, quæ admitti a nonnullis possent, et ne renuncians secuta renunciatione facile conqueratur, allegando, se per vim, aut metum abdicavisse. At deputato semel procuratore ad renunciandum, etiamsi mandatum fuerit revocatum, fiet tamen jure renunciatio, et facta valebit, quoties revocationis notitia ad procuratorem, et ad collatorem beneficii non devenisset, clement. un. de renunciat. Abs jure prohibentur renunciare pupilli sine auctoritate tutoris, si forte ex dispensatione quadam, aut ex natura singulari beneficii a fundatore expresse indita, beneficia obtinuissent; secus ac contingat in minorennibus, quorum renunciatio admittitur, si a nemine circumventi sint; etenim in negotiis spiritualibus minor vigintiquinque annis pro majore habetur, cap. ult. de judic. in 6. Præterea non admittitur renunciatio beneficii facta ab eo, qui ejusdem beneficii titulo est ordinatus, nisi alia ratione eidem consulatur concilio tridentino sess. 21 de ref. cap. 2. Item effectu carebunt resignationes, aut gratia alicujus factæ, aut adjecta conditione reservationis pensionis gratia resignantis, si dolus et fraus in ipsis interveniat. Fraus autem admitti præsumitur, quoties quis beneficio se abdicaret conditione adjecta, ut integros beneficii fructus sibi retineat. Quid enim aliud hic in animo versaret, quam suis commodis vacare, et totum ministerii ecclesiastici onus in alium transferre? Id a pontificibus maximis damnatum refert Rigantius ad regulam 45, cancellariæ num. 23 et sequentibus. Item fraus præsumitur, quoties quis beneficium alterius gratia resignaverit cum reservatione pensionis, adjecto pacto, ut intra certum tempus pensio data, et repræsentata pecunia redimatur. Id enim, tanquam turpem beneficiorum mercaturam, ita damnavit Benedictus XIV in sua constitutione *In sublimi*, anni 1741, 4 Kal. septembris, ut edixerit, et resignantem, et resignatarium omni jure, quod in beneficio habuissent, penitus cadere. Præterea ob gravissimam fraudis suspicionem rejiciuntur in curia resignationes parochialium ecclesiarum, et aliorum beneficiorum personalem residentiam requirentium, præsertim cum reservatione pensionis, item rejiciuntur permutationes istorum beneficiorum cum aliis beneficiis similem residentiam non requiren-

tibus, quoties per certum diuturnum tempus resignans beneficium non possedisset, et legibus residentiæ non satisfecisset, quasi in his facti adjunctis, cedens videatur adeptus fuisse beneficium non animo illud retinendi, ac residendi, sed animo illud transferendi, et pensionis commodum lucrandi. Hanc consuetudinem in romana dataria invaluisse a temporibus Gregorii XIV, scribit Garzias de beneficiis parte 11, cap. 3, numero 47, una adnotans, olim tempus illud designatum fuisse, aut septem, aut sex saltem annorum; licet deinde receptum fuerit, ut sufficeret tempus quinque, aut saltem trium annorum. Et quidem cum in hac re de suspicione fraudis agatur, videtur hæc res in arbitrio pontificis maximi collocata, qui sane in admittenda cessione hujus generis universa adjuncta pensabit, et juxta eadem adjuncta aut facilius resignationem admittet, aut omnino repellet. Similiter fraus inesse præsumetur, quoties qui beneficium possidet, quo ad certum suscipiendum sacrum ordinem adstringatur intra annum, antequam ordinationem suscipiat, favore alterius cedat. Rursum præsumitur fraus illi inesse, qui, dum prævidet, se brevi promovendum esse ad aliquam majorem ecclesiasticam dignitatem, favore alicujus beneficium permutat, aut cedit, uti receptum est ex regula 26, cancellariæ *De beneficiis vacaturis per promotionem ad ecclesias, vel monasteria.* Eadem ratione reus gravioris cujusdam criminis, qui prævidet, se brevi ex sententia judicis beneficio spoliandum esse, non poterit beneficia favore alicujus resignare, vel permutare. Faber in codice lib. 1, tit. 2, def. 89. Huc quoque pertinet regula 19, cancellariæ, quæ inscribitur: *De infirmis resignantibus*, alias *De viginti*; qua obviam eundum fuit renunciationibus favore cujusquam ab infirmo factis, eo animo, ut proxima beneficii vacatio, et libera succedens ordinarii, aut alterius prælati, etiamsi de pontifice maximo ageretur, collatio impediatur. Quamobrem statutum est, ut, siquis in infirmitate constitutus resignaverit, sive in romana curia, sive extra illam, aliquod beneficium, sive simpliciter, sive ex caussa permutationis, vel alias dimiserit, aut illius commendæ cesserit, seu ipsius beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ, et postea intra viginti dies a die per ipsum resignantem præstiti consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, et ipsum beneficium quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi irrita sit, ac ipsum beneficium nihilominus vacare per obitum censeatur. Adversus hanc regulam, statim ac edita fuit, cœperunt nonnulli clerici fraudes novas excogitare. Nimirum resignationes faciebant, quum bene valerent, interea tamen resignatione ipsam occultabant, suspensa exhibitione actus in tempus infirmitatis beneficiarii. Ut novis his fraudibus occurreretur, a temporibus Innocentii VIII edita fuit altera cancellariæ regula sub inscriptione *De publicandis resignationibus*, quæ viguit usque ad tempora Gregorii XIII. Statuerat in dicta regula cancellariæ Innocentius VIII ne ulla amplius resignatio admitteretur, nisi eadem publicaretur infra sex menses, si in romana curia facta proponeretur, atque infra mensem, si extra romanam curiam fieret, numeratis mensibus a die supplicationis, et non a diæ præstiti consensus. At hæc providentia desiit inter cancellariæ regulas edi, postquam in hanc ipsam rem prodiit generalis constitutio Gregorii XIII, anno 1585, quæ incipit: *Humano vix judicio*, 85, in bullario romano. In hac constitutione cautum fuit, ut nulla resignatio valeret, etiam ex caussa permutationis, nisi quæ publicaretur intra certum tempus: videlicet, si ageretur de resignatione in romana curia facta, infra sex menses, si beneficium intra montes fuerit; et si ultra montes, intra novem menses a data concessionis gratiæ, non a die præstiti consensus numerandos; quod si ageretur de resignatione facta apud ordinarium, vel apud alium extra curiam romanam, intra mensem publicatio fieret. Itaque ut hodie resignatio valeat, debet intra legitimum tempus publicari, idest publice nota fieri in ecclesia beneficii, in conventu populi actum renunciationis legendo, illumque ad fores ecclesiæ promulgando, ut, quid gestum sit, omnibus pateat. Non tamen inverosimile est, etiam per æquipollens, ut ajunt, publicationem fieri posse, quod contingit, quum nec vi, nec clam, nec precario resignatarius missus fuerit in possessionem beneficii, et ab ejusdem possessione resignans omnino recesserit; id enim est, quod vulgo dici solet missionem in possessionem publicationi æquivalere, dummodo resignans non amplius in possessione sit; Faber in codice de sacros. eccles. defin. 44 juncta definitione 59 et 60.

Non sunt omittendæ duæ aliæ regulæ cancellariæ, nimirum 40 et 45 in quarum priore occurritur bono publico, ne aut permutationes, aut resignationes contra leges fiant, in posteriore occurritur indemnitati singulari, qua resignantium, qua resignatariorum. Itaque in regula 40 cavetur, ut cum receptio resignationis alieni committatur, tum executor apostolicus moneatur, ut observet, an in resignationem simoniaca labes, aut alia illicita pactio, et morum corruptela irrepserit; item ut cum alicui committatur receptio resignationis caussa permutationis, moneatur executor, ut noverit, effectum non habere permutationem, nisi revera uterque ex permutantibus jus habuerit in beneficio, quod permutatur. Quid enim, si unum beneficium litigiosum fuerit? Quid si fictitium, vel nullius om-

nino redditus, quod Pragmatici appellant beneficium *de pertica?* Quid si beneficium esse dicatur, quod erat aut laica cappellania, aut pium quoddam legatum? In his omnibus casibus permutatio nullius erit momenti. In regula 45 statuitur, ut, cum de resignatione, vel cessione beneficii agitur, sive in manibus papæ, sive in cancellaria romana, non aliter apostolicæ literæ expediantur, nisi resignans, vel cedens, si præsens in romana curia fuerit, personaliter, alioquin per procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, expeditioni hujusmodi in eadem cancellaria expresse consenserit, et juraverit: quod si beneficiarius pluries successive gratia diversarum personarum de eodem beneficio resignando consenserit, primus tantum consensus attendatur. Denique observandum est, resignationes in favorem fere semper in romana curia expediri per literas in forma *dignum* juxta constitutionem 32. Pii V mandarique ordinariis executoribus, eorumdem onerata conscientia, ut investigent resignatarii qualitates universas, ac tum demum ad exequendas apostolicas literas deveniant, cum satis sit utilitati ecclesiæ factum, imo, si de beneficio parochiali agatur, curent, ut resignatarius ab examinatoribus synodalibus examinetur. Insuper hodie receptum est a temporibus Clementis XI ut, si agatur de resignationibus parochialium, dignitatum, canonicatuum, et aliorum beneficiorum residentialium, adhibenda sit attestatio ordinarii super idoneitate resignatarii, exceptis resignationibus canonicatuum collegiatarum Galliæ, in quibus in romana curia nullæ exiguntur ordinariorum attestationes. Quod si agatur de resignatione beneficiorum simplicium, receptum quoque est in romana curia, ut illa admitti valeat sine attestatione ordinarii; insuper si agatur de beneficio parochiali resignando, non aliter, excepta Gallia, resignatio admittatur, quam si resignatarius sit jam constitutus in ætate annorum triginta, quamquam generaliter verum sit, ad beneficium parochiale adeo provectam ætatem non requiri. Id refertur apud Rigantium ad regulam 45, cancellariæ numero 36 et sequentibus. Ex quibus omnibus liquet, quibus cautionibus pro temporum opportunitate usi fuerint pontifices maximi, ut inter resignationes occasio omnis auferretur, fraudem faciendi, quæ fieri sæpe consuevit ex multorum improbitate, utilitatibus ecclesiarum.

APPENDIX

DE BENEFICIIS IMPROPRIIS.

Quemadmodum feuda impropria dicuntur, quæ a generalibus feudorum regulis recedunt juxta singularem investituræ formulam, ita jure optimo beneficia dicentur impropria, quæ generaliter, et undecumque non habent beneficiorum omnium naturam, qualitates, proprietatesque universas, sed ejus indolis sunt, qualem singulari jure ex sui institutione, vel ex fundationum tabulis acceperunt. Hinc tot demonstrari possunt beneficiorum impropriorum exempla, quot modi sunt, quibus simplex beneficiorum natura immutetur, ea adjecta observatione, qua demonstretur, quædam beneficia modo magis, modo minus impropria dici, prout vel magis, vel minus beneficiorum ordinariis regulis subsunt. His positis, beneficia impropria dixeris præstimonia, seu præstimoniales portiones, quæ scilicet alicui conceduntur, incidente quadam ex caussa, nec perpetuo duratura, ex. gr. caussa studiorum, vel paupertatis, vel militiæ ineundæ, c. ult. de conces. præb in 6. Impropria quoque dixeris beneficia manualia, electiva, patronalia, item coadjutorias etiam cum jure futuræ successionis, vicarias, et alia bene multa. Sed quæ magis, et omnino impropria dici possunt, sunt clericalia patrimonia, et cappellaniæ, præsertim laicales, quibus vix beneficii ecclesiastici nomen tribui potest, quibusque propterea nullo modo accommodari possunt leges illæ universæ, quæ de beneficiis ecclesiasticis mentionem faciunt, sive onus, sive jus, aut privilegium contineant. De hoc igitur postremo beneficiorum impropriorum genere superest, ut in præsentia disseramus, ad absolvendam tractationem; siquidem de aliis impropriis beneficiis jam multa in præcedentibus tradita sunt, et pro omnibus sufficeret generatim dicere, ipsis regulas omnes in beneficiis præstitutas accommodari, nisi in quibusdam a generalibus regulis eadem beneficia exempta fuisse apertissime demonstrentur.

Ut primum de clericalibus patrimoniis dicam, observant viri eruditi, per duodecim fere priora sæcula nullum fuisse illorum usum. Vel enim ad ea tempora respicimus, quibus clerici vitam communem ducentes ex redditibus ecclesiarum in communi alebantur; tum vero quicumque ab episcopo ordinaretur, in bonorum communionem adsciscebatur in collegio, neque ordinabantur plures, quam red-

dituum quantitas, et ratio ferre valeret; quamobrem ut plurimum præstitutus erat administrorum numerus, quemadmodum de constantinopolitana ecclesia testatur Justinianus in nov. 3 principio; et cap. 1, cui jungi potest novella 6, cap. 8, et si quando præter numerum ordinatio facta fuisset, sacris canonibus omnino improbabatur, ita ordinatis ab ordine officioque suspensis, can 1 et 2, dist. 70, nisi forte adauctis redditibus ecclesiasticis episcopus alios adjungi clericos non tam utiliter, quam commode posse duxisset. Vel ad ea tempora respicimus, quibus jam discissa vitæ clericalis communione singulis certa bona, certaque officia sub beneficii nomine adsignata fuerunt; tum vero nemo ordinabatur, nisi occasione vacantis beneficii ejusque titulo, quemadmodum etiam hodie usuvenit in ordinatione episcoporum, qua nemo insignitur, nisi certa sede episcopali vacante temporibus Alexandri III et Innocentii III cum quidam episcopi numerum clericorum pro lubitu augerent, cavendum fuit ut ordinatores in pœnam admissi tenerentur ordinatis indigentibus necessaria vitæ subsidia subministrare, quod adparet primum ex c. 4 de præbend. Ibidem voluit Alexander III, ut si episcopus aliquem in diaconum, vel presbyterum ordinaverit sine titulo, de quo necessaria vitæ percipiet, tamdiu ei necessaria ministret, donec in aliqua ecclesia convenientia stipendia militiæ clericalis adsignet, adjecta exceptione, nisi ordinatus de suis vel paternis bonis subsidium vitæ habere possit. De subdiaconis nihil expressè definivit Alexander III, utpote cujus ætate subdiaconatus ordo necdum inter sacros adnumerabatur, can. 4, dist. 60. Temporibus Innocentii III etiam subdiaconi referri cœperunt inter clericos majores, et vere in sacris ordinibus costitutos, uti liquet ex c. 9 de æt. et qualit. præfic., tum vero Innocentius III eandem disciplinam observandam in ordinatione subdiaconorum mandavit, quæ in ordinatione diaconorum et presbyterorum observabatur Hinc est, quod in c. 13 de æt. et qualit. præfic. conquestus de cujusdem episcopi facto, qui clericos sacris ordinibus sine titulo initiaverat, mandavit eidem, ut ordinatis provideret. Idipsum et clarius rescripsit in c. 16 de præbend., ubi tradidit, ex canonum sententia debere quidem irritas esse ordinationes sine titulo factas, attamen ex indulgentia quadam, se mitius agere velle, mandans, ut episcopus, qui subdiaconum sine titulo ordinaverat, ordinato beneficium concederet, et quousque non concesserit, ordinato vitæ necessaria suppeditaret. Exceptionem etiam probavit in c. 23 de præb., declarans posse sacros administros sine titulo ordinari, quin ordinatores teneantur ad necessaria vitæ subsidia præstanda, quoties ordinati de patrimonialibus bonis valeant sustentari. Ex his rescriptis factum est, ut passim judicaretur abolita veterum canonum pœna præstituta odio ordinationum sine titulo factarum, qua nimirum ordinati erant ab ordine suspensi, can. 1 et 2, dist. 70 cujus loco successerat obligatio penes ordinatorem alendi ordinatum. Ad evadendam hanc obligationem curaverunt episcopi, ut, quoties ordinaturi essent majores clericos sine titulo, idest nullo concesso beneficio, tum non aliter ordinandos admitterent, quam si ordinandi se necessariis vitæ subsidiis non destitui demonstrarent, quod probabatur laudatis Alexandri III et Innocentii III, rescriptis atque hanc demonstrationem appellaverunt patrimonii ecclesiastici constitutionem, cap. 23 de præbend. At enim interea quidem episcopi abutebantur hac nova disciplina; nimirum cum ordinaturi essent clericos inopes, ut se ab onere eos alendi relevarent, exigebant ab ordinandis jusjurandum, quo sponderent, se nihil ab ordinatoribus postulaturos. Gregorius IX gliscenti abusui occurrit, statuens in hac specie, ordinatorem per triennium esse a collatione ordinum suspensum, et ordinatum esse suspensum ab ordine sic suscepto, donec a sede apostolica dispensationem obtineret, cap. 45 de simonia, qua in specie confirmata videtur veterum canonum disciplina, qua suspensio ab officio indicebatur, quin attenderetur moderatio invecta ex indulgentia Alexandri III et Innocentii III. His adhibitis cautionibus, non displicuit ea ordinandi ratio aut episcopis aut clericis beneficiariis inferioribus, propterea quod numerus administrorum ecclesiasticorum augebatur, dum præter beneficiarios erant alii titulo patrimonii ordinati, ac propterea sine diminutione obventionum ecclesiasticarum cedentium beneficiariis, munera sacra commodius exercebantur. Sed iterum in concilio tridentino res hæc in gravissimam controversiam adducta fuit, uti refert cardinalis Pallavicinus in sua historia lib. 17 cap. 9, et prope eo devenerant ecclesiastici patres, ut neminem amplius ordinandum titulo patrimonii admitterent nisi statim objectum fuisset, fraudem exinde fieri ecclesiis numero plurimis, in quibus perpauca admodum beneficia, alicubi etiam nonnisi unicum erecta dignoscerentur, nec satis poterat per paucos beneficiarios publicæ sacrorum utilitati prospici: quamobrem prudentissime cavendum fuit, ut non aliter fierent ordinationes titulo patrimonii, quam si per illas necessitatibus, aut utilitatibus ecclesiarum consuleretur, cap. 16, sess. 23, juncto cap. 2, sess. 21 de ref.

Perspicue exinde colligitur, non æque admitti ad ordinationem titulum patrimonii, ac admittatur titulus beneficii: videlicet ordinatio facta patrimonii titulo, non ordinarii juris est, sed veluti in subsidium permissa,

quoties, id opus esse vel saltem utile ecclesiæ prudenti episcopi arbitrio videatur; quare traditum est apud Fagnanum ad cap. 4 de præbend. num 24, nonnisi ex dispensatione ordinationes ejusmodi fieri. Ecquidem concilium tridentinum minime definivit quantitatem patrimonii, et fructuum e patrimonio redigendorum, proptereaquod de ea re ageretur, quæ non potuisset in singulis diœcesibus æqualiter omnino servari propiereaque episcoporum arbitrio erat relinquenda: tantum decrevit, ut sufficere illud posset ad honestam clericorum sustentationem juxta mentem veterum decretorum Alexandri III et Innocentii III superius commemoratorum; adeo ut, si forte quis tenue et insufficiens beneficium possideat, ordinari possit, quoties beneficio tantum privati patrimonii adjiciatur, quantum par esse sustentando clerico valeat. Debet autem patrimonium esse perpetuum, certum, pacifice possessum, in bonis immobilibus consistens et fructiferum. Quod perpetuum esse debeat deducitur, illud alienari non posse sine licentia episcopi, nunquam facultatem hanc concessuri, nisi quum aut caussa existat necessaria, aut clerici utilitas suadeat, cui alias consulatur; uti contingit in permutationibus, aut in illis caussis, in quibus certo modo clerici utilitati æque prospicitur quemadmodum evenit in clerico, qui ordinatus est titulo patrimonii, et interea gaudet coadjutoria cum jure futuræ successionis; eveniente enim successionis tempore, permitti eidem poterit, ut patrimonium alienet. Similiter evenit in clerico, qui cum patrimonii titulo ordinatus esset inde ecclesiasticum beneficium sufficiens adipiscatur. Hinc non repugnat, certis conditionibus patrimonium ab initio constitui, ut ex. gr. loco tituli esse desinat, cum clerico alia ratione consultum fuerit. Quod certum esse debeat, deducitur, designandam in primis esse ab episcopo certam redditus quantitatem, ad quam patrimonia exigantur, et juxta eam patrimonium constitui oportere. Quod pacifice possideri illud oporteat, colligitur in primis faciendas esse publicas in ecclesia constituendi patrimonii proclamationes, ne forte in re aut aliena, aut aliis obligata inutiliter constituatur; deinde quamquam ab extraneo donante constitui possit, evitandum tamen semper esse, ne subdola donatio sit contracta ex. gr. inter donantem et donatarium fiducia, ut dominus re specie tenus donata fruatur, aut ne in fraudem aliorum ea donatio tendat, quod ex. gr. contingeret, si pater in injuriam, et diminutionem legitimæ portionis singulis liberis debitæ uni filio patrimonium constitueret. Quod denique in bonis immobilibus ac fructiferis consistere debeat patrimonium colligitur, res mobiles, imo et immobiles infructiferas admitti non posse, ne menti concilii, et antiquiorum constitutionum fraus fiat. Non esset tamen rejicienda constitutio facta in censibus justis, aliisve similibus juribus, quæ immobilium jure censentur, et certas habent obventiones; dummodo caveat episcopus, ut, si forte census debitor sortem restituat, ea in rem æque immobilem, ac fructiferam impendatur; imo et tradit Barbosa de offic. et potest. episc. al legat. 19 num. 73, in arbitrio episcopi esse, ut clericum ordinet, quotius extraneus quidam par solvendo, alimenta se præstiturum spondeat ordinando; hæc enim fidejussio immobilium jure in hac parte censetur.

Gravem controversiam movere solent postrema verba tridentini concilii in dicto c. 2, quibus nova hæc patrimoniorum disciplina certis modis confirmata est, hac adjecta pœnali sanctione, *antiquorum canonum pœnas super his innovando*. Num nomine antiquorum canonum intelligemus canones 1 et 2 distinct. 70, quibus ipso jure suspensi declarantur, qui sine legitimo titulo ordinantur, aut potius capitulum 16 de præbend. cum similibus ubi pœna imminet episcopo ordinatori, ut ipsum ordinatum alere vel donare beneficio teneatur, eo etiam adjecto, ut graviore pœna et ordinans, et ordinatus plectantur, quoties ordinationis tempore conventum fuerit, ne ordinatus alimenta peteret ab ordinante, juxta capitulum penultimum de simonia? Indiguerunt sane interpretatione verba laudata tridentini decreti, in quorum conspectu receptum fuit, innovatas tantummodo fuisse pœnas adversus episcopus ordinatores præstitutas in dicto c. 16 de præbend., uti ad illius interpretationem testatur Fagnanus num. 63 non vero eas, quæ olim præstituebantur, et fuerunt jamdiu in dictu cap. 16, ex indulgentia remissæ. Et quamquam Sistus V, in sua constitutione, quæ incipit *Sanctum et salutare* anni 1588 nonis januarii, voluerit, ordinatos sine patrimonio sufficienti eo ipso pœnam suspensionis incurrere, ea tamen constitutio in illa parte abrogata fuisse videtur a Clemente VIII in constitutione, quæ incipit *Romanum pontificem*, 10, in qua voluit, ut omnia ad normam tridentini concilii redigerentur. Neque dicas, subobscuram videri in ea generali formula tridentini concilii sententiam. Facile enim est in eadem tridentinorum antistitum prudentiam insignem agnoscere, quoniam emergere casus poterat in dicto c. 16 de præb. et similibus non comprehensus in quo propterea adhuc definiendum erat juxta antiquiores canones, idest primum et secundum dist. 70. Finge ex. gr., monachum necdum professum titulo monasterii ordinationem subdolis artibus ab episcopo impetravisse: nonne dicendus ipse fuisset jure ipso suspensus, quod ad hanc speciem disciplina dicti capituli 16, et similium minime perti-

neat? Revera ita declaravit Pius V in sua constitutione *Romanus pontifex sacrorum*, anno 1568 pridie idus octobris. Finge clericum in designatione patrimonii circumvenisse fraudibus episcopum ordinantem: nonne adversus eum locum haberet vetus pœna suspensionis, quando in dicto c. 16. Innocentius III tantum coercere voluit episcopos illos, qui sponte ordinationem sine titulo celebravissent? Finge, episcopum sine titulo ordinantem pactum fuisse, ne quidquam a se peteretur: nonne et suspensioni locus faciendus erat, juxta capitulum 45 de simonia? Erant hæc, et similia singularia; quamobrem utile fuit in tridentino concilio generalem clausulam adjicere de innovandis antiquorum canonum pœnis quæ pro varietate factorum variæ erant, et omnino distinctæ. Unum adhuc adjiciendum superest ad hanc rem; nimirum titulum hodie jure communi requiri in ordinatione sacrorum idest collatione subdiaconatus, majorumve graduum, non vero inferiorum, quoniam receptum hodie est, inferiores administros resilire ab officio posse. Sacrorum ordinum tantum mentium fit in dicto tridentino capite 2, uti et in capitulo 15 de ætat. et qualit. præfic., quamquam in cap. 4 de præbend. tantum de diaconis et presbyteris mentio fiat, dicendum est, uti superius prænotabam, temporibus Alexandri III necdum subdiaconatum inter majores ordines habitum ex generali disciplina fuisse, et cum temporibus Innocentii III subdiaconi inter majores clericos recenseri cœperint, cap 9 de ætat. et qualit. præficiend., tum disciplinam jam olim invectam respectu diaconorum, et presbyterorum, protractam etiam ad subdiaconos fuisse, cap. 16 de præbend., nisi dicere malis, dictum fuisse ab Alexandro III in dicto cap. 4, et quod omissum fuit de subdiaconis apud Alexandrum III, supplendum esse ex rescripto Innocentii III in dicto cap. 16 eod. tit.

Cappellaniæ ita dictæ, quod ut plurimum significant obligationem vel celebrandi missæ sacrificium vel certa ministeria præstandi statis diebus in certa cappella, sive altari, argumento canonis 30, de cons. dist. 1, non semper eandem habent naturam, quum earum indoles potissimum a fundationum tabulis pendeat, proindeque modo magis, modo minus a generalibus beneficiorum regulis recedunt, prout postulant variæ conditiones initio adpositæ, pro ea quæ fundatoribus amplissima tributa legibus fuit, potestate, can. 30, caus. 18, quæst. 2, cap. 4, de cond. adpos., juncto argumento legis 48, ff. de pactis, l. 1, § 6, ff. depositi, l. 20, § 1; ff. de pact. dotal., l. 2, ff. siqu. a par. man. fuer. lib. 1, ff. de solution. l. 1, cod. de sacrosanct. eccles. Harum institutio recentiorem originem habet, inductam exempla beneficiorum. Etenim cum olim auctoritate antistitum tributa fuissent ecclesiastica officia et unicuique clerico certa bona adsignata sub nomine beneficii; antistitum exemplo vel collegia clericorum, vel singulares personæ etiam laicæ certa bona certis conditionibus discreta voluerunt, quibus clerico cuidam certis indictis oneribus consuleretur. Itaque beneficiis formam dedit ratio ipsa publica sacræ hierarchiæ; unde beneficia munerum publicorum nomine recte possunt appellari: at cappellaniis formam dedit singularis pietas et religio erigentium fundatorum, quæ sola pro lege fuit. Sed heic est, ubi sæpe numero fit confusio rerum et notionum, quandoquidem cappellaniæ etiam beneficiorum nomine passim, utut improprie, appellantur, propterea quod quædam sint et beneficiis, et cappellaniis communia; item quandoque cappellaniæ confundantur cum anniversariis, vel piis legatis, utut cappellaniarum natura adhuc sit a natura anniversariorum, vel legatorum piorum valde distincta. Ut ex methodo dicam, in primis observandum erit, qua ratione cappellania, aut conveniat cum beneficiis, aut a beneficiis distinguatur; deinde observandum, qua ratione cappellania aut conveniat cum anniversariis, vel legatis piis, vel ab eisdem secernatur, quibus positis, facile cappellaniarum natura atque indoles dignoscetur.

Itaque in primis convenit cappellania cum beneficio in eo, quod in utroque certum sit sacrum officium obeundum, aut saltem religiosa vel pia quædam munera exercenda, adeo ut cappellanus ea non implens removeri, abs jure cappellaniæ possit, argumento cap. 2 et 4, de cler. non resid., monitione sane præmissa, authentica *hoc amplius* cod. de fidei commiss. nisi fundator jure ipso cappellanum a cappellania cadere voluisset. Deinde illud est et beneficiis et cappellaniis commune, ut certa quoque in cappellaniis constituta sint bona, quasi dos a cappellano in perpetuum possidenda. E converso a beneficio cappellania differt primum in eo, quod beneficium ecclesiasticum clerico semper concedatur, at cappellania non semper clericum exigat possessorem, sed et quandoque laico conferatur; adeo ut si cappellaniæ nullæ exercendæ hierarchicæ functiones adhæreant, sed tantum pia quædam opera, aut religiosa, veluti, dotium annuatim præstandarum, pecuniæ in pauperes tribuendæ, hæc a laico cappellano fiant; quod si functiones hierarchicæ peragende sint, laicus cappellanus satisfaciat, si clerico eas obeundas mandet, nisi specialiter in fundatione cautum fuerit, ut cappellanus clericus esse debeat. Differt etiam a beneficio cappellania in eo, quod ad erigendum beneficium intervenire debeat ecclesiastici prælati auctoritas, et quotiescumque beneficium vacet, debeat auritate ecclesiastici prælati conferri, non privata auctoritate alicujus capi: at in cappellania non

requiritur aut in erigendo, aut in conferendo auctoritas ecclesiastici prælati, cum omnia, vel ab eo, qui erexit vel ab eo, qui erigenti successit, et patronatum habere dicitur, vel ab alio quocumque, quem fundator designaverit, perficiantur, quamquam nec repugnet, fundatorem in limine fundationis voluisse, ut episcopi auctoritas seu in electione, seu in collatione, prout cappellania vacet, intercedat. Potissimum aut discrimen, quod inter cappellaniam et beneficium intercedit, et ex quo semper cappellania a beneficio distinguitur, illud est, quod beneficium vere inter jura ecclesiæ recenseatur, et titulus semper penes ecclesiam sit, manente administratione generali penes ecclesiæ prælatum; licet identidem reserventur quædam jura honorifica gratia fundatoris, eorumque, qui a fundatore caussam habet; at cappellania proprie non est inter jura ecclesiastica cum titulus remaneat penes fundatorem, sive iste laicus sit, sive ecclesiasticus, vel penes eos, qui a fundatore caussam habent, licet fieri possit, ut multa ad cappellaniam ipsam spectantia conferantur in fidem, religionem, ac sollicitudinem prælati ecclesiastici, ex quo fit ut multa, quæ in beneficiis obtinent ex constitutionibus prælatorum, ad cappellanias non producantur, uti contingit in reservationibus pontificiis, quæ ad cappellanias non extenduntur, etiamsi de cappellaniis agatur, quæ fuerint prælatis ecclesiæ commendatæ aut caussa collationis, aut caussa alterius actus, ex quo cappellania ecclesiastica dici possit.

Deinde in quibusdam convenit cappellania cum anniversario, in quibusdam etiam ab anniversario, distinguitur. De anniversariis primum mentio facta occurrit apud Honorium III in cap. 11, de celebrat. miss., inde illorum mentionem fecit Bonifacius VIII in cap. un. de cler. non resid. in 6, sunt autem illa annuæ defunctorum commemorationes. Anniversariorum exemplo alia fuerunt instituta pia relicta, in quibus juxta mentem fundatorum sæpius exercentur opera quædam religiosa; atque hæc iterum nonnihil commune habent cum cappellaniis, quamquam in aliquibus a cappellaniis etiam distinguantur. Illud commune omnibus est, ut et cappellania, et anniversarium, et pia relicta universa perpetua censeantur, quoscumque heredes etiam seros obligatura, nisi aliter fundatorem voluisse, expresse constet. Ita in simili propemodum argumento respondit Modestinus in l. 6, ff. de annuis legatis, ubi perpetuo luendam voluit annuam pecuniam ad ludos civitatis relictam, propterea quod testator caussam perpetuam contemplatus fuisse videbatur. Plane in anniversariis, in cappellaniis, in piis relictis omnibus caussa etiam perpetua est, nimirum divinus cultus, redemtio peccatorum, suffragium animæ defuncti, aut opera pia pauperibus sibi perpetuo succedentibus utilia. Hinc facile occurritur difficultatibus, quæ in contrarium objici possent in conspectu legis 32, § ult. ff. de legat. 2, legis 38, § 4, legis 93, ff. de legat. 3, et novellæ 59, cap. 1 et seq. quæ enim ibidem occurrunt argumenta, non habent caussam perpetuam, qualis inest in anniversariis, ceterisque piis relictis in perennæ animæ subsidium ordinatis; sed referuntur, aut ad merum testatoris præceptum, quod perpetuum non censetur, aut ad fideicommissum gratia familiæ constitutum; cujus quoque caussa perpetua non præsumitur, cum æqualis non videatur testatoris benevolentia in seros descendentes, qualis est in proximos ad certos usque gradus. E converso distat cappellania ab anniversariis, ceterisque piis defunctorum relictis, quod in cappellania certi fundi demonstrantur, atque a patrimonio, seu hereditate fundatoris segregantur, quasi dos ejusdem cappellaniæ adsignata cappellano; sed in anniversariis, ceterisque piis relictis, præcipua habetur personalis obligatio heredibus imposita, etiam sine ulla designatione certorum fundorum; quod si quandoque contingit, certos fundos pro executione pii relicti demonstrari a testatore, hæc tamen demonstratio non eo refertur, ut indicetur, fundos eosdem esse veluti certam rem ab hereditate separatam, quasi dotem pii operis instituti, sed eo, ut noverint heredes, quibus ex fundis luere quantitatem debeant ad executionem piæ voluntatis, vel noverint heredes, manere apud se præcipuam personalem obligationem, fundosque designatos esse caussa pii relicti hypotheca obligatos. Ex quo proficiscitur, cappellaniam prorsus extingui, ubi fundi perierint, quamquam non pereant cetera pia relicta etiam pereuntibus fundis caussa executionis, aut hypothecæ demonstratis, manente semper in heredibus quibuscumque personali obligatione. Proficiscitur insuper, fundos cappellaniæ adsignatos alienari non posse sine solemnitatibus requisitis in alienatione rerum ad rempublicam pertinentium, et sine caussæ cognitione; e contrario alienari posse ab heredibus fundos demonstratos pro anniversariis, ceterisque piis relictis, sine ulla solemnitate, et sine caussæ cognitione, nisi aliud fundatorem voluisse probetur, manente tantum penes heredem alienantem personali obligatione, argumento legis 81, § ult. ff. de contrah. emt. l. 96, 120, ff. de legat. 1, l. 38, ff. de usu, et usufr. leg. l. 2, § 1, ff. de alim. et cibar. legat., aut in novum possessorem translata hypothecaria obligatione, si pro anniversario, piisve relictis fundi fuerint a fundatore obligati, argumento l. 12, ff. de alimen. vel cibar. vel si tacite ex lege hypothecæ obnoxii fuerint, uti contingit, quoties legato constitutum anniversarium proponatur,

l. 1, cod communia de legatis. Denique proficiscitur, institutis anniversariis, vel aliis piis relictis, bona demonstrata dividi inter heredes pro hereditaria parte, divisa quoque eodem modo obligatione, contra quam obtineat in cappellania, quæ semper individua est, cujus propterea bona una cum obligationibus cohærentibus semper manent apud cappellanum, sive heres sit fundatoris, sive quicumque alius, hac adjecta observatione, ut si forte a fundatore heres fuerit cappellanus institutus in perpetuum, et emergat casus plurium coheredum, tunc apud seniorem, tamquam, apud patronum bona cappellaniæ consistant, nisi aliud adpareat a fundatore constitutum, argumento l. 77, § 21, ff. de legat. 2, juncta l. ult. ff. de fide instrumentorum, et l. 192, ff. de regul. juris. Plane ex his omnibus in quorum conspectu liquet, quomodo a beneficiis, vel a legatis quibuscumque piis cappellania distinguatur, jam intelligitur quænam sit singularis cappellaniarum indoles, ac natura.

Vulgaris est cappellaniarum partitio, juxta quam aliæ ecclesiasticæ, aliæ laicales appellantur. Proprie ecclesiasticæ dicuntur, quoties erigantur ecclesiasticorum antistitum consensu, argumento capituli 4, de relig. domib. licet in tabulis fundationis adjectum fuerit, nullam episcopi institutionem requiri, quotiescumque cappellania vacaverit, sola nominatione patroni vim institutionis habente. Idem erit, si ecclesiæ, si rectori ecclesiæ, si collegio clericorum seu secularium, seu regularium, concessa cappellania fuerit a fundatore, can. 6, cau. 10, qu. 1, cap. unic. § ult. de jure patron. in 6, argumento l. 20, § 1, ff. de annuis legatis. Quod si concessa fuerit hospitali, distinguere oportebit inter ecclesiasticum et laicum hospitale: si laicum, laica intelligetur, si ecclesiasticum, ecclesiastica; quemadmodum et laica cappellania erit, si laicorum sodalitio concedatur, dicto capitulo 4, de religios. domib.

In cappellaniis ecclesiasticis ea fere omnia vigent, quæ in beneficiis obtinent, nimirum sive quod spectat bonorum alienationem, sive quod spectat præsentationes, institutiones, earundem tempora, ac devolutiones, sive quod spectat jurispatronatus extinctiones; sive quod spectat titulum ordinationis, quo quis arctatus dicatur, sive quod spectat ætatem, obligationesque personales cappellani, qualis est inter ceteras horarum canonicarum recitatio, et residentia, quicumque sint utut tenues cappellaniæ fructus, imo etiamsi cappellanus removeri ad nutum ex fundationum tabulis possit. Uno verbo, eatenus tantum hujus generis cappellaniæ a beneficiis ecclesiasticis distare videntur, quatenus aut fundator expresse distare constituerit, argumento capituli 10, de rescriptis, aut, quoties in antiquis non adpareat expresse quid fundator voluerit, quatenus distare demonstret usus rerum gestarum.

Laicæ cappellaniæ dicuntur, in quibus ex voluntate fundatoris ita omnia disposita sunt, ut nulla in erectione, eove minus in institutione cappellanorum episcopalis requiratur auctoritas, etiamsi caverit fundator, ut ecclesiasticæ personæ cappellania tradatur, qua in specie satis erit, si designetur unus ex clericis, qui ab episcopo fuerit adprobatus, ut in diœcesi ea munera obeat, quæ obeunda sunt ex cappellaniæ fundatione. Quamobrem hujus generis cappellaniæ modo appellantur salaria, aut stipendia clericorum, modo meræ defunctorum memoriæ, aut commemorationes, et fidei commissis potius, quam beneficiis æquiparantur, ita ut, nisi aliud fundator expresserit, earum capaces etiam laici sint, etiam feminæ, etiam infantes, dummodo semper curetur, ut oneribus sacrorum per clericos idoneos satisfiat. Et quamquam episcopi jurisdictio sit, curare, ut pia defuncti voluntas executioni mandetur, nov. 131, cap. 2, cap. 3, de testam. concilio tridentino sess. 22, de ref. cap. 8, nisi et id fundator expresse vetuerit, in ceteris tamen negotiis, et controversiis, quæ spectant ex. gr. jura vocatorum ad cappellaniam, bonorum alienationes, et similia, publicorum potius magistratuum erit jurisdictio, atque in iis dirimendis caussis legum magis civilium, quam ecclesiasticarum placitis inhærendum. Quid vero, si quærendum sit, an laicam, an ecclesiasticam cappellaniam fundator erexerit, erigendamve mandaverit? Præcipue erunt adamussim investigandæ fundationis tabulæ, verbisque earum ac formulis, insistendum, ut, quid testatur voluerit ex formulis iisque deficientibus ex conjecturis saltem, eliciatur. Deinde si de vetere fundatione agatur, cujus certa non sint, aut non amplius supersint scripto commendata monumenta, consuetudo rerum eousque gestarum, optima erit voluntatis interpres, argumento l. 14, § 2, ff. de alim. vel cibar. legat. Quod si post universas facti investigationes, adhuc omnia in incerto collocata sint, ecclesiastica potius, quam laica cappellania erit præsumenda: etenim nomen cappellaniæ per se et proprie ecclesiasticam cappellaniam significat; atque a propria significatione verborum non aliter recedere oportet, quam cum manifestum est, aliud sensisse fundatorem, argumento l. 79, ff. de legat. 3. Neque in contrarium dicas, cappellaniam ecclesiasticam tum demum dici, cum ordinarii auctoritas erectioni ejus accesserit; accessionem autem non facile præsumi, sed probandam esse, cum in facto consistat, argumento canonis 18, de consecrat. dist. 1. Quid enim, si mortuo fundatore, qui testamento cappellaniam ab heredibus instituendam decrevit, dubitatio emergat, an heredes

teneantur ab episcopum confugere auctoritatis interponendæ caussa? Quid, si dubitatio emergat de cappellania jamdiu erecta, et in qua proponatur ordinarii institutio intervenisse? Nonne in prima specie exposcendus adhuc erit ordinarii consensus et in altera consensum saltem tacitum episcopi accessisse, præsumendum videretur?

Singularia quædam sunt observanda in cappellaniis laicalibus, quod attinet ad obtinendum illorum possessionem. Quamquam enim illæ longe recedant a natura beneficiorum, propterea que eisdem, quibus beneficia, regulis non subsistant, quoniam tamen quandam habent beneficii imaginem, illud semper elaborandum est, ut cum beneficiis, servata singulari earundem natura, conferantur. Quamobrem cum in beneficiis patronatis adquirendis quatuor actus distinguantur, videlicet nominatio a patrono facta, præsentatio, qua nominatus se sistit coram eo, qui instituendi jus habet, ecclesiastica institutio, et missio in possessionem; ita in cappellaniis laicis cum locum habere nequeat præsentatio aut institutio, sed tantum nominatio, ac missio in possessionem, adhuc inveniri potest, quod præsentationis, institutionisve speciem præseferat, quod fit, quoties nominatus cappellaniam postulat, jure suo sibi ex nominatione quæsito experiens adversus quemcumque in contrarium contendentem. Item observandum est, in cappellaniis laicis nullibi reperiri definitum tempus ad nominandum, nullumque propterea jus ordinariæ devolutionis agnosci oportere, sed patronum illis juris remediis, quoties negligat, adigendum, etiam episcopi auctoritate, quibus adigi potest, quicumque ad opera pia executioni mandanda tenetur, neque enim tempora, atque ordinaria devolutionum jura in beneficiis ecclesiaticis constituta, illico ad hujus generis cappellanias protrahuntur, sive quod ibi versetur jus recentioribus sæculis præstitutum, propterea que novum, nec facile ad species non expressas extendendum, cap. 3, juncto cap. 1 et 2, de jurepatr. sive quod in beneficiis ecclesiasticis juspatronatus competat ex canonum potius privilegio, quod certis finibus coerceri potuit; ast obligatio hereditaria respectu cappellaniæ laicæ tota constituitur jure generali, quo certa jam remedia statuta fuerunt ad tuendas defunctorum voluntates. Itaque arbitrio judicis tota res definietur, modo majus, modo minus tempus ad nominandum definituri, habita ratione adjunctorum, præsertim iis postulantibus, atque instantibus, quorum interest, argumento l. 1, § 2, ff. de jure deliber. Ceteris in caussis, quales passim emergere solent respectu seu activi, seu passivi patronatus, atque in definiendo, quis cui præferatur, ubi aliquid in fundationis tabulis expresse definitum non adpareat in specie, ea omnia adamussim erunt observanda, quæ in patronalibus beneficiis obtinent, cum in hac parte laicæ cappellaniæ a beneficiis minime distare videantur.

Perraro in ecclesiasticis, frequentius in laicis cappellaniis contingit, ut cappellanus ab eo, qui jus conferendi habet, amoveri possit; tum demum scilicet, cum id in tabulis fundationis exprimitur. Qua in specie plura observanda occurrunt. Primum est, has cappellanias utut ecclesiasticas, reservationibus pontificiis obnoxias minime esse, cum non semper proprie vacare dicantur. Deinde certum est, in eisdem locum non habere regulas aut de annali, aut de triennali possessione, qua quis sibi valeat illas adversus quemcumque in perpetuum adserere, vindicare, quasi possessio precarii instar sit, et omnem præscriptionis caussam excludat. Non tamen exinde colligitur, has cappellanias quodammodo perpetuas dici non posse: etenim adhuc perpetuo possidentur natura sua, quamquam valeant revocari, eodem modo, quo leges, ac rescripta perpetua dicimus, licet revocationibus subjiciantur, cap. ult. de rescript. in 6, quemadmodum etiam perpetua dicimus beneficia, quæ manualia non sunt, licet et ista ita quandoque concedi possint, ut post certum tempus, certisque non impletis conditionibus revocentur, can. 42, cau. 7, qu. 1, c. 34, de elect. in 6. Nimirum in his, ac similibus speciebus perpetuum dici potest, quod ita conceditur, ut sperari valeat, futurum aliquando, ne revocetur, argumento l. 56, ff. de condictione indebiti. Ex hac observatione deducitur, cappellanias istas morte concedentis non ipso jure amitti, sed tum demum si revocentur a successore, argumento capituli 3, de precar. quin obstet capitulum 5, de rescript. in 6, alia enim ibidem species occurrit, videlicet de eo, qui certa beneficia usque ad beneplacitum pontificis maximi obtinuerat, non quousque concessio revocaretur; cui simile est, quod legimus in l. 4, ff. locati, quæ etiam in contrarium opponi solet. Deducitur præterea, earum cappellaniarum possessores æque ac beneficiarios, ad horas canonicas, et residentiam, nisi a fundatore absoluti fuerint, obligari, et beneficia a sede apostolica impetraturos, si ecclesiastica cappellania sit, quam possident, ejusdem mentionem facere in libello supplici debere, eodem modo, quo facere debent mentionem beneficii a se possessi, si aliud beneficium postulent. Amplius dico; nimirum regulariter datam revocandi facultatem non adeo libere explicari posse ab eo, cui competit, ut sine ulla caussa ad revocandum deveniatur: præsertim si cappellania ecclesiastica sit, in qua conferenda, aut auferenda, arbitrium potius prudentis viri, quam effræne placitum electum præsumitur, et ea cappellaniæ qualitas potius impressa videtur ad continendum in officio cappellanum, qui

veritus, ne removeatur, gravius in munus susceptum incumbat; non sane quod eædem caussæ ad removendum cappellanum in proposito requirantur, quales requiruntur ad removendum beneficiarium: sed quod certas saltem caussas, utut leviores, subesse necesse sit. Porro istæ caussæ vel suboriuntur ex parte ejus, qui cappellaniam concessam, vel ex parte ejus qui cappellaniam obtinuit. Exemplum primi generis est, si ei, ad quem cappellani nominatio spectat, liberi adgnascantur, aut idonei fiant, qui olim minus idonei erant, quibus cappellania conferatur. Exemplum secundi generis est, si cappellanus minus accurate aut officium gerat, aut bona cappellaniæ administret. Quid vero, si fundator ita omnia in voluntatem nominaturi contulerit, ut prorsus ab ejusdem nutu cappellaniæ possessionem pendere voluerit? Non est in proposito dubitandum, quin fundatoris sequi oporteat voluntatem, et nunquam possessor sine caussa remotus conqueri apud judicem possit, nisi dolus removentis adsit, et per injuriam remotio fiat, argumento canonis 63, cau. 11, qu. 3, capituli 31, de elect. in 6, et l. 12, § 3, ff. de liberali caussa. Finge nunc, conferentem cappellaniam hujus generis, collationis tempore spopondisse, se non revocaturum. Ecquidem quæcumque obligatio ex ea pactione nata dicatur, in successorem minime transibit, nisi successor sit heres promissoris, l. 14, cod. de rei vindicat., successor enim, qui heres non est, jure proprio, tanquam vocatus a fundatore, facto decessoris minime adstringitur. Quamobrem si in ejus generis cappellania constituendum ecclesiasticum patrimonium sit, quasi titulus perpetuus ordinationis, satis non erit factum menti ecclesiæ perpetuum patrimonium postulanti, si conferens cappellaniam, spondeat, se non revocaturum, nisi ulterius ipse caveat, se, quocumque casu cappellaniæ concessio revocetur, tantundem substituturum, quantum patrimonialis constitutio requirit. Num vero poterit ipse conferens adversus sponsionem suam revocare concessionem? Ego distinguendum puto, an æqua superveniat revocandi caussa, an minus. Si enim nulla subest revocandi caussa, quid oberit, ne pacto, quod jam ipso jure collationi cappellaniæ inesse diximus, firmetur collatio, et quod collatum fuit, non revocetur? At si æqua supervenerit revocandi caussa, multum intererit, an ista ex parte conferentis accesserit, quia ex. gr. idoneum consanguineum invenerit, quem velit cappellano præferre; tum vero pactum vires exeret, quum unusquisque favori pro se introducto valeat renunciare; atque id est, quod modo tradebam, et istud pactum successorem patronum, dummodo heredem, obligare; an caussa accesserit ex parte cappellani, quia forte cappellanus non recte in cappellania versetur, tum vero pactum illud inane prorsus esset, nec aut paciscentem ipsum, aut paciscentis heredem obligaret; utpote quod fundatoris voluntatem everteret, qui conditione revocationis adjecta sollicitus maxime fuit, ut ea lege cappellanum in officio contineret; successor autem fundatoris tenetur leges omnes a fundatore positas custodire in ea parte, quæ non meram gratiam exhibent successoris. Simili de caussa ego puto, cappellaniam ecclesiasticam, quæ revocari ab episcopo ex fundationis tabulis possit, etiamsi aliquando a pontifice maximo extra ordinem conferatur, adhuc ab episcopo revocari posse, si cappellanus certam revocationi faciendæ caussam præbuerit; imo et in hac specie illud accedit, quod pontifex maximus in ea collatione non præsumatur rei collatæ naturam immutavisse, argumento capituli 6, de confirmat. utili, vel inutili, et clementinæ unicæ vers. *Præmissa* de suppl. neglig. prælat. quamquam tamen in proposito optimum erit ordinarii consilium, si nonnisi ex graviore quadam emergente caussa ad revocandam a possessore cappellaniam deveniat.

CONCLUSIO.

His omnibus arbitratus sum, universam, amplissimam beneficiorum ecclesiasticorum materiem, quoad fieri per me valuit, perspicue, ordinateque potuisse perstringi. Non dubito, quin longe plura apud interpretes nostros, longe etiam plura apud pragmaticos tradita reperiantur. Sunt illa factorum adiunctis ut plurimum involuta; sunt insuper potius accommodata variis consuetudinibus curiarum, quam scriptæ, eidemque perpetuæ canonum disciplinæ. Curavi ego, ut, quoad fieri possit, paucis exhiberentur, ea, quæ magis patrum regulis convenirent; qua in re si ego a vulgaribus recentiorum placitis visus fuero recessisse, candide fateor, me traditionum mearum pœnitere non posse, dum ecclesiasticorum virorum, qui et nobis, et universæ ecclesiæ auctores quoquo modo sunt, et vindices germanæ ecclesiasticæ disciplinæ, dogmata secutus sum, potius, quam illorum, qui sequioris ætatis usibus, nescio, an dixerim, corruptelas, morem gesserunt, atque indulserunt. In meo etiam proposito me confirmant ipsæ, quas recentiores scriptores miscent disputationes, inter quas observo, istorum disciplinam parum esse constantem, nec ubique facile reperire addictissimos sectatores. Interea, quæ a me tradita sunt, qualiacumque habeantur, quibusdam proderunt, ut commode possint, et sine difficultate, quascumque nostrorum traditiones legendo, audiendove percipere, et, quod optimum est,

de ipsis etiam judicare. Spero etiam futurum, ut quicumque æquo animo ad has meas lucubrationes accesserit, non tantum in iis, quæ ad politioris scientiæ cultum, verum etiam in iis, quæ ad forenses usus pertinent, ea inveniat, quibus non omnino frustra laborem, operamque meam insumsisse videar; tunc autem non me pœnitebit, imo etiam atque etiam gratulabor, quod hanc inscripserim, brevem quidem, sed undique absolutam tractationem.

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX

QUO EXHIBENTUR ORDO ET SINGULARIA ARGUMENTA

TRACTATIONIS

DE POTIORIBUS ECCLESIÆ DIGNITATIBUS ET OFFICIIS, SEU COMMENTARIORUM

IN PRIMUM ET SECUNDUM LIBRUM DECRETALIUM.

DISSERTATIO VI.

TRACTATUS

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS, SEU COMMENTARIORUM

IN TERTIUM LIBRUM DECRETALIUM.

DISSERTATIO I.

DISSERTATIO II.

DISSERTATIO III.

DISSERTATIO IV.

DISSERTATIO V.

PARS I.

PARS II.

PARS III.

DISSERTATIO VI.

DISSERTATIO VII.

CAROLI SEBASTIANI BERARDI

PRESBYTERI UNELIENSIS

DE REBUS AD CANONUM SCIENTIAM PERTINENTIBUS

COMMENTARIA

IN JUS ECCLESIASTICUM UNIVERSUM

CAROLI SEBASTIANI BERARDI

PRESBYTERI UNELIENSIS

DE REBUS AD CANONUM SCIENTIAM PERTINENTIBUS

COMMENTARIA

IN JUS ECCLESIASTICUM UNIVERSUM

VOLUMEN SECUNDUM

MEDIOLANI MDCCCXLVII
SUMPTIBUS LAURENTII ROSSI
TIPOGRAPHI ET BIBLIOPOLÆ LAURETANI
BORRONI ET SCOTTI EXCUDEBANT

DE CONJUGIORUM JURIBUS

TRACTATIO

AD QUAM COMMODA METHODO

QUARTUS GREGORII IX

DECRETALIUM LIBER EXIGITUR.

Optandum equidem est ingenioso viro, egregiæque alicujus disciplinæ cultori, ut illi, cui præcipue nomen dederit, doctrinæ nonnullas bonas artes adjiciat, ut eo sibi cultior, ac rei publicæ utilior videatur, quo plura sibi decora comparaverit; ut tamen id ex voto plene cumulateque adsequatur, aut raro evenit, aut nunquam, propterea quod et humani ingenii infirmitas, et varii humanæ vitæ angustis finibus circumscriptæ casus, et uniuscujusque scientiæ late diffusa amplitudo, neminem fere ita patiatur ornari, vix quisquam post longos nec intermissos labores, vigiliasque in una perfectus esse scientia possit. Ceterum quædam identidem occurrunt argumenta, in quibus tot tantæque sunt aut necessariæ, aut opportunæ animadversiones habendæ, ut belle nonnisi ab eo tractari queant, qui multarum disciplinarum principia sedulo fuerit meditatus, eademque apprime caluerit. Hujus sane generis argumentum est, quod tractandum in præsentia suscipio, de juribus conjugiorum nimirum in quo solida altissimæ Ethices præcepta, quibus naturalis honestas investigatur, ac demonstratur, explicanda sunt; deinde habenda perspicua notitia illorum, quæ in sacris literis tum veteris, tum novi testamenti, Deo auctore, sunt edita, adjectis iis, quæ sancti ecclesiæ Patres traditi divini verbi custodes docuerunt; preterea juris civilis romani ac postremo ecclesiasticorum canonum non ignorandæ sunt definitiones; unde fiat, ut qui in hanc rem operam sit collaturus, et in naturali philosophia, et in divinarum rerum sapientia valde profecerit, una autem juris utriusque prudentiam longo studio profiteatur. Revera in primis naturæ jura diligenter curioseque sunt investiganda quando non de christianorum tantum qui legibus divinis et ecclesiasticis subesse se palam glorientur, nec de populorum tantum romane civitatis jure viventium, qui legibus Quiritium subsunt; sed de universarum gentium nuptiis agendum est. Quid enim, si ethnici, judæive conjuges vel uterque, vel eorundem alteruter convertantur ad Christi fidem? Nonne et de illorum conjugiis apud nos judicandum est, quemadmodum suis temporibus judicavit apostolus Paullus in epist. 1 ad Corinthios cap. 5, et alibi, ac recentioribus sæculis judicaverunt Gregorius II, inter ceteros pontifices maximos, Gregorius III, Zacharias, dum ad Bonifacium episcopum et martyrem de caussis conjugiorum emergentibus apud Germanos tum primum fidem christianam amplexos scripserunt, nec non Innocentius III in cap. 7 et 8, de divortiis? Quid, si de dispensationibus, quibus alias irrita, injustaque conjugia fiant justa legitima, ab eo, ad quem pertinet, impetrandis agatur? Nonne in conspectu habenda erunt et naturalia, et divina jura, et secernenda eadem a positivis legibus; ut quando istis facilius derogatur, illa inconcussa maneant, quousque aliud non suadeat recta et divini et naturalis juris interpretatio? Quod si ea multa saltem generatim commemorem, quæ a conjugiis pendent, qualia sunt, quid in matrimoniis debeatur Deo, et provido ejus vinculi, et clementissimo ejus sacramenti institutori, quid posteritati, ac perpetuitati humani generis, quid parentibus, quid liberis, quid conjugibus invicem inter se, quid toti familiæ, quid societati universæ? mihi sane videor multa, et magna complecti, in quibus multiplex qua publici, qua privati juris, qua sacræ, qua profanæ disciplinæ peritia versatur. Consignandæ quoque sunt variæ temporum notæ; item habenda diversa locorum, provinciariumque ratio vel ab ipsa primæva hominum propagine ad postremam usque et seram ætatem traducenda; quando aliud scimus observatum fuisse ab hominibus actus suos ad simplicem naturæ legem exigentibus, aliud electo judæorum populo singularibus præceptis instituto a Deo mandatum: aliud in evangelio nobis indictum; multa denique his adje-

cta aut legibus publicis populorum, aut legibus sanctissimis ecclesiarum. Duo exinde veluti consectaria proficiscuntur. Primum est, tractationem istam variarum disciplinarum cultoribus, utut longe dissimilia in genere suo sint illorum studia, habendam esse communem, et ad eam philosophos, æque ac theologos, juris cæsarei æque ac canonum ecclesiasticorum interpretes, juris publici æque ac privati peritos posse accedere jure suo: alterum, quod a priore parum distat, eo pertinet, ut ego, licet, ecclesiasticorum canonum disciplinam pro munere meo profitear, non potuerim tantum, sed debuerim plura ex aliis disciplinis, præsertim ex juris romani, vel cujusvis alterius in romani vicem aliquando suffecti sanctionibus derivare. Cum enim et ipsi canonum auctores disciplinam conjugiorum in pluribus invenerint jamdiu firmatam sapientissimis populorum cultiorum legibus, proptereaque frustra in rebus optime constitutis nova studia, labores, vigiliasque impendissent, viam idcirco indicaverunt mihi, qua ad leges illas identidem respicerem, quarum sequi prudentiam ita in hac parte, sicut in aliis pluribus dedignati non sunt, cap. 1, de novi oper. nunciatione. Itaque libentissime imitabor sanctos ipsos ecclesiæ patres, qui in controversiis morum dirimendis sæpissime ad publica legum monumenta respexerunt ipsi, et ad eadem respicienda alios exemplo suo gravissimo concitarunt, can. 7, et sequentibus, dist. 10, et alibi passim; et quidem sine juris consultorum invidia, qui dum norunt, regulas suas sacris canonibus comprobari, eo vel maxime solida se jecisse principia glorientur. Imo et mihi propterea lætor, quod non injucundæ, exinde forte etiam non inelegantes habendæ sint meæ istæ lucubrationes, quando multiplici decore ornata, et variis veluti coloribus picta prodire tractatio debet; in qua ita me gesturum præterea profiteor, ut omnia in hoc disserendi genere ceteroqui sui natura proclivi, periculoso ac lubrico, ad temperantiam, pudorem, decoramque modestiam componam; gravissimo enim probro mihi ipse verterem, si cuiquam in hoc vel levem offensionem me injecisse deprehenderem, aut me posse injicere suspicatus, minime temperarem. Quam secuturus sim methodum, paucis exhibeo. Tribuitur tractatio in septem dissertationes. Prima generalis erit, et fere procemii loco; siquidem explicabit conjugiorum naturam, proprietates, qualitates omnes ipsam etiam dignitatem, unde aut hodie, aut aliquando, aut apud nos, aut apud alias non omnino incultas gentes jura conjugiorum constituta sunt atque firmata. In posterioribus ad ipsam conjugiorum celebrationem, qualis potissimum apud nos in facto consistit, expendendam accedam; quamobrem in secunda et tertia agam de iis quæ matrimonium anteire solent, non quidem aut de dotis constitutione, aut de donatione propter nuptias; quamquam enim de his mentio fiat in cap. 6, in fine de donatione inter vir., et uxor. hæc tamen argumenta potius civilis juris interpretibus relinquenda putavi; sed de sponsalibus primum, deinde de denunciationibus. In quarta designabo personas ad contrahendum conjugium idoneas; atque in quinta formam, ac solemnitates conjugii contrahendi. In sexta indicabo legitimos quosdam celebrati conjugii effectus. Denique in postrema de variis modis, aut caussis, quibus legitima semel contracta connubia dissolvantur. Interea vero non prætermittam nonnullas quæstiones singulis dissertationibus subjectas adsuere; earum enim diremtione, quæ generatim tradita sunt, adjectis ita effusisque luminibus clarius explicatum iri arbitrabor. Equidem nemo non videt, me in concinnando hujus tractationis ordine non secutum fuisse eandem omnino rationem, quam in ceteris juris ecclesiastici partibus exornandis mihi proposui. At satius duxi, perspicuitati rerum consulere, quam perpetuo me mihimet ipsi similem exhibere, etiam tum, cum materies singularum methodum postularet. Porro quæ dirigenda in præsentia sunt, ita in conspectum meum adducuntur, ut extendi, proponi, explicari paullo aliter debeant. De hoc proposito benevolum lectorem, ut judicet, rogo postquam universa in hoc libello descripta sedulo perlegerit, et apprime, uti decet, perpenderit; neque enim dubito, quin is, si non cetera, methodum ipsam saltem, utut singularem, veluti maxime opportunam, minime sit improbaturus.

DISSERTATIO PRIMA

DE CONJUGIORUM NATURA, ET DIGNITATE; ITEM PROPRIETATIBUS, AC QUALITATIBUS UNIVERSIS.

Maris et feminæ conjunctionem ad perennem et fere immortalem propagationem generis ordinatam, hominibus quidem esse cum brutis quibuscumque communem, naturali ratione intelligimus. Quoties vero consideremus, in eadem conjunctione naturam in brutis nihil aliud postulare, quam fœtum, et educationem, in hominibus autem excellentiora quædam officia constituisse, quibus et magis magisque firmaretur societas inter ipsos, et ad Deum supremum omnium conditorem in procreanda æque ad tuenda sobole suspiceretur; facile colligitur, singulares hominibus regulas esse vel ab ipsis naturæ institutionibus custodiendas. Verum, licet in definiendis generalibus naturæ præceptis in unam facile sententiam conveniamus omnes, atque, ut exemplum proferam, fateamur sponte, et sine discrimine, servandam esse in conjugiis honestatem; in iis tamen, quæ veluti consectaria ex generalibus deducuntur, non perpetua, et constantissima semper fuit gentium omnium, ne illarum quidem, quæ cultiores habentur, sententia. Incredibile propemodum dictu est, quam varia fuerit pro locorum, ac temporum varietate disciplina conjugiorum inducta; unde sæpissime contigit, ut inhonesta, ac turpis, ac ne conjugii quidem nomine digna, apud aliquos ea conjunctio haberetur quæ apud alios decora videretur, et honestissima. Infinitus propemodum essem, si varios gentium mores in hac re inductos in præsentia recenserem. Multa paucis perstrinxit Alexander ab Alexandro in lib. 1 Genial. dier. cap. 24, inter quæ lego, veteres Ægyptios, Persas, Epirotas et Macedones sororum amoribus conjugiisque passim fuisse implicatos; imo et Persas ipsos, Arabas, Mauros, nonnullosque ex Indis cum suis etiam parentibus coivisse, quo spectare videtur, quod scribebat Ovidius lib. 1, Metamorph. de quibusdam provinciis, *in quibus et nato genitrix, et nata parenti jungitur, et pietas geminato crescit amore*; præterea apud Romanos Julium Cæsarem decrevisse, ut quot quisque vellet, uxores duceret, et sub Valentiniano Cæsare lata lege publica invaluisse, ut duas uxores ducere liceret, quemadmodum etiam testatur Nicephorus Callistus in lib. 11, histor. ecclesiast. cap. 33, quod et apud Athenienses olim in usu fuisse fertur, quodque vix veri speciem habet, apud Lymitinos populos, filios ex promiscuis conjunctionibus editos in unum cogi singulis quinquenniis consuevisse, ut quem quisque sibi similem oris habitu habuisset eum pro filio educeret. Hæc sane omnia, quemadmodum alia bene multa, quæ ibidem commemorantur, boni omnes pudenda admodum, et turpia illico judicabunt. Addo, Tertullianum in Apologetico retulisse, viros gravissimos et philosophos, græcum Socratem, et romanum Catonem uxores suas amicis communicasse, quod ego doleo vehementer traductum in canonem 2, caus. 12, qu. 1, ubi sub nomine Clementis papæ hæc leguntur: *Græcorum quidam sapientissimus, hæc ita sciens esse, ait: communia debere esse amicorum omnia. In omnibus autem sunt sine dubio et conjuges.* Horret animus ad hæc, et tum demum quiescit, quum intuetur, monumentum illud apocryphum esse, et ab eo tantum auctore proditum, cujus mores perditi essent atque corrupti. Utinam vero non ad has opiniones prope aliquando accessisse visus fuisset Augustinus, dum in sermone 1, cap. 16, de sermone Domini in monte ita scribebat: *Rursum quæritur, utrum si uxoris permissu, sive sterilis, sive quæ concubitum pati non vult, adhibuerit sibi alteram vir, non alienam, neque a viro, sejunctam, possit esse sine crimine fornicationis. Et in historia quidem veteris testamenti invenitur exemplum: sed nunc præcepta majora sunt, in quæ per illum gradum generatio humana pervenit. Tractanda illa sunt ad distinguendas ætates dispensationis divinæ providentiæ, quæ humano genere ordinatissime subvenit, non autem ad vivendi regulas usurpandas. Sed tamen, utrum quod ait apostolus, mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir, similiter et vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier, possit in tantum valere, ut permittente uxore, quæ maritalis corporis potestatem habet, possit vir cum altera, quæ nec aliena uxor sit nec a viro disjuncta, concumbere: sed non ita est existimandum, ne hoc etiam femina viro permittente facere posse videatur, quod omnium sensus excludit. Quamquam nonnullæ*

caussæ possint existere, ubi et uxor mariti consensu pro ipso marito hoc facere debere videatur, sicut Antiochiæ factum esse perhibetur ante quinquaginta ferme annos Constantii temporibus. Hoc in loco subjicit Augustinus historiolam cujusdam uxoris marito consentiente in certis adjunctis extraneum passæ, post quam ita concludit: *Nihil hinc in aliquam partem disputo: liceat cuique æstimare, quod velit, non enim de divinis auctoritatibus depromta historia est, sed tamen narrato facto non ita hoc respuit sensus humanus, quod in illa muliere viro jubente commissum est quemadmodum antea, cum sine ullo exemplo res ipsa poneretur, horruimus.* Utinam, inquam non prope ad hæc accessisse visus fuisset Augustinus; neque enim tunc adactus fuisset, ut materiem illam postulante Pollentio ad puriorem formam exigeret in libris de adulterinis conjugiis; neque fateri debuisset in lib. 1, retract. cap. 19, se in expositione sermonis Domini in monte scrupolosius tractavisse quædam, quæ facile offensionem parerent, nisi cum ceteris a se alias traditis jungerentur. Auctor canonis 4, cau. 27, qu. 2, sub nomine Joannis, Chrysostomi conjugiis accommodavit vulgarem illam juris regulam, *omnes res, per quascumque caussas nascitur, per easdem dissolvitur*, ut concluderet, mutuo conjugum consensu posse patrimonia dirimi, propterea quod consensu mutuo contrahantur; quæ profecto sententia nemini placebit, præsertim quod sine Chrysostomi injuria dici id potest, quando ex opere imperfecto in Matthæum falso sancto eidem viro tributo canon depromtus agnoscitur. Quid memorem canonem 18, caus. 32, qu. 7, in cujus conspectu non erubuit Gratianus scribere, se non teneri auctoritate Gregorii pontificis, quod ejus monumentum *sacris canonibus, imo evangelicæ, et apostolicæ doctrinæ penitus invenitur adversum*; aut quid memorem canonem 2, caus. 32, qu. 2, seu, quod idem est, cap. 1, de despons. impub., quo traditur puerulos a parentibus in matrimonium datos, utut non consentientes, teneri cum adoleverint in conjugio permanere etiam invitos? Duo hæc monumenta jam ego expendi in meis animadversionibus in Gratianum. Tantum hoc in loco attigisse sufficiat, ut demonstraretur, rem esse valde arduam, et perdifficilem, quandoquidem in variis definiendis regulis honestatis in conjugiis observandæ homines etiam cultiores in varias abiverunt opiniones. Quid ergo? Num in hac re crassis adeo tenebris offundemur, ut quoniam ex consensu gentium universarum, et perpetua temporum disciplina vix quidquam firmum, et inconcussum colligere possumus, quas leges natura in celebrandis, fovendisque connubiis humanis mentibus præstituerit, ignorabimus? Si hæc regula jacienda generaliter esset, omnia ea esse juri naturali conformia quæ gentes omnes saltem cultiores probaverint, et e converso abs jure naturali abhorrere, quæ gentes omnes saltem cultiores inhonesta turpiaque putaverint, in grandi conflictu versabimur, in conspectu variarum disciplinarum, quas hucusque ex pluribus gravissimis viris, et cultis populis derivatas expendi. Si dicendum sit, naturæ præcepta satis unicuique esse perspecta, utpote quæ intime hærent mentibus singulorum, gravior forte erit conflictus, eoque res deducetur, ut tot statuantur fere naturalis juris dogmata, quod sunt capita etenim si inconstantes invicem populos demonstravi, frustra pollicerer, invicem consensuros animos hominum singulorum. Absit autem a me, ut ad hanc rem accommodare velim juris naturalis imaginem, quam tradidit Justinianus in principio instit. de jure nat. gent. et civ., scribens, jus naturale illud esse, quod natura omnia animalia docuit; neque enim adeo lubricam esse decet conjugiorum celebrationem inter homines, qualis est conjunctio belluarum.

Agedum ergo præcepta vere naturalia demonstremus. Non est sane, fateor, unius, aut alterius hominis utut præstantis ingenii definire, quænam inseruerit mentibus nostris natura, cum naturalis lex omnibus notissima perspectaque esse debeat, et sita sit in communi consensione, dummodo gentes illas excipias, quæ ob efferatos mores jamdiu justum injusto quasi ruentes in densa caligine miscuerunt. Hinc quamquam nonnulla sint, quæ contrariis opinionibus, et moribus obnoxia fuerint, plura tamen sunt, in quæ omnes, aut saltem cultiores gentes consenserunt. In his autem in primis juris naturalis magna pars est agnoscenda. Itaque nemo dubitat, quin naturali honestate, unde jus omne dimanat, homines eo inducantur, ut dum connubia ineunt, non tamen augendo hominum numero, seu perpetuitati generis studeant, quam ut ea sedulo curent, quæ societatem juvant, quodque omnium optimum est, et maximum, religionem, et pietatem erga Deum coniugii ipsius auctorem foveant, tam in conjugibus ipsis, quam in prole suscepta: atque hinc statim deducitur, naturali jure ea omnia prohibita intelligi, quæ vel in ipsius conjugii usu procreationem sobolis impediant, vel quæ editorum liberorum institutionibus adversentur, quod vergeret primum in detrimentum civilis inter homines arctissimo naturæ ipsius fœdere junctæ societatis, deinde in Dei optimi maximi injuriam et contemtum. Ex isto veluti principio ad clariorem naturalis juris explicationem præjacto, in quod facile est gentes universas, aut saltem cultiores, sponte adductas circumspicere, nemo non videt, quot numero, et quanta pendeant consectaria; hinc enim commode aut dissolvi,

societas, atque animorum consensio matrimonium haberetur, sed unum adjutorem alterius, alterum præcipuum familiæ regimen vindicantem, sed unum alteri similem, non æqualem, ut alter alteri subjiceretur, quas utriusque notas natura ipsa in difformi sexu constituisset. Et revera cum ex divina ordinatione constantissimum, ac perpetuum conjugii vinculum necteretur, matrimonii ineundi substantia erat in ea caussa potissimum collocanda, quæ perpetuo etiam consisteret, cujusmodi esse non poterat sobolis procreatio, cui sera conjugum ætas inepta fuisset; poterat e converso arctissima quædam societas animorum, et individua communio vitæ; imo cum isthæc universæ vitæ communio, hominum conjunctiones a conjunctionibus brutorum maxime distingueret, quando in procreatione sobolis omnia fere sunt hominibus brutisque communia, tanto aptius erat humani conjugii substantiam ponere non in ipsa procreatione sobolis, sed potius in individua universæ vitæ communione, quanto dignior conjunctio hominum esse deberet conjunctione brutorum. Adde his, pertinere ad bonum præcipue universitatis, quod uxor prolis caussa ducatur: pertinere autem ad mutua officia invicem inter conjuges ipsos præstanda, quod ducatur uxor caussa adjutorii, idest quod, uti ajebant romani veteres, fiat inter conjuges individua consuetudo vitæ, atque omnis juris communicatio. At bonum illud universitatis, quod ex sobolis procreatione dimanat, licet aliquando præceptum fuerit; ut cureretur, quoties nimirum universitas alias in interitum vergeret, quandoque tamen, imo ut plurimum, postquam latissime propagatum est genus humanum, non adeo magnum est, ut illi non præstet continentiæ bonum, quod ipsi conjuges consequantur. Sed fœdus sanctissimæ societatis ac communionis semel inter conjuges initum invicem eos ita devincit, ut vix præstantius quoddam bonum proponi possit, cujus adsequendi gratia quoquomodo sit ab eodem fædere recedendum. In hac utriusque caussæ comparatione, caussam adjutorii, sive individuæ vitæ, caussæ sobolis procreandæ facile præferemus, ut in illa potius, quam in ista substantiam humani conjugii collocemus, unde deducatur, quod ab initio constitui, non solum vere matrimonium dici, quod necdum consummatum sit, verum etiam illud, in quo conjuges concordi voluntate de continentiæ bono servando consentiant.

Posita res esset extra omnem difficultatem, nisi adhuc objicerentur duo monumenta, alterum Augustino, alterum Leoni Magno adscriptum in can. 16 et 17, caus. 27, qu. 2, quæ sane veteres interpretes non parum turbaverunt. Verum quod spectat canonem 16, jamdiu romani correctores palam fecerunt, eundem perperam ex Augustino laudari, quando inter sancti hipponensis antistitis opera minime reperitur. Addo ego, apud Augustinum e contrario ejusmodi legi sententias, quæ in oppositam partem nos adducere necessario debeant, quemadmodum perspicue liquet ex can. 9 et 10 eadem caussa, et quæstione. Amplius progressi sunt romani correctores, scribentes, laudatum canonem 16 *videri summam sequentis capitis*, nimirum 17. Ego, venia dixerim virorum gravissimorum, huic notæ subscribere nequeo; quamquam enim noverim, contigisse aliquando in Gratiani codice, ut adjectæ canonum Summulæ pro canonibus haberentur, sicut inter ceteros adparet in can. 7 et 8, eadem caus. et quæst., tamen in hac parte id non contigisse demonstratur, vel ex eo, quod eadem ipsa verba rursum sub Augustini nomine apud Gratianum legantur post canonem 39, eadem caussa et quæst., vel ex eo, quod sub Augustini etiam nomine legantur apud Petrum Lombardum Gratiano coævum scriptorem in lib. 4 sententiarum dist. 26. Neque vero me quisquam interroget, cuinam canon sit adscribendus? Siquidem investigent fragmenti illius auctorem, qui plus otii habent: mihi sufficit observavisse, illud non esse Augustini, cui ceteroquin adscribitur: propterea que nihil facessere negotii, quousque nec paris nec haud longe inferioris, nec forte majoris cujusquam viri ecclesiastici nomine vere insignitum proferatur. Ad canonem 17, iterum romani correctores animadverterunt, vitiatam fuisse a collectoribus scripturam, præsertim ubi pro verbis illis postremis *nuptiale ministerium*, scribendum erat ex integra Leonis epistola ad Rusticum Narbonensem *nuptiale mysterium*. Interrogaverat Leonem Rusticus, num valerent nuptiæ cum quadam virgine contractæ ab eo, qui concubinæ jampridem fuerat junctus. Respondit sanctus pontifex, nihil obesse nuptiis cum alia jure contrahendis veterem usum concubinæ, quam quoties vir caussa legitimæ ducendæ uxoris dimisisset, ex ejusdem Leonis sententia non erat duplicatio conjugii, sed profectus honestatis, can. 11, cau. 32, qu. 2, atque huius rei ratio reddebatur, quia nuptiale mysterium, quod scilicet in significanda Christi cum Ecclesia conjunctione consistit, in concubina desideraretur, quæ sane sententia a proposita disputatione distat quamlongissime. Ceterum ad ejus capitis interpretationem plurimum juvare posset, mentem Leonis rescribentis intime perscrutari, qualis deduceretur ex totius epistolæ lectione, quemadmodum ego jam observavi in meis animadversionibus in Gratianum parte 2, tom. 1, cap. 42. Juvabit quoque ea observare, quæ inferius tradam in qu. 4 de veterum concubinatu, ubi hanc ipsam Leonis epistolam commemorabo.

QUÆSTIO II.

Quomodo in conjugio christianorum cohæreant, et ratio contractus, et ratio sacramenti?

Duplicem esse matrimonii inter christianos initi rationem, inficiari nemo potest: nimirum in eo celebratur, et contractus quidam certis legibus inter conjuges custodiendus, cujus vi communis est connubiis omnibus sive inter christianos, sive inter ceteros homines indoles ac natura: et sacramentum ecclesiæ, cujus caussa connubia fidelium tam ob nobiliorem supervenientem dignitatem, quam ob spirituales, qui ex divina institutione proficiscuntur, effectus, multo connubiis infidelium præstant. Verum quo firmior apud nostros est ista traditio, eo minus certum est, quomodo invicem et ratio contractus, et ratio sacramenti cohæreant, ob varias scholasticorum disputationes, quibus nondum finis impositus est ex ecclesiæ definitione. Ut verum candide fatear, post pensatas opinionum omnium, quæ hinc illinc emerserunt, caussas, anceps adeo sum, ut ignorem, in quam potius mihi sit partem eundum: illudque opportune usurpem, quod in quibusdam de sacramento baptismi quæstionibus ajebat Augustinus in can. 31 de consecr. dist. 4, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum concordi oratione, et impensis supplici devotione gemitibus implorandum esse, ita sane, ut post me dicturos sententias, siquid jam exploratum, et cognitum adferrent, humiliter expectarem. Interea neminem otiose morabor, quodque satis erit pandendæ exhitationi meæ, satis etiam erit curiosæ lectorum voluntati, exhibebo, non componentis, aut disputantis, sed enarrantis instar, quid senserint variæ scriptorum classes, quarum singulis sua laus est, post quæ unusquisque in quam magis propendere videatur, opinionem inclinet nisi forte et eadem ipsa affectus sit animo dubitatione, qua me affici in præsentia sentio.

In eo vertitur totus disputationis cardo, ut (quoniam sacramenta omnia suum ministrum habent, suam etiam formam, et materiam, uti recentiores theologi loqui adamarunt, vel certa verba, et res, sive sensibilia signa, uti veteres loquebantur) commode designetur et sacramenti matrimonii minister, et sacramenti ejusdem forma, ac materia, sive verba, ac sensibilia signa, ex quibus matrimonium ad producendam Dei gratiam jure elevatum esse credatur. Certa ab incertis sejungamus. Quæ certa sunt, et ab omnibus sine dubitatione recepta, ad duo capita reducuntur. Primum est generaliter in Sacramentis omnibus, ac propterea etiam in sacramento matrimonii, eum esse ministrum, qui formam pronunciat, eam esse formam, quæ materiam sanctificat, eam esse materiam, quæ per formam a ministro sanctificatur. Alterum est in concilio tridentino licet multa specialiter de sacramento matrimonii disputata fuisse sciamus, multa etiam definita, nihil tamen expresse fuisse cautum de ejus sacramenti materia, forma et ministro. Satis fuit providis patribus firmavisse in primis fidei dogma, quo in matrimonio rite celebrato verum novæ legis sacramentum agnosceretur; deinde ad occurrendum pluribus animarum periculis, quæ ex clandestinis conjugiis passim emergebant, utpote quæ rata, et vera conjugia habita fuerant, quamdiu ea irrita non fecit ecclesia, cavisse, ne in posterum aliter celebrarentur matrimonia, quam præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, vel ordinarii licentia, adjiciendo, ut ad celebrationem matrimonii in facie ecclesiæ procedatur, ubi parochus viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, ***Ego vos in matrimonium conjungo in nome Patris et Filii et Spiritus Sancti,*** vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscuiusque provinciæ ritum. Certa hæc sunt apud omnes: nunc scholasticorum dissidia expendamus.

Melchior Canus in suo celeberrimo opere de locis theologicis lib. 8, cap. 5, secutus Guillielmum Parisiensem et doctrinam concilii coloniensis anni 1536 tradidit, civilem contractum a conjugibus initum habendum esse tamquam materiam sacramenti, cui sanctificandæ forma a sacerdote prolata accedat, scilicet cum sacerdos ait, *ego vos conjungo etc.*, juxta laudatam tridentini concilii sanctionem; ac propterea conclusit, ministrum sacramenti esse sacerdotem, qui rite conjugibus benedicat, quam doctrinam non pauci ex recentioribus secuti sunt. E contrario multo plures numero fuerunt, qui sacerdotalem benedictionem mere ceremonialem esse, et ad unam sacramenti solemnitatem, non ad substantiam pertinere dixerunt, qui propterea contrahentes ipsos sacramenti ministros appellaverunt, at deinde ubi de forma, materiave sacramenti designanda ageretur, in varias iterum classes discissi sunt; uti enim ait Benedictus XIV de synodo diœcesana lib. 8, cap. 13, aliquī cum Catharino docuerunt, consensum contrahentium exterioribus signis expressum esse materiam; verba vero a Christo Domino semel prolata, Matthei cap. 19, *propter hanc relinquet homo patrem et matrem et adhærebit uxori suæ*, esse formam pro omnibus fidelium matrimoniis. Alii cum Victoria opinantur, verba unius contrahentis, qui primo suum exprimit consensum, esse materiam, et verba secundo proferentis esse formam, per quam prima determinantur ad constituendum contractum et sacramentum. Alii cum Covarruvia, Vasquez et Basilio Pontio existimant, consensus utrius-

que contrahentis verbis, seu signis manifestatos esse formam, corpora esse materiam remotam, eorumque traditionem, et acceptationem (quam nescio, quomodo a consensu distinguant) esse materiam proximam. Alii cum cardinali de Lugo dicunt, contrahentium verba, seu signa, prout sunt traditio corporum, esse materiam, ut vero significant, et caussant personalem obligationem in utroque contrahente, esse formam. Alii denique, et magis communiter cum Soto, Bellarmino, Suarez, Sanchez et Gonetio affirmant, utriusque contrahentis consensum verbis, seu signis expressum esse materiam simul et formam, sed sub diversa consideratione, nimirum materiam, quatenus significat corporum traditionem, formam, quatenus mutuam exhibet eorundem acceptationem. In opinionum tam variarum conspectu clamavit laudatus canariensis episcopus, indicium non leve esse falsitatis opinionis, ad quam adstruendam coguntur illius assertores tot diversas adsignare unius sacramenti materias et formas, quarum pleræque hæreticis nugatoriæ, ipsisque catholicis aut commentitiæ, aut certe parum solidæ videntur.

Jam vero proferamus momenta, quibus utraque secta, tam eorum, qui Cano adhæserunt, quam eorum, qui contra Canum senserunt, in suam quisque partem trahi professi sunt. Singuli ratione pugnant: singuli traditiones patrum, ac veterum theologorum sententias suæ opinioni accommodant: singuli de tridentini concilii mente investiganda solliciti: neutri perspicuam definitionem ecclesiæ proponentes. Qui Cano adhæserunt, duplici argumentorum genere utuntur; siquidem primo suam opinionem recta firmant, deinde opinionem aliorum, quasi absonam, et alienam a germanis sacræ doctrinæ principiis conficiunt. Ad primum genus referunt plurimas sanctorum patrum veterum formulas, nimirum Ignatii martyris, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Ambrosii et episcoporum concilii carthaginensis vulgo IV, ajentium, *nuptias benedictione ecclesiæ obsignari*, aut *confirmari;* item *manum imponere nubentibus sacerdotes*, ac *benedicere*: addunt præterea Thomam Aquinatem in 4 dist. 1, qu. 1, art. 3, ad 3 scribentem, matrimonium, secundum quod est in officium naturæ, sicut pœnitentiam, secundum quod est virtus, non habere aliquam formam verborum; sed secundum, quod utrumque est *sacramentum in dispensationem ministrorum ecclesiæ consistens*, utrumque habere aliqua verba; quod etiam clarius explicat in lib. 4 contra gentes cap. 78, dum inquit *quandam benedictionem nubentibus per ministros ecclesiæ adhiberi*. His accedit generalis observatio, qua dignoscitur omnia sacramenta ex dispensatione ministrorum Dei pendere; imo etiam adparere in sacramento matrimonii ministerium sacerdotale; dum a sacerdote proferenda sunt ea verba *ego vos conjungo etc.*, aut alia similia juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum, quæ sane non inutilia esse debent. Et quamquam certis in casibus, veluti in baptismate urgente necessitate conferendo, etiam laicus ad conferendum sacramentum admittatur, non tamen is veluti ordinarius administer censetur, per quem sacerdotes, qui ordinarii ministri sunt, excludantur; quod sane contingeret in sacramento matrimonii, cujus si ministri contrahentes essent, ita ab eisdem sacramenti collatio et forma penderet, ut viri ecclesiastici a sacro illo ministerio prorsus excluderentur. Secundum argumentorum genus ita ex Cano complector. In primis verba, quæ proferunt contrahentes, nullam præseferunt sacræ rei imaginem, qualis in sacramentorum forma requiritur, aut esse solet: imo illa talia sunt, qualia ab ethnicis ipsis in conjugiis pronunciantur: alias vero in sacramentis omnibus licet materia sit res aliqua naturalis, et quæ antea in humanos usus conferri soleat, forma tamen supernaturalis sit oportet, cujus scilicet vis et significatio non a natura, sed a caussa quadam superiore oriatur. Nam sacramenta, uti in scholæ proverbio est, efficiunt quod figurant; significatio autem sacramenti in forma vel maxime elucet. Quod si invicem comparentur verba, et quæ a contrahentibus, et quæ a sacerdote proferuntur in nuptiis celebrandis, facile dignoscetur, contrahentium verba undique naturalia esse atque omnibus usurpata gentibus, e contrario verba sacerdotum sacræ rei symbolum et effectum præseferre. Præterea quando verba aliqua sunt forma sacramenti, si nutus, vel scriptura, vel aliud unumquodque signum eorum loco verborum substituitur, inanis actio est: at si contrahentes loco verborum nutus, vel scripturam supponant, æque conficiunt matrimonium ac si verborum millibus uterentur. Quod profecto siquis recte consideret, non leve argumentum est, cur verba contrahentium sacramenti potius esse materia videantur; nam præterquamquod materiam sacramenti is, qui suscipit, administrare potest, formam non potest; cum in idem forte sacramentum verba loco materiæ, formæque recurrunt, pro verbis, quæ materiæ vicem habent, nutus, aliaque signa poni possunt, pro verbis autem, quæ formæ vice sunt, poni non possunt, quemadmodum in pœnitentiæ sacramento facile cernitur. Denique observant, quam absonum sit, ut iidem sacramentum simul et conferant, et suscipiant; atque in uno eodemque sacramento conferendo duo ministri necessario esse debeant, quod omnino singulare esset, et a ceterorum sacramentorum disciplina alienum.

Suas quoque non contemnendas, et prudentissimorum virorum judicio æque probabiles

argumentorum caussas habent, qui contra senserunt. Etenim ipsi observaverunt in primis, verosimile admodum esse Christum Dominum in sacramenti matrimonii institutione sacramentum ipsum naturæ matrimonii accommodavisse, ut propterea ii matrimonii sacramentum conficerent, qui matrimonii contractum conficiebant, eamque ob rem mirum esse non debere, si quædam in hoc sacramento singularia recipiantur, quæ in ceteris sacramentis minime obtinent. Deinde et veterum canonum et tridentini concilii sanctiones scrutati animadverterunt, clandestina conjugia, ea nimirum, quæ nemine ex sacerdotibus præsente fierent, firmitatem obtinuisse, cap. 3 de clandest. despons., cap. 15 et 21 de spons., concil. trident. sess. 24 de reform. matrim. cap. 1, imo etiam post concilium trident. ex recepta ejusdem concilii interpretatione non esse necessarium, ut matrimonium consistat, parochum, aut alium sacerdotem verba in ritualibus præscripta proferre, sed sufficere parochum esse præsentem, licet forte etiam contradicat. In conspectu laudatæ seu veteris, seu novissimæ disciplinæ, se palmam præferre arbitrantur, non enim, ajunt ipsi, matrimonium consistit sine ministro; nec propterea aut constitisset olim non præsente sacerdote, aut consisteret hodie præsente quidem, sed nihil dicente forte etiam contradicente, si sacerdos minister esset. Invictum plane foret hujusmodi argumentum, quoties probari etiam posset, mentem concilii eam fuisse, ut matrimonium aut non præsente olim, aut præsente postea, sed nihil dicente, aut contradicente parocho celebratum valeret non solum uti contractus, sed etiam uti sacramentum, qua distinctione uti solent ad eludendum argumentum, qui contra sentiunt. Verum et hoc demonstrare conantur, qui contrahentes ajunt esse sacramenti ministros, et quidem gravi ratione, qualis ex ipsis etiam concilii tridentini verbis deducitur. Etenim patres tridentini in dicto c. 1 clandestina matrimonia quæ scilicet olim sine præsentia parochi celebrabantur, *rata et vera* matrimonia fuisse dixerunt, quamdiu ecclesia irrita non fecerat. Ecquidem ubi matrimonium duntaxat contractus est, *verum* matrimonium dici potuisset, non tamen etiam *ratum*, saltem postquam *legitimi et rati* matrimonii distinctio apud interpretes canonum et theologos facta fuit, et *ratum* illud tantum matrimonium dici cœpit, quod esset sacramentum; secus dicere oporteret, tridentinos patres aut ignorasse doctrinam ceteroquin in vulgari prudentia positam, aut scientes prudentes receptam verborum significationem sequi noluisse in sanciendis canonibus, quæ dicere, minus consentaneum est. Si forte quemquam ita teneret hæc observatio, ut huic opinioni exinde necessario subscribendum putaret, quasi nullus amplius locus disputationi supersit, rogo illum, ut ulterius observet, *rati* conjugii nomen pro sacramento conjugii usurpari, quoties opponitur *legitimo*, juxta capitulum 7 de divortiis: at quoties opponatur *irrito*, æque referri meo judicio potest ad conjugii contractum: in laudato autem tridentino capite ratum opponitur irrito, ibi: *vera et rata matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit;* et infra: *hujusmodi contractus irritos, et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, et annullat.* Insuper adjiciunt ejus opinionis patroni, in concilio tridentino dicto c. 1 cum de sacerdotali benedictione ageretur, certam determinatamque benedicendi formam non fuisse præstitutam, sed vel eam, quæ ita concipitur, *Ego vos conjungo etc.*, vel aliam, quæ conformis esset recepto uniuscujusque provinciæ ritui. At vero certa verba præstituenda fuisse ajunt, quoties in iis sacramenti forma constituta agnosceretur, quemadmodum in formis ceterorum sacramentorum decretum est. Neque se destitutos ajunt auctoritate sanctorum, gravissimorumve virorum, qui huic sententiæ adhæsisse visi fuerint; nimirum laudant Thomam Aquinatem in supplemento qu. 42, art. 1, ad prim. ita scribentem: *Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujusce sacramenti, non autem benedictio sacerdotalis quæ est quoddam sacramentale.* Post hæc ita perpensa, sicut nemo est qui non laudet eximiam Benedicti XIV prudentiam, qui in dicto cap. 13, lib. 8 de synodo diœcesana cum utriusque opinionis solidiora fundamenta innuerit, non eo se fuisse animo professus est, ut quemquam ad alterutram amplectendam induceret, imo pro officio suo episcopos monitos voluit, ne in hac parte ipsi judicis partes assumant quæstionemque definiant in synodis diœcesanis, de qua ecclesia nihil hactenus pronunciavit, sed theologorum disputationi permisit, quod utraque opinio probabilis sit suosque habeat magnæ auctoritatis patronos; ita nemo erit qui quemquam redarguere possit, quod alterutri potius subscribat, quousque ecclesiæ definitio desideretur.

QUÆSTIO III.

An generaliter verum sit, omnia christianorum matrimonia, ne uno quidem, aut altero excepto, statim ac vera matrimonia dici possunt, esse etiam sacramenta?

Cum per baptismum fiat homo primum idoneus ad cetera Christi sacramenta suscipienda, nemo dubitat, quin infideles, qui scilicet baptizati non sunt, conjugia quidem legitima inter se contrahant, non tamen conjugii sacramentum conficiant, cap. 7, vers. *nam etsi* de divortiis. Verum si de baptizatorum, seu christianorum matrimoniis agatur, atque investi-

getur, utrum aliquando celebrata intelligantur quidem consistere, uti contractus, non autem uti sacramenta, iterum intricamur disputationibus scholasticorum, quorum animi diversas in partes distrahuntur Ego rem hanc non video adeo in incerto collocatam, ut quam in opinionem sit probabilius eundum, indicare non possim. Nimirum gravissima statim objiciuntur argumenta, quibus perspicue demonstratur, id posse aliquando contingere. In primis non est opus disputare adversus illos, quicumque putant, sacramenti hujus ministrum esse sacerdotem, et sacramenti ejusdem formam in sacerdotali benedictione constituunt; isti enim sponte id fatentur, et tradunt, quando et ante concilium tridentinum in clandestinis matrimoniis, et post concilium tridentinum in matrimoniis celebratis coram parocho nihil dicente, forte etiam contradicente, nullam agnoscunt sacramenti rationem inesse, agnoscunt autem verum, firmumque contractum. Disputatio potius ineunda est cum illis, qui contrahentes ipsos sacramenti ministros esse dixerunt; horum enim plurimi se minus religiose sentire putaverunt, quoties dicerent, sacramentum non esse, statim ac est contractus, veriti, ut arbitror, ne impingerent in ecclesiæ definitionem, qua docemur, matrimonium esse sacramentum. Equidem id verissimum est, non tamen ad omnia matrimonia pertinet, quemadmodum ecclesiæ definitio, qua docemur pœnitentiam sacramentum esse omnes omnino pœnitentiæ species non complectitur. Istis ego oppono virum religiosissimum Melchiorem Canum, qui in ipso etiam tridentino concilio præsens adfuit, omnibus ibidem ob insignem rerum sacrarum doctrinam commendatissimus. Hac ipsa quæstione proposita in lib. 8 de locis theologicis cap. 5 animadvertit, *casu quodam* factum esse, ut theologi numero plurimi asseruerint, non posse inter fideles matrimonium ullum esse, quin etiam sit sacramentum, *cum contra usu quoque venire potuisset, ut si primus asseruisset, non omne fidelium conjugium sacramentum esse, sed quod religiose, sacrateque fuisset constitutum, secundus, tertius, ac deinceps reliqui, quoniam probabile etiam id esset, eandem sententiam sequerentur.* Et post pauca: *Tametsi matrimonium sacramentum est, non ideo tamen conjugium quodcumque venerari cogimur, sed id, quod formam sacram habeat, et a vero ecclesiæ ministro consecratum sit. Alioqui, si quodlibet fidelium conjugium theologis necessario sacramentum est, quis Scotum tuebitur, qui conjugia, quæ solis nutibus contrahuntur, negat esse sacramenta? At, nisi me fallit animus, recte negat. Etenim non magister, et D. Thomas modo, verum etiam concilium florentinum docet, omnia sacramenta verbis constare, quæ si desint, nullum omnino confici sacramentum.* Tandem post quædam proposita exempla ita concludit: *Quibus ex rebus breviter disputatis intelligi potest, non solum non esse dogma fidei, omne fidelium matrimonium sacramentum esse, sed etiam contrariam omnino sententiam probabiliorem esse.* Addendum his est, quod adnotavit cardinalis Pallavicinus in historia tridentini concilii lib. 23, cap. 9 scribens: in concilio definitum minime fuisse, clandestina veterum matrimonia jure sacramentorum censeri, quamquam definitum fuerit, eadem fuisse firma, ac rata, adeo ut præstantes aliqui theologi non dubitaverint illa quidem agnoscere veluti contractus, non veluti sacramenta. Non igitur temere affirmabitur, posse aliquot fidelium conjugia subsistere, quin sint sacramenta.

Rem demonstremus exemplis. Primum est, quod porrigit disciplina, quæ ante concilium tridentinum vigebat; nimirum in matrimoniis tacitis, seu præsumtis, ut in specie cap. 15, 21, juncto 14, cap. 30 et 32 de sponsalibus; si enim ista potissimum emergebant ex diuturna cohabitatione eorum, qui mutuo sese haberent tamquam virum et uxorem, nemo facile percipit, quomodo, vel quo tempore sacramentum aut susciperetur, aut ministraretur, præsertim in conspectu can. 4 caus. 32, quæst. 2 atque his jungi etiam possent conjugia illa, quæ per nutus, et sine verbis contrahantur, quæ sacramenta esse inficiatus olim est Scotus, quemadmodum modo ex Melchiore Cano referebam.

Alia præterea exempla suppeditantur post tridentini concilii sanctiones. Quid enim ex. gr. si duo fuerint infideles legitimo conjugio juncti, uterque deinde per baptismum ecclesiæ adscribatur? Horum sane conjugium etiam post baptismum, sacramentum minime dixero, nisi tum forte, quod nonnulli scripserunt, cum ambo in conspectu sacri administri consensum renovaverint, et sacram susceperint benedictionem; quod plurimum congruere videtur, ut ea ratione Christi gratia conjugibus in eo sacramento præparata non negligatur. Interea vero quousque consensum in conspectu ecclesiæ non renovent, non video, quomodo qui erat simplex matrimonii contractus, per baptismum transire incipiat in sacramentum. Non ignoro, aliquos ex nostris scriptoribus tradidisse, et hoc matrimonium sacramentum fieri in ipso suscepti baptismatis actu; aliquos in ea fuisse opinione, ut sacramentum esse inciperet post baptisma, quando conjuges consensum olim præstitum vel expresse verbis, vel tacite subsequente copula confirment. Verum priorum opinio mihi satis placere non potest; neque enim percipio, quomodo sine forma a ministro pronunciata, si sacerdotem sacramenti ministrum supponamus, aut si ministerium sacramenti demus conjugibus, ne cogitantibus quidem eisdem de sacramento ministrando,

suscipiendoque, sacramentum conficiatur. Imo si fingas, conjuges illos non eodem tempore baptizari, eo majoribus difficultatibus rem involutam agnosces; nam cum sacramentum non sit, nisi in utroque conjuge, non video, quomodo in baptismate unius possit esse sacramentum conjugii etiam in altero, qui adhuc baptismum expectat; aut quomodo in baptismate alterius incipiat esse sacramentum in utroque, quando is, qui antea baptizatus est, forte de conferendo sacramento non cogitet. Nec posteriorum opinio satis conveniens mihi videtur, utpote quæ ex usu ipso conjugii sacramentum emergere posse supponit, neque satis consonat concilii tridentini decreto, quo sine præsentia parochi matrimonium ratum esse non posse definitum est, quin dicas, tridentinum decretum non afficere matrimonia in infidelitate contracta: neque enim repugno, quia video de contractu jam inito sermonem institui. At cum de sacramento loquimur post baptismum suscipiendo, quod scilicet post baptismum accedit sanctificando contractui inito ante baptismum, cur tridentinum decretum, quod baptizatos omnes obligat, locum non est habiturum? Quod si adhuc nonnullis ea opinio placeat, nihilominus confectam rem habeo. Siquidem quo tempore post susceptum baptisma necdum aut expresse, aut tacite confirmatum matrimonium a conjugibus fuit, non inficiantur ipsi, conjugii esse contractum sine conjugii sacramento. Finge nunc aliam speciem: nimirum matrimonium celebrari inter baptizatum, et catechumenam legitima accedente dispensatione. Nonne baptizatus contractum celebrasse dicetur sine sacramento? Id passim, paucis exceptis, et theologi, et canonum interpretes tradunt: et quamquam sint, qui scripserint, ex parte baptizati sacramentum esse, rogo illos, ut indicent mihi, quo ministrante sacramentum baptizatus acceperit. Si enim ii sunt, qui conjuges ipsos tradunt invicem sibi esse sacramenti ministros, docere debebunt, quomodo fieri possit, catechumenam, quæ incapax est suscipiendo, esse conferendo sacramento capacem; neque enim abuti eos velim similitudine necessarii sacramenti, quale est baptisma, in quo cujuscumque etiam infidelis singulari quodam jure admittitur ministerium.

Vulgare aliud proferri solet exemplum in matrimonio aut per epistolam, aut per procuratorem contracto, in quo facile, quidquid alii senserint, nullum conferri sacramentum agnoscitur, licet valere contractum nemo inficietur, cap. ult. de procurator. in 6. Paucis id demonstravit Melchior Canus loco superius laudato ita scribens: *Non igitur ecclesia docet, quodlibet fidelium matrimonium sacramentum esse; nisi quis adeo desipit, ut Cajetanum damnet, qui et probabilissime, et, me quidem judice, verissime, matrimonium, quod inter absentes per literas, procuratoresque contrahitur, sacramentum esse inficiatus est. Nam qui in hoc Cajetanum errasse clamant, hi non intelligunt nec quæ loquuntur, nec de quibus affirmant. Quod si nullo idoneo, et necessario argumento, sed stultis, turbolentisque clamoribus alienas refellere sententias pergunt, atque adeo damnare, quæ probabiliter, et vere dicta sunt, tum nos in quiete et silentio taciti illorum stultitiam, amentiamque ridebimus. Concedant illi, unum pro altero sacramentum sumere, cum pro altero contrahit. Concedant, sacramenta Christi absentibus administrari, eisdemque et gratiam conferre, et peccata remittere. Nos enim, quoniam hæc absurda sunt, concedere potius volumus, ejusmodi contractus, qui inter absentes transiguntur, matrimonia quidem verissima esse, vera sacramenta nullo modo.*

Neque vero quisquam in contrarium opponat, si ita sese res habeat, in istis, vel similibus speciebus futurum, ut ecclesia contrahentes compelleret, aut saltem hortaretur, atque induceret contrahentes ad contractum ita opportuno tempore renovandum, ut posset fieri sacramentum, ne contrahentes ipsi præparata ex Christi institutione careant gratia Dei; cumque ob eam rem conjugii renovationem urgeri non videamus, gravem capi conjecturam, quemcumque matrimonii contractum haberi pro sacramento. Adversus hæc ego in primis repono, eos, qui ita contraxerint, ab ecclesia non repelli, quominus consensum renovent in conspectu ecclesiastici administri, si voluerint; unde gravis conjectura capi potest, nondum matrimonia illa haberi pro sacramentis. Deinde observo, non deesse gravissimos viros, inter quos cardinalis Cajetanus, qui laudant contrahentes per procuratorem, quoties in conspectu ecclesiæ præsentes ambo semel contractum conjugium ratum habent suscepta sacerdotali benedictione. Quod si id præcepto ecclesiæ non urgetur, forte ex eo fit, quod nondum definita publico ecclesiæ suffragio sit illa scholasticorum opinio, cujus meminit Benedictus XIV de synodo diœcesana lib. 8, cap. 13, num. 8 opinantibus aliis, posse renovari contractum matrimonii, ut incipiat etiam esse sacramentum, aliis e contrario opinantibus, contractum conjugii semel valide initum, nisi cum iniretur, sacramenti naturam induerit, nunquam deinceps posse effici sacramento. Omitto gravissima, quæ emergerent in rempublicam christianam incommoda, si passim, et sine discrimine urgerentur omnes decreto publico ad renovandum in conspectu ecclesiæ matrimonii contractum jam antea rite perfectum. Quis enim tranquillitatem publicam adeo in tuto collocare tunc posset, ne qui per iniquam ceteroqui detestabilemque perfidiam prætextu matrimonii per sacramentum firmandi ad ecclesiam, seu ad mi-

nistros ecclesiasticos accedentes, potius se de contractu ipso per pœnitentiam retractando agere palam se posse confiderent?

QUÆSTIO IV.

De veterum Concubinatu.

Plurimum conferre potest ad perspiciendam conjugiorum naturam de veterum concubinatu nonnulla disserere, ne forte aliqui minus prudentes cum legerint quandoque aut sacris canonibus, aut civilibus legibus non omnino damnatum fuisse concubinatum, injustas nuptias perperam cum legitimis justisque confundant Qua in re cum veterum concubinatum memoro, non adeo altius rem repetendam velim, ut a nobis sit de antiquissimis aut sanctorum patriarcharum, aut qui ex patriarchis originem duxerunt, hebræorum moribus investigandum. Tum in gravissimas disputationes descendere oporteret, quas ut definirent vel ipsi ecclesiastici sapientissimi prisci patres, non aliam commodiorem viam sibi aperuerunt, quam concludendo, symbola quædam sacra non satis obvia viribus humani ingenii in ea connubiorum specie esse agnoscenda, imo etiam veneranda potius, quam investiganda, can. 1 et 2, caus. 32, quæst. 4. Isidorus Hispalensis in lib. Judicum cap. 6 ut innumeros alios prætermittam. Item in proposito vix disputatio ista sejungi posset ab altera, qua quæreretur, an apud hebræos veteres licuisset aliquando plures ducere uxores, quando verum est, eas, quæ in sacris veteris testamenti literis concubinæ appellantur, quandoque et uxorum nomine fuisse appellatas; nisi dixeris, proprie eas uxores appellari consuevisse, quæ non tam prolis caussa ducerentur, quam familiæ etiam una cum marito regendæ, atque administrandæ, at concubinas proprie dici, quæ tantum prolis caussa susciperentur. Sic Cethura in cap. 25. Geneseos concubina, et uxor dicitur Abrahæ, quemadmodum etiam Agar in cap. 16 et 25. Geneseos dicta fuit Abrahæ uxor, quæ alibi concubinæ nomine distinguitur, dicto cap. 25 Geneseos, et lib. 1 Paralipomen. c. 1. Sic Jacobo Bala ancilla Rachelis, et Zelpha ancilla Liæ proprie concubinæ fuerunt. c. 35 Geneseos, uxores tamen etiam nominantur, et in conjugium datæ, Geneseos cap. 30. Itaque sufficiat, quædam etiam de concubinis istis paucis attigisse, dum dico primum juxta apostoli Paulli sententiam in epist. ad Galatas cap. 4, quædam ibidem agnoscenda esse *per allegoriam dicta* ad vetus simul, et novum testamentum significandum; deinde, singularem et providam Dei permissionem deprehendi, ut latius genus sanctorum ad paucos fere redactum tunc propagaretur, canone 3, 6, 7, 9, caus. 32, qu. 4 denique, nec omnino concubinatum illum a Deo fuisse quandocumque probatum, uti de concubinatu Abrahæ scribere non dubitavit Ambrosius in libro de Abraham, ex quo depromptus est canon 3, caus. 32, qu. 4, imo expresse quandoque reprobatum, quoties ad libidinem flecteretur, uti liquet ex cap. 11, lib. 3. Regum de concubinis numero plurimis Salomonis, can. 13, caus. 32, qu. 4. Ceterum, quæ disputationi locum in hac materie prœbere possunt, commodius juvat referre in quartam dissertationem, ubi de evitanda polygamia agendum erit, atque curiosius investigandum, an revera ex naturæ jure damnetur.

Potius ad romanorum veterum mores respiciendum est, qui et christianis aliquando, ac maxima in parte fuere communes; saltem prioribus ecclesiæ sæculis, cum probata ab ethnicis juris publici prudentia nondum purgari omnino, et ad purissimas Evangelii institutiones exigi undecumque potuit. Itaque Romani non concubinarum nomine donaverunt aut conjuges illas, quæ in viri legitimi injuriam jungebantur alteri, aut solutas a conjugio feminas, quæ uxorem justam habentibus jungerentur; etenim sicut priores *adulteras*, ita posteriores *pellices* appellabant, utrasque sane probrosis nominibus, atque iis, quæ non longe distarent, juxta illud Ovidii metamorphos. 10 de Myrrha: *Tunc eris et matris pellex, et adultera patris.* Quamquam enim grammaticalis concubinæ significatio eam feminam demonstraret, quæ viro concubitu jungeretur, quomodo Massurius non probante Flacco scribebat in l. 144 ff. de verb. signif., vulgo tamen generalis et nimium late patens nominis significatio usu loquendi contracta est, ut sicut non uxorem, ita nec adulteram, nec pellicem designaret, quamobrem scimus, et adulteras, et pellices jure romano damnatas, concubinas damnatas minime legimus. De adultera una lex Julia de adulteriis lata id abunde demonstrat: de pellicibus etiam concepta jam olim fuerat vetustissima lex Numæ regis deinde translata in duodecim tabulas apud Gellium lib. 4. Noctium Atticarum cap. 3 ibi: *Pellex aram Junonis ne tangito, si tanget, crinibus demissis agnum feminam cædito*: quibus sane verbis ad modestiam compositis indicabatur, maritalem thalamum, quem aram Junonis appellabant, quasi Junoni sacrum, non debere a pellice tangi. Sed et concubinatus a stupro distinguitur, propterea quod in stupro nulla consuetudo sit, et vitæ universæ communio quamobrem utramque conjunctionem manifeste distinxerunt, tum Atilicinus, et Ulpianus in l. 1, § 1 ff. de concubinis scribentes, eas posse in concubinas haberi, in quas stuprum non committeretur; tum Modestinus in l. 34, ff. ad leg. Jul. de adulter. docens, stuprum in concubina non committi; tum Papinianus in l. 16, § 1 ff. de his, quæ ut indignis, tradens, eam, in qua non stuprum, sed concu-

binatus fuit, testamento capere posse. Quid aliud ergo erat concubinatus ille, in quo nec adulterium, nec pellicatus, nec stuprum fingebatur, quam nuptiæ minus solemnes, in quibus maritalis quidem affectio erat, sine thori divisione, nemine consuetudinem interturbante, cui scilicet nihil aliud oberat, quominus justæ nuptiæ dicerentur, quam una legum subtilitas, aliquando etiam nimia ethnicorum asperitas, qui justas nuptias non dicebant, nisi quoties confarreationis solennitas aderat, aut certa stipulationum formula accesserat ad celebrandam coemtionem, aut denique longa, nec interrupta usucapio, contestatione liberorum suscipiendorum præcedente, intercessisset? Quod concubinatus individuam consuetudinem vitæ designaret; stuprum non erat; quod in aliena uxore non fieret, adulterium non erat, quod ab eo non admitteretur, qui jam fuisset uxori legitimæ sociatus, pellicatus non erat. Uno verbo, conjugium erat naturali tantum jure subsistens, quod jus publicum non damnaverat quidem, sed tantum non omnino probaverat quomodo interpretanda censeo verba Paulli in l. 4 ff. de concubinis scribentis, *concubinam ex sola animi destinatione æstimari oportere.* Naturali, inquam jure conjugium illud subsistebat, quia nihil adversus naturæ præcepta videbatur admitti: nam si ex. gr. naturæ jure unius cum una conjunctionem dicas matrimonium esse, id observatum fuisse in concubinatu dignosces, quoties concubinam cum pellice vel adultera non confundas. Item si naturæ jure et maritus pubes, et viripotens femina esse debet, et id in concubinatu observatum fuisse, tradidit Ulpianus in l. 1, § ult. ff. de concubinis. Præterea si natura postulat, ut abstineamus a certarum personarum conjunctionibus, hanc quoque legem in concubinatu custoditam non ignoramus in conspectu dictæ legis 1, § 3, qua declaratum est, eam, quæ semel fuit in patroni concubinatu, nonnisi nefarie in concubinatu filii ejusdem patroni esse posse, vel contra, et ideo hujusmodi facinus prohibendum; item in conspectu legis 56 ff. de ritu nuptiar., in qua definitur, incestum esse, si concubinam quis sororis filiam habuerit. Forte inquies, dissolvi potuisse concubinatum, quod dices naturæ regulis adversari. Verum cum demonstravi, concubinatum fuisse a stupro distinctum, demonstratum etiam volui, in contrahendo concubinatu animum fuisse individuæ ineundæ vitæ, quod ad naturalis conjugii celebrationem sufficit, licet deinde vel perfidia, vel ex caussa, quam quis legitimam putet, a communione discedatur: neque enim ideo quisquam dixerit, matrimonia ipsa justa Romanorum non fuisse vera conjugia, quod licet ab initio animus fuerit apud conjuges individuæ ineundæ vitæ, certas deinde subesse posse repudii caussas existimarent. l. 2 et toto tit. ff. de divortiis l. 1 et passim cod. eod. tit., nov. 22, c. 4 et 14 juncta nov. 117, c. 12. Hæc sane ratio fuit, quare in romanis legibus inter uxorem et concubinam nihil nisi dignitate tenus interesse dicebatur, l. 49, § 4, ff. de legat. 3, quare etiam filii ex concubinatu suscepti, non spurii, quemadmodum ex damnato coitu geniti vocarentur, sed naturales, nimirum servata in eorum procreatione simplicitate naturæ, nov. 74, cap. 6, nov. 89, cap. 15, quomodo etiam intelligere visus fuit canonum collector Gratianus, qui cum aliqua de concubinis tradidisset in dist. 34, ad calcem canonis 3 hæc subjecit: *Concubina autem hic ea intelligitur, quæ cessantibus legalibus instrumentis unita est, et conjugali affectu adsciscitur. Hanc conjugem facit affectus, concubinam vero lex nominat.*

Quando vero dixi, concubinatum apud romanos veteres non jure publico damnatum fuisse, sed fuisse non omnino probatum, duo potissimum innuere volui. Primum est, concubinatum ita habitum fuisse, ut facile data opportunitate in nuptias justas transiret, quemadmodum facile etiam naturales liberi suscepti ex concubina justi efficiebantur, nov. 89, cap. 1. Hinc de romanis ita scribebat Hieronymus in epist. ad Oceanum: *affectione maritali retinebant concubinas ad evitanda onera et minuendas impensas, quas tamen ad ampliores evecti divitias etiam uxorum non tantum nomine et dignitate, sed etiam jure dignabantur.* Quidquod autem aliquando dubitaverunt jureconsulti de maritali conjunctione, num nuptiæ dicerentur, an simplex concubinatus, quemadmodum in l. 24 ff. de ritu nuptiar., ubi in dubio præsumuntur nuptiæ non concubinatus in consuetudine liberæ mulieris, nisi mulier quæstum corpore fecisset, quod ideo subjicitur, non quia concubinæ liceret quæstum corpore facere, sed ne maritus de adulterio suspectus esset dum quæstioni lenocinii subjiceretur, nec non in l. 31 ff. de donation., ubi dum dubitatur an donationes in concubinam, an potius in uxorem sint collatæ, considerandum dicitur, qualis fuerit vitæ conjunctio atque utrum maritalis non tam affectio, quam honor præcesserit. Quorsum dubitationes istæ de conjunctione, an concubinatus esset, an conjugium justum, nisi parum concubinatus a conjugio justo distaret? Alterum est, facile intelligi exinde, qua de caussa, et quibus in casibus romani iidem veteres aliquando de concubinatu potius contrahendo, quam de conjugio cogitarent. Si quidem animadvertere oportet, non omnium nuptias apud romanos fuisse jure probatas; imo et illorum, quorum probabantur, non aliter probatas fuisse quam certæ solemnitates intercederent. Quid enim in primis, si gerens in provincia magistratum feminam provincialem sibi jungi conjugio adamavisset? Quid, si filiofamilias,

societas, atque animorum consensio matrimonium haberetur, sed unum adjutorem alterius, alterum præcipuum familiæ regimen vindicantem, sed unum alteri similem, non æqualem, ut alter alteri subjiceretur, quas utriusque notas natura ipsa in difformi sexu constituisset. Et revera cum ex divina ordinatione constantissimum, ac perpetuum conjugii vinculum necteretur, matrimonii ineundi substantia erat in ea caussa potissimum collocanda, quæ perpetuo etiam consisteret, cujusmodi esse non poterat sobolis procreatio, cui sera conjugum ætas inepta fuisset; poterat e converso arctissima quædam societas animorum, et individua communio vitæ; imo cum isthæc universæ vitæ communio, hominum conjunctiones a conjunctionibus brutorum maxime distingueret, quando in procreatione sobolis omnia fere sunt hominibus brutisque communia, tanto aptius erat humani conjugii substantiam ponere non in ipsa procreatione sobolis, sed potius in individua universæ vitæ communione, quanto dignior conjunctio hominum esse deberet conjunctione brutorum. Adde his, pertinere ad bonum præcipue universitatis, quod uxor prolis caussa ducatur: pertinere autem ad mutua officia invicem inter conjuges ipsos præstanda, quod ducatur uxor caussa adjutorii, idest quod, uti ajebant romani veteres, fiat inter conjuges individua consuetudo vitæ, atque omnis juris communicatio. At bonum illud universitatis, quod ex sobolis procreatione dimanat, licet aliquando præceptum fuerit; ut curaretur, quoties nimirum universitas alias in interitum vergeret, quandoque tamen, imo ut plurimum, postquam latissime propagatum est genus humanum, non adeo magnum est, ut illi non præstet continentiæ bonum, quod ipsi conjuges consequantur. Sed fœdus sanctissimæ societatis ac communionis semel inter conjuges initum invicem eos ita devincit, ut vix præstantius quoddam bonum proponi possit, cujus adsequendi gratia quoquomodo sit ab eodem fædere recedendum. In hac utriusque caussæ comparatione, caussam adjutorii, sive individuæ vitæ, caussæ sobolis procreandæ facile præferemus, ut in illa potius, quam in ista substantiam humani conjugii collocemus, unde deducatur, quod ab initio constitui, non solum vere matrimonium dici, quod necdum consummatum sit, verum etiam illud, in quo conjuges concordi voluntate de continentiæ bono servando consentiant.

Posita res esset extra omnem difficultatem, nisi adhuc objicerentur duo monumenta, alterum Augustino, alterum Leoni Magno adscriptum in can. 16 et 17, caus. 27, qu. 2, quæ sane veteres interpretes non parum turbaverunt. Verum quod spectat canonem 16, jamdiu romani correctores palam fecerunt, eundem perperam ex Augustino laudari, quando inter sancti hipponensis antistitis opera minime reperitur. Addo ego, apud Augustinum e contrario ejusmodi legi sententias, quæ in oppositam partem nos adducere necessario debeant, quemadmodum perspicue liquet ex can. 9 et 10 eadem caussa, et quæstione. Amplius progressi sunt romani correctores, scribentes, laudatum canonem 16 *videri summam sequentis capitis*, nimirum 17. Ego, venia dixerim virorum gravissimorum, huic notæ subscribere nequeo; quamquam enim noverim, contigisse aliquando in Gratiani codice, ut adjectæ canonum Summulæ pro canonibus haberentur, sicut inter ceteros adparet in can. 7 et 8, eadem caus. et quæst., tamen in hac parte id non contigisse demonstratur, vel ex eo, quod eadem ipsa verba rursum sub Augustini nomine apud Gratianum legantur post canonem 39, eadem caussa et quæst., vel ex eo, quod sub Augustini etiam nomine legantur apud Petrum Lombardum Gratiano coævum scriptorem in lib. 4 sententiarum dist. 26. Neque vero me quisquam interroget, cuinam canon sit adscribendus? Siquidem investigent fragmenti illius auctorem, qui plus otii habent: mihi sufficit observavisse, illud non esse Augustini, cui ceteroquin adscribitur: propterea que nihil facessere negotii, quousque nec paris nec haud longe inferioris, nec forte majoris cujusquam viri ecclesiastici nomine vere insignitum proferatur. Ad canonem 17, iterum romani correctores animadverterunt, vitiatam fuisse a collectoribus scripturam, præsertim ubi pro verbis illis postremis *nuptiale ministerium*, scribendum erat ex integra Leonis epistola ad Rusticum Narbonensem *nuptiale mysterium*. Interrogaverat Leonem Rusticus, num valerent nuptiæ cum quadam virgine contractæ ab eo, qui concubinæ jampridem fuerat junctus. Respondit sanctus pontifex, nihil obesse nuptiis cum alia jure contrahendis veterem usum concubinæ, quam quoties vir caussa legitimæ ducendæ uxoris dimisisset, ex ejusdem Leonis sententia non erat duplicatio conjugii, sed profectus honestatis, can. 11, cau. 32, qu. 2, atque huius rei ratio reddebatur, quia nuptiale mysterium, quod scilicet in significanda Christi cum Ecclesia conjunctione consistit, in concubina desideraretur, quæ sane sententia a proposita disputatione distat quamlongissime. Ceterum ad ejus capitis interpretationem plurimum juvare posset, mentem Leonis rescribentis intime perscrutari, qualis deduceretur ex totius epistolæ lectione, quemadmodum ego jam observavi in meis animadversionibus in Gratianum parte 2, tom. 1, cap. 42. Juvabit quoque ea observare, quæ inferius tradam in qu. 4 de veterum concubinatu, ubi hanc ipsam Leonis epistolam commemorabo.

QUÆSTIO II.

Quomodo in conjugio christianorum cohæreant, et ratio contractus, et ratio sacramenti?

Duplicem esse matrimonii inter christianos initi rationem, inficiari nemo potest: nimirum in eo celebratur, et contractus quidam certis legibus inter conjuges custodiendus, cujus vi communis est connubiis omnibus sive inter christianos, sive inter ceteros homines indoles ac natura; et sacramentum ecclesiæ, cujus caussa connubia fidelium tam ob nobiliorem supervenientem dignitatem, quam ob spirituales, qui ex divina institutione proficiscuntur, effectus, multo connubiis infidelium præstant. Verum quo firmior apud nostros est ista traditio, eo minus certum est, quomodo invicem et ratio contractus, et ratio sacramenti cohæreant, ob varias scholasticorum disputationes, quibus nondum finis impositus est ex ecclesiæ definitione. Ut verum candide fatear, post pensatas opinionum omnium, quæ hinc illinc emerserunt, caussas, anceps adeo sum, ut ignorem, in quam potius mihi sit partem eundum; illudque opportune usurpem, quod in quibusdam de sacramento baptismi quæstionibus ajebat Augustinus in can. 31 de consecr. dist. 4, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum concordi oratione, et impensis supplici devotione gemitibus implorandum esse, ita sane, ut post me dicturos sententias, siquid jam exploratum, et cognitum adferrent, humiliter expectarem. Interea neminem otiose morabor, quodque satis erit pandendæ exhitationi meæ, satis etiam erit curiosæ lectorum voluntati, exhibebo, non componentis, aut disputantis, sed enarrantis instar, quid senserint variæ scriptorum classes, quarum singulis sua laus est, post quæ unusquisque in quam magis propendere videatur, opinionem inclinet nisi forte et eadem ipsa affectus sit animo dubitatione, qua me affici in præsentia sentio.

In eo vertitur totus disputationis cardo, ut (quoniam sacramenta omnia suum ministrum habent, suam etiam formam, et materiam, uti recentiores theologi loqui adamarunt, vel certa verba, et res, sive sensibilia signa, uti veteres loquebantur) commode designetur et sacramenti matrimonii minister, et sacramenti ejusdem forma, ac materia, sive verba, ac sensibilia signa, ex quibus matrimonium ad producendam Dei gratiam jure elevatum esse credatur. Certa ab incertis sejungamus. Quæ certa sunt, et ab omnibus sine dubitatione recepta, ad duo capita reducuntur. Primum est generaliter in Sacramentis omnibus, ac propterea etiam in sacramento matrimonii, eum esse ministrum, qui formam pronunciat, eam esse formam, quæ materiam sanctificat, eam esse materiam, quæ per formam a ministro sanctificatur. Alterum est in concilio tridentino licet multa specialiter de sacramento matrimonii disputata fuisse sciamus, multa etiam definita, nihil tamen expresse fuisse cautum de ejus sacramenti materia, forma et ministro. Satis fuit providis patribus firmavisse in primis fidei dogma, quo in matrimonio rite celebrato verum novæ legis sacramentum agnosceretur; deinde ad occurrendum pluribus animarum periculis, quæ ex clandestinis conjugiis passim emergebant, utpote quæ rata, et vera conjugia habita fuerant, quamdiu ea irrita non fecit ecclesia, cavisse, ne in posterum aliter celebrarentur matrimonia, quam præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, vel ordinarii licentia, adjiciendo, ut ad celebrationem matrimonii in facie ecclesiæ procedatur, ubi parochus viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, *Ego vos in matrimonium conjungo in nome Patris et Filii et Spiritus Sancti,* vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscuiusque provinciæ ritum. Certa hæc sunt apud omnes: nunc scholasticorum dissidia expendamus.

Melchior Canus in suo celeberrimo opere de locis theologicis lib. 8, cap. 5, secutus Guillielmum Parisiensem et doctrinam concilii coloniensis anni 1536 tradidit, civilem contractum a conjugibus initum habendum esse tamquam materiam sacramenti, cui sanctificandæ forma a sacerdote prolata accedat, scilicet cum sacerdos ait, *ego vos conjungo etc.*, juxta laudatam tridentini concilii sanctionem; ac propterea conclusit, ministrum sacramenti esse sacerdotem, qui rite conjugibus benedicat, quam doctrinam non pauci ex recentioribus secuti sunt. E contrario multo plures numero fuerunt, qui sacerdotalem benedictionem mere ceremonialem esse, et ad unam sacramenti solemnitatem, non ad substantiam pertinere dixerunt, qui propterea contrahentes ipsos sacramenti ministros appellaverunt, at deinde ubi de forma, materiave sacramenti designanda ageretur, in varias iterum classes discissi sunt; uti enim ait Benedictus XIV de synodo diœcesana lib. 8, cap. 13, aliqui cum Catharino docuerunt, consensum contrahentium exterioribus signis expressum esse materiam; verba vero a Christo Domino semel prolata, Matthei cap. 19, *propter hanc relinquet homo patrem et matrem et adhærebit uxori suæ*, esse formam pro omnibus fidelium matrimoniis. Alii cum Victoria opinantur, verba unius contrahentis, qui primo suum exprimit consensum, esse materiam, et verba secundo proferentis esse formam, per quam prima determinantur ad constituendum contractum et sacramentum. Alii cum Covarruvia, Vasquez et Basilio Pontio existimant, consensus utrius-

que contrahentis verbis, seu signis manifestatos esse formam, corpora esse materiam remotam, eorumque traditionem, et acceptationem (quam nescio, quomodo a consensu distinguant) esse materiam proximam. Alii cum cardinali de Lugo dicunt, contrahentium verba, seu signa, prout sunt traditio corporum, esse materiam, ut vero significant, et caussant personalem obligationem in utroque contrahente, esse formam. Alii denique, et magis communiter cum Soto, Bellarmino, Suarez, Sanchez et Gonetio affirmant, utriusque contrahentis consensum verbis, seu signis expressum esse materiam simul et formam, sed sub diversa consideratione, nimirum materiam, quatenus significat corporum traditionem, formam, quatenus mutuam exhibet eorundem acceptationem. In opinionum tam variarum conspectu clamavit laudatus canariensis episcopus, indicium non leve esse falsitatis opinionis, ad quam adstruendam coguntur illius assertores tot diversas adsignare unius sacramenti materias et formas, quarum pleræque hæreticis nugatoriæ, ipsisque catholicis aut commentitiæ, aut certe parum solidæ videntur.

Jam vero proferamus momenta, quibus utraque secta, tam eorum, qui Cano adhæserunt, quam eorum, qui contra Canum senserunt, in suam quisque partem trahi professi sunt. Singuli ratione pugnant: singuli traditiones patrum, ac veterum theologorum sententias suæ opinioni accommodant: singuli de tridentini concilii mente investiganda solliciti: neutri perspicuam definitionem ecclesiæ proponentes. Qui Cano adhæserunt, duplici argumentorum genere utuntur; siquidem primo suam opinionem recta firmant, deinde opinionem aliorum, quasi absonam, et alienam a germanis sacræ doctrinæ principiis conficiunt. Ad primum genus referunt plurimas sanctorum patrum veterum formulas, nimirum Ignatii martyris, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Ambrosii et episcoporum concilii carthaginensis vulgo IV, ajentium, *nuptias benedictione ecclesiæ obsignari*, aut *confirmari*; item *manum imponere nubentibus sacerdotes*, ac *benedicere*: addunt præterea Thomam Aquinatem in 4 dist. 1, qu. 1, art. 3, ad 3 scribentem, matrimonium, secundum quod est in officium naturæ, sicut pœnitentiam, secundum quod est virtus, non habere aliquam formam verborum; sed secundum, quod utrumque est *sacramentum in dispensationem ministrorum ecclesiæ consistens*, utrumque habere aliqua verba; quod etiam clarius explicat in lib. 4 contra gentes cap. 78, dum inquit *quandam benedictionem nubentibus per ministros ecclesiæ adhiberi*. His accedit generalis observatio, qua dignoscitur omnia sacramenta ex dispensatione ministrorum Dei pendere; imo etiam adparere in sacramento matrimonii ministerium sacerdotale; dum a sacerdote proferenda sunt ea verba *ego vos conjungo etc.*, aut alia similia juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum, quæ sane non inutilia esse debent. Et quamquam certis in casibus, veluti in baptismate urgente necessitate conferendo, etiam laicus ad conferendum sacramentum admittatur, non tamen is veluti ordinarius administer censetur, per quem sacerdotes, qui ordinarii ministri sunt, excludantur; quod sane contingeret in sacramento matrimonii, cujus si ministri contrahentes essent, ita ab eisdem sacramenti collatio et forma penderet, ut viri ecclesiastici a sacro illo ministerio prorsus excluderentur. Secundum argumentorum genus ita ex Cano complector. In primis verba, quæ proferunt contrahentes, nullam præseferunt sacræ rei imaginem, qualis in sacramentorum forma requiritur, aut esse solet: imo illa talia sunt, qualia ab ethnicis ipsis in conjugiis pronunciantur: alias vero in sacramentis omnibus licet materia sit res aliqua naturalis, et quæ antea in humanos usus conferri soleat, forma tamen supernaturalis sit oportet, cujus scilicet vis et significatio non a natura, sed a caussa quadam superiore oriatur. Nam sacramenta, uti in scholæ proverbio est, efficiunt quod figurant; significatio autem sacramenti in forma vel maxime elucet. Quod si invicem comparentur verba, et quæ a contrahentibus, et quæ a sacerdote proferuntur in nuptiis celebrandis, facile dignoscetur, contrahentium verba undique naturalia esse atque omnibus usurpata gentibus, e contrario verba sacerdotum sacræ rei symbolum et effectum præseferre. Præterea quando verba aliqua sunt forma sacramenti, si nutus, vel scriptura, vel aliud unumquodque signum eorum loco verborum substituitur, inanis actio est: at si contrahentes loco verborum nutus, vel scripturam supponant, æque conficiunt matrimonium ac si verborum millibus uterentur. Quod profecto siquis recte consideret, non leve argumentum est, cur verba contrahentium sacramenti potius esse materia videantur; nam præterquamquod materiam sacramenti is, qui suscipit, administrare potest, formam non potest; cum in idem forte sacramentum verba loco materiæ, formæque recurrunt, pro verbis, quæ materiæ vicem habent, nutus, aliaque signa poni possunt, pro verbis autem, quæ formæ vice sunt, poni non possunt, quemadmodum in pœnitentiæ sacramento facile cernitur. Denique observant, quam absonum sit, ut iidem sacramentum simul et conferant, et suscipiant; atque in uno eodemque sacramento conferendo duo ministri necessario esse debeant, quod omnino singulare esset, et a ceterorum sacramentorum disciplina alienum.

Suas quoque non contemnendas, et prudentissimorum virorum judicio æque probabiles

argumentorum caussas habent, qui contra senserunt. Etenim ipsi observaverunt in primis, verosimile admodum esse Christum Dominum in sacramenti matrimonii institutione sacramentum ipsum naturæ matrimonii accommodavisse, ut propterea ii matrimonii sacramentum conficerent, qui matrimonii contractum conficiebant, eamque ob rem mirum esse non debere, si quædam in hoc sacramento singularia recipiantur, quæ in ceteris sacramentis minime obtinent. Deinde et veterum canonum et tridentini concilii sanctiones scrutati animadverterunt, clandestina conjugia, ea nimirum, quæ nemine ex sacerdotibus præsente fierent, firmitatem obtinuisse, cap. 3 de clandest. despons., cap. 15 et 21 de spons., concil. trident. sess. 24 de reform. matrim. cap. 1, imo etiam post concilium trident. ex recepta ejusdem concilii interpretatione non esse necessarium, ut matrimonium consistat, parochum, aut alium sacerdotem verba in ritualibus præscripta proferre, sed sufficere parochum esse præsentem, licet forte etiam contradicat. In conspectu laudatæ seu veteris, seu novissimæ disciplinæ, se palmam præferre arbitrantur, non enim, ajunt ipsi, matrimonium consistit sine ministro; nec propterea aut constitisset olim non præsente sacerdote, aut consisteret hodie præsente quidem, sed nihil dicente forte etiam contradicente, si sacerdos minister esset. Invictum plane foret hujusmodi argumentum, quoties probari etiam posset, mentem concilii eam fuisse, ut matrimonium aut non præsente olim, aut præsente postea, sed nihil dicente, aut contradicente parocho celebratum valeret non solum uti contractus, sed etiam uti sacramentum, qua distinctione uti solent ad eludendum argumentum, qui contra sentiunt. Verum et hoc demonstrare conantur, qui contrahentes ajunt esse sacramenti ministros, et quidem gravi ratione, qualis ex ipsis etiam concilii tridentini verbis deducitur. Etenim patres tridentini in dicto c. 1 clandestina matrimonia quæ scilicet olim sine præsentia parochi celebrabantur, *rata et vera* matrimonia fuisse dixerunt, quamdiu ecclesia irrita non fecerat. Ecquidem ubi matrimonium duntaxat contractus est, *verum* matrimonium dici potuisset, non tamen etiam *ratum*, saltem postquam *legitimi et rati* matrimonii distinctio apud interpretes canonum et theologos facta fuit, et *ratum* illud tantum matrimonium dici cœpit, quod esset sacramentum; secus dicere oporteret, tridentinos patres aut ignorasse doctrinam ceteroquin in vulgari prudentia positam, aut scientes prudentes receptam verborum significationem sequi noluisse in sanciendis canonibus, quæ dicere, minus consentaneum est. Si forte quemquam ita teneret hæc observatio, ut huic opinioni exinde necessario subscribendum putaret, quasi nullus amplius locus disputationi supersit, rogo illum, ut ulterius observet, *rati* conjugii nomen pro sacramento conjugii usurpari, quoties opponitur *legitimo*, juxta capitulum 7 de divortiis: at quoties opponatur *irrito*, æque referri meo judicio potest ad conjugii contractum: in laudato autem tridentino capite ratum opponitur irrito, ibi: *vera et rata matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit;* et infra: *hujusmodi contractus irritos, et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, et annullat.* Insuper adjiciunt ejus opinionis patroni, in concilio tridentino dicto c. 1 cum de sacerdotali benedictione ageretur, certam determinatamque benedicendi formam non fuisse præstitutam, sed vel eam, quæ ita concipitur, *Ego vos conjungo etc.*, vel aliam, quæ conformis esset recepto uniuscujusque provinciæ ritui. At vero certa verba præstituenda fuisse ajunt, quoties in iis sacramenti forma constituta agnosceretur, quemadmodum in formis ceterorum sacramentorum decretum est. Neque se destitutos ajunt auctoritate sanctorum, gravissimorumve virorum, qui huic sententiæ adhæsisse visi fuerint; nimirum laudant Thomam Aquinatem in supplemento qu. 42, art. 1, ad prim. ita scribentem: *Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujusce sacramenti, non autem benedictio sacerdotalis quæ est quoddam sacramentale.* Post hæc ita perpensa, sicut nemo est qui non laudet eximiam Benedicti XIV prudentiam, qui in dicto cap. 13, lib. 8 de synodo diœcesana cum utriusque opinionis solidiora fundamenta innuerit, non eo se fuisse animo professus est, ut quemquam ad alterutram amplectendam induceret, imo pro officio suo episcopos monitos voluit, ne in hac parte ipsi judicis partes assumant quæstionemque definiant in synodis diœcesanis, de qua ecclesia nihil hactenus pronunciavit, sed theologorum disputationi permisit, quod utraque opinio probabilis sit suosque habeat magnæ auctoritatis patronos; ita nemo erit qui quemquam redarguere possit, quod alterutri potius subscribat, quousque ecclesiæ definitio desideretur.

QUÆSTIO III.

An generaliter verum sit, omnia christianorum matrimonia, ne uno quidem, aut altero excepto, statim ac vera matrimonia dici possunt, esse etiam sacramenta?

Cum per baptismum fiat homo primum idoneus ad cetera Christi sacramenta suscipienda, nemo dubitat, quin infideles, qui scilicet baptizati non sunt, conjugia quidem legitima inter se contrahant, non tamen conjugii sacramentum conficiant, cap. 7, vers. *nam etsi* de divortiis. Verum si de baptizatorum, seu christianorum matrimoniis agatur, atque investi-

getur, utrum aliquando celebrata intelligantur quidem consistere, uti contractus, non autem uti sacramenta, iterum intricamur disputationibus scholasticorum, quorum animi diversas in partes distrahuntur Ego rem hanc non video adeo in incerto collocatam, ut quam in opinionem sit probabilius eundum, indicare non possim. Nimirum gravissima statim objiciuntur argumenta, quibus perspicue demonstratur, id posse aliquando contingere. In primis non est opus disputare adversus illos, quicumque putant, sacramenti hujus ministrum esse sacerdotem, et sacramenti ejusdem formam in sacerdotali benedictione constituunt; isti enim sponte id fatentur, et tradunt, quando et ante concilium tridentinum in clandestinis matrimoniis, et post concilium tridentinum in matrimoniis celebratis coram parocho nihil dicente, forte etiam contradicente, nullam agnoscunt sacramenti rationem inesse, agnoscunt autem verum, firmumque contractum. Disputatio potius ineunda est cum illis, qui contrahentes ipsos sacramenti ministros esse dixerunt; horum enim plurimi se minus religiose sentire putaverunt, quoties dicerent, sacramentum non esse, statim ac est contractus, veriti, ut arbitror, ne impingerent in ecclesiæ definitionem, qua docemur, matrimonium esse sacramentum. Equidem id verissimum est, non tamen ad omnia matrimonia pertinet, quemadmodum ecclesiæ definitio, qua docemur pœnitentiam sacramentum esse omnes omnino pœnitentiæ species non complectitur. Istis ego oppono virum religiosissimum Melchiorem Canum, qui in ipso etiam tridentino concilio præsens adfuit, omnibus ibidem ob insignem rerum sacrarum doctrinam commendatissimus. Hac ipsa quæstione proposita in lib. 8 de locis theologicis cap. 5 animadvertit, *casu quodam* factum esse, ut theologi numero plurimi asseruerint, non posse inter fideles matrimonium ullum esse, quin etiam sit sacramentum, *cum contra usu quoque venire potuisset, ut si primus asseruisset, non omne fidelium conjugium sacramentum esse, sed quod religiose, sacrateque fuisset constitutum, secundus, tertius, ac deinceps reliqui, quoniam probabile etiam id esset, eandem sententiam sequerentur.* Et post pauca: *Tametsi matrimonium sacramentum est, non ideo tamen conjugium quodcumque venerari cogimur, sed id, quod formam sacram habeat, et a vero ecclesiæ ministro consecratum sit. Alioqui, si quodlibet fidelium conjugium theologis necessario sacramentum est, quis Scotum tuebitur, qui conjugia, quæ solis nutibus contrahuntur, negat esse sacramenta? At, nisi me fallit animus, recte negat. Etenim non magister, et D. Thomas modo, verum etiam concilium florentinum docet, omnia sacramenta verbis constare, quæ si desint, nullum omnino confici sacramentum.* Tandem post quædam proposita exempla ita concludit: *Quibus ex rebus breviter disputatis intelligi potest, non solum non esse dogma fidei, omne fidelium matrimonium sacramentum esse, sed etiam contrariam omnino sententiam probabiliorem esse.* Addendum his est, quod adnotavit cardinalis Pallavicinus in historia tridentini concilii lib. 23, cap. 9 scribens: in concilio definitum minime fuisse, clandestina veterum matrimonia jure sacramentorum censeri, quamquam definitum fuerit, eadem fuisse firma, ac rata, adeo ut præstantes aliqui theologi non dubitaverint illa quidem agnoscere veluti contractus, non veluti sacramenta. Non igitur temere affirmabitur, posse aliquot fidelium conjugia subsistere, quin sint sacramenta.

Rem demonstremus exemplis. Primum est, quod porrigit disciplina, quæ ante concilium tridentinum vigebat; nimirum in matrimoniis tacitis, seu præsumtis, ut in specie cap. 15, 21, juncto 14, cap. 30 et 32 de sponsalibus; si enim ista potissimum emergebant ex diuturna cohabitatione eorum, qui mutuo sese haberent tamquam virum et uxorem, nemo facile percipit, quomodo, vel quo tempore sacramentum aut susciperetur, aut ministraretur, præsertim in conspectu can. 4 caus. 32, quæst. 2 atque his jungi etiam possent conjugia illa, quæ per nutus, et sine verbis contrahantur, quæ sacramenta esse inficiatus olim est Scotus, quemadmodum modo ex Melchiore Cano referebam.

Alia præterea exempla suppeditantur post tridentini concilii sanctiones. Quid enim ex. gr. si duo fuerint infideles legitimo conjugio juncti, uterque deinde per baptismum ecclesiæ adscribatur? Horum sane conjugium etiam post baptismum, sacramentum minime dixero, nisi tum forte, quod nonnulli scripserunt, cum ambo in conspectu sacri administri consensum renovaverint, et sacram susceperint benedictionem; quod plurimum congruere videtur, ut ea ratione Christi gratia conjugibus in eo sacramento præparata non negligatur. Interea vero quousque consensum in conspectu ecclesiæ non renovent, non video, quomodo qui erat simplex matrimonii contractus, per baptismum transire incipiat in sacramentum. Non ignoro, aliquos ex nostris scriptoribus tradidisse, et hoc matrimonium sacramentum fieri in ipso suscepti baptismatis actu; aliquos in ea fuisse opinione, ut sacramentum esse inciperet post baptisma, quando conjuges consensum olim præstitum vel expresse verbis, vel tacite subsequente copula confirment. Verum priorum opinio mihi satis placere non potest; neque enim percipio, quomodo sine forma a ministro pronunciata, si sacerdotem sacramenti ministrum supponamus, aut si ministerium sacramenti demus conjugibus, ne cogitantibus quidem eisdem de sacramento ministrando,

suscipiendoque, sacramentum conficiatur. Imo si fingas, conjuges illos non eodem tempore baptizari, eo majoribus difficultatibus rem involutam agnosces; nam cum sacramentum non sit, nisi in utroque conjuge, non video, quomodo in baptismate unius possit esse sacramentum conjugii etiam in altero, qui adhuc baptismum expectat; aut quomodo in baptismate alterius incipiat esse sacramentum in utroque, quando is, qui antea baptizatus est, forte de conferendo sacramento non cogitet. Nec posteriorum opinio satis conveniens mihi videtur, utpote quæ ex usu ipso conjugii sacramentum emergere posse supponit, neque satis consonat concilii tridentini decreto, quo sine præsentia parochi matrimonium ratum esse non posse definitum est, quin dicas, tridentinum decretum non afficere matrimonia in infidelitate contracta; neque enim repugno, quia video de contractu jam inito sermonem institui. At cum de sacramento loquimur post baptismum suscipiendo, quod scilicet post baptismum accedit sanctificando contractui inito ante baptismum, cur tridentinum decretum, quod baptizatos omnes obligat, locum non est habiturum? Quod si adhuc nonnullis ea opinio placeat, nihilominus confectam rem habeo. Siquidem quo tempore post susceptum baptisma necdum aut expresse, aut tacite confirmatum matrimonium a conjugibus fuit, non inficiantur ipsi, conjugii esse contractum sine conjugii sacramento. Finge nunc aliam speciem: nimirum matrimonium celebrari inter baptizatum, et catechumenam legitima accedente dispensatione. Nonne baptizatus contractum celebrasse dicetur sine sacramento? Id passim, paucis exceptis, et theologi, et canonum interpretes tradunt: et quamquam sint, qui scripserint, ex parte baptizati sacramentum esse, rogo illos, ut indicent mihi, quo ministrante sacramentum baptizatus acceperit. Si enim ii sunt, qui conjuges ipsos tradunt invicem sibi esse sacramenti ministros, docere debebunt, quomodo fieri possit, catechumenam, quæ incapax est suscipiendo, esse conferendo sacramento capacem; neque enim abuti eos velim similitudine necessarii sacramenti, quale est baptisma, in quo cujuscumque etiam infidelis singulari quodam jure admittitur ministerium.

Vulgare aliud proferri solet exemplum in matrimonio aut per epistolam, aut per procuratorem contracto, in quo facile, quidquid alii senserint, nullum conferri sacramentum agnoscitur, licet valere contractum nemo inficietur, cap. ult. de procurator. in 6. Paucis id demonstravit Melchior Canus loco superius laudato ita scribens: *Non igitur ecclesia docet, quodlibet fidelium matrimonium sacramentum esse; nisi quis adeo desipit, ut Cajetanum damnet, qui et probabilissime, et, me quidem judice, verissime, matrimonium, quod inter absentes per literas, procuratoresque contrahitur, sacramentum esse inficiatus est. Nam qui in hoc Cajetanum errasse clamant, hi non intelligunt nec quæ loquuntur, nec de quibus affirmant. Quod si nullo idoneo, et necessario argumento, sed stultis, turbolentisque clamoribus alienas refellere sententias pergunt, atque adeo damnare, quæ probabiliter, et vere dicta sunt, tum nos in quiete et silentio taciti illorum stultitiam, amentiamque ridebimus. Concedant illi, unum pro altero sacramentum sumere, cum pro altero contrahit. Concedant, sacramenta Christi absentibus administrari, eisdemque et gratiam conferre, et peccata remittere. Nos enim, quoniam hæc absurda sunt, concedere potius volumus, ejusmodi contractus, qui inter absentes transiguntur, matrimonia quidem verissima esse, vera sacramenta nullo modo.*

Neque vero quisquam in contrarium opponat, si ita sese res habeat, in istis, vel similibus speciebus futurum, ut ecclesia contrahentes compelleret, aut saltem hortaretur, atque induceret contrahentes ad contractum ita opportuno tempore renovandum, ut posset fieri sacramentum, ne contrahentes ipsi præparata ex Christi institutione careant gratia Dei: cumque ob eam rem conjugii renovationem urgeri non videamus, gravem capi conjecturam, quemcumque matrimonii contractum haberi pro sacramento. Adversus hæc ego in primis repono, eos, qui ita contraxerint, ab ecclesia non repelli, quominus consensum renovent in conspectu ecclesiastici administri, si voluerint; unde gravis conjectura capi potest, nondum matrimonia illa haberi pro sacramentis. Deinde observo, non deesse gravissimos viros, inter quos cardinalis Cajetanus, qui laudant contrahentes per procuratorem, quoties in conspectu ecclesiæ præsentes ambo semel contractum conjugium ratum habent suscepta sacerdotali benedictione. Quod si id præcepto ecclesiæ non urgetur, forte ex eo fit, quod nondum definita publico ecclesiæ suffragio sit illa scholasticorum opinio, cujus meminit Benedictus XIV de synodo diœcesana lib. 8, cap. 13, num. 8 opinantibus aliis, posse renovari contractum matrimonii, ut incipiat etiam esse sacramentum, aliis e contrario opinantibus, contractum conjugii semel valide initum, nisi cum iniretur, sacramenti naturam induerit, nunquam deinceps posse effici sacramento. Omitto gravissima, quæ emergerent in rempublicam christianam incommoda, si passim, et sine discrimine urgerentur omnes decreto publico ad renovandum in conspectu ecclesiæ matrimonii contractum jam antea rite perfectum. Quis enim tranquillitatem publicam adeo in tuto collocare tunc posset, ne qui per iniquam ceteroqui detestabilemque perfidiam prætextu matrimonii per sacramentum firmandi ad ecclesiam, seu ad mi-

nistros ecclesiasticos accedentes, potius se de contractu ipso per pœnitentiam retractando agere palam se posse confiderent?

QUÆSTIO IV.

De veterum Concubinatu.

Plurimum conferre potest ad perspiciendam conjugiorum naturam de veterum concubinatu nonnulla disserere, ne forte aliqui minus prudentes cum legerint quandoque aut sacris canonibus, aut civilibus legibus non omnino damnatum fuisse concubinatum, injustas nuptias perperam cum legitimis justisque confundant. Qua in re cum veterum concubinatum memoro, non adeo altius rem repetendam velim, ut a nobis sit de antiquissimis aut sanctorum patriarcharum, aut qui ex patriarchis originem duxerunt, hebræorum moribus investigandum. Tum in gravissimas disputationes descendere oporteret, quas ut definirent vel ipsi ecclesiastici sapientissimi prisci patres, non aliam commodiorem viam sibi aperuerunt, quam concludendo, symbola quædam sacra non satis obvia viribus humani ingenii in ea connubiorum specie esse agnoscenda, imo etiam veneranda potius, quam investiganda, can. 1 et 2, caus. 32, quæst. 4. Isidorus Hispalensis in lib. Judicum cap. 6 ut innumeros alios prætermittam. Item in proposito vix disputatio ista sejungi posset ab altera, qua quæreretur, an apud hebræos veteres licuisset aliquando plures ducere uxores, quando verum est, eas, quæ in sacris veteris testamenti literis concubinæ appellantur, quandoque et uxorum nomine fuisse appellatas; nisi dixeris, proprie eas uxores appellari consuevisse, quæ non tam prolis caussa ducerentur, quam familiæ etiam una cum marito regendæ, atque administrandæ, at concubinas proprie dici, quæ tantum prolis caussa susciperentur. Sic Cethura in cap. 25. Geneseos concubina, et uxor dicitur Abrahæ, quemadmodum etiam Agar in cap. 16 et 25. Geneseos dicta fuit Abrahæ uxor, quæ alibi concubinæ nomine distinguitur, dicto cap. 25 Geneseos, et lib. 1 Paralipomen. c. 1. Sic Jacobo Bala ancilla Rachelis, et Zelpha ancilla Liæ proprie concubinæ fuerunt. c. 35 Geneseos, uxores tamen etiam nominantur, et in conjugium datæ, Geneseos cap. 30. Itaque sufficiat, quædam etiam de concubinis istis paucis attigisse, dum dico primum juxta apostoli Paulli sententiam in epist. ad Galatas cap. 4, quædam ibidem agnoscenda esse *per allegoriam dicta* ad vetus simul, et novum testamentum significandum; deinde, singularem et providam Dei permissionem deprehendi, ut latius genus sanctorum ad paucos fere redactum tunc propagaretur, canone 3, 6, 7, 9, caus. 32, qu. 4 denique, nec omnino concubinatum illum a Deo fuisse quandocumque probatum, uti de concubinatu Abrahæ scribere non dubitavit Ambrosius in libro de Abraham, ex quo depromptus est canon 3, caus. 32, qu. 4, imo expresse quandoque reprobatum, quoties ad libidinem flecteretur, uti liquet ex cap. 11, lib. 3. Regum de concubinis numero plurimis Salomonis, can. 13, caus. 32, qu. 4. Ceterum, quæ disputationi locum in hac materie prœbere possunt, commodius juvat referre in quartam dissertationem, ubi de evitanda polygamia agendum erit, atque curiosius investigandum, an revera ex naturæ jure damnetur.

Potius ad romanorum veterum mores respiciendum est, qui et christianis aliquando, ac maxima in parte fuere communes; saltem prioribus ecclesiæ sæculis, cum probata ab ethnicis juris publici prudentia nondum purgari omnino, et ad purissimas Evangelii institutiones exigi undecumque potuit. Itaque Romani non concubinarum nomine donaverunt aut conjuges illas, quæ in viri legitimi injuriam jungebantur alteri, aut solutas a conjugio feminas, quæ uxorem justam habentibus jungerentur; etenim sicut priores *adulteras*, ita posteriores *pellices* appellabant, utrasque sane probrosis nominibus, atque iis, quæ non longe distarent, juxta illud Ovidii metamorphos. 10 de Myrrha: *Tunc eris et matris pellex, et adultera patris.* Quamquam enim grammaticalis concubinæ significatio eam feminam demonstraret, quæ viro concubitu jungeretur, quomodo Massurius non probante Flacco scribebat in l. 144 ff. de verb. signif., vulgo tamen generalis et nimium late patens nominis significatio usu loquendi contracta est, ut sicut non uxorem, ita nec adulteram, nec pellicem designaret, quamobrem scimus, et adulteras, et pellices jure romano damnatas, concubinas damnatas minime legimus. De adultera una lex Julia de adulteriis lata id abunde demonstrat: de pellicibus etiam concepta jam olim fuerat vetustissima lex Numæ regis deinde translata in duodecim tabulas apud Gellium lib. 4. Noctium Atticarum cap. 3 ibi: *Pellex aram Junonis ne tangito, si tanget, crinibus demissis agnum feminam cædito*: quibus sane verbis ad modestiam compositis indicabatur, maritalem thalamum, quem aram Junonis appellabant, quasi Junoni sacrum, non debere a pellice tangi. Sed et concubinatus a stupro distinguitur, propterea quod in stupro nulla consuetudo sit, et vitæ universæ communio quamobrem utramque conjunctionem manifeste distinxerunt, tum Atilicinus, et Ulpianus in l. 1, § 1 ff. de concubinis scribentes, eas posse in concubinas haberi, in quas stuprum non committeretur; tum Modestinus in l. 34, ff. ad leg. Jul. de adulter. docens, stuprum in concubina non committi; tum Papinianus in l. 16, § 1 ff. de his, quæ ut indignis, tradens, eam, in qua non stuprum, sed concu-

binatus fuit, testamento capere posse. Quid aliud ergo erat concubinatus ille, in quo nec adulterium, nec pellicatus, nec stuprum fingebatur, quam nuptiæ minus solemnes, in quibus maritalis quidem affectio erat, sine thori divisione, nemine consuetudinem interturbante, cui scilicet nihil aliud oberat, quominus justæ nuptiæ dicerentur, quam una legum subtilitas, aliquando etiam nimia ethnicorum asperitas, qui justas nuptias non dicebant, nisi quoties confarreationis solennitas aderat, aut certa stipulationum formula accesserat ad celebrandam coemtionem, aut denique longa, nec interrupta usucapio, contestatione liberorum suscipiendorum præcedente, intercessisset? Quod concubinatus individuam consuetudinem vitæ designaret; stuprum non erat; quod in aliena uxore non fieret, adulterium non erat, quod ab eo non admitteretur, qui jam fuisset uxori legitimæ sociatus, pellicatus non erat. Uno verbo, conjugium erat naturali tantum jure subsistens, quod jus publicum non damnaverat quidem, sed tantum non omnino probaverat quomodo interpretanda censeo verba Paulli in l. 4 ff. de concubinis scribentis, *concubinam ex sola animi destinatione æstimari oportere*. Naturali, inquam jure conjugium illud subsistebat, quia nihil adversus naturæ præcepta videbatur admitti: nam si ex. gr. naturæ jure unius cum una conjunctionem dicas matrimonium esse, id observatum fuisse in concubinatu dignosces, quoties concubinam cum pellice vel adultera non confundas. Item si naturæ jure et maritus pubes, et viripotens femina esse debet, et id in concubinatu observatum fuisse, tradidit Ulpianus in l. 1, § ult. ff. de concubinis. Præterea si natura postulat, ut abstineamus a certarum personarum conjunctionibus, hanc quoque legem in concubinatu custoditam non ignoramus in conspectu dictæ legis 1, § 3, qua declaratum est, eam, quæ semel fuit in patroni concubinatu, nonnisi nefarie in concubinatu filii ejusdem patroni esse posse, vel contra, et ideo hujusmodi facinus prohibendum; item in conspectu legis 56 ff. de ritu nuptiar., in qua definitur, incestum esse, si concubinam quis sororis filiam habuerit. Forte inquies, dissolvi potuisse concubinatum, quod dices naturæ regulis adversari. Verum cum demonstravi, concubinatum fuisse a stupro distinctum, demonstratum etiam volui, in contrahendo concubinatu animum fuisse individuæ ineundæ vitæ, quod ad naturalis conjugii celebrationem sufficit, licet deinde vel perfidia, vel ex caussa, quam quis legitimam putet, a communione discedatur: neque enim ideo quisquam dixerit, matrimonia ipsa justa Romanorum non fuisse vera conjugia, quod licet ab initio animus fuerit apud conjuges individuæ ineundæ vitæ, certas deinde subesse posse repudii caussas existimarent. l. 2 et toto tit. ff. de divortiis l. 1 et passim cod. eod. tit., nov. 22, c. 4 et 14 juncta nov. 117, c. 12. Hæc sane ratio fuit, quare in romanis legibus inter uxorem et concubinam nihil nisi dignitate tenus interesse dicebatur, l. 49, § 4, ff. de legat. 3, quare etiam filii ex concubinatu suscepti, non spurii, quemadmodum ex damnato coitu geniti vocarentur, sed naturales, nimirum servata in eorum procreatione simplicitate naturæ, nov. 74, cap. 6, nov. 89, cap. 15, quomodo etiam intelligere visus fuit canonum collector Gratianus, qui cum aliqua de concubinis tradidisset in dist. 34, ad calcem canonis 3 hæc subjecit: *Concubina autem hic ea intelligitur, quæ cessantibus legalibus instrumentis unita est, et conjugali affectu adsciscitur. Hanc conjugem facit affectus, concubinam vero lex nominat.*

Quando vero dixi, concubinatum apud romanos veteres non jure publico damnatum fuisse, sed fuisse non omnino probatum, duo potissimum innuere volui. Primum est, concubinatum ita habitum fuisse, ut facile data opportunitate in nuptias justas transiret, quemadmodum facile etiam naturales liberi suscepti ex concubina justi efficiebantur, nov. 89, cap. 1. Hinc de romanis ita scribebat Hieronymus in epist. ad Oceanum: *affectione maritali retinebant concubinas ad evitanda onera et minuendas impensas, quas tamen ad ampliores evecti divitias etiam uxorum non tantum nomine et dignitate, sed etiam jure dignabantur*. Quidquod autem aliquando dubitaverunt jureconsulti de maritali conjunctione, num nuptiæ dicerentur, an simplex concubinatus, quemadmodum in l. 24 ff. de ritu nuptiar., ubi in dubio præsumuntur nuptiæ non concubinatus in consuetudine liberæ mulieris, nisi mulier quæstum corpore fecisset, quod ideo subjicitur, non quia concubinæ liceret quæstum corpore facere, sed ne maritus de adulterio suspectus esset dum quæstioni lenocinii subjiceretur, nec non in l. 31 ff. de donation., ubi dum dubitatur an donationes in concubinam, an potius in uxorem sint collatæ, considerandum dicitur, qualis fuerit vitæ conjunctio atque utrum maritalis non tam affectio, quam honor præcesserit. Quorsum dubitationes istæ de conjunctione, an concubinatus esset, an conjugium justum, nisi parum concubinatus a conjugio justo distaret? Alterum est, facile intelligi exinde, qua de caussa, et quibus in casibus romani iidem veteres aliquando de concubinatu potius contrahendo, quam de conjugio cogitarent. Si quidem animadvertere oportet, non omnium nuptias apud romanos fuisse jure probatas; imo et illorum, quorum probabantur, non aliter probatas fuisse quam certæ solemnitates intercederent. Quid enim in primis, si gerens in provincia magistratum feminam provincialem sibi jungi conjugio adamavisset? Quid, si filiofamilias,

qui patris forte furiosi consensum obtinere non poterat, uxorem ducere caussa liberorum expediisset? Quid, si senator, aut vir clarissimus libertinam mulierem sibi sociare conjugio voluisset? Quid, si nuptiales tabulæ, ac præsertim dotales, quibus demum intervenientibus aliquando scimus nuptias justas dictas fuisse, legitimasque, can. 6, caus. 30, qu. 5, desiderarentur? In istis, aut similibus casibus cum lege publica matrimonia non probarentur, concubinatus juxta legis naturalis simplicitatem fiebat, quo scilicet nihil familiæ decori, aut civitatis splendori detraheretur, qui splendor, quodque decus ex justis tantummodo nuptiis pendebat, l. 1 princ., et l. ult. ff. de concubinis; uti etiam scribebat Ulpianus *honestius erat patrono libertam concubinam, quam matremfamilias habere.*

Igitur quousque hisce terminis continerentur, qui in concubinatu erant, dicebantur quidem in conjugio minus honesto esse quia non omnes legum publicarum solemnitates in contrahendo conjugio impleverant, nihil tamen illi admiserant, quod videretur juri naturali adversari. Quod si de christianis sermo sit, tantum illud non curaverant, ut nuptiæ sacerdotali benedictione juxta ritum ecclesiæ antiquissimum consecrarentur, quod utut illicitum esset, nihil oberat quominus validum, et firmum conjugium diceretur. Quamobrem sanctus Augustinus nihil habuit, ex quo hæc conjugia dissolvi debere censeret, dum in libro de bono conjugali cap. 5 ita scriberet: *Solet quaeri, cum masculus et femina, nec ille maritus, nec illa uxor alterius, sibimet non filiorum procreandorum, sed pro incontinentia solius concubitus caussa copulantur, ea fide media, ut nec ille cum altera, nec illa cum altero id faciat, utrum nuptiæ sint vocandæ. Et potest quidem fortasse non absurde hoc appellari connubium, si usque ad mortem alicujus eorum id inter eos placuerit,* can. 6, caus. 32, qu. 2. Deinde etiam concilii toletani patres, et S. Isidorus Hispalensis hanc concubinatus formam ad regulas juris naturalis exactam non improbare penitus potuerunt, in can. 4 et 5, si tamen iste genuinus est, dist. 34, ubi legimus, non esse a communione christiana repellendum, qui uni tantum vel uxori, vel si uxor nulla sit, concubinæ conjungatur; quo sensu etiam imperator Justinianus in l. 5, cod. ad sen. cons. Orphitianum concubinatum *licitæ consuetudinis* nomine appellavit.

Interea quidam priscis ecclesiæ sæculis, plurimi autem recentiore et sequiore ætate extiterunt, qui permisso concubinatu abuterentur, cujus abusus caussa duplex erat. In primis non deerant, qui sibi facile persuadebant, posse se pro lubitu concubinam dimittere, quia lege publica non animadvertebatur adversus dimittentes, etiamsi nulla esset dimittendi caussa, et nulla in dimittendo solemnitas intercederet; imo et ea voluntate ad concubinatum perperam deveniebant, ut scilicet illa maritalis conjunctio speciem quidem exteriorem concubinatus haberet, revera damnatum legibus stuprum esset, imo et stupro ipso eo probrosior, quo diutius in eo crimine consisteretur. Quis inde non videat, aperiri potuisse viam amplissimam ad id, quod dictu nefarium est, nimirum ad pene promiscuam mulierum consuetudinem? Deinde erant, qui sibi facile persuaserunt suis vitiis blandientes, quocumque casu quo lege publica nuptiæ prohiberentur, permitti legibus aut saltem non improbari concubinatum. Quis etiam inde non videat, aperiri potuisse viam latissimam ad adulteria virorum, quoniam qui uxorem jam duxerant, quod aliam sibi jungere uxorem nequirent, jungebant concubinam? Deplorabile dictu est ferreis sæculis hanc ipsam persuasionem invasisse nonnullorum, majorum etiam clericorum animos, qui dum perspectum habuissent, sacris canonibus sibi interdictum esse conjugiis, concubinatu sacrilego se maculari non erubuerunt. Opus hinc fuit, ut latis legibus gravissimis hisce universæ, ac præsertim christianæ reipublicæ incommodis occurreretur. Primus Constantinus Magnus in l. 1 cod. de concubinis expresse cavit, nemini licere, constante matrimonio penes se concubinam habere. Clarius Justinianus in l. ult. cod. communia de manumission. in fine palam explicavit, hominibus uxorem habentibus non solum suis temporibus non licuisse concubinas vel libertas, vel ancillas habere, sed neque id unquam fuisse antiquo jure concessum, et in nov. 18, cap. 5 inquit: *si autem confusa concupiscentia ita fiat, ut alias superinducat prioribus concubinas, et multitudinem habeat concubinarum fornicantium (sic enim dicere melius est) et ex eis filios faciens moriatur multas simul relinquens concubinas, odibilis quidem nobis est iste, qui talis est, procul autem omnibus modis ab hac lege expelletur.* Adjicio legem 3, § 7 cod. de bonis libertorum, in qua idem Justinianus postquam tradidit, posse dominum ancillam concubinam habere, statim ita prosequitur: *Qui habet uxorem legitimam, non potest habere concubinam.* Neque a religiosissimo imperatore dissentiebat rex Athalaricus circa annum 530, qui hoc edictum romanis proposuit referente Cassiodoro lib. 9, variarum 18. *Uno tempore duabus nemo copuletur uxoribus, quia noverit rerum suarum amissione plectendum: nam aut libido est, et recte perfrui non sinitur, aut cupiditas, et jure nuditate damnatur. Siquis autem superflua turpique cupidine, conjugali honestate despecta, ad concubinæ elegerit venire complexus, si ingenua fuerit, jugo servitutis cum filiis suis modis omnibus addicatur uxori, ut illi se per honesta judicia sentiat subdi, cui per illicitam libidinem credidit posse præ-*

poni. Quod si ad tale flagitium ancilla pervenerit, excepta pœna sanguinis, matronali subjaceat ultioni, ut illam patiatur judicem, quam formidare debuisset absentem. Sancti ecclesiæ patres in illos ipsos concubinariorum abusus vi publicarum orationum acerrima clamaverunt, inter quos Augustinus, cujus verba sunt in can. 6, dist. 34, et can. 5 ac 6, cau. 32, qu. 2, ajebat, non licere ullo modo eam concubinam habere, quam quis esset postea pro lubitu dimissurus. Nunc sane quisque intelliget sententiam Leonis Magni in epistola ad Rusticum Narbonensem, cujus fragmentum extat in can. 11 et 12, cau. 32, qu. 2, ubi sanctus pontifex concubinatum ita improbare debuit, ut exoptaret pro concubinis uxores duci, et rejectis concubinis justas uxores induci, *quasi ancillam a thoro abjicere, et uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugii, sed profectus sit honestatis.* Non enim ista eo pertinent, ut traderetur dissolvendum esse verum, et proprie dictum concubinatum per matrimonium justum cum altera contrahendum; sed potius eo, ut traderetur, dissolvendas esse eas conjunctiones, quas quidam inirent animo dimittendi quandocumque voluerint concubinam juxta corruptos ejus temporis mores; quæ sane conjunctio ne naturali quidem jure tanquam conjugium haberi poterat, quando tradidit Gregorius IX in cap. ult. de condition. appos., irritum esse conjugium ea conditione, ut tantum ad certum tempus contractum intelligeretur. Quod si in laudatis canonibus id non aperte exprimitur, provoco ego ad integram epistolæ pontificiæ lectionem; etenim in principio Leo Magnus professus est, se in iis quæstionibus sententiam dicere de quibus *inter præsentes opportunius quæreretur;* et quæ *colloquiis aptiores essent, quam scriptis;* unde colligitur, plura dicere voluisse Leonem, revera minus Rustico interroganti scripsisse. Præsertim vero adversus memoratorum clericorum sacrilegia passim insurrexerunt vigilantissimi ecclesiæ pastores, quorum monumenta sunt in conciliis propemodum universis undecimi, et duodecimi sæculi, ex quibus derivati sunt canones 5 et 6, dist. 32, nec non can. 40, caus. 27, qu. 1. Generaliter quoque concubinatum damnavit Leo philosophus in sua nov. 91. Tandem re mature discussa, cum ex una parte per concubinatum solemnitates nuptiarum in ecclesia benedicendarum negligi viderentur, ex altera parte sperari vix posset, rem non improbe cedere, quod passim sub concubinatuum specie violarentur ipsa etiam sanctissima naturæ atque Evangelii jura, cavendum fuit saluberrimis decretis ne concubinatus amplius nomen inter fideles audiretur, inflictis adversus concubinarios quoscumque gravissimis pœnis, eadem fere ratione, qua clandestina conjugia ob innumeros propemodum, qui exinde emergebant, abusus prohiberi penitus debuerunt. Eædem sanctiones renovatæ fuerunt in concilio tridentino sess. 24, cap. 8 de reform. matrim., ubi et grave peccatum declaratum est, homines solutos concubinas habere; gravissimum vero, et in sacramenti matrimonii singularem contemtum admissum, uxoratos in eo damnationis statu vivere, ac audere, eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere, ac retinere. His arbitror, me non tantum magis in perspicuo collocavisse veri conjugii naturam, atque indolem, ut meo in hac dissertatione proposito satisfacerem, verum etiam enodavisse difficultates omnes, in quas, dum de concubinatu ageretur, jure præsertim romanorum permisso, a nonnullis ex veteribus ecclesiæ patribus non penitus improbato, recentioribus deinde sæculis optimo jure damnato, viri plurimi etiam eruditissimi inciderunt.

DISSERTATIO SECUNDA

DE SPONSALIBUS.

Huc referendi sunt tituli 1, 2 et 5, lib. 4 decretalium.

CAPUT I.

Quid sint sponsalia, et quomodo contrahantur?

Quum sponsalia dicimus, facile intelligit unusquisque, derivatum fuisse vocabulum a spondendo, quemadmodum a despondendo aliquando dictæ fuerunt desponsationes, quorum verborum discrimina in eo grammatici collocant, quod puellæ pater proprie dicatur puellam spondere, sponsus vero, seu pater sponsi despondere. Hujus sponsionis forma non semper eadem fuit: etenim apud veteres romanos stipulatio intercedere solebat, l. 2 ff. de sponsalibus, juxta formulam, quam tradidit Ser-

vius Sulpitius apud Gellium lib. 4 noctium Atticarum cap. 4 ibi: *Qui uxorem ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat stipulabatur, eam in matrimonium ductum iri: qui daturus erat, ibidem spondebat daturum: is contractus stipulationum, sponsionumque dicebatur sponsalia.* Hæc contrahendi forma tamdiu perduravisse videtur, quamdiu quæ ex eo contractu proficiscebatur, obligatio firmissima fuit, et actio inde nata in judicio cum effectu proposita. At postquam inductum est, ut facile in irritum caderet, indulgendo sponsis, ne ad contrahenda conjugia obligarentur reluctantes et inviti, negligi etiam cœpit ea solemnis contrahendorum sponsalium ratio; quamobrem recentiore ætate usus invaluit, ut contracta rite sponsalia intelligerentur, sive verbis, quorum formulam descripsit summus pontifex in cap. penult. de sponsal., sive literis, sive per procuratorem, sive quibuscumque aliis certis indiciis de consensu constet, l. 4, ff. de sponsalibus. Certis, inquam, indiciis, in quibus scilicet nulla esse dubitatio possit. Hinc ex. gr. siquis ex una annuli traditione, qua sponsi sponsas sibi quodammodo devincire solent juxta vetustissimum morem, can. 3 et 7, cau. 30, qu. 5, demonstraret, sponsalia fuisse contracta, nisi alia suffragarentur indicia, vel quia provinciæ disciplina ita postularet, vel quia sponsalium tractatio præcessisset, judicio meo non satis certam sponsalium probationem adferret, argumento capituli 11 de præsumtion. potiore jure non concludetur, ideo sponsalia fuisse contracta, quod inter duos familiares quædam loquendi formulæ expressæ fuerint, quibus forte mutuo se sponsos salutaverint, nisi alia adjuncta concurrant; etenim ex animi levitate, qua quædam præter sinceram et solidam voluntatem pronunciantur, verus consensus minime inducitur; quemadmodum definivit Justinianus in specie militis, qui non serio quemquam heredem suum declaravisset, licet alias verum sit, testamenta militum nulla juris solemnitate indigere, § 1 institut. de militari testamento. Quia vero sæpe contingit, ut ex inconsideratis hujusmodi loquendi formulis jurgia oriri soleant, et contractorum sponsalium conjecturæ capiantur, non sine contradictione, non inopportune in nonnullis diœcesibus decretum est, ut non alias sponsalia vere contracta intelligerentur, quam si certa intervenirent rei gestæ testimonia: nimirum alicubi, ut duo testes essent necessarii, vel ut in scripturam acta redigerentur, alicubi etiam, ut coram parocho celebrarentur, quamquam alibi interdictum noverim, ne parochus interveniat, ne forte contingat, sub prætextu sponsalium parochum caussa matrimonii potius celebrandi advocari ad eludendas denunciationum leges. Non memoro quid exhibeant singularum diœceseon mores, quos, prout res inciderit, ex diœcesanarum synodorum lectione unusquisque commode intelliget. Tantum dicam, jure communi nullam esse præstitutam contrahendorum sponsalium formam, illaque statim valere, ac contrahentes ipsi consentiunt; quamobrem sponsalia recte definies cum jureconsulto in l. 1 ff. de sponsal. ut sint *mentio et repromissio futurarum nuptiarum.*

Quorum consensus requiratur, quorumque sufficiat in sponsalibus contrahendis, non una definitione comprehendi potest. Nimirum varia antiquo jure disciplina fuit ab ea, quæ invecta recentioribus sæculis adparet: variæ quoque sunt personarum notæ, cum aliud in personis paternæ potestati subjectis receptum fuerit, habito etiam discrimine masculorum et feminarum; aliud in personis sui juris, quarum etiam respectu notandæ sunt variæ rationes, prout scilicet ipsæ aut adhuc in pupillari ætate consistunt, ac sub potestate tutoris, aut minores dicuntur, et sub regimine curatoris, aut majores sunt, et utramque potestatem seu tutoriam, seu curatoriam evaserunt. Profecto quoties de filiisfamilias agatur, olim ex romani juris institutionibus multo dissimilis habebatur ratio filiorum et filiarum. Nimirum uti tradebat Servius Sulpitius loco supra laudato apud Gellium, sponsus stipulabatur sponsam *ab, eo unde ducenda fuisset*, idest a patre sponsæ, ex quo liquet, sponsæ patrem consentire oportuisse, non sponsam. Erat hæc vis summæ illius, quam vetusti parentes habebant, potestatis in liberos, quos pro arbitrio suo alienæ familiæ inserere poterant; eamque ob rem pater sponsæ filiam de manu fere sua in alienam manum, sive in manum viri dimissurus, sua tantum voluntate cum sponso contrahebat; neque id omnino iniquum filiæ videbatur, cujus deinde consensus in celebrandis nuptiis exquirebatur. Coercenda deinde fuit rigidior illa parentum potestas, utpote quæ aliquando immeritam liberis perniciem adferebat; quamobrem, sicut in aliis obtinuit, mitius agi cum liberis cæptum est, cautumque, ut sponsæ ipsius consensus requireretur, l. 11 ff. de sponsalibus, qui tamen semper intervenisse intelligeretur, quoties filia sciens prudens sponsioni paternæ aperte non contradiceret, l. 12 ff. eod., imo ne concedebatur quidem puellæ paternæ voluntati refragari, nisi æqua subesset dissentiendi caussa, veluti si indignum moribus sponsum ei pater eligeret, dicta l. 12, § 1. Sed hæc, quæ de sponsa filia dicimus, non eodem modo dici de sponso filio possunt; quamquam enim sponsus filius familias sponsalia sine consensu parentis contrahere non posset, sicut nec contrahere poterat matrimonium, non adeo tamen vi patriæ potestatis premebatur, utquam sibi pater stipulatus fuisset sponsam, eam ducere teneretur, l. 13 ff. de sponsal., imo et poterat etiam sine caussa libere contradicere. Dices forte, et quidem recte, arctius fuisse vin-

culum patriæ potestatis respectu filiorum, quam filiarum cujus rei caussa trina venditio in emancipatione filiorum, non in emancipatione filiarum olim necessaria fuit. Verum illa discriminis ratio in sponsalibus observanda, non tam ex vinculo patriæ potestatis, sed ex necessitudine inter parentes, et liberos pendebat quam ex caussa familiæ, quando mortuo patre filia sponsa a sponso traducta non propriam familiam habebat, sed familiæ viri inserebatur; at filius sponsus mortuo patre propriam incipiebat habere familiam. Quamobrem filiusfamilias vivente patre poterat sponsalibus a parente contractis contradicere, ex eo quod licet conjugem non in suam, quam vivente patre nondum habebat, sed in patris familiam ducturus esset, futurum tamen aliquando sperabat, ut sui juris effectus eandem conjugem in sua familia habere inciperet: atque est juris romani vetustissima regula tradens, neminem in alicujus inviti familiam recipiendum esse, quemadmodum facile colligitur ex eo, quod nec pater poterat invito filio, sibi aliquem in nepotem adoptare, l. 6 ff. de adoptionibus. Recentioribus sæculis receptum est, ut et filiorum æque, et filiarum sponsalia contrahentium consensus requireretur, et sufficeret; nisi forte in eo adhuc quisquam velit manere vetustam integram disciplinam (neque enim ego repugno), quod si agatur de filiis impuberibus, vel de filiabus nondum viri potentibus, non aliter sponsalia ab ipsis contracta consistant, quam si paterna voluntas voluntati illorum accedat, propterea quod pupillorum maxime infirmum consilium sit, deceatque illud paterno judicio adjuvari, contra quam observandum sit in actibus liberorum, qui jam pubertatem attigerint, utpote qui facilius liberæ suæ voluntati relinquuntur. Requiritur, inquam, hodie filiorum, filiarumve consensus, quin sufficiat patrem puellæ spondere, nisi et ipsa puella sponsionem patris quoquomodo confirmet, vel ratam habeat, cap. un. in fine de desponsat. impub. in 6. Neque enim quemquam turbare debet canon 2, caus. 31, qu. 2, seu, quod idem est, capitulum 1 de desponsat. impuber., ubi adigitur filius nondum adultus post unius patris sponsionem, ut matrimonium contrahat. Nimirum jam ego observavi in meis lucubrationibus in codicem Gratiani parte 2, tom. 1, cap. 49, monumentum illud a viris eruditis inter apocrypha recenseri, neque puto, aliam in eo describendo fuisse mentem collectoris decretalium, quam ut indicaret, illum ipsum canonem, qui alias in collatione Gratiani recensebatur, abrogatum fuisse aliis decretalibus passim apud Gregorium IX memoratis, proindeque nullam illius habendam esse rationem. Dixi præterea, sufficere consensum seu filiorum, seu filiarum, ut intelligatur, hodie non requiri parentum consensum; postquam enim obtinuit, ut valeant matrimonia filiorumfamilias sine patris consensione contracta, quid dubitandum superest de sponsalibus, quæ viam ad matrimonium parant? Interea tamen jure adnotabitur, quemadmodum conjugia sine parentum consensu contracta tanquam naturali honestati ut plurimum adversantia, ac propterea illicita legibus etiam ecclesiasticis improbantur, ita eodem modo tanquam illicita habenda esse sic celebrata sponsalia, in quibus honor parentibus debitus non præstatur. Ecquidem hinc video statim emergere non levem difficultatem, dum illico observo, nihil aliud esse dicere, ea sponsalia valere, utut illicita, quam dicere, sponsum, seu sponsam ad datam fidem implendam obligari, propterea que adigi ad matrimonium contrahendum, quod celeroqui patris consensu non accedente probrosum videretur, quando ea obligatio in rem illicitam conferretur. Verumenimvero ego observo, quoniam duplex est sponsalitiæ obligationis effectus, quorum prior spectat futuri matrimonii celebrationem, alter spectat sponsorum vinculum, quo fit, ut neuter ex ipsis novam fidem alii dare licite possit, si forte parentes dissentiant, in suspenso quidem interea manere priorem sponsalium effectum, quasi excusetur alteruter ex sponsis, si conjugium inire nolit contra reverentiam parentibus debitam; at nihilominus vires suas exerere effectum alterum, ut licite alteruter nequeat de matrimonio cum alia contrahendo decernere, in quo nihil adversus reverentiam patri debitam admittitur, ut mittam alios sponsalium effectus, qui non futurum matrimonium, sed ipsum contractum sponsalium vinculum spectant, quod sane sufficit, ut sponsalia adhuc valere credantur; neque enim generaliter verum est, obligationem nasci non posse, quocumque in casu licite omnes effectus sortiri nequit, dummodo certi effectus jam editi demonstrentur: eodem fere modo quo multis in casibus legibus datur filio, ut sibi patrem obliget, et exinde habeat actionem adversus patrem paratam, quæ et extingui potest, et novari, item datis fidejussoribus, vel pignoribus confirmari, quamquam eadem actio non impetrata a prætore venia in judicio proponi non possit. Quid vero, si pater olim dissentiens, deinde consentiat? Quid, si pater moriatur? Quid, si talis casus emergat, quo amplius pater nec dissentire, nec consentire valeat? Tunc sane locus fiet alteri sponsalium effectui, ut matrimonium etiam licite contrahatur, non quasi sub obligatione tum primum emergente, sed quasi sublato impedimento, quod oberat obligationis executioni undecumque implendæ. Præterea observo, quando in ea quæstione versamur, num obligatio seu vinculum sponsalium consistat, non tam sollicitos fuisse legum conditores, et publicæ disciplinæ vindices, quid rite agendum deinde sit sponsis ad rectum familiarum ordinem custo-

diendum, in quo privata versatur utilitas, quam sollicitos extitisse de sponsalium consectariis juxta publicam formam, in quo versatur bonum societatis, privatis sane commodis, et rationibus præferendum. Quid enim ex. gr., si post contracta patre dissentiente sponsalia a filiofamilias, sponsus copulam cum sponsa habuisset? Nonne olim attenta disciplina, quæ ante concilium tridentinum vigebat, publice intererat, eam copulam pro conjugio haberi; quod sane dici non potuisset, nisi vera, et valida sponsalia præcessissent, quemamodum inferius tradam? Quid, si frater sponsi filiifamilias sponsam ipsam sibi sociare conjugio vellet? Nonne publice interest, has nuptias honestate ita suadente improbari, quod alias verum non esset saltem post disciplinam tridentini concilii, si sponsalia ob patris dissensum prorsus irrita haberentur? Quid, si extraneus sponsam eandem violaret? Nonne publice interest, sponsam quasi ream fractæ fidei, et veluti adulteram ob gravem injuriam in sponsum illatam puniri? Quid, si eadem sponsa jam dotem sponso dedisset? Nonne publice intererit, et tacitam hypothecam in bonis sponsi, et actionem ad dotem repetendam dissolutis quomodocumque sponsalibus concedi, quæ sane vera non forent, nisi sponsalia consistere adfirmetur? Hæc plane omnia spernenda non erant uno prætextu servandæ reverentiæ in patrem, quemadmodum nec contra a publicis legibus, vel moribus gentium in generale commodum saluberrime constituta, atque firmata. Jamvero definiamus, quorum consensus requiratur, quorumque sufficiat in sponsalibus, quæ contrahuntur ab iis, qui filiifamilias non sunt, sed sui juris. Quoties isti majores sint, nulla est dubitatio, quin contrahentium consensus, et sufficiat, et requiratur, nisi respiciamus ad antiquissimam romani juris disciplinam in fœminis singularem, juxta quam cum feminæ essent in perpetua agnatorum tutela, eisdem sine tutoris auctoritate sicut nuptias, ita sponsalia contrahere non licebat. Sed jamdiu ab ea disciplina recessum est, et par habetur tam feminarum, quam masculorum ratio. Quoties autem agatur de masculis impuberibus, aut de feminis nondum viripotentibus sub tutoris potestate constitutis, idem de tutoris auctoritate dicendum videtur, quod diximus de patria potestate, ob generalem regulam, qua traditur nullam omnino esse pupillorum obligationem, cui firmandæ tutoris auctoritas non accedat; atque eam regulam etiam in sponsalibus recipiendam puto, quod nullibi in jure sponsalium exceptio facta deprehendatur; imo et eandem regulam hodie etiam arbitror recipiendam, quod nullæ adparent recentiores constitutiones, quibus sit disciplinæ veteri derogatum, præsertim cum et heic publica quædam forma consistit, in adjuvandis scilicet infirmis pupillorum consiliis. Tantum adnoto discrimen, quod inter patriam, et inter tutoriam potestatem intercedebat olim in eo, quod, ut superius diximus, pater etiam ignorantem puellam spondebat; at tutor pupillam non aliter spondere poterat, nisi et ipsa pupilla consensisset, l. 6 ff. de sponsalib., et quidem jure, sive quod tanta penes tutorem non erat potestas, quanta penes patrem habebatur; sive quod tutoris auctoritas firmando potius puellæ consilio accessura erat, eamque ob rem puellæ consensus requirebatur, cui tutoris consensus accederet. Non idem dicendum est de curatoribus minorum, sive masculorum, sive feminarum, qui scilicet jam pupillarem ætatem excesserint: siquidem curatoris officium præcipue spectat rerum administrationem, nec nisi secundario minorum eorundem personas; quamobrem rite minores sine consensu curatorum sponsalia contrahent, l. 20 ff. de ritu nupt., quod mera personalis obligatio in proposito versetur; quamquam curatoris officium desideretur in dote constituenda, similibusve juribus, quæ res eorumdem minorum afficiunt.

Ut vim sponsalia obtineant, parum refert, an pure concepta sint, an vero diem adjectam habeant, vel conditionem. Quoties pure concipiuntur, pariunt quidem statim obligationem matrimonii contrahendi, non eam tamen, quæ statim debeat suum effectum habere: siquidem quæ ex sponsalibus obligatio nascitur, singularem habet naturam, cui scilicet quoddam tempus inest, in quod conjugium differatur. Ratio in eo posita est, quia sponsalia, et matrimonium quasi duo contractus invicem distinguuntur, licet alter ad alterum referatur; ac propterea qui sponsalia contrahunt, cum contrahere matrimonium possent, eo animo esse videntur, ut cogitent quidem, deliberentque de matrimonio aliquando contrahendo, nolint tamen statim ad contrahendum matrimonium obligari. Hoc tempus olim adeo incertum erat, ut ejus definitio ob varia, quæ subesse, vel emergere possent, caussarum adjuncta ex prudentis judices arbitrio omnino penderet. Cum vero judicis nimis diuturnum tempus aliquando determinarent, lege Papia Augusti ætate lata constitutum fuit, ut sponsus intra biennium datam fidem impleret, uti refert Dion. lib. 54, ac generaliter tradit Svetonius in Augusto ita de lege Papia scribens: *Coarctavit tempus sponsas habendi.* Eam ob caussam factum est, ut si elapso biennio sponsus nondum sponsam duxisset, posset sponsa alias sibi nuptias quærere, l. 2 cod. de sponsal., quod quidem intellige, nisi justæ ac necessariæ caussæ diuturnius adhuc tempus postularent, puta infirma sponsi sponsæve valetudo, aut mortes parentum, aut capitalia crimina, aut longiores peregrinationes ex necessitate factæ, quemadmodum legem Papiam interpretabatur Gajus

in l. 17 ff. de sponsalibus. Quod si sponsalibus adjectus fuerit a contrahentibus certus dies, licet statim obligatio nascatur, nemo tamen ex contrahentibus ante diem obligationi satisfacere tenetur; sed veniente die urgeri statim potest ad obligationem implendam, nisi tamen quædam, quæ olim prævisa, non fuerit, caussa gravis emergat arbitrio judicis comprobanda, ad exemplum sane illius, quæ biennium lege præstitutum prorogare potest, juxta ea, quæ modo adnotabam ex l. 17 de sponsalibus, ne forte major esse dicatur vis, et potestas contrahentium, quam legum in tempore definiendo. Contingit quandoque, ut dies insit sponsalibus ex legis potestate, quemadmodum in sponsalibus impuberum, aut aliorum, inter quos statim contrahi matrimonium minime posset: siquidem censentur ista dilata in tempus conjugiis aptum, quale esset in proposita impuberum specie tempus pubertatis. In his caussis ego puto, adveniente pubertate, aut alias apto tempore non statim obligationem contrahendi conjugii effectum sortiri necessario debere, sed poterit alteruter ex sponsis ita tempus prorogare, ac si tum primum sponsalia celebrata fuissent; etenim hoc tempus, quod lege inest, non ideo inest, quasi ultra quod amplius prorogari non liceat, sed potius quasi ante quod matrimonium contrahi minime debeat; quemadmodum in simili propemodum argumento definiebat Paullus in lib. 4 sententiarum tit. 6, § ult.

Quoties conditio sponsalibus adjicitur, nulla dubitatio est, quin nisi illa eveniente, obligatio contrahendi matrimonii nascatur, sive conditio ipsa a casu pendeat, sive ab eorundem contrahentium voluntate, sive eadem in dando, sive in faciendo consistant, cap. 3, 5 et 6 de condition. appos. Quid vero est, quod apud Gratianum legimus in can. 7, caus. 27, qu. 2, conditionem interpositam non valere, idque ex concilio africano probari, cujus verba subjiciuntur in sequente canone 8, ac translata deinde leguntur in cap. 1 de condition. appositis? Nullum mihi negotium ista facessunt, consideranti, ejusmodi monumentis parum auctoritatis inesse. Nemo in primis mihi opponat laudatum canonem 7, cujus verba edenda potius erant a typographis tanquam breviarium quoddam sequentis canonis de more adscriptum opera glossographorum, cujus propterea vis et sententia tota a subjecto canone pendet. Quamobrem jure optimo viri eruditi de Contio conqueruntur, qui ea verba velut ecclesiasticum canonem in sua Gratiani editione recensuit. Deinde ad canonem 8 adnoto, inani conatu eum quæsitum fuisse inter africana concilia apud quemcumque etiam maxime accuratum Africanorum canonum collectorem; unde gravis suspicio suboritur, eundem falso africano cuipiam concilio recentiore ætate adscriptum fuisse. Adjuvat suspicionem latina elocutio, quæ ceteris africanorum canonum lucubrationibus minime consonat, consonat e converso loquendi formulis, quas sequioris ætatis scriptores usurpaverunt. Augetur præterea suspicio ex eo, quod nullibi legitur apud africanos veteres patres de hujusmodi quæstionibus disputatum. Neque quis denique objiciat Gregorii IX auctoritatem, quasi Gregorius idem probaverit, quod describendum voluit in dicto cap. 1 de condition. appositis; siquidem ego pro certo habeo, Gregorium IX ibi in ea mente fuisse, ut potius eum canonem, quem et apud Gratianum, et in prima collectione decretalium, cap. 1 eodem titulo legerat, indicaret, recipi non debere, cum post illum alia ediderit capita, quibus contrariam pontificibus maximis placuisse sententiam demonstraret. Siquis adhuc hæreat, et interpretari potius hujusmodi monumenta velit, quam rejicere, non repugnabo, imo et commodam ipsi exhibebo interpretationem, qua affirmet, ibidem agi non de contractis sponsalibus, sed de celebrato conjugio; plurimum autem interesse inter adjectam sponsalibus, et adjectam matrimoniis conditionem; nam sponsalia quidem, in quibus res futura versatur, facile conditionem recipiunt, quam respuunt conjugia, quæ de præsenti, uti loquuntur nostri, concipiuntur, cum repugnet in terminis, de præsenti conjugium contrahi, et conjugii contractum in tempus conditionis implendæ differri.

Apud veteres vulgare erat, in sponsalibus contrahendis conditiones adjicere, deque iis adjiciendis ut plurimum tractabatur non per sponsos ipsos, sed per proxenetas, sive conciliatores nuptiarum, de quibus mentio fit in l. ult. Cod. de sponsalibus. Non enim satis honestum videbatur, sponsos ipsos per se variis conventionibus quandam ita dixerim invidiæ plenam mercaturam in conjugio celebrando facere, quorum potius animi non ad dissidium, sed ad mutuam benevolentiam sunt concitandi, ut fausta semper sint conjugiorum auspicia. Imo et pacta adjecta talia legibus esse debebant, quæ in ipsarum legum vetita non impingerent, quemadmodum impingebat ea pactio, de qua mentio fit in l. 97, § ult. ff. de verb. oblig., ubi sponsa stipulata fuerat a sponso, ut si eidem nupsisset, decem sibi darentur. Quis enim non videt, collatam fuisse donationem in tempus matrimonii contra leges publicas, quæ donationes inter virum et uxorem irritant, l. 4 Cod. de donat. ante nupt.? Quid tamen, si post conditiones sponsalibus adpositas, neque adhuc purificatas, inter sponsos consensus de præsenti, vel carnalis fuerit subsecuta commixtio? Ait Alexander III in cap. 3 de condition. appos., censeri recessum a conditione, quasi novatione facta, obligatio conditionalis in obligationem puram evaserit. Sanius interpretari juvat Alexandri

rescriptum. In primis ponere debemus, adhuc in pendenti esse conditionem; quotiescumque enim conditio jam defecisset, res haberetur, ac si nulla unquam sponsalia contracta fuissent, et frustra quæstio institueretur de inducenda novatione obligationis, ubi nulla est obligatio. Deinde quoties in pendenti adhuc conditio esset, distinguere oporteret inter conditionem, quæ a casu pendeat, et inter conditionem, quæ in libera sit alterutrius sponsi voluntate. Nimirum si a casu conditio pendeat, res ita habebitur, ac si conditio evenisset, quam insuper habendam contrahentes ipsi voluerunt: at si conditio pendeat a libera alterutrius sponsi voluntate, pura quidem esse incipiet obligatio nuptiarum; ipsa tamen conditio erit adhuc necessario implenda, dummodo impleri commode possit. Quid enim ex. gr., siquis sibi puellam despondisset, ea adjecta conditione, si centum, quæ illa in bonis habet, dotis caussa conjugii donet? Si forte ante dotis constitutionem sponsus, et sponsa de præsenti consentiant, et matrimonium celebrent quin expresse ab ea conditione se velle recedere profiteantur, non videtur omnino remissa conditio, sed potius videtur sponsa sese obligavisse ad dotem illam constituendam, quæ contrahendo matrimonio caussam ab initio dederat: belle enim accommodari facto huic potest regula abs jureconsulto tradita in l. 134, § 1 ff. de verb. obligat., *plerumque ea, quæ in præfationibus convenisse concipiuntur, etiam in stipulationibus repetita creduntur, sic tamen, ut non ex ea repetitione inutilis efficiatur stipulatio*, quasi concludendum sit, conditionem sponsalibus adjectam, quæ vicem quodammodo præfationis gerunt, in matrimonio repetitam censeri, sic tamen, ut ex ea repetitione non inutile matrimonium fiat; videlicet non in suspensu matrimonium esse credatur, donec impleatur conditio, quemadmodum in suspenso erant sponsalia sed ut matrimonio consistente obligatio emergere incipiat, adjectam conditionem non quasi conditionem, sed potius quasi modum implendi.

Inter probabiles honestissimasque, imo etiam usu frequentes conditiones ea est, si parentibus, vel iis, qui sunt parentum loco, placuerit, cap. 6 de condition. appos., quæ si sponsalibus adjiciatur, disputari solet, quandonam vel impleta, vel defecta intelligatur. Sane si in præteritum concepta conditio sit, ut hunc sensum faciat, si parentibus ex. gr. placuit, propria non est conditio, neque obligationem suspendit, ob generalem hujusmodi formularum naturam, quæ vel in ipso actu firmant, vel impediunt obligationem, prout vel vera, vel falsa sunt, quæ in formula exprimuntur. At si in futurum concipiatur, et hunc sensum faciat, si parentibus placebit, quæri solet in primis, num sufficiat, parentes non contradicere, ut sponsalia valeant, an requiratur præterea eos expresse consentire? Sufficere, parentes non contradicere arbitror, uti perspicue liquet ex argumento canonis 14, caus. 32, quæst. 2, dummodo in eo cum romanis correctoribus legamus *voti rea erit*, et rejiciamus Gratiani scripturam veluti vitiatam: ibi: *non rea reit.* Idipsum suadet ipsa sponsorum voluntas, qui in ea adjicienda conditione nihil aliud voluerunt, quam officio suo erga parentes non deesse, nec agere quidquam, quod esset contra illorum voluntatem. Imo etiam puto, haberi pro impleta eandem conditionem, si parentes, antequam sponsalium notitiam habuissent, vita functi proponerentur. Quid enim aliud obesse potest sponsalibus illis, quæ sponsi ipsi nondum ideo omnino probaverant, quia verebantur, ne parentibus non probarentur? Scio, in contrarium adferri legem 101 princ. ff. de condition. et demonstr., sed observo ibidem singularem speciem, qua inspecta necessarium erat, Severianam Proculam designatis a patre nuptiis consentire expresse debuisse, vel expresse dissentire, ex eo quod fideicommissum gratia earundem nuptiarum relictum fuerat, mortuaque esset puella antequam viripotens esset, proindeque quo tempore non solum nec dissenserat, nec consenserat, sed nec dissentire poterat, nec consentire. Scio insuper, esse certam regulam, qua traditur, conditiones esse in forma specifica implendas, argumento l. 44 ff. de condition. et demonstrat. Verum ea regula locum habet, quando quis in conditione expressit caussam suæ voluntatis, non tamen quando quis conditionem adposuit, ut viam sibi commodiorem pararet ad consequendum finem, quem potissimum intendebat, argumento l. 15 ff. quando dies legatorum. Profecto in specie proposita, parentum consensus in conditione adjecta non erat præcipua contrahendi conjugii caussa; potius de eo actum est, ut honestius matrimonium celebraretur. Altera proponitur quæstio, quid juris sit, si parentes statim quidem habita sponsalium notitia contradicent, deinde vero maturiore habita deliberatione consenserint? Non puto, tunc valere sponsalia, nisi novo sponsorum accedente consensu: semel enim defecta conditio amplius non impletur, et sponsi, qui per defectum conditionis semel soluti sunt, nequeunt sine novo consensu iterum obligari, argumento l. 9 Cod. de remiss. pignor., leg. 10 et 29 ff. de condition. et demonstrat., et leg. 89, § 1 ff. de verbor. signif. Neque vero quis in contrarium argumenta a similibus producat, ex cap. 7 de procurator. in 6, aut ex cap. 17 de præbend. in 6. Equidem ibidem agitur de negotiis in voluntatem alterius collatis, non tamen ita, ut consensus alienus conditionem faciat, nonnisi semel aut implendam, aut defecturam, quemadmodum in proposito nostro contingit Hæc vero non adeo rigide intelligenda velim,

ut corruere etiam sponsalia dicantur, quo casu parentes statim, ac contradixerint, nulla pene intercedente mora sententiam, consiliumque mutaverint; quæ enim fiunt incontinenti, non posteriore tempore facta censentur, argumento l. 6, § ult. ff. de duobus reis.

Gravior est disputatio, quoties conditiones vel natura, vel jure impossibiles sponsalibus adjiciantur. Ne allucinemur, ac propterea non confundamus conditiones proprias cum impropriis, neque cum difficilibus impossibiles. Improprias conditiones dico, quæ in præteritum, aut præsens tempus concipiuntur: atque istæ si rem demonstrent natura impossibilem, in caussa sunt, ut statim irrita evadant sponsalia, quia statim verum est, eas deficere, vel defecisse. Quod si rem demonstrent impossibilem jure, seu, quod idem est, factum quoddam legibus improbatum, in caussa sunt, ut statim subsistant, vel non subsistant sponsalia, prout verum, vel falsum est, quod in ea loquendi formula indicatur: neque istæ conditiones impropriæ jure improbantur, utpote quæ delinquendi occasionem minime præbent, tantum delictum jam admissum respiciunt. Difficiles conditiones voco, quæ licet propemodum facto impossibiles videantur, tamen aliquando extra ordinem ad effectum redigi possunt, quemadmodum contingeret, siquis valde inopem puellam sibi desponderet adjecta conditione, si certam ingentem pecuniariam summam dotis caussa donaret: neque enim dubito, quin sponsalia sub ea conditione contracta adinstar veræ conditionalis obligationis consisterent, et conditionis eventus, cujus aliqua, utut levissima, spes esse potest, sit expectandus. Itaque quoties de vera, eaque impossibili conditione sermo instituatur, sive facto impossibilis habeatur, sive jure, ego puto in hac re, contractum sponsalium non dissimilem esse a contractibus universis, quando nullibi in jure excepta a generali regula sponsalia dignoscuntur, proindeque quemadmodum in ceteris contractibus, ita et in sponsalibus inanem omnino esse obligationem, et frustra conditionis eventum expectari. Et revera quæ in ceteris conventionibus, eadem in sponsalibus ratio locum habet: Nam si facto impossibilis conditio sit, quis statim non agnoscat, jocari potius voluisse ita contrahentem, cum ita ex. gr. dixerit, me tibi matrimonio sociabo, si digito cœlum tetigeris? Et si jure impossibilis conditio proponatur, ex. gr. si Titium occides, quis non noverit, eam conditionem adjicientem, præterquamquod ad delinquendum spe conjugii aliquem incitat, quod sane ferendum non est, non in ea vere esse voluntate, ut de conjugio contrahendo consentiat, sed eum potius præcipiti quodam ardore iracundiæ corripi, cui ut commodius satisfaciat, paratum sese exhibet imprudenti consilio ad suimet ipsius traditionem delinquenti faciendam, et quidem ita, ut individuam necessitudinem nunquam a benevolentia disjungendam ineat cum eo, quem facti aliquando pœnitendi conscium, et pravæ aliquando abhorrendæ voluntatis executorem fecerit? Quando vero certissimum est, in sponsalibus integram omnino esse debere judicii libertatem, nec non mali ominis esse, si conjugum benevolentia ex una criminum societate nascatur, atque id utrumque reipublicæ expedire; hujusmodi libertatem consentiendi, quam plurimum imminuit admodum præceps malevolentis animi motus, hujusmodi benevolentiam ex delicto progenitam, caussam idoneam sponsalibus dare non posse, prudenter judicandum est. Nemo in contrarium mihi objiciat ultimarum voluntatum exempla, quarum gratia receptum est, ut conditiones seu facto, seu jure impossibiles adjectæ insuper habeantur, quasi adjectæ non fuerint, salvis manentibus heredum institutionibus, legatis, fideicommissis, et similibus, subjiciens, favorabilem quoque in jure esse sponsalium caussam, quorum proinde gratia similis prudentia recipienda sit. Etenim ego observo in primis, romanos jureconsultos singularem in ultimis voluntatibus ejus generis sustinendis agnovisse rationem, non facile ad sponsalia producendam; nimirum testatores cogitatione mortalitatis adeo aliquando turbari, ut siquæ ab ipsis conditiones quomodocumque impossibiles adjiciantur, excidisse potius ex animi perturbatione, quam sincero animo adjectæ fuisse videantur. Neque enim aut jocis et lusibus indulgere præsumitur, qui cogitatione mortis testamentum condit, aut pravis animi consiliis indulgere, quibus etiamsi indulsisset, non tamen usque ad mortem pervicaciter indulsisse credendum est, et quidem eo tempore mortis, quo vires habere incipit testamentum. Deinde observo, etiam in ultimis voluntatibus illas quoque conditiones impossibiles vitiare actum, quæ voluntatem ipsam proxime afficiunt, sive quibus positis facile deducitur, testatorem non verum animum habuisse donandi, quemadmodum adparet in institutionibus heredum captatoriis lege improbatis, in his enim non conditio pro non adjecta habetur, sed voluntas integra, et ipsa institutio vitiatur, l. 70 ff. de heredibus instituendis.

Huc pertinet interpretatio capituli ultimi de conditionibus appositis, cujus quanto certa est disciplina constituta, tanto visa fuit cultoribus canonum difficilis expositio ac ratio. Ait ibidem Gregorius IX, duas esse conditionum jure præsertim impossibilium species, quarum aliæ contra substantiam conjugii inserantur, puta, si alter dicat alteri: contraho, tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore et facultatibus digniorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas; aliæ turpes quidem sint, aut alias impossibi-

les, sed substantiæ matrimonii non adversentur. Priores conditiones ait, in caussa esse, ut contractus effectu suo careat, posteriores autem pro non adjectis haberi, et contractum quasi pure ab initio celebratum consistere. Perspicuum est, apud Gregorium agi non de sponsalium, sed de matrimonii contractu, quemadmodum ipsa capituli verba demonstrant; quamobrem mihi placere non potest, quod ibi de sustinendo matrimonio, insuper habita conditione turpi secundi generis, traditur, ad sponsalia extendi. Matrimonii caussa est favore dignissima, cap. ult. de sentent. et re judic., quia statim ac de contractu inito constat, et de facta per conjuges mutua corporum potestate, totis viribus enitendum est, ne dissolvatur: non æque adjuvanda est caussa sponsalium, post quæ si forte inter contrahentes dissensio emergat, libertati potius indulgendum videtur; cujus rei manifestum exemplum adparet in eo, quod si forte inter virum et uxorem probatum fuerit per testes, consanguinitatis impedimentum esse, admittuntur, siqui sunt, testes in contrarium probaturi, cap. 26 et 44 de testibus, rejectis in simili specie testibus, si de simplici data sponsalium fide ageretur, cap. 6 de probationibus. Neque opponas argumentum legis 16 ff. de sponsalibus, quasi exinde generaliter deducatur, leges de conjugiis latas etiam ad sponsalia pertinere; etenim ista sententia ad speciem laudatæ legis 16, aliasve similes est coercenda, scilicet ita, ut quoties perpetuo certarum personarum conjugia prohibentur, prohibita etiam exinde sponsalia sint, utpote quæ alias nullum unquam effectum essent habitura. Itaque jure concludo, in celebratione conjugiorum, si conditiones turpes, aut alias impossibiles adjiciantur, eas pro non adjectis haberi, consistente conjugio. Neque ego aliter sentio de quibuscumque conditionibus, quæ etiam per se honestissimæ videantur, ita postulante conjugii natura, quæ conjugium ipsum in suspenso, esse non sinit, cujus sane rei caussa, singularis disciplina recepta est, ut contractus sponsalium præcederet, quoties contractum conjugii in aliud tempus, seu in certum eventum differri expediret. Exceptio tantum est in conditionibus turpibus contra substantiam conjugii quibus irritum fieri matrimonium Gregorius voluit, propterea quod ubi contrahentes de certis rebus pepigissent, in quibus matrimonium non esset, non matrimonium voluisse celebrare, sed alium illicitum inire contractum intelliguntur. Hujus generis conditiones voluntatem ipsam, et consensum contrahentium intime afficiunt et lædunt, quasi nulla sit veri contrahendi conjugii voluntas: quibus autem in casibus conditio impossibilis voluntatem afficit, et minuit, actus, qui ex voluntate potissimum pendet, consistere nequit eo prætextu, quod conditio detrahatur, et habeatur pro non adposita, uti superius adnotabam, argumento legis 70 ff. de hered. instituendis. Adde his, non fuisse ferendum, ut hejusmodi matrimonia consisterent detractis conditionibus; licet enim has conditiones detraheret juris vis ac potestas, quis tamen suspicione liberabitur, ne, qui contraxerunt nefariis hisce conditionibus, conjugio abutantur? Inquies tamen: Gregorius IX tum demum tradidit, conditiones adpositas in matrimonio pro non adjectis haberi, *si turpes, aut impossibiles fuerunt.* Non ergo, subsumes, quæ honestæ et possibiles sunt, pro non adjectis habebuntur. Et ego id non inficior, quousque hisce terminis conclusio contineatur. At si eo etiam abire velis, ut concludas, ex sententia Gregorii conditiones honestas et possibiles conjugium suspendere, non injuria repugno: notandum enim est, aliud esse conditiones pro non adjectis haberi, aliud conditiones actum non suspendere. Quæ pro non adjectis habentur, nullum omnino operantur effectum: quæ actum tantum non suspendunt, aliquid adhuc operari possunt. Quamobrem si turpes, aut impossibiles conditiones matrimonio adjiciantur, pro non adjectis habentur ex doctrina Gregorii, proptereaque nullum omnino sortiuntur effectum. Quod si honestæ et possibiles sint, nec istæ quidem suspendent matrimonium, at non interea pro non adjectis habebuntur, sed resolventur, ita dixerim, in modum, unde curare teneantur contrahentes, quoad ipsi poterunt, ut illæ impleantur. Rem demonstro exemplo. Finge conjugium contractum hac honesta conditione, si uxor centum in dotem dederit. Ea conditio non suspendit conjugium, sed nec habetur pro non adjecta; tantum verborum conceptio paullo immutatur, hac interposita verborum interpretatione, ut uxor post contractum conjugium centum conferre dotis nomine teneatur. Hæc autem omnia, uti præfabar, ad sponsalia minime protrahenda censeo; in quibus etiam illud occurrit singulare animadvertendum, quod eadem sine ullis solemnitatibus contrahi possunt; at vero conjugia certam, præsertem hodie, habent legibus præstitutam publicam formam, qua qui contrahit, serio, et deliberate contrahere præsumitur; quamobrem siquid in conjugio aut impossibilis, aut turpis conditionis exciderit, facile remittitur, eadem pene ratione, qua remittuntur conditiones ejusmodi ex disciplina juris romani in ultimis voluntatibus solemni et publico ritu explicandis. Sed in sponsalibus, quæ clanculum, ita dixerim, aut privatim fiunt, tanta non est habenda ratio, ut quoties conditiones, aut natura, aut jure impossibiles adjectæ fuerint, existimentur, quasi excidissent sponsis ipsis alio distractis gravissima rei gerendæ cogitatione.

CAPUT II.

Quinam ad contrahenda sponsalia idonei habeantur?

Jamvero regulæ designentur, ex quibus colligatur, quinam sint ad contrahenda sponsalia idonei. Duas regulas ego præstituo ad hanc rem penitus dirimendam; quarum prima est, eos omnes idoneos haberi, qui ad contrahendum conjugium idonei sunt; altera est, non ita e converso sponsalibus contrahendis inidoneos esse, qui matrimonium contrahere nequeunt. Indiget utraque regula fusiore quadam explanatione.

Quando dicimus, eos idoneos esse ad contrahenda sponsalia, qui idonei sunt ad matrimonium contrahendum, duplex statim habilitas personarum ob oculos exhibetur; aliæ enim ita habiles sunt ad matrimonium contrahendum, ut non solum valide, uti loquuntur scholæ, sed etiam licite contrahant: harum autem respectu nulla subesse dubitatio potest, quin ex quo contrahere sine ulla injuria conjugium queant, ad sponsalia etiam sine ulla injuria contrahenda admittantur: aliæ non æque sunt habiles; nimirum si matrimonium contrahant, matrimonium, juxta scholarum phrasim, validum quidem est, sed illicitum. Opinor ego, eandem esse in proposito et matrimonii, et sponsalium conditionem, ut propterea instar matrimonii, etiam sponsalia valeant ad sustinendos quosdam publici juris effectus, quos sponsalia inducunt, quæmadmodum superius de sponsalibus a filiofamilias sine paterno consensu contractis disserebam. Itaque siquis forte post simplex votum continentiæ emissum sponsalia contrahat, aut det sponsalium fidem uni, postquam similem fidem alteri dederit, non dubito quin ea sponsalia vires sint habitura; quod minime constet, eadem irrita legibus declarari. Neque opponas, eam obligationem non posse consistere, quæ sine delicto nequit ad effectum perduci: etenim huic difficultati jàm superius etiam factum est satis, cum de filiorumfamilias sponsalibus agerem. Tantum heic adiicio, et eandem difficultatem in contracto conjugio occurrere. Quid enim, si qui votum simplex continentiæ emisit, conjugium celebret? Nonne vinculum conjugii, et obligatio contrahentem tenet, licet vovens licite nequeat ductæ conjugi commisceri? Quam sententiam et juris definitionem quando explicabunt, qui contra forte de sponsalibus senserint, noverint etiam, eandem explanationem facile sponsalibus accommodari. Difficilius erit definire, an ea sponsalia tamquam illicita sint habenda? Et distinguendum censeo inter caussam, et caussam, qua conjugia prohibentur, cum alia possit caussa sui natura perpetua esse, alia certo tempore definita, ac circumscripta, alia denique in incertum tempus, eventumve collata. Ubi caussa prohibendi conjugii perpetua est, illicite sponsalia contrahentur, propterea quod qui sponsalia tunc contraherent, in certas conjugiis positas leges delinquere inciperent, cum de re vetita cogitarent. Id evenit ex. gr. in sponsalibus ab eo initis, aut qui votum simplex continentiæ emisit perpetuum, aut qui jam cum altera sponsalia contraxit, quæ necdum sint legitime dissoluta; quamquam enim sponsalium vinculum dissolvi certis modis jure possit suapte tamen natura exemplo conjugii perpetuum est, neque licet animo prævenire eam dissolutionem, ne facilis occasio scindendis sponsorum animis præbeatur, et jurgiis concitandis. Ubi caussa vetandi conjugii est certo tempore circumscripta; quoties nihil aliud, quam certum idem tempus, contrahendo matrimonio obsit, licite sponsalia contrahentur, dummodo qui contrahunt, in animo sint differendi conjugii in tempus illud quo interdictum expiret. Id evenit ex. gr., quum aut quisquam votum simplex continentiæ temporale, puta ad annum, emisit, aut tempora illa celebrantur, quæ sunt a conjugiis feriata, puta adventus, quadragesimæ. Quid enim obstare videtur voluntati sponsorum, quando ipsi de re licita suo tempore celebranda sine legum injuria paciscuntur, et quando sponsalia per se non repugnant caussæ illi, propter quam conjugio interdictum est? Denique ubi caussa vetandi conjugii collata est in tempus incertum, vel eventum, censeo, interea illicite sponsalia contrahi, propterea quod avertendi sint hominum animi a determinata voluntate ejus rei peragendæ, quam interea peragere non liceret, et quam dubium est, an liceat aliquando, vel minus. Id contingit vel cum quis religiosam vitam professus allegat, irritam professionem fuisse, et interea ante probatam nullitatem prohibetur, ne conjugium contrahat; vel cum quis contracto matrimonio allegat, irritum illud esse, et donec controversia pendet, prohibetur, ne ad alias nuptias deveniat; vel cum quis cum hæretico sponsalia contrahit, futurum sperans, ut hæreticus aliquando ad ecclesiam convertatur. Siquidem hæc, et similia interdicta, non solum conjugia ipsa afficiunt, sed etiam quamcumque contrahendi conjugii voluntatem, utpote quæ semper lubrica, et periculis circumsepta videtur, quousque incertum illud tempus præterlapsum non est, aut caussa interdicti necdum sublata proponitur. Excipiendæ tamen sunt illæ caussæ singulares, quæ non in conjugium directo tendunt, sed spectant conjugii solemnitates; siquidem istæ tantum ad conjugium coercentur, non voluntatem contrahendi conjugii afficiunt. Hinc ex. gr. licet quis arceatur a conjugio ante factas denunciationes, non tamen arcetur a contrahendis sponsalibus. Eodem

modo licet quis arcendus sit a conjugio, quosque christianæ fidei præceptiones non calluerit, non inde tamen prohibebitur, ne fidem sponsalium interponat; quemadmodum etiam licebit, sponsalia extra parochiæ fines celebrare, quamquam intra eosdem fines, et coram proprio parocho conjugium sit hodie celebrandum.

Altera præ jacta regula docet, non eos omnes a sponsalibus contrahendis prohiberi, qui matrimonium contrahere nequeunt. Nimirum hac in re dispiciendum est, num matrimonio aliquibus, aut alicui personarum generi in perpetuum interdicatur, an vero duntaxat ad tempus. Ubi matrimonii prohibitio perpetua est, irrita prorsus erunt sponsalia; quis enim consistere sponsalium dicat obligationem, quæ nunquam effectum sit habitura? Qua in re etiam observandum est, nulla quoque et irrita esse sponsalia, cum evenire quidem possit tempus, quo rite matrimonium contrahatur, at fas non sit, et honestum de eo tempore cogitare, ad avertendas mali ominis occasiones, quemadmodum contingeret in eo, qui post contractum cum una conjugium, vellet sponsalia cum altera contrahere, ea spe illectus, quod per mortem uxoris conjugium dissolvatur. Non est sane ferenda, nec quomodocumque firmanda fuit legibus hæc præmatura voluntas, quæ et dissidiorum maligna parens esset inter conjuges concitandorum, et conjugalem benevolentiam certe distraheret contra naturale conjugii bonum. Ubi vero matrimonii prohibitio certo tempore circumscribitur, dummodo qui sint contracturi consensus capaces sint, jure sponsalia contrahuntur, quæ licet illico ad exitum perduci nequeant, elapso tamen eo tempore nihil obest, quominus data fides impleatur. Vix ad hanc regulam in jure romano exceptionem invenio in tutore, vel curatore, eorumve filio, qui puellæ in tutelam curamve receptæ sibi filiove ducendæ abstinere conjugio debent, quousque rationes reddantur; interea tamen nec possunt puellam sponsalibus obligare, l. 15 ff. de sponsal., l. 60, § 5 ff. de ritu nupt. Istud jus singulare postulavit pupillarum, et minorum utilitas, ne prætextu sponsalium contractorum tutores, et curatores desides fierent in administratione bonorum, et in reddendis rationibus minus accurati. Tria sunt illius regulæ luculentissima exempla; primum de rectore provinciæ justa definitiones prisci romani juris alterum de impuberibus, in utraque sane specie simili suadente caussa. Nam cum ad matrimonium contrahendum, utpote in quæ firmius vinculum est, et asperius, perfecta, et plena consensio requiratur; non æque perfecta, et plena requiratur in sponsalibus, utpote quorum vinculum non adeo durum est, et undecumque arctissimum, dummodo consensio dici possit; facile obtinuit, ut quorum adhuc infirmum consilium est, sponsalia valerent, quamquam non valerent conjugia, differenda in aliud tempus, quo plenior esset consensus. Postremum exemplum est de vidua, quæ luctus tempore conjugium contrahere prohibetur.

In primis nemo ignorat, rectorem provinciæ non potuisse sibi matrimonio jungere eam, quæ ex subjecta provincia esset, l. 48 ff. de ritu nuptiar., interea tamen inter rectorem, et puellam provincialem sponsalia fieri poterant, dicta l. 38, qua tamen in specie notatu dignum est, sponsalia eadem arctius obligavisse sponsum, quam sponsam; siquidem sponsus finita administratione volentem ducere tenebatur; non e converso sponsa tenebatur datam fidem sine discrimine implere, quia ex parte sponsi integer erat, liberrimusque consensus, at ex parte sponsæ non præsumebat lex integerrimam libertatem, quasi puella territa potestate rectoris in sponsalia consensisset. Itaque finita administratione sponsa a sponsalibus recedere poterat, ita tamen, ut siquas a sponso arrhas accepisset, restitueret, quemadmodum animadvertit Paullus in dicta l. 38, cui e diametro adversatur lex unic. cod. si rector provinciæ, in qua constituerunt imperatores, sponsam ita resilire posse, ut tamen acceptas arrhas retineat. Frustra meo judicio laborant juris civilis interpretes in conciliandis duobus istis monumentis, nisi adnotent, in dicta lege unica abrogatam fuisse veterem de restituendis arrhis disciplinam, quæ Paulli ætate vigebat. Quam abrogationem suadet particula *deinceps*, quæ in dicta lege unica occurrit, futuris tantum consulens, non præterita respiciens; cui item abrogationi occasionem præbere potuerunt fraudes a præsidibus factæ in sponsalibus contrahendis cum puellis provincialibus, dando eisdem puellis magni pretii arrhas quas cum restituere tenerentur juxta Paulli doctrinam, si a fide præstita resilirent, adhuc per eas puellarum libertas imminuebatur.

Quod ad impuberes spectat, nemo etiam ignorat, eorum ætatem conjugiis contrahendis obesse; interea tamen eorundem sponsalia minime rejiciuntur, cap. 4, 9 et passim de despons. impuber., l. 6 et 9 ff. de sponsalib., uti enim ait Modestinus in l. 14 eod. tit., in sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, ut in matrimoniis; quapropter et a primordio ætatis sponsalia effici possunt, si modo id fieri ab utraque persona intelligatur, idest, si non sint minores septem annis. Videbitur forte nonnullis nimis aspera jurisprudentia, qua fiat, ut obligentur impuberes consensione sua, quæ vix consensio dici potest ob animi infirmitatem. Verum quotiescumque ejus juris originem consideres, quæ sane æquam disciplinam exhibebit, deinde animadvertas, post certas juris mutationes quibus remediis pupillorum sit indemnitati consultum, non poteris sane non laudare nostrorum legumla-

torum prudentiam. Summa juris origo jam superius demonstrata fuit, cum dixi, olim consuevisse parentes filias suas spondere, et satis fuisse sponsalibus contrahendis, si filiæ non repugnarent; non repugnare autem facile intelligebantur impuberes septennio majores, licet pleno, perfectoque consensui explicando incapaces; imo et siquid in hac parte defuisset, supplebatur potestate legis præsumentis optimum fore consilium, quod a parentibus pro filiis impuberibus caperetur. Postquam vero aliquid amplius in sponsalibus requiri cœpit, ut scilicet filiæ impuberes non tantum non contradicerent, sed et consentirent, minorem vim non debebant habere hujusmodi sponsalia, in quibus et parentis una, et sponsæ consensus interveniret. Eadem etiam habita fuit ratio sponsalium a puella sui juris, et tutorem habente contractorum, quibus tutoris officium non deesset. Hæc cum in puella obtinerent, facilius admittenda fuerunt in puero, quando præter consensum parentum semper requisitus etiam fuit puerorum consensus in sponsalibus contrahendis. Atque post istam juris veteris observationem, quæ perpetuos effectus habuit, illud etiam accessit caussa indemnitatis pupillorum tuendæ, ut pupilli sponsi tenerentur quidem, quousque in pupillari ætate consisterent, in eadem consensione perseverare, sed statim ac pubertatem attigissent, possent a data fide recedere, quod receptum fuit, sive ambo pupilli sint, sive unus pupillus, et alter pubes sponsalia contrahant, favore pupilli tantummodo, cap. 7 et 8 de despons. impub. Neque mirum alicui videatur, valere eam obligationem, cui ut satisfaciat, nisi velit, cogi sponsus nequeat, contra manifesta juris principia, l. 8 ff. de oblig. et action. cum similibus; etenim licet repugnet, obligationem in voluntatem illius conferri, de cujus obligatione agitur, non tamen repugnat, obligationem ita nasci, ut possit aliquando ab eo, qui obligatus est, retractari, argumento l. 3 ff. de contrah. emt., et l. 6 ff. de rescind. vend. Plane sponsalia a pupillis inita non recta in pupillorum conferentur voluntatem, sed eorum tantum voluntati conceditur, ut puberes facti retractare sponsalia valeant, quasi jure ipsis concessa adversus firmum validumque contractum in integrum restitutione. Revera quousque contrahentes in pupillari adhuc ætate constituti sunt, sponsalia ipsa firma subsistunt, qualiscumque succedat voluntas pupillorum, sive ad eadem confirmanda, sive ad eadem retractanda: deinde quod ex ipsis sponsalibus semel initis ortum est, ut vocant, publicæ honestatis impedimentum, etiam dissolutis sponsalibus sponsi facti puberis voluntate, perseverat, cap. un. de despons. impub. in 6. De viduis, quæ intra tempora luctus contrahere matrimonium prohibentur, sufficit indicare legem 10, § 1 ff. de his qui not. infam., ex qua constat, eas intra eadem tempora potuisse sponsalia celebrare.

CAPUT III.

Quinam sint sponsalium rite contractorum effectus?

Sponsalibus semel rite celebratis, naturalis quædam et jure probata nascitur obligatio inter sponsos, qua alter postulante altero ad fidem implendam adigatur, nisi legitima aut conjugii in aliud tempus differendi, aut recedendi omnino a data fide, subsit caussa. Ea tamen obligatio modo minorem, modo majorem habuit firmitatem, de qua ut rectam sententiam feras, opportunum erit in primis investigare, quidnam vetere romanorum jure obtineret, deinde quid sanxerit ecclesiarum antistites recentiore ætate, ac denique, quid contrahentes ipsi de futuro conjugio magis solliciti pactionibus adjectis aliquando conentur.

Quid vetere romanorum jure obtineret, nullibi clarius constat, quam apud Gellium, qui in lib. 4 noct. atticar. cap. 4 prolato Servii Sulpitii jureconsulti veteris testimonio distinguit inter jus Latii, et jus romanæ civitatis. Latini, qui stipulari in sponsalibus solebant, si forte aut parens, quam promiserat, puellam duci a sponso non sineret, aut sponsam sponsus ducere detrectaret, ex sponsu actione in judicio experiebantur. Judex, quam ob rem data, acceptave non esset uxor, quærebat; si nihil justæ caussæ inesse videbatur, litem pecunia æstimabat, quantique interfuerat eam uxorem accipi, ac dari, eum, qui spoponderat, aut qui stipulatus erat, condemnabat, disciplina sane, quæ congruebat generalibus juris regulis, suadentibus, in stipulationibus facti non tam venire factum ipsum, quam id, quod fieri, vel non fieri intersit. Hæc Latii disciplina ab usu inde recessit post latam legem juliam, ex qua cum Latini omnes essent romana civitate donati, romanæ potius civitatis mores sequi debuerunt, ceteris, quæ ad romanam disciplinam minime pertinebant, penitus abrogatis. Romæ vero hæc consuetudo fuerat, ut quoniam sponsalia per solemnem stipulationem etiam celebrabantur, exinde quidem nasceretur actio ex stipulatu, sed non satis honestum videretur id, quod ex ea caussa interesset, investigare, definire, ac pecunia æstimare. Num enim æstimari pecunia decebat aut probos sponsæ mores, aut ingenitam gratiosam illius indolem, aut speciosam ejusdem corporis formam, item ætatem, familiam, ceteraque id genus adjuncta? Eam ob rem actio illa ex stipulatu in judicio edita ut plurimum datis exceptionibus, aut prætorum, aut censorum æquitate enervabatur, non sane quod sponsalium obligatio jure honora-

rio generaliter improbaretur, sed quod prætores, censoresve ut plurimum agnoscerent, malis omnibus ea celebrari conjugia, quæ a litigiis, et jurgiis initium caperent; atque ideo quoties commode sponsorum animos conciliare ex prudentia nequirent, auctoritate sua eam obligationem effectu suo carere facile paterentur. Hinc ast, quod prætores actionem denegarent ei, cui quisquam, si certam uxorem non duceret, pecuniam promisisset, ne eligendi matrimonii libertas auferretur, l. 71, § 1 ff. de condit. et demonst., nec non in specie legis 134 ff. de verb. obligat. adversus eas stipulationes daretur exceptio, quæ utut in sponsalibus factæ quoquo modo libertati conjugiorum adversarentur. Atque ex eo factum conjicio, ut paullatim apud Romanos sponsalia contracturos stipulationes negligerentur, ac nudo consensu, quemadmodum initio scribebam, illa celebrarentur, quod passim agnoscerent, non majorem in proposita specie vim inesse stipulationi, quam nudo consensui, imo etiam generaliter traderetur, sponsalia nihil obesse, quominus sponsa unius alteri nubere valeret, l. 1 cod. de sponsalibus.

Ad hæc romani juris principia respicere visi fuerunt patres ecclesiastici, ubi de viribus datæ in sponsalibus fidei sententiam pronunciaverunt. Etenim statuerunt in primis, ut sponsi, sponsæque ad datam fidem implendam, quoad fieri posset, inducerentur; et quoniam religiosa semper habita fuit observatio pactorum, pœnis adversus violatores fidei indicendis minime pepercerunt, comminati adversus detrectantes gravissimam pœnam excommunicationis, can. 47 et 51, cau. 27, qu. 2, cap. 2 et 10 de sponsal., cap. 1 de sponsa duorum. Verum in hac pœnæ comminatione sistentes, ubi sponsos detrectantes adhuc, contumacesque deprehenderent, paratosque potius ad subeundam excommunicationis pœnam, quam ad conjugium contrahendum, ab inferenda pœna abstinendum voluerunt, libertati contrahendorum conjugiorum lenius indulgentes, cap. 17 de sponsal. qua in re maxime enitet maximorum pontificum sapientia, qui hinc perfidiam improbaverunt, hinc publicæ utilitati, quæ ex conjugiis, pene coactis maxime læderetur, consuluerunt. Ista non ita intelligas, quasi si excommunicationis pœna indiceretur, et ad eam evadendam quisquam matrimonium contraheret, nullum esset, irritumque conjugium, veluti metu initum: etenim metus ita incussus juste incussus diceretur; ex metu autem juste incusso etsi admodum gravi, matrimonii contractus, non irritatur; hinc si sponsus ex. gr. qui renuit sponsam ducere, territus excommunicationis comminatione sponsam deinde duxerit, non poterit a matrimonio prætextu nullitatis, caussa metus gravis incussi, recedere, ne forte contingat, ecclesiasticum judicem suo officio fungentem, majorem publicæ rei perniciem, quam utilitatem adferre, seu, dum curat sponsalia firmare, caussam potius præbere conjugiis infirmandis, atque dissociandis. Quamvis vero ecclesiæ mens sit, sponsos ad implendam datam fidem adigi omnino non oportere, non inde tamen sequitur, eum, qui fidem implere detrectat, sine caussæ cognitione, et probatione ad celebrandum cum alia conjugium admitti per ecclesiasticos administros licere; cum enim, ubi nulla sit recedendi caussa, graviter delinquat is, qui recedit, indignus efficitur, qui ad sacramentum conjugii suscipiendum ab ecclesia sine contradictione excipiatur; quamobrem non dissolvetur quidem conjugium cum altera contractum, quia leges hoc conjugium non irritaverunt, sed prorsus illicitum judicabitur, cap. 1 de sponsa duorum, cap. 15, 22 et 31 de sponsalibus.

Ut sibi prospicerent sponsi, nec inanem omnino spem conjugiorum haberent, non raro in contractu sponsalium arrhas sibi dari pepigerunt, ac receperunt. Arrharum nomine non heic intelligo aut donationem propter nuptias, quæ in quandam dotis repensationem a marito gratia conjugis constituitur, aut sponsalitias largitates, quæ fiunt ad mutuam inter sponsos conciliandam benevolentiam, sed intelligo pignora quædam aut mutuo, aut ab uno tantum ex sponsis alteri data, quasi ad præstandam quodammodo futuri conjugii securitatem. Non est hæc arrharum traditio legibus improbata, l. 3, 5 et ult. cod. de sponsalib., dummodo tamen vera traditio intercedat; nam si dumtaxat promittantur, non erunt arrhæ, sed pactum illud adjectæ conditionalis pœnæ naturam habebit, proindeque penitus irritum, juxta ea, quæ inferius traduntur. Imo etsi hæc pactio quoquo modo valere diceretur, nuda esset et simplex, nullam pariens actionem, aut si actio exinde nasceretur, ea plane inefficax esset. Etenim pactum illud sponsalibus adjectum, vel efficax reddendum esset ex actione ex stipulatu, nata ex sponsalibus stipulatione contractis; tum vero cum actio ex stipulatu stricti juris sit ex sui natura, non facile extenditur ad informanda pacta sponsalibus iisdem adjecta, l. 40 ff. de reb. cred. vel efficax reddendum esset ex actione bonæ fidei quæ generaliter ex sponsalibus quibuscumque nata dicatur; tum vero quemadmodum, uti diximus, actio ex sponsalibus nata parum efficax habetur, utpote quæ propositis exceptionibus facile elidi consuevit, non video, quomodo eadem actio magis efficax haberi possit respectu pacti adiecti; neque enim actio quædam proponi potest, quæ validior sit ad accessorias obligationes informandas, quam ad obligationem principalem. Nihil tamen interest, an arrhæ in re mobili, an in re immobili, an in re magni, an in re

exigui momenti constituantur, cum coercita legibus non sit in hac parte contrahentium potestas. Finis arrharum is est, ut si qui dedit, fidem impleat, vel fidem non impleat quidem, sed habeat justam non implendi caussam, arrhas recuperet; at si fidem non impleat sine caussa, easdem arrhas amittat; si vero qui accepit, nihil tamen arrharum nomine dedit, voluntatem mutet ex caussa legitima, arrhas restituendo liberetur, et quoties nulla sit justa voluntatis mutandæ caussa, restituat duplum, in quo nimirum et simplum, idest, quod arrharum nomine acceperat, continetur, nisi ab initio aliquid amplius restitui, cautum expresse fuerit a contrahentibus, dummodo quadruplum non excedatur, dicta l. 5, vers. *quæ omnia*, cui jungi potest lex 17 cod. de fide instrum. Favore minorum, qui arrhas receperunt, et sine caussa dissentiunt, si in integrum restitui postulent, statutum est, ut simplum tantummodo reddant, pœna in illud directa, quo nullum lucrum retineant, non damnum patiantur, nisi arrhæ a minorum parentibus receptæ fuissent; beneficium enim restitutionis in integrum minoribus competens, minorem parentibus non æque datur, dicta l. 5 vers. *patrem vero.* Quid vero, si datis arrhis mors alterutrius sponsi ante conjugium interveniant? Clarissima est constitutio in lege 3 cod. de sponsal. nimirum si is obierit, qui arrhas accepit, ejus heredes ad arrhas restituendas cogentur; et e converso si is obierit, qui arrhas dedit, ab ejusdem heredibus jure repetentur arrhæ, nisi defunctus in culpa fuisset, ne congruo tempore conjugium contraheretur. Quæri solet, num concessis arrhis ab eo, qui dedit, aut dato duplo ab eo, qui accepit, sponsalium vinculum solutum fuisse intelligatur, et extincta obligatio. Ego non dubito, quin adhuc consistat, quod in arrhæ concessione, aut in solutione dupli nulla censeatur facta fuisse obligationis novatio, imo arrhæ ideo datæ intelligantur, et constituta obligatio dupli, ut firmior esset contractus, non ut facilius infirmaretur, argumento l. 115 in fine ff. de verb. obligationibus.

Quod de arrhis dictum est, nemo facile ad pecuniarias pœnas contractui sponsalium adjectas extendet; siquidem pœnæ cujuscumque adjectio, quæ posita sit extra amissionem arrharum, aut extra duplum, seu quadruplum, juxta definitionem dictæ legis 5, Romanorum jure improbata fuit, dicta l. 5 in fine vers. *extra definitionem.* Si enim apud Romanos veteres ne matrimonio quidem contracto pacisci licebat adjecta pœna, ne diverteretur l. 2 cod. de inutil. stipul. ut libertas, quoad fieri posset, inesset matrimoniis in casibus tunc publica lege permissis divertendi, argumento l. 8 cod. de repudiis, potiore sane ratione id recipiendum, retinendumque fuit in sponsalibus, propterea quod facilius sponsalia, quam matrimonia dissolverentur. Addi his potest lex 71, § 1 ff. de condition. et demonstr. lex 19 et 134 ff. de verb. oblig. Equidem recentioribus sæculis contraria consuetudo invaluit apud Græcos, quam in sua novella 18 ratam habuit imperator Leo cognomento philosophus. Verum nemo ignorat, ejus principis constitutiones nec generales fuisse, tantum intra orientalis imperii fines obtinuisse, quando tunc occidentales provinciæ aliis legibus regebantur; nec facile receptas usu fuisse a sæculo duodecimo et deinceps, quum juris romani justinianei disciplina pro communi jure haberi cœpit, juxta quam cum respondisset pontifex maximus in cap. 29 de sponsalibus, dubitari nequit, nullam esse leoninæ novellæ habendam rationem. Inquirunt multi in caussam, quare pœnalis stipulatio locum habere non possit, dum e contrario arrharum amissiones et lucra, imo et pœna dupli, vel quadrupli acceptarum arrharum admittuntur. Sunt qui putaverunt, ideo arrhas non improbari, quia datæ videntur ad sponsorum potius benevolentiam conciliandam, improbari pœnas, quia pœnæ quandam habent speciem asperitatis. Isti meo judicio non satis distinxerunt, uti distinguere debuissent, inter arrhas, et sponsalitias largitates. Sponsalitiæ quidem largitates sponsorum conciliant benevolentiam: non tamen video, quomodo per arrhas sponsorum benevolentia concilietur, quando istæ ita conceduntur, ut, si sequatur conjugium, in quo benevolentia perficitur, restitui necessario debeant; neque enim ubi firmior est benevolentia, ibi locus præcludi debet benevolentiæ argumentis. Deinde demonstrandum adhuc esset, etiam ad benevolentiam conciliandam pertinere obligationem dupli, vel quadrupli, qua tenetur is, qui arrhas accepit. Alii dixerunt, per adjectam conventionalem pœnam magis impediri matrimonii libertatem; quam per arrhas, quia cum arrhæ jam traditæ supponantur, qui vult e data fide recedere, nihil amplius traditurus est, tantum quod tradidit, non repetiturus; lubentius autem, aut minus ægre quis abstinet a repetendo, quam invitetur ad dandum. Neque ista opinio mihi satis placet, dum animadverto, adhuc eam incidere in difficultatem, quotiescumque consideremus personam illius, qui arrhas accepit; cum enim iste duplum, aliquando etiam quadruplum solvere teneatur, non magis liber esse intelligitur, quam si se certam pœnam soluturum promisisset. Alii tradiderunt, ea, quæ de arrhis amittendis, vel de duplo restituendo obtinent, a lege statuta expresse fuisse, pœnam vero a conventione hominis pendere; multa autem legis auctoritate fieri, quæ privata hominum pactione induci nequeunt. Id sane verissimum est, sed nondum propositæ investigationi fit satis, quoniam exinde tantum intelligimus, arrhas lege permitti, non

pœnas, nondum vero caussam accipimus, quare leges ipsæ, quod de pœna servandum esse voluerunt, ad arrhas privata etiam consensione datas, et acceptas non extenderint. Ego puto, totum hoc discrimen ex ipsis juris principiis facile repeti posse; quippe nemo ignorat, pœnam obligationibus facti adjectam, ideo adjectam generaliter censeri, ut ejus, quod interest, locum teneat, argumento l. 68 et 72 ff. de verbor. oblig. l. 13, § ult. ff. de re judicata; cum enim, quod interest, incertum fere sit, et difficilem habeat probationem, per adjectionem certæ pœnæ quodammodo definitur, ac determinatur, § ult. instit. de verbor. obligat. Nemo insuper ignorat, obligationem contrahendi conjugii in factum conferri. Ergo idem erit certam pœnam adjicere, ac velle per eam determinare ejus, quod interest, incertitudinem. Atqui, uti superius traditum est, indecorum visum fuit, in sponsalium obligationem venire quid interest; igitur pœnæ adjectionem, quæ ejus, quod interest, vicem habeat, fieri improbabitur. Quæ sane ratio cum in arrha, aut duplo, vel quadruplo minime vigeat, nil mirum esse debet, si prohibendæ fuerint conventionales pœnæ, non e contrario arrhæ, et dupli vel quadrupli præstationes rejiciendæ.

Itaque cum pœnæ adjectio visa fuerit quoquomodo imminuere conjugii libertatem, non solum improbabitur, si pœna a sponsis ipsis luenda adjiciatur, verum etiam si luenda adjiciatur ab aliis, qui tamen arcta necessitudine cum sponsis ipsis junguntur, nimirum quoties gravis suboriri suspicio potest, ut sponsi ideo inducantur ad conjugium, quod fiat ex naturali vi voluntatis impulsi ad liberandum eum, qui obstringitur pœna. Hinc deducitur, pœnam ita adjectam, ut luenda sit a sponsorum parentibus, nullo modo valere, dicto cap. 29 de sponsalib. dicta l. 134 ff. de verbor. obligat. Item id adeo verum est, ut etiamsi agatur de pœna admodum modica, nihilominus tamen ejus adjectio irrita sit ob singularem legum prohibitionem; imo etiamsi firmandæ conventioni jusjurandum accesserit, cum jusjurandum firmare nequeat, quod non solum lege nullo modo subsistit, sed etiam bonis moribus dicitur adversari. Non tamen dixerim, fieri repetitioni locum gratia ejus, qui pœnam solverit, quin legibus nihil aliud interdictum est, quam quod conjugii libertatem imminuit, quam sane nemo imminui diceret ex eo, quod facultas denegetur repetendi solutum; quod magis magisque ex eo firmatur, quia in illis juris locis, quibus pœnæ adjectio improbatur, tantum statuitur, ne pœna extorqueatur, seu ut actio elidatur, qua pœna petitur, non vero ut solutum repeti possit, dicto cap. 29, dicta l. 134. Major difficultas est, an possit adjici pœna sponsalibus sive a sponsis, sive ab extraneo, quæ non in certa re luenda, sed in certa re non adquirenda, lucrandaque consistat, exempli gr. si sponsæ pater legaverit sponso centum, adjecta deinde pœna, ut, si a sponsalibus recesserit, caderet a legato. Ego non dubito, in hac, aut simili specie valere conditionem, utpote quæ nullibi legibus improbata videatur: imo nec revera et proprie pœna dici potest, cujus metu quis ad contrahendum matrimonium impellatur, sed potius spes quædam lucri proposita, ut quis facilius ad certas contrahendas nuptias alliciatur, argumento l. 15, 19, 28, 31 et 71, § 1 ff. de condition. et demonstrat.

Disputari præterea solet, an possint caussa magis magisque firmandæ sponsalium obligationis fidejussores accedere, et pignora dari. Quoties de fidejussoribus sermo sit, non aliter eorum officium admittetur, nisi cum ipsi fide sua jusserint arrhas forte exhibitas recipi, quod ad dantis dominium potestatemque pertineant; aut dantem arrhas securum esse posse, futurum, ut duplum, vel quadruplum recipiat, si per eum, qui arrhas accepit, sine caussa a data fide recedatur. Alia de caussa fidejussor inutiliter datur; non caussa ipsius principalis sponsalium obligationis, cum fidejussor alieni facti inutiliter intercedat, ubi ad id, quod interest, condemnatio denegatur; non caussa pœnalis forte adjectæ stipulationis, utpote quæ abs jure, uti dictum est, penitus improbatur. Eadem ratione quæcumque pignoris constitutio inanis erit, nisi tantum in caussa arrharum, vel dupli quadruplive versetur. Quod si forte, dum sponsalia contrahuntur, de arrhis nulla mentio facta fuerit, sed certa res fuerit tradita usurpato nomine pignoris, tunc quidem arbitrarer, inesse obligationem, non quasi nexum constituti pignoris, sed quasi obligationem arrharum; in dubio enim ea est interpretatio voluntatis capienda, qua actus, quo fieri modo possit, consistat; neque verborum cortici inhæremus semper, sed res potius ipsas consideramus, præsertim quod pignoris nomen et arrhis quoquo modo conveniat.

Sic inspecta natura obligationis, quæ ex sponsalibus nascitur, alios sponsalium effectus recenseo. Inter istos vulgatissimus est, ut apud sponsos oriatur, quemadmodum vocant, publicæ honestatis impedimentum, quod adfinitatis instar obtinet; sicut enim adfinitatis caussa neque uxor consanguineis viri, neque vir consanguineis uxoris usque ad certos gradus soluto matrimonio jungi potest, ita nec sponsus consanguineis sponsæ, nec sponsa consanguineis sponsi solutis etiam quocumque modo sponsalibus; ex eo scilicet, quod in nuptiis contrahendis non solum spectandum sit, quod liceat, sed etiam quid honestum videatur, l. 42 ff. de ritu nuptiar. minus autem honestum sit, eam, quæ semel ex. gr. fuit sponsa fratris, uxorem deinde alterius fratris dici, quasi spon-

sa quandam habeat uxoris imaginem. Ecquidem prima hujus juris fundamenta in jure romano posita sunt; vix tamen concepta erat hæc disciplina de sponsa patris respectu filii, de sponsa filii respectu patris, et de matre sponsæ respectu sponsi, l. 12, § 1 et 2, l. 14 in fine ff. de ritu nupt. Ceterum de fratre sponsi, aut sorore sponsæ, aliisve consanguineis sponsorum, altum est apud antiquos silentium; imo et contrarium probari posset ex can. 18, cau. 27, qu. 2, si ille pro germano Benedicti papæ monumento haberetur. Quod si proferantur in medium canones 11, 14 et 15, cau. 27, qu. 2, quos Gratianus edidit aut sub generali nomine canonum, aut sub nomine Gregorii, aut sub nomine Julii papæ, ego reponam, illos omnes ab iis auctoribus abjudicandos esse, quod demonstravi in meis animadversionibus in Gratianum; in quibus etiam ad dictum can. 14 ostendi, ejus conjugalis impedimenti primam originem non procul a gratianeo sæculo repetendam. Tum vero primum, quoniam non certa lege erat id cautum, ac definitum, sed potius invaluerat ex scolastica disputatione, qua fiebat, ut publica honestas, seu publicæ, uti vocabant, honestatis vinculum adfinitati æquipararetur; illud impedimentum ad eos usque consanguineorum gradus extendebatur, quibus, ubi secutum matrimonium foret, inesset adfinitas. Sed hodie post concilii trid. decretum in ses. 24 de ref. matr. c. 3, receptum est, ne illud conjugii impedimentum primum consanguineorum gradum excedat. Præterea sæculo 12 et 13 quo jam publicæ honestatis impedimentum invaluerat, adhuc ipsum oriri dicebatur, etiamsi sponsalia ab initio irrita fuissent, dummodo non fuissent irrita ex defectu consensus, c. un. de sponsalibus in 6. c. 4 et 6 de desponsat. impub. c. un. eod. tit. in 6 etenim publica illa honestas, qua fit, ut sponsam fratris jungi non liceat alteri fratri, eatenus in hominum opinione fundamentum habet, quatenus sponsa quandam induere incipit uxoris personam, contra quam sit in rei veritate; atque in sponsalibus licet irritis ea uxoris imago adhuc publice saltem in opinione hominum retinetur. Sed rursum notandum est, hodie nos adhærere oportere definitioni trid. concilii, qua decretum est, ut quacumque ratione sponsalia valida non sint, nullum publicæ honestatis impedimentum contrahendis matrimoniis obsit. Observandum etiam est, publicam honestatem statim quidem habuisse, et habere locum in sponsalibus pure, non autem sub conditione contractis, nisi jam conditio evenerit; proindeque si ante eventum conditionis sponsalia dissolvuntur, nullum esse contrahendo conjugio impedimentum, etiamsi forte deinde conditio extiterit, dicto c. un. de sponsalibus in 6.

Habent, ut diximus, sponsalia quandam matrimonii imaginem, et sponsa non longe distat ab uxore. Hinc est, quod aliquando sponsæ uxorum, et conjugum nomine in sacris canonibus appellentur, can. 12 et 14, caus. 27, qu. 2. Hinc etiam est, quod plurima, quæ de uxore statuta sunt, ad sponsam facile vel legibus, vel recta legum interpretatione protrahantur. Hinc Ulpianus in l. 6, § 1 ff. de gradibus et affinibus scribebat: *Generi et nurus appellatione sponsus quoque, et sponsa continentur; item soceri et socrus appellatione sponsorum parentes contineri videntur*, et in l. 8, ff. eod. tit. Pomponius: *Servius recte dicebat, soceri, et socrus, et generi, et nurus appellationem etiam ex sponsalibus adquiri.* Ex hac regula fluit, in legibus, quibus excipitur, ne gener, aut socer invitus testimonium dicere cogatur, generi appellatione sponsum quoque filiæ contineri, item soceri sponsæ patrem, l. 5, juncta l. 4 ff. de testibus. Hinc præterea fit, ut quoniam lege pompeja de parricidiis statutum erat, tamquam parricidam habendum esse, qui uxorem, aut virum occidisset, ita censendus esset parricida, qui sponsam suam occidisset, aut sponsæ parentem, l. 3 et 4 ad leg. Pomp. de parricidis. Hinc itidem est, quod quemadmodum marito actio injuriarum conceditur, si forte in uxorem illata injuria fuerit, ita et sponso concedatur ob injuriam illatam in sponsam, l. 15, § 24 ff. de injuriis. Hinc insuper est, ut, si sponsa jam dotem sponso dederit, nuptiis non secutis, dotem eandem repetere valeat eadem actione, qua dos ab uxore legitima, soluto matrimonio, repeteretur, l. 74 ff. de jure dotium, eademque ratione, quemadmodum lege julia cautum fuit, ne prædia dotalia alienari a marito, aut obligari valeant, ita nec eadem dotalia prædia a sponso alienari queant, vel obligari, l. 4 ff. de fundo dotali. Hinc denique deducunt gravissimi civilis juris interpretes, tacitam hypothecam, ipsum quoque hypothecæ privilegium uxori favore dotis concessum in bonis mariti facile etiam sponsæ, quæ dotem jam sponso tradidit, accommodari.

CAPUT IV.

Quibus ex caussis sponsalia dissolvantur.

Nunc superest, ut caussas pandam, quibus sponsalia jure contracta dissolvuntur. Vulgo plurimæ numerantur. Ut enim omittam, morte alterutrius sponsi, superstitem esse omni obligatione solutum, in primis consensu eorum, a quibus contracta sunt, etiam receptum est dirimi sponsalia; qua in re admissa fuit generalis juris regula, quæ definit, unumquodque eo modo dissolvi, quo colligatum est, cap. 1 de regulis juris. Apud romanos veteres obtinebat, patrem sponsæ, quam haberet in potestate, nuncium remittendo sponsalia posse dissolvere, l. 10 ff. de sponsalibus quomodo

enim romano jure constitisset, justumque dici potuisset conjugium, cui pater sponsæ non consensisset? Quod tamen de patre dicitur, locum non habebat in tutore post sponsalia jure a pupilla contracta, l. 6 ff. eod. tit. neque enim sicut patris, ita et tutoris, cujus officium pubertate pupillæ expirat, consensus necessario in subsequentibus nuptiis requirebatur. Sed hodie postquam receptum est, parentis consensum ad conjugia, aut sponsalia valide contrahenda minime requiri, recipi quoque facile debuit, solum parentis dissensum non sufficere ad contracta sponsalia dissolvenda. Res redacta fuit ad unum contrahentium consensum, qui si ex utraque parte interveniant, in caussa est, ut obligatio rescindatur, cap. 2 de sponsalibus; imo etiam, uti superius traditum est, in sponsalibus impuberum observatur, sponsum puberem factum posse etiam invita altera parte a data fide resilire, quod tamen omnino singulare est, et inductum gratia pupillaris ætatis, cujus consensus quoque modo imperfectus esse videtur. Quod de mutuo dissensu sponsorum generaliter traditur, adeo verum est ut obtineat, etiamsi sponsalia fuerint jurejurando firmata, dicto cap. 2, de sponsal, etenim cum jusjurandum non aliam ob caussam sponsalibus adjiciatur, quam in contrahentium sponsorum utilitatem, quo scilicet unusquisque magisque alterum sibi devinciat, quid amplius operabitur, ubi unusquisque nexum libere dirimit? argumento cap. 29, vers. *Juramentum* de jurejurando. Ceterum antequam ulterius progrediar, nonnulla adnotare juvat ad capitulum 2 de sponsal., ubi exhibetur Innocentius III tradens, si uterque sponsus a sponsalibus recedendum velit, posse id *in patientia tolerari.* Num exinde inferetur, id minime licere, ex ea regula, quam Innocentius III, tradit in cap. 18 in fine de præbendis, *multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in judicium exigente justitia non deberent tolerari?* Additur in dicto cap. 2, *ne forte deterius inde contingat.* Num exinde inferetur, ad evitandum majus malum quidquam in proposito indulgeri, remitti, quasi et id malum sit, quod tamen vix mali speciem habeat in conspectu mali gravioris, quemadmodum in argumento capitoli 5 qui clerici vel voventes Alexander III indulsit cuidam mulieri post continentiæ votum emissum, ut matrimonium contraheret, quod *tutius esset, ut mulier post votum simpliciter oblatum matrimonium contraheret, quam fornicationis reatum incurreret?* Non ita concludendum puto. Describendum in primis est integrum capitulum, quale in 1 collectione decretalium legitur utpote in qua nonnulla habentur, quæ apud Gregorium IX desiderantur: deinde inquirendus capituli auctor: postremo ejusdem explicanda sententia. Ita legitur in 1 decretalium collectionem apud Antonium Augustinum in cap. 11 de sponsalibus: *Prælerea ii, qui matrimonio contrahendo pure, et sine omni conditione fidem dederint, et juramentum fecerunt, commonendi sunt, et diligentius exhortandi, et omnibus modis inducendi, ut fidem præstitam, vel juramentum factum observent, et se, sicut promiserint conjungant. Si autem se ad invicem admittere noluerint, ne forte deterius inde contingat, ut talem scilicet ducat, quam odio habeat, videtur, quod adinstar eorum, qui societatem juramento, vel interpositione fidei contrahunt, et postea eandem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari.* Adnotat Antonius Augustinus, rescriptum illud tributum fuisse Innocentio III, sed eidem pontifici tribui recte non potuisse a collectoribus; etenim collectio 1 decretalium edita fuit ante eundem Innocentium, cujus in eadem collectione nulla extant, nec extare poterant decreta, nisi forte respicias ad c. 2 de presbyt. nondum baptizato, translatum in c. 2 eod. tit. apud Gregorium IX, quod ex eadem caussa Innocentio III adscribi a laudato Antonio Augustino non potuit. Hinc qui accuratiores erant in eadem 1 collectione decretalium in dicto c. 11 sicut et in c. præcedente nomen Innocentii II adscribere maluerunt; nescio, an satis apte, quando in capitibus præcedentibus nimirum a primo usque ad nonum, descripta erant decreta Alexandri III, iterum autem in subsequentibus capitulis a duodecimo; et deinceps, plura subjecta sunt ejusdem Alexandrum III decreta; neque est verosimile, collectorem Bernardum papiensem voluisse inter media Alexandri III rescripta interjicere duo decreta Innocentii II qui Alexandri III præcessit, propterea quod collector idem ordinem temporis, et ætatum rescribentium prontificum in edendis rescriptis servare consueverit. Antonius Augustinus non improbavit in notis ad dictum c. 11 eos, qui legendum mallent Alexandri III nomen, neque injuria, quando scimus, ad Bartholomeum oxoniensem episcopum plura fuisse rescripta ab eodem pontifice directa, c. 6 de fil. presbyt., c. 17 de officio et pot. jud. deleg. c. 4 de pactis, c. 3 de arbitris, c. 6 de judiciis, c. 3 de dolo, c. 6 et 9 de restit. spoliat., c. 18 de testib., c. 1 de appellation., c. 1 de confirmat. ut. vel inut., cap. 3 de pignor., cap. 4 de convers. conjugat., cap. 1 de voto, cap. 6 de jurepatr., cap. 4, 5 et 6 qui fil. sint leg., cap. 4 ne prælati vices suas, cap. 6 de homicid., cap. 3 de excessibus prælatorum. Itaque indulgeamus gravissimæ conjecturæ, et postquam Alexandro III rescriptum vindicamus, ejus sententiam investigemus. Propositum fuerat Alexandro, inita fuisse certa consensione sponsalia, idest pure ac sine ulla conditione, imo et eadem sponsalia fuisse jurejurando firmata; quæ-

situmque, an quoties contrahentes mutuo datam fidem, et vinculum jurisjurandi remiserint, absoluti ab omni vinculo censeretur. Responsum, id posse *in patientia tolerari, ne forte deterius inde contingat.* Hæc loquendi formula ab Alexandro prolata non significat quidem dispensationem quandam, et indulgentiam adversus leges præbitam, sed potius declarationem quandam, qua demonstretur, nihil adversus leges sponsos illos fuisse molitos. Etenim Alexander in cap. 5 de pactis expresse fatetur, *non debere aliquatenus tolerari, quod iniquum est, et sacris canonibus inimicum*; item idem pontifex in epistola ad abbatem Ursi Campi et decanum rhemensem edita apud Mansium in tomo 2 labbeani supplementi pag. 512 proposita specie conjugii inter quosdam contracti, adversus quod quidam adolescentes *ardore potius avaritiæ, et odii livore* perciti in judicio contendebant temere et sine caussa, professus est, esse *tolerabilius*, ut conjugium illud minime dissolveretur, unde grave argumentum capitur, tolerari id dici consuevisse ab Alexandro, quod legibus minime improbaretur; quasi pontifex ille lenioribus et modestis loquendi formulis uti soleret, quemadmodum in c. 4 de convers. conjug. in eadem epist. ad episcopum oxoniensem *dissimulari posse* dixit, quod probandum et admittendum erat, argumento c. 1 eod. tit. Idem Alexander III scripsit, posse *in patientia tolerari*, quod ipse comprobat in cap. 2 de frigid. et malef. Præterea observo, Alexandrum non fuisse de eo potissimum sollicitum, quod vellet, omnino semel datam sponsalium fidem impleri, sed de eo, quod jusjurandum sponsalibus adjectum nunquam violaretur; quamquam enim pro certo haberet, generaliter pacta omnia, exemplo, ut ipse scribit, societatis, mutuo contrahentium dissensu dissolvi, scrupulo tamen non carebat, quoties jusjurandum interpositum pridem fuisset, quasi jusjurandum impleri non tam privatorum, quam publice interesset, a quo propterea non sufficere videretur ad liberandum pactio privatorum. Hinc ipse sibi regulam quandam constituerat juxta summum juris apicem fere custodiendam, ut semper jusjurandum servaretur, nisi in dispendium salutis æternæ quandoque vergeret, cap. 8 de jurejurando, ac si tunc non privatorum conventio, sed religio ipsa jusjurandum irritum redderet. Accesserat ea ætate frequens jurisjurandi contemtus, quem jurandi frequentia et corruptela morum induxerat; unde e re esse censuerat, jurisjurandi implendi gratia summum rigorem servari, etiam in iis caussis, quarum effectus in irritum denique casurus esset, c. 6 de jurejur., c. 16 de sponsalibus, ad cujus interpretationem multa hinc non aliena inferius adnotabo. Itaque quum in dicto c. 2 scripsit Alexander, se *in patientia tolerare*, innuit, non quidem se aliquid indulgere contra generales juris regulas, sed potius ex indulgentia recedere se a strictissimo juris rigore, quem sibi custodiendum ad evertendas ejus sæculi corruptelas in jurisjurandi implendi speciebus constituerat.

Altera caussa sacris canonibus comprobata, qua sponsalia dirimuntur, est mutatio conditionis vel in utroque sponso vel in alterutro tantum contingens, qua fiat ut matrimonium amplius contrahi nequeat; est enim generalis juris regula, quæ trahit, universos hominum actus, eos præsertim, qui nondum absoluti sunt qualia sane sunt sponsalia ad futurum conjugium referenda, irritari, cum in eum casum incidant, a quo incipere nequeunt. Triplex est in proposito conditionis mutatio: prima est cum alteruter ex sponsis monachus fiat, aut sanctimonialis: secunda, cum sponsus ecclesiasticis ordinibus initietur: tertia, cum alteruter cum alio, præterquam cum eo, quocum sponsalia contraxit, matrimonium contrahat.

Dirimuntur sane sponsalia transitione, vel utriusque, vel unius tantum ex sponsis in monasterium, can. 27 et 28, cau. 17, qu. 2, cap. 14 de convers. conjugat., si enim ista ipsum matrimonii rati necdum consummati vinculum dissolvit, facilius dissolvet sponsalium vinculum. Et quidem id generaliter probatur; disputari tamen solet, nomen ex ipso ingressu in monasterium, seu ex susceptione monastici habitus, an demum post emissam professionem dissoluta sponsalia intelligantur. Ego puto, sponsalia necdum professione secuta consistere quidem gratia illius, qui in sæculo, ut ajunt, manet, sed respectu illius, qui monachalem suscepit habitum, pro solutis haberi; ita nimirum, ut, pendente tyrocinio, possit, qui manet in sæculo, alias sibi nuptias libere quærere, aut etiam, si expectare maluerit, professione non secuta possit postulare, ut sponsalia suum effectum sortiantur; at qui tyrocinium ingressus est, etiamsi expresse initio protestetur, se nolle initis sponsalibus renunciare, quamquam adhuc obstrictus teneatur sub conditione, si professionem monasticum non emiserit, jam tamen satis facto suo, contra quod innanis ea protestatio foret, a se liberavisse sponsum in sæculo relictum videatur: neque enim alias repugnat, contractum, qui ex mutuo contrahentium consensu dissolvi potest, ex parte unius dissolvi, consistere ex parte alterius, quemadmodum contingit in societate, l. 65, § 6 ff. pro socio, quo exemplo usus est Alexander III in dicto c. 2 de sponsalibus accommodarentur. Hæc etiam vera sunt, licet sponsalia fuerint jurejurando firmata, quia jusjurandum naturam induit contractus et obligationis, cui accedit; eamque ob rem eo ipso, quo sponsalium, jurisjurandi quoque obligatio dissol-

vetur. His accedit, jurisjurandi religionem semper quidem esse custodiendam, non tamen eousque, ut majus bonum impediat, quale esset præ nuptiis contrahendis religiosa professio; habetur enim, qui jurejurando se ducendæ puellæ obstrinxit, ac si jurasset sub conditione, quæ tacite, et vi legis inest, si monasticam professionem non emiserit. Quod dico de ingressu in monasterium, recipiendum etiam puto in ea specie, qua alteruter ex sponsis non solemne, sed simplex, ut vocant, continentiæ votum emiserit; qui enim post contracta sponsalia continentiam privato quodam spiritu vovet, sponsam non similiter voventem liberare censetur, quamquam se ab eadem minime liberet; ne forte admittamus, ob privata quædam studia, et singulare continentiæ bonum, a quo etiam forte, qui vovit, sit recessurus, fraudem alteri fieri, cui jamdudum fuerat fides voventis obstricta, argumento c. 5 qui clerici vel voventes.

Qui ecclesiasticum ordinem post inita sponsalia suscipit, vel eo ordine initiatur, qui sacer est, et solemnem continentiæ professionem requirit, vel eo, qui non sacer dicitur, seu infra subdiaconatum juxta hodiernam ecclesiæ disciplinam. Quoties sacro ordine sponsus initietur, irrita sponsalia fiunt, quod res incidat in eum casum, quo nunquam conjugium celebrandum sit. At quoties sponsus tantum in minoribus ordinetur, is quidem sponsam a se liberat ob volontatis mutationem exterius proditam, non tamen ipse liberatur, quousque in pendenti est, eundem ecclesiæ constanter, et perpetuo adscribi, quod hodie fit per solam sacrorum ordinum susceptionem: neque aliud mihi videtur dicendum de eo, qui mutato laicali habitu, et vel clericali, vel religiosa veste indutus certæ ecclesiæ ministerio in inferioribus officiis addicatur, utpote qui facto suo, et saltem tacite sponsalibus renunciavisse censetur.

Irrita etiam sponsalia fiunt, utcumque fuerint jurejurando firmata, per conjugium ab alterutro ex sponsis cum alio de præsenti contractum, licet hujusmodi matrimonia tamquam illicita legibus improbentur, cap. 15 et 31 de sponsal., cap. 1 de sponsa duorum. Quod tamen ita intelligas velim, ut dissolvatur sponsalium obligatio ex parte non illius, qui matrimonium contraxit, sed alterius. Hinc qui matrimonium contraxit, quicumque casus emergat, quo in pristinam libertatem restituatur, non poterit quidem derelictam sponsam obstringere, cum nemo perfidiæ reus jure alienam perfidiam incuset, adhuc tamen tenebitur ad data sponsalium fidem implendam, quemadmodum continget ex. gr. si contractum matrimonium aliqua de caussa irritum fuisse deprehenderetur, aut si morte conjugis dissolveretur. Alter vero sponsus nulla amplius obstringitur obligatione, qui propterea si recedere a sponsalibus velit, plena libertate potitur, ac tum res ita habebitur, ac si mutuo sponsorum consensu a sponsalibus recessum esset. Paullo aliter res sese habet, ubi quis post contracta sponsalia cum una, sponsalia deinde cum alia contraxerit; etenim priora sponsalia ita consistunt, ut statim et insuper habitis posterioribus impleri postulante priore sponsa et possint et debeant, quod verum est, etiamsi utraque sponsalia fuerint jurejurando firmata, cap. 22 de sponsalib., imo etiam verum arbitror, quamvis prioribus sponsalibus, nullum accesserit jusjurandum, sed tantum posterioribus; etenim nemo ob jurisjurandi religionem ad id adstringitur, quod implere sine peccato non potest, cap. 18 et 22 de jurejurando. Interea tamen ego non dubito, quin ea, quæ despecta esse videtur a sponso ad alias nuptias adspirante, nuncium remittendo libera fiat, quasi tunc sponsalia ex utriusque parte dissoluta penitus habeantur.

Tertia generalis dissolvendorum sponsalium caussa est, quoties res incidit in eum casum, quem si contrahentes prævidissent, verosimile admodum est, eos non fuisse contracturos; non quod in proposito jure ipso dissolutio fiat, sed potius quod alterutro sponso postulante irritentur, quod illi sua interesse proponant sponsalia dissolvi. Ad triplex caput caussæ hujusmodi reducuntur. Primum est, cum mores mutantur. Alterum, cum evenit corporis vitium. Postremum, cum mutantur facultates, aut certa rei familiaris adjuncta.

Mutari dicuntur mores ad dissolvenda ex parte unius sponsalia, quoties alteruter ex sponsis in crimen fornicationis inciderit, etiamsi sponsalia fuerint jurejurando firmata, cap. 25 de jurejurando, quod licet de sponsa tantummodo conceptum sit, facile tamen etiam ad sponsum protrahitur, quia æquo jure et sponsus et sponsa propter idem in utroque sponsalium vinculum censentur, can. 20, cau. 32, qu. 5. Ex parte, inquam, unius; nam qui reus criminis est, nullo modo audiendus erit, si ad se obligatione liberandum suam turpitudinem proderet, ne forte crimen admissum ipsi reo aliquando prodesset: atque hæc jurisprudentia verissima est, ubi agitur de crimine admisso post contracta sponsalia. Quid vero si alteruter sponsus ante contracta sponsalia deliquisset? Ait Innocentius III in dicto cap. 25 non posse præcedens crimen opponi, eam ob caussam, ut puto, quod crimen præcedens honestati quidem morum, non datæ fidei, utpote ante datam fidem admissum, adversetur. Et quamquam sint, qui putent, distinguendum adhuc esse inter eum sponsum, qui præcedens sponsæ crimen ignorabat, et eum, qui noverat, si tamen verbis Innocentii insitamus, non erunt hujusmodi discrimina admittenda; nisi forte ex eo crimine infamis sponsa facta fuerit, quæ sane infamiæ nota cum perpetua sit,

honestum virum jure optimo distrahit a tali uxore ducenda, quam honestam putabat. Potiore sane jure sponsalia, et quidem ex parte utriusque sponsi dissolvuntur, quum post ipsa supervenit alterutri adfinitas ex inhonesto coitu, quemadmodum in ea specie, qua sponsus sponsæ sorori commisceretur; can. 31, et 32, cau. 28, quæst. 1, res enim devenit ad eum casum, quo contrahi inter adfines matrimonium nequit. Fateor, ob supervenientem adfinitatem non dirimi matrimonium jam contractum; sed facilius quam conjugia, dissolvi sponsalia nemo ignorat; et sufficit ad dissolvenda sponsalia, tale objici impedimentum, quod contrahendo matrimonio obsit; licet contractum non dirimat. Sunt nihilominus, qui favore innocentis sponsi ita sponsalia subsistere opinati sunt, ut teneatur reus ad dispensationem petendam a posito impedimento, verum hæc mihi videntur nimis abhorrere a recta canonum disciplina, nisi forte ex æquitate quædam rerum, personarum, seu caussarum adjuncta aliquid in ea re relaxandum postulent, quod prudentis judicis arbitrio relinquitur. Præterea moris alterutrius sponsi corrupti, ac mutati dicentur ad dissolvenda sponsalia, quoties alter alterius odia in se per injuriam provocaverit. Atque id verum est, si in hæresim alteruter incidat, siquidem huc commode refertur sanctorum patrum sententia, qua docemur, hæreticos et infedeles inter fornicarios recenseri, can. 5 et 6, cau. 28, qu. 1. Item verum est, si alteruter minus honestam vitam ducat, quæ ex turpi et impudica conversatione dignoscitur, l. 5, vers. *His illud* cod. de sponsalib. insuper si alteruter tale crimen admittat, unde reddatur infamis: recepta enim est veluti regula generalis, graves istas morum mutationes, sicut utplurimum in matrimoniis contractis divertendi præbent legitimam caussam, ita caussam præbere sponsalium vinculo dissolvendo, quod sane argumentationis genus Innocentius III admisit in dicto cap. 25 de jurejur. in principio. Hinc etiam si talis evadat sponsi asperitas, vel sævitia, ut nonnisi miserabilis sperari possit contractis nuptiis sponsæ conditio, cur sponsæ non concedetur in libertatem proclamare, quando, si nuptias contraxisset, jure divertere posset? cap. 13 in fine de restit. spoliat. Neque contrarium probari potest ex cap. 5 qui cler. vel vov. ex quo liquet, sponsam audita sponsi sævitia non aliter sibi cavisse, quam continentiam profitendo; præterquamquod enim, quod ibidem dicitur, ad factum potius pertinet, non jus constituit, observo, eam sponsam, quæ verebatur, ne terribili sponso nubere cogeretur, non compertam omnino habuisse sponsi sævitiam, sed tantum plura de ejus severitate audivisse.

Quoties fato quodam miserabili vitium corporis sponsus, vel sponsa contraxerint, et tale, ex quo prudentissimus quisque judicet, aut tristem admodum futuram matrimonii celebrationem, aut alterutrum ex sponsis facile statim, et ipso sponsalium tempore non contracturum fuisse, si quod infaustum accidit, prævidisset, sponsalia petente sano dissolventur. Quid enim ex. gr. si sponsa vim passa ab alio fuisset? Quid si morbo gravissimo, præsertim sontico, vel alio quocumque insanabili corriperetur? His sane, ac similibus evenientibus casibus dissolvi sponsalia posse, videtur insinuavisse Innocentius III in dicto c. 25 de jurejurando versiculo *Quod si*, cui addi potest capitulum 3 de conjug. leprosorum.

Non dissimilis est postrema mutationis caussa, quæ vel contingit in facultatibus, vel in adjunctis rei familiaris. Hinc sponsalia dissolventur, quoties alteruter ex sponsis tempore sponsalium dives in gravissimam deinde incidat paupertatem, secus tamen ac contingat in eo, qui cum tempore sponsalium pauper esset, ingentes deinde opes adquisivit; cum aliud sit, quemquam in meliore fortuna collocari, aliud novas emergere odii caussas in eo, cujus fidem quondam obstrinximus. Quæ tamen ita semper intelligenda velim, ut is, in quo nulla immutatio contigit, resilire possit, si velit, non vero etiam resilire valeat alter, qui immutationem, sive infortunium passus est. Ad adjuncta rei familiaris, quibus immutatis sponsalia dissolvi possunt, illud spectat, quod tradi solet, alterutrum ex sponsis excusari, si fidem implere recuset, quoties inter sponsos, vel sponsorum parentes, capitales inimicitiæ subortæ fuerint, nec facile speretur reconciliatio, ne scilicet infelix sit hujusmodi conjugiorum exitus, quod semper avertendum sacri canones voluerunt, can. 3, cau. 31, qu. 2, cap. 2 et 17 de sponsalibus.

Postrema caussa, qua ex parte alterutrius sponsi sponsalia dissolvuntur, est, quum unus ex ipsis obicem ponit, ne legitimo tempore sponsalia contrahantur, quin ulla legitima subsit ponendi obicis ratio. Id ex. gr. contingit, quoties sponsalia diem habent adjectum, dieque eveniente sine æqua caussa sponsus detrectat fidem implere, et differri adhuc matrimonium postulat, c. 22 de spons. quo definitur jurejurando firmata. Item contingit, quoties sponsus diu absit ita, ut spes nulla supersit eum brevi reversurum, cap. 5 de sponsal. ubi cum certum determinatumque tempus non designetur, supplendum erit ex l. 2 cod. de sponsal. ex qua absenti intra eandem provinciam biennii tempus conceditur; quin ullum negotium facessat lex 2 cod. de repudiis; quod enim jam triennii tempus expectatum in proposita specie fuerit, ad factum pertinet, non ad juris regulam, nisi dicere malis, Valeriani et Gallieni prudentiam abrogatam fuisse, seu intra breviora tempora coar-

ctatam, imperatorum Constantii et Constantis constitutione. Imo ego non dubito, ipsam adhuc sponsam, non expectato biennii termino, petere in judicio posse sponsalium dissolutionem, si sua interesse putaverit; qua in re plurimum indulgetur arbitrio prudentis judicis, qui sane non omittet vocare in jus sponsum absentem, iis receptis modis, quibus etiam absentibus indici solet, ut se in judicio sistant: posset enim, qui absens est, proponere legitimas absentiæ caussas, dum se in judicio sisteret, quales sunt ad matrimonium prorogandum jure probatæ, l. 17 ff. de sponsalibus.

Non semper sufficit justas caussas habere, ex quibus dissoluta sponsalia proponantur, sed ut plurimum illæ coram judice allegandæ sunt, atque etiam, ubi opus sit, probandæ, cum nusquam præsumatur obligationis, quam semel contractam fuisse non ambigitur, dissolutio. Dixi utplurimum, ut exciperetur casus, quo tanta esset tam juris, quam facti certitudo, ut nemini venire in dubium posset, quin sint dissoluta sponsalia, quemadmodum contingeret, si alteruter ex sponsis publice vel matrimonium cum altera contraxisset, vel monasticam professionem emisisset, vel sacrum ordinem suscepisset. In allegandis certis caussis, quibus publice interest, sponsalia non sortiri effectum, quando nimirum cognatio sponsorum, aut simile quoddam juris publici vinculum sponsos matrimonio jungi impediat, singulare jus est, ut etiamsi unico teste probentur, iste tamen in judicio totam rem conficere possit, contra quam vigeret, si de celebrati conjugii dissolutione ageretur, cap. 22 de testibus, cap. 12 de sponsalibus; imo nec tum requireretur testium citatio judiciaria, dummodo testes ipsi sponte non se offerant, sed per eum, qui sponsalia dissolvi postulat, coram judice sistantur, argumento cap. 30 de testibus. Aliquando etiam admittentur testes, si æqua id suggerat caussa, qui privatim et clam testimonium ferant, et sine nominis publicatione, dicto cap. 12 de sponsal. necnon deficientibus testibus una publica loci fama in caussa erit, cur sponsalia implenda non sint, nisi fama ipsa contrariis, et aptis probationibus elidatur, cap. 27 de sponsal., cap. 2 de consanguinit. et adfin. contra quam vigeat in matrimonio dissolvendo, cap. 5 de eo qui cognovit. In ceteris autem caussis, in quibus de dissolvendis sponsalibus controversia est, quin publice interest, fiet locus probationibus, et probandi modis ordinariis, dum tamen meminerint judices, in dubio pro dissolutione sententiam ferre debere, ob eam singularem rationem, quod matrimonia publica auctoritate inter contendentes jurgantesque contracta tristes exitus parere soleant. Quod si sponsi ipsi coram judice constituti de caussa impediendi futuri matrimonii consentiant, ubi æqua sit utriusque consensio, per judicem ita recipienda erit, ut ab aliis ulterioribus probationibus abstineatur, quemadmodum, si ex. gr. tam sponsus, quam sponsa fateantur, mutuo dissensu se resilivisse a sponsalibus. At quum unus tantum, qui dissolutionis caussam allegat, suo duntaxat testimonio eandem probare nititur, quod ex. gr. adfinitatis cum sponsa sua impedimentum intercedat, ubi aliæ non subsint graves coniecturæ, etiamsi ad jusjurandum paratus sit, non admittetur: neque enim qui controversiam aut infert, aut patitur, ita suæ voluntati relinquendus est, ut ex ejus adfirmatione, vel juramento caussæ decisio pendeat, argumento dicti capituli 5 de eo, qui cognovit. Potiore jure puto non admitti eum, qui sponsalia executioni mandari postulet, dum alias non habet contractorum apertas probationes, quam quas suo testimonio firmat; imo neque in hac re fieri potest locus jurijurando, quod suppletivum vocant, ubi probationes non satis per se idoneæ sunt ad instruendum judicis animum, etiamsi alias semiplenæ dicantur, ne in re gravissima, et quæ semel inita dissolvi amplius nequit, qualis est conjugii celebratio, invitam sponsam ad conjugium trahere concedatur unius sponsi potissimum voluntati, quæ facile ob ardens futurarum, quæ sperantur, nuptiarum desiderium eo rapitur, quo minus sollicita sit de non temeranda jurisjurandi sanctissima religione.

Ad ea, quæ hucusque tradita sunt, in nitidiore adhuc luce collocanda, plurimum facere possunt quæstiones aliquot, quas separatim in hunc locum transtuli dirimendas.

QUÆSTIO I.

An sponsalia subsequente copula matrimonii jure habeantur.

Multum interest ad definiendam propositam quæstionem distinguere, an eadem exigenda sit ad juris communis ante tridentini disciplinam, an potius ad recentes tridentini concilii constitutiones. Quoties consistendum sit in veteribus maximorum pontificum decretalibus, eam jam definivisse videntur suis temporibus Innocentius III et Gregorius IX in cap. 15, 30 et 32 de sponsalib. quibus decernitur, secuta copula inter sponsos, non jam meram sponsalium obligationem subesse, sed verum contractum matrimonium intelligi, dummodo vera copula, non tantum nisus in copulam intercesserit, dicto cap. 32. Nolim tamen ita quisquam hæc intelligat, quasi ex conjunctione illicita duorum vi sua matrimonium emergat, quod, uti suo loco dixi, non tam in conjunctione corporum, quam in præstita fide, seu mutua conjugum consensione consistit. Potius ita res sese habebit, ut præsumatur verus in-

ter sponsos inter fuisse consensus de præsenti, statim ac ad ulteriora conjugii officia progressi sunt; atquæ hujus præsumtionis duo sunt gravissima argumenta, quorum primum est contractus sponsalium præcedens, alterum copula subsequens; neque enim aliud censetur sponsi in subsequente copula voluisse, quam executioni demandare, quod in sponsalium contractu data fide spoponderant, quæ sane præsumta matrimonia ante concilio tridentinum sustinebantur. Revera data fides sponsalium ad conjugium refertur, et in ea jam inest conjugii contrahendi voluntas. Hæc tamen nondum ideo conjugium dicitur, quia in futurum actum confertur, quando conjugium tantum dicitur de præsenti. Intercedente sponsorum copula, sublata videtur facto contrahentium omnis adjecti olim temporis mora. Quid igitur obest, quominus ea fides, conjugalis fidei jure censeatur? Neque forte audiendus esset sponsus, si exciperet, se non animo conjugis eo devenisse, ut sponsæ commisceretur: etenim hæc exceptio in judicio admittenda non esset, tanquam bonis moribus omnino repugnans. Hæc observatio non solum utilis est ad recte recipiendam decretalium disciplinam, verum etiam in nonnullis provinciis adhuc necessaria est, nimirum in iis, in quibus tridentina sanctio de clandestinis conjugiis irritatis non est promulgata, et in quibus adhuc viget commune jus decretalium. Quod si ad sanctiones tridentinas hæc disceptatio exigatur, quibus salubriter cautum est, ut conjugia minime valeant, si præsente parocho et testibus non sint celebrata, ses. 25, cap. 1 de ref. matrim., sane concludendum erit, post tridentinum concilium in iis locis, in quibus decretum illud promulgatum est ea sponsalia nunquam matrimonii jure censeri, quousque coram parocho et testibus sponsi consensum suum de matrimonio de præsenti contrahendo non explicent. Sunt qui adhuc putant, tunc contractum matrimonium dici posse, quando et parochus, et testes præsentes in contractu sponsalium fuerint. Verum id esse videtur contra expressum tridentini concilii decretum, quo de præsentia parochi, et testium, dum matrimonium contraheretur, statutum fuit ad majorem rei gravissimæ gestæ solemnitatem; parochus autem, et testes in proposito non de celebrato matrimonio, sed tantum de celebratis sponsalibus testimonium ferre possent, quod satis esse celebrandis rite conjugiis hodie non videtur. Sunt præterea qui putant, adhuc disciplinam decretalium vigere in ea specie, qua conjugium coram parocho, et testibus celebratum esset ab impuberibus nondum celebrando conjugio idoneis, qui deinde post pubertatem copulam habuerint. Verum et heic iterum circumvenitur mens patrum tridentinorum, qui dum statuerunt, conjugio contrahendo parochum et testes præsentes esse oportere, de eo conjugio locuti sunt, quod subsistere posset, non quod irritum ex defectu personarum diceretur; nisi forte ageretur de impuberibus, qui parochum et testes decepissent, vel ex ætatis suæ ignorantia puberes se credidissent, et tanquam puberes in conspectum ecclesiæ accessissent; ad hanc enim veluti extra ordinem contingentem speciem non est verosimile patres tridentinos intendere voluisse, eandemque decreto suo comprehendere, et conjugium illud subsequente copula confirmatum irritum declarare. Ceterum ego non dubito in proposita quæstione, quin, si post celebrata sponsalia copula subsequatur, etiam post tridentinum decretum, et in iis locis, in quibus tridentina constitutio promulgata est, ac viget, sponsi ipsi arctius urgeri, atque omnibus modis adigi debeant ad matrimonium in conspectu ecclesiæ contrahendum, ne forte exinde gravia in rempublicam incommoda oriantur. Statim ac enim sponsi voluntate sua, dum sponsalia contraherent, in matrimonium consenserunt, statim ac deinde voluntatem ipsam non amplius in futurum suspendere secuta copula demonstrarunt, cum perfectus undecumque videatur consensus illorum, sine ulla sunt excusatione, si prætextu non observatæ solemnitatis ecclesiasticæ voluntatem suam nonnisi per dolum et fraudem revocent; quam potius fraudem, dolumque quoquo modo purgarent, si eousque gesta in conspectu ecclesiæ rata haberent.

QUÆSTIO II.

An matrimonium, aut omissis juris solemnitatibus, aut insuper habitis juris regulis contractum, puta hodie sine præsentia parochi, saltem habeat vim sponsalium.

Incidimus hoc in loco in generalem disputationem de vi conventionum, atque pactorum, quorum cum sint diversa genera, si pactum in uno genere non consistit, quasi errando in aliud transire, donec sedem inveniat, nonnulli affirmant; nonnulli etiam de more scholasticorum inficiantur. Mihi placet in primis secernere conventiones, quæ ineuntur ad rescindendas pridem contractas obligationes, a conventionibus, quæ ineuntur ad obligationem inducendam. Quoties conventio initur ad rescindendas pridem contractas obligationes, facilius recipiendum est, ut actus si non in certa specie consistere valeat, aliam speciem induat, et prosit ad liberandum, quia cum debitoribus lenius ac mitius leges agunt, l. 47 ff. de obligat. et action. quamobrem acceptilatio inutilis, nisi contraria videatur mens contrahentium, vires habet pacti, et ad excipiendum plurimum proderit, l. 27, § 9 ff. de pactis, l. 8 et 19 ff. de acceptilatione, l. 5 ff. de rescind. vendit. Quando autem conventio ini-

tur ad inducendam obligationem, mihi semper placuit illorum opinio, qui tradiderunt, certam initam contractus speciem non facile transire in aliam, si forte in ea consistere nequeat, de qua contrahentes ab initio tractaverunt. Quidquod enim Ulpianus in l. 1, § 4 ff. de constituta pecunia ait, eum, qui inutiliter stipulatus est, cum stipulari valuerit, non constitui sibi, de constituta experiri non posse, quoniam non animo constituentis, sed promittentis factum sit? Quidquod idem jureconsultus in l. 1, § 2 ff. de verb. obligat. tradidit, inutilem stipulationem ne naturalem quidem obligationem parere, quod idem est, ac dicere, ne in vim quidem pacti sustineri? Quidquod Celsus in l. 12 ff. de precario nullam omnino esse scripsit, seu irritam precarii concessionem, quoties certus dies precario adjiceretur, quod idem est, ac dicere, ne in aliam quidem conventionis speciem flecti posse? Tantum ad eam regulam exceptionem admitto, quoties de eo negotio agatur, cujus formula, prout ab initio dicta est, æquivoca videtur, nec satis constat, de quo contractu ipsi senserint contrahentes. Tunc enim id præsumuntur voluisse contrahente, quod integræ a contrahentibus expressæ formulæ consonat, ut eam naturam contractum negotium induat, quæ toti rei gestæ conveniat, uti traditur perspicue in l. 22 ff. de præscriptis verbis, in l. 1, § 4 ff. mandati, et in § ult. institut. eod. tit.

Utilissima est ad rem propositam generalis hæc observatio, ex qua tota controversia pendere videtur. Itaque fingamus, hodie post concilium tridentinum duos contrahere matrimonium per verba, ut ajunt, de præsenti parocho non præsente, sive nullis adstantibus, qui testimonium ferant, similiter fingamus, impuberes ad contrahenda sponsalia idoneos per verba etiam de præsenti matrimonium contrahere per errorem vel juris, vel facti; denique fingamus aliam quamcumque similem speciem, in qua matrimonium consistere nequeat. Ego puto generalibus juris principiis inhærendo, conjugia ejus generis non jure sponsalium censeri; plurimum enim distat contractus matrimonii a contractu sponsalium; et quando multum interesse solet matrimonium contraxisse, nihil fere interesse contraxisse sponsalia quando etiam diversa utrobique obligatio nascitur, non facile voluntas contrahentium ab una contractus specie ad aliam deducetur. Hanc ipsam quæstionem romani jurisconsulti veteres discusserunt; in qua et Ulpianus, et Labeo, et Pomponius tradiderunt, non videri sponsalia facta, quemadmodum perspicue liquet ex l. 9 ff. de sponsal. Quando vero hic agitur non de inducenda quadam, ferendaque lege in bonum publicum, sed de interpretatione voluntatis contrahentium, memoratorum jurisconsultorum parvi non erit facienda doctrina, quoniam voluntatis interpretatio non tam ex auctoritate pendet, quam ex sapientia ac consilio, cujus illi maxime compotes existimantur. Qui contra sentiunt, in medium proferunt Innocentii III rescriptum, quod habetur in cap. ult. de desponsat. impub., ad quod ita scribit glossographus: *Et est hic argumentum manifestum quod si minor* (intellige impuberem, seu pupillum septennio majorem) *in contrahendo utatur verbis pertinentibus ad matrimonium contrahendum, contrahit sponsalia.* Ego sane non adeo teneor placitis glossographorum, ut statim ipsis subscribendum putem. Quamobrem potius apud Innocentium III consisto, et in conspectu integri ejusdem papæ rescripti, quale habetur in collectione 3 decretalium cap. 2 de desponsat. impub. Desponsata fuerat quædam necdum viripotens puella cuidam viro nobili, *qui subharravit eandem consensu mutuo accedente, sed nuptiis aliquantulum prorogatis.* Definivit Innocentius, quo caso necdum viripotens puella haberetur, intelligi sponsalia contracta, non conjugium. Facti species longe a proposito distat. Etenim non constabat, consensum contrahentium fuisse de contrahendo matrimonio, sed tota facti dubitatio eo redigebatur ob ambiguas contrahentium formulas, an ab initio contrahere matrimonium, an sponsalia voluissent. Quis prudens non definivisset, consensum vere in sponsalia collatum, quando expresse proponebatur, contrahentes *nuptias aliquantulum prorogavisse?* Erat ea capienda interpretatio, quæ qualitati personarum, et quæ formulis ipsis aptius conveniret, ubi quædam emergeret dubitatio. Qualitas puellæ necdum viripotentis, quæ idonea erat ad sponsalia, inidonea ad conjugium; formula illa *de nuptiis aliquantulum prorogandis*, suadebat, animum contrahentium non in conjugium, sed in sponsalia fuisse collatum. Aliud autem est dubitare de facto, an ab initio contracta sponsalia sint, an conjugium; aliud est disputare, utrum cum constet ab initio non sponsalia, sed conjugium in contractum fuisse deductum, si non potest valere conjugium, flectatur actus in sponsalium obligationem. Iterum objiciunt, qui contra sentiunt, rescriptum Bonifacii VIII in cap. un. § *idem quoque* de desponsat. impub. in 6. Proponitur ibidem species de impuberibus, qui per verba de præsenti contrahendi conjugii voluntatem explicaverant. Definivit Bonifacius, conjugium illud irritum esse, nec convalescere ex eo uno, quod impuberes ad ætatem pubertatis deinde devenerint, nisi nova in conjugium consensio accederet. Addidit autem, *per dictum contractum, qui valuit, ut potuit, non sicuti agebatur, publicæ honestatis justitiam esse inductam*, imo et præfatus est, *sponsalio illa juris interpretatione tantum fuisse sponsalia de fu-*

turo, licet verba consensum exprimentia de præsenti haberent, et matrimonium contrahere intenderent contrahentes. Sanius interpretari debemus Bonifacii mentem, cujus scopus is erat, ut definiret, non illud matrimonium in sponsalium obligationem transire, sed ex eo actu nasci impedimentum, ut vocant, justitiæ publicæ honestatis. Sane hoc impedimentum ab iure publico pendet, sive ex juris publici sanctione, non ex privato contrahentium consensu, ac propterea qualiscumque esset contrahentium mens, potuit auctoritate sua Bonifacius declarare, etiam ex eo actu justitiam publicæ honestatis emergere, hoc usus argumento: Si per impuberum sponsalia id impedimentum inducitur, etiamsi sponsalia sint nulla, dummodo non sint nulla ex defectu consensus, quemadmodum statuitur in principio ejusdem capituli; potiore jure inducetur idem impedimentum per matrimonium licet irritum ab eisdem impuberibus septennio majoribus contractum; non quasi matrimonium in sponsalia transeat, sed quasi matrimonium illud easdem vires habeat ad inducendam publicam honestatem, quas sponsalia haberent; atque hoc est, quod ibidem dicitur, *sponsalia illa juris interpretatione fuisse sponsalia de futuro: juris interpretatione,* quoniam abs jure inducitur illud impedimentum; non interpretatione voluntatis, ex qua una obligatio sponsalium pendet; nam Bonifacius VIII et ipse faretur, in interpretatione voluntatis aliter se sensisse, cum scribit, *licet verba consensus exprimentia de præsenti haberent, et matrimonio contrahere intenderent contrahentes.* Repones adhuc, Bonifacium VIII locutum præcipue de impedimento publicæ honestatis potuisse a nomine *sponsalium de futuro* temperare, quoniam etiam ex uno matrimonio irrito potuisset idem impedimentum inducere. Istud est, quod ego inficior. Nam Bonifacius in proposito impedimenti publicæ honestatis eam servandam regulam præstituerat, ut et ex sponsalibus, et ex matrimonium licet irritis impedimentum illud emergeret, dummodo sponsalia, aut matrimonium non essent irrita ex defectu consensus, dicto cap. un. in fine principii. Matrimonium ab impuberibus contractum irritum erat etiam ex defectu consensus, nam pupillorum consensus tanquam infirmior non sufficit ad conjugium, in quo plena, et perfecta consensio desideratur. At sponsalia ab impuberibus contracta, dummodo septennio majores sint, nunquam irrita dici possunt defectu consensus, qui utut infirmus, jure tamen sufficiens ad eadem creditur. Prudenter igitur Bonifacius VIII, quin recederet a generalibus juris principii de eo impedimento firmatis, dixit, in ea parte conjugium illud impuberum pro sponsalibus habendum esse, idest non abire quidem in sponsalia, sed ad sponsalium similitudinem impedimentum ponere publicæ honestatis. Post hæc nemo, mihi an plus opponet scriptorum nostrorum et pragmaticorum contra sententium opiniones, quibus aliquot ecclesiasticorum tribunalium placita quandoque suffragata fuisse videntur apud Binium consil. 62, num. 34, lib. 1. Ego enim in contrarium opponam aliorum scriptorum, pragmaticorumque sententias, pro quibus etiam ecclesiasticorum tribunalium placita laudantur apud Emmanuelem Sa in aphorismo confessariorum verbo matrimonium n. 42, et tutius apud Lambertinum, qui deinde fuit Benedictus XIV, in notificationibus tom. 1, notificat. 46, num. 24. Quas sententias si forte conciliare desideres, concludere poteris, non resolvi quidem in sponsalia actum illum, qui velut matrimonium consistere non potuit, sed quandam obligationem nasci ex illegitimis nuptiis certis in casibus, ubi præsertim publica suboriri scandala possent, et de sponsi alterutrius honore non lædendo ageretur; quæ quidem obligatio ex alia caussa nascitur, non ex sponsalibus; quod facile deduci ex eo potest, quod aliquando arctius etiam obstringat, quam sponsalium vinculum, quemadmodum ex. gr. contingeret, si puella contraheret coram eo, quem ministrum legitimum esse crederet, qui revera non esset, et jam ab adolescente, cui nubere rite putavit, tanquam uxor habita fuisset.

QUÆSTIO III.

An valeant sponsalia contracta inter consanguineos, sub ea conditione, si pontifex maximus dispensaverit?

Eam conditionem, quam consanguinei in sponsalibus contrahendis adjiciant, si pontifex maximus dispensaverit, proprie esse non video sacris canonibus improbatam, cum neque quid turpe revera atque exitu inspecto contineat, neque legibus adversetur. In primis nihil turpe revera atque exitu inspecto continet, cum non sit inhonestum, velle eo casu consanguineam sibi jungere, quo publica potestate, atque indulgentia permittatur; nec deinde legibus adversari quisquam censetur in eo actu, in quo dum dispensatio legis petenda proponitur, satis indicatur, leges ipsas, et legumlatorum auctoritatem ab eo coli, et venerari. Sed hæc sufficiunt quidem, ut peccati alicujus rei non censeantur, qui ita contrahunt, non tamen tanti sunt, ut sponsalibus ea ratione contractis vim tribuant; ex quibus propterea de matrimonio quidem contrahendo jam tractatum esse videatur; non tamen nata dicatur, quæ sit conditione suspensa, sponsalium obligatio. Non semel in hanc sententiam itum fuit in ecclesiasticis tribunalibus, quemadmodum testatur Riccius in

praxi matrimoniali decis. 248, et quidem jure optimo. Etenim ut valeat contractus etiam sub conditione celebratus, necessarium est, contrahentes ipsos idoneos esse tempore contractus, nec sufficit tum primum idoneos fieri, quum conditio eveniat. Hujus doctrinæ fundamentum jecit Paullus jureconsultus in l. 26 ff de stipul. servor., qui postquam docuit, usumfructum sine persona esse non posse, proptereaque servum hereditarium inutiliter stipulari, præterea tradidit, ne sub conditione quidem factam a servo hereditario stipulationem ususfructus valere, *quia ex præsenti vires accipit stipulatio, quamvis petitio ex ea suspensa sit.* Quod si hæc ipsa regula etiam in ultimis voluntatibus, quarum celeroqui summus est favor, recipitur, nimirum non valet testamentum aut a servo factum sub conditione, si liber decedat, aut a filiofamilias conditum sub conditione, si sui juris factus moriatur, § ult. instit. quibus non est permiss. fac. testam., l. 8 et 19 ff. quis testam. fac., frustra proponi valeret, recedi facile posse a subtilibus juris regulis in sponsalibus, quasi in negotio, quod singulari favore dignum videatur. Accedit altera non minus elegans ratio. Nimirum ea, quæ ad formam juris publici pertinent, ita sanctissime constituta sunt, ut de illorum mutatione, licet aliquando æquis de caussis auctoritate publica ista contingat, nunquam tamen in contractibus privatorum aut cogitandum sit, aut paciscendum, l. 137, § 6 ff. de verbor. obligat., imo et aliquando conditiones illas, quæ in immutationem juris publici conferuntur, adeo abominati sunt veteres jureconsulti (cur non ita abominari ecclesia debeat, quæ contra jus publicum ab ecclesia firmatum adjiciuntur?) ut veluti tristes, et ominosas rejicerent, l. 49, § 2 et 3 ff. de legat. 2, § 2 institut. de inutil. stipul., atque hoc est, quod ajebat Ulpianus in l. 39, § ult. ff. de legat. 1, ea, quorum dispensatio ex voluntate principis pendet, nullo modo posse privatorum contractibus subjici. Huc facere potest, quod tradebat olim Paullus in l. 35, § 1 ff. de verbor. obligat., proposita specie illius, qui sponsalia cum sorore adoptiva contraxerat; etsi enim conjugium sublata per emancipationem civili cognatione sperari commode potuisset, tamen contra mores id statim esse adfirmabat. Quæ cum ita sint, quid dubitandum superest, inutilem esse eam sponsalium obligationem, in qua talis conditio adponitur, unde immutatio juris publici aliquando futura speretur? Nemo mihi opponat generalem illam regulam, quæ docet, eventum conditionis retrotrahi ad tempus, quo quidquam gestum est, proindeque in proposito obtenta dispensatione pontificia ita rem se habere, ac si consensionis tempore idonei jam fuerint contrahentes. Equidem hæc regula valeret, quoties non ageretur de conditione, quæ idoneitatem afficeret contrahentium, sed ex. gr. de ea conditione, qua rerum dominia transferrentur in eum casum, quo transferri commode possent, item quoties non ageretur de conditione, quæ res afficeret minime ominosas. At in proposito conditio illa personas ipsas minime idoneas afficit, et ad rem mali ominis, et contra leges publicas peragendam refertur. Revera qui sponsalia ita contraxerunt, agere ipsi in persona propria cœperunt, dum et de contrahendo matrimonio ante obtentam dispensationem consenserunt, et conditionem ipsam pacto suo adjecerunt. Hæ actiones non ab aliis fieri poterant, quam ab iis, qui tempore contractus jam idonei essent ad agendum, non etiam ab iis, qui idonei postea fierent, contra quam contingat in re in pactum deducta, quæ dari interea non potest; nam in hac recipitur, ut eveniente conditione, qua dari possit, conditio retrotrahatur, quia sufficit rem posse dari eo tempore, quo danda est, quasi res patiatur tantum quidquam in se geri, non ipsa agat, et contractum informet.

QUÆSTIO IV.

An valeant sponsalia ita contracta, ut paterfamilias alicui generaliter unam ex pluribus, quas habet in potestate, filiam spondeat?

Proposita species longe admodum distat ab ea, quam tractat Alexander III in c. 4 de sponsalib. ubi quis filiam suam uni ex filiis L. daturum uxorem spoponderat, adjecto pacto, quo si sponso designato quocumque casu contingente non nuberet, alteri filio ejusdem L. ducenda concederetur; in hoc enim themate jure rescripsit Alexander, subsistere quidem sponsalia respectu prioris filii, non respectu posterioris, etiamsi non fuissent nuptiæ cum priore contractæ; fit enim perspicuum, per sponsalia certa cum priore filio inita subortum statim fuisse, ut vocant, impedimentum publicæ honestatis, quo sponsa fratrem sponsi ducere legibus prohibetur. Longe, inquam, diversum thema est sponsalium contractorum, quibus paterfamilias nullam ex pluribus, quas habet, determinate filiam spondeat, at generaliter unam ex illis: siquidem nihil obesse videtur quominus ista sponsalia valeant, dummodo supponamus, filiarum omnium in contractum hujusmodi consensionem sive expressam, sive tacitam accessisse, cum hodie receptum sit, non aliter sponsalia valere, quam si consentiant ii, qui matrimonium sunt contracturi. Videtur profecto illis sponsalibus hæc adjecta conditio, ut si non una, altera ducenda tradatur: neque opponatur publicæ honestatis impedimentum, quia si ex. gr. promittens non primam ducendam concedat, sed secundam, non impedit publica ho-

nestas, secundam duci ab eo, qui nunquam sponsus extitit primæ, argumento c. 8 de sponsalib. Id videtur perspicue tradidisse Bonifacius VIII cum definivit, ex sponsalibus incertis, vel sub conditione contractis nullam oriri justitiam publicæ honestatis, c. un. de sponsal. in 6. Ex sponsalibus ita contractis ea nascitur obligatio, ut pater unam, quam ipse maluerit, filiam ducendam exhibere teneatur, cum electio juxta generalia juris principia ad promissorem, non ad stipulatorem pertineat, c. 70 de regul. jur. in 6, ita tamen, ut si unica ex filiabus supersit, ea necessario sit concedenda, argumento l. 34, § 6 ff. de contrah. emt. Quod si sponsus unam ex illis velut uxorem habuerit extra matrimonii caussam, ceterarum sane respectu ob superveniens adfinitatis vinculum nullum effectum poterunt habere sponsalia, quoties tamen de prima agatur, ego non dubito, quin sponsus eam ducere teneatur patre postulante; sed si pater recuset, non dubito etiam, quin pater cogi non possit ad eam tradendam, utpote qui facto sponsi jure eligendi privari, nequiverit; imo nec puto, in iis provinciis, in quibus promulgata non sunt concilii tridentini decreta ses 24 de ref. matrim. c. 1 incipere esse conjugium dissentiente patre celebratum illicite quidem, sed valide inter sponsum et cognitam puellam, quia nulla sponsalia certa præcesserant; imo cum pater ipse puellæ dissentiat, ita res se habet, ac si nunquam sponsalia inita fuerint, quoniam sponsalibus illis ea conditio inerat, si pater eam puellam jungi voluisset, et conditione hac deficiente sponsalium quoque vinculum omnino deficere necesse est. At vero si nulla intelligantur præcessisse sponsalia, frustra hic locum habet ea regula, quam superius in quæstione 1 præstitui sponsalia secuta copula in matrimonium transiisse ante tridentinum concilium, aut etiam hodie transire in illis provinciis, in quibus promulgatum non est tridentinum decretum c. 1 de ref. matrim. ses. 24. Fingamus nunc aliam non absimilem speciem; nimirum non aliquem unam ex pluribus filiabus suæ potestati subjectis ducendam uxorem spondere, sed potius aliquem promittere, se unam ex pluribus in eum contractum consentientibus in uxorem ducturum, ita ut contractus ab hujusmodi promissione incipiat. Valebit quidem sub conditione contractus, in quo sane in ipsum promittentem ab ipsis puellis consentientibus translata videtur eligendi potestas. Quamobrem si una ex istis a sponso cognita proponatur, non dubito tunc, quasi purificata electionis conditione, sponsalia in matrimonium transire potuisse olim ante tridentinas constitutienes, aut transire etiam hodie, ubi memoratum tridentinum decretum non obsistat, videlicet si sermo sit de provineiis illis, in quibus illud non fuit promulgatum.

QUÆSTIO V.

Qualis fuerit sententia Alexandri III in cap. 16 de sponsalibus?

Quidam post contracta sponsalia, eademque jurejurando firmata, ductus privata lege ad frugem melioris vitæ transire anhelabat. Consultus Alexander III rescripsit, *tutius esse ei religione juramenti servata prius matrimonium contrahere, et postea si elegerit, ad religionem migrare, si tamen post desponsationem copula non dignoscitur intervenisse carnalis.* Non defuerunt, qui inde occasionem arriperent notandi Alexandrum, quasi de nimia, et plus æquo provecta religione, dum veritus, ne jusjurandum violaretur, ad contrahendum conjugium obligare voluerit eum, qui in eo ipso conjugio fidem conjugis dare propemodum fingeret, revera non daret, utpote statim a conjuge recessurus, et in monasterium se recepturus. Ferre non possum malignam hanc notam in pontificem prudentissimum, quando novi, Alexandrum perpetua et constanti sapientia polluisse, sive ante susceptum pontificatum, cum difficillimis legationibus fungeretur apud principes, Fridericum imperatorem, et Willielmum Siciliæ regem, sive post susceptum pontificatum, cum inter salebrosa schismata summa prudentia versatus est, usque ad conciliandam publicam et pacem, et securitatem. Blanda nimis verba sunt eorum, qui illud rescriptum notaverunt, et ab iis edita, qui rem propositam tantum in corticè intuiti visi sunt, non intimam rescribentis sententiam consideravisse, eove minus adjuncta illius temporis, ad quæ sane rescriptum exigendum est, investigasse; quæ omnia ubi nos perpenderimus, facile judicabimus, æquissimam fuisse rationem Alexandro, cur eam sententiam pronunciaret. In primis sedulo animadvertendum est, sæculo duodecimo et decimotertio adeo frequens in contractibus, præsertim in sponsalibus, adjici consuevisse jusjurandum, ut vix contractus iniretur, qui non eo sacramento confirmaretur, cap. 4, 5, 9, 10, 12, 13, et passim de sponsal., cap. 3, de condit. adposit., cap. 6, qui cler. vel. vov. cap. 7 et sequentibus de jurejuran. Eam ob rem ob jurandi facilitatem, et fere quotidianum usum contemnebatur vulgo jurisjurandi religio, c. 10 de jurejur. ut enim ait Isidorus in can. 13, caus. 22, qu. 1; *dum jurandi usum facimus, perjurii crimen incurrimus.* Qui vero religiosiores videri volebant, variis prætextibus datam fidem, et jurisjurandi vinculum fallere meditabantur, allegantes inter cetera, se velle ingredi in monasterium, non sane quod serio deliberarent de professione religiosa, sed quod nullum non lapidem moverent, ut quandam haberent perfidiæ suæ excusationem, argumento cap. 5 qui

clerici vel vov. Decebat profecto, gravissimo huic animarum periculo pontifices maximos occurrere, qui quotiescumque sese offerebat occasio, nihil antiquius habebant, quam ut jurisjurandi servandam fidem prædicarent, eo usque, ut etiamsi, aut non efficax esset obligatio, cui jusjurandum accederet, aut fere inutile videretur datam fidem implere, nihilominus, dummodo in implenda fide nihil turpe, aut inhonestum admitteretur, fidem implendam clamarent, quo tandem fieret, ut fideles cautius jurarent, et a perjuriis abstinerent. Egregium exemplum est apud eumdem Alexandrum III in cap. 6 de jurejur. in eo, qui usuras sacris canonibus improbatas se soluturum promiserat. Definitur quidem, eundem non alias esse cogendum, quam si interfuerit jusjurandum, quamquam deinde solutas usuras tamquam indebitas repetere valeat. Quid juvat, inquies, solvere, quod statim quisquam sit recepturus, l. 55 ff. de solution.? Juvabat tamen plurimum ex maximorum pontificum sententia, si non res contrahentium jurantiumque privatas, publicum revera bonum religionis, cui ex facilitate perjuriorum non mediocre vulnus infligebatur. Hinc idem Alexander in ea materie tanquam principium a se quandocumque sequendum constituerat, semper jusjurandum esse servandum, uno excepto casu, quo jurisjurandi executio vergeret in dispendium salutis æternæ, cap. 8 de jurejur., imo et in proposita specie de sponsalibus jurejurando firmatis, a quibus dissensu mutuo sponsi resilire vellent, tradidit, vix in patientia id se tolerare, cap. 2 de sponsalib., quemadmodum jam superius observabam. Itaque etsi nihil aliud in medium adduceretur, jam solida ratione firmatam Alexandri III sententiam in dicto cap. 16 agnosceremus. Esto, inutile futurum sponso, imo minus opportunum, quod per contractum de præsenti in conspectu ecclesiæ serio ineundum a vita monastica, quam meditabatur suscipiendam, distraheretur; esto præterea, id proximum videri mendacio, quando tamen revera mendacium non est, ubi sponsæ ita duci, ut a conjuge statim dimitteretur. Esto id inutile futurum sponsus eam voluntatem sponsæ pandit, et nihilominus sponsa postulat, fidem datam meliore modo, quo fieri potest, impleri: eminebat super hæc publicum religionis bonum, tunc temporis plurimorum perfidiæ nimis obnoxium; nec novum est, ubi gravissimæ emergunt caussæ, nulla habita boni, et æqui ratione, summum jus, et subtilissimum custodiri, in quo ceteroqui custodiendo quibusdam in casibus nonnihil asperum, forte etiam minus congruum, dummodo non turpe, aut inhonestum, admitti videtur. Ceterum et alia juvat in proposito animadvertere: nimirum cum receptæ essent plurimæ caussæ, ex quibus liceret alterutri sponso a data fide recedere, inter ceteras autem esset probatissima ingressus in religionem, ob quam et ipsum fortius matrimonii necdum consummati vinculum dissolvi traditum non ignorabant, nonnulli post datum sponsalium fidem, eamque jurejurando firmatam, pœnitentia ducti, ut honeste recedere viderentur, sibi legitimas caussas esse profitebantur, inter ceteras se religionis ingressum meditari, non sane quod ita sincere meditarentur, sed quod ea ratione a se aversuros sperabant alterius sponsi animum, imo et prorogando tempora defatigaturos eo usque, donec sponsus alter aliud sibi conjugium quæreret, quo secuto qui monasticæ vitæ olim studiosissimus adparebat, et a conjugali vita alienus, statim et ipse alium sibi conjugem quæreret, et propositum monasticæ professionis non tam abjiceret, quam se nunquam habuisse manifestis indiciis declararet. Non hæc temere dicta sunt, nec conjecturis tantummodo innituntur; etenim rursum exemplum hujus rei perspicuum profero et apud eundem Alexandrum III, a cujus temporibus ita suadente recta interpretatione non recedo, in cap. 5 qui cler. vel voven. ubi cum mulieri cuidam post sponsalia contracta sponsus semel electus displicuisset, non continentiæ servandæ desiderio, sed ne cogeretur eidem sponso nubere, ipsa in manibus cujusdam eremitæ votum continentiæ elicuit, quin tamen aut locum, aut vestem mutaret; propterea que cum his tergiversationibus sponsum eo adduxisset, ut aliam sibi conjugem sociaret, et ipsa statim animi secretum prodidit, postulans, ut alias nuptias sibi inire liceret. Hæ sane fraudes, quibus et sponso dimisso injuria fiebat, et ementiti continentiæ voti gravis emergebat abusus, religiosique propositi contemtus, non erant ullo modo ferendæ, præsertim ubi jusjurandum sponsalibus accessisset. Quamobrem nemo non videt, in his caussarum adjunctis nonnisi prudentissime stabilitum a pontifice maximo fuisse, eum, qui meditabatur religionem ingredi, postulante sponsa et sponsalium et jurisjurandi fidem datam impleri, teneri primum ad matrimonium contrahendum, deinde si voluerit, posse ad monasterium transire; ita enim fiebat, ut non aliter a sponsalibus resiliret, quam si revera et serio monachus fieri voluisset, imo et si professio non sequeretur ob datam jam conjugii fidem, illi, cui olim fidem suam jurejurando obstrinxerat, et non alii jungeretur uxori. Dicat nunc quisquam, cui satis placere non potuit Alexandri III rescriptum, quacumque et sponsalium et jurisjurandi obligatione solutum esse, qui monasticam vitam elegit, quoniam et a matrimonii esset obligatione solutus, si matrimonium contraxisset. Ego reponam, non aliter sufficere ad solutionem contractæ obligationis monasticæ vitæ electionem, quam si cum effectu monastica professio subsequatur. At

quoties prætextu monasticæ vitæ eligendæ quis a vetere sponsalium vinculo solutum se putet, ut alio se obstringat, non est a sacris canonibus ferenda hujusmodi disciplina, quæ in fide data non in melius commutanda, sed verius in frangenda, violandaque consistat. Atque, ut adhuc clarius constet, eo spectasse mentem Alexandri III in dicto cap. 16, observo in primis, directum fuisse rescriptum ad exoniensem in Anglia episcopum, ad quem alio in loco rescribens Alexander idem III in cap. 4 de convers. conjugat. in notis adjectis testari visus est, in Anglia monasticam disciplinam paullo corruptam fuisse, dum scribit: *aliquando bonus monachus vix bonum clericum facit.* Deinde observo in eodem cap. 16 dici, *sponsum privata lege ductum suspirare, ad frugem melioris vitæ transire.* Legem privatam vocavit Alexander eam, qualis sub nomine Urbani II describitur in can. 2, caus. 19, quæst. 2, legem sane nunquam a sacris canonibus comprobatam, imo etiam manifeste improbatam in can. 2 et 3, caus. 19, qu. 3, neque enim laudatus canon. 2, caus. 19, quæst. 2 vere Urbano II tribui potest, quemadmodum alias observavi in meis lucubrationibus in codicem Gratiani. Erat illa lex privata adeo dubia et incerta apud judices ecclesiasticos, ut totum negotium arbitrio ejus dirimendum relinqueretur, qui se eadem lege duci quomodocumque profiteretur, et adeo eidem ampla facultas concederetur, ut nulla cohiberi posset auctoritate, aut judicavi, cujus legis privatæ vis magni fiebat temporibus Alexandri: tanta tunc erat gratianeorum monumentorum auctoritas. Allegabat ergo sponsus apud Alexandrum III legem privatam, qua se duci ad frugem melioris vitæ adfirmabat, legem, inquam, privatam, de qua nemini rationem se reddere credebat ob auctoritatem, ut dixi, canonis gratianei. Qua in re suspicio vehemens suboriri poterat, ut sponsus non serio de amplectenda vita monastica cogitaret, sed potius sponsam fallere meditaretur, quod magis magisque conjicitur ex illis laudati capituli verbis, *ad frugem melioris vitæ*, quæ sane utpote generalia poterant quidem tiam de monastica vita intelligi, non tamen ad unam monasticam vitam necessario referebantur, ut aliam capere non possent non incommodam interpretationem. Prosequitur Alexander, et ait, *tutius ei esse prius contrahere,* neque enim rescribit, omnino ad contrahendum teneri, sed tutius facere, quasi dicat, juxta generales juris regulas per ingressum in religionem dirimi quidem sponsalium vinculum, obligationemque dissolvi: attamen cum satis non constaret de sincero animo religionem profitendi, et potuisset suboriri suspicio, ne a sponsalium fide, et abs jurejurando ideo eo prætextu recederet, ut liber ad alias nuptias convolaret, uti contigisse noverat idem Alexander in specie dicti capituli 5 qui clerici vel voventes, ad hanc suspicionem diluendam satius conducere, si primum sponsus matrimonium contrahat, deinde ad monasterium libere pergat. Duas adjecit conditiones pontifex max. Prior est in illis verbis, *si elegerit*, quæ sane adjectio supponit, Alexandrum in ea mente, aut saltem suspicione fuisse, qua putaret, non satis firmam fuisse sponso voluntatem religiosæ emittendæ professionis. Posterior est, *si tamen post desponsationem copula non dignoscitur intervenisse carnalis;* et quidem recte adjecta; etenim tunc temporis, quo nondum trid. concilii disciplina obtinebat, receptum fuerat, quemadmodum superius tradidi, sponsalia per subsequentem copulam in matrimonium transire; nemo autem ignorat, post consummatum matrimoriam non licere conjugi invita conjuge monasterium ingredi, atque ibidem religiosam vitam inter monachos profiteri, c. 2 et 3 de convers. conjug. Denique observo, nihil omnino fraudis admittendum fuisse ab eo sponso in conjugio contrahendo cum injuria uxoris. Puto enim, sponsum illum non primum ad Alexandrum pontificem confugisse, quam voluntatem suam apud sponsam patefecisset, a qua liberari facile potuisset, si consensisset. Non poterat autem conqueri sponsa, si propositi illius conscia petiisset contrahi interea conjugium, post quod sponsus ad monasterium converteretur. Hanc arbitror germanam esse Alexandrini rescripti interpretationem, utpote et temporis illius, et facti propositi adjunctis maxime consentaneam, unde facile intelligitur, quam prudenter pontifex idem maximus interroganti rescripserit.

QUÆSTIO VI.

An violatio alienæ sponsæ tamquam adulterium censeatur.

Alienæ sponsæ violatio uti singulare nomen in jure non habet, a stupro adulteriove distinctum, ita neque singularibus pœnis coercetur distinctis ab iis, quibus adulterium, stuprumve damnatur. Hinc locus aperitur disputationi, an eidem adulterii potius nomen, quam stupri magis congruat, proptereaque adulterii potius, quam stupri pœna censeatur indicta Primo obtutu positum esse videtur flagitium illud, quasi medium inter utrumque; etenim si dicas, stuprum in virgine, vel vidua, idest in muliere ab omni nexu soluta committi, talis dici nequit violatio sponsæ, quando sponsa jam quodam vinculo respectu sponsi tenetur, utpote cui jam fidem suam obstrinxit; si dicas, adulterium in nupta committi, neque talis dici proprie poterit violatio sponsæ, quando hæc necdum nupta dici potest, sive necdum fidem sponsalium olim datam

implevit. Nihilominus tamen quum vel ad unum, vel ad alterum flagitium referenda est, puto violationem illam adulterii potius, quam stupri jure censeri, propterea quod ita suadeat in primis naturalis æquitas, deinde ita constituerint veteres romanorum leges, denique et id sacrorum canonum definitionibus magis congruere videatur.

Ut primum dicam de naturali æquitate, quæ sane turpitudinem adulterii a turpitudine stupri secernit, et non tam constituit, adulterium stupro gravius esse, quam diversam in adulterio ab ea, quæ in stupro est, speciem criminis fingit, observo, stuprum naturæ lege damnari, quod sit contra naturalem honestatem, minime patientem commisceri mulierem cum eo, cum quo nulla fides conjugii intercedit; ac proinde cum quo tantum libido veluti dominatrix affectum exercetur, non præcipua est suscipiendæ, educandæve prolis ad familiæ propaginem cogitatio; ast in adulterio illud esse amplius turpitudinis, quo data fides violetur; unde fit, ut stuprum sit tantum contra continentiæ bonum, adulterium et contra bonum continentiæ, et contra justitiæ leges. Quæ cum ita sint, violationem alienæ sponsæ simplicis stupri prætergredi speciem, et in adulterii potius speciem abire credendum est, quoniam illam duplicem habet turpitudinem, primum quod sit contra bonum continentiæ, deinde quod sit contra præstitam sponsalium fidem. Forte dices, violationem nuptæ graviora inferre in rempublicam incommoda, sive quod atrocior sit in maritum, quam in sponsum injuria: sive quod per illud flagitium sanguinis jura turbentur, fiant partus suppositiones, adulterinæ stirpes inserantur alienæ familiæ, verisque heredibus hereditates intervertantur, marito sæpe hostis infensissimi sobolem nefaria conjunctione procreatam tamquam suam agnoscente, alente, ad successionem vocante, vel ab intestato heredem habente, qualia incommoda metuenda non sunt, quoties sponsa necdum uxor violatur. Verum quid si ego in contrarium opponam alia æque gravia adversus datam sponsalium fidem incommoda? Quid si etiam dicam, pleraque, quæ in nupta violata contingunt, aut contingere, aut timenda esse in sponsa? In primis gravissimum est, quod in sponsa violata contingit, et quod non æque facile contingeret in nupta; nimirum sponsa cum extraneo congressa eo facilius incipit violandæ fidei assuescere, quo remissior est sponsalibus quidem erga sponsum conciliata, nondum autem conjugio firmata necessitudo, ac benevolentia; imo et exinde verendum maxime erit, ne sponsa post conjugium ei adhærere turpiter pergat, quem præferre sponso non erubuit. Secundo pleraque incommoda, quæ in nupta contingunt, aequis fide sua securum quemquam faciat, ne contingant in sponsa? Solet non diuturnum fluere tempus inter sponsalia, et conjugium. Nonne igitur facile, et supponi partus poterit, et familia turbari, et adulterini heredes pro suis obtrudi, et ipsa, siquæ forte sint, primogeniorum jura ad spurios legitimis postea editis exclusis transmitti? Sed esto: sint illa omnia incommoda in violatione nuptæ singularia. Quid inde? Demonstrabitur quidem, violationem nuptæ majorem in se turpitudinem præseferre, quam violationem sponsæ, non vero violatio sponsæ a nota adulterii vindicabitur. Nonne in una adulterii specie, sicut in aliis quibuscumque scelerum speciebus evenit, sunt adulteria quædam aliis quibusdam adulteriis graviora? Finge nuptam, aut dissociato ante consummationem, ut ajunt, conjugio ob religiosam mariti professionem, aut dissociato conjuge ob privatum contientiæ bonum, aut sterilem, aut eam, quæ ob ingravescentem ætatem nullam amplius spem habeat liberorum. Num adulterium ab ea perpetratum adulterium esse desinet, quod ea omnia designata improba adulterii consectaria locum non sint habitura? Violatio fidei olim datæ præcipua caussa est, ex qua adulterium dicitur: qui ergo voluerit a crimine adulterii corruptam sponsam liberare, doceat primum necesse est, fidem in sponsalibus nullam præstari. Forte iterum dices, sponsalium fidem non esse adeo validam, quam sit fides conjugii, quasi illa facilius, quam isthæc rescindi possit. Et id ego fateor. Ast quando fidei violatio adulterium dicitur, quemadmodum nullum adulterium est, quoties non violetur fides, ita concludi tantum poterit, gravius esse adulterium, ubi validior, minus grave, ubi minus valida fides violatur; semper tamen quamcumque violationem fidei verum adulterium esse. Quid amabo aliud responderent qui contra opinantur, si ego simili argumento demonstrarem, adulterium tantum committi in nupta recentioribus sæculis, non vero commissum fuisse ætate illa, aut apud illas gentes, quibus divortia conjugum permittebantur, ac dicerem: firmius hodie conjugium est, quam esset olim: ergo hodie violatio nuptæ adulterium erit, non erat olim? Damnabunt ipsi mores illorum, qui conjugii fidem sine caussa dirimerent, licet leges publicæ in dirimentes non animadverterent. Damno et ego eos, qui fidem sponsalium sine caussa dissolvant, licet leges publicæ in dissolventes non animadvertant. Forte denique dices, per sola sponsalia nondum factam esse corporum potestatem, et sponsam quasi suæ adhuc potestatis in se delinquere, non in sponsum, unde et adulterium dictum quasi ad personam alterius accessionem; imo, et ex eadem ratione adulterii non damnari sponsam, si neglecto sponso alteri nubat, licet fidem sponso datam etiam tum violet. Neminem, ut arbitror, movebit argumentum a nominis derivatione petitum; ete-

nim nominis derivatio deduci solet ex eo, quod plerumque contingit, non ex eo, quod si locum non habeat, statim tale non habeatur; sic ut exemplum tradam, furtum et manifestum, et non manifestum dicimus, quamquam, ut ajebat Paullus ex sententia labeonis in l. 1 ff. de furtis, furtum a furvo et nigro dicatur, quod clam et obscuro fiat, et plerumque nocte. Addere possem etiam sponsam quoquomodo alterius dici, quod alteri jam fidem suam obstrinxerit. Fateor quidem, in sponsalibus nondum factam corporum potestatem. Adhuc probandum erit, hanc factam potestatem requiri, ut adulterium dicatur. Proposuerat prætor edictum de servo *alieno* corrupto, l. 1 ff. de servo corrupto; cumque quis corrupisset servum hereditarium, quæsitum fuit apud Ulpianum in l. 13, § 1 eod. tit., an ea actione teneretur, quasi servum corrupisset, qui nondum esset in heredis dominium, potestatemque translatus; id nihilominus affirmavit jureconsultus. Ex quo colligo, sæpe etiam alienum dici id, quod quis proxime futurum sperat, ut nanciscatur. Cur non eadem ratione adulterii accusabitur sponsa a sponso, qui jam certum jus, seu magnum spem matrimonii ob datam sponsalium fidem in sponsam quæsivit. Præterea fateor, sponsam alteri nubentem in adulterium minime incidere, licet eo ipso datam sponsalium fidem fallat. At longe diversa est ratio matrimonii cum aliena sponsa contracti, et sponsæ extra caussam matrimonii violatæ. Dum alteri nubit aliena sponsa, non tam datam fidem violat, quam rescindit, et novam fidem priore firmiorem marito præstat, quo fit, ut data sponsalium fides ipso jure resolvatur, cum in eum casum deveniat, quo subsistere amplius nequeat. At cum sponsa aliena extra caussam matrimonii corrumpitur, integra adhuc manente fide sponsalium, in ipsam adhuc consistentem fidem delinquitur, quod proprie adulterium est. Exemplum fere simile proferri potest in eo, qui rem venditam uni, nondum traditione facta, alteri vendit et dat. Furtum sane non committit secundus emtor, cum in re non aliena seu primi emtoris contrahat, sed in re tantum primo emtori promissa, et dominium adquirat legitimo titulo, qualis est titulus emptionis. At si rem alteri promissam furto per dolum subtrahat, furtum non solum admissum censebitur adversus venditorem, sed etiam adversus emtorem, unde emtor actionem furti sibi cedi a venditore recte postulat, ut furem conveniat, l. 14 princip. ff. de furtis, l. 31 ff. de action. emti.

Spectant hæc naturalem æquitatem. At si quæstio exigatur ad veteres romanorum leges; clarius exinde constabit, adulterium in proposito admitti. Non istud expresse constitutum fuerat in lege julia de adulteriis coercendis; eamque ob rem iniri disputatio potuisset ab interpretibus legis, an sponsæ violatio veniret nomine adulterii a lege julia damnati. Primus id perspicue tradidit imperator Alexander Severus in l. 7 cod. ad leg. jul. de adult. his verbis: *Propter violatam virginem adultam, qui postea maritus esse cœpit, accusator justus non est, et ideo jure mariti crimen exercere non potest, nisi puella violata sponsa ejus fuerat.* Post hoc rescriptum, jureconsulti non amplius dubitarunt, violationem sponsæ adulterii jure censeri. Quamobrem Ulpianus in l. 13, § 3 ff. eod. scribit: *Divi Severus et Antoninus rescripserunt, etiam in sponsa hoc idem vindicandum; quia neque matrimonium qualecumque, nec spem matrimonii violare permittitur.* Deinde in § 8. *Si minor duodecim annis in domum deducta adulterium commiserit, mox apud eum ætatem excesserit, cœperitque esse uxor, non poterit jure viri accusari ex eo adulterio, quod ante ætatem nupta commisit, sed vel quasi sponsa poterit accusari ex rescripto divi Severi, quod supra relatum est.* Ad hujus § interpretationem duæ species proponi possent. Prima est, quam ego adfingo, ductam fuisse puellam minorem duodecim annis, quacum tamen sponsalia præcesserant. Irritum erat matrimonium caussa ætatis, sed non irrita erant sponsalia, quæ præcesserant. Si ergo Ulpianus ait, eam puellam violatam accusari de adulterio posse tamquam sponsam, ex rescripto Alexandri; quid dubitationis amplius superest in præsentia, ut concludatur, verunt in ea specie adulterium admissum censeri? Altera species est, quæ ab iis fingitur, qui putant, matrimonium irritum jure sponsalium sustineri, ex præsumpta contrahentium voluntate. Id in præsentia ita opinantibus concedatur. Quid inde? Si adulterium dicitur admissum contra sponsalia præsumta, nonne idipsum potius dicetur in data expresse sponsalium fide, ne alias plus operetur præsumtio, quam rei veritas? Istud ipsum legibus suis longobardi definiverunt. Nam in lib. 2 leg. longobard. tit. 1, leg. 2 ita habetur: *Si dixerit sponsus de sponsa sua, postquam eam sponsaverit, quod adulterata sit, liceat eam parentibus purificare .... et si parentes .... mundare non potuerint, tunc sponsus recipiat res suas, quas dederit, et illa patiatur pœnam adulterii, sicut in hoc edicto scriptum est.* Item in lib. 1 earundem legum titul. 31, leg. 14 de raptore alienæ sponsæ, quasi de adultero sententia fertur, ibi: *Raptor vero adulterii criminis reus censeatur.* Sunt istæ perspicuæ juris definitiones, juxta quas etiam glossographi veteres ad laudatas juris romani leges similiter scribere non dubitarunt, imo nec dubitarunt cultiores romani juris interpretes, inter quos merito laudo Cujacium in lib. 6, observ. cap. 16. Non adeo presse ista persequerer, si compertum mihi non fuisset,

Joannem Voetum ad tit. 5, lib. 48. Pandectarum num. 9 in contrariam ivisse opinionem, et in hanc plures ex recentioribus adtraxisse. Ait in primis Voetus, adulterium tantum in matrefamilias et nupta committi, qualis sponsa dici nequit, l. 13, § 6 cui jungi potest lex 6, § 1 ff. ad leg. jul. de adulter., et lex 225 ff. de verbi signif. Secundo ait, verum esse in nonnullis negotiis sponsam uxori in jure æquiparari, non tamen in omnibus, nec propterea in proposita specie, in qua de sanctione pœnali agitur, cujus interpretatio non est facile extendenda, l. penult ff. de pœnis. Adjicit tertio, tradidisse Papinianum in l. 11, § 7 ff. ad leg. jul. de adulter., novam rem instituere eum, qui velit adulterii eam sponsam accusare, quæ alteri nupsit, ex quo concludit, Papinianum miratum fuisse, quod quis crederet, ex sola violatione fidei sponsalium adulterium dici. Denique accedens ad interpretationem tum rescripti Alexandri Severi, tum responsorum Ulpiani, a me superius laudatorum, tradidit, in iis legum monumentis damnari sponsæ factum, non tamen veluti adulterium, sed veluti stuprum, quod etiamsi adulterium diceretur, adulterii nomen latissime sumi, prout et stupra convenit, quoniam lex julia nomina stupri, ed adulterii promiscue usurpavit, l. 6, § 1 ff. ad leg. jul. de adulter., ac tandem rescriptum Alexandri in l. 7 cod. hoc tit. non ad accusationem adulterii pertinere, sed ad privatam injuriæ vindictam, quam sponso concedi caussa injuriæ in sponsam illatæ, traditur in l. 15, § 24, l. 18, § penult. et ult. ff. de injuriis. Cetera non memoro in contrarium prodita argumenta, utpote quæ jam ex iis, quæ superius disputata sunt, satis arbitror confectum iri.

Quod primo loco dicitur, adulterium tantum in matrefamilias, ac nupta committi, sicuti stuprum in virgine, vel vidua, id verum est juxta leg. 6, § 1 ff. ad leg. jul. de adulter., et leg. 225 ff. de verb. signif., seu juxta sententiam Papiniani et Triphonini. Rogo autem eos, qui his monumentis utuntur, ut observent. Papinianum æque, ac Triphoninum coævos jureconsultos scripsisse ante rescriptum Alexandri Severi, argumento l. ult. ff. de jure fisci, quo rescripto siquæ subesse in hac re dubitatio apud jureconsultos potuit, fuit omnino sublata. Quamobrem frustra allegarentur horum jureconsultorum responsa, postquam aliud recentioribus principum constitutionibus quidquam definitum adparet. At neque eo abeundum puto, ut concludam, laudatis jureconsultis aliud visum fuisse. Nam quando Triphoninus tradidit, in matrefamilias adulterium admitti, recte addidit *aliena*, secus et in vidua admitti credendum esset, quod et hæc matrefamilias a Papiniano appelletur in l. 10 ff. ad leg. jul. de adulter. Quid ni igitur quando Papinianus ait, in virgine stuprum, non adulterium admitti, et ego subaudiam virginem non omnino alienam, sive solutam ab omni vinculo etiam sponsalium? Addo, Papinianum in dicta l. 6, § 1 definivisse et stuprum, et adulterium juxta generales regulas; et quando de sponsa ne verbum quidem adjecit, visus est non sponsam ab adulterii crimine immunem facere, sed de ea nullam instituisse quæstionem, de more illorum, qui dum prima quædam principia, seu definitiones tradunt, abstinent a disputationibus quarundam controversiarum, quæ paullo sint difficiliores, minusque expeditæ. Quod si loquar de sententia Triphonini in dicta l. 225 ad id minime pertinet jureconsulti responsum, totum in illud collatum, ut investigaret, an qui animum tantum haberet matremfamilias violandi, non revera violaret, dicendus esset adulterii reus. Quod spectat legem 43, § 6 ff. ad leg. jul. de adul. nihil aliud ibidem traditum video ab Ulpiano, quam non posse nuptam accusari de adulterio, quod ante celebratas nuptias commisit; ante nuptias inquam, nimirum ante datam quamcumque nuptiarum fidem seu de præsenti, seu de futuro; ita enim interpretari quisque Ulpianum debebit, ne sibimet adversari jureconsultus videatur in eadem lege, in cujus § 4 et 8 statuit, adulterium etiam e sponsa admissum æque ac admissum a nupta vindicari.

Quod secundo loco dicitur, non in omnibus caussis sponsam uxori æquiparari, eove minus in pœnalibus, admitti sane non potest in proposita specie, in qua perspicuam legem habemus, non legem extendendo interpretamur, sed legis ipsius expressa verba proponimus. Et quando liquido id constat ex laudato Alexandri Severi rescripto, quid amplius dici in contrarium potest? Sed et adhuc adjiciendum puto, etiam quandoque evenire, ut leges pœnales ab expressis ad non expressos casus extendantur; quando nimirum licet verba legis expressa non sint, ad eos tamen videtur legis sententia pertinere. Cum enim singulos casus nequeat lex aperte exprimere, bona occasio est, ut ait Ulpianus in l. 43 ff. de legib. cetera, quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione, vel certe jurisdictione suppleri. Neque desunt in hoc ipso proposito similia argumenta: lex pompeja de parricidiis pœnam tulerat in eum, qui occidisset uxorem. De sponsa nihil dictum; at ad sponsam lex pompeja et ipsa pœnalis protracta est. Ita Marcianus in l. 3 ff. ad leg. Pomp. de parricid. *Sed novercæ, et sponsæ personæ omissæ sunt, sententia tamen legis continentur*, erat quoque generalis juris disciplina, qua maritus poterat injuriam in uxorem illatam in judicio persequi. Attamen eam disciplinam utut pœnalem non dubitavit Ulpianus ad sponsam extendere in l. 13, § 24 ff. de injur. inquiens: *Sponsum quoque ad injuriarum actionem ad-*

mittendum puto. Notatu sane dignum est verbum illud *puto*, quod indicat, Ulpianum lege scripta destitui, et in eo se merum legis interpretem agere.

Quod tertio loco proponitur ex Papiniano in l. 11, § 7 ff. ad leg. jul. de adulter. ex iis, quæ hucusque disputata sunt, nihil negotii facessit. Nam in primis etiamsi Papinianus propositam quæstionem tractasset, ejus auctoritas insuper habenda videretur, utpote qui respondebat ante rescriptum Alexandri Severi. Deinde tantum abest, ut Papinianus in contrariam iverit opinionem, quin potius admisisse videatur, in violatione alienæ sponsæ committi adulterium. Propositum fuerat apud Papinianum, an jure mariti posset accusare vir eam feminam, quæ quum ei desponsa fuisset, alii in matrimonio a patre fuisset tradita. Respondit jureconsultus, rem novam propositum iri ab accusatore, qui adulterii crimen objicere desideraret; quia sane longe distat conjugii contractus a violatione facta extra caussam conjugii, quemadmodum ego superius adnotabam; at interea supposuit, rem novam non proponi in ea specie, qua non de matrimonio, sed de turpi conjunctione post inita sponsalia ageretur. Quis sane nisi hebes in proposita specie Papinianum consuluisset, nisi supponeretur, quandoque contingere, ut aliquibus probaretur, accusationem adulterii institui factis sponsalibus posse?

Restat igitur, ut tota disputatio exigatur ad explicationem rescripti Alexandri Severi in l. 7 cod. ad leg. jul. de adulter. quod recensuit Ulpianus in l. 13, § 5 et 8 ff. eod. tit. Ait Voetus, improbatam fuisse Alexandri rescripto, damnatamque violationem sponsæ, non vero tanquam adulterium habitam fuisse, item actionem, quæ exinde competit sponso, non aliam actionem esse, quam injuriarum. Dissonant hæc a sententia Alexandri in dicta l. 7, dissonant præterea a mente Ulpiani in dicta l. 13. Num erat opus peculiari rescripto Alexandri, ut declararetur, turpe flagitium esse, quod ab aliena sponsa admitteretur? Num opus erat argumentis Ulpiani, qui postquam tradidit, in sponsa illud vindicandum ex rescripto Severi, subjunxit, *quia neque matrimonium qualecumque nec spem matrimonii violare permittitur*? Quod si ad privatam injuriæ vindictam a sponso sumendam pertinet imperatoris rescriptum, cur Ulpianus in l. 15, § 24 ff. de injur. adeo castigate scripsit, se *putare*, sponsum ad injuriarum actionem admittendum? In conspectu Severiani rescripti, quod profecto Ulpianum non latebat, potuisset sane ipse id tutius adfirmare, imo et rescriptum ipsum laudando; uti laudavit in dicta l. 13 rem tanquam indubiam, et certam omnino proponere. Ut propius accedam ad rescriptum Severi, dicitur ibidem, ob violatam sponsam sponsum accusatorem justum esse, et ideo jure mariti crimen exercere posse. Verba illa *jure mariti* rescriptum intelligendum esse de vero proprieque dicto adulterio, non de stupro, in quo nulla admittitur jure mariti accusatio, aperte demonstrant. Verba illa *justi accusatoris*, item *criminis exercendi*, ad exercendam actionem injuriarum minime referuntur; nem qui injuriam persequitur sive suam, sive alienam, is agere dicitur, persequi in judicio privatum delictum, non accusare, aut crimen exercere. Qui aliter interpretantur, hallucinati sunt ex subsequentibus rescripti verbis, in quibus ait Severus, violatam puellam nec nuptam, nec sponsam posse injurias suas persequi. Non quidem inde colligendum est, de privata actione injuriarum in toto rescripto factam fuisse mentionem; sed tantum deducendum, puellam nec sponsam violatam posse in judicio agere, sive accusando de vi et stupro, sive privatam actionem proponendo injuriarum; duplex enim jus puellæ competebat, et publicum in accusatione criminis, et privatum injuriam persequendo, quodcumque autem jus appellavit recte Severus persecutionem injuriarum, quod injuriæ nomine veniat quodcumque non jure fit, l. 1 ff. de injur. et quando agebat de puella in judicio actura, modestius injuriæ nomen usurpavit, quod magis deceret, puellam in libello postulantem eo nomine uti, quam turpissimo stupri vocabulo. Rogo nunc, qui contra sentient, ut clarius Alexandri sententiam pandant. Num ponenda species de puella sponsa vi pressa, ac violata, num de puella consentiente? Si fingant, puellam consensisse, quomodo cohærebunt cum prioribus sequentia verba de non sponsa concepta, quæ admittitur ad persequendam illatam injuriam; quando ipsa in se consensione sua potius injuriam intulit? Si fingant, puellam sponsam vim passam a violatore fuisse; nescio quomodo se gerent in interpretando Ulpiani responso in dicta l. 13, § 8, in quo dicitur ex rescripto Alexandri, non violatorem sponsæ, sed sponsam ipsam jure viri accusari, quæ sane non accusaretur, nisi rea, ac proinde consentiens extitisse. Num Voeto, ejusque adseclis patuit Alexandri sententia, eademque latuit Ulpianum? Quod si puella vim passa, et post sponsalia violata, datur sponso contra violatorem actio injuriarum, quod injuria facta sponsæ in sponsi contumeliam vergat, quid erit concedendum sponso, ubi sponsa in flagitium consenserit? Sponsa tunc etiam ipsa injuriam intulit in sponsum; et quando hæc injuria similis ei est, quam nupta infert in maritum, danda erit sponso eadem, quæ marito, accusandi potestas. Aptius ego dixerim, Severi rescriptum ad utrumque casum pertinere, sive sponsa vim passa fuerit, sive consenserit, accusatione jure viri dirigenda in violatorem, si vim intulerit, dirigenda etiam

in sponsam, si ista consenserit. Nunc accedo propius ad Ulpianum, qui Severi rescriptum explicavit in dicta l. 13. Ait ille in § 3 *in sponsa hoc idem vindicandum.* Quid est *hoc idem*, nisi quod in precedente § dixerat? ibi: *sed in ea uxore potest maritus adulterium vindicare, quæ vulgaris fuerit; quamvis si vidua esset, impune in ea stuprum committeretur.* Qui in § 2 dixit, *adulterium vindicandum*, dixit in § 3 *hoc idem vindicandum.* Quid aliud ergo vindicandum, quam adulterium? Num dices, adulterii nomine aliquando stuprum venire? l. 6, § 1 ff. eod. Id quandoque contingere fateor: ibidem Ulpianum promiscue iis nominibus usum, nego; quando Ulpianus in ea lege quæstiones de stupro a quæstionibus de adulterio sejungit, neque in ea re accurate se gessisset, uti jureconsultum decebat, si non attendisset ad verborum proprietatem. In § 2 præcedente stuprum aperte ab adulterio distinguit. In § 4 subsequente distinguit accusationem jure mariti, ab accusatione jure extranei; quod et in §§ sequentibus prosequitur. Num in uno § 3 stuprum, et adulterium confudisse censebitur? Quorsum vero illa adjecta ratio, *quia neque matrimonium qualecumque, nec spem matrimonii violare permittitur*? Neque enim ista simplici stupro congruit, sed potius adulterio, quando non ob istam, sed ob aliam caussam turpe stuprum est. At in conspectu hujus ulpianeæ doctrinæ, ad quam adfertur rescriptum Severi, quis dicere poterit, aut conjicere, rescriptum idem pertinere ad privatam actionem injuriarum? Si ita esset, non aliam actionem, quam privatam injuriarum concedendam esse marito post violatam uxorem, dicendum foret, quia *hoc idem* ait Ulpianus vindicandum in sponsa, quod in uxore potest maritus vindicare. Nihil post hæc de § 8 subjicio, in quo et de jure viri expresse agitur, et nomen adulterii occurrit, quod proprie in toto contextu usurpatur, non latiore significatione, ut stuprum in specie designet; in quo denique nomen accusationis exprimitur, ad significandam privatam injuriæ persecutionem minus accommodatum.

Ista profecto sufficerent ad universam controversiam dirimendam. Malo tamen adhuc quædam ex juris ecclesiastici disciplina subjicere, ut liqueat, juxta easdem regulas, canonum etiam sacrorum sententias editas fuisse. Rem altissime repeto, atque ipsa sacrarum literarum testimonia profero. In cap. 22 Deuteronomii capitale fuit adulterii crimen cum nupta admissum, pecuniaria vero pœna coercitum stuprum admissum cum puella, quæ sponsum non haberet. Interea autem definitum fuit, ut capitalis esset pœna adversus eum, qui sponsam violavisset, imo et adversus sponsam crimini consentientem; ex quo liquet, crimen illud potius jure adulterii, quam stupri habitum fuisse. Vetusti ecclesiæ patres optime gnari, adulterium proprie dici, quod adversus datam fidem admitteretur, non dubitaverunt eos adulteros appellare, qui continentiam Deo devotam violavissent; quamquam Augustinus rem hanc non adeo subtiliter investigans non adulteros appellare voluerit, ne conjugia post simplex, ut ajunt, votum contracta dissolveret, can. 41, caus. 27, quæst. 1. Adulteros appellaverunt patres carthaginensis concilii, Cyprianus et Innocentius I in can. 1, 4 et 10, caus. 27, qu. 1, nec non Hieronymus in canone 9 juncto can. 5, dist. 27. Hac eadem significatione christiani imperatores aliquando adulteria dixerunt ea conjugia, quæ christiani cum judæis inirent, propterea quod eadem conjugia fidem semel Christo in baptismate datam inquinandi occasionem præberent, l. 6 cod. de Judæis. Equidem fateor, hæc adulteria improprie dici, et nonnisi per quædam symbola; ex quo tamen symbola ex similitudine derivantur, deduci facile potest, mentem patrum fuisse eam, ut quamcumque violationem fidei conjugalis adulterium crederent, quando ideo adulteras voto obstrictas puellas fornicantes esse dixerunt, propterea quod contra fidem Deo datam deliquissent. Adhuc ulterius progressa aliquando fuit ecclesia græca, quæ non dubitavit, adulterii notare eum, qui alienam sponsam sibi conjugio sociasset. Ita lego in can. 98. Trullano: *Qui alteri desponsam mulierem, adhuc eo vivo, cui desponsata est, in nuptiarum ducit solemnitatem, adulterii crimini subjiciatur.* Nomine *desponsæ* non uxorem intelligas, sed sponsam, si græcum canonem velis interpretari cum interpretibus græcis, Balsamone et Zonara in notis ad eundem canonem, quibus addere potes græcum aliud scholion ex codice amerbachiano desumtum, et a Beveregio editum in notis ad eum canonem; item addere potes Blastarem in Syntagmate Alphabetico litera *V*, cap. 15. Id sane Græci receperunt, ut etiam adulter haberetur, qui alienam sponsam sibi conjugio sociaret, quia apud Græcos obtinere cœperat, ut sacerdotali prece sponsalibus benediceretur, quod abiit deinde in generalem disciplinam græcorum post constitutionem Alexii Comneni, quæ habetur in fine codicis justinianei. Interea tamen observare juvat, si in ea singulari constitutione nihil Græci dixerunt de nota inurenda adulterii in eum, qui extra caussam conjugii ad alienam sponsam accederet, supposuisse ipsos, jam veteribus legibus in violatorem inustam fuisse adulterii notam, quam ad eum extenderunt, qui alienam sponsam sibi matrimonio jungeret. Tantus honor apud græcos sponsalibus habebatur, tantumque jus in sponsum deferebatur. Juxta hanc disciplinam scribens Photius in Nomocanone tit. 13, cap. 5 ait, dici in legibus, *quod adulterii accusatio non solum ob stupratam legitimam conjugem, verum etiam*

de instabili, atque illegittimo matrimonio, et sponsalibus, et de concubinatu instituatur. Ab his regulis, ubi de sponsa violata ageretur, nullibi constat, pontifices maximos deflexisse, imo et si ad rescriptum Innocentii III, quod extat in c. 25 de jurejurando, respiciamus, liquebit, eumdem pontificem distinxisse violationem solutæ puellæ a violatione sponsæ, et licet violationem alienæ sponsæ expresse non nominet adulterium, ex iis tamen, quæ ibidem definivit, pro adulterio habuisse videtur. Quærebatur apud ipsum, an sponsus quasi dissolutis sponsalibus, posset dimittere sponsam, quam noverit turpiter fornicatam. Distinxit Innocentius inter eam, quæ fornicata ante sponsalia fuerat, et eam, quæ post datam sponsalium fidem. In priore specie statuit, non dissoluta fuisse sponsalia, contra dissoluta intelligi in posteriore, *quod in legem conjugii peccavisset.* Quid porro differt inter eum, qui committit adulterium, et inter eum, qui peccat in conjugii legem? Multum autem ex sententia Innocentii distabat fornicatio ante sponsalia admissa a fornicatione admissa post sponsalia, nec propterea utraque fornicatio sub simplicis stupri specie continebatur. Progressus est Innocentius (qua in re visus fuit recepisse maxima in parte novellam constitutionem 93 Leonis philosophi) et regulam generalem præstituit, juxta quam quæcumque caussæ sufficerent ad dissociandam cohabitationem conjugum post conjugium celebratum, eædem sufficerent ad dissolvendum sponsalium vinculum post contracta sponsalia; ex quo deinde concluderetur, quemadmodum fornicatio ante datam fidem conjugii admissa ad dissociandos conjuges minime sufficiebat, sed sufficiebat adulterium post contractum conjugium admissum; ita ad dissolvendum sponsalium vinculum sufficere fornicationem sponsæ post sponsalia admissam, non sufficere fornicationem, quæ sponsalia præcessisset. Ista fornicationis post nuptias, et fornicationis post sponsalia admissæ æquabilitas ad eandem propemodum stabiliendam disciplinam, satis evincit ex sententia Innocentii, utrumque crimen eadem turpitudine notari, et proinde recte adulterium dici. Itaque ut paucis singula colligam, liquet satis abunde, violationem sponsæ alienæ tanquam adulterium habendam esse, sive quod id in primis suadeat naturalis æquitas, sive quod deinde id constituerint expresse romanæ leges, quibus sane singulæ criminum species invicem fuere discretæ; sive quod postremo id et sacrorum canonum definitionibus magis congruere videatur.

DISSERTATIO TERTIA

DE PUBLICIS FUTURI MATRIMONII DENUNCIATIONIBUS.

Non est valde antiqua in ecclesia denunciationum publicarum ante celebrationem conjugii faciendarum, quas modo proclamationes, modo programmata, modo francico vocabulo *banna* vocant, disciplina, cujus scilicet, ne initio quidem duodecimi sæculi, vestigium nullum adparet, quemadmodum deducitur ex toto Gratiani codice eo tempore elucubrato, in quo de eisdem altum silentium est, ut præteream antiquiores canonum collectiones. Tantum legimus apud Gratianum, consuevisse plurles contracta conjugia dissolvi, quod inter illegitimas personas contracta fuissent, deferentibus ad episcopum viris probis de calumnia minime suspectis, et jurejurando testantibus, quæ suberant impedimenta, ne aut matrimonium contraheretur, aut contractum adversus leges consisteret, idque potissimum occasione visitationis, cum episcopus diœcesim lustraret, et in diœcesanorum mores generatim inquireret, can. 3 et sequentibus, caus. 35, qu. 6 qui canones e collectione Reginonis prumiensis derivati fuerunt, non tamen omnes illorum sunt auctorum, quibus adscripti a Gratiano fuerunt, quemadmodum mihi jam adnotandum fuit in meis lucubrationibus in Gratianum. Cœpit hæc denunciationum disciplina singularis esse in aliquibus provinciis, sollicitudine episcoporum quorundam invecta, qui satius duxerunt, palam omnes rogare, de aperiendis, siquæ subessent, conjugii impedimentis, antequam contraheretur, suspenso interea conjugio, quam passim, et sine discrimine quoscumque ad contrahendum admittere, deinde, si impedimentum proderetur, dissociandos. Id viguisse in belluacensi provincia sub finem duodecimi, aut sub initium decimitertii sæculi, testatur Innocentius III in cap. 27 de sponsal. ubi *bannorum* nomen occurrit, quo denunciationes significantur. Anno primum 1215

in concilio lateranensi sub Innocentio III celebrato singularis ille aliquod provinciarum usus generali decreto ad universam ecclesiam productus est. cap. 3 de clandest. desponsat. quo constitutum fuit, ut cum matrimonia essent contrahenda, in ecclesiis per presbyteros publice proponerentur, competenti termino præfinito, ut intra illum qui voluerit, et valuerit, legitimum impedimentum opponeret, et ipsi presbyteri nihilominus investigarent, utrum aliquod impedimentum obsisteret; cum autem adparuisset probabilis conjectura contra conjugium contrahendum, contractus interdiceretur expresse, donec quid fieri deberet super eo, manifestis constaret documentis.

Cum vero lateranense decretum decursu temporis negligi cœpisset, tridentini patres e re ecclesiæ esse censuerunt, non solum si decretum illud renovarent, sed etiam si novam formam denunciationibus inderent, quemadmodum revera indiderunt in cap. 1, ses. 24 de ref. matr. statuentes, ut, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter missarum solemnia publice denuncietur, inter quos sit matrimonium contrahendum; quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie ecclesiæ procedatur. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denunciationes, tunc vel una tantum denunciatio fiat; vel matrimonium rite celebretur, deinde ante illius consummationem denunciationes in ecclesia fiant, ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ et judicio sancta synodus reliquit. Itaque hoc jure nos utimur, quod concilium tridentinum invexit, abrogata magna in parte ratione denunciandi, quam concilium lateranense definiverat, licet aliqua in parte retenta, quemadmodum facile dignoscitur ex collatione tum dicti capitis 3 de clandest. desponsat. tum dicti capitis 1 in concilio tridentino; atque hoc est, quod adfirmaverunt ibidem tridentini antistites, se lateranensis concilii sub Innocentio III celebrati vestigiis inhæsisse.

Agendum explicemus tridentinam sanctionem, ex qua recens juris ecclesiastici prudentia pendet. Ajunt tridentini patres, se ita faciendum *præcipere*. Num ergo denunciationes adeo ad formam contrahendi conjugii pertinebunt, ut si etiam sine caussa omittantur, nullaque accedente ordinarii dispensatione, matrimonium omnino irritum sit habendum? Id quidem venire in disputationem potuit statim absoluto, publicatoque tridentino concilio, præsertim apud eos, qui generaliter tradere voluissent, irritum esse, quod lege prohibente fiat, juxta legem 5 cod. de legibus. Verum hodie frustra disputaretur, ob receptam, quæ nemini amplius dubitationem facit, tridentini decreti interpretationem quotidiana etiam praxi firmatam, quæ conjugium ita contractum tanquam illicitum damnat, non tanquam irritum dissolvit: neque generalis regula laudatæ legis 5 in conjugiorum materie in jure præsertim ecclesiastico unquam obtinuit; tum demum enim matrimonia contra leges ecclesiasticas contracta pro irritis existimantur, quando prohibenti legi decretum irritans adnexum est. Jamdiu romani veteres statuerant, in conjugiis servandum esse, non tantum quod liceret, verum etiam quod foret honestum, l. 42 ff. de ritu nuptiarum; eamque ob rem licitum ab honesto distinguere etiam in eo possumus, quod dicamus illicitum quodcumque conjugium a lege penitus irritatum, dicamus autem licitum, sed inhonestum quodcumque conjugium non legibus irritatum, sed indecorum a legibus habitum, quemadmodum jam olim erant nuptiæ intra luctus tempora celebratæ, argumento l. 1 cod. de secund. nupt. Non est heic locus generali disquisitioni, ut observetur, quandonam leges matrimonium irritavisse, quandonam improbavisse quidem, non irritavisse credantur. Opportunius hæc tractabitur in sequente dissertatione. Tantum noto ad hanc rem, patres tridentinos irritum non declarasse conjugium omissis denunciationibus contractum, quod sufficit, ut concludamus, improbata quidem fuisse ea conjugia, non irritata. Revera in eodem ipso capite 1 tridentino cautum præterea fuit, ut conjugium celebretur præsente parocho, et duobus saltem testibus; quum vero voluissent tridentini antistites, aliter celebratas nuptias irritas fore, decretum irritans adjecerunt, ibi: *Qui aliter, quam præsente parocho..... et duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos, et nullos esse decernit, etc.*, quam decreti, ut ajunt, irritantis clausulam cum omissam viderent, ubi de denunciationibus ageretur, jure optimo jam collegerunt veteres concilii ejusdem interpretes, adhuc omissis denunciationibus matrimonium utut illicite contractum consistere. Addo his, patres tridentinos ita de denunciationibus locutos fuisse, ut non solum illarum numerum, sed et illas universas pro personarum, caussarumque adjunctis voluerint ab ordinariorum prudentia pendere. Ita profecto factum non esset, quoties denunciationes pro forma, ut vocant, essentiali matrimonii celebrandi habitæ fuissent, quibus omissis matrimonium non consisteret. Denique professi sunt tridentini antistites, se in statuenda denunciationum obli-

gatione secutos fuisse concilii lateranensis sententiam, a qua sane non recessisse præsumendi sunt, nisi in eo, quod specialiter expresserunt. At in concilio lateranensi supra laudato non fuit irritum habitum omissis denunciationibus contractum conjugium, quemadmodum et disciplina post idem concilium lateranense recepta demonstravit, et facile colligitur ex formula lateranensis decreti in dicto cap. 3 princ. de clandest. despons. Nemini forte difficultatem faciant verba § *Si quis vero,* in quo pœna statuitur adversus eos, qui contra lateranense decretum, idest omissis denunciationibus, contraxissent, qua fiat, ut liberi ex eo conjugio geniti illegitimi habeantur. Id refertur non ad caussam denunciationum omissarum, sed ad caussam gradus prohibiti, uti indicant verba illa *in gradu prohibito,* quasi non ideo filii illegitimi sint, quod omissæ denunciationes fuerint, sed quod qui contraxissent, non essent ad contrahendum idonei. Dices: Cui igitur bono erit ea pœnalis sanctio lateranensi decreto adjecta, quando verum est, illegitimos etiam esse liberos in gradu prohibito susceptos, utut factis denunciationibus? Rogo eum, qui ita me compellaret, ut observet, ex conjugio contracto in gradu prohibito ignoranter, licet conjugium irritum sit, liberos tamen susceptos legitimos nasci, cap. 2 qui fil. sint legit., prætexit enim legitimam liberorum nativitatem parentum ignoratio. Et quidem id verum est, ubi ignoratio parentum vacet culpa, secus ac contingat, ubi ignoratio eorumdem nullam habeat excusationem. Porro siquis contrahat omissis denunciationibus, et quidem in gradu prohibito etiam ignoranter, est de culpa redarguendus, quoniam si denunciationes fieri curavisset, facile impedimenti notitiam habuisset. Itaque jure optimo caverunt patres lateranenses, liberos illegitimos nasci ex conjugio omissis denunciationibus contracto in gradu prohibito etiam ignoranter, quin exinde deduci valeat, unam omissionem denunciationum per se contractum conjugium penitus irritare.

Ter a proprio contrahentium parocho denunciationes faciendæ sunt. Quid ergo, si sponsus et sponsa non in eadem parochia habitent, sed unus ad unum, alter ad alterum parochum pertineat? Non sane sufficiet, fieri illas ab uno parocho sponsæ, vel sponsi, quemadmodum sufficit coram uno tantum matrimonium contrahi, sed ab utroque parocho erunt faciendæ, quod conformius in primis esse videtur laudato lateranensi decreto, in quo in plurali mentio fit parochorum in iis verbis *per presbyteros,* deinde conformius est menti tridentinorum patrum eo tendenti, ut, quoad fieri possit, nulla omittatur sollicitudo, ne matrimonia inter personas inidoneas contrahantur. Hinc parochus ille, ad quem spectat celebrando matrimonio interesse, non primum intererit, quam constet, factas esse etiam in parochia illius, qui sibi obnoxius non est, denunciationes. Contingit aliquando disputari, quisnam sit proprius contrahentium parochus, ex eo, quod frequenter eveniat, sponsos ex mutatione domicilii modo uni, modo alteri parochiæ subesse. Ego non dubito, servandas esse in hac re regulas generales, quæ traduntur in materia juris contracti domicilii; proindeque eum esse proprium parochum, a quo faciendæ sint denunciationes, in cujus parochia ita sponsi domicilium suum constituerunt, ut non videantur animum illinc abscedendi habere. Quid ergo, si quisquam duo habere videatur domicilia, quemadmodum esset, qui dimidiam anni partem in una, dimidiam in altera parochia transigeret? Tutius mihi videtur, utrobique faciendas esse denunciationes, præsertim si parochiæ illæ admodum dissitæ essent, ne forte contingat, eum, qui in una parochia jam uxorem duxit, alteram in altera parochia ducere. Difficilius esset definire, quid agendum parocho sit, ubi vel duo vagantes, qui nullum determinatum habent parochum, sese matrimonio conjungendos sistant, vel unus, qui vagatur, petat nuptias contrahere cum ea, quæ in parochia degit. De his singularis est concilii tridentini definitio in cap. 7, ses. 24 de ref. matr. qua moniti fuerunt ii omnes, ad quos spectat, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiant, parochis etiam præceptum est, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. Non dubito tamen, quin si forte vagæ istæ personæ ab aliquo parocho contra tridentini concilii constitutiones jungerentur, validum matrimonium diceretur, licet parochus tridentino decreto inobediens ordinarii arbitrio puniri posset.

Præterea *tribus continuis diebus festivis* denunciandum est. Nemo id ita intelligat; quasi festivi dies ita juncti esse debeant, ut nullo intermedio feriato die alter alteri succedat; imo hoc ipsum esse videretur adversus tridentini concilii mentem, quæ sane ea fuit, ut illi, qui denunciationem excipiunt, tempus habeant congruum ad meditandum, investigandumque, num conjugio palam proposito aliqua sint impedimenta. Continuos festivos dies dixerunt, ne inter unam denunciationem, et aliam diuturnum tempus efflueret, ex quo qui secundam ex. gr. audivit, jam potuit, primam verosimiliter oblivisci. Quamobrem si forte contingat, uno die festivo parochum forte memoria lapsum, post jam factam primam aut secundam denunciationem, omisisse tertiam, non puto, adeo rigidam interpretationem esse adfingendam tridentino decreto, ut singulæ denunciationes renovandæ sint, quasi nullæ eousque factæ fuissent. No-

mine dierum festivorum intelligimus dies festivos ex præcepto ecclesiæ, illos nimirum, quibus frequens esse solet fidelium concursus ad ecclesiam; qua in frequentia facilius parochus investigare possit, si quæ sunt propositi conjugii impedimenta. Nemo profecto in contrarium proferat rescriptum Alexandri III in cap. 3 de tempor. ordin., in quo cum legatur, dominicis, et aliis *festivis* diebus clericos posse in minoribus ordinari, nonnulli scripserunt, nomine dierum festivorum non intelligi dies festivos de præcepto. Ut enim omittam, non adeo securos esse posse istos interpretes, ut neminem inveniant, qui contradicat, et quidem ex gravissimis juris ecclesiastici cultoribus; satis erit observare, finem tridentinorum patrum illud postulavisse, qui alias obtineri non poterat, nisi nomine festivorum dierum intelligerentur festivi de præcepto. Non defuerunt, qui putarent, fieri etiam posse denunciationes diebus minime festivis, quotiescumque talis emergeret dies, quo frequentissimus esset, et festivo similis conventus populi ad ecclesiam, quasi tum menti tridentini concilii, si non verbis, satisfactum esse videatur. Ego non puto; adeo latam tridentini concilii interpretationem, quæ manifeste ejusdem verbis refragatur, tutum parochum posse reddere; satius proinde erit, tunc a denunciationibus abstinere; secus periculum esset grave, ne frequentiæ cujuscumque prætextu facile sibi parochi blandirentur, et paullatim tridentini concilii disciplina negligeretur, aut etiam omnino corrueret, quemadmodum ex defectu parochialis sollicitudinis olim corruerat disciplina concilii lateranensis, ita docente quotidiana rerum humanarum experientia, quæ testatur, relaxato paullisper legum rigore, paullatim et sensim leges ipsas penitus aliquando interire.

Prosequuntur tridentini patres, et ajunt, *in ecclesia inter missarum solemnia publice* denunciationes fieri oportere. *In ecclesia* primum, idest in loco sacro ad conventum populi destinato, sive illa sit ecclesia ipsa parochialis, sive alia quæcumque intra parochiæ limites constituta, ad quam missæ solemnis celebrandæ caussa populum parochus advocaverit, populusque de more convenerit. Additur *inter missarum solemnia*, in iis enim solet celebrior esse conventus populi, sive eadem celebrentur ab ipso parocho, sive ab alio nomine parochi cum eadem solemnitate; neque enim repugnat, parochum uti celebrationem matrimonii, ita etiam denunciationes faciendas alteri sacerdoti mandare. Si quæratur, an, ubi ecclesia parochialis sit simul, et conventualis, missarum solemnia ea dicantur, quæ a parocho, an ea, quæ a conventu, seu a capitulo celebrantur, nullibi id definitum novi; quum autem varii in hac re sint ecclesiarum mores, facile concludendum est, parendum esse consuetudini in unaquaque ecclesia receptæ, optandum autem semper, ut id in praxi servetur, quo denunciationes tunc fiant, cum facilius tridentini decreti finis obtineatur, nimirum quum frequentior est populi concursus. Quamobrem improbare non audeo illorum opinionem, qui putaverunt, dignis de caussis a parocho denunciationes omitti posse in missarum solemnis, ut ad aliam publici conventus eodem die habendi majorem celebritatem, atque frequentiam transferantur. Forte dices, me heic non insistere in principiis superius positis, quando tradebam, ita parochum denunciare debere diebus festivis de præcepto, ut nequeat denunciare diebus non festivis, licet tales sint, in quibus maxima sit, et festivæ similis populi ad ecclesiam accessio. Diversa hæc potius sunt, quam contraria. Etenim quidquam facilius indulgendum parochis puto, ubi differendæ sint denunciationes de crastino ex. gr. in vesperas, quia non tantum in hoc proposito tridentinorum patrum scopus attenderetur a parocho differente, verum etiam nullam exinde subesset occasio, paullisper et sensim recedendi a tridentina definitione. At si illud amplius parochis concederetur, ut etiam diebus non festivis de præcepto denunciare valerent, quamquam tum forte scopus concilii attenderetur ob magnam populi frequentiam, paullatim tamen et sensim disciplina concilii in desuetudinem abire posset, quoniam facile esset frequientiam illam popularem prætexere; præterquamquod ubi in missarum solemniis omittuntur denunciationes, et fiunt in vesperis, esset hæc denunciationum dilatio et mera translatio; at ubi etiam aliis diebus non de præcepto festivis fierent; non differrentur illæ, sed citius perficerentur. Dicitur *publice*, videlicet, ut inter denunciandum ita recitentur futurorum conjugum nomina, et agnomina, aut cognomina, ac patria indicetur, et significetur expresse eorum voluntas de matrimonio contrahendo, ut omnes, qui adsunt, commode quid denuncietur, intelligant, et facile possint, si quod norint subesse, pandere impedimentum.

Factis denunciationibus, procedendum esse ajunt tridentini antistites ad conjugii celebrationem, quod ita prudenter intelligendum est, ut neque statim post tertiam factam denunciationem iniri conjugium possit, neque post eandem in diuturnius tempus differri. Quod tempus expectandum sit, neque in lateranensi, neque in tridentino concilio definitum est; igitur erit prudentis viri arbitrio a parocho definiendum, nimirum tantum, quantum sufficere videtur ad hoc, ut, qui denunciationes exceperunt, possint, si quæ subesse noverunt, impedimenta proferre; quamobrem, quoties dispensatione ordinarii contingit, ut non tres, sed una tantum vice omnium fiat denuncia-

tio, prudentissime aget, qui longius quoddam tempus, ex. gr trium saltem aut quatuor dierum, expectandum diceret. Vulgo traditur generaliter ubi tres factæ denunciationes proponuntur, expectandum esse, donec saltem lapsus sit dies, quo postrema denunciatio facta est. Id passim in synodis episcoporum determinari solet, in quarum aliquibus reprobatam novi illorum disciplinam, qui sub vesperas dici postremæ denunciationis sponsos ad contrahendum admittunt, in aliquibus receptam simpliciter, in aliquibus receptam tum demum, quando instet dies claudendarum, ut ajunt, nuptiarum, et alias sponsis solemnitate conjugii interdiceretur, si in longius tempus nuptiæ differrentur. Quamobrem non dubitandum est, quin in hac parte standum sit receptis in unaquaque diœcesi moribus, et disciplinæ. Idem dicendum erit de tempore, ultra quod post denunciationes conjugii celebratio non differatur: etenim neque hoc abs jure determinatum est, sed potius pro diœceson diversitate in synodis particularibus diversa ratione finitum, alicubi, et ut plurimum, intra bimestre coarctatum, quod consonat regulis romani ritualis tit. de sacramento matrimonii, in quo ita legitur: *Si vero intra duos menses post factas denunciationes matrimonium non contrahatur; denunciationes repetantur, nisi aliter episcopo videatur*, alicubi ad quadrimestre prorogatum, uti testatur Barbose de offic. et pot. episc. allegat. 32, n. 55, quo elapso termino, si sponsi de ineundo matrimonio cogitent, non erunt amplius admittendi a parocho, nisi iterum ad novas denunciationes deveniatur, aut nisi super novis denunciationibus faciendis fuerit ab ordinario dispensatum; evenire enim potuit, ut intra illud tempus, quod sponsi præterlabi voluerunt, nova quædam emerserint impedimenta, quibus matrimonium contrahi prohibeatur.

Concludunt patres tridentini, si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denunciationes, ordinarii prudentiæ et judicio relinqui, vel unam tantum pro omnibus denunciationem faciendam indicere, vel permittere, ut primum contrahatur in ecclesiæ conspectu, conjugium deinde ad denunciationes ante consummationem matrimonii deveniatur, vel demum omnino a denunciationibus dispensare. Ex his multa colliguntur; et primo quidem adparet, ordinario concessam tantum fuisse facultatem a denunciationibus dispensandi, vel in tempus matrimonii contracti denunciationes differendi: non vero alias immutandi denunciationum formam ut ex. gr. fiant denunciationes extra parochiam, vel diebus feriatis. Secundo totam hanc dispensationem ab ordinario pendere, nihilque propterea parochi unius arbitrio concessum fuisse, cum parochus in eo tridentino decreto non veniat nomine ordinarii, imo et in eodem capite 1 expresse tridentini patres parochum ab ordinario distinxerint, etenim dum infra constituerunt, benedictionem matrimonialem esse a proprio sponsorum parocho petendam, addiderunt. *neque a quoquam, nisi ab ipso parocho, vel ab ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii sacerdoti concedi posse.* Tertio ego non dubito, quin dispensatio obtineri jure possit a vicario episcopi generali, dummodo in literis vicariatus eam facultatem sibi expresse episcopus non reservaverit. Etenim in tridentino concilio nomine ordinarii non excluditur vicarius episcopi generalis, utpote qui una quodammodo persona cum ordinario ipso censetur, et eandem jurisdictionem exercet. Quidquod enim in sess. 24, cap. 6 de ref.; quando concilium tridentinum certam absolvendi facultatem concedendam episcopis voluit, non illorum vicariis, expresse id cavit in illis verbis: *eis tantum non eorum vicariis sit permissum.* Quarto nomine ordinariorum intelligemus etiam eos, qui episcopi non sunt, dummodo gaudeant jurisdictione quasi episcopali, et sint, ut pragmatici vocant, nullius diœcesis; isti enim proprie ordinariorum etiam nomine appellantur. Id tamen verum est, si verbis tridentini concilii tantum inhærendum sit. Ceterum recens disciplina aliud invexit, quibus in locis receptæ fuerunt pragmaticorum traditiones tribunalium præjudiciis confirmatæ. Quinto colligitur, non aliter ab ordinario deveniendum esse ad dispensationem denunciationum, quam si justæ ac probabiles dispensandi caussæ fuerint. Anne vero istæ probandæ erunt in figura judicii, an potius sufficiet, extra judicii formam esse ordinario notas? Quicumque considerabit verba tridentini concilii, quibus totum relinquitur *prudentiæ et judicio* ordinarii, facile intelliget, non requiri, caussas instituta judicii forma probari; etenim quoties eam judicii formam institui voluerunt tridentini antistites, aliis urgentioribus verbis usi sunt, quemadmodum in capite 7, sess. 14 de ref. ibi: *episcopo, qui nonnisi caussa cognita, et probatis precibus ac narratis, nec aliter dispensare possit.* Junge cap. 18, sess. 25 de ref. Ex quo infertur, hanc dispensationem, cum sit actus voluntariæ jurisdictionis, concedi posse ab episcopo extra diœcesim constituto. Sexto, quamquam in tridentino concilio legitima dicatur dispensandi a denunciationibus caussa, si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, nihil tamen impedit, quominus et alias justas caussas esse admittamus, quando tridentini patres totum prudentiæ, et judicio ordinarii reliquerunt. Quid enim ex. gr., si ex denunciationibus publicum scandalum oriretur, quod eveniret, si duo, qui publice ha-

beantur tamquam conjuges, et revera tales non essent, ad contrahendum deinde conjugium adducantur? In his, aliisve similibus caussarum adjunctis poterit ordinarius interponere officium suum, dummodo illud semper in conspectu habeatur, legem tridentinam maxime utilem reipublicæ non esse temere, et ex nulla, aut levissima caussa insuper habendam. Septimo etiam infertur, ordinarium certis in casibus non solum dispensare posse a denunciationibus, sed etiam teneri; quamquam enim dispensatio quælibet pendeat ex gratia concedentis, ubi tamen illa abs jure arbitrio ordinarii committitur, quandam habere videtur aliquando justitiæ imaginem. Dixi certis in casibus, nimirum quotiascumque gravissimæ adsunt conjecturæ, futurum, ut per denunciationes ex quorumdam malitia matrimonium ceteroqui non injuste contrahendum impediatur. Non tamen adeo res sese habebit, ut si ordinarius dispensare detrectet, liceat uti appellationis remedio; id enim locum habet tantummodo in caussis, in quibus res instar judicii ordinatur, non ubi conscientiæ episcopi tota remittitur; quamquam vero si contracturis videatur omnino manifesta ordinarii iniquitas, et pervicacia in dispensatione indulgenda, licebit ipsis per modum, ut ajunt, querelæ rem ad superiorem deferre, et ab eo, quod utilius, et convenientius esse videatur, expectare. Porro superioris partes eæ poterunt, ut primum, si caussa id expostulet, ordinarium commonefaciat, deinde etiam juris remediis adigat ad dispensandum. Octavo animadvertendum est, quotiescumque ordinarius indulgeat, aut duas tantum, aut unam pro omnibus denunciationem fieri, parochum denunciantem teneri ad id indicandum publice, quo qui forte impedimentum noverint, non facile sibi blandiantur, sibi adhuc tempus superesse, quo latens matrimonii impedimentum aperiant. Non observandum est, quod in concilio tridentino definitum fuit, interdum denunciationes fieri post conjugium in conspectu ecclesiæ celebratum, dummodo interea sponsi continentiam servent usu vix fuisse aliquando receptum, quia episcopi data occasione dispensare potius omnino a denunciationibus voluerunt, quam ita sponsorum conjunctionem cum frequenti peccandi periculo interdicere. Decimo denique arbitror, non esse inverosimile, quando agitur de conjugio contrahendo inter diversæ diœceseos personas, sufficere dispensationem denunciationum ab ordinario obtineri diœcesis illius, in qua sit matrimonium celebrandum, quin opus sit, alterius etiam ordinarii dispensationem accedere, ne alias mens tridentinorum patrum effectu suo frustretur, dum ideo denunciationes arbitrio ordinarii remitti posse statuerunt, quod ex dilata matrimonii celebratione multa evenire incommoda possent, quibus sane non satis obviam iretur, quoties utriusque ordinarii esset dispensatio expectanda. Vel una hæc ratio sufficere posset, ut hæc definitio momento gravissimo valeat; ex ea enim statim intelligimus, non aliam fuisse mentem tridentinorum patrum, cum episcopo dispensandi facultatem apertissimis verbis fecerunt. Verum ud adhuc tridentini concilii sententia in clariore lumine collocetur, animadverto, æque in eodem fuisse definitum, ut *ordinarii prudentiæ ac judicio* relinqueretur denunciationes remitti, quoties ipse expedire judicaverit, ac definitum fuerit, nuptias esse *præsente parocho* celebrandas; quemadmodum ergo verba illa *præsente parocho* ex probata interpretatione, ac quotidiana praxi firmata, non ad utrumque parochum referuntur, quoties sponsi duobus parochis subsunt, quid obstat, quominus, verba illa *ordinarii prudentiæ ac judicio,* non referamus ad utrumque episcopum, si duobus episcopis obnoxii fuerint contrahentes? His accedit, considerandam esse matrimonii unitatem et individuam rationem; hæc enim in caussa est, ut dispensatio uni ex contrahentibus concessa, alteri prodesse necessario debeat. Revera dispensatio denunciationum non confertur in contrahentium personas, sed ad ipsum conjugium in diœcesi contrahendum dirigetur. Quemadmodum enim denunciationes ad solemnitatem conjugii pertinent, ita dispensatio, qua denunciationes omittantur, eo tendit, ut conjugium contractum minus solemne dicatur. At moderari qualitates rerum, quæ rebus eisdem insunt ex præscripto legum, ad eum pertinet, in cujus diœcesi res agitur, nulla habita ratione personarum agentium, sive diœcesano subsint, sive non subsint. Quod si, ubi de vagis agitur, iis nimirum, qui nullibi habent certam, determinatamque sedem, quique propterea non aliter episcopo subsunt, quam quod per ejus diœcesim transeant, nihilominus tamen tridentini iidem patres declaraverunt, si matrimonium ab illis sit contrahendum, rem universam moderandam esse ab eo episcopo, per cujus transeunt diœcesim, sess. 24 de ref. matr., cap. 7, idque non alia sane ratione, quam quia matrimonium ipsum est in diœcesi celebrandum; nonne potiore jure universam rem moderandam ab uno episcopo concludemus ex concilii tridentini mente, quando unus ex contrahentibus subest ordinariæ ejusdem episcopi jurisdictioni? Hinc puto, satisfieri abunde iis, qui contra sentiunt, dum opponunt, episcopum dispensantem suæ jurisdictionis fines transgredi, dum in non diœcesanum dispensat; statim ac enim dispensatio dirigitur in conjugium ipsum, quod in diœcesi celebratur, non in personas, nisi secundario, et per consequentiam, uti scholæ loquuntur, difficultas omnis evanescit, eodem modo, quo non transgreditur fines officii sui parochus, dum sponsum non parochianum

cum parochiana sponsa matrimonio jungit. Quod si opponatur adhuc, in denunciationibus faciendis requiri, ut eædem in utraque parochia, et diœcesi fiant; id ultro admittimus; non tamen exinde colligi potest, quoties sit a denunciationibus dispensandum, utriusque ordinarii auctoritatem requiri. Etenim finis faciendarum denunciationum is est, ut de impedimentis, siquæ forte subsint, constare valeat, de quibus sane non satis constare posset, si illæ in alterutra parochia omitterentur. At finis indulgendæ dispensationis alio pertinet, eo nimirum, ne si diutius matrimonium differatur, *matrimonium malitiose impediri posset*, quemadmodum tridentini patres aperte professi sunt. Hunc autem finem quomodo contrahentes obtinerent, si diutius expectandum ipsis esset, donec ab episcopo in remota forte provincia residente dispensaretur? Ecquidem verum est, cautius in hac specie progredi ad dispensandum diœcesanum debere, nimirum quando aperte liqueat legitimis testimoniis, non diœcesanum nullo impedimento detineri, quominus matrimonium contrahat; at interea episcopus libere poterit indulgere dispensationem. Quid vero fusius rem istam persequar, quando hæc definitio, nemine fere dissentiente, apud omnes generatim pragmaticos recepta est, et posita omnino in prudentia vulgari? Ita Carolus Mallettus in lib. 4 de Hierarchia parte 1, tit. 13, num. 8 Sanchez de matrim. lib. 3, disp. 7, num. 7 Barbosa de offic. et pot. episc. allegat. 32, num 35 cum ibi laudatis, Vincentius de Justis de dispens. matrimon. lib. 2, cap. 19, num. 150 et 151 cum ibi laudatis, atque, ut alios innumeros omittam, Concina lib. 2 de matrim. diss. 2 de spons. c. 5, quæst. 3.

Tradidi in his perspicuam, et analyticam tridentini decreti interpretationem. Aliquæ adhuc supersunt breves enodandæ quæstione, quibus proposita publicarum denunciationum materies absolvatur.

QUÆSTIO I.

De obligatione, qua unusquisque impedimenti matrimonii conscius ad idem impedimentum ecclesiæ prodendum adstringitur.

Satis est intelligere, lateranensibus primum, deinde tridentinis patribus maxime cordi fuisse, ante conjugii celebrationem publicas denunciationes in ecclesia fieri, ut deinde perspicue colligamus, fidelibus omnibus, ad quos futuri conjugii notitia pervenit, obligationem imponi, qua, siquod ipsi norint matrimonii impedimentum inesse, illud ecclesiæ pandant. Cui enim bono saluberrimæ de denunciando constitutiones essent, quando eisdem secuti nemo ad patefacienda, quæ subesse noverit, impedimenta adstringeretur? Fit in denunciationibus legitima auctoritate ecclesiæ generalis totius populi interrogatio, quasi testium; in qua specie testes omnes, quod sciverint, pandere debent, cap. 6 de testibus cogendis cap. 7 de cognat. spirit. Nemini profecto negotium facessant verba illa lateranensis decreti in cap. 3 de. cland. despons. *qui voluerit et valuerit*, quasi lateranenses antistites in voluntatem audientium denunciationem contulerint, nullam autem intulerint obligationem. Etenim verba illa *qui voluerit*, non eo pertinent, ut liberum esse credatur denunciare, sed potius eo, ut aboleretur in hac parte vetus disciplina, juxta quam tradebatur, neminem admitti ad matrimonium ex caussa cognationis accusandum, nisi qui de cognatione contrahentium esset, quasi is, non extranei, apprime conscius cognationis esse præsumeretur, can. 1, 2 et 3, cau. 35, quæ. 6, cap. 3, qui matrimon. accusare. Noverant lateranenses patres, multum differre inter accusationem et denunciationem; nam accusatio in publicum judicium matrimonium deferebat, quod ne temere fieret, cavendum erat, ne accusatores quicumque admitterentur, sed tantum ii, quorum testimonium gravissimum haberetur et certum. At denunciatio tantummodo cautiores redditura erat parochos et episcopos, uti ipsi in personas conjugum solertius inquirerent; eamque ob rem operæ pretium fuit, quoscumque ad denunciandum admittere. Itaque verba illa *qui voluerit*, hunc sensum habent, ut nemo a denunciando excludatur, non ut nemo invitus ad denunciandum obligetur. Non defuerunt, qui conscios impedimentorum liberos ab omni obligatione dimittendos suspicarentur, quoties tale proponeretur impedimentum, ex cujus delatione crimen aliquod grave a contracturis ipsis, vel alterutro ipsorum admissum detegeretur, quemadmodum contingeret; ubi sponsus viduam ducturus esset, sponsique ipsi pactione de futuro conjugio facta mortem prioris conjugis procuraverunt; aut ubi inter ipsos sponsos affinitatis vinculum ex injusta conjunctione proficiscens intercederet. Non diffiteor: graves istæ sunt caussæ, in quibus detegendis opus est matura deliberatione. Non ideo tamen a delatione prorsus abstinendum erit, ne proborum hominum clementia et charitas eousque protrahatur, quo jura publica tot tantisque ecclesiasticorum patrum vigiliis, ac laboribus sanctissime firmata, effræni improborum ausu violentur. Imputent ipsi sibi, qui gravissimorum criminum conscii interdicta sibi conjugia inire meditantur, et leges sanctissimas fallunt, quibusque non satis fuit, pudenda crimina perpetravisse, sed lubet ulterius, non in matrimonio dixerim, sed in incestis, adulterinisque conjunctionibus perpetuo manere. Deferentes satis excusat, imo etiam laudabiles facit legum sanctarum ju-

stissimus zelus, quo, ubi accedit ecclesiastici superioris jure conscios interrogantis præceptum, unumquemque corripi non tam decet, quam necessarium est. His accedit, denunciantis officium non eo spectare, ut de admisso crimine vindicta sumatur, sed ut in posterum caveatur, ne alia crimina per incestas conjunctiones admittantur, quod vergit etiam in privatam illorum, qui contrahere meditantur, utilitatem. Quod si quis adeo adhuc hæreret, ut cum sponsis humanius agendum putaret, licebit, sane ipsi privatim ipsos contracturos commonefacere, imo etiam terrere, conscios illos reddendo futurum, ut, si non abstineant ab illicitis nuptiis, ipsæ suæ obligationi denunciando satisfaciat; dummodo tamen nihil interea sollicitudinis omittatur, ne ecclesia suo fine frustretur: licebit etiam ipsi, imo consultissimum erit, ita apud parochum impedimentum, quod ipse noverit, aperire, ut parochum roget, nequid famæ contrahentium detrahatur: qua in re parochi deinde partes erunt, quibus omnia moderate, ac prudentissime, et sine detrimento; imo potius cum utilitate spirituali sponsorum eveniant, ita agendo, ut pœna publica admissi criminis non sumatur, sed tantum ut ad contrahendum conjugium non procedatur. Hæc omnino vera sunt, sive impedimentum sit occultum, sive publicum, sive quasi publicum, idest publico quodam rumore vulgatum, sive quisquam impedimentum noverit indubiis, certisque de caussis, sive tantum ab aliquo audiverit impedimentum subesse; imo etiamsi unus tantummodo sit conscius impedimenti, qui propterea illud subesse probare non possit, nihilominus tenetur; quia licet ex ejus delatione non statim certum esse incipiat, impediri conjugium, tamen occasionem exinde accipit parochus, ut magis magisque rei veritatem scrutetur, deliberetque ea meliore, qua potest, ratione, an matrimonium celebrari permittat, an potius vetet, cap. 27 de sponsal. Denunciatio isthæc non est judiciaria, neque ad forum publicum, ac contentiosum pertinet, in qua propterea sit opus denuncianti, in caussam inscribere more accusatoris, et rem probare. Potius spectat admonitionem quandam, et privatam parochorum notitiam, qua dum parochi utuntur, caveant sedulo, ut ab illicitis conjugiis abstineatur. Difficilius est definire, an teneatur quisquam impedimentum deferre, quoties noverit, sponsos dispensationem impedimenti in foro tantum interno a romana pœnitentiaria obtinuisse. Non defuerunt, qui a deferendi obligatione ea in specie conscium liberatum voluerunt, quasi tunc cesset legis publicæ finis. Ego tamen plurimum vereor, ne hæc opinio, licet quandam æquitatis speciem præseferat, absolutionum, seu dispensationum pœnitentialium, quæ tantummodo pœnitenti prosunt, naturam satis exprimat; dum alios etiam romanæ pœnitentiariæ rescripto non comprehensos dispensationem, seu absolutionem afficere posse significat; quasi literæ pœnitentiales non tantum impeditos sponsos idoneos reddant, sed etiam omnes de populo ab obligatione denunciandi liberent. Adde his, in dispensationibus hujusmodi indulgendis esse eam romanæ pœnitentiariæ sententiam, ut rescripto nihil immutetur ex iis, quæ ad externum pertinent christianæ reipublicæ cultum. Quum igitur deferendi obligatio, utpote denunciationum sequela, pertineat ad externum christianæ reipublicæ cultum, eadem romanæ pœnitentiariæ rescripto nullo modo dissoluta censebitur.

QUÆSTIO II.

Quid agendum sit parocho, qui ex una sacramentali pœnitentium confessione novit, contracturos non esse jure ad contrahendum idoneos.

Nemo ignorat, qua legis severitate adstringatur, quicumque sacramentalem fidelium confessionem excipiat, ne secretum ullo modo prodat, can. 2 de pœn. dist. 6, cap. 12 in fine de pœn. et rem. Fingamus tamen, parochum ad celebrationem matrimonii advocatum nosse ex sacramentali ipsorum forte contrahentium confessione, subesse inter eosdem legitimum impedimentum, ne matrimonium contrahatur; puta, quod acceperit a vidua secundo nuptura, aut ab eo, qui illam ducturus est, primum conjugem fuisse necatum ab ipsis ineundi matrimonii caussa, aut quod acceperit, affinitatis vinculum ex illicita conjunctione profectum inter contracturos intercedere. Quoties ea sacramentalis confessio præcesserit, nihilominus tamen ii, de quibus agitur, publice matrimonio se jungi postulant, non est dubitandum, quin parochus de more, et juxta consuetum ritum adesse nuptiis, ac benedicere debeat; habetur enim, ac si impedimentum prorsus ignoret, qui impedimentum ex sacramentali tantum confessione cognovit; alias etiam regula est, iis, quorum privata delicta sunt, non esse sacramenta publice deneganda; uti enim theologi ajunt, licet peccatores occulti jus non habeant sacramenta petendi, utpote quæ petunt indigne, jus tamen habent, ut sibi publice petentibus sacramenta non denegentur, argumento canonis 3, cau. 6, qu. 2 et cap. 4 de tempor. ordinat. Hoc adeo verum est, ut ne possit quidem parochus privatum alterutrum ex contracturis quocumque prætextu ad se accire, eundemque licet sibi alias confessum monere, in memoriam, quod ille admiserat, revocando; hoc enim semper esset sacramentalis secreti religionem modis omnibus cautissime custodiendam violare, cap. 2 de offic. jud. ordin. Finge nunc, alterutrum ex iis, qui proxime contracturi sunt

eo ipso tempore, quo ad ecclesiam ventum est, non sine frequentia personarum conjugii celebrandi caussa, a parocho postulare, ut confessionem suorum peccatorum excipiat; atque in sacramentali confessione aperire, se impedimento ex. gr. adfinitatis detineri, ne matrimonium contrahat, poteritne parochus contracturum graviter monere imo et salutaribus remediis cogere, ut a nuptiis contrahendis abstineat? Prudenti quidem viro superesse possent modi non pauci, quibus sine famæ pœnitentis detrimento eousque differendam saltem matrimonii celebrationem consuleret, donec pontificia dispensatio obtineatur. Duos hujusmodi modos proposuit Perez de matrimonio disp. 44, sect. 6, quorum primus est, ut parochus moneat confitentem ad vovendam ad certum tempus continentiam, quo elicito voto palam proponat, qui vovit, se matrimonium ad certum tempus non posse contrahere; interea autem privatim curet, ut a sede apostolica impedimenti, quo detinetur, dispensationem obtineat. Alter est, ut quoties aliter fieri nequeat, matrimonium juxta externum tantummodo ritum contrahatur, seposito animo consummandi conjugium, donec dispensatio impedimenti a sede apostolica obtineatur. At si res undecumque ad eas incitas redacta forte sit (quod tamen admodum raro, ac ne vix quidem contingere posse videtur) ut nullus superesse possit commodus modus nuptiarum differendarum sine publico scandalo, vel suspicione impedimenti, unde nonnihil confessi famæ detrahatur, hodie communis pragmaticorum opinio invaluit, non contemnendis rationibus confirmata, qua traditur, peti quantocius posse dispensationem impedimenti ab episcopo, cui eadem dispensandi potestas in his caussarum adjunctis denegari non posse videtur. Animadvertunt tamen, qui ita opinati sunt, meminisse debere contrahentes, eam dispensationem sibi in foro interno tantummodo suffragari, ac si in romana pœnitentiaria obtenta fuisset.

QUÆSTIO III.

De pœna eorum, qui neglectis, seu omissis sine ordinarii dispensatione denunciationibus, conjugium celebrant.

Quando denunciationum obligatio tota consistit in laudatis conciliorum tum lateranensis, tum tridentini decretis, ad definiendam pœnam, quæ immineat iis, qui eisdem decretis minime obtemperant, exigenda disquisitio est ad tridentinas ipsas et lateranenses sanctiones. Plane in concilio tridentino nihil expresse in hac parte cavetur. Tantum in versiculo *Insuper Parochum* cap. 1, sess. 24 de ref. matrim. statutum fuit, et Parochum, qui sine testium legitimorum præsentia matrimonio adfuerit, et testes, qui sine præsentia parochi conjugio intervenerint, et contrahentes ipsos, qui sine parochi, vel testium præsentia conjugium inierint, graviter esse ordinarii arbitrio puniendos. At de contracti conjugii omissis denunciationibus pœna altum ibidem silentium est. Ceterum cum tridentini patres professi initio fuerint, in sancienda denunciationum disciplina inhærere se vestigiis concilii lateranensis, investigandum erit, quænam in eo concilio pœna præstituta fuerit, ut cum de ea constet, confirmata eadem a tridentinis patribus intelligatur. Distinguamus triplex personarum delinquentium genus, nimirum parochum, contrahentes, ac testes, qui scientes prudentes ad illud conjugium accesserint. Itaque cap. 3, in fine de clandest. despons. statutum est, parochum decreto inobedientem per triennium ab officio esse suspendendum, nimirum episcopi sententia, data etiam episcopi facultate, eundem parochum gravius puniendi, si culpæ qualitas postulaverit. Prosequuntur ibidem lateranenses patres, et ajunt, etiam contrahentes, licet alias ad contrahendum conjugium omnino idoneos, condignæ pœnitentiæ esse subjiciendos; quæ pœnitentia, cum non expresse definiatur, erit arbitrio episcopi designanda. Quod si contrahentes inidonei fuerint, veluti si in gradu prohibito constituti forent, etiam ignoranter in vers. *Siquis vero* cautum ulterius est, ut soboles ex eo conjugio genita illegitima habeatur. De testibus nihil ibidem dicitur: neque enim temporibus lateranensis concilii testes adhiberi in conjugiis oportebat. Proinde concludendum erit, eorum pœnam omnino ab ordinarii arbitrio pendere, quemadmodum dici solet in ejusmodi argumentis, in quibus pœna non expresse in jure constituitur, ac definitur.

DISSERTATIO QUARTA

DE PERSONIS AD CONTRAHENDUM CONJUGIUM IDONEIS.

Huc referendi sunt tituli decretalium, de desponsat. impub., de frigid. et malef., de consanguin. et affin. de cognat. spir., de cognat. leg., de eo, qui cogn. cons. ux., de sponsa duor., de cleric. conjug. qui cler. vel vov., de eo, qui dux. in matr., quam pol. per adult. de raptor., de conjug. serv., de convers. infid. et de matr, contr. contra interd. ecclesiæ.

CAPUT I.

Generalia quædam præcepta ponuntur de legibus certa conjugia improbantibus.

Regula generalis est, qua omnes ad contrahendum matrimonium admittuntur, nisi prohibeantur, cap. 23, de sponsal. Prohibitio autem contrahendi matrimonii ex multiplici jure proficisci potest, in primis naturali lege, deinde etiam positivo jure, sive divinum sit, sive humanum. Et quemadmodum jus divinum duplex indicari potest, alterum in vetere testamento, quo ex. c. intra certos cognationum gradus vetitum fuit inire conjugia, Levitici cap. 18, alterum in novo, quo ex. c. præceptum fuit, ne uxor a viro dimitteretur, Matthæi cap. 19, ita humanum jus duplex dicere possumus, alterum, quod ecclesiastica auctoritate constituitur, alterum, quod principum legibus confirmatur. De ecclesiastica auctoritate satis constat ex antiquissima et perenni disciplina, juxta quam jure optimo sanxit concilium tridentinum in can. 4, de sacram. matrim. sess. 24 his verbis: *Siquis dixerit, ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* Principes præterea aliquando suis legibus præstituisse, quinam possent matrimonia contrahere, quique abstinere deberent, apertissimum fit non solum passim ex vetustis romanorum legibus, verum etiam ex ipsis ecclesiasticis monumentis. Sic Siricius in epist. ad Himerium cap. 6, de vetitis monachorum conjugiis scribens publicarum legum mentionem fecit ibi: *Quod et publicæ leges, et ecclesiastica jura condemnant.* Eadem ratione concilium lateranense sub Callisto II celebratum anno 1123 can. 3, conjunctiones consanguineorum fieri prohibuit, *quoniam eas et divinæ et sæculi legis prohibent*; quamobrem in vetere africano Conc. can. 102, quædam matrimoniorum impedimenta statuebantur, adjecta ea clausula: *In qua caussa legem imperialem petendum est promulgari.* Atque id est, uti arbitror, quod scribebat S. Thomas contra Gentes cap. 78, in Summa ibi: *In quantum est in officium naturæ, statuitur jure naturæ matrimonium; in quantum est in officium communitatis, statuitur jure civili; in quantum est Sacramentum, statuitur jure divino.*

Qualecumque sit jus, quo certa matrimonia prohibentur, vel certa forma in matrimoniis custodienda præstituatur, generales regulæ præjaciendæ sunt, quibus illicita conjugia ab iis, quæ prorsus irrita sunt, secernamus; neque enim in conjugiis recipitur regula, quæ in pluribus aliis viget; et quæ docet, irritum omnino esse, quod fiat prohibente lege, l. 5 cod. de legibus. Equidem matrimonium pactionibus privatorum fit, et contrahitur; at semel initum et contractum caussam habet publicam, et maxime gravem; unde factum est, ut licet legumlatores expedire judicaverint, identidem indicere hominibus, ne ad certa conjugia celebranda deveniant, non semper tamen iidem eadem ipsa conjugia semel inita irritare penitus voluerunt; quasi duplex agnoscendum sit in hac re legum genus, quarum aliæ ad personas contrahentium referantur, aliæ ad contractum ipsum, et priores illicitum tantum, posteriores etiam invalidum matrimonium reddant. Perspicua sunt exempla hujus rei in omni legum genere, naturalium, divinarum et humanarum. Postulat naturæ jus, ut filiifamilias, dissentiente patre, non contrahant. Postulat divinum jus, ut, qui continentiam voverunt, a nupties abstineant. Postulat jus ecclesiasticum, ne feriatis temporibus nuptiæ celebrentur. Postulavit jus civile Romanorum, ne intra tempora luctus uxor vidua ad secundas nuptias

convolaret. Interea vero scimus, nuptias adhuc adversus eadem jura contractas irritas non fuisse; concil. trid. sess. 24 de ref. matr. cap. 1, can. 41, cau. 27, qu. 1, can. 10, cau 33, qu. 4, l. 1 cod. de secund. nupt. Nemo autem putet, id videri in conjugiis penitus singulare, quod privatorum gesta adhuc sustineantur certis in casibus contra publicas legum sanctiones, imo et quoquo modo repugnare, plus valere, quod a privato gestum est, quam valeat publica legum auctoritas. Siquidem in primis observo, conjugia, quæ licet contra leges contracta quandoque subsistunt, non ideo subsistere, quod privatorum voluntas legi prævaleat, sed quod lex ipsa, ut subsisterent, decrevit, quemadmodum, ne subsisterent penitus, decernere potuisset. Deinde observo, id non esse adeo singulare, ut careat prorsus exemplo, in iis nimirum negotiis, quæ prohibenda fuerunt ob certas caussas, acta tamen non evertuntur, quoties publica expediat non everti. Interdictum ex. gr. fuerat editum a prætore, ne in loco publico quidquam fieret; proindeque non jure quis erat in loco eodem ædificaturus. Quod si quisquam ædificasset, cogendus non erat demolire, quia prohibitorium interdictum erat, non restitutorium, l 2, § 17 ff. ne quid in loco publico. Aliud exemplum est in eo, qui sciens prudens ex alienis cæmentis ædificium construxit. Non jure quidem ædificavit, attamen interea publica utilitas suasit, ne ædificium dejiceretur, § 29 instit. de rer. divis. juncta l. 1. ff. de tigno juncto.

Itaque rei summa in eo consistit, ut indicetur, quandonam leges illicitum tantum matrimonium esse voluerint, quandonam etiam irritum. Amplissima heic aperitur disputandi materies, quæ universa conjugiorum impedimenta complectitur. Quamobrem juvabit initio paucis tradere regulas generales, uberius deinde in singularibus explicandis conjugiorum legibus demonstrandas. Quidquid passim tradere interpretes atque universi pragmatici soleant, ego distinguenda puto triplicis generis jura, nimirum naturale, divinum, et positivum humanum, sive ecclesiasticum sit, sive civile. Quoties agatur de legibus, quas natura præstituit, secernenda sunt quadruplicis generis vetita; alia enim ideo conjugia quædam improbant, quod desit conjugiorum forma substantialis, ut scholæ loquuntur; alia ideo improbant, quod conjugii finis obtineri nequeat; alia ideo, quod conjugiorum honestas abhorreat, alia denique ideo, quod in generalia quædam principia impingant extra conjugii caussam, sive, quod conjugium minus honestum reddant ex accidenti, atque ex adjunctis conjugio ipsi prorsus extraneis. Cum vetita sunt primi generis, quando nimirum ideo conjugia certa improbantur naturæ jure, quia deest forma substantialis, statim conjugium erit irritum; siquidem repugnat rem esse, ubi rei substantia desideratur. Exemplum est in eo conjugio, in quo consensus contrahentium integer non est, quoniam potissimum consensus matrimonium facit Sic irritum erit conjugium a furioso, ab amente, a coacto, a pupillo contractum. Cum vetita sunt secundi generis, quando nimirum ideo conjugia certa improbantur, quod obtineri nequeat naturalis conjugii finis, quoniam multiplex esse potest conjugii finis, ideo non una regula respectu omnium præstituenda est. Est primus, et præcipuus conjugii finis, caussa perennis adjutorii, quod uxor marito præstat, juxta ea, quæ in prima dissertatione expendebam; qui sane si desit, caussam præbebit irrito pronunciando matrimonio, etenim præcipuus matrimonii finis a substantia matrimonii non longe recedit, imo et ad substantiam pertinet, eandemque informat, qui propteræ si deficiat, et deficere substantiam necesse est. Quamobrem duorum masculorum consensionem matrimonium non dicemus, quod non ex sexus naturali qualitate demonstretur, quis alteri adjutorium præstet, sed æque principalis videatur utriusque persona. Sunt alii conjugii fines, qui naturaliter insunt conjugiis, non tamen adeo ipsis cohærent, ut consensione contrahentium divelli non possint, uti est susceptio prolis, quæque huic famulatur, ac servit, sedandæ incontinentiæ ratio. Isti autem si desint, irritabunt conjugium tum demum, quoties contrahentes in ipso contractu de eisdem cogitaverint; non vero si contrahentes ipsi prudentes scientes eosdem non curavisse fines professi fuerint. Hæc facile et statim percipiuntur ab illis, qui recte noverunt substantialia contractuum a naturalibus distinguere, optime gnari, substantialia nunquam avelli posse, naturalia consensione contrahentium separari valere. Hinc est, ut qui sibi matrimonio junxerit eum, qui impotentiæ vitio laborat, et quidem ignoranter, petere possit, ut irritum conjugium declaretur, quamquam si sciens prudens vitii contraxerit, naturali juri satisfactum sit, nec jure naturæ inspecto valeat conjugium discindere, quasi liber a quocumque vinculo. Cum vetita sunt tertii generis, quando nimirum ideo certa conjugia improbantur, quod eadem intima conjugii ipsius honestas ab illis abhorreat, neque dubitandum est, irritas habendas esse conjunctiones. Etenim inhonestas illa, quæ intime conjugium ipsum inficit, et fœdat, adeo probrosam exhibet undecumque conjunctionem, ut nihil in ipsa supersit, quod valeat a natura ipsa firmari. Hinc multiplices plurium uxorum conjunctiones irritæ erunt, firma tantum manente prima, quod secundæ uxoris superinductio fœditatem conjugio intime inhærentem exhibeat; eademque ratione irrita conjugia erunt inter eos contracta, qui ob arctissimam necessitu-

dinem, puta sanguinis vinculum, conjungantur, uti sunt pater et filia, mater et filius, et personæ proxime ad has accedentes. Cum denique vetita sunt postremi generis, nimirum quod certa conjugia in generalia quædam principia impingant extra conjugii caussam, sive quod conjugium minus honestum reddant ex accidenti, atque ex adjunctis conjugio ipsi prorsus extraneis; alia regula tradenda videtur, hoc est, conjugia eadem illicita fieri, quod non undecumque præceptis omnibus conveniant, non autem irrita, quod ipsa per se adhuc firma sint juxta singulares naturæ conjugiorum leges, neque enim adeo natura negligit omnia conjugii per se honesti bona, ut ea insuper habenda præcipiat, quotiescumque quædam aliunde emergant extra conjugii caussam improbanda. Hinc est, ut licet perperam agat filiusfamilias sine consensu parentum conjugium contrahens, aut qui vovit continentiam matrimonium celebrans, nihilominus tamen firmum conjugium habeatur; quia duo illa præcepta generalia sunt, non unam matrimonii caussam spectant; et primum ea respicit universa, in quibus obsequium erga parentes exhibendum sit, alterum ea omnia, in quibus data Deo fides nusquam rescindatur.

Quod si de divino jure sermo instituatur, sive illud in vetere, sive illud in novo testamento constitutum proponatur, triplicis generis præcepta secernenda sunt; alia enim naturale jus aut clarius explicaverunt, aut paullo latius produxerunt; alia ad augendam sanctitatem conjugii pertinent; alia denique generalia sunt, nec ad matrimonia singulari jure referuntur, quibus propterea non aliter matrimonio lex dici visa est, quam quia matrimonium sub certo genere contineatur. Si divina præcepta naturæ institutiones clarius pandant, cum legis interpretatio pars legis sit, idem de divinis institutionibus dicendum est, quod de naturalibus modo dicebam, uti statim liquet consideranti, in eisdem divinis institutionibus non novum quid exhiberi, sed potius, quod natura præstituit, luculentius indicari, aut etiam confirmari. Idque ipsum dicendum est, ubi divino jure quidquam adjectum fuit ad extendenda naturæ præcepta; si enim ex. gr. dicas, in cap. 18 et 20. Levitici divino jure positivo extensum esse conjugii interdictum ad eam speciem, qua prohibeatur marito, ne uxorem ducat sororem uxoris, extensum, inquam, naturale interdictum de non ducenda sorore, et similia; ego facile concludo, quemadmodum natura ita aversata fuit conjunctiones fratrum, et sororum, ut irritas omnino redderet, ita divinam positivam legem adeo abhorruisse nuptias inter maritum et sororem uxoris, ut irritas penitus faceret. Siquidem juris extensio illud ipsum operatur, ut eadem obtineant in specie, ad quam extensio fit, quæ obtinent in specie, a qua fit extensio. At si de jure positivo divino agatur, quod conjugii sanctitatem adaugeat, quemadmodum adparet in Evangelio, in quo conjugia ad sacramenti sanctitatem evecta fuerunt, dixero, eos, qui spernunt ejusmodi divinas leges, aut quoquomodo eisdem divinis legibus non utuntur, non ideo irritum conjugium celebrare. Revera leges istæ non ideo latæ sunt, ut conjugium alias contractum abominabile redderetur, sed potius ut daretur occasio contrahentibus, magis magisque merendi apud Deum, proinde qui non utitur divino præparato subsidio, gratiam quidem Dei contemnit, aut insuper habet, non ipsa violat jura conjugii, quasi adversus honestatem. Denique si agatur de divinis positivis præceptis, quæ non directo ad conjugia pertinent, sed possunt ad conjugia pertinere eatenus, quatenus conjugia ipsa sub certo genere continentur, fere non est verum, conjugia irritari, sed tantum illicite contrahi. Proferamus exempla. Divino jure generaliter implenda sunt vota. Siquis ergo post votum continentiæ emissum nuptias contrahat, adversus jus illud divinum contrahere intelligitur. Divino jure generatim jubentur clerici, a secularibus negotiis abstinere. Siquis ergo clericus uxorem ducat, liberisque det operam, quod familiaribus obvolvi negotiis debeat, in divinum jus sane delinquit. Divino jure evitanda est malorum hominum, et in criminibus pervicacium societas. Siquis ergo in crimine pervicacem conjugem sibi jungat, Dei præcepta non servat. Porro in his, ac similibus speciebus non ideo irritum divino jure matrimonium dicemus; quia illa præcepta generalia sunt, nec de conjugiis singulari formula concepta. Quæris hujus regulæ caussam? Duplicem demonstrabo. Prima est, quod licet generalia illa præcepta firmissima sint, atque sanctissima in genere suo, attamen cum singulariter ad conjugia referenda sunt, inveniunt, quoque divinis legibus firmatam conjugiorum stabilitatem, quando divinæ etiam leges, sive ob bonum humanæ universæ societatis, sive ob bonum prolis regendarumque familiarum, conjugia semel inita, utut non omnino recte, consistere voluerunt, eodem fere modo, quo superius tradidi, humano jure statutum esse, non dirui ædificia ex alienis cæmentis erecta boni publici caussa, licet graviter delinquat, qui alienis cæmentis usus fuit in construendo. Quamobrem ibi conflictus quodammodo fit duplicis juris, et utriusque divini, hinc matrimonia firmantis, illinc matrimonia improbantis; propptereaque lex specialis conjugiorum generali principio minime cedit, juxta vulgatam regulam, quæ postulat, ut in concursu generalium, et specialium, specialia præ generalibus attendantur. Altera caussa est, quod ea præcepta matrimonium generaliter improbantia, in quibusdam rerum adjunctis locum habere non videantur ob sin-

gulares quasdam emergentes caussas, quas interpretari quisquam posset a generali lege exemtas esse. Quid enim, si quisquam insigni virtute præditus ideo sibi jungat perditum moribus conjugem, ut eum in meliorem frugem adducat? Quid, si expediat voventi, matrimonium contrahere, juxta Paulli apostoli consilium: *melius est nubere, quam uri*? Divinum illud jus generale non adeo facile dixerim his etiam adjunctis imminere, ut homines quacumque auctoritate, ac consilio præditos vinculo nunquam concutiendo devinciat. Itaque cum hæc, ac similia adjuncta in singulorum conscientia versentur, ac teneantur, non adeo rigide divinas leges iis accommodabimus, ut semper dissolvenda fore conjugia credamus, proindeque tutius est, quidquam contrahentibus indulgere, sibi imputaturis, si forte latius, quam par sit, a divino jure recesserint. Dixi in proposito, *fere* non esse verum, conjugium irritari, indicaturus ad hanc regulam probabilem exceptionem. Nimirum si præter generalem divinam legem, adsit altera divina lex specialis conjugia prohibens, non dubitabo, quin irrita conjugia esse debeant, quasi Deus cum generali legi suæ specialem alteram legem de conjugio addiderit, professus fuerit, se sine discrimine velle, generalem legem in conjugio adamussim servari. Presto etiam sunt gravissima hujus exceptionis exempla. Prodierat in judaico populo divina lex generalis de tribubus minime confundendis, deque non turbandis finibus agrorum singulæ tribui adsignatis. Addidit Deus specialem legem de conjugiis inter personas diversæ tribus, una excepta levitica, non contrahendis, ne occasione dotium, ac legitimarum successionum, prædiorum dominia de una in aliam tribum transferrentur. Quis non dicat, conjugia adversus et generalem, et specialem legem contracta, irrita omnino fuisse? Prodierat apud Judæos divina lex, ne Judæi facile gentibus commiscerentur. Addidit Deus specialem legem de non ducendis alienigenis uxoribus. Hinc ordinario jure alienigenæ ductæ uxores expellendæ fuerunt, conjugio penitus irritato. Etiam in evangelio lex edita fuit, non conversandum cum infidelibus, præsertim ab iis, qui recens baptizati fuissent. Adjecta fuit tradente Paullo apostolo specialis lex connubiorum, qua cautum est, conjugem baptizatum posse recedere a conjuge infideli, quoties conjux infidelis habitare cum fideli nolit sine injuria conditoris. Hinc profectum est, ut in hac specie matrimonium, quod alias firmum esset, irritari facile possit.

Nunc ad jus positivum humanum sive ecclesiasticum sit, sive civile, convertatur oratio. Equidem ego non dubito, quin potuerint legumlatores prohibere certa conjugia, modo tantum ita, ut conjugium alias contractum illicitum haberetur, modo etiam ita, ut irritum penitus fieret. Tota quæstio in voluntate legumlatorum sita est. Et quando consueverunt legumlatores, ubi voluntatem haberent conjugium irritandi, prohibenti vel præcipienti legi suæ irritans decretum adjicere, capio exinde gravissimam conjecturam, qua concludatur, conjugia contra leges tum demum irrita esse; quum legi ipsi decretum irritans adjectum est, et e contrario illicitum tantum esse conjugium, quando lex decreto irritante munita non adparet. Unicum et gravissimum hujus rei exemplum profero apud antistites tridentini concilii, qui, uti alias observabam, in cap. 1, sess. 24 de reform. matrim. legem sancientes, qua matrimonia sine denunciationibus, ac sine præsentia parochi, et testium improbarentur, in prima parte, in qua de denunciationibus agitur, decretum irritans non adjecerunt, adjecerunt autem in altera parte, in qua agitur de præsentia parochi, et testium; quamobrem recipi debuit, negligentes tridentinam sanctionem quoad denunciationes, adhuc conjugium revera contrahere; utut illicite; at negligentes tridentinam sanctionem quoad præsentiam parochi, et testium, ne valide quidem contrahere. Res plana foret, si leges humanæ perpetuo aut decretum irritans adjecissent, expresse, aut ab omni formula abstinuissent, quæ vires decreti irritantis habere videatur. Quamobrem heic aperitur latissima disputandi via quoad formulas, quibus decretum irritans continetur. Neque enim necessarium est, ut legislator expresse dicat, se conjugium contra legem contractum irritare: quippe sunt quædam leges, in quibus aut tacite decretum irritans inest, aut decretum irritans adjectum fuisse ex quadam adjecta æquipollenti formula deprehenditur. Expatiabor inferius per varias hujusmodi leges, unde res universa conficiatur. Interea tamen juvabit, certa generalia saltem principia posuisse. Itaque in primis tacite decretum irritans aliquando inesse censetur; etiamsi non expressis verbis adjiciatur. Id primo contingit, si renovetur lex vetus, quæ in desuetudinem abierit, aut confirmetur lex vetus, ne quandoque contemnatur, cui legi veteri decretum irritans adjectum fuerit; lex enim nova renovans, vel confirmans veterem, censetur aut renovavisse, aut confirmavisse veterem in quacumque sui parte, ac propterea etiam in ea, in qua decretum irritans continebatur. Secundo contingit, si lex vetus decreto irritante munita ampliores casus pluresque complectens, ad pauciores coerceatur, etiamsi enim lex nova coercens veterem non adjiciat novum decretum irritans respectu eorum, quæ retinentur, in iis tamen lex vetus omnino firma remanet una cum decreto irritante. Quamobrem in concilio lateranensi cap. 8 de cons. et affin. cum cautum fuit, ut vetus disciplina de septem consanguinitatis gradibus abrogaretur, et interdictum conjugii tantum

intra quatuor gradus contineretur, dicendum est, decretum irritans intra quatuor gradus contrahentibus imminere. Tertio contingit, si lex vetus certos casus comprehendens extendatur in eodem genere ad casus ulteriores, quemadmodum contigit olim in iis legibus, quæ gradus consanguinitatis ad septimum usque provexerunt, in quibus non erat antea interdictum conjugium. Siquidem nova lex veterem producens ad casus ulteriores in eodem genere, etiam producere intelligitur decretum irritans legi veteri adiectum. Exemplum hujus rei etiam in ea specie demonstrari potest, in qua cum olim interdictum esset cognatis, conjugia inter se contrahere, cognatio deinde protracta est ad necessitudinem spiritualem ex baptismate, vel civilem ex adoptione proficiscentem. Deinde aliquando propositas scimus fuisse leges, in quibus non expressum est decretum irritans, sed æquipollens adjecta fuit formula. Quid enim ex. gr., si post certa interdicta conjugia, pœna adjecta fuerit, ut ex iis conjugiis liberi geniti sint illegitimi, quemadmodum in l. 45 cod. de episc. et cler.? Formulam illam arbitror decreto irritanti æquipollere, quoniam regula est, ex conjugio tantum illicito, non irrito, liberos legitimos nasci. Quid vero, si in prohibente lege dicatur, certa conjugia tanquam incestus, et adulteria habenda esse? Idem ego facile recipiendum arbitrabor; quod enim ad adulterii, et incestus turpitudinem refertur lege, pro rata, et firma conjunctione haberi nullo modo potest. Qua tamen in specie notatu dignum est, nomine legis his formulis conceptæ, ardentiores quosdam sanctorum patrum privatas sententias non esse intelligendas; non enim ignoro, quasdam ex vetustis patribus quædam illicita et valida conjugia turpibus his nominibus appellavisse ad horrorem sceleris concitandum, vel inter disputationes alacres de ea re susceptas, vel in familiaribus suis epistolis zelo acri refertis ad redarguendos homines in ea conjugia proclives; quo sensu Augustinus ajebat, eos, qui ita loquuntur, paullo acutius disserere, can. 41, caus. 27, quæst. 1. Præterea decretum irritans per æquipollentem formulam expressum esse censebimus, ubi auctor legis dixerit, conjunctionem, quam ipse prohibuerint, tanquam matrimonium non esse habendam, uti in can. 40, caus. 27, quæst. 1. Quod si auctor legis post interdictum certum conjugium adjecerit, fieri adversus contrahentes dissociationi, seu dissolutioni locum, multum intererit observare, num verba dissociandi, aut dissolvendi, concepta fuerint in matrimonium ipsum, an in contrahentium personas. Quoties enim ita ex. gr. edictum sit: *conjugium ipsum dissolvimus, vel dissociamus*, irritatum matrimonium dixero, non vero quoties ex. gr. edictum sit: *contrahentes dissociari, ac dissolvi mandamus.* Idem discrimen observandum erit, ubi legislator usus fuerit verbo *damnamus*, nam si certis pœnis damnari jusserit contrahentes, aut lege expressis, aut in judicis arbitrium collatis, ex. gr. pœna excommunicationis, tum illicitum tantum, non irritum conjugium dicam; at si statuerit, damnari conjugium ipsum, clausulam istam decreti irritantis vim habere intelligimus, ex eo quod non aliter conjugium ipsum damnari percipitur, nisi quatenus penitus dissolvatur. Exempla damnationis in personas conceptæ, extant in can. 8 et 9, distinct. 27.

Sunt ista generalia veluti præcepta, quibus via planissime sternitur ad leges universas expendendas, quibus matrimoniorum impedimenta præstituta fuerunt. Agedum igitur, et propius accedamus ad rem, investigando, et personas ad contrahendum conjugium idoneas, et solemnitates, ac formam contrahendi conjugii, quibus omissis, aut deficientibus modo irritum conjugium sit, modo tantum illicitum.

CAPUT II.

De iis, qui natura conjugium contrahere nequeunt.

Ex jure naturæ conjugium contrahere prohibentur, quicumque caussa ætatis, aut naturalis impotentiæ, seu caussa furoris, aut amentiæ vel coire non possunt, vel assensum præstare. Ex caussa ætatis prohibentur illi, qui nondum puberes sunt masculi, aut nondum viripotentes feminæ, sive quod in istis nondum præsumi queat vera, perfectaque consensio, quæ conjugiis formam præbet, sive quod desit istis generandi potestas, cap. 8 de despons. impuber., can. 11, caus. 30, quæst. 2, l. 4 ff. de ritu nuptiar., ex quo sequitur, hoc impedimentum, cum ad substantiam matrimonii referatur, in caussa esse, ut matrimonium eo non obstante contractum irritum penitus sit habendum. Forte quemquam turbare poterit capitul. 2 de desponsat. impub., ubi constituitur quidem, nonnisi post legitimam ætatem contrahi posse conjugia, statim tamen adjicitur, aliquando posse eam conjunctionem *tolerari*, quum nimirum *urgentissima necessitas interveniat, utpote pro bono pacis.* Ego in meis adnotationibus in canones gratianeos ad canonem 1, caus. 30, quæst. 2, ex quo dictum capitulum depromptum videtur, jam monumentum istud apocryphum esse judicavi, præsertim vero tamquam recentiore manu adjecta rejeci postrema illa capituli verba, quæ difficultatem inducunt: *nisi forte aliqua urgentissima necessitate, etc.*, quamquam habeantur in prima collectione decretalium, c. 4 de despons. impub. Facile autem est conjicere, ea verba primum irrepsisse in textum

primæ collectionis ex quadam marginali adnotatione, ab eo forte adjecta prope finem sæculi duodecimi, qui nosset, aliquando conjugia impuberum dissoluta non fuisse. Referri huc potest decretum quoddam cantuariensis concilii sub Richardo archiepiscopo celebrati anno 1173 in can. 35 apud Mansium in supplemento labbeano ita conceptum. *Non contrahatur matrimonium inter aliquos infra annos, nisi ex dispensatione inter principes, vel magnos viros, reconciliationis, vel pacis caussa*. Visa fuerat tunc temporis aliquibus hæc exceptio non parum opportuna, quando discisso in frustula imperio occidentali, emergebant in successionibus provinciarum identidem gravissima dissidia, uti nemo ignorat, unde fieret, ut per conjugiorum stipulationes etiam ab impuberibus factas publicæ tranquillitati remedium quoddam adferretur; quamquam dici posset, non ea proprie fuisse conjugia, sed firmiores quasdam desponsationes, a quibus non facile concederetur recedere. Ceterum hæc exceptio, cujuscumque auctoritate prodierit, regulam firmat potius, quam enervet; quamobrem generaliter concludendum erit, sacris etiam canonibus pubertatem esse in contrahendis nuptiis expectandam. Sed heic quæstio emergit vulgatissima præsertim apud veteres, a quo tempore et masculi puberes, et feminæ viripotentes dicendæ sint. Apud priscos romanos jureconsultos acris exarserat controversia in scholis Cassianorum et Proculejanorum: nimirum Proculejani ex annis, Cassiani ex corporis habitu pubertatem existimabant, uti testatur Ulpianus in fragmentis tit. 11, § 28. Visa primum fuit turpis disciplina Cassianorum respectu feminarum, quibus proinde certa determinata fuit ætas, nimirum annorum duodecim, qua completa crederentur viripotentes. Quamobrem Papinianus licet in Cassianorum schola institutus non dubitavit adfirmare, tutorem puellæ esse desinere, si puella duodecimum annum implevisset, leg. 43, § 2 ff. de tutor. et curator. datis. In eandem sententiam ivit Constantinus, statuens, feminas propter verecundiam cœtui publico non esse exhibendas, leg. 2 cod. de his, qui veniam ætatis. Et jamdiu ante sua tempora id viguisse, testatur, Justinianus in l. 3 cod. quando tutores, et princ. instit. quib. mod. tut. finitur. Sunt qui putant, temporibus Ulpiani, aut saltem paullo postea, videlicet temporibus Diocletiani et Maximiani, Proculejanorum sententiam præ Cassianorum opinione publice fuisse receptam, imo et legibus confirmatam, et ad eam rem proferunt Ulpiani doctrinam in leg. 2 ff. de vulg. et pupil. substir., ubi legitur, parentes pro liberis impuberibus posse facere testamentum, *donec masculi ad quatuordecim annos perveniant, feminæ ad duodecim;* item proferunt rescriptum Diocletiani et Maximiani in l. 4 cod. qui testam. fac., ubi definitum est, enervari non posse testamentum factum a masculo, qui quartumdecimum ætatis annum complevisset, eo prætextu, quod necdum pubes existeret. Ego tamen vereor, ne qui in hanc descenderunt opinionem, a germana romanarum legum sententia paullisper deflectant. Etenim in primis adversus Ulpiani monumentum ego oppono monumentum Paulli, qui sane erat Ulpiano ipsi coævus. Meminit autem Paullus in l. 32 ff. de minoribus, adspectus corporis, quo minores perfectam ætatem suam in judicio demonstrabant. Deinde adversus rescriptum Diocletiani et Maximiani ego oppono laudatum, et quidem recentius Constantini rescriptum in dicta l. 2, cod. de is, qui veniam ætatis, ubi cum Constantinus in feminis expresse caverit, ne in judicio ob verecundiam se sisterent corporaliter ad demonstrandam perfectam ætatem, nihil autem simile de masculis edixerit, satis indicavit, eam adhuc mansisse disciplinam in masculis, quam Cassiani suis clientibus proponebant. Denique adversus utrumque, et Ulpiani, et Diocletiani ac Maximiani monumentum, oppono Justiniani auctoritatem, qui tum in l. 3 cod. quando tutores, tum in princ. instit. quando tut. fin., expresse testatus est, se primum abolevisse in masculis Cassianorum opinionem, exemplo veterum, qui eam in feminis jampridem improbaverant. Neque vero quisquam poterit de tam turpi mendacio Justinianum redarguere, quasi novam legem se dixisse profiteatur, quæ nova non erat, et quasi se publice ridendum exhibuisset, qui adeo manifeste voluisset, et in evidenti facto nubem ob oculos universorum inducere. Etiamsi enim dare velis egregium quemquam impostorem, poterit quidem ipse antiquarum rerum imagines mutare, turbare, non tamen eveniet, ut tuto profiteri posset, se rem novam invehere, quando res jam ab universo populo tenebatur. Quid ergo, inquies, dicendum erit de monumentis tum Ulpiani, tum Diocletiani et Maximiani? Deprehendo, agi in iis de ultimis voluntatibus, nimirum apud jureconsultum de pupillari substitutione, et apud imperatores de testamento illius, cujus pubertas in controversia erat. In utroque sane casu investiganda erat pubertas non viventis, sed vita functi, et forte jam tumulato cadavere. Turpe erat, ac semper fuit Romanis in cadavera inspicere, imo et turpius, defunctorum requiem, sepulchrorum excavatione turbare. Quod si adjiciam, mortuorum cadavera consuevisse tum igne cremari, qua ratione ex corporis habitu, et aspectu judicari de pubertate potuisset? Quamobrem si in proposito satius duxere et jureconsultus, et imperatores Proculejanorum opinioni adhærere, et insuper habere Cassianorum traditiones, non exinde concludere oportet, in universum Cassianorum disciplinam damnavisse, atque abrogasse,

ut neque locum haberet in nuptiis celebrandis, neque in tutela finienda; præsertim cum novum mihi non sit, pubertatem in diversis caussis diversa ratione fuisse æstimatam. Hujus rei argumento est lex 14, § 1 ff. de aliment. et cibar. leg., in qua cum proponeretur, fuisse relicta alimenta *usque ad pubertatem*, definitum fuit, ut masculis usque ad 18, feminis usque ad 14 annum deberentur, quasi in ea specie pubertas ab iis annis inciperet; adjecta ratione: *Etsi generaliter pubertas non sic definiatur, tamen pietatis intuitu in sola specie alimentorum hoc tempus ætatis esse observandum, non est incivile.* Quidquod et in l. 40, § 1 ff. de adoption., in adoptionibus plena pubertas ad annum usque decimumoctavum extenditur? Si ergo in aliquibus speciebus pubertas non ex regulis generalibus definienda fuit; quid repugnat, salva nihilominus, et integra remanente in reliquis Cassianorum opinione, in singularibus caussis, in quibus de pubertate defunctorum ageretur, ex annorum ratione potius definitam eandem fuisse, caussa rei quodammodo religiosæ? Amplius dicam. Et quidem si de Ulpiano loquar, nonne in dicta l. 2 ff. de vulgari, et pupill. sequi ipse potuit, aut voluit potius Proculejanorum, quam Cassianorum sectam? Erat ipse jureconsultus, cui in re auctoritate juris necdum definita, liberum erat, quam maluisset opinionem amplecti, argumento l. 5 ff. qui test. fac. Adde, in eo loco non sollicitum fuisse Ulpianum, ut pubertatis tempora definiret, sed ut formulam pupillaris substitutionis exhiberet; in qua exhibenda parum intererat ejus, qui certa juris principia, certamque disciplinam docebat, verba concipere Proculejanorum potius, quam Cassianorum opinionibus accommodata. Quod si de rescripto Diocletiani et Maximiani loquar, observo, illud esse rescriptum omnino privatum, ad Radonem quendam directum consulentem imperatores in singulari suborta controversia, ad cujus definitionem non videntur imperatores iidem novum quoddam, et generale jus constituisse, uti verba ipsa rescripti facile demonstrant; Porro suadet recta interpretatio rescriptorum, non esse ista, præsertim cum privati alicujus propositam caussam spectant, ad alias species extendenda. Propositum erat, solemne factum fuisse testamentum ab eo, qui decimumquartum ætatis annum excesserat, deinde post aliquod tempus obierat. Qui ab intestato hereditatem petebat, allegabat, tempore testamenti nondum in testatore emersisse vigoris vestigia, forte probandi contrarium in heredem scriptum obligationem conferens. Quid mirum, si imperatores rescripserint, frustra agnatum conari? Testamentum erat certum, certa erat testatoris ætas, quæ annum decimumquartum excedebat. An vigoris emersissent vestigia, incertum fuerat. Ubi id versabatur in dubio, favore testamenti alias certi rescribere religiosum erat. At enim etiamsi constitisset, necdum vigoris emersisse vestigia, non id impingebat in certas juris regulas, sed tantum obnoxium erat disputationibus Cassianorum, et Proculejanorum. Eo autem tempore in testamentis prævalere cœperat in foro opinio Proculejanorum; hinc Ulpianus in dicta l. 5 ff. qui testam. fac. scribebat, non quidem certum, sed *verius* esse, illum, qui decimumquartum annum excesserat, testamentum facere posse. Propterea Diocletianus et Maximianus rescripserunt, frustra conari agnatum adversus testamentum, quod judices in foro Proculejanorum placitis adhærere cœpissent. Interea tamen nondum publicis legibus Cassianorum opinio abolita fuerat, sed adhuc fuerunt usque ad tempora Justiniani, qui ad evadenda quæcumque litigia tempora cassianeæ pubertatis observarent, ut tutius agerent, et sine omni discrimine. Adde his, ignorari, an rescriptum Diocletiani et Maximiani omnibus esset perspectum, et passim reciperetur. Duplex est conjectura, ex qua concludi posset, illud non potuisse in generalem disciplinam abire. Prima est, quod, ut modo dicebam, ad privatam caussam pertineret; altera est, quod in codice theodosiano desideretur. Itaque primus Justinianus lege publica pubertatem voluit annorum determinatione finiri, indecoram dicens etiam in masculis cassianeam pubertatem, l. 3 cod. quando tutores, princ. instit. quib. mod. tut. finitur. Quo tempore Longobardorum incursibus romanum imperium turbabatur, sperni cœpit justinianea disciplina, ac tum pueri, tum puellæ ab aliquibus matrimonio jungebantur, licet adhuc impuberes; atque ob eam rem hæc conjugia damnari penitus Longobardorum legibus debuerunt, uti liquet ex l. 2 leg. longobardar., tit. 1, num. 40, tit. 8, num. 2 et 11. Post hæc et romano et Longobardorum jure perspicue definita, non defuerunt, qui scripserint, juris ecclesiastici auctoribus aliud placuisse, eorumdemque auctoritate cautum, ut non ex annis, sed potius ex facultate generandi ætas contrahentium, et contrahendi potestas sit dimetienda, quasi auctores canonum indecoram reduxerint Cassianorum opinionem; idque putarunt se deducere ex cap. 3 de despons. impub. Non possunt hæc meo judicio sine sacrorum canonum injuria quadam pronunciari. Num enim, quod in feminis olim visum fuerat impudicum, quodque in masculis castitate suorum temporum indignum dixit Justinianus, dicemus, facile sacris canonibus receptum deinde fuisse, quasi non adeo religiosa fuerit ecclesiasticorum patrum verecundia, et honestas, quam veterum jureconsultorum, ac principum? Absit hæc de modestissimis viris suspicari, nedum adfirmare. Equidem verum est, Isidorum his-

palensem in dicto cap. 8 de despons. impuber. scripsisse, puberes ex habitu corporis appellari. Verum miror, quod hinc argumenta a viris dialecticis proferantur in medium; etenim quod ibidem tradidit Isidorus, pertinet ad simplicem nominis etymologiam, quam sanctus vir explicabat, de vocabulorum derivatione tantum sollicitus, non vero ad juris effectus, quibus ratio haberetur conjugii contrahendi, de quibus Isidorus minime agebat. Adde his, non fuisse compertas Justiniani leges Isidoro, utpote qui in Hispania degebat, in qua solus theodosianus codex observabatur, is, inquam, codex theodosianus, in quo laudatum rescriptum Diocletiani et Maximiani desiderabatur, eamque ob rem apud Hispanos nondum erat publica lege finis impositus disputationibus Cassianorum et Proculejanorum. Non ignoro tamen, illud aliquando in ecclesiastico jure definitum fuisse, ut si post contracta inter legitima ætate minores conjugia certis argumentis demonstrata fuisset pubertas, puta quia quis prolem infra legitimam ætatem edidisset, aut suscepisset, contractus ille conjugii firmus judicaretur, argumentis cap. 6 et ult. de desponsat. impub., quod usuvenire tunc potissimum potuit, quando clandestina matrimonia irrita non habebantur. Sed hi singulares casus nihil habent commune cum generali lege, quæ suadet, non esse ante certam ætatem matrimonia celebranda: neque ipsemet Justinianus, qui castitati suorum temporum convenire decrevit, ut ne ex habitu corporis pubertas æstimaretur, hujusmodi conjuges dissociandos esse dixisset, quando certum est, ipsum edixisse, in hac generationis materie legem obsequi debere, non imperare naturæ, l. 12 cod. de legit hered., juncta l. 27 cod. de nuptiis. In conspectu horum omnium jure optimo concludemus, legem conjugiorum impuberibus dictam duplicem habere partem; in prima jus naturæ versari, quod et consilii expertes, et necdum corpore idoneos a conjugio repellit: in secunda jus positivum versari, quod, ex naturali quadam verecundia corporum inspectione sublata, certa tempora determinavit, quibus primum contrahentes præsumerentur puberes, ac propterea idonei. Prima illa pars, conjugii substantiam spectat, propptereaque adversus illam contrahentes nihil agent. Altera pars, qua pubertas annorum numero designatur, naturam quidem sequitur in iis, quæ ut plurimum contingunt, non semper tamen cum natura consistit, quoniam natura in quibusdam citius, in quibusdam tardius, et animi et corporis vires absolvit, atque in hoc non naturalis, sed positiva lex est mutationi obnoxia. Porro in posteriore hac parte illud erit officium publicum, ut nemo ad conjugium infra designatam ætatem admittatur, quod si ad conjugium jam accesserit, ad dissolutionem conjugii deveniatur, quasi nunquam constiterit, nisi natura ipsa facto, veluti prole suscepta, demonstraverit contrahentes vere idoneos fuisse. Nunquam vero indulgendum est, ut matrimonia contrahantur inter pupillos, etiamsi profiteantur, se idoneos esse, et paratos ad conjugii fines; siquidem, ut utar phrasi Innocentii III, in cap. 6 in fine de frig. et malef. *de talibus, non est facile judicandum, cum finale judicium pendeat ex futuro.*

Non, quemadmodum de impuberibus dictum est, de senibus etiam utut provectissimæ ætatis recepta fuit disciplina. Quamquam enim apud veteres lege Julia, et Papia conjugio interdictum fuerit, viris sexagenario, et feminis quinquagenario majoribus, ea tamen lex non diu viguit, abrogata primum a Claudio Cæsare, uti testatur Svetonius in ejus vita, cap. 13, deinde abs Justiniano in l. 27 cod. de nuptiis: nimirum licet vix ex illis nuptiis sperari soboles possit, experientia tamen constitit, aliquando frustra naturæ viribus generalem ab hominibus legem imponi, quemadmodum tradidit Justinianus idem in l. 12 cod. de legit. hered., quamobrem sicuti Romanorum jure recipiendum fuit, ut senilis ætas nuptiis impedimento non esset, l. 6 ff. de liber. et posth., ita ecclesia nullo unquam tempore senes a nuptiis arcuit. Quod si adhuc quæratur, cur leges temperaverint a definienda provectorum ætate, quando ætatem puberum definiverunt; alias autem utroque in casu jugum quodammodo naturæ viribus imponatur: ego facile dixero, legum auctores in conjugiis potissimum respexisse ad integrum animi judicium, utpote quod præcipue matrimonium facit, istud enim vel in ipsa ingravescente senum ætate vigere solet, licet corporis vires paullatim deficiant, at respectu pupillorum, et corpus æque, et animus sensim adolescere, et perfici videtur.

Natura, seu naturali vitio, etiam prohibentur nuptias contrahere, qui perpetua, et insanabili coeundi impotentia laborant; quod ex duplici caussa proficisci posse vulgo traditur, nimirum vel ex naturali corporis vitio, vel ex improborum hominum maleficio. Hoc est, quo pertinere ajunt titulum illum decretalium de frigidis, et maleficiatis. Mihi sane singula ejusdem tituli capita perscrutanti nihil occurrit, in quo de hujusmodi maleficiis vel levissima mentio fieret. Non ignoro, a pluribus referri speciem capituli ultimi eod. tit., ex eo quod ibidem legatur, conjuges impotentiæ vitio laborantes a viris ecclesiasticis delegatis inductos fuisse, *ut agerent pœnitentiam de commissis, ut sic forte placeret Deo, qui matrimonii fuit institutor, et auctor, ut opus matrimonii consummarent.* In horum conspectu scripserunt illi, non agi de naturali vitio, sed de vitio, quod superstitio malorum hominum induxerit. Ego vero in primis obser-

vo, in iis verbis non contineri sententiam Honori III rescribentis, sed tantum exhiberi per quandam facti narrationem quid prudenter agere se posse censuerunt pontificii delegati, quod sane juris disciplinam minime spectat. Præterea anne non consuevit, præsertim media ætate, ecclesia etiam confugere ad orationes enixe fundendas in Deum ad sananda naturalia ipsa corporum vitia? Sufficit, ut id statim liqueat, respicere ad antiqua romana sacerdotalia, quorum unum ego habeo editum Venetiis anno 1567, ubi pag. 33 et 34 orationes exhibentur *pro fuganda sterilitate mulieris*. Laudanda profecto erat ecclesiasticorum patrum prudentia, qua inductis singularibus, et vere sacris orandi formulis, inanes quædam a vulgo invectæ superstitiones facile abolerentur. Cum enim rude vulgus persæpe putaverit, coeundi impotentiam e malorum hominum præstigiis derivari, curabant ii, quorum intererat, contrariis superstitionibus superstitionem evellere, quemadmodum testatur S. Carolus mediolanensis in parte 3 concilii V provincialis anni 1580 tit. *Quæ ad matrimonium pertinent*. Quis autem in his temporum adjunctis non laudet prudentiam episcoporum, qui, ut plebem a superstitiosis ritibus avocarent, monebant potius, ut ad Deum se totos converterent, et pœnitentiis, atque orationibus, quod optabant, religiose expostularent? Potius nonnihil ad eam rem invenio apud Gratianum in can. 4, cau. 33, qu. 1, qui Hincmaro Rhemensi adscribitur. Ego jam in meis animadversionibus in Gratianum mihi visus sum satis explicavisse, qualis Hincmari hac in re fuit opinio. Ceterum cum Hincmarus ea ætate floruerit, qua non solum vulgo putabatur, fieri posse præstigiis locum ad impediendas conjugum conjunctiones, verum etiam iis præstigiis occurri posse per alias superstitiones æque damnandas, uti liquet ex integro fere pœnitentiali Burchardi Wormaciensis, nil mirum esse debet, si insuper habita vulgari credulitate præstigiorum ad matrimonia impedienda, eo mentem potius appulerit, ut traderet, conjuges non superstitionibus esse sanandos, sed religiosius ad Deum confugere oportere. Meum non esse videtur diutius in his controversiis immorari; tantum generaliter dixero, unam eandemque de iis, qui coire non possunt, recipiendam esse disciplinam, sive impotentia naturalis sit, sive ex maleficis artibus profecta fuisse credatur, dicto can. 4, caus. 33, quæst. 1, juncto cap. 4 et toto tit. de frigid. et malef.

Itaque in primis ab iis, qui naturali coeundi impotentia laborant, secernendi sunt steriles. Novel. Leonis 98, utpote qui senibus potius, et infirma valetudine adfectis, quam vere impotentibus, æquiparantur; quorum præterea vitium difficilis est probationis, alias autem matrimonia rite contracta dissolvi non debent, quousque probationibus manifestis legitimæ dissolvendi caussæ non demonstrentur. Revera ne apud veteres quidem romanos legimus dissoluta matrimonia ob sterilitatem fuisse, cum Justinianus, ubi certas repudii caussas recenseret, nullam de sterilitate mentionem fecerit, Nov. 22, Nov. 117, c. 8, 9 et 12. Prætermitto sacras ipsas literas, quibus sterilium uxorum a viris sanctissimis retentarum exempla sunt, quibus Deum Opt. Max. scimus aliquando miraculis etiam benedixisse. Quod si dicas, frustra et ex mulierum sterilium conjugiis sperari sobolem, reponam in primis, etiam sine sobolis procreatione consistere matrimonium posse, argumento can. 6, cau. 32, q. 2 adjiciam insuper, non omnino spe carere contrahentes, qui tantum ex eventu se prolem non suscipere intelligunt, et de sterilitate judicant, impedimentum tamen ipsum necdum liquido, et omni dubitatione remota compertum habent, cum quandoque contigerit, ut uxores, quæ steriles habebantur, post quædam tempora fœcundæ adparuerint. Quod si adhuc opponas legem 60 in fine ff. de donation. int. vir. et uxor., dixero, ibidem jureconsulti propositum eo referri, ut investigaretur, quibus in casibus donatio inter virum et uxorem sustineretur, non quibus in casibus matrimonium jure irritaretur. Factum ibi enarratur de marito, qui *commode matrimonium retinere non poterat*, uti legitur in sequente l. 61, ob sacerdotium, ob sterilitatem, ob senectutem, ob valetudinem, ob militiam, quibus scilicet in speciebus olim bona gratia dissolvi matrimonium permittebatur, l. 62 ff. eod. tit., quod tamen tamquam turpe deinde abs Justiniano sanius edocto abrogatum fuit, Nov. 117, cap. 10, quamquam paullo postea Justinus Justiniani filius in Nov. 140, ad avertenda quædam gravissima reipublicæ incommoda duxerit jus vetus restitui, quod tamen vix in urbe constantinopolitana obtinuit, nec unquam in toto imperio receptum fuit.

Qui impotentiæ vitio laborant, ex eo nec naturali, nec divino jure prohibentur, ne nuptias contrahant; etenim in primis jam superius demonstratum est, conjugium esse posse, etiamsi a procreatione liberorum abstineatur; deinde scimus, impotentium matrimonia ab ecclesia romana non fuisse dissoluta, cap. 2 de frigid., et malef., quæ sane dissoluta fuissent, si juri divino, ac naturali adversarentur, argumento cap. 47 in fine de testib., juncto cap. 3 qui matrim. accus. in 1 collect. Hinc fit, ut si contrahentes scientes prudentesque matrimonium contraxerint, aut ignorantes quidem contraxerint, sed post contractum adquieverint, jure antiquo decretalium non dissociarentur, dummodo tamquam fratrem, et sororem invicem se haberent, dicto cap. 2, cap. 4 et 5 de frigid., can. 2, caus. 33, quæ. 1, cap. ult. de frigid. in 1 collect. Quando vero

contingere cœpit, ut ita contrahentes ea conjugii specie abuterentur, bona occasio fuit legumlatoribus conjunctiones illas dissolvendi. Hac de caussa omnino damnavit eunuchorum conjugia Leo Philosophus in Novella sua 98, cujus exemplo consuetudinem suam induxit ecclesia gallicana ab Alexandro III comprobatam, dicto cap. 2 de frigid., quod sane conforme erat S. Augustini præceptionibus apud Ivonem decreti parte 4, cap. 82. Nil propterea mirum esse debet, si recentioribus sæculis Sixtus V in quodam motu proprio, cujus verba describit Sanchez lib. 7 de impedimentis matrimonii disput. 92, num. 27 et disputat. 97, num. 5, novam generalem invehi disciplinam adamaverit, et abrogato vetere more ecclesiæ romanæ dissociari conjuges ejusmodi voluerit, ut turpibus conjunctionibus sub ea matrimonii specie subeundis omnis occasio præcluderetur. Quamobrem hodie passim receptum est, ut ne volentes quidem ad contrahenda conjugia admittantur, et admissi dissocientur, qui, aut quorum alteruter eo vitio sit affectus. Qua tamen in re summa opus est judicii prudentia, si agatur de separatione post contractum conjugiium indicenda; non aliter enim ad eam deveniendum est quam si de impedimento publice constet, et qui illud conjugium contraxerunt, præsumantur non obstante publico, et de quo nulla controversia subsit, impotentiæ vitio sese tamquam conjuges habere, non tamquam fratrem et sororem, ut formula utar laudati cap. 4 et 5. At si contrahentes impotentiæ vel suæ, vel consortis minime conscii nuptias celebraverint, deinde conscii facti non adquieverint, ac velint propterea divertere, sedulo cavere debebit judex, ne aliqua exinde fraus ex dolo conjugum conjugio fiat, neve facile declaret irritum, quod rite fuerat celebratum. Qua in re primo judex investigabit, an impotentiæ vitium uterque conjux concordi consensione fateantur, et dissolvi matrimonium ex eo postulent consona voluntate, an unus impotentiæ vitium alleget, et recedere a matrimonio velit, alter inficietur, et consistere in matrimonio postulet. Quoties uterque fateatur impedimentum animo recedendi a conjugio statim credere eorum dicto judex non debebit, quia matrimonia non dissolvi, non tam conjugum ipsorum, quam universæ reipublicæ interest; sed oportebit, ut quod dicto vir et mulier profitentur, solemni jurejurando confirment, et tum demum ad dissolutionem conjugii deveniatur, cap. 5 et ult. de frigid. et malef., abrogata vetere romanæ provinciæ disciplina, juxta quam adhuc vir et uxor simul habitare in fere fraternam societatem tenebantur, cujus disciplinæ vestigia quædem supersunt in cap. ult. de frigid. in 1 collect. decretal., juncto can. 2, caus. 33, quæst. 2. Quoties vero unus dicat, alterum impotentiæ vitio laborare, alter inficietur, dicatque ex. gr. vir ineptam mulierem, quod congressum viri pati nequeat, vel uxor ineptum virum, quod secum congredi ille nequeat, probationibus dandus erit locus, quibus demum factis dissolutionis sententia pronunciabitur. Probationes autem tales esse debent, quæ nulla exceptione elidantur, et quæ cum tales proferantur, statim judicem ad pronunciandum paratum invenient, can. 29, c. 27, quæst. 2; can. 1 et 2, caus. 33, quæst. 1. Neque enim ubi certo constat de impedimento, ferendum est, ut diutius vir cum muliere habitet, ne invicem ea conjugii specie contra honestatem abutantur. Quid autem, si probationes perspicuæ esse non possint, et temporariæ quædam exceptiones proponantur adversus agentem, uti ex. gr. contingeret, si infirma eademque sanabilis valetudo, aut si ætas necdum satis matura impedimentum adferre proponeretur? Sequioribus sæculis in quibusdam provinciis receptum fuit, ut purgationi vulgari definitio committeretur, quo pertinet canon 17 concilii verberiensis anni 752 ibi; *Siqua mulier se reclamaverit, quod vir suus unquam mansisset cum ea, exeant ad crucem, et si verum fuerit, separentur, et illa faciat quod vult.* Alibi obtinuit, ut dicto potius viri, quam mulieris crederetur, uti legitur in can. 17 concilii compendiensis, seu can. 3, cau. 33, qu. 1. Ast hodie, ubi vel controversia dubia est, vel temporarium impedimentum esse excipitur, renovata fuit vetus jurisprudentia, ita nimirum, ut certa tempora ad definiendum expectentur, quibus interea marito liceat cum muliere congredi. Et quidem olim duorum annorum tempora præstituta erant, l. 10 cod. de repud., quæ cum ad triennium prorogata fuerint abs Justiniano, Nov. 22, c. 6 occasionem quoque dederunt recentioribus pontificibus triennium concedendi, c. 1, 5 et ult. de frigidis. Quod si adhuc dicas, hodie in dubio standum potius esse testimonio mariti, quasi Gregorius IX probaverit, quod legitur in c. 1 de frigid. et malef., juxta laudatam concilii compendiensis disciplinam, dixero, id forte verum esse posse, quando mulier longo tempore siluerit, et nonnisi post diuturnam cohabitationem cum marito, conqueri de mariti impotentia cœperit, ita enim suadere videntur laudati capituli 1 verba, juncto can. 33, qu. 1. Ceterum ubi mulier post breve tempus conqueritur, non adeo facile unius mariti testimonio creditur, cap. 4 et 14 de probation., juncto can. 1, caus. 33, qu. 1. Porro, quæ de triennii tempore dico, non facile protrahenda censeo ad speciem, qua impotens uxor dicatur; leges enim tantum de mariti impotentia conceptæ sunt, propter eaque, uti in similibus contingit, tempus ad probandum uxoris defectum arbitrio judicis definiendum relinquitur, ita ut brevius sane concedendum fere sit, proptereaquod in muliere facilior sit impotentiæ probatio.

Illud singulare est in hujusmodi caussis, ut si sententia pro dissolutione matrimonii lata fuerit, ea nunquam transeat in rem judicatam, argumento cap. 7, 10 et 11 de sentent. et re judic., cap. 6 de frigid. et malef., quod intellige de caussa principali dissolvendi, vel non dissolvendi conjugii, non autem de caussa expensarum, in quas alteruter ex collitigantibus damnatus fuerit, et intra legitimum tempus non appellaverit. Imo et is, qui sententiam tulit, poterit ex officio caussam dissoluti conjugii retractare, neutra licet parte postulante, ubi certæ emergant retractandi caussæ, quia ad publicum officium spectat, matrimonia per errorem dissoluta restaurare, quin referat, conjuges ipsos sententiæ adquievisse; neque enim, uti cetera negotia, ita dissolutio conjugii a conjugum voluntate pendere potest. Hinc si ex. gr. fingas, episcopum, velut ordinarium, sententia sua irritum matrimonium declarasse, nulla deinde appellatione secuta, et adquiescentibus conjugibus, si facto demonstretur, falsis inniti sententiam fundamentis, quasi errore pronunciatam idem episcopus retractabit, nec opus erit metropolitani, vel alterius episcopi superioris officio. Præterea illud obtinet, ut si forte judex errore facti labatur, et post sententiam, qua declaratum fuerit, conjugium fuisse consummatum, mulier certo sciat, nunquam consummatum revera fuisse, mulier obtemperare minime teneatur, et potius debeat excommunicationem forte adversus se indictam demisso animo tolerare, quam maritum admittere, cap. 44 de sentent. excommun., cap. 13 de restit. spoliat. hujus generis controversias olim ecclesiastici antistites remisisse quandoque leguntur laicorum judicio definiendas, uti factum fuisse in caussa Northildis, liquet ex concilio attiniacensi anni 822, de quo nonnulla legimus apud Hincmarum Rhemensem in opusculo de divortio Lotharii et Theutbergæ interrogat. 5 recentioribus tamen sæculis episcopi judicare consueverunt, c. 4 et 14 de probation., cap. 1 et sequentibus de frig. et malef. Sententia judicis duas habere potest partes, quarum prima spectet matrimonium contractum, altera aliud conjugium contrahendum, vel non contrahendum. Distinguendum erit ad hanc rem inter impotentiam, quam absolutam, et eam quam respectivam vocant. Ubi, et ex qua parte impotentia absoluta proponitur, ut probatur, ita pronunciandum erit, ut non tantum contractum conjugium irritum declaretur, sed et impotenti præcipiatur, ne novas nuptias cum alio contrahat, concessa tantummodo facultate novas nuptias contrahendi illi, qui tali vitio non laboret, can. 29, caus. 27, quæst. 2, can. 1 et 2, caus. 33, quæst. 1. Ubi vero sit impotentia respectiva, non poterit quidem judex indicere invitæ mulieri, ut chirurgicæ artis remediis se subiiciat, quibus viro apta reddatur, sed ita matrimonium dissolvet, ut utrique facultatem alterius contrahendi conjugii faciat, adeo ut, etiamsi uxor novum conjugium experta, videatur apta reddita priori marito, nunquam tamen possit, aut debeat ad priorem maritum reverti, can. 4, caus. 33, quæst. 1 quemadmodum enim prudentissime æque, ac honestissime scripsit Innocentius III in c. 6 in fine de frig. et malef. *de talibus non est facile judicandum, cum finale judicium pendeat ex futuro.*

Hæc omnia vera sunt, si coeundi impotentia ab initio contracti matrimonii fuerit, non vero si post contractum conjugium supervenerit, cum aliud sit irritum dici conjugium ab initio, si alteruter ex contrahentibus impotentiæ vitio laborat; aliud semel jure firmatum vinculum posse dissolvi, can. 25 et 27, caus. 32, qu. 7. Si cui aliter respondisse videtur Gregorius III in can. 18, cau. 32, qu. 7 illud tribuatur cuidam dispensationi, qua cum Germanis recens ad fidem conversis agendum voluit pontifex maximus, cum præsertim sermo esset de conjugiis in infidelitate contractis, non vero generalis exinde inferatur ab omnibus facile custodienda disciplina. Qui uberiorem desiderat hujus canonis interpretationem, adeat meas animadversiones in codicem Gratiani. Imo neque ego puto, dissolvi conjugium posse, quotiescumque impotentiæ vitium præcessit quidem coniugii consummationem, nondum tamen illud suberat tempore contractus, quia jam ab initio, seu tempore nuptiarum, verum fuit, matrimonium constitisse; matrimonium autem, quod semel jure constitit, ea de caussa dissolvi non potest. Juvat ad hanc rem adjicere, quoties de hermaphrodito agatur, eum, qui in eo prævalet, sexum attendi oportere, l. 10 ff. de statu hom. atque ubi par sit utriusque sexus ratio, vel qui prævaleat dubitetur, ad eum pertinere eligere, ut propterea tum demum ad matrimonium contrahendum sit admittendus, quando sexum elegerit, eoque electo juraverit, se nunquam aliter electurum.

CAPUT III.

De iis, quorum nuptiæ irritæ ex defectu consensus declarantur.

Quum ad matrimonium contrahendum natura præcipue postulet animi consensionem, ex qua conjugia hominum a brutorum conjunctionibus distinguuntur, hinc perspicuum fit, eos, qui consentire non possunt, nec posse matrimonia contrahere. Quamobrem nemo dubitat, quin non subsistat matrimonium a furioso, vel amente contractum, cap. 24 de sponsal., nisi initum proponatur tempore, ut vocant, lucidi intervalli, quo consensus et haberi, et dignosci potest. Muti et surdi, etiamsi

utroque vitio una laborent, a contrahendis conjugiis minime arcentur, cap. 23 de sponsal. adhuc enim supersunt ipsis signa certa, ex quibus vera matrimonii contrahendi voluntas eliciatur. Longe diversa est caussa illius, qui a nativitate et surdus et mutus et cæcus fuisset; hic enim cum nunquam percipere potuerit, quænam sit ineundi conjugii natura, frustra in conjugium consentire posse fingeretur. Prodigos in multis casibus, furiosis vel amentibus æquiparatos fuisse non ignoro. Id tamen verum dumtaxat est in administratione bonorum, qua præterea dicitur eis interdici prætoris auctoritate. Quamobrem ad matrimonia contrahenda jure admittentur, licet in iis, quæ pertinent ad dotis constitutionem, vel donationem propter nuptias, curatoris officium necessarium sit, quemadmodum contingit in nuptiis a minore contractis.

Cum nihil magis consensui opponatur, quam error, l. 15 ff. de jurisdict. l. 116, § 2 ff. de reg. jur. l. 57 ff. de oblig. et action. facile intelligitur, non valere matrimonium, quod contrahitur ab errante: qua tamen in re duplex error distingui solet, alius nimirum in persona, alius in qualitate. De errore in persona nulla est dubitatio, cum in eo versetur, quod ad substantiam conjugii pertinet, quemadmodum demonstrat Gratianus in caussa 29, quæst. 1 ubi etiam respondet vulgari objectioni de Jacobo patriarcha, qui Liam duxerat pro Rachele, uti in sacris literis exibetur, Geneseos cap. 29 ajendo conjugium inter Jacobum, et Liam ex subsequente potius consensu, et ratihabitione convaluisse. Addo ego, sine probro non potuisse non consentire Jacobum, qui ex pene simili patris errantis circumventione jura primogenii adversus fratrem Esau obtinuerat, uti legitur in cap. 27 Geneseos; qui enim errantis parentis factum, sui gratia comprobaverat, nonnisi per calumniam conjugium a se per errorem initum dissolvisset. Quod si forte quis dicat, Jacobum, si non facto, saltem jure primogenitum se asserere potuisse, quod jura primogenii a fratre seniore adquisiisset, eoque prætextu parentem fallere; excipio ego, et ajo, simili jure potuisse Liæ parentem Liam Racheli anteferre, quod tamquam primogenita juxta morem patriæ prius erat matrimonio collocanda, quod et Jacobo responsum a socero fuit, dicto cap. 29 Geneseos. Qui exercitationis caussa disputant in hac aut simili specie, opponere adhuc solent legem 5, § 1 ff. de negot. gestis, legem 13, § 2 ff. commodati cum similibus, ex quibus liqueat, aliquando errorem in persona non vitiare contractum. Ego paucis satisfacio, observans, in aliis contractibus aliquando non obesse errorem in contrahentium persona, quia in illis obligatio utut personalis, semper vel ex re potissimum nascitur, vel ad rem potissimum refertur; at in conjugiis nulla res versatur, quæ a persona contrahentium distinguitur; quamobrem in istis magis cavendum est, ne in persona erretur, quam in ceteris contractibus oporteat. Potest autem error in persona bifariam contingere; primum quando quis putans contrahere cum una, contrahit cum alia, secundo quando quis putans contrahere cum aliqua, contrahit cum nemine. Primo casu, vera sunt, quæ initio statuebam, dum tradidi, non valere conjugium. Ad alterum casum pertinet species, quæ proponitur in c. 26 de spons. de eo, qui in matrimonio clam, et sine testibus, quemadmodum aliquando in more fuit, contrahendo hæc verba protulit. *Te Joannes desponsat*, quando ipse non vocabatur Joannes, sed se eo nomine vocari finxit, ut quod alias obtinere a puella non poterat, fictione surriperet. Rescripsit Innocentius III, nullum esse conjugium, quod revera is, qui nomen ementitus fuerat, non consensisset. Id ut apte adpositeque intelligatur, observandum in primis est, non esse hanc speciem confundendam cum altera, in qua quæratur de contrahentibus, qui in nomine erraverint, et consenserint in persona; solus enim error in nomine, ubi de persona constat, conjugium minime vitiat: deinde distinguenda est proposita species ab altera; in qua quæreretur, an qui interiorem consensum se non habuisse allegat, imo etiam probat, possit a data conjugii fide præsertim post secutam copulam resilire, quando tempore celebrati conjugii palam, et verbis id perspicue exprimentibus fidem suam obstrinxit. Etenim consensus per verba perspicua palam expressus ita, ut verba nullam aliam interpretationem apud audientes admittant, sufficiens est, ut matrimonium contractum esse dicatur; neque in contrarium probationes admittuntur, propterea quod cogatur unusquisque verba a se prolata in eo sensu recipere, quem solent recte intelligentibus ingenerare, quemadmodum recte concludit Alexander III in cap. 7 de sponsal. ne alias dolo, et fraudibus locus aperiatur, et passim allegent, non consensisse se interiore voluntate, qui exterius professi sunt perspicue, se consensisse. Sane in laudato cap. 26 aliter sese res habebat, cum verba illa, *te Joannes desponsat*, per se non significarent manifeste, adolescentem proferentem habuisse animum desponsandi, cum nomen Joannis de eo non intelligeretur, nisi eatenus, quatenus finxit se vocari Joannem. Nulli in eo gerendo actu aderant testes, qui forte si adfuissent, aliter intellexissent, quam verbis illis æquivocis exprimeretur. Tantum imprudens puella significationem verbis dedit, qualem dare ipsa cupiebat, non qualis dari penitius consideranti potuisset. Quid ergo mirum, si Innocentius in eam se opinionem procliviorem esse professus est, ut contra matrimonium judicaret? Dixi procliviorem esse,

neque enim quidquam certi ibidem tradit, sed diligentiori inquisitioni facti universa commisit, contentus tantum tradidisse generalia juris principia, quibus doceretur, sine perspicuo consensu non posse matrimonium judicari, quemadmodum liquet consideranti integra capituli verba, juncta l. 30 ff. de ritu nupt.

Error in qualitate a Gratiano in caus. 29, quæst. 1 triplex esse dicitur; distinxit enim collector ille qualitatem a fortuna, et conditione, scribens errorem conditionis esse, cum quis putans ducere liberam, duxit ancillam, errorem fortunæ, cum quis putans ducere divitem, inopem duxit, errorem qualitatis, cum quis putans ducere bonam, duxit malam. Nolo in hac parte de verbis contendere. Generaliter tamen dicam, ex errore vitiari actum oportere, quotiescumque talis error sit, qui si ab initio detegeretur, caussam dissentiendo præberet, quando verum est, consensum ita informare contractum, ut sine consensu nullus contractus iniri dicatur. Quoniam vero consensus, vel dissensus errantis circa eam qualitatem, in qua error versatur, ab initio liquido non adparet, neque alias in contractu matrimonii expedit conditiones certas adponi, in quas conjugium conferatur, uti superius observatum jam fuit, curandum erat legumlatoribus, ut quibusdam erratis gravioribus, et quæ maxime probabilem dissentiendi caussam præbere generaliter soleant venia concederetur, denegaretur aliis; unde fieret, ut in quibusdam declararetur, non constitisse conjugium ab initio, quasi deficiente consensu, in quibusdam declararetur, conjugium ab initio valuisse, quasi consensu adhuc existente. Quotiescumque enim talis esset qualitas, seu conditio, quæ gravissima, eademque certa, in qua erratum foret, et talis, quæ generaliter homines abstrahere solet a contrahendo, cur non præsumeretur juris interpretatione defuisse consensus? At quotiescumque talis esset qualitas, seu conditio, quæ minus gravis foret, eademque ut plurimum in incerto posita, et admodum vaga, seu quæ recipit magis et minus, jure non erat infirmandus contractus, ne passim variis prætextibus sanctissima conjugiorum vincula dissolverentur. Revera si omnis error, quasi consensum excludens, ad dissolvendum actum sufficeret, qualenam conjugium proponeretur, quod passim non subjiceretur querimoniis quorundam conjugum sese liberos ab omni nexu proclamantium? Hic diceret, se nobiliorem, ille locupletiorem, hic moribus ornatiorem, ille valetudine firmiorem credidisse ductam conjugem, quam revera existat, et tot suborirentur dissidii caussæ, quot fingi errata in universis qualitatibus possent. Inanem esse hujusmodi erratorum allegationem jam constituerunt in aliis etiam contractibus romani jureconsulti, l. 9, 10 et 11 ff. de contrah. emt. cum similibus, ne passim actus hominum revocationibus inoportunis obnoxii redderentur; et quamquam forte quandoque contingere possit, ut prudens quisquam judicet, non consensurum contrahentem, si scivisset qualitatem, de qua agitur, in conjuge deficere, publica tamen utilitas probabilem hunc dissensum insuper habet, cujus si ratio haberetur, prætextu boni alicujus privati bonum commune negligeretur; eamque ob rem singulare alicujus detrimentum bono publico abunde sine injuria compensatur. Itaque generaliter statuendum fuit, errorem in qualitate non vitiare conjugium. Ad regulam autem generalem adjecta fuit exceptio in iis tantummodo qualitatibus, quæ graviores essent, quæ certæ, et individuæ, quæ non reciperent magis et minus, quæ forent expeditæ, quæ minus frequentem dissolvendis conjugiis caussam præberent, quæ denique tales essent, ut eæ unæ, si deficiant, animos universorum vel ad contrahendum sine discrimine inducere soleant, vel a contrahendo distrahere. Hujusmodi est in primis exceptio illa, quam suffragio suo probavit S. Thomas in 4 sentent. dist. 30, quæst. 1, art. 2 ad 5 de principe, cui ducenda proponatur filia principis, et heres regni; si enim deceptus princeps eam, quam duxit, talem non esse noverit, jure optimo rescindi matrimonium postularet. Certa est ista conditio, et individua, gravis, et quæ principum animos vel distrahere generaliter solet, vel movere; dicam amplius, et quodammodo ad personam refertur. Simili ratione dici forte posset, nullum esse matrimonium, siquis putans ducere alicujus filiam, quæ vulgo filia ejusdem credebatur, duxit extraneam, si tamen præcipue de ea qualitate actum adpareat, seu si ea qualitas matrimonio caussam dedisse videatur: quemadmodum ex. gr. contingeret, si duæ familiæ nobiles mutuis se odiis agitantes, conjugio pacem inirent, et sese invicem reconciliarent, deinde constaret, conjugem ductam de ea familia non esse, quæ talis esse vulgo olim errore publico credebatur. Altera est, et vulgaris exceptio, quoties deducta ancilla agatur, quam ducens liberam esse putabat, siquidem et ista conditio certa est, individua, et consideratione maxime digna, quandoquidem servilis conditio ex moratarum gentium disciplina hominem adeo deturpat, ut in iis, quæ ad familiarum duces pertinent, servi, et ancillæ pro nullis reputati legantur, quandoque etiam brutis fere æquiparati; unde romano jure ne matrimonium quidem iniri inter servos potuisse nemo ignorat, vix dato illorum conjunctionibus nomine contubernii, l. 3 cod. de incestis, et inutilibus nuptiis. Adde his, talem errorem esse, qui versatur in re, quæ ad substantiam, aut saltem ad naturam conjugii accedit; nimirum afficit ipsam communis vitæ inter virum, et uxorem in-

eumdem consuetudinem. Quomodo enim libere adhærere perget maritus uxori illi, quam deinde, ceu agnitam ancillam; passurus sit a domino vindicari? Quomodo e converso libere adhærere perget uxor illi marito, quem deinde, ceu agnitum servum, passura sit ad domium reverti? Dominica plane potestas post agnitum errorem turbare incipit illam vitæ communionem, de qua potissimum conjuges, dum contraherent, cogitabant. Quod si insuper naturalis conjugii finis spectetur, qualis est procreatio liberorum, hæc etiam in discrimen adducitur. Si enim ancilla sit uxor, quæ olim libera credebatur, dominus facile conabitur, ut ventris nomine, suo juri liberos adroget non sine injuria patris. Si servus sit maritus, qui olim liber putabatur, nec desineret dominus certa jura sibi in liberos vindicare vi dominicæ potestatis, cui omnia paterna jura ex legibus cedunt. Hæc plane omnem omnino consensum excludunt ab illo, qui liber est, et liberum esse censebat eum, quocum ut contraheret, deliberavit. Hanc exceptionem sacri canones expresse probaverunt, can. 4 et 6, can. 29, qu. 2, cap. 2 et ul. de conjug. servor. Idipsum etiam verum puto, si statu liberam quis errans duxisset; ea enim licet eveniente conditione; aut veniente statuto die, in quem collata libertas fuit, libera fiat, interea tamen ancilla est, l. 9 ff. de statu liber. nisi eadem ipso nuptiarum die libera esse inciperet, quemadmodum contingit in ea specie, qua dominus ancillam suam alicui ignoranti nuptui tradit, l. un., § 9 et auth. *ad hoc* cod. de latin. libert. tollen. Quod si quæras, ubi de errore, vel de scientia dubitetur, ad quemnam probatio spectet, ego puto, unumquemque præsumi factum alienum ignorare, proindeque siquis alleget se duxisse ancillam, quam liberam credebat, dummodo probet ancillam revera esse, nihil aliud ostendere tenebitur, sed si ancilla viri scientiam alleget, ipsa debebit demonstrare, cap. 47 de reg. jur. in 6, l. 21 ff. de probation. Non sane e contrario dicemus, irritum fieri matrimonium ex eo errore, quo qui putat ducere ancillam, ducit liberam, cum talis error nullo modo consensum excludere videatur.

Ex eo præterea, quod in conjugium non consenserit, irritum est conjugium illorum, qui vi et metu adacti fuerunt. Verum enim vero heic deliberandum est ob varias emergentes quæstiones, quæ facilius dirimentur, quando primum generalia quædam principia saltem attingendo expendantur, deinde specialiter conjugiis accommodentur. Fere non solent jureconsulti vim a metu distinguere, non sane quod nullum inter vim, et metum discrimen agnoscant, sed quod contractus metu initus post edictum prætorium, quo restitutio in integrum concessa fuit, l. 1 ff. quod metus caussa, habeatur ac si irritum ab initio fuerit. Ceterum vel ipsa necessitas restitutionis in integrum beneficio prætoris concedendæ, satis indicat, non suapte natura vacuum esse contractum initum metu, quemadmodum vacuus est contractus, cui vis caussam dederit. Revera definitur vis *majoris rei impetus, qui repelli non potest,* metus autem dicitur *instantis, vel futuri periculi caussa mentis trepidatio,* eamque ob rem vis in corpus nostrum directo, at e contrario metus in animum injicitur; animus autem noster vi majore externa subjugari non potest ita, ut libertatis facultatem sibi ingenitam exercere penitus impediatur. Etenim dum corpus vi premitur, adhuc animus dissentit, et contradicit, e contrario dum metus incutitur, adhuc animus eligit, et eligendo consentit, quamquam alias non consensurus, si metus non incuteretur. Hinc fit, ut actus suapte natura malus probro non vertatur, si vi eliciatur; et adscribatur crimini, si tantum ex metu fiat, hinc fit, ut qui per vim ad baptismum adducitur, et sacro ritui subjicitur, nullum recepisse sacramentum, qui autem per metum accedit ad sacrum fontem, vere baptizatus credatur, quemadmodum scribit Innocentius III in cap. 3 in fine de baptismo, ubi et eum, qui metu baptizatur, dicit sub conditione velle baptismum, idest revera velle positis iis adjunctis, quæ metum incutiunt, quibusque sublatis simpliciter, et absolute non vellet. Quicumque metum incutit, exterius certa mala proponit sub certa conditione, vel evitanda, vel subeunda, atque is, cui metus incutitur, facultatem habet eligendi conditionem propositam, e cujus electione pendet malum vel pati, vel declinare, quæ sane eligendi facultas vera libertas est, et vera consensio. Ecquidem fateor, propositum malum procliviorem reddere voluntatem in eum actum, a quo alias abstineret, sed exinde tantum colligitur, imminui eligendi, consentiendique facultatem, minime auferri. Quæ cum ita sint, certissima est ethicorum sententia, qua concluditur, per vim enervari penitus voluntatem, et consensum excludi, per metum vero et voluntatem, et consensum tantummodo imminui, modo magis, modo minus, prout metus qualitas vel procliviorem, vel minus proclivem efficit in rem propositam voluntatem. Ita sese res habet natura inspecta, sed leges hominum certis in casibus actus metu elicitos actibus per vim extortis effectu tenus æquipararunt adeo, ut quemadmodum actus per vim extortus irritus ipso jure esset, ita actus metu elicitus quamquam ipso jure consisteret, legibus eisdem rescinderetur, data in integrum restitutione, odio præsertim illius, qui metum incutit, et in iis præsertim caussis, in quibus reipublicæ interest, non sustineri actum, in quo non fuit undique absoluta, et plena libertas; quamo-

brem quod in actu per vim elicito propterea que irrito operatur ipsa actus natura, operatur lex in actu per metum extorto, propterea que rescindendo, ac si principio non constitisset. Ista porro humana lex non eandem voluit metus omnis habendam esse rationem ex eo quod metus vel levis esse potest, vel gravis, quem appellant vulgo metum cadentem in constantem virum Quoties enim metus levis esset, is nimirum, qui non adeo mentem turbaret, nullam habendam esse ipsius rationem voluerunt prudentissimi legumlatores, ne ex quacumque caussa actus hominum facile rescinderentur. At quoties metus esset gravis (qui levis, quive gravis existimetur, relinquitur prudentis judicis arbitrio definiendum, singula caussarum et personarum adjuncta exploraturi, l. 3 ff. ex quibus caus. major.) heic caussam probabilem constitutam agnoverunt, ex qua rescissioni actus locus fieri posset. Sed iterum heic plurimum interesse consideraverunt, an metus ex caussa naturali proficisceretur, an incussus esset ab homine. Ubi metus ex caussa naturali proficiscitur, non æqualis esse videtur rescindendi actus ratio, sive quod nulla est odii caussa in eum retorquendi, qui metum incussit, sive quod metus ex caussa naturali proficiscens, certum non inferat, ne sub conditione quidem detrimentum, sed incertum omnino, et a casu pendens. At ubi metus ab homine incuteretur, iterum plurimum intererit, an jure incuteretur, puta ab eo, qui legitima polleat auctoritate, et ex caussa jure probata ad metum incutiendum deveniat, an incuteretur injuria. Si jure incuteretur, actus alias suapte natura consistens, non esset rescindendus; cum enim rescissio actus sit opus legis, minime dicendum est, ex una parte legem jubere, ut metus incutiatur, ex altera legem rescindere, quod ex metu incusso gestum fuit, ne lex ipsa semetipsam collidere videatur. Quod si injuria metus gravis incutiatur, tum lex actum exinde secutum rescindit. His veluti generalibus positis principiis plura emergunt in rem propositam consectaria. Primum est, matrimonium ex metu quocumque contractum suapte natura consistere, quousque legis ministerio non rescindatur, propterea quod adhuc supersit consensus, licet pro metus qualitate aut aliquantulum, aut plurimum imminutus, in quo sane consensu naturæ jure matrimonii substantia constituitur; tantum matrimonium irritum ipso jure fore, si vis interveniat, utpote quæ omnino consensum excludit. Quum enim metus matrimonio caussam dedit, quid aliud gestum est in animo contrahentis, quam ut deliberaretur, matrimonium potius celebrandum esse, quam certum periculum subeundum? Ista plane deliberatio supponit eligendi facultatem, positaque eligendi facultate, ponimus etiam libertatem, atque consensum. Secundum consectarium est, matrimonium contractum ex metu levi, ne ex legibus quidem, earumque potestate rescindi; neque enim metus levis videtur satis imminuere eligendi liberam facultatem, ut caussa digna sit speciali legum præsidio. Quid ergo, si puella post celebratum conjugium facti pœnitens alleget, se consensisse pene adactam illa specie metus, quem reverentialem appellant, quod forte non ausa fuerit, patris proponentis voluntati refragari? Non videtur hujusmodi metus obesse conjugio, non tam quod levior videatur, quam quod revera metus dici nequeat, quum nihil pater proponat aperte, quod imminentis cujusdam periculi speciem habeat. Hanc ad rem nonnulli referunt legem 22 ff. de nuptiis, quæ tamen aliam interpretationem pati potest, nimirum de filiofamilias, cujus animus generaliter a nuptiis alienus esset, et qui post gravem patris voluntatem acceptam de nuptiis generaliter contrahendis puellam sibi selegerit, et cum ea juxta juris solemnitates libere contraxerit. Tertium consectarium est, matrimonium contractum ex metu, cui naturalis quædam caussa fuerit, ex legibus non rescindi. Quartum est, ne rescindi quidem, si metus gravis ab homine incutiatur ex justa caussa, et eam habente jurisdictionem, exemplum est in eo, qui puellam sibi desponsam violaverit, et abs judice obligetur metu carceris, aut alterius etiam gravioris pœnæ ad eam ducendam uxorem; aut in eo, qui abs judice ecclesiastico in eadem specie metum sibi inferri sentiens excommunicationis sententiæ, conjugium contraxit, argumento cap. 10 de sponsal. et cap. 2 de adulteriis. Postremum consectarium est, tum demum legis potestate rescindi conjugium ex metu contractum, cum metus et gravis fuerit, et ab homine incussus, et injuria, cap. 28 de sponsalibus.

Disputatio disputationem trahit: quando enim diximus, matrimonium vi contractum irritum esse, statim quæritur, quid dicendum sit, quoties a raptu conjugium cœperit? Sane ubi violentus est raptus, et quousque eadem vis perseverat, dubitari non potest, nullum esse conjugium, in quo nulla fingi raptæ consensio potest. Eo reducitur quæstio, an consistat conjugium, vel cum nulla proprie vis illata proponatur, vel illata quidem vis ab initio sit, sed deinde subsecuta raptæ consensio fuerit. Ratio dubitandi ex eo proficiscitur, quia rapta, utcumque non dissensisse principio, aut postea consensisse dicatur, consensisse credatur non sponte, sed inducta fraudibus, blanditiisque raptoris, quæ sane si consensum non omnino adimunt, imminuunt tamen quammaxime. Si tantum ad tridentinas constitutiones respiciamus, concludendum illico est, valere conjugium, si rapta puella in locum tutum recipiatur, ibidemque se libere consentire profiteatur, interea gravissima anathematis pœna

in raptorem inflicta, imo et in eos qui raptori auxilium præbuerunt. Unde liquet, ecclesiasticos patres generali juris principio adhæsisse, juxta quod tum demum matrimonium jure consistere diceretur, ubi de libera consensione constaret.

Rem altius, atque a suis principiis repetamus. Certum semper fuit, quoties omnia in raptu per vim gesta essent, nullusque adpareret raptæ consensus, nullum omnino fuisse conjugium; sed ubi qualisqualis esset raptæ consensio, non ipso jure matrimonium irritum dici potuisse, propereaquod conjugii substantia non deesset. Hanc legem Judæis dixerat Deus Opt. Max. Exodi cap. 22 ibi: *Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, et habebit eam uxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt;* quo etiam referenda sunt verba illa Deuteronomii cap. 22. *Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, et apprehendens concubuerit cum illa, et res ad judicium venerit, dabit, qui dormivit cum ea, patri puellæ, quinquaginta siclos argenti, et habebit eam uxorem, quia humiliavit illam: non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ.* Apud Romanos veteres neque irritari debuit conjugium a raptu cœptum, quandocumque de raptæ consensu constitisset, quousque saltem recens memoria extitisset raptus sabinarum puellarum, ex quo primum romana civitas sibi, perennitatique suæ prospexit; unde tradidit Quintilianus primi ecclesiastici sæculi scriptor, fuisse ea ætate Romanorum disciplinam, qua raptæ puellæ manu lictoris ad domum rapientis ducerentur ad conjugii initi solemnitatem. Primus Constantinus imperator, ad quem veluti christianum potissimum spectabat de virtute et integritate virginum, dolo et fraude non lædenda sollicitudinem gerere, severissimas pœnas raptoribus indixit, l. 1 cod. Theodos. de raptu virginum; nondum tamen definitum generaliter fuit, ne matrimonium consisteret, aut si definitum alicui videatur in conspectu legis 1 et 2 cod. de raptu virg., id non perenni disciplina servatum est, ob legem 3 eod tit. latam anno 374. Nova deinde prodita sexto sæculo imperatoris Justiniani constitutio, it exasperandam pœnam raptus, et primo quidem anno 528 generaliter adversus eos, qui quamcumque virginem rapuissent, statuens, ut capitali supplicio plecterentur, denegata etiam raptis facultate pro ipsis intercedendi, ne eo quidem prætextu, quod libere consentirent in nuptias cum suis raptoribus contrahendas, propterea quod consensus iste aut blanditiis, aut minis a raptoribus ipsis præsumeretur extortus, l. un. cod. de raptu virgin., deinde anno 533 specialius adversus eos, qui Deo dicatas virgines abduxissent, l. 54 cod. de episcop. et cleric. Confirmatæ fuerunt hæ leges, novella 143 et 150 ex quibus omnibus constat, legibus hujusmodi conjugia penitus irritata fuisse, qualiscumque tandem raptarum consensio accessisset. Neque ab hac sententia recessit imperator Leo cognomento Philosophus in nov. 35 et 70, quamquam ibidem pœnas veteres emolliverit respectu eorum, qui raptui indulsissent, aut raptum statutis modis non vindicassent. Ecclesiastici patres, qui post Justinianum canones ediderunt, justinianeam disciplinam ratam habuere, atque juxta illam controversias definiverunt; quemadmodum liquet in conspectu canonis 10 et 11, cau. 36, qu. 2, quorum prior nomine meldensis, posterior nomine aquisgranensis concilii a Gratiano laudatur; utrobique autem interdicitur perpetuo raptæ, ne raptori etiam consentiens jungatur, quamquam post certam pœnitentiam indulserint meldenses episcopi tum raptæ, tum raptori, ut cum aliis nuptias contrahere possent, uti recte adnotavit Gratianus post dictum canonem 10. Verum Gratianus hanc ipsam disciplinam turbare cœpit; nam in fine ejusdem caussæ 36, quæst. 2 voluit, insuper habendas esse conciliorum tum meldensis, tum aquisgranensis sanctiones, eo prætextu, quod aliter olim sensisset S. Hieronymus, cujus auctoritas divinæ legis testimonio niteretur. Hieronymum autem auctorem laudavit in can. 8 ead. qu. Ego jam in meis lucubrationibus in Gratianum animadverti, eum canonem falso fuisse Hieronymo tributum; quamquam vero si Hieronymi esset, statim liqueret, auctorem canonis expendisse singularem Judæorum disciplinam a Deo in vetere testamento præstitutam, juxta laudata capita Exodi et Deuteronomii, non vero eam disciplinam, quæ perpetua foret ad christianos etiam ex Dei præcepto obligandos. Denique adhuc observandum esset, Hieronymum non aliter scribere potuisse, quam juxta disciplinam suæ ætatis, cui deinde legibus suis derogavit Justinianus superius laudatus, dum severius in conjugia raptorum animadvertit. Quicumque compertum habet, quanta duodecimo sæculo fuerit auctoritas gratianeæ doctrinæ, facile et statim intelligit, qua de caussa abs Justiniani definitionibus, utut confirmatis sanctionem canonum ecclesiasticorum, recessum fuit post editam Gratiani ejusdem collectionem, adeo ut recipi exinde cœperit, probantibus etiam pontificibus maximis, apud quos plurimum valuerunt Gratiani traditiones, raptam jungi posse raptori, quotiescumque rapta eadem libere in conjugium consensisset, cap. 6 et 7 de raptor. Denique redacta res fuit ad concilium tridentinum, atque in eo sess. 24, cap. 6 de reform. matrim., partim gratianeæ doctrinæ a recentioribus pontificibus comprobatæ morem gesserunt sancti

antistites, partim priscam et romanorum, et ecclesiasticarum legum majorem severitatem renovaverunt. Nimirum decreverunt, ut inter raptorem, et raptam quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum conjugium consistat; quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto ac libero collocata, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habere possit: nihilominus tamen ipse raptor, atque omnes illi consilium, auxilium et favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant: præterea teneatur raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.

Non est adeo plana atque expedita tridentini hujus decreti sententia, ut aliqua non indigeat interpretatione. Cum enim de raptore fiat mentio, et de raptu, statim oriuntur quæstiones, quinam raptoris, et quidnam raptus nomine intelligatur. Itaque dicendum in primis est, raptorem eum vocari, qui puellam non vi facta violaverit, sed vi facta, ut eam violaret, vel uxorem duceret, de uno in alium locum abduxerit, quin referat, an voti compos factus fuerit raptor, an minus, can. 2, caus. 35, qu. 1. Neque obstat can. 48, cau. 27, qu. 2, seu can. 1, caus. 36, qu. 1, in quibus traditur, et stuprum et raptum sumi promiscue posse; præterquamquod enim ibidem cum suis autographis verba non consonant, adnotandum est, Isidorum canonum illorum auctorem, tantum fuisse ibidem sollicitum de origine vocabulorum, argumenta autem a notatione nominum petita parum in jure valere. Addere possumus, Isidoro in Hispania scribenti notas non fuisse leges Justiniani imperatoris, quando hispani adhuc theodosiani codicis legibus regebantur, parumque propterea sanctum virum debuisse esse sollicitum de qualitate singulari raptus investiganda, quod ante Justinianum æque puniretur stuprum vi illatum, ac raptus, quemadmodum æque puniebatur adulterium, ac raptus mulieris nuptæ, una excepta præscriptione quinquennii, l. 5, § 2 ff. ad leg. Jul. de vi publ. Non desunt, qui contra sentiant, quod putent ita visum fuisse Justiniano, dum in dicta l. unic. cod. de raptu. virgin. pœnas adversus raptores exasperas, inquit; *maxime cum virginitas, vel castitas corrupta restitui non possit.* Verum adnotanda in primis ab ipsis erat particula illa *maxima*, quæ sane non postulat, necessario evenire debere, quod sub eadem exprimitur, quemadmodum animadvertitur etiam in eadem lege, ubi dicitur: *maxime si Deo fuerint virgines, vel viduæ dicatæ:* deinde adnotandum erat, Justinianum ad id, quod frequentius accidere solet, respexisse, quasi raptam etiam violatam fuisse præsumatur, juxta illud Ovidii: *ab juvene, et cupido credatur reddita virgo?* Præterea dico, constitutionem tridentini concilii, ceterasque veterum leges de raptoribus latas ad eos etiam pertinere, qui suas sponsas rapuerint; etenim recentiores constitutiones, ubi nihil perspicue in contrarium exprimunt, de iis intelligendæ sunt recta interpretatione, qui raptorum numero apud veteres habebantur; at vero tales habebantur, etiam qui sponsas suas rapuissent, dicta l. unic. princ. ibi: *quibus connumeramus etiam eum, qui saltem sponsam suam per vim rapere ausus fuerit.* Non ignoro, vulgo non esse receptam hanc opinionem, dum passim placuit, raptorem sponsæ suæ extra ordinem tantum puniendum esse, non ordinariæ legum pœnæ subjacere, ex eo quod crediderint ita specialiter definitum in cap. 6 de raptor. Vellem ego, ut ii, qui ita scripserunt, cautius investigavissent Lucii III definitionem; tunc enim cum intellexissent facile, ibi non agi de eo, qui sponsam, sed de eo, qui uxorem suam, cum qua necdum matrimonium consummaverat, rapuerat, argumento can. 10, caus. 36, qu. 2 quemadmodum etiam intelligendus est canon 49, caus. 27, quæst. 2, seu can. 2, caus. 36, qu. 1, et can. 5, caus. 36, qu. 2, tum caussam agnovissent, quare mitius in proposita specie agendum Lucius III voluerit, neque eandem Lucii sententiam ad raptum sponsæ traduxissent. Difficilius est investigare an pœna raptoris immineat illi, qui non matrimonii, sed libidinis tantum explendæ caussa puellam rapuerit. Non dubito sane, quin et ipse teneatur, cum leges, quæ raptores puellarum pœnis gravissimis afflixerunt, generales admodum sint, nec propterea facile possint ad eos tantum referri, qui caussa ineundi matrimonii rapuerunt; secus enim futurum esset, ut illæ vix locum haberent, allegantibus raptoribus, se, dum raperent, animum nuptiarum contrahendarum non habuisse qui sane in ea re legum præsumtione juvarentur, cum unusquisque in dubio præsumatur id noluisse, quod non ignorat, jure consistere non posse. Adde, istiusmodi raptores, si punirentur non pœna raptus, sed pœna vis illatæ, obligandos tunc fore ad puellam raptam in uxorem habendam, nisi eam dotare maluerint, cap. 1 et 2 de adulter., quod sane a germana legum sententia nemini non alienum videbitur. Vulgo etiam observant, eum a pœna raptus immunem esse, qui non honestam mulierem, qualis esset meretrix, raperet: neque hæc opinio dissonat a legum verbis: In primis enim Justinianus in dicta l. un. tantum meminit virginum honestarum; deinde Ulpianus eum, qui alienam ancillam meretricem rapuit, furti non teneri apertissime scripsit, l. 39, ff. de furtis. Finge nunc, rapi consentientem puellam, dissentientibus ejusdem parentibus, vel, ubi parentes deficiant, curatoribus. Etiamnum puto, raptus pœnæ locum

esse ob perspicuam Justiniani constitutionem, quia consensus ille mulierum ab insidiis nequissimorum hominum, qui rapinam meditantur, extorqueri præsumitur, dicta l. un., § 2, juncto § 1, in quo non tantum parentum mentio fit, sed etiam tutorum et curatorum; unde satisfit alteri quæstioni, num raptus esse dicatur, ubi non vi sed importunis precibus, aut propositis datisve præmiis, femina abducatur; siquidem jura in memoratis pœnis stabiliendis non tantum vim, sed et quod vi simile esse videtur, puniendum voluerunt, ne hostili quodam more in republica matrimonia socientur, dicta l. un. § 1. Potiore ratione raptus pœnæ locus fiet, ubi puella consentientibus parentibus, vel curatoribus per vim ipsa abducatur, cum in conjugiis ducendarum potissimum puellarum consensus liber omnino esse debeat, atque ob eam præcipue caussam leges in raptores animadverterint. Quid vero, si non vir mulierem, sed mulier virum rapuerit? Solius profecto rapientis viri mentio fit, sive in dicta l. un., sive in dicto tridentino decreto, quod infrequens admodum sit, et vix credibile, tantum feminas ausuras esse. Ceterum mihi placere non potest opinio asserentium, in proposita specie pœnis raptus locum non esse saltem in ea parte, qua leges inter raptorem, et raptam conjugium consistere non posse constituerunt; sive ex eo quod legis sententia quæcumque matrimonia hostili more contracta improbentur, sive ex eo quod alias collusionibus locus aperiretur, quibus fraus legi fieret, dum viri puellas rapturi, ut pœnas legum eluderent puellis facile persuaderent, ut ab illarum facto flagitium raptus inciperet. Addo his, sive in dicta l. un., sive in dicto tridentino decreto, ubi de puniendis aliis agitur, qui consilium, auxiliumque raptori præbuerint, nullum haberi sexus discrimen: ergo igitur discrimen habebitur, quoties de illis agatur, qui raptum ipsum admiserint? Denique quæri solet, an pœna raptus etiam tum locum habeat, cum non quis sibi, sed alteri conjugio jungendam puellam rapuerit. Ad eum qui rapuit, facile legum sententia extenditur: sed ubi agatur de eo, de cujus nuptiis raptor cogitavit, si ipse conscius raptus fuerit, raptuique consenserit, nec dubito, quin eidem matrimonio cum rapta contrahendo interdicatur, ac si ipse rapuisset: quid enim interest, an per se quis, an per alium gravissimum crimen admittat? At sis conscius criminis minime fuerit, nulli erit pœnæ locus, nisi forte raptum ille ratum habeat, et sub sua potestate vel apud se, vel apud raptorem, puellam abductam detineat, cum nihil intersit, quoad vim inferendam, an puellam abduxerit aliquis, an ab alio abductam vi detineat.

CAPUT IV.

De conjugiis, quibus obstat necessitudo cognationum.

Hucusque disputata ad eos pertinent, qui ex ipsa conjugalis actus natura ad contrahendum minime idonei habendi sunt. Ad alios nunc convertatur oratio, qui licet ex natura contractus a conjugiis non videantur arceri, legibus tamen prohibentur, quæ honestatem quandam variis etiam modis pro varietate temporum definitam, servandam in conjugiis præscripserunt, sive illæ divinæ leges sint, sive ecclesiasticæ, sive publicæ principum, atque hæ omnes sive in naturalis juris quadam interpretatione versentur, sive naturali juri nonnihil adjiciant. Itaque in primis, legibus reprobantur matrimonia illorum, qui jam certo inter se necessitudinis, seu propinquitatis vinculo adstringuntur: quæ necessitudo, seu propinquitas multiplici ex capite oritur; nimirum vel ex consanguinitate, vel ex adfinitate, et quæ proxime ad adfinitatem accedit, justitia, ut vocant, publicæ honestatis, vel ex cognatione legali, sive civili, sive ecclesiastico abs jure proficiscatur.

Consanguinitas inter eos intercedit, qui ex eodem stipite, vel proximo, vel remoto descendunt; ejusque duplex est linea, recta et transversa, quam et transversalem, et obliquam vocant. Recta dicitur nexus personarum, quæ sese mutuo respiciunt nomine parentum, et liberorum, uti pater, filius, avus, nepos, atque, ut paucis dicam, ascendentes majores, et descendentes in infinitum. Transversa dicitur, in qua qui sunt constituti, non sese mutuo respiciunt nomine parentum et liberorum, sed communem habent stipitem, veluti duo fratres, duorum fratrum vel sororum filii, et alii hujus generis. In linea recta nullus unquam est consanguinitatis terminus, eamque ob rem iis, qui in ea linea constituti sunt, quocumque gradu remotissimi sint, conjugio interdicitur. Et quidem hoc interdictum non alicujus civitatis singulari jure proditum est, sed, ut Paullus scribebat in l. ult. ff. de ritu nuptiar., *jure gentium incestum committit, qui ex gradu ascendentium, vel descendentium uxorem duxerit*, addatur lex 53 ff. eod. et lex 38, § 2 ff. ad leg. Jul. de adult. Quod jus gentium quum commemoratur, non intelligitur sane illud, quod gentes ex quadam necessitate publica, vel utilitate constituerunt, et quod secundarium appellant, sed quod ex communi hominum in idem consensione naturalem clarius explicat honestatem, et primarium vocant. Quemadmodum enim tractationis initio adnotabam, non solum Deus Opt. Maximus Judæis vetuit singulari præcepto, ut ab hisce nuptiis abstinerent, Levitici cap. 18,

sed etiam dum naturæ institutiones hominibus universis traderet in cap. 2 Geneseos, ex quo statuit, relinquendos esse patrem et matrem, ut adhæreatur uxori, perspicue indicavit, aliam esse parentum et liberorum, aliam, nec bene jungendam cum priore, viri et uxoris necessitudinem. Revera cum inter homines conjugium non tantum ad perennitatem generis referatur, sed ad quandam arctissimam vitæ societatem, in quo a brutorum conjunctionibus distinguitur, debeatque uxor esse veluti socia mariti, in ejusdem adjutorium data, quamquam constituta sub marito tanquam familiæ capite, non satis consonare videtur, eam sociam haberi, quæ si filia sit, non alia præstare possit, quam reverentiæ officia, si mater, ipsa reverentiam a filio postulet, nunquam in filii potestatem aliquam redigenda. Sunt istæ generales naturæ præceptiones, quæ etiam obtinuissent apud homines in statu vitæ innocentis constitutos. At post lapsam humanam naturam, arctius obligare etiam potuerunt ob superveniens aliud etiam naturale præceptum de parentis turpitudine non revelanda, jam in sacris veteris testamenti literis indicatum, et a me jam superius explicatum hujus tractationis exordio. Neque vero ab hoc jure longe dissitum est aliud naturale preceptum, de non conjungendis matrimonio iis, qui licet parentes et filii non sint, filiorum tamen et parentum loco habentur, cujusmodi sunt nepos et amita, vel matertera, neptis, et patruus, vel avunculus, similesque personæ, l. 17, § 2 ff. de ritu nuptiar. Paucis id tradidit Paullus in l. 39 ff. de ritu nuptiar., ubi postquam docuit, sororis proneptem quemquam non posse uxorem ducere, quoniam parentis loco ei sit, addidit in § 1 incestum esse, cum quis ducat eam, quam *moribus* ducere prohibeatur. In conspectu hujus doctrinæ duo observantur; quorum primum est, jureconsultum non ibidem romanam legem quandam singularem explicare, sed potius philosophum agere, et naturalis legis interpretem; alterum est, dici illud non legibus, sed *moribus* introductum, quo indicatur, id ex jure gentium, ut vocant, primario proficisci, quemadmodum Pomponius in l. 8 ff. eod. tit. etiam scribebat, non legibus, sed *moribus* introductum fuisse, ut libertinus libertinam matrem ducere, aut sororem prohiberetur. Id adeo verum est, ut Anastasius imperator ne imperatorio quidem rescripto voluerit, nuptias hujusmodi posse consistere, l. ult. cod. de incestis nuptiis, juncta l. 2 cod. si nupt. ex rescr. pet. Equidem fateor, non adeo rigidum, neque adeo perspicuum esse naturale præceptum, quo inter ejusmodi personas conjugium improbatur, quemadmodum improbatur conjugium parentum et liberorum, et tantum inter utramque speciem intercedere, quantum distat pater ab eo, qui loco parentis est, et filius ab eo, qui loco filii habetur. Verum ad eam prohibitionem inducendam jure naturæ, sufficere mihi videtur, ut jure etiam naturæ inductum sit, ut patruus, et avunculus, amita et matertera parentum loco respectu nepotum, et neptum habeantur. Quid enim aliud est, jure naturæ loco parentis esse, quam ut eandem æque ac parens exigat ab iis, qui loco filiorum sunt, reverentiam? Quod si reverentia jure naturæ debetur, quale esse conjugium potest, in quo æquabilem societatem naturali eodem jure intervenire necesse est? Neque his obstat lex 1. cod. Theodos. de incestis nuptiis, quasi ex ea videantur primum imperatores Constantinus, et Constans hæc connubia improbavisse. Nam hæc lex inducta fuit ad revocandum senatusconsultum claudianum, quod favore Claudii imperatoris Agrippinam neptem suam nefario amore depereuntis, concesserat patruis neptes uxores ducere. Quum de personis in transversa linea constitutis quæritur, multo dissimilis ratio est; neque enim respectu earum obtinent, quæ modo dicebam, nimirum reverentiæ debitum, ex quo æquabilis societatis vinculum excludatur. Sed in his, aliis principiis res tota nititur, iis nimirum, quæ tractationis initio posueram, dum naturalia jura in conjugiis contrahendis expenderem, et ad ea, quæ in cap. 18 et 20 Levitici a Deo constituta fuerunt, accommodarem. Paucis rem contrahamus. Duo obstant conjugiis consanguineorum in transversis lineis constitutorum. Primum societati hominum fovendæ, adjuvandæque apprime conveniens, alterum naturali cuidam honestati consentaneum, postquam humana natura peccato originis labefactata non sine quadam fere turpitudinis nota matrimonio usa fuit. Societati conveniens est, juxta ea, quæ scribebat Augustinus supra laudatus in lib. 15 de Civitate Dei cap. 16 ut dum multiplicaretur hominum numerus, mutuaque proinde adfectio ob laxius in dies redditum sanguinis vinculum tepesceret, studiosius curaretur, quo per remotiorum familiarum conjugales conjunctiones, reduceretur amor, et necessitudo restauraretur. Naturali cuidam honestati consentaneum est post naturam peccato originis labefactatam, ut nemo ejus conjugio fruatur, in cujus usu ipsam nativitatis suæ maculam quodammodo præsentem menti suæ faceret, quod contingeret, ubi eam duceret uxorem, aut illi viro jungeretur, in cujus persona facile sibi parentum suorum vividam imaginem ob oculos positam adspiceret, quo pertinere puto phrases illas sacrarum veterum literarum, queis præstituitur, *ne paterna, vel materna turpitudo revelaretur*. Levitici cap. 18 et 20. Quoniam vero duo isti conjugiorum inter consanguineos collaterales ineundorum obices nimis generales sunt, et nec facile, nec æqualiter in variis consangui-

neorum gradibus occurrentes, ideo locum fecerunt prudenti legumlatorum arbitrio, quo fieret, ut naturale jus diversam pro diversitate adjunctorum interpretationem haberet: modo enim prudentia suadebat; ut ex remotiore linea quis sibi conjugem adscisceret, modo ut in familia parentum suorum matrimonium celebraret; siquidem naturalia hujus generis præcepta certis singularibus caussis innixa, non ita individua sunt, et facile in universis aut personis, aut locis, aut temporibus observanda, ut temperari nusquam vel possint, vel debeant. Quid ex. gr., si fœdera inter duos populos jamdiu divisos paciscenda forent ex publica caussa? Nonne tunc utilitas publica postularet, ut intra gradus plures etiam longe remotos conjugia prohiberentur, quo opportunior et commodior daretur occasio familiarum remotiorum conjugiis sociandarum? Quid e contrario, si publice interesset, ut a familiarum, et populorum longe remotorum consuetudine abstineretur? Nonne et tunc publica postularet utilitas, ut ad paucos gradus consanguineorum, impedimenta conjugiorum coercerentur? En caussam, quare pro diversitate adjunctorum generales illæ naturalis juris præceptiones modo largiorem, modo contractiorem interpretationem accipeent, quemadmodum revera accepisse scimus, si per varias temporum, locorumque vices investigando expatiemur.

Itaque quod pertinet ad fratrum, sororumque conjugia, demtis conjugiis invicem contractis inter filios et filias nostrorum communium protoparentum, utpote quorum respectu natura non de alia caussa sollicita esse poterat, quam de illorum animis arctissime conciliandis, ea deinde perpetuo improbanda fuerunt; neque enim exempla ulla respicimus conjugiorum inter ipsos contractorum, quæ probata a viris prudentibus, et moralis aliquando fuerint; præterea memoratas illas duas naturalis juris præceptiones ita locum habere in fratribus et sororibus intuemur, ut vix emergere casus possit, qui dispensationem admittat. At si de fratrum filiis agatur, eove facilius, si sermo sit de constitutis in gradu remotiore, multa occurrere poterunt argumenta, ex quibus conjugia inter ipsos ineunda modo improbarentur, modo etiam sine discrimine reciperentur. Probatum aliquando in sacris veteris testamenti literis conjugium adparet in Abrahamo et Sara; quamquam enim Abraham dixerit eam sororem suam, Genes. cap. 12, latius tamen eo nomine usus est, ut significaret, eam fuisse ex Nachor communi avo; non ex patre Thare genitam, Genes. cap. 20, vers. 12, quemadmodum et Lot appellatus est frater Abrahæ, Genes. cap. 13. vers. 8 et 11, et cap. 14, vers. 14, licet Lot esset filius Aram, non Thare patris Abraham, Genes. cap. 33, vers. 27, et cap. 12, vers. 5. Istud sane conjugium probandum maxime erat ex singularibus gravissimis caussis, videlicet, quod non deceret. Abrahamum ex aliis familiis, quarum mores erant corruptissimi, et a veri Dei cultu maxime alieni, uxorem ducere, quæ eadem caussa fuit, cur divino præcepto ad exeundum de terra sua urgeretur, uti legimus in cap. 12 Geneseos; quæ itidem eadem caussa fuit, quare iterum Abraham divino consilio de familia patris sui uxorem filio suo quæsierit Rebeccam proneptem suam ex fratre Nachor, Genes. cap. 24, quæ denique caussa fuit, unde generaliter caveretur in cap. 18 et 20 Levitici, ut exceptis paucis quibusdam personis, apud Judæos in eadem familia constitutos conjugia invicem jungerentur, ne forte si in remotiore gradu constitutas conjuges aliqui sibi quærere debuissent, alienigenas sibi quærerent sociandas in detrimentum religionis. His addi potest divinum alterum præceptum Hebræorum populo singulari jure indictum de non quærendis uxoribus ex aliena tribu, una excepta Levitica, ne occasione dotium, et legitimarum successionum, factæ distributionis funiculus rumperetur, idque ad publicam illius populi pacem et tranquillitatem. Atque ut ad recentiora tempora descendamus, et Christianorum disciplinam indicemus, constat, primis ecclesiæ sæculis, quibus ecclesia in hac re publicum romanorum jus sequebatur, fratrum vel sororum filios, ac propterea secunda generatione a communi stipite distantes, inter potuisse se inire conjugia, l. 3 et 67, § 1 ff. de ritu nuptiar., quamquam tamen id admodum raro contingeret, et tum demum, quum communis parens id consilium veluti familiæ optimum præbuisset, uti leges modo laudatæ demonstrant; imo et quoties contigisset, vulgo, utut legitima, non tamen satis honesta habebantur, l. 2 cod. de institut. et substitut. Quo pertinet, quod tradit S. Augustinus in lib. 15 de Civitate Dei cap. 16 ibi: *experti etiam sumus in connubiis consobrinarum etiam nostris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat, quia id nec divina lex prohibuit, et nondum prohibuerat lex humana.* Et quidem hasce nuptias Romani facile permiserunt, ut removerentur plures obices nuptiarum, quos summa honestas posuisset, quando ipsi interesse reipublicæ putaverant, ut non aliter consisterent connubia, quam inter cives romanos. Hanc ob rem nemo erit, qui non apocryphos judicabit canones 2, 3, 4, 7 et 12, caus. 33, qu. 2, in quibus exhibentur vetustissimi pontifices Calixtus, Fabianus et Julius consanguinitatis jura ad impediendum matrimonium ad ulteriores gradus produxisse. Primus *Theodosius imperator* (sunt verba Ambrosii in epist. ad Paternum) *etiam fratres patrueles,*

et consobrinos vetuit inter se conjugii convenire nomine, et severissimam pœnam statuit, ad quam legem latam circa annum 390 respexit laudatus Augustinus in verbis modo descriptis, *et nondum prohibuerat lex humana,* indicans, suis primum temporibus novam illam imperatoriam legem editam fuisse. Ejus legis pars habetur in codice theodosiano in l. 1 si nuptiæ ex rescripto pet., ejusdemque testimonium fert Tacitus in lib. 12 annalium. Æquissima profecto fuit ejus prohibitionis ratio: siquidem cum Theodosii ætate multi essent populi civitatis romanæ jure donati, commode connubium inter plures familias iniri poterat, neque amplius opus erat adeo relaxare generalis juris præceptiones, et consanguineorum conjunctiones in eo gradu permittere. Retulerunt autem imperatores in l. unica cod. Theodos. si nupt. ax rescript. pet., Theodosium Magnum sibi reservavisse dispensandi facultatem, si forte quædam graves caussæ emergerent, quibus ex petitione partium indulgendum foret ejusmodi conjugiis inter consobrinos contrahendis. Plana res esset, atque constaret, jure romano positos fuisse consanguinitati limites certos, quibus fieret, ut ii, qui ulteriore gradu, quam patruelium, aut consobrinorum positi essent, libere contrahere valerent, patrueles autem, aut consobrini deberent a nuptiis abstinere, nisi recentiores imperatorum constitutiones adparerent, et quod amplius est, rem hanc universam turbarent, unde et recentiores interpretes ad earum explicationem maxime implicantur. Edita adparet anno 396. Constitutio imperatorum Arcadii et Honorii, data ad Eutychianum præfectum prætorio orientis, l. 3 cod. Theodos. de incest. nupt., qua confirmata fuit in parte, paterna constitutio Theodosii Magni, in parte abrogata; confirmata in eo, quod Arcadius et Honorius adhuc voluerint consobrinis et patruelibus conjugio interdictum; abrogata in eo, quod remiserint pœnam ignis iis, qui contra legem contraxerint, indictam olim lege theodosiana. Deinde anno 405 adparet edita ultera constitutio eorundem Areadii et Honorii itidem data ad Eutychianum præfectum prætorio orientis, qua in totum theodosiana lex abrogatur. Extat autem in l. 19 cod. Justin. de nuptiis his verbis: *Celebrandis inter consobrinos matrimoniis licentia legis hujus salubritate indulta est, ut revocata prisci juris auctoritate, restinctisque calumniarum fomentis, matrimonium inter consobrinos habeatur legitimum, sive ex duobus fratribus, sive ex duabus sororibus, sive ex fratre et sorore nati sunt, et ex eo matrimonio editi legitimi, et suis patribus successores habeantur.* Denique mirum est sub nomine imperatoris Honorii ejusdem, et Theodosii junioris editam anno 409 adparere aliam constitutionem datam ad Theodorum præfectum prætorio Italiæ in l. unic. cod. Theod. si nuptiæ ex rescr. pet., qua vetitum Theodosii Magni confirmatur, imo et ita exhibetur, ac si nunquam fuisset abrogatum, quasi post Magnum Thodosium nusquam amplius licuerit, patrueles et consobrinos invicem matrimonio jungi. In conspectu harum omnium constitutionum facile diceres, aut gravem esse suspicionem emblematum a consarcinatoribus codicum fictorum, aut maxime inconstantes fuisse imperatores Theodosii Magni filios, quod modo paternam legem confirmarent, modo rejicerent, modo iterum comprobarent; quæcumque autem sit illarum legum ratio, et modus, esse consistendum in lege postrema anni 409, qua restituta fuisse videtur constitutio Theodosii Magni constitutionibus medii temporis abrogatis. Verum graviter heic intercederet Justinianus imperator, qui non solum in codice suo retulit tantum legem Arcadii et Honorii anni 405, dicta l. 19 cod. de nuptiis, verum etiam in suis institutionibus § 4 de nuptiis ita scribendum voluit: *Duorum autem fratrum, vel sororum liberi, vel fratris vel sororis conjungi possunt;* quasi temporibus Justiniani, sive sæculo ecclesiæ sexto, theodosiana lex penitus in usu esse desiisset, et una lex Arcadii et Honorii anni 405 vigeret. Mirum est, quæ, et quanta in hanc rem commenti fuerint juris interpretes, inter quos laudo Brissonium, Contium, Gottofredum et Franciscum Florentem. Alii adversus Justiniani codices insurrexerunt, et Tribonianum incusarunt, quod parum accurate se gesserit, et de referenda tantum laudata constitutione Arcadii et Honorii sollicitus fuerit, imo et ad eam fragmentum institutionum exegerit in dicto § 4. Modestius alii adfirmarunt, dictam legem 19 Gothorum manu fuisse insertam in codice justinianeo, in quo antea desiderabatur, unde etiam eam suspicantur apocrypham; ajunt præterea § 4 Institut. de nuptiis depravatum legi in vulgaribus codicibus, cui potius adjicienda sit particula negativa, propterea quod eandem negativam particulam invenerint in institutionibus Theophili, et apud Ivonem in parte 9 decreti cap. 1. Alii Justiniano et Triboniano faventes scripserunt, parum fidendum esse in hanc parte vulgaris theodosiani codicis exemplaribus, in quibus multa a veritate aliena adjecta sunt ab Aniano, qui jussu Athalarici regis eum compilavit; inter quæ collocant laudata ejusdem codicis monumenta. Alii denique, ut singula commode conciliarent, tradiderunt, in dicta l. 19 cod. de nupt. non quidem generaliter concessum fuisse, ut consobrini et patrueles nuptias inter se quasi nullo jure prohibente contraherent, sed tantum remissam ipsis principem exorandi, dispensationis obtinendæ ergo necessitatem a Theodosio Magno pridem impositam in certis caussis, quasi nova Arcadii

et Honorii lege, gratia singulis fieret, quin opus esset libello supplici porrigendo, ad exemplum remissæ necessitatis supplicandi ad obtinenda jura annulorum aureorum, jura plurium liberorum, jura civitatis romanæ, item jura codicillorum, et fidei commissorum, uti olim in more erat. Prolixa nimis, et propemodum infinita disputatio fieret, si singulas hujusmodi opiniones conficiendo persequerer; aut enim omnes parum verosimiles esse videntur, aut quædam manifestæ falsitatis facile revincuntur. Tantum dicam, bonum interpretem ægre eo adduci debere, nec nisi evidentibus argumentis, ut sanctissimorum codicum fidem elevet atque auctoritatem: neque enim quemquam in contrarium movere debet aut Theophili, aut Ivonis auctoritas superius commemorata. Etenim Theophilus cum scripserit post Trullanum concilium, in cujus canone 52 vetita fuerunt consobrinorum conjugia, facile in suis institutionibus potuit adjicere particulam negativam, atque ita, cum doceret juxta leges suis temporibus receptas, textum justinianeum insuper habere; et Ivo potuit potius Theophilum sequi, quam Justinianum in ea re, in qua textus Theophili magis erat ivonianis temporibus accommodatus. Addo, postremam opinionem, qua traditur, in dicta l. 19 cod. de nupt. remissam tantum fuisse supplicandi necessitatem, præterquam quod repugnat legis ejusdem verbis, si non funditus evertit ex eadem l. 19 veterem legem theodosianam, eam tamen ita reddere inanem, ut cortice tenus consistere videatur; fingitur enim, unicuique libere ea matrimonia contrahere licere, dummodo contrahens intelligat, etiam sine rescripto singulari, id ex imperatoris gratia generaliter obtinuisse: neque vero agitur in hac re de evadenda mera juris subtilitate, uti in jure aureorum annulorum, et similibus, cum potius agatur de lege ad naturalem quandam honestatem composita, non facile propterea insuper habenda, caussa non cognita. Adversus eos, qui dictam legem 19 cod. de nuptiis apocrypham putant, adferre possem epistolam Magni Gregorii ad Augustinum Anglum, cujus fragmentum est in can. 20, cau. 35, quæst. 2, ubi dicitur, quandam legem in romana republica permittere, ut filii fratrum et sororum invicem conjugio misceantur, quæ sane referri tantum potest ad dictam legem 19. Verum ea Gregorii Magni epistola et ipsa ab eruditis pluribus apocrypha judicatur. Ceterum cum eadem epistola nota fuerit vetustis scriptoribus, ac potissimum Bedæ, satis liquet, jam octavo sæculo eam epistolam circumferri consuevisse, ac propterea jam tum compertam fuisse dictam legem Arcadii et Honorii, nec dici posse recentiorum quorundam figmentum. Quidquod præterea in l. 47 cod. de nupt., ubi personæ memorantur, quarum nuptiæ improbentur, de fratrum, sororumve filiis nulla mentio fit, quam sane Tribonianus fecisset pro auctoritate, et consuetudine sua, si tunc theodosiana adhuc lex viguisset; quemadmodum et in eadem lege addidid mentionem neptis ex fratre, cujus sane nulla mentio fiebat in autographo ejusdem legis, prout erat in codice theodosiano descripta. Quidquod Tribonianus idem cum reduceret in codicem suum legem unicam cod. theodos. si nupt. ex rescript. pet., nimirum in legem 3 cod. justinian. eod. tit., multa resecavit, quibus indicatur, vigere adhuc legem theodosianam, atque ita descripsit, ut videatur actum esse de eadem lege theodosiana? Imo et Justinianus idem in § 3 instit. de nupt. cum scripsit neptem fratris duci uxorem non posse, frustra adjecisset ea verba: *quamvis quarto gradu sint*, si generaliter verum fuisset, ejus ætate matrimonia celebrari potuisse inter duorum fratrum, vel sororum filios, qui quarto esse gradu dicebantur. Agedum ergo, difficultates omnes dissolvamus. Ego habeo tanquam genuinas memoratas leges universas, tum Theodosii, tum Arcadii et Honorii tum Justiniani. Et quando illæ invicem conciliandæ sunt, observo, Arcadium et Honorium divisisse inter se administrationem universi imperii ita, ut Arcadius orientale, Honorius occidentale imperium regeret, solida tamen ratione, quasi indivisum adhuc imperium esset, et unius vice duo principes fungerentur, eamque ob rem alterutrius leges, et rescripta utriusque principis nomen præseferebant. Hinc contingebat, ut quod unus statueret, quandoque repugnaret statutis alterius, utpote qui statuta fratris, utut communi nomine edita, ut plurimum ignorabat. Hinc factum est, ut identidem adpareant constitutiones duorum illorum principum prope sub eadem tempora editæ invicem sibi contrariæ, non sane quod sibi Honorius, aut sibi Arcadius contradiceret: sed quod quæ Honorio placebant in occidente, displicebant Arcadio in oriente, semper tamen legibus ab alterutro latis, utriusque nomine proditis, uti liquet inter cetera ex legibus 359 et 360 cod. Theodos. de decurion. Recentiores legum interpretes parum ad id animadvertentes, tradere non dubitaverunt non sine injuria eorum principum, cereas leges illos constituisse, quas modo figerent, modo refigerent, quemadmodum scripsit Vetranius Maurus in lib. de jure liberor. cap. 23 itaque ut ad rem proxime accedam, post constitutionem Magni Theodosi latam circa annum 390, et ab ejus liberis confirmatam anno 396, l. 3 cod. Theodos. de incest. nupt., Arcadius in oriente edidit dictam legem 39 cod. Justin. de nupt. anno 405, qua paternam legem de prohibitis consobrinorum nuptiis abrogavit, adposito legi suæ etiam nomine fratris Honorii, qui ceteroqui legem fraternam ignorabat. Quod autem ea lex sit Ar-

cadii orientale imperium administrantis, liquet ex eo, quod directa sit ad Eutychianum præfectum prætorio orientis. Viceversa anno 409 edita fuit ab Honorio fratre lex un. cod. theodos. si nupt. ex rescript. pet., quæ confirmavit Theodosii Magni constitutionem, et respiciebat tantum occidentale imperium ab Honorio administratum, cujus rei argumento est, quod lex illa directa fuerit ad Theodorum præfectum prætorio in Occidente, quam legem æque ignorabat Theodosius junior, qui Arcadio similiter successerat, orientale imperium administrans. Quænam fuerint, aut esse potuerint Arcadio caussæ, cur conjugia consobrinorum permitteret, non satis liquere potest. Ait ipse in dicta l. 19, se voluisse *calumniarum fomenta restinquere;* forte enim quidam erant, qui porrecto libello supplici apud imperatorem dispensationis obtinendæ caussa (quod permissum erat lege theodosiana), falsis caussis imperatorem ipsum circumveniebant, et passim contra legum vetita per propositas calumnias conabantur. Ceterum exinde constat, tunc disciplinam aliam apud Græcos, aliam apud Latinus invaluisse, ut dum Græci observarent legem arcadianam, Latini constanter inhærerent legibus theodosianis ab Honorio filio confirmatis. Quamobrem Justinianus et ipse Græcus et Constantinopoli residens imperator, disciplinæ arcadianæ adhærens, Arcadii legem suo codici inseruit, l. 19 de nupt., et juxta eandem suis temporibus adhuc in Oriente vigentem dictum § 4 de nupt concinnavit, quamquam contra disciplina in Occidente custodiretur, quam sane disciplinam intererat Justiniani, integram remanere, ne Græcum olim latissime patens imperium, et tunc in frusta discissum ob atrocium bellorum injurias magismagisque discinderetur, quod contingere facilius poterat, si Græci difficilius apud suos conjugia celebrare voluissent, at invitati fuissent prætextu ineundæ et latius amplificandæ societatis humanæ, ad exterorum imperio infensorum necessitudines per matrimonia conciliandas. Verum non multo postea, idest circa annum 692 auctoritate concilii trullani in can. 52 consobrinorum nuptiæ improbatæ fuerunt, restituta lege Theodosii Magni. et post ea tempora græci legumlatores et interpretes aliter scripserunt, quam in justinianeo codice haberetur. Sic in basilicis lib. 28, tit. 5, et in institutionibus Theophili in § 4 de nuptiis, consobrinorum nuptiæ damnantur. Id verosimiliter trullani episcopi induxerunt, ne, quoniam latinis in pluribus repugnabant, omnino a latinorum disciplina recedere viderentur, præsertim in ea re, in qua naturalis quædam honestas posita erat, utque ea ratione latinorum dicteriis occurrerent. Hæc in Oriente. In Occidente autem, ut dictum est, diu perseveravit theodosiana constitutio, nunquam deinde a recentioribus imperatoribus abrogata. Sed postquam occidentale imperium a variis gentibus occupatum fuit, utilitas publica, et populorum regumque advenarum ratio postulabat, caussa ineundarum inter exteros et romanos necessitudinum, ut lex theodosiana perpetuo vigeret, quod statuit rex Rotharios circa annum 650, cujus lex extat in lib. 2 legum longobardorum tit. 8, num. 4. Amplius progressus est Carolus Magnus; cum enim adquisito occidentali imperio curaturus esset, ut omnes sibi subjecti, quacumque tandem ex gente progeniti, mutuis se adfectionibus prosequerentur, quod sane fieri commode sperabatur, si inter remotioris etiam gradus consanguineos conjugia prohiberentur, et cogeretur unusquisque ad sibi conjungendos matrimonio eos, qui longe distarent, statuit, ut matrimoniis interdiceretur consanguineis usque ad septimum gradum, quemadmodum liquet ex lib. 7 capitularium cap. 432, et lib. 6, cap. 80. ex quo depromtus est can. 16, cau. 35, quæst. 2, falso tributus Gregorio Magno. Videri quidem poterat Carolus longe recedere a legibus Romanorum, non adeo arctis finibus connubia concludentium. Sed nihilominus adhuc ipsi deesse non poterant romanarum legum præsidia, ad quæ confugeret, quoties dogmata romani juris se adhuc sequi velle professus fuisset, quod romani imperii habenas suscipientem decebat: nimirum romani veteres in successionum caussis ad septimum usque gradum consanguinitatis jura porrigi existimabant, Paullus lib. 4, sentent. tit. 11, § ult., et Modestinus l. 4 princip. ff. de gradib. et adfin. Hanc disciplinam secuta deinde fuerunt plura ecclesiarum concilia, et pontifices maximi, can. 17, 18, 19 et 21, can. 35, qu. 2, donec in concilio lateranen. initio decimitertii sæculi sub Innocentio III celebrato placuit, ut intra quartum gradum, consanguinitatis jura ad finem contrahendi conjugii coercerentur, cap. 8 de consanguin et adfin, imo etiam receptum fuit, ut si unus ex contrahentibus quarto tantum gradu distaret, alter vero quinto, vel ulteriore, tum matrimonium rite celebraretur, cap. ult. eod tit., cessaverant enim temporibus Innocentii III, caussæ illæ gravissimæ, quæ Carolum Magnum ad extendenda conjugiorum impedimenta, et jura consanguinitatis, excitaverant; imo cum decimotertio sæculo in Occidente unaquæque fere provincia singularibus principibus subjaceret, et legibus, e re publica visum est, commodius in provincia sua unicuique concedendum esse uxorem ducere, et ab alienigenarum consortio ac moribus abstinere. Lateranensi disciplinæ nihil fuit in concilio tridentino detractum, eique propterea etiam hodie obtemperamus. Ex his omnibus deducitur, in primo collateralium gradu jure naturæ matrimonium improbari; jus autem naturæ generaliter qui-

dem postulare, exceptandum, ut facilius inter remotiores propagine connubia contrahantur, quousque nimirum id patiatur societatum inter populos ineundarum publica ratio; interea tamen hanc juris speciem obnoxiam esse variis humanæ societatis vicibus; ex quibus interesse potest, modo ejusmodi impedimenta contrahere, modo latius extendere, eo semper præ oculis habito, quo difficilius admittantur conjugia in secundo gradu, quam in tertio, et ulterioribus. Eamque ob rem prudentissime concilium tridentinum in sess. 24 de ref. matrim. cap. 5 statuit, ut *in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes, et ob publicam caussam*: nimirum nunquam fere dispensandum est, propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quod raro per mores etiam olim fiebat, quando lege publica necdum vetitum erat; dispensandum autem est ob publicam caussam, et inter magnos principes, quod neque id vetitum sit certa naturali lege, neque divina, sed id primum prohibuerit lex humana, quemadmodum scribebat S. Augustinus supra laudatus, respectu autem principum ut plurimum subesse solet æquissima generalis dispensandi ratio ex eo proficiscens, quod populorum intersit, eorundem principum animos inter se fortioribus in dies vinculis adstringi, licet alias jam sanguine conjuncti sint, ad fovendam magismagisque, conciliandamque modis omnibus auream pacem, ac tranquillitatem.

Non est omittenda elegans disquisitio de graduum, ut vocant, computatione, in qua sicut nonnulli ex veteribus hallucinati plurimum sunt in eo, quod recte non computarent, ita complures ex recentioribus meo judicio longe aberrant a veritate, quod credant, in hoc argumento jus ecclesiasticum juri civili Romanorum adversari, atque aliter Justinianum præscripsisse, aliter pontifices maximos, proindeque pontificiam cum imperatoria potestate committentes concludunt, vi quadam facta jus civile vinci a canonico in materie conjugiorum, incolumi manente juris civilis dispositione, quoties agendum sit de tutelis, et legitimis successionibus. Sequantur qui velint, hanc ideam jurium mutuo sese collidentium; ego enim commodiorem viam invenio, qua diversa potius esse agnoscam jura, quam contraria. A sæculo ecclesiæ undecimo repetenda res est. Nimirum sub Nicolao II pontifice maximo celebrata fuit romana synodus anno 1059, in qua ita definitum can. 11. *Et de consanguinitate sua nullus uxorem ducat usque ad generationem septimam, etc.*, atque idipsum iterum constitutum est in alia romana synodo celebrata anno 1063 sub Alexandro II, can. 9, utraque autem synodus easdem formulas usurpaverat, quas in suis capitularibus expresserat Carolus Magnus, dum vetitum conjugiorum ad septimam usque generationem extendit, et quas plura concilia secuta fuerant, can. 18, 19 et 21, caus. 35, qu. 2. Emersit hinc repente disputatio gravissima, qua ratione interpretari quisque deberet *septimæ generationis* nomen: alii enim ita intellexerunt, ut septem cognationis gradus juxta formam juris civilis computarentur, atque ii dicerentur ultra septimam generationem distare, qui ex juris romani regulis ultra septimum cognationis gradum constituerentur, qua in specie jam videbantur ultra septimam generationem distare illi, quorum uterque esset quarto jam gradu a communi stipite remotus. Alii e contrario duplicandam voluerunt computationem, ex latere scilicet utriusque, de quorum cognatione quæreretur, faciendam, ita ut tum demum inter se septima generatione disjuncti crederentur, qui septima generatione a communi stipite distarent. Potissimum apud Ravennates hujusmodi controversiam acerrime viguisse scimus, quam verbis primum, deinde etiam literis compescere studuit Petrus Damiani, quemadmodum constat ex ejus libro *de parentelæ gradibus* misso ad archidiaconum ravennatem, et ad Joannem episcopum cæsenatem ravennatensis archiepiscopi suffraganeum. Ad omnem disputationem conficiendam concilium celebravit anno 1065. Alexander II et decreto edito, quod habetur in can. 2, cau. 35, qu. 5, sanxit, ut septima generatio computaretur ascendendo ab uno ex iis, de quorum matrimonio agitur, usque ad communem stipitem, et tum demum conjugium permitteretur, quando ipse jam ultra septimum gradum a stipite communi distaret. Vulgus interpretum statim in conspectu hujus decreti clamat. Alexandrum a modo computandi jure civili constituto recessisse. Ego vero in figendo isto principio non possum æque adsentiri; quippe qui utriusque juris regulas contemplatus, non contrarias hac in parte, sed diversas agnovi, neque ex illis sum, qui cum quandam jurium varietatem intuentur, statim de eorundem jurium conflictu, et pugna judicant, gnarus, ut plurimum juris ecclesiastici et civilis regulas mutuam sibi manum, et adjutricem præbere, quemadmodum scripsit Lucius III in cap. 1 de novi operis nunciat. Revera eos qui putabant, hac in re canones veteribus Romanorum regulis adversari, Petrus Damiani tales habuit, ut romanarum legum peritia non pollerent, de iis enim ita loquitur in dicto libro *de parentelæ gradibus*, cap. 4. *Sed, ut de ceteris sileam, miror saltem legisperitos ita potuisse desipere, ut subjectu figura oculis videantur in supputandis gradibus caligare, qui nimirum dum quartum generis gradum octavum faciunt, quid super hac re etiam suæ leges definiant, non attendunt.* Simili ratione eosdem, qui ita sentiebant, redarguit Ale-

xander II, in epist. 27 ad Neapolitanos, ibi: *Sedentes enim in cathedra pestilentiæ dictant jura, quæ nesciunt, et docent illa quæ nullatenus didicerunt.* In quorum conspectu, quomodo dici potest, Alexandrum novam computandi methodum induxisse, sed eam esse romani juris regulis omnino contrariam? Dicam paucis, in quo sita est meo judicio rei veritas. Jus civile Romanorum nunquam mentionem fecit graduum cognationis in matrimoniis contrahendis; tantum in hereditatibus, aut tutelis, ut dignosceretur, quis cognatione proximus esset, vel ut in adeunda intestati hereditate ceteris præferretur, vel ut ad obeundam tutelam legitimam præ ceteris adigeretur. Hujus rei argumento esse perspicuo potest, quod Justinianus de nuptiis sermonem in institutionibus habens, gradus cognationis minime recenset, contentus recensere nominatim personas, quibus conjugio interdictum est; sed potius gradus consanguineorum, dum de successionibus intestatorum ageret, enumeravit. Adde jurisconsultum Paullum, qui in leg. 10 ff. de gradib. et adfinit. utilitatem memorans, quæ abs jureconsulto percipitur ex notitia graduum cognationis, mentionem quidem facit de dirigendis heredum ordinibus, tutela deferenda, jurejurando exhibendo, ne verbum quidem habet de conjugiis contrahendis. Ubinam in toto romani juris corpore legitur, in matrimoniis celebrandis computandos esse, vel servandos gradus? Dicitur quidem, inter certas designatasque personas locum non esse justis nuptiis, leg. 17, § 2, leg. 39 ff. de ritu nupt., l. 17 cod. de nupt., de gradibus altum ubique silentium custoditur. Quidquod Modestinus in leg. 4, § 5 ff. de grad. et adfin. scripsit, *gradus adfinitati nullos esse*, quando tamen certum erat, etiam inter certas designatasque personas adfinium nuptias prohiberi, nisi concludamus, nullam in specie nuptiarum factam fuisse graduum computationem? Forte oppones Justinianum in § 3 instit. de nupt., ubi traditur, fratris, vel sororis neptem uxorem duci non posse, *quamvis quarto gradu sit*, cui similis formula legitur in l. 17, § 2 ff. de ritu nupt., ubi legitur, non posse uxorem duci magnam amitam, et materteram, *quamvis quarto gradu sint*. Si exinde deducas, vel Gajum, vel Justinianum de graduum computatione sollicitos fuisse, ubi de justis nuptiis quærerent, ego potius deduco contrarium. Si enim inter fratrum sororumque filios olim matrimonia permittebantur, falso dici potuisset, impedimenta conjugiorum in quarto gradu fuisse posita; si vero prohibebantur matrimonia cum nepte fratris et sororis, vel cum magna amita, aut matertera, falso dici potuisset, nulla fuisse in quarto gradu posita conjugiorum impedimenta. Ergo colligitur perspicue, jus civile neque ad quartum gradum porrexisse, neque intra tertium gradum perstrinxisse impedimenta, quasi nulla graduum ratio habenda foret. Dixerunt Gajus et Justinianus, inter amitam, vel materteram magnam, ac nepotem nullum esse conjugium, similiter inter patruum magnum et neptem. En designatas specialiter personas interdicto comprehensas. Addiderunt, *quamvis quarto gradu sint*, eodem nimirum gradu, in quo sunt duorum fratrum filii, quorum conjugium rite contrahebatur. En insuper habitam, contemtamque in nuptiis, graduum rationem. Itaque in celebrandis conjugiis graduum designatio in jure civili Romanorum præstituta non fuit: primum præstitui visa est recentioribus constitutionibus, sacrorum antistitum æque, ac laicorum principum auctoritate firmatis, quibus declaratum est, usque ad certam, nimirum septimam generationem contrahi matrimonia non debere. Notandæ profecto recentiorum harum legum formulæ, quibus non de gradibus, sed de generationibus mentio facta proponitur, can. 3, 12, 16, 17, 18, 20 et 21, cau. 35, qu. 2. Nomen gradus in utraque transversa linea locum habet, sive in ea, qua ascenditur ad communem stipitem, sive in ea, qua a communi stipite descenditur, cum per gradus ascendamus æque ac descendamus; quamobrem ubi graduum mentio fit, tot gradus constituimus, quot sunt personæ in utraque transversa linea, ut ex gr. duo nepotes ex duobus filiis nati in quarto gradu esse dicantur, cum sint ab uno ex nepotibus gradus duo ascendendo ad avum, et totidem gradus ab avo ad alterum ex nepotibus descendendo. At nomen generationis, quo recentiorum constitutionum, et canonum auctores usi fuerunt, significat primum generantis stipitis actum per varios descendentium veluti surculos, ramosve diffusum, ideoque cum a communi stipite exordium fiat usque ad remotiorem, ut vocant, geniculum, duplicatis personis, quæ per transversalium generationes descendunt, fit computatio. Equidem fateor, post definitam illam disputationem auctoritate Alexandri II in can. 2, caus. 35, qu. 5 promiscue usurpari cœpisse vocabula generationum, et graduum, imo et graduum nomen passim usurpatum ad significandas generationes, cap. 8 de consanguin. et adfin. Id vero evenit, quia post sublatas dubitationes omnes circa germanam vocabulorum, quibus lex prima exprimitur, interpretationem, et controversias universas definitas, parum interesse incipit, quibuscumque vocabulis indiscriminatim uti, dummodo quid scribentes senserint, ex modo vulgari loquendi adpareat. Mea hæc qualiscumque tandem habeatur interpretatio (dixerim etiam utriusque juris conciliationem) consonare videtur cum sententia Magni Gregorii, si tamen ipse auctor est can. 20, cau. 35, qu. 2, et relata apud Alexandrum II in dicto can. 2, vers. *hanc computationem*. Vixerat

Gregorius paullo post tempora Justiniani, idest sub finem sexti sæculi. Cellebat ergo modum computandi justinianeum scilicet, ut fratrum filii in quarto gradu constituti dicerentur: attamen quartum illum gradum, non quartam generationem appellavit, sed secundam. Erant igitur Gregorio in secunda generatione, qui erant in quarto gradu, et propterea gradus erat a generatione distinctus, et generationum numerus duplicato fere graduum numero computandus. Itaque demonstratum est, diversa potius esse, quam contraria jura, prout initio vel graduum, vel generationum nomina exhibuerunt, et quatenus in jure civili Romanorum nulli designati sunt conjugiis gradus, qui deinde designari paullo diversa ratione jure ecclesiastico debuerunt. Id fere eodem modo contigit, quo sine juris legumque conflictu nomen pubertatis apud romanos veteres diversam accepit significationem, modo enim, ut in nuptiis, tutelis, et testamentis in masculis decimumquartum completum annum designavit, modo ad decimum octavum annum extensa, ut in adoptionibus, l. 40, § 1 ff. de adoption., et in alimentis testamento relictis, leg. 14 ff. de alim. et cibar. leg., exemplo juris, quod competebat parentibus trium liberorum percipiendi pro liberis decimo octavo anno minoribus ex ærario publico alimenta, de quo jure videsis Vertranium Maurum de jure liberorum cap. 16.

Secunda necessitudinis species, qua intercedente conjugia improbantur, est adfinitas, quæ proficiscitur ex matrimonio consummato, et quadam interpretatione proficisci quoque debere visa est ex alia quacumque copula etiam illicita; ea enim fit, ut vir dicatur adfinis cum quibuscumque consanguineis mulieris, cui junctus est, et e converso juncta mulier dicatur adfinis consanguinis viri, quin tamen eveniat, ut consanguinei mulieris, et consanguinei viri sint adfines inter se, cum personam viri, et mulieris non egrediatur adfinitas c. 5 de consanguin. et adfin. Hæc sane necessitudo non procul distat a consanguinitate, neque dissimili ratione conjugiis impedimento est, etenim et ipsa æquabiliter cum in jure naturæ, tum in jure gentium, quod naturale jus interpretator, tum in jure singulari olim inter romanos cives constituto, deinde in toto imperio romano recepto, caussam positam habet. Jus naturæ insinuatum in fine capitis 2. Geneseos ita virum et uxorem habendos esse perpetuo suasit, ut in duabus personis conjugio junctis una caro esse dicatur; propterea que non fictione quadam, sed revera, iis subjicitur uxor, quibus subjectus est maritus, et e converso; neque enim nomina illa et soceri et generi, et socrus et nurus alio jure inducta sunt, quam quo inducta erant nomina parentum et liberorum, unde Augustinus in can. 15, caus. 35, qu. 2, ait: *si vir, et uxor non jam duo, sed una caro sunt, non aliter est nurus deputanda, quam filia.* Quod si naturæ jure filius parentibus subjicitur, et obsequium ipsis ac reverentiam debet, parem eisdem reverentiam, et par obsequium debet una caro cum filio, qualis est uxor; imo et cum uxor subjiciatur naturæ jure potestati mariti, quomodo et subjecta dici non potest potestati soceri, in cujus potestate, utut diversi generis, maritus est constitutus? Æquabilitas autem servanda in duobus, qui una caro dicuntur, eandem reverentiam et obsequium a marito postulat respectu parentum uxoris; quamobrem quæ impedimento sunt, ne parentibus filii conjugio copulentur, eadem erunt impedimento, ne gener socrui, neve nurus socero misceantur. His addi possunt veterum scripturarum testimonia, quibus dum hæc conjugia damnantur, Levitici c. 18 et 20 dicitur, his conjugiis revelari parentum, vel liberorum turpitudinem, quod esset adversus ipsam naturalem honestatem, juxta ea, quæ superius adnotabam. Hæc ipsa potiore jure dicenda sunt de nuptiis privigni cum noverca, aut vitrici cum privigna, juxta caput 20 Levitici: unde Paullus apostolus, cum audisset, inter Corinthios aliquem extitisse, qui uxorem patris sui haberet, eam talem esse fornicationem dixit, epist. 1, cap. 5 qualis *nec inter gentes* audiretur; quos juris naturalis stimulos sentientes romani jureconsulti, nefariam esse dixerunt conjunctionem filii cum ea, quæ etsi non uxor, concubina tamen patris fuisset, l. 2, § 3 ff. de concubinis. Quod si jure gentium ad naturalis juris interpretationem agnitum est, juxta ea, quæ superius dicta sunt, inter fratres et sorores prohibenda esse conjugia, eove magis inter eos, qui loco parentum sunt, ac liberorum, cur non iisdem ex caussis agnoscendum fuit, ut improbari oporteret conjugia eorum, qui ducerent uxorem patrui, vel avunculi, vel fratris, item earum, quæ maritis materterarum, vel amitarum, vel sororum jungerentur? Æque hæc omnia in libro Levitici damnata fuere, eisdemque formulis ad naturalem honestatem compositis, quibus indicaretur, non singulare jus in ea parte Judæis fuisse propositum; cujus rei etiam argumento est, quod Joannes præcursor Herodi objecerit, non potuisse eum sine turpi probro uxorem fratris habere, uti retulit in Evangelio Matthæus cap. 14 et Marcus cap. 6 quando contra Herodem non aliud jus objici potuisset, quam naturale; atque ab ista traditione non recesserunt romani jureconsulti, naturalis philosophiæ apprime conscii, inter quos Papinianus in l. ult ff. de condict. sine caussa, ait, inter novercam et privignum, nurum et socerum admitti incestum ex jure gentium. Quod si utique jure romano latius extensa fuerunt jura consanguinitatum ad finem im-

pediendi conjugii, tacite quoque visa fuerunt jura adfinitatum extensa, etiamsi de adfinitate, expressa mentio minime fieret; hæc enim adfinitatum jura eisdem omnino caussis, quibus jura consanguinitatum, perpetuo innitebantur. Quidquod enim Ulpianus, cum sciret, cautum expresse fuisse in jure, ut quis abstineret a nuptiis cum privigna, et filiam uxoris post repudium dimissæ privignam non esse diceret, tamen dixit, ab ejus nuptiis esse abstinendum? l. g. 12, § 3 ff. de ritu nuptiar. juncta l. 14, § 4 et l. 40 ff. eod. Hinc factum est, ut, quemadmodum perpetuo apud romanos improbatæ erant nuptiæ inter fratres et sorores, ita et improbatæ fuerint nuptiæ inter fratrem et uxorem fratris, inter sororem et maritum sororis, l. 5, 8 et 9 cod. de incest. nupt. et quamquam leges istæ auctores laudent recentiores imperatores, non ideo indicant, tum primum sub iis imperatoribus eam disciplinam apud romanos invaluisse; sed tantum indicant, opus fuisse expressa lege ad improbandam consuetudinem nonnullorum Judæorum, qui putabant, se ea conjugia posse contrahere eo prætextu, quod legalibus preceptis adhærere adhuc possent juxta caput 25 Deuteronom. ad quas sane personas respicere videntur verba dictæ legis 8 de Ægyptiis concepta, et de certis legum conditoribus; cum tempore Zenonis in Ægypto potissimum judæorum scholæ florerent. Ceterum mosaicum illud præceptum alio pertinebat, quam quo vulgo tunc temporis referretur; etenim quod in dicto c. 25. Deuteron. statutum circumferebatur, spectabat curandum fraternæ familiæ perennitatem, cujus servandæ maxima erat apud judæos sollicitudo ante adventum Messiæ, ita ut qui exinde gignebantur, defuncto fratri filii nascerentur, alias autem cautum generaliter erat etiam judaica lege, nequis fratris uxorem sibi duceret, Levitici cap. 20, vers. 21. Recentioribus sæculis cum consanguinitas legibus publicis cœpit esse nuptiis impedimento, primum lege Theodosii Magni inter fratrum sororumve filios, deinde decursu temporis usque ad septimam generationem, idipsum tradi cœpit etiam de adfinitate. Omitto in hanc rem canones 7 et 12, cau. 35, qu. 2 ii enim apocryphi sunt. Potius laudo canonem 13 ead. quæst. licet enim falso tribuatur Julio papæ, legitur tamen apud Theodorum Cantuariensem in cap. 11. Pœnitentialis editi a Petito his verbis: *Æqualiter vir conjungitur his, qui sibi consanguinei sunt, et uxoris suæ consanguineis, post mortem uxoris.* Laudo etiam canonem sequentem 14 cujus verba leguntur in can. 30 concilii moguntini anni 847. ibi: *Sane eadem quæ in viri, hæc nimirum in uxoris parentela de lege nuptiarum regula custodienda est; quia ergo constat, eos duos esse in carne una, communis illis utrimque parentela esse credenda est, sicut scriptum est: erunt duo in carne una.* Eadem habentur in concilio cabilonensi anni 813, cap. 29 et in concilio vormaciensi anni 868, cap. 78 quibus addi potest, quod legimus in can. 4, cau. 35, qu. 10, *si una caro fiunt* (videlicet vir et uxor) *quomodo potest aliquis eorum propinquus pertinere uni, nisi pertineat alteri?* Inde colligitur, ut in ulterioribus adfinitatis gradibus non opus fuisset speciali lege, qua conjugia prohiberentur, sed satis esset, jura consanguinitatis ad eum finem extendi, ut tacite intelligerentur extensa jura adfinitatis, quasi eadem ratio foret, et individua. Imo et inde factum est, ut licet olim traderetur, nullos esse adfinitati gradus, l. 4, § 5 ff. de gradib. et adfin. deinde tamen reciperetur, ut iidem gradus in adfinitate computarentur, qui computantur in consanguinitate, et ex. gr. eodem gradu adfinitatis diceretur distare uxor a consanguineis mariti, quo gradu consanguinitatis ab iis distabat maritus, et e converso; eamque ob rem in eodem adfinitatis gradu aut prohiberentur nuptiæ, aut permitterentur inter adfines, in quo consanguinitatis gradu aut prohiberentur, aut permitterentur inter consanguineos, cap. 8 de consanguin. et adfinit.

Prolixior sane, quam par sit, disquisitio fieret, si hoc in loco recensere pro rei merito vellem varias, qua Latinorum, qua Græcorum disciplinas, occasione latius productæ adfinitatis ad consanguinitatis exemplum inductas media Ecclesiæ ætate, idest a temporibus Justiniani usque ad tempora concilii lateranensis sub Innocentio III celebrati. Cum enim passim in ore ecclesiasticorum virorum resonaret vulgare dictum de viro et uxore, *erunt duo in carne una,* fictio illa unitatis personarum, non tam gradus, quam et genera adfinitatum multiplicavit. Apud Græcos non solum numerati fuerunt gradus adfinitatis ad exemplum graduum consanguinitatis, sed etiam receptum, ut ii velut adfines censerentur impediendi conjugii caussa, inter quos nomina per conjugium confunderentur, uti tradit Harmenopulus in promtuario juris civilis lib. 4, tit. 6. Hinc vetitum erat apud ipsos, ne duo fratres patrueles duas sorores ducerent, neve contra duo fratres ducerent duas sorores patrueles, propterea quod nomina confunderentur, et qui duo fratres erant quasi fratrum amisso nomine congeneri, sive duarum sororum mariti, appellari inciperent. Non amplius persequor Græcorum disciplinam latius a me expensam in meis animadversionibus in Gratianum ad canones 12 et 13, caus. 35, q. 2. Tantum dicam de disciplina Latinorum, quam expendere juvat ad germanum interpretationem capituli 8 de consanguin. et adfin. cujus jure etiam in præsentia utimur. Itaque Latini ante laudatum lateranense concilium triplex adfinitatis genus invexerant. Ajebant ipsi: uxor fratris mei est

mihi, consanguineisque meis adfinis, quod facile intelligebant, quia uxor fratris una caro facta cum fratre, necessitudinem habebat cum consanguineis ejusdem fratris; hoc autem primum adfinitatis genus vocabant. Prosequebantur, et ajebant: quod si mortuo fratre meo uxor ejus alteri nuberet, hic secundus ejusdem maritus dicendus quoque est mihi, consanguineisque meis adfinis, quasi secundus maritus una caro factus cum uxore fratris mei, una quodammodo caro sit cum fratre meo; atque hoc secundum adfinitatis genus appellabant. Denique ajebant: quod si eadem uxore mortua secundus ille maritus uxorem duceret, uxor hæc postremo ducta mihi, meisque consanguineis adfinis est, quasi et ista una caro facta cum secundo marito, diceretur una caro facta non tantum cum uxore fratris mei, sed et cum fratre meo; atque hoc tertium adfinitatis genus dicebant, constituta generali regula, juxta quam copula copulæ superveniens adfinitatis genera multiplicaret. Viguit hæc disciplina usque ad laudatum lateranense concilium, quo demum cautum fuit, ut retentis servatisque quatuor adfinitatis gradibus, quemadmodum et consanguinitatis, unum tantum, idest primum, genus adfinitatis retineretur, ceteris adfinitatis generibus, nimirum secundo et tertio, abrogatis, dicto cap. 8 de consanguin et adfin quod adhuc hodie viget. In conspectu novæ lateranensis constitutionis dubitatio emersit non levis, num hodie vitricus uxorem ducere possit eam, quæ fuit quondam uxor privigni, et e converso noverca privignæ olim suæ marito nubere. Qui generalia lateranensis decreti verba sequatur, facile concludet, nihil istis conjugiis obesse; cum enim ex duplici copula videatur in propositis speciebus proficisci adfinitas, non alia adfinitas esse videtur, quam secundi generis, quæ in concilio abrogata fuit, uti adnotavit Benedictus XIV in lib. 9 de synodo diœcesana cap. 13 cujus opinionem jam anno 1721 mense martio sacra congregatio secuta est in hujusmodi articulo proposito, uti legitur apud Ursajam tom. 4, parte 2, disc 19, num. 186. Ego vero plurimum vererer, nimis generalem lateranensis concilii sententiam etiam ad duos illos singulares casus extendere, seu definire, species illas singulares in eodem generali decreto comprehendi. Etenim adhuc observandum est, lateranenses episcopos tantum de eo sollicitos fuisse, ut illos tantum auferrent conjugiorum obices, qui passim emergebant ex nimis lata interpretatione vulgaris adagii de viro, et uxore concepti, *erunt duo in carne una*, et qualis invaluerat media ecclesiæ ætate ad producendas regulas adfinitatum, plusquam par esset; neque satis constat, an præterea voluerint iidem episcopi lateranenses etiam auferre obicem nuptiarum respectu illorum, qui nurus et soceri, generi et socrus, dixerim etiam parentum et liberorum quandam haberent speciem, et imaginem; qualis est aut vitricus respectu uxoris privigni, aut noverca respectu mariti privignæ; præsertim quod obex iste conjugiis novercæ aut vitrici præstitutus, in antiquissimo romanorum jure, forte etiam ad interpretationem juris gentium, positum fundamentum habet, l. 15 ff. de ritu naptiar. Neque enim in nuptiis tantum considerare oportet generales quasdam juris editas præceptiones, sed etiam inspiciendum est, quod honestum sit, quum quædam esse singularia possint, quæ effugerint generalium legum auctores, et ad quæ non facile generalis lex conjugia quædam permittens porrigatur, l. 42 ff. de ritu nuptiarum, l. 144 at 197 ff. de regul. juris. Recte saltem dicam cum Paullo in l. 14, § 3 ff. de ritu nu. *in re dubia certius, et modestius est, hujusmodi nuptiis abstinere;* quod et statuerat laudata sacra congregatio apud Ursajam, dum anno præcedente, idest 1720 die 3 augusti, monuit episcopum consulentem, ut contracturos a contrahendo conjugio dissuaderet, uti legitur in appendice casuum adjecta operibus De Justis in editione lucensi pag. mihi 37, quamquam contrarium rescripserit anno 1721, uti superius dictum est, mota forte ex singularibus speciei propositæ adjunctis.

Itaque verum est, exemplo consanguinitatis adfinitatem constitutam esse, qua matrimonia impedirentur. Exinde duo statim proficiscuntur consectaria, quorum primum est, etiam ex copula illicita adfinitatem nasci, alterum est, adfinitatem super venientem nuptiis olim contractis impedimento non esse. Primum consectarium perspicuum redditur observanti, consanguinitatem nuptiis impedimento esse, etiamsi consanguinei nati non sint ex legitimis nuptiis, l. 54 ff. de ritu nuptiar., et quidem etiam jure naturæ, quotiescumque de eo gradu consanguinitatis agatur, in quo naturali jure prohibitæ essent nuptiæ inter consanguineos ex justis nuptiis progenitos. Ad rem Paullus jureconsultus in l. 14, § 2 ff. de ritu nuptiarum, postquam tradidit quædam de servili cognatione, quæ sane ex justis nuptiis proficisci non dicebatur, et dixit, *nec vulgo quæsitam filiam pater naturalis potest uxorem ducere, quoniam in contrahendis matrimoniis naturale jus, et pudor inspiciendus est, contra pudorem est autem, filiam uxorem suam ducere.* subjunxit præterea in § 3. *Idem tamen, quod in servilibus cognationibus constitutam est, etiam in servilibus adfinitatibus servandum est, veluti, ut eam, quæ in contubernio patris fuerit, quasi novercam, non possim ducere, et contra, eam, quæ in contubernio filii fuerit, patrem quasi nurum non ducere. Eque nec matrem ejus, quam quis in servitute uxorem habuit, quasi socrum; cum enim cognatio servilis intelligitur; quare*

non et adfinitas intelligatur? Sed in re dubia certius, et medestius est, hujusmodi nuptiis abstinere. Revera si adfinitatis jus sequitur indolem consanguinitatis ex eo, quod vir et uxor una caro sint, cur non adfinitas ex illicita copula proficiscatur, quando consanguinitas inter eos intercedit, qui ex quacumque etiam illicita conjunctione gignuntur? cum adhuc in illicitis conjunctionibus, si non jure, saltem facto vir et mulier una caro fiant, quemadmodum ex illicitis nuptiis procreati, si non jure saltem facto eundem sanguinem derivaverunt. Hanc ob caussam Pomponius jam supra laudatus in l 2, § 3 ff. de concubinis ita scribebat: *Si qua in patroni fuit concubinatu, deinde in filii esse cœpit, vel in nepotis, vel contra: non puto eam recte facere: quia prope nefaria est hujusmodi conjunctio, et ideo hujusmodi facinus prohibendum est.* Neque his repugnat Modestinus in l. 4, § 8 ff. de gradib et adfin. ubi traditur, *neque cognationem, neque adfinitatem esse posse, nisi nuptiæ non interdictæ sint*; hoc enim pertinet non ad jura conjugiorum, sed potius hereditatum, legitimarumque successionum, quibus locus non fit, nisi ex ea consanguinitatis, atque adfinitatis specie, cui legitimæ nuptiæ caussam dederint, l. 4 ff. unde cognati; quo eodem in sensu Modestinus ipse in § 11 ejusdem legis 4 scribebat, capite diminutus et cognationes omnes, et adfinitates, quas antea habuerunt, amittere. An veteres canones hanc ex illicito coitu proficiscentem adfinitatem ad totidem gradus, ad totidem etiam genera extenderint, quot sunt, vel erant respectu adfinitatis ex justis nuptiis proficiscentis, ignoro, cum mihi comperta non sint aliqua decreta in hac parte specialiter edita. Tantum scio, in cap. 7, 8, 9 et ult. de eo qui cognov. cons. ux. suæ, fieri mentionem de matre vel filia, de sorore vel fratre. Consuetudine vero inficiari non possum, similem receptam fuisse disciplinam, donec expressa lege constitutum fuit in tridentino concilio ses. 24 de reform. matrim. cap. 4 ut in primo tantum et secundo gradu adfinitatis ex illicito coitu proficiscentis matrimonium contrahendum impediatur, et contractum irritum habeatur. Alterum consectarium, quo fit, ut adfinitas superveniens nuptias olim contractas minime dissolvat, ex eodem principio etiam profluere posse videtur; cum enim in consanguinitate nunquam evenire, aut fingi casus possit, quo contracto conjugio superveniat, et nunquam propterea eveniat, ut consanguinitate matrimonium jam rite contractum dirimatur, regula prodiit, ut conjugium non dissolvatur adfinitate superveniente, c. 2 et 6 de eo qui cognovit, quamquam reus criminis conjugio sponte uti non possit in pœnam admissi, data ceteroquin innocenti conjugi facultate matrimonio utendi, c. 4, 2 penult. et ult. eod. tit. Idipsum præterea publica postulabat utilitas, juxta quam facilius certa matrimonia impediuntur, ne contrahantur, quam dissolvantur rite contracta, præsertim quoties alias daretur occasio conjugibus, dissolvendi pro lubito sanctissimum matrimonii vinculum per turpes conjunctiones, quod ne aliis quidem honestis caussis dissolvere unquam possunt.

Quamquam naturalis ordo sola hominum voluntate ac consensione immutari non possit, non raro tamen evenit, ut sola hominum voluntate, ac consensione iidem fere ipsi effectus sequantur, quos in suis operibus natura ipsa constituit. Naturam imitantur homines et arte et industria, fictione etiam in similia quædam conantur. Itaque cum natura obicem posuerit conjugiis, cum consanguinitas, vel adfinitas intercederet, naturales istos nexus imitata societas hominum obicem posuit conjugiis celebrandis in certis necessitudinum speciebus, in quibus aliqui inter se non quidem vere adfines essent, vel consanguinei, sed fictione quadam aut adfines, aut consanguinei viderentur; cujusmodi sunt aut necessitudo, quæ appellatur justitia publicæ honestatis, aut cognatio civilis, aut denique cognatio spiritualis. Ad exemplum adfinitatis agnita est necessitudo illa, quæ oritur ex matrimonio rato necdum consummato, et simili propemodum ratione ex sponsalibus. Quænam sint observanda, ubi ex sponsalibus nascitur, jam suo loco superius animadvertendum fuit. Ubi vero nascatur ex matrimonio rato necdum consummato, fateor quidem, apud veteres non editam fuisse expressam legem, qua justitia intercedente publicæ honestatis conjugia damnarentur. Id evenit ex eo, quod vix emergebat casus, qui singulari legi occasionem præberet, infrequensque admodum casus erat rati matrimonii necdum consummati, iis præsertim temporibus, quibus in matrimonio rato contrahendo tot non adhibebantur solemnitates, quot in præsentia fiunt. Verum statim ac legibus expresse cautum fuerat, ut consanguineus sponsi ducere non posset sponsam, vel sponsus ducere non posset consanguineam sponsæ etiam dissolutis sponsalibus, l. 12, § 1 et 2, l. 14 in fine ff. de ritu nuptiar., satis id erat, ut concluderetur, longe potiore ratione idipsum dicendum fore, ubi matrimonium ratum intercessisset; et revera ita rescripsit Zeno imperator in l. 8 cod. de incestis nuptiis, ubi in specie casus emersit ejusmodi, et propositus eidem imperatori fuit. Hæc justitia publicæ honestatis probata fuit variis pontificum maximorum rescriptis, adeo ut ad eos usque gradus protrahatur, ad quos adfinitas protracta fuit, quamobrem hodie usque ad quartum gradum matrimonium impedit, quamquam, uti superius suo loco dictum est, non adeo extendatur ea, quæ ex sponsalibus oritur juxta concilii tridentini con-

stitutiones. Quod si quæras, an etiam ex matrimonio irrito, vel dissoluto ex. gr. per ingressum in religionem, hoc impedimentum locum habeat, adfirmative respondeo; nisi matrimonium irritum fuerit ex defectu consensus, puta, quia vi aut metu, aut errore contractum; quia et id in sponsalibus olim obtinebat, cap. un. de sponsal. in 6. Et quamquam in sponsalibus aliter hodie servetur ex nova tridentini concilii constitutione, ses. 24 de ref. matrim. cap. 3, nihilominus firmum manet jus vetus in iis, quæ ad matrimonia pertinent, quia in ejus juris abrogatione tridentini patres mentionem tantum de sponsalibus, non de matrimonio rato fecerunt. Neque dicas, nullam olim fuisse expressam constitutionem de irritando matrimonio, cui obicem poneret justitia publicæ honestatis ex conjugio irrito extra causam defectus consensus, sed hoc inductum exemplo publicæ honestatis ex sponsalibus proficiscentis, proptereaque satis fuisse tridentinis patribus abrogavisse illud impedimentum in sponsalibus, ut censeretur abrogatum in matrimoniis. Etenim multum hæc distant: nam validius est vinculum matrimonii rati, quam sponsalium; quamobrem statim ac nexus quidam sponsalibus adseritur, fortius adseritur matrimonio rato, etiam facta argumentatione a sponsalibus ad matrimonia, lege nimirum expressa respectu matrimoniorum deficiente; at statim ac deinde nexus quidam denegatur sponsalibus, non exinde veluti per consequentiam denegatum intelligitur matrimonio rato. Non opus probationibus, quando scimus, id perspicue definitum fuisse a Pio V in constitutione, quæ incipit, *Ad Romanum* 62, anni 1568, kalend. julii.

Consanguinitatem quoque ex figmento romani juris imitatur alia necessitudo, confirmata primum imperatorum legibus, deinde etiam jure ecclesiastico comprobata, nimirum ea, quæ ex adoptione proficiscitur, estque ob eam caussam nuptiis impedimento, can. 6, caus. 30, quæst. 3, cap. un. de cognatione legali, l. 44, 47, 55 ff. de ritu nuptiar., l. 23 et 44 ff. de adoption., § 2 et 3 instit. de nupt., juncta l. 4, § 2 de grad. et adfin. Nemo dubitat, quin ante novas Justiniani leges hæc jurisprudentia locum haberet, sive in adrogatione, sive in adoptione, ut vocant, in specie, cum olim adoptatus æque, ac adrogatus in familiam potestatemque adoptantis transiret. Verum cum Justinianus in l. 10 cod. de adoption. statuerit, adoptatos ab extraneis in familiam potestatemque adoptantis minime transire, sed in patris naturalis potestate ac familia permanere, dubitari cœpit, num omnino actum sit de contracta ex caussa adoptionis cognatione, quæ eo usque nuptias impediverat Ego puto, in proposito adhuc cognationis jura consistere, qualia ante justinianeam constitutionem consistebant; etenim imperator in dicta l. 10, quamquam decreverit, adoptatum in patris familia habendum esse, et ad adoptantis familiam non pertinere, id tamen sanciendum voluit ratione tantummodo habita testamentariæ successionis, qua fieret, ut a naturali patre filius in adoptionem datus præteriri testamento non posset, ne si forte ab adoptante emancipatus esset, utraque successione frustraretur: ea etiam de caussa noluit adoptantem patrem obligari, ut in testamento filium adoptivum heredem necessario institueret. Ceterum quod spectat reliquos adoptionum effectus, ne verbum quidem in dicta l. 10 habetur; quamobrem verosimile admodum est, respectu illorum vetera adhuc jura suam firmitatem habere. Quidquod enim Justinianus idem in eadem ipsa l. 10 adoptivum filium voluit ad bona intestati patris adoptantis posse pervenire, § 1, quidquod in § 2 meminit emancipationis, per quam adoptionis vinculum dissolvatur, nisi adhuc imperator voluisset, vinculum quoddam cognationis ex adoptione suboriri? His accedit, Justinianum, qui post eam editam legem institutiones elucubravit, in dicto § 2 et 3 instit. de nupt. generaliter tradidisse, inter adoptantem, et adoptatam, item inter fratres adoptivos conjugia iniri non posse. Non est autem verosimile, usum illum fuisse generali adoptionis nomine, si indicare voluisset, solam adrogationem, non adoptionem impedimento nuptiis esse Fateor quidem, post justinianeam constitutionem nullum esse amplius locum patriæ potestati in adoptante: at non ex una patria potestate civilis cognatio pendebat, sed potius ex paterna adfectione, argumento l. 26 in fine cod. de nuptiis.

His generaliter positis, quæri solet, ad quas personas et quos usque ad gradus hæc legalis cognatio referatur. Nihil in hac re recentioribus ecclesiasticis constitutionibus innovatum est, proindeque firma adhuc manent veteris juris romani principia, ex quibus deducitur in primis, in linea recta perpetuo matrimoniis interdici, nimirum inter adoptantem, et adoptatam, etiamsi per emancipationem adoptio sublata sit, § 2 instit. de nupt, l. 55 ff. de ritu nuptiar, at inter adoptantem, et filios adoptati tum demum, quum filii ceterique descendentes adoptati erunt in adoptati familia, dum adoptio consistit, quia quoquomodo et isti etiam adoptati videntur, argumento, l. 15 ff. de adoption, non vero quando filii in familia adoptati non sunt; quamobrem ex. gr. filia adoptata feminæ jure patri adoptanti jungetur, cum ista non sit in adoptatæ, sed in patris sui familia. Eadem ratione dicendum est, patrem adoptantis ducere posse in uxorem adoptatam, quia inter ipsos nulla extitit adoptio, nec paterna proinde aut filialis adfectio, quod tamen tum verum est, cum dissoluta per emancipationem adoptio fuerit, l. 55, § 1 ff. de ritu nuptiar. Præterea deduci-

tur, in linea transversa, sive collateralium, cognationem tantum contractam intelligi inter filium naturalem, et adoptatum, inter filios filii naturalis, et filium eundem adoptatum, inter fratrem, sororem, patruum, et amitam adoptantis, et adoptatum, ac propterea, quousque durat adoptio, conjugia prohiberi, quibus locus erit soluto per emancipationem seu adoptivi, seu naturalis filii nexu patriæ potestatis, dicta l. 55, § 1, juncta l. 17 ff. eod. tit. Num duo filii adoptivi inter sese conjugia contrahere proibeantur, nullibi in jure definitum invenio: ac propterea non dubito, cessante lege matrimonia permitti debere, in hac præsertim specie, in qua merum civilis juris figmentum, non naturalis alicujus juris interpretatio versatur. Deducitur etiam, in cognatione legali suum certis in casibus habere locum adfinitatem, nimirum intra hos gradus coercitam, ut nequeat filius adoptivus ne post emancipationem quidem eam ducere, quæ fuerit adoptantis uxor, utpote quæ novercæ locum tenet; ne pater adoptans possit eam uxorem habere, quæ adoptivi filii uxor extitit, utpote quæ nurui æquiparatur, l. 14 princip. et § 1 de ff. de ritu nuptiar., l. 23 ff. de adoption. Denique illud adjiciendum est, adoptionem supervenientem non posse matrimonium jam rite consistens dissolvere, etiamsi talis esset adoptio, quæ contrahendum matrimonium impediret, l. 12 princip. ff. de ritu nuptiar., ne prætextu civilis inducendæ adfectionis videatur nuptialis, et quidem validior, dissolvi adfectio, quam naturale jus induxit, ac fovet. Paucis regulas universas ita complector; quarum prima est, hanc ex adoptione proficiscentem necessitudinem esse juris civilis figmentum, ac propterea ad alias species, ne prætextu quidem similitudinis extendi non posse, quam quibus in jure expresse posita fuit. Secunda est, hanc necessitudinem invectam esse exemplo cognationis naturalis, et quando ante legem theodosianam superius explicatam cognatio naturalis intra arctos fines continebatur, ita non ultra eosdem fines extendebatur cognatio legalis, imo ne extensa quidem fuit post legem theodosianam, cum nec lege theodosiana, nec alia lege post theodosianam, quidquam amplius de cognatione legali expresse fuerit constitutum, imo et ex hoc principio proficiscitur, quod nuper dictum est, adoptionem supervenientem matrimonium non dissolvere, quia nimirum nunquam casus fingi potest, quo cognatio naturalis conjugio superveniat, conjugiumque dissolvat.

Non solum civilis cognationis exemplo inducta est alia necessitudo, quæ spiritualis cognatio dicitur, verum etiam ipsa in cognatione civili habuit primum positum fundamentum. Refert Procopius in lib. 1. Historiæ arcanæ, olim in more fuisse christianorum, ut filius sibi adoptarent eos, quos ad sanctam ecclesiam caussa suscipiendi baptismatis adducerent. Vulgaris loquendi formula, qua juxta Evangelium baptizati dicebantur regenerati, sive secundam subiisse nativitatem, occasionem præbebat invehendæ disciplinæ, qua fieret, ut filii æthnicorum et judæorum recederent, a patria potestate, et inciderent ope adoptionis in potestatem illius, cujus manu ad baptismum adducebantur, et e baptismali fonte suscipiebantur, ex eo præterea quod qui adducerent, pro baptizatis sponderent, futurum, ut nunquam baptismate abuterentur, nec recederent ab ecclesia, unde susceptores passim *sponsores* appellabantur, quod sane fieri omnino non poterat, nisi quandam instat paternæ potestatem in baptizatos exercerent. Hæc plane potestas in usu esse desiit, postquam christiana fides amplior reddita fuit, et latissime propagata, unde passim christianorum filii ad baptisma adducebantur perraro æthnicorum, aut judæorum; neque enim tum visa amplius fuit necessaria extraneorum potestas in baptizatos. Nihilominus tamen licet in usu esse desineret adoptio, adhuc videbatur quædam contrahi necessitudo inter baptizatum, et susceptorem baptizati. Non memoro hoc in loco ea monumenta, quæ edidit Isidorus Mercator, et quæ falso tribuit vetustissimis pontificibus, tanquam ea, quibus nulla fides et auctoritas inest. Dicam primum, hanc necessitudinem post exoletam adoptandi disciplinam positam fuisse abs Justiniano imperatore in l. 26 cod. de nuptiis, ob eam caussam, *cum nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem, et justam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexus, per quem Deo mediante animæ eorum copulatæ sunt.* Pressior fuit Trullani concilii formula in can. 53, in quo confirmata adparet justinianea constitutio, imo et traditum fuit insuper, *spiritualem adfinitatem conjunctione corporum esse majorem.* Quis non videt, ex hujusmodi rationibus adjectis eam necessitudinem, quæ origine sua vix inter suscipientem, et susceptum continebatur, paullatim produci potuisse, ut quemadmodum in adoptione et adfinitate certi gradus constituti erant, ita et iidem in cognatione spirituali reciperentur, can. 1, caus. 30, qu. 1? Hoc argumento usus fuit Nicolaus I in can. 1, caus. 30, qu. 3, cui adjicere possumus can. 2, 3 et 5, quibus receptum est, ut per varios gradus hæc spiritualis cognatio progrederetur, præ ceteris autem, ut filius naturalis susceptoris susceptam non posset ducere, quamquam non omnes in hanc rem sine discrimine consentirent, ajentibus nonnulis, cognationem hanc spiritu, non sanguine contrahi, can. 7, caus. 30, qu. 3. Ceterum recentiore ætate, præsertim post leges longobardas, quarum fragmentum est in lib. 2 legum longobardarum tit. 8, Nicolai I sententia pas-

sim recepta fuit, et a recentioribus pontificibus confirmata, cap. 1 de cognat. spirit., cap. 1 eod. tit. in 6. An baptizans cum baptizato eam necessitudinem contraheret, quemadmodum et cum parentibus baptizati, olim definitum non fuerat, quia forte aut necdum, aut raro casus emerserat de conjugio baptizantis, utplurimum episcopi, aut sacerdotis. Sed eveniente casu laici baptizantis, et proposito apud Joannem VIII, definiri cœpit; etiam ad baptizantem eam cognationem extendi, recta justinianeæ legis, et receptæ in susceptoribus disciplinæ interpretatione, can. 7, caus. 30, qu. 1. Amplior deinde reddita adhuc fuit disciplina, nam recentioribus sæculis etiam in sacramento confirmationis idipsum receptum est, ut ad exemplum susceptorum baptizati, susceptores etiam confirmati, spiritualem cognationem contrahere dicerentur, cap. 1, § *ex confirmatione* de cognat. spirit. in 6, quod jampridem statutum fuerat in compendiensi concilio anni 757, can. 15 et 19. Eo res redacta fuit nonnullorum opinione, ut ex aliis etiam sacramentis cognatio quædam induceretur, ac potissimum ex sacramento pœnitentiæ, quemadmodum conatus est auctor canonis 8, caus. 30, qu. 1, falso Symmacho papæ tributi. Ast has juris prorogationes coërcuit Bonifacius VIII in cap. 3 de cognat. spirit. in 6, decernens, cognationem spiritualem non oriri, nisi caussa duorum sacramentorum, videlicet baptismi, et confirmationis: baptismi, quod lex expresse ex eo cognationem induxisset, confirmationis, quod habita fuerit, veluti quædam baptismatis perfectio, et complementum, can. 3 de cons. dist. 5 non vero pœnitentiæ, quia, uti deinde observavit S. Thomas, hoc sacramentum nunquam generationis speciem habuit, sed judicii, nec propterea in ea re erat cum baptismate æquiparandum. Vetus fuit quæstio, an qui suscipiebat baptizatum caussa supplendarum ecclesiæ ceremoniarum in baptismate olim collato omissarum, cognationem contrahere diceretur. Id non admiserunt pontifices maximi, quamquam hujusmodi susceptores admonerent, ne contraherent nuptias, cap. 5 de cognat. spirit., cap. 2 eod. tit. in 6, quod nostri appellaverunt *impedimentum catechismi*, illud inter impedientia, ut vocant, non inter dirimentia impedimenta recensentes. Et quidem ante Clementem III nullibi adparet, occasione catechismi aliquod conjugiis subesse potuisse impedimentum. Tantum nonnulli fuerunt, qui argumentis a simili contendentes, irrita post catechismum conjugia esse credebant. Id noluit admittere Clemens III, in dicto cap. 5, ubi addidit, *eam rem vix contrahendo matrimonio impedimentum allaturam.* Visa fuerunt dubia hæc Clementis verba; quamobrem ad eorum interpretationem Bonifacius VIII, in dicto cap. 2 asseruit, per catechismum impedimentum opponi conjugiis, quamquam si conjugia contrahantur, adhuc jure consistant: an in hoc Bonifacius auctoritate sua novam juris disciplinam invexerit: an recte potius interpretatus fuerit Clementis III rescriptum, alii investigent. Multa hodie immutata sunt ex decreto concilii tridentini in cap. 2, ses. 24 de reform. matrim., cujus definitione, hodierna dirigitur disciplina. Nimirum statutum est, ut unus tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus et una, baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos et baptizatum ipsum, et illus patrem et matrem, nec non inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantum, spiritualis cognatio contrahatur; quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem non contrahant: demum adjectum est, ut ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem et confirmatum, illiusve patrem et matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis. Exinde colligitur, hodie inter illos tantum, qui in tridentino concilio expresse nominantur, spiritualem cognationem contractam intelligi, nullam inter ceteros, etiamsi antiquo jure cognati haberentur. Quamobrem nullum hodie dubium superest, quin baptizata, aut confirmata filio susceptoris nubere valeat, item qui sunt consusceptores possint simul matrimonio jungi, et demum nullum amplius supersit hodie impedimentum, quod dicitur catechismi. Imo nec omnes susceptores pro cognatis habebuntur, sed ii tantum duo ad summum, qui fuerint a baptizati, vel confirmati parentibus designati, et tanquam susceptores habiti a baptizante. Quod si forte aut parentes baptizati, aut parochus baptizans, concilii tridentini decretum negligentes sine ulla designatione plures permiserint susceptorum officio fungi, puto, cum nemine contractam esse a baptizato, aut baptizati parentibus cognationem, cum nemo ex illis tamquam susceptor, utpote contra leges accedens, jure habeatur, quidquid in contrarium tradat Fagnanus ad cap. 1 de cognat. spirit. num. 5, et Barbosa in collectaneis doctorum ad cap. 2 eod. titulo, neque enim in hanc rem amplius adferri potest capitulum 3 de cognat. spirit. in 6, quando concilium tridentinum, cujus unius hodie jure utimur, arctius prohibuerit, ne plures susceptoris officio fungantur, quam olim prohiberetur.

Non omnes tamen tridentino concilio disputationes diremtæ sunt, quæ in hac materie olim occurrebant. In primis enim disputatum est, num qui in extrema necessitate infantem suum baptizasset, ab uxore sua, quasi spiritualis cognatus, sejungendus esset? Hanc sane speciem exceptam a generali regula veteres canones voluerunt, can. 7, caus. 30, qu. 1, cap. 2 de cognat. spirit., non enim adeo fa-

cile matrimonia semel jure contracta dissolvuntur, aut abs jure conjugii legitimo arcendi sunt conjuges ex eo, quod filio recens nato periclitanti optime consulere voluerunt. Non ita sane dicendum esset de eo, qui filium suum ex stupro adulteriove susceptum, utut necessitate interveniente, baptizaret; hic enim a contrahendis cum baptizati matre nuptiis omnino removeretur. Præterea disputatum est, quinam proprie susceptorum nomine veniant. Et passim a pragmaticis traditur, neminem proprie suscipere, nec propterea cognationem contrahere, nisi vere baptizatum, vel confirmatum teneat, seu tangat eo tempore, quo sacramentum administratur, et quidem non ut tantum adjutorium ferat accedenti, aut delato ad ministrum sacramenti, sed ut revera tanquam susceptoris officium gerere intendat: quod prudenter deducitur ex sacrorum canonum verbis, quibus ejus cognationis jura firmata sunt; non tamen requiritur, susceptorem respondere pro suscepto, seu fidem ejus nomine profiteri, licet aliquando sacris canonibus id onus impositum fuisse susceptoribus videatur, can. 105 de cons. dist. 4, cum hoc potius ad catechismum pertineat, quam ad sacramenti administrationem, cujus potissimum caussa cognationem contrahi traditum est. Quod si quisquam non per se baptizatum, confirmatumve susceperit, sed per procuratorem, quod fieri posse, vel ipsa quotidiana praxis demonstrat, recepta hodie fuit opinio illorum, qui tradiderunt, non a procuratore, sed a principali cognationem contrahi, cum non procurator, sed principalis vere susceptoris officio fungi intelligatur. Exinde deducitur, siquis civitatem, universitatem, vel collegium velut susceptorem suum designet, nullam spiritualem cognationem contrahi; non sane cum civitate, universitate, vel collegio, utpote quæ corpora sunt cognationis incapacia; non cum syndico civitatis, universitatis, vel collegii; utpote qui non suo, sed alieno nomine suscipiat. Item disputatum est, an is, qui sacris canonibus a susceptoris officio arcetur, si nihilominus eo fungatur, cognationem contrahat, quemadmodum contingeret in eo, qui non est baptizatus, vel confirmatus, can. 102 de cons. dist. 4. Ego puto, nullam cognationis necessitudinem contrahi, quod leges eam inducentes præsumantur de iis tantum fecisse mentionem, qui legitimi sint susceptores. Eadem fere ratione, ubi sacramentum baptismatis, vel confirmationis invalidum fuerit quacumque de caussa, arbitror, nec ullam cognationem intercedere, quod leges cognationem inducentes mentionem fecerint non de externa conferendi baptismatis specie, sed de ipsa sacramenti collatione. Quod si quæras, num qui infantem suscipit, de quo dubitatur, an fuerit baptizatus, quique propterea baptizatur sub conditione, cognationem contrahere intelligatur: ego respondeo, haberi, ac si cognatio contrahatur, quoties res omnino dubia fuerit, et incerta, quemadmodum ex. gr. contingeret in infante exposito; cum enim hac in specie non probetur antea jam collatum, quod sub conditione baptisma confertur, tanquam verum baptisma, et cum effectu collatum habetur. At quoties certum est, infantem baptizatum esse, ac dubitatur tantum leviore de caussa, num in baptismate aliquid omissum fuerit ad substantiam sacramenti pertinens, uti evenire solet, cum infans periclitatus statim baptizatur ab eo, qui non est valde edoctus in sacramentorum administratione, non crediderim, contrahi spiritualem cognationem, cum mens Ecclesiæ in ea specie ad majorem quandam, et pleniorem cautelam baptisma sub conditione conferendum receperit, non ut necessarium omnino sit ita conferre, neque verosimiliter putent qui conferunt, aut collationi intersunt, vere sacramentum administrari. Item ego non dubito, quin pro cognato non sit habendus ille, qui recens natum infantem in extremo vitæ periculo constitutum suscipit, dum sine solemnitate baptizatur, eumque exhibet baptizanti; is enim verum suscipiendi animum non habet, et tantum vult necessarium munus obire, infantem sustinendo, ut commodius sacramentali aquæ subjiciatur. Disputari etiam solet, an qui suscipit in baptismate filium judæi, vel infidelis, cognationem spiritualem contrahat cum judæis infidelibusve baptizati parentibus? Et puto, nullam cognationem contractam intelligi, cum ejus tanquam spiritualis necessitudinis judæi, vel infideles sint incapaces: neque mihi placet opinio illorum qui crediderunt, cognationem esse penes christianum tantum, non penes judæum, aut infidelem, cum repugnet, cognationem fingere, nisi in duabus personis, quæ tanquam cognatæ mutuo habeantur, relativa enim sunt cognomina sicut agnatorum, ita et cognatorum. Atque id adeo verum est, ut licet deinde infidelis, aut judæus ille baptizetur, non convalescat cognatio, utpote quæ ab initio non fuit. Non est sane dubitandum, præsertim post tridentinam sanctionem, qua intra angustiores fines coërcita est spiritualis cognatio, eam cognationem non contrahi ab ignorante, nimirum ab eo, qui certam personam se suscipere putat, dum aliam suscipit; qui enim error impediret, ne adoptio facta crederetur, neve propterea civilis cognatio contracta, impedit quoque, ne contrahatur cognatio spiritualis: et quamquam sub nomine Deusdedit papæ dicatur in can. 1, caus. 30, qu. 1, adhuc contractam cognationem censeri, canon tamen ille utpote apocryphus nullius momenti est, neque dubitavit Alexander III contra eundem manifeste rescribere, cap. 2 de cognat. spirit. Denique observatu dignum est, hodie præsertim, in cognatione spirituali nullam induci

adfinitatem: neque ex. gr. uxorem susceptoris dici posse cognationis quandam speciem habere cum baptizato; *neque enim*, ut scribebat Paschalis II in can. 5, caus. 30, qu. 4, *cognationi carnis cognatio spiritus comparatur; neque per unionem carnis ad unionem spiritus pertransitur.* Sane olim id in disputationem veniebat ex eo, quod vulgo proferebantur Nicolaus I et Innocentius I, item chalcedonense concilium ea conjugia improbavisse, can. 1, 2 et 3, caus. 30, quæst. 4, e contrario proferebantur Paschalis II et concilium triburiense ea conjugia admisisse, can. 4 et 5 ead. caussa, et quæstione. Si Gratianus agnovisset, laudatos canones 1, 2 et 3 apocryphos esse, facile adhæsisset concilii triburiensis, et Paschalis II decreto. Sed quoniam putabat imprudens collector, se eorum omnium canonum auctoritate teneri, post canonem 5 laudatæ quæstionis, facta distinctione conatus est, ut eos invicem componendo conciliaret, tradens, distinguendum esse inter speciem, qua quis uxorem cognovisset post contractam spiritualem cognationem et speciem, qua quis tantum ante contractam eam cognationem cognovisset, ad priorem speciem referens canones 1, 2 et 3, ad posteriorem canones 4 et 5. Nil mirum propterea esse debet, si Clemens III doctrinam Gratiani facile secutus, cognationis spiritualis jura ad adfinitatem etiam extenderit in cap. 4 de cognat. spirit. Verum hodie hæc supervacanea sunt post tridentinum decretum, quo extra casus in eodem decreto expressos cognatio spiritualis minime extenditur.

Nondum recedendum puto ab hac generali cognationum materie, quousque nonnulla subjecero ad investigandum, an quæcumque seu naturalia, seu divina, seu humana præcepta, quibus inter cognatos, cujuscumque tandem generis cognatio fuerit, matrimonia improbata sunt, ita conjugiis obstent, ut conjugia contra ea contracta penitus irrita habeantur. Sane quæ diximus naturali jure vetita inter consanguineos, vel adfines, irrita penitus erunt, propterea quod honestati repugnant, juxta regulas generales in capite 1 præjactas. Id ipsum præterea dicemus, quotiescumque agatur de præceptis divinis, quæ aut explicaverunt præcepta naturalia, aut paullo latius extenderunt. In ceteris autem necessitudinum impedimentis positivo jure constitutis, cur non idipsum dicendum sit, quando qui leges easdem positivas ediderunt, exemplo naturalis juris usi sunt, idest naturalia cognationum, et necessitudinum jura ad alias necessitudines extendentes, voluerunt, quod in illis, id etiam in istis servari? Imo etiam liquet, leges easdem positivas fuisse munitas expresso irritante decreto, aut saltem ea formula, quæ decreto irritanti æquipolleret. Ut a consanguinitate exordiar, quam Theodosius Magnus ad filios fratrum et sororum primus extendit, liquet, eam fuisse imperatoris mentem; etenim quando ejus filii in l. 19 cod. de nuptiis voluerunt theodosianam legem abrogare, professi sunt, imposterum ea matrimonia *legitima* futura, et legitimos filios exinde genitos, quod dici non potuisset, nisi theodosiana lex irritum omnino conjugium dixisset. Quando recentioribus temporibus ad ulteriores generationes extensa consanguinitas fuit, clausula adjecta fuit hujusmodi, *conjugium separetur.* Ita in concilio moguntino can. 54, in concilio vormaciensi can. 78, et in can. 21, cau. 35, qu. 2, quæ sane verba in conjugium, non in conjuges directa, vim habent decreti irritantis. Quamobrem jure cum romanis correctoribus expungemus a canone 16, cau. 35, q. 2, cujuscumque sit auctoris, postrema illa verba non in conjugium, sed in conjuges directa, *quod si fecerint, separentur;* cum ea in integris canonis ejusdem exemplaribus desiderentur. Non erat autem opus in lateranensi concilio, cap. 8 de consanguin. et adfin., novum decretum irritans adjicere, quia de quarto consanguinitatis gradu, quem retinendum mandarunt lateranenses antistites, jam firma erat vetus disciplina. De adfinitate idipsum dicendum est; statim ac enim, ut diximus, tradi cœpit, *æqualiter* inter consanguineos, atque inter adfines, matrimonia improbari, can. 13, cau. 35, qu. 2, concilio moguntino can. 30, concilio cabilonensi can. 29, et concilio vormaciensi cap. 78, idem erat, ac si dictum esset, conjugia inter adfines contracta penitus irrita fore. Exemplo adfinitatis inducta est justitia quædam, ut vocant, publicæ honestatis, l. 12 et 14 ff. de ritu nupt. Cur non, si inter adfines irritæ erant nuptiæ, irritæ quoque essent, ubi justitia publicæ honestatis intercederet? Addo, in l. 8 cod. de incest. nupt. decretum irritans expresse adparere, quemadmodum et in cap. un. de sponsal. in 6. In cognatione civili usurpata verba filiorum, fratrum, socrus, et nurus, nonne indicant animum legumlatorum irritandi conjugii? l. 14, 17 ff. de ritu nuptiar., l. 23 et 44 ff. de adoption., can. 6, cau. 30, qu. 3, imo et decreto irritante munitas fuisse leges veteres, auctor est Nicolaus in cap. un. de cognat. leg. Denique spiritualis cognatio ad exemplum civilis inducta easdem habuit vires; imo et Justinianus decretum irritans legi suæ adposuisse videtur, dum dixit, susceptorem ad baptizati nuptias venire *omnimodo* prohibendum, l. 26 cod. de nupt.

CAPUT V.

De iis, qui aliquo jam voluntario vinculo detinentur, ne conjugium ineant.

Sunt et alii complures, qui legibus a contrahendo conjugio arcentur, quales sunt ii, qui jam fidem suam aliis obstrinxerunt, vel quia jam alteri conjugio juncti sunt, vel quia perpetuo, eoque solenni continentiæ voto se Deo dedicaverunt. Quod in primis ad eos attinet, qui conjugali jam vinculo adstringuntur, non dubito, quin divino jure, et quidem eo ipso, quod initio Creator Deus homini dedit, id definitum fuerit, quoniam ita in sacris literis apertissime demonstratur, Geneseos cap. 1 et 2, Matthæi cap. 19. Si in hoc argumento eo congerere vellem rationum momenta, quæ demonstrarent, unius tantum cum una matrimonium esse debere, multa plane dici possent, ad ostendendum, in multiplici conjugum numero non recte observari posse naturales matrimonii fines, inter ceteros autem honestam liberorum educationem, et firmam inter virum et uxorem animorum conjunctionem. Distinguamus speciem a specie. Non agitur hoc in loco de eo casu, quo quis uxore dimissa, vel marito relicto, novum conjugium contrahat; opportunius enim de hac re sermo inferius instituetur, nimirum in postrema dissertatione de modis, quibus semel contracta conjugia dissolvuntur. Tantum huc pertinet investigare, an retento primo contracto conjugio, alteri contrahendo locus esse possit, quod vulgo simultaneam bigamiam, vel poligamiam appellant. Qua in re observo, unam uxorem pluribus maritis conjungi, universas propemodum gentes improbavisse; in hoc enim multiplicis conjugii genere præter alia absurda, quæ agnoscuntur in specie viri plures uxores ducentis, duo alia emergunt singularia, quorum primum est, quod incerta proles ex eo multiplici conjugio nasceretur, incerta autem proles respectu patris honestam impedit educationem liberorum, cum nemo facile inducatur ad habendam curam liberorum, quos suos esse prorsus ignorat: alterum est, quod in familia vir princeps habetur, et veluti caput, e converso mulier est subdita viro; repugnat autem, uxorem duabus, pluribusve personis æqualiter subjectam dici eodem genere potestatis, quemadmodum repugnat, duo esse in eadem familia solida capita, seu duos principes, unde aut confusio, aut repugnantia imperii proficisceretur. Quod si de marito agatur, atque inquiratur, an plures ipsi repugnet ducere uxores, observo, ex eo multiplici conjugio alia absurda evenire. Quamquam enim vir ex pluribus uxoribus certos de se liberos ipse suscipiat, ipsæ quoque uxores certos, unaquæque de se liberos susceptos intueri valeant, atque exhibere, tamen et vir, et liberi, et uxores variis exinde obnoxii redduntur familiaribus dissidiis, contra bonum conjugii ab ipsis naturæ legibus præstitutum. Quis statim non videat divisam viri benevolentiam, divisos invicem uxorum animos, imo et mutuo repugnantes, divisos propterea liberos inter se, dum unusquisque maternam facile sequitur adfectionem; atque inde litibus, et jurgiis, odiisque ad pœnitentiam usque protractis, latissimam aperiri viam in eo ipso, in quo natura voluit amorem, benevolentiam, atque arctissimam necessitudinem conciliari? Id adeo verum esse gentes omnes agnoverunt, ut quoties aliquæ nimium in hac parte maritali licentiæ indulgere se posse crediderunt, non aliter indulserint, quam ea conditione, ut unica diceretur vera et legitima uxor, quasi materfamilias, et individuam habens cum marito dignitatem, atque præstantiam, ceteræ vero mulieres inferiore gradu constituerentur, dictæ ut plurimum generali nomine concubinæ, et quasi uxoris vicariæ, proindeque uxori eidem subjectæ, et filios non tam sibi, quam legitimæ uxori fictione quadam parientes. Porro ista fictio minuere quidem potuit asperitatem familiarium dissidiorum, quæ paullisper elevare videbatur varius constitutus ordo uxorum et liberorum, nunquam tamen prorsus avertere valuit, uti facile liquet consideranti; aut enim evenit, ut in concubinam, quamquam inferiore gradu constitutam, major sit benevolentia mariti, quam in uxorem, aut evenit, ut etiam major sit benevolentia patris in filios concubinæ, quamquam inferiore loco constitutos, quam in filios uxoris, quando jus, aut juris fictio inducere quidem poterat, ut in hominum opinione uxor et filii uxoris digniores essent, ac præstantiores concubinis et filiis concubinarum, non tamen ut facto dilectiores essent, et acceptiores vel marito, vel patri, quod quantum semper repugnet naturalibus conjugii bonis, nemo non videt.

Verum enimvero has observationes utut maxime opportunas, dixerim etiam optimas, et per se satis idoneas ad imponendum cuicumque controversiæ, finem si non prætereundas omnino, saltem levius attingendas putavi; siquidem durior, et salebrosior disputatio, quæ in hoc proposito emergit, oritur ex facto, et consuetudine plurium populorum, qui multiplex conjugium probaverunt, quorum opinionem, et usum qui allegaret, non adeo sibi facile persuaderet, versari in ea re naturale præceptum, quando naturales præceptiones eæ passim dicuntur, quæ a populis universis saltem cultioribus custodiuntur. Quid ergo? Si tantum de gentibus illis ageretur, quæ divinis præceptionibus neglectis, et nefario etiam idololatriæ scelere obcæcatæ, naturales ipsas institutiones parvi facere et potuerunt, et

consueverunt ex vitio naturæ semel corruptæ, unde fit, ut depravatæ nationes de pravis ruant præcipites in pejora, facile esset, huc revocare ea principia, quæ posui initio hujus tractationis, dicendo nimirum, confugiendum esse ad primigenium matrimonii naturam a Deo creatore institutam, juxta quam Deus unum cum una tantummodo sociavit adjecta clausula: *erunt duo in carne una*; dicendo præterea, Christum Dominum in capite 19. Matthæi, conjugiorum jura ad primigenias naturæ institutiones exigentem ita declaravisse. Quod si in contrarium allegaretur, ex multitudine uxorum emergere etiam quædam in rempublicam emolumenta, nimirum majorem liberorum numerum, incrementum propterea humani generis et societatis, in quo finis obtinetur amplior conjugiorum a natura ipsa intentus; facile etiam dicerem, nihilominus vel ipso mundi nascentis initio, quo necessaria erat humani generis propagatio, naturam nonnisi unicam uxorem sociavisse viro; insuper, numerum liberorum aut parum utilem societati esse, ubi nequeunt honeste ac liberaliter educari, ubi præterea discordia animorum inter ipsos liberos ex ipsa nativitate ex diversis matribus concitaretur, aut ita esse cum pace familiari, et liberali educatione jungendum, ut, dum bonum liberorum multiplicandorum curatur, bonum familiæ pacate regendæ educandæque minime negligatur, quod sane nullo modo evenire potest, nisi unius tantum cum una sit matrimonium. Sed quod gravissimæ disputationis hujus exitum turbare potest, sunt mores veterum sanctorum virorum, ipsorum etiam patriarcharum hebræorum, qui plures uxores una duxerunt, quocumque appellarentur nomine, vel matrumfamilias, vel concubinarum, alias autem Deo acceptissimi fuisse deprehenduntur, et sacris Veteris Testamenti literis gloriose laudantur, quasi illorum vita honestissimo cuique nec pœnitendo exemplo esse possit, quod profecto dici nequit, si naturalia præcepta temeravissent. Id adeo verum est, ut sanctus Ambrosius cum de Abrahamo loqueretur, qui ducta Sara duxit etiam ancillam Agar, inter plures illius patriarchæ excusationes, illam etiam proferret: *Quia Abraham ante legem Moysi, et ante Evangelium fuit, nondum interdictum adulterium videbatur. Pœna criminis ex tempore legis est, quæ crimen inhibuit, nec ante legem ulla rei damnatio est, sed ex lege. Non ergo in legem commisit Abraham, sed legem prævenit. Deus in paradiso conjugium laudaverat, non adulterium damnaverat*, can. 3, cau. 32, qu. 4; quod secutus est Innocentius III in cap. 8, vers. *nec ulli* de divortiis.

Digna est hæc caussa, quæ in præsentia discutiatur. Certa ab incertis sejungamus, et ea, quæ nullam unquam dubitationem admiserunt, ab iis, quæ in dubium cadere possunt ob facta proposita in contrarium. Certum in primis est, nullum unquam in sacris literis factum reperiri, aut probari, quo una uxor pluribus viris juncta deprehendatur; quamobrem facti disputatio eo tantum refertur, an uni marito rite permissum quandoque adpareat, plures uxores ducere. Deinde etiam certum est generaliter in sacris literis fuisse viro proibitum, ne plures uxores duceret, et quidem ea ipsa lege protoparentibus nostris tradita, quæ sane naturalis est, dum uni viro a Deo juncta tantum fuit una uxor, et quidem eo tempore, quo maxime sollicita natura fuit de multiplicando hominum numero, dum dictum est, arctissimam esse debere inter virum et uxorem necessitudinem, eandemque, et filiali, et maternæ præferendam, dum dictum est, uxorem fore *adjutorium simile* viro, dum denique dictum est, *erunt duo in carne una*, quæ sane nonnisi in uxore unica ducenda, vera esse possunt. Hanc generalem legem renovavit Deus in Deuteronomio cap. 17, vers. 17 ibi: *Non habebis uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus*. In nova autem lege naturalis illa unitatis conjugalis honestas majorem adhuc firmitatem accepit, imo ad eludendos quoscumque prætextus in nitidiorem formam translata est, quando Christus Dominus primum invectos judæorum plurium abusus reprehendens, omnia exigenda mandavit ad protoparentum conjugum formam, ut duo essent in carne una, et recedere deberet vir a quacumque alia etiam parentum necessitudine, ut uxori primo ductæ adhæreret, deinde quum mandaverit, ut abrogato libello repudii nulla alia uxor superinduceretur, potiore jure mandavisse intelligitur, ut ne alia quidem superinduceretur uxor, prima et legitima uxore retenta, Matthæi cap. 19, et Marci cap. 10, denique matrimonium elevavit ad Sacramenti dignitatem, qua juxta phrasim Paulli in cap. 5 ad Ephes. in conjunctione viri et uxoris, conjunctio Christi et ecclesiæ significaretur; unde quemadmodum una erat, et perpetuo una extitura esset ecclesia, quæ Christo jungebatur, ita et una uxor esse deberet a marito ducenda. Postremo certum est, etiam in iis ipsis casibus, in quibus exhibentur in sacris ipsis literis conjugia unius viri cum pluribus feminis, exhiberi præterea emergentia dissidia familiaria inter uxores ipsas plures, item inter filios ex diversis matribus genitos, ipso naturæ jure detestata, unde deducitur, ea, quæ ibidem adferuntur, non esse generaliter probabilia exempla, et quæ in consequentiam facile trahi possent. Generalis dissidiorum caussa, aut occasio exprimitur in cap. 21 Deuteronom., vers. 15 ibi: *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, et alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, et fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritque substantiam*

inter filios suos dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, et præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de his, quæ habuerit, cuncta duplicia, iste est enim principium liberorum ejus, et huic debentur primogenita. Exempla etiam perspicua sunt simultatum exortarum inter Abraham et Saram occasione alterius uxoris Agar, et ex ea suscepti filii Ismaelis, Gen. c. 21, item simultatum inter Annam et Phenennam uxores Elcana, in I. 1. Regum cap. 1, itidem simultatum inter Liam et Rachelem, utut sorores, utramque Jacobo nuptam, de quibus in cap. 30, Gen. vers. 15 et seq., ut alia prætermittam numero plurima hujusmodi exempla.

Agedum vero facta judæorum veterum, ipsorum etiam patriarcharum, aliorumve, qui in sacris Veteris Testamenti literis commemorantur, expendamus. Viros poligamos in sacris eisdem literis commemoratos ad triplicem censum redigere oportet. Alii enim sunt, quos ex eo ipso sacræ literæ improbant, vel criminis reos proclamant, vel etiam damnant; alii sunt, quos, poligamos fuisse sacræ literæ quidem narrant, quin tamen eorum conjugia expresse improbent, sed ceteroqui veluti aliis vitiis inquinatos, et coram Deo peccatores notaverunt; alii denique sunt, qui feruntur fuisse bigami, vel poligami, una autem non solum ex eo non damnantur, sed et quasi ex absoluta legis observatione perfecti, atque Deo undecumque acceptissimi gloriose laudantur. Ex facto primi, et secundi generis hominum, sine injuria concludi posset, statim ac ipsi, aut improbantur in divinis literis ex multiplicis conjugii caussa, aut generaliter ex prava, quam iniverunt, vitæ ratione damnatur, deliquisse eos contra naturalia præcepta, neque jure potuisse sibi plures conjuges jungere, eorundemque propterea factum nullum facessere posse negotium in propositæ controversiæ definitione. Tantum habenda est ratio hominum tertii generis, quorum facta ita expendere juvat, ut aut excusandi illi sint, propterea quod in certis versarentur adjunctis, in quibus id sibi licere arbitrati fuerint, quasi adversus generales naturæ prœceptiones proposuissent probabiles exceptiones; aut saltem non omnino damnandi, quod non improbabilem suis temporibus caussam haberent putandi, sibi esse divinitus a generali naturæ regula dispensatum.

Utile est historica quadam narratione facta clariora percurrere. Primus Lamech exhibetur in sacris literis duas duxisse uxores, Adam nimirum, et Sellam, Gen. cap. 4, ver. 19. Is autem de stirpe perfidi Cain, qui et se humani sanguinis effusorem avita Caini exempla secutum confessus est, in vers. 23, tanti haberi non potest, ut dicendum sit, nihil ipsum admisisse adversus præcepta naturæ, ejusquæ impensiorem libidinem notari non posse, quando scimus, ceteros priscos homines ad seram usque Abrahami ætatem a multiplici conjugio constantissime temperasse. Deventum est ad Abrahæ tempora, quando sanctus patriarcha Saræ uxori superinduxit Agar, nomine concubinæ, Gen. cap. 16. (De Cethura non loquor, cujus conjugium huc non pertinet, propterea quod ducta fuerit post mortem uxoris Saræ, can. 1, caus. 32, quæst. 4, forte etiam post mortem Agar, quamquam ea modo uxor, modo concubina dicatur. Gen. cap. 25, juncto cap. 23 et lib. 1, Paralipomen cap. 1). En primum virum eximiæ probitatis, duabus conjugibus junctum, quem tamen quisquam mirari non debet eo adductum, ut generales honestatis conjugalis leges insuper haberet, quando nec ipse aut sponte, aut statim eo adduci potuit, sed tum demum, cum plura menti obversarentur, quibus sibi videri posset, licere ex ancilla Agar liberos quærere sine injuria naturalium præceptionum conjugium duplex abominantium. Erat ipsi sterilis uxor, et jam senio confecta, quæ jam spem omnem liberorum suscipiendorum abjecerat. Eidem promiserat jampridem Deus futurum, ut sicut stellarum cœli, ita et liberorum ejus magnus esset numerus, et talis, qui terram universam Canaam solidam possideret, Gen. cap. 12 et 15. Accedebant his preces Saræ uxoris viro offerentis ancillam Agar, ex qua susciperet liberos, Gen. cap. 16. Quis non intelligat, in his adjunctis, turbari potuisse Abrahæ animum, statimque variis fuisse cogitationibus involutum? Hinc novam rem, quæ nullum antea habebat probabile exemplum, horrere poterat, et quæ generalibus naturæ præceptionibus repugnabat. Illinc videbantur ipsi generalia naturæ præcepta in ea singulari specie non habere locum, quando uxor sterilis erat, et jamdudum senectute confecta; alias autem divinas promissiones impleri non posse, nisi miro prodigio, sperabatur, et uxor ipsa ancillam Agar adjectis etiam enixis precibus exhibebat. Ita ego intelligo Ambrosii verba jam superius laudata, et quæ habentur in can. 3, caus. 32, qu. 4. In his adjunctis cum Agar congredi se posse, forte etiam debere, censuit, ut liberis alias insperatis vacaret, ut divinis implendis promissionibus non expectato miraculo occasionem præberet, ut deprecanti Saræ indulgeret, quasi naturale præceptum non superinducendæ secundæ conjugis cessavisse tunc videretur: nam secundum illud conjugium judicio Abrahæ non oberat educationi liberorum, quando nullos ex Sara susceperat, neque ullos suscepturum ex eadem sperabat; neque oberat familiari tranquillitati, seu mutuæ inter se, et uxorem benevolentiæ, quando non sponte, sed uxoris consilio ac precibus, duceret Agar, alias velut ancillam potestati Saræ

uxoris obnoxiam. His animi adfectionibus inclinatus secundum inivit conjugium, in quo non fuit a Deo reprehensus, quod bona fide omnia gesta deprehenderentur, necnisi post diuturnam rei gerendæ deliberationem, ut omittam in ea re altiora supremi numinis arcana scrutari, quam veluti symbolum magnorum, sacrorumque divinorum operum futuræ ætati Deus ipse permisit, juxta observationes Paulli apostoli in cap. 4, Epist. ad Galatas, ibi: *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera: qui de ancilla secundum carnem natus est, qui autem de libera per repromissionem, quæ sunt per allegoriam dicta: hæc enim sunt duo testamenta.* Ceterum eo facto conjugio, præsertim postquam etiam de Sara susceptus est filius, permisit Deus, ut statim inter Saram utut dominam, et Agar utut ejus ancillam, simultates suborirentur, Genes. cap. 16, quemadmodum et inter liberos ex utraque uxore exinde natos, Gen. cap. 21 unde statim agnosceret Abraham, frustra se spem concepisse futurum, ut in eo duplici conjugio adhuc naturalis matrimonii finis, quale est inter cetera familiare bonum, obtineretur; exinde etiam successoribus præberetur exemplum, ne similia sequerentur, quamobrem consilio Saræ, probante Deo, eo adduci debuit sanctus patriarcha, ut conjugium illud secundum dissolveret, et quidem quasi minus recte contractum, ac facti pœnitens et ancillam uxorem, et filium ancillæ uxoris ejiceret, dicto cap. 21 Gen., canon 9, caus. 32, quæst. 4 Isaac Abrahæ filius, familiarium exinde emergentiam dissidiorum apprime conscius et testis, una fuit uxore contentus. Non ita Jacob filius Isaac, cui primum mens erat cum una Rachele conjungi, quique nonnisi ex errore conjunctæ Liæ Rachelem deinde superinduxit, duas autem alias veluti concubinas adscivit ancillas uxorum, Balam et Zelpham, Genes. cap. 29, 30, 35 et 37. Non debeo heic iterum altissima divinæ imperviæ providentiæ arcana scrutari, quæ humanas mentes penitus latent, ob magna mysteria a sanctis patribus in hoc facto agnita, inter ceteros ab Augustino in canone 2, dist. 26. Dicam tamen, plurimum valere potuisse apud Jacobum respectu ducendarum ancillarum avita Abrahæ exempla, quæ sequi inde etiam sine alteriore adjunctorum omnium investigatione turpe illi non videbatur, unde Augustinus factum illud excusans, ait: *Objiciuntur Jacob quatuor uxores, quod quando mos erat, crimen non erat*, can. 7, caus. 32, qu. 4, mos, inquam, qui ab Abrahamo initium cœperat. Respectu vero duarum sororum ducendarum plurimum valere poterat cogitatio, quæ suadebat, non esse abominabile conjugium cum Rachaele ante Liam Jacobo desponsa, neque ratihabitionem conjugii Liæ esse omnino spernendam, ut inter socerum magis sollicitum de conjugio Liæ, et inter generum magis cupidum conjugii cum Rachele ineundi, nulla esset simultas, nullaque contentio, sed arctior fieret totius familiæ necessitudo. Majora incitamenta Jacobo addere poterant divinæ promissiones olim Abrahæ factæ de ejus semine sicut stellis multiplicando, quas promissiones eidem Jacobo Deus ipse confirmaverat his verbis: *Cresce, et multiplicare: gentes et populi nationum ex te erunt; reges de lumbis tuis egredientur*, Genes. cap. 35. Ceterum vel ipsæ sacræ literæ hæc omnia per historiam referentes, satis indicant, naturalia bona conjugii in hoc multiplici Jacobi conjugio non fuisse, sive ex eo, quod simultates inter uxores ipsas Liam et Rachelem, utut sorores subortæ fuerint, Gen. cap. 29 et 30 sive ex eo, quod verus amor inter Jacobi filios ex diversis matribus ortos minime extitit, Gen. cap. 37. Quidquod autem Laban Jacobi socer, Gen. cap. 31, vers. 54 generum rogans, ne alias uxores Liæ et Racheli super induceret, ita locutus est, quasi tum *suas filias afflicturus fuisset?* Quid modo commemorem plures uxores Nachor fratris Abrahæ, de quo legitur in cap. 22, vers. 24 Gen. aut plures uxores Esau fratris Jacobi, de quo sermo fit Gen. cap. 26, ver. 34 et cap. 36, ver. 2 et 6? De facto enim talium virorum, utpote Deo minime acceptorum, minus solliciti esse debemus, de quibus propterea concludere possumus, eos, sicut in aliis caussis, ita in ista, a naturali jure temere, et non sine crimine recessisse. Mores Nachor non satis fuisse Deo probatos, ex eo intelligimus, quod Deus Abrahæ præceperit, ut de cognatione sua, quasi sibi minus accepta, egrederetur, Gen. cap. 12 quamquam Deo deinde placuerint nuptiæ Isaac cum Rebecca, quæ natalia non habebat improbanda, utpote de justa uxore Nachor progenita, non de superinducta Nachor concubina, Gen. cap. 24. Mores Esau fuisse Deo invisos nemo ignorat, qui vel leviter sacram historiam attigerit, quemadmodum et mores uxorum, *quæ ambæ offenderant animum Isaac et Rebeccæ*, ut legimus in cap. 26, Gen. in fine. Ecquidem fateor, recentiore ætate judæos plures sibi conjuges adscivisse, exempla potissimum prætexentes Abrahæ, et Jacobi patriarcharum, quorum gesta nemo lacessere dictis, imo nec singularibus allegationibus excusare audebat, quasi virorum omni exceptionem majorum. Poterant illa exempla facile in medium ab eo proferri, qui diceret, se in pluribus ducendis uxoribus non novo libidinis genere efferri, sed antiquorum, et majorum mores, ac consuetudinem prosequi. Ceterum ut plurimum adparet, eos, quos constat, plures duxisse uxores, parum acceptos fuisse apud Deum; tantum non ob eam caussam expresse damnatos; ne si forte expresse damnati fuissent, et specialiter ob multitudi-

nem uxorum, judæis eisdem a veri Dei cultu, et majorum suorum fide, ac religione frequentissime deflectentibus daretur occasio, detestandi majores suos, Abrahamum et Jacobum, quos noverant multiplici etiam matrimonio vacavisse; quammaxime autem intererat religionis et pietatis, nihil minui existimationis veterum illorum patriarcharum; unde quæ ab initio providente Deo sacrarum altissimarum rerum symbola extiterunt, quæque Abrahamo et Jacobo deliberantibus, opportuna, et suis temporibus congrua visa olim fuerunt, in quandam veluti dispensationem, aut patientiam inflecti decuit, exemplo libelli repudii ob duritiam cordis judæorum lege mosaica permittendi, in futuræ redemtionis humanæ tempora collata restitutione in integrum naturalium præceptorum. Hinc inter ceteros Gedeon plures sibi uxores junxisse legitur, Judicum cap. 8, vers. 30 et 31 quamquam dicere possumus, Gedeonem non undecumque Deo gratum extitisse, licet olim electo populo præfectus a Deo fuisset. Item Hesron et Caleb plures habuisse liquet uxores, lib. 1 Paralip. cap. 2, vers. 21, 24, 26, 46 et 48 an Deo accepti ipsi fuerint, fateor me ignorare. Itidem in lib. 1 Paralipom. cap. 4, vers. 5 memoratur Assur duabus sociatus uxoribus, cujus mores an integri undecumque fuerint, sacræ literæ non aperiunt. Idipsum dico de Sarai, de quo mentio fit in lib. 1 Paralipom. cap. 8, vers. 8 et 9. Non memoro concubinatum levites illius, de quo mentio occurrit in cap. 19 et 20 Judicum; quæ enim ibi dicitur concubina, legitima erat, et unica levites uxor, quemadmodum ex eisdem capitibus apertissime constat, forte ex eo singulari concubinæ nomine appellata, quod e levitæ familia in paternam domum diverterat, nec adhuc erat in domum mariti reducta. Qui vero præ ceteris sibi licere putabant plures uxores habere, erant vel ii, quibus sterilis uxor fuerat, et probro sibi vertebant nullos habere familiæ successores, vel ii, qui populorum duces erant, ac principes, de quorum propagine amplificanda interesse plurimum videbatur; siquidem duobus his hominum generibus magis accommodabantur exempla veterum patriarcharum Abrahæ et Jacobi, prout modo dicebatur ab ipsis, Abrahamum secundam uxorem duxisse, quod sterilis esset prima, et Jacobum tum demum ad ancillas uxorum accessisse, cum uxores parere desiissent; modo dicebatur, ideo Abrahamum et Jacobum de multiplici generatione fuisse sollicitos, quod erant constituti veluti duces et principes magnæ familiæ, in magnam gentem, et populum ex divinis promissionibus evasuræ. En caussam, quare Elcana post ductam Annam, prætextu sterilitatis ipsius duxit Phenennam, quamquam exitus plenus simultatum inter duas conjuges demonstravit, conjugium illud non omnino potuisse congruere naturali fini conjugiorum, lib. 1 Regum cap. 1. En caussam, quare etiam multi judæorum reges plurimas sibi uxores adsciverunt, sic Saul præter uxorem habuit concubinam, lib. 2 Reg. cap. 3, vers. 7 et cap. 21, vers. 11 qua tamen in re adhuc dici posset, mores Saulis non fuisse Deo probatos; sic David plures sibi conjuges junxit, lib. 1 Regum cap. 25 in fine, cap. 27, vers. 3, cap. 30, vers. 5 et 18, lib. 2, cap. 2, vers. 2, cap. 3, vers. 2 et sequ. præter alias concubinas, lib. 2 Regum cap. 5, vers. 13, cap. 12, vers. 8 et 11, cap. 15, vers. 16, cap. 16, vers. 21 et 22, cap. 19, vers. 5, cap. 20, vers. 3, lib. 1 Paralip. cap. 3, vers. 9 et cap. 14, vers. 3, quamquam multiplex ista et vaga libido eo tandem principem adduxit, ut ad probra adulteria, et impia homicidia progrederetur, exinde a propheta divino jussu gravissime objurgatus, lib. 2 Regum cap. 11 et 12 utinam etiam id filiis David pessimo non fuisset exemplo, quo incesta se libidine maculaverunt, uti legimus in lib. 2 Regum cap. 13. Sic Salomoni legimus septingentas uxores fuisse, et concubinas trecentas, lib. 3 Regum c. 11 de quibus tamen dicitur: *Et averterunt mulieres cor ejus: cumque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos, nec erat cor ejus perfectum coram Domino Deo suo.* Et quamquam tanta abominatio ex eo profecta fuisset, quod uxores sine discrimine duceret, etiam alienigenas, et idololatriæ superstionibus deditas, nemo tamen inficies ire potest, quin sensim eo adductus fuisset ex nimis vaga, et longe plus æquo provecta libidine, cui uxorum plurium ducendarum licentia occasionem latam præbuerat. Sic Roboamo et ipsi regi paterna Salomonis exempla secuto, fuerunt decem et octo uxores, præter concubinas sexaginta, lib. 2 Paralip. cap 11 quem tamen impium gessisse, et Deo abominabilem principatum nemo ignorat. Sic Abias et ipse rex Roboami filius quatuordecim accepit uxores, lib. 2 Paralip. cap. 13 an vero ejus gesta accepta inde Deo fuerint, ignoramus. Sic Joras et ipse rex multiplici uxorum consortio delectatus est, invisus tamen Deo, quem sensit ultorem, lib. 2 Paralip. cap. 21. Sic denique Joas et ipse rex duas duxit uxores, qua in re parcius sibi indulsit consilio Jojadæ sacerdotis facile non patientis, magnam illam uxorum multitudinem veterum Regum voluntate inductam diutius in usu esse, lib. 2 Paralip. cap. 24. His universis regibus occasionem multiplicis ineundi conjugii præbere etiam potuit gravis sollicitudo multiplicis suscipiendæ prolis, qua fieret, ut domesticos magisque fideles bellatores haberent ad tuendum judæorum regnum adversus exteros principes, quibus etiam erant multi liberi ex multis uxoribus, quas ducere consueverant. Hinc autem forte reges illi pu-

taverunt, magis ea ratione consultum iri bono publico, et consulendum revera fuisse, insuper habito, seu postposito bono privato bene regendæ familiæ, quod sane naturali jure uxorem duci unicam postulavisset. Quid modo recenseam principes alienigenas in sacris literis commemoratos. Balthassarem, qui plures, et uxores et concubinas habebat, Danielis cap 5. vers. 2, 3, 23, Antiochum et ipsum multiplici conjugio delectatum, uti legitur in lib. 2, Machabæor. cap. 4, vers. 30, et Assuerum eadem consuetudine utentem, uti habetur in lib Esther cap. 2? Erant isti principes idololatriæ dediti, quos si non puduit a veri Dei cultu longe removeri, neque facile puduit, naturalem conjugiorum honestatem contemnere. Tantum adjiciam, puellam Esther divino consilio passam fuisse, ut et ipsa ad Assuerum adduceretur, unde sperabatur, quod deinde evenit, ut ejus opera judaicus populus jamdiu misere pressus in quandam incipere libertatis speciem proclamare, nec sine speciali divina dispensatione, qua etiam permissum traditur, ut judæa puella alienigenæ jungeretur, cujusmodi conjunctionem alius Deus ipse inter institutiones Moysi datas generaliter improbaverat. Ut paucis universa concludam, dico, apud veteres homines perraro inveniri posse, et vix in Abrahamo et Jacobo, probabile quoddam plurium ductarum uxorum exemplum, et quidem in certis caussarum adjunctæ, quæ cum regulæ generali exceptionem facere viderentur, regulam potius contrariam confirmabant; post hæc frequentius quidem, sed non passim, in populo sancto conjugia ejus generis adparuisse, ubi aut sterilis prima uxor esset, aut ageretur de principibus, vel insignibus quibusdam familiis, quarum respectu major liberorum suscipiendorum numerus videretur caussis ac temporibus opportunus; imo nec ista conjugia fuisse in sacris literis comprobata, quamquam expresse non reprobarentur, ne occasio exinde præberetur carpendi facta veterum patriarcharum, virosque eosdem sanctissimos, qui uni ex ceteris hominibus in Dei cultu perstiterant, contemnendi; imo et sacras ipsas literas, cum ea conjugia enarrarent, statim subjecisse oculis varia incommoda, et naturalium bonorum jacturam, quæ ex multis ductis uxoribus identidem emergebant, unde homines occasionem arriperent, avocandi se ab ea disciplina, ac consuetudine ceterum post Christi Domini adventum, quum longe magis præclara fidelibus baptizatis proponerentur exempla sequenda, quum exempla Abrahami et Jacobi; quam Veteris Testamenti tanta non fuit amplius habenda ratio, utpote impletis figuris, et ad elegantiorem formam pietate ac religione in Deum exacta, magis firmatas fuisse naturales præceptiones, atque unitatem conjugii non de novo constitutam, sed ad naturalem simplicitatem restitutam, Mathæi cap. 19, imo et similitudine sacra unitatis Ecclesiæ cum Christo junctæ sanctificatam, epistol. Paulli ad Ephesios c. 5 quod et observavit Innocentius III in c. 8 de divortiis.

Naturalibus institutionibus ita restitutis, atque firmatis, quis dubitet, quin irritum sit secundum conjugium, consistente adhuc priore, quando agitur de naturali præcepto ea respiciente, quæ intime cohærent conjugii naturæ, et quo non servato conjugii fines minime obtinerentur? Quæ in cap. 1 hujus dissertationis præstitui, rem hanc abunde declarant, neque opus pluribus in præsentia. Quid vero contra ista principia, molita non est hominum improbissimorum perfidia, ac libido? Non defuerunt, quin alium superinducere conjugem adamantes, non tantum thalami fidem violare ausi, sed etiam data novi conjugii sponsione in prioris conjugis necem machinati sunt. His obviam iverunt et civiles, et ecclesiasticæ leges. Romano jure etiam antiquissimo generaliter cautum fuit, ut adulter, et adultera invicem nunquam possent, ne soluto quidem priore conjugio, jungi, l. 11, § 11, l. 40 ff. ad leg. Jul. de adulter., l. 13 ff. de his, quæ ut indign., nov. 134, cap. 12. Id ipsum patres ecclesiastici definiverunt, can. 1, 3, 4, 5 et 6, caus. 31, quæst. 1, inter quæ refertur decretum concilii triburiensis anni 895, can. 4 ita conceptum: *non licet ergo, nec christianæ religionis oportet, ut ullus ea utatur in matrimonio, cum qua prius pollutus est adulterio.* Ex quo colligitur, eam disciplinam etiam sub finem noni sæculi fuisse in Ecclesia confirmatam, et quidem ita, ut nullo jure matrimonium consisteret, cum etiam juxta vetustissimam Romanorum disciplinam irrita ea conjugia habita fuerint, dicta l. 11, § 11, ff. ad leg. Jul. de adult., dicta l. 13 ff. de his, quæ ut indign., dicta novel. 134, imo et contractum matrimonium inter eos, qui de adulterio non convicti quidem, sed suspecti olim fuerant, conjecturam præbebat gravem, qua præsumeretur adulterium jam antea admissum, l. 27 et 34 cod. ad leg. Jul. de adulter. Nonnullis visum fuit, aliter placuisse Augustino in lib. 1 de nupt. et concupisc. c. 10, cujus verba ita describuntur apud Gratianum in can. 2, caus. 31, qu. 1. *Denique mortuo viro, cum quo verum connubium fuit, fieri potest conjugium, cum quo præcessit adulterium.* Romani correctores observaverunt, in editionibus operum B. Augustini, et uno vaticano codice, unoque item Gratiani exemplari, ita legi *fieri verum connubium non potest:* quæ sane si ita revera legenda essent, difficultatem omnem penitus submoverent. At subjiciunt iidem correctores romani, in duobus vaticanis recentioribus codicibus negationem desiderari, proindeque in incerto reliquisse videntur, cui lectioni magis adhæserint. Quod

ad Gratianum attinet, ejusque codicem, facile est concludere, collectorem ita scripsisse, uti legitur in vulgatis exemplaribus, nimirum sine particula negativa; secus consistere ea non possent, quæ Gratianus idem ad eundem canonem et superius, et statim inferius adnotavit. Quod spectat codices Augustini, Maurini monachi curiosi librorum Augustinianorum investigatores referunt, se in optimis Augustini codicibus negativam particulam non invenisse. Ut autem sancti hipponensis antistitis germana sententia expendatur, integra erunt huc referenda verba Augustini, quorum pars etiam refertur in can. 28, caus. 32, quæst. 7. Ait ille, postquam generaliter scripsit, conjuges non posse invicem divortio separari: *quod si quisquam fecerit, non lege hujus sæculi, ubi interveniente repudio sine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia, quod etiam sanctum Moysem Dominus propter duritiam cordis illorum Israelitis permisisse testatur, sed lege Evangelii reux est adulterii, sicut etiam illa, si alteri nupserit. Usque adeo manent inter viventes semel inita jura nuptiarum, ut potius sint inter se conjuges, qui ab alterutro separati sunt, quam cum his, quibus aliis adhæserunt. Cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum conjuges permanerent. Denique mortuo viro, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium potest, cum quo prius adulterium fuit. Ita manet inter viventes quiddam conjugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre; manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis, etc.* Profecto liquet ex his, sententiam Augustini non pertinere ad propositam quæstionem, sed ad diversam speciem, nimirum ad eam, qua proponebatur, duos conjuges divortio facto fuisse sejunctos juxta veterum disciplinam. Secundum enim conjugium legibus publicis tunc non habebatur tamquam adulterium, quamquam secundum Evangelii leges merito appellari adulterium potuisset. Tum vero primum scripsit Augustinus, dici conjugium posse, quum vir, a quo uxor diverterat obiisset. Nihil adjicio hoc in loco de sequentibus Augustini verbis depromptis ex lib. de bono conjugali, et relatis in § *Posse sane* dicto can. 2, cau. 31, quæ 1, ibi enim sermonem sanctus vir instituerat non de nuptis adulterium passis, sed de concubinis, quarum conditio proxime ad conditionem nuptarum accedebat, de quibus propterea dici poterat, *posse fieri nuptias ex personis male conjunctis, honesto placito postea consequente.* Utrumque Augustini locum rectissime Gratianus interpretatus est, uti liquet ex ejusdem verbis laudato canoni subjectis; sed non ita accuratum se gessit veteris disciplinæ retinendæ custodem, ac vindicem in tota qu. 1, cau. 31, etenim ibidem variis priscis canonibus descriptis, conclusit suffragio suo, tum demum irritum esse adulterorum conjugium, quum viro vivente sponsio inita fuisset inter adulteros de futuris nuptiis jurejurando firmata. Igitur primus Gratianus sponte novam disciplinam invehere voluit, seu veterem generalem disciplinam ad certos tantum casus coercere. At recentiores interpretes neque omnino Gratiano adhæserunt, neque omnino disciplinam veterem sequi maluerunt; siquidem commenti sunt certos casus, quibus inter adulterum et adulteram nullo modo conjugium consistere posset, et extra quos consisteret eo tempore, quo dissolutum prius conjugium proponeretur. Hinc passim tradi cœpit, in his tantum facti speciebus inter adulteros nunquam esse posse conjugium: primo, si inter illos fides, et pactio futuri matrimonii intercesserit, quod et definitum fuit in cap. 1 et 6 de eo qui duxit; secundo, si conscii vitæ conjugis nihilominus palam matrimonium contrahere non erubuerint, sive id contigerit ante, sive post admissum adulterii crimen, cap. ult. eod. tit., quin tamen sufficiat, alterutrum conscium esse altero ignorante; nam si forte maritus puellam nubilem blande pellexerit, fingens se conjugii lege solutum, et sub futuri conjugii spe violaverit ignorantem, traditum est, inter ipsos nuptias soluto matrimonio non prohiberi, dicto cap. 1 et cap. 7 eod. tit. Tertio, si maritus adulter, vel uxor adultera aliquid moliti fuerint in mortem conjugis, sive secuta fuerit mors, sive non, cap. 3 eod. tit., ubi animadvertendum est, morte conjugis secuta, matrimonium iniri inter illos non posse, etiamsi adulterium non præcessit. Imo et traditum est, id adhuc observari oportere, licet forte conjux occisus infidelis esset, et ad alterius conjugis conversionem et secuta occisio fuerit, et initum matrimonium, cum tale damnum cum tali lucro Ecclesia non compenset, cap. 1 de convers. infidel. Verum hæc omnia, quæ diximus de iis, qui fidem conjugii dederunt, alteri conjugio non jungendis, minime pertinent ad eos, qui tantum dederunt sponsalium fidem; licet enim isti delinquant, dum sponsalium fidem non servant, subsequens tamen conjugium cum altera contractum jure consistet, cap. 15 de sponsal. Nihil in hanc rem in præsentia adjicio, utpote superius jam fusius explicatam, cum de sponsalibus verba facerem.

Succedit altera investigatio de iis, qui voto continentiæ elicito fidem suam Deo obstrinxerunt, ne unquam conjugia contraherent. Quicumque generaliter, et sine ulla prorsus exceptione diceret, non licere matrimonio jungi eos, qui votum continentiæ emiserint, quicumque tandem ii sint, et qualecumque sit votum, dummodo libere emissum, ac voluntarie, rem ille traderet in vulgari prudentia positam, quæ consonat naturalibus æque ac divinis præceptis lege publica confirmatis. At

quoties eo res redigatur, ut contracta a voventibus matrimonia irrita fore credantur, intricamur disputationibus acerrimis, quibus sane nisi legum definitionibus finis esset impositus propemodum in incerto, aut saltem inter contradictas opiniones fluctuaremus. Antiqua est de viribus nuptiarum post votum continentiæ contractarum controversia; nam vel ipsi veteres Ecclesiæ patres diversis in hac materie formulis usi sunt, ex quibus in contrarias ivisse opiniones videbantur; aliis, dum publice populum alloquerentur, declamantibus, eas nuptias incestas esse, neque longe ab adulterio remotas, can. 2 et 9, dist. 27, can. 1, 3, 10, 17 et 24, cau. 27, qu. 1; aut ista conjugia contrahentes ad continentiæ propositum esse revocandos, atque a conjugibus separandos, can. 2, 5, 7, 13 et 15, cau 27, qu. 1, aliis e contrario pœnitentiis quidem expiandos esse prævaricatores mandantibus, conjugio tamen non dissoluto, can. 2 et 9, dist. 27, c. 12, 22, 24, 30, 41, cau. 27, qu. 1. Tota hæc res variis ecclesiarum usibus fuit obnoxia, imo et pro varietate adjunctorum, præsertim pro votorum et voventium qualitate, varias definitiones accepit; imo et quibus in casibus non definiretur quidem, irritum esse conjugium, attamen contrahentes diuturnæ, aliquando etiam perpetuæ pœnitentiæ addicerentur, in qua constitutis conjugio interdicebatur; nonnulli putarunt, conjugium irritum habitum fuisse. Gratianus in codice suo scrutatus canones veteres in cau. 27, qu. 1, post canonem 40 generaliter in primis statuit, *voventes prohiberi contrahere matrimonia, sed quosdam eorum, si contraxerint, juberi separari;* quosdam, inquit, ut indicaret, quorumdam matrimonia etiam irrita fore, quorumdam tantum illicita; et in fine ejusdem quæstionis post canonem 43 discrimina eorumdem conjugiorum dixit se *evidenter ostendisse in capitulo de ordinatione clericorum.* Retulit se ad distinctionem 27, quam qui percurrerit universam, non sane percipiet, qua ratione Gratianus professus fuerit, *se rem evidenter ostendisse*; nam post canonem 1 adnotavit, *Diaconum post susceptam ordinationem, et emissum continentiæ votum contracto matrimonio licite uti posse, si a ministerio cessare voluerit, proptereaquod etsi in ordinatione sub castitatis votum obtulerit, tamen tanta est vis in sacramento conjugii, quod nec ex violatione voti potest dissolvi ipsum conjugium.* Deinde vero mutata in parte sententia post canonem 8, duplex voventium genus distinxit, primum eorum, qui *simpliciter* voventes sunt, alterum eorum, *quibus post votum beneficium accedit consecrationis, vel propositum religionis;* quod ut verosimilius Gratianus redderet, in can. 3 adjecit vocem illam *simplex*: quæ apud Theodorum desideratur, imo et apud eundem Gratianum non adest in can. ult., cau. 27, qu. 1 ubi idem fragmentum recensetur, nisi dicere malis, vocem illam *simplex* recentiore manu fuisse adsutam codici gratianeo. Qua facta distinctione dixit Gratianus, votum simplex non dirimere matrimonium, et contra contingere in alio votorum genere. Scholastici, qui erant gratianeæ doctrinæ valde studiosi, retento nomine voti *simplicis* a Gratiano invento ad significandam priorum votorum speciem, ut breviorem et scholæ accommodatam phrasim adhiberent, voto simplici opposuere *solemne*, quo posteriorem votorum speciem designarent; statuentes inde, non simplici, sed solemni continentiæ voto conjugia dirimi, quod Cœlestinus III comprobavit, cap. 6 qui cler. vel vov. Post hanc receptam distinctionem non omnis disputatio finita fuit, imo duplex reddita; primum enim in dubitationem venire poterat, quænam simplicia, quænam solemnia vota appellari possent; aut deberent: deinde investiganda erat caussa, quare quod solemne dicebatur, matrimonium dirimeret, non ita, quod simplex votum appellabatur. Prior quæstio quodammodo jam definita fuerat a Gratiano post canonem 8, dist. 27, quando tradidit, dirimi matrimonium, si voto continentiæ *vel beneficium consecrationis, vel propositum religionis accessisset,* unde hujusmodi votum solemne dici poterat, cetera autem simplicia, quæ matrimonia non dirimerent, cap. 3 qui cler. vel vov. Verum perspicua non erat apud scholasticos definitio; quod enim de beneficio consecrationis dicebatur, non videbatur esse certum respectu diaconorum, eove minus subdiaconorum in conspectu gratianeæ ejusdem doctrinæ in can. 1, dist. 27, junctis iis, quæ Gratianus ipse ad eum canonem adnotavit; item quod dicebatur de proposito religionis, adhuc difficultatem facere poterat, num nomine propositi religionis intelligeretur actu elicita religiosa professio, num solum et simplex propositum religiosam vitam certo tempore ineundi. Respectu ordinum accesserat difficultas ex eo, quod recens subdiaconatus ordo sacrorum numero haberi inciperet; respectu religiosæ professionis ex eo, quod duplici modo ea fieri posset, vel tacite, vel expresse. Omnes hujus generis controversiæ deductæ fuerunt ad Bonifacium VIII, qui auctoritate sua definivit, votum solemne in proposito illud dici, *quod solemnitatum fuerit per susceptionem sacri ordinis* (cujus nomine tum etiam veniebat subdiaconatus, cap. 9 de æt. et qual. præf.) *aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem apostolicam adprobatis*, cap. un. de voto in 6. Itaque ex Bonifacio VIII in quandam lucis perspicuitatem adducta fuit gratianea doctrina, ac confirmata, nimirum, cujuscumque sacri ordinis susceptionem, etiam subdiaconatus matrimonio prorsus obesse,

quemadmodum quamcumque religionis professionem sive expressam, sive tacitam, dummodo fuisset religio per Sedem apostolicam adprobata; jamdiu enim obtinuerat temporibus Bonifacii VIII ut nulla institui religio posset, nisi accedente Sedis apostolicæ auctoritate, cap. ult. de relig. dom. cap. un. eod. tit. in 6. Inde insuper habitæ fuerunt veterum constitutiones, quasi penitus abrogatæ post novam invectam disciplinam; inter ceteros abrogati fuerunt canones 1 et 6, dist. 27. Clarius adhuc bonifacianum rescriptum explicavit edicto suo Joannes XXII in extrav. un. de voto, et voti red., adjiciens, non sufficere religiosam quamcumque professionem in religione a Sede apostolica comprobata, sed ulterius requiri, ut undecumque perfecta religio dici possit, ea nimirum, cujus *professio ad castitatis custodiam, et abdicationem temporalium suos professores adstringat.* Quamobrem sequitur, nihil hodie obesse validitati conjugii ab eo contracti, qui religioni militari eas omnes conditiones non habenti addictus fuerit, eove minus ab eo, qui tertium ordinem S. Francisci, vel S. Dominici extra claustra vivens professus sit, quemadmodum nec ab eo, qui sub vitæ eremiticæ nomine continentiam in manu episcopi voverit, habitumque eremitarum induerit. Addidisse videtur concilium tridentinum, professionem debere esse solemnem, in can. 6 et 9, ses. 24 de ref. matr. unde dubitatum olim ab aliquibus fuit an religiosi societatis Jesu ex priore voto quamquam minus solemniter emisso eadem ratione, qua ceteri solemniter profitentes, ad contrahenda conjugia inhabiles haberentur; sed rem singulari constitutione, quæ incipit *ascendente Domino*, declaravit Gregorius XIII decernens, ita eos habendos esse in proposito, quemadmodum ceteri solemniter professi. Difficilior erat solutu altera quæstio, qua caussa erat investiganda, cur non quidem simplex, sed solemne tantum votum conjugia dirimeret, in qua definienda mirum est, quot et quanta in medium prodita fuerint, nescio an singula ad sanam et sinceram philosophiam accommodata. Gratianus post canonem 1, dist. 27 generaliter tradidit, *tantam esse vim in sacramento conjugii, quod nec ex violatione voti potest dissolvi ipsum conjugium.* Verum hæc ratio cum æque vigeat in voto solemni, ac simplici, præsertim autem, quod confirmata videatur in dicto canone 1, in quo species erat de voto continentiæ occasione diaconalis ordinationis elicito, turbat potius et evertit ea discrimina, quæ agnita fuerant inter votum simplex et solemne. Alii dixerunt, in voto solemni majorem esse deliberationem, quam in voto simplici. Verum isti parum animadverterunt meo judicio ad naturam voti simplicis, et solemnis; non enim ex majoris vel minoris deliberationis caussa votum aut simplex dicitur, aut solemne, sed ex aliis caussis, qualis est aut religiosa professio, aut susceptio sacri ordinis, imo et potest aliquando contingere, ut gravior deliberatio sit in simplici, quam in solemni edendo voto, quo tamen in casu dici non potest votum simplex conjugio obicem ponere. Alii tradiderunt in voto simplici meram inesse promissionem, seu meram personalem obligationem, in voto autem solemni præterea fieri quandam veluti corporalem traditionem, adeo ut respectu monasticæ professionis ita quis transformetur, ut pro mortuo habeatur, respectu autem sacræ ordinationis transformetur etiam vovens, et de persona profana incipiat esse sacra; ut exinde mirum non sit, votum solemne irritum fieri nunquam posse, secus ac votum simplex, adducta in eam rem similitudinem sponsalium et matrimonii, propterea quod nuda sponsalium fides non dirimat subsequentes nuptias cum alio contractas, secus ac contingat in data fide conjugii, adjecta etiam similitudine emtionis et venditionis, quæ si nuda conventione celebretur, non obest, quin res in venditionem emtionemque deducta favore alterius cedatur, secus ac contingat, si emptio et venditio jam sit rei traditione perfecta. Sunt magis hæc ingeniosa, quam vera, nimirum referta symbolis et figuris, asceticorum potius meditationibus accommodata, quam philosophorum et jureconsultorum sententiis. Etenim in primis falsum est, ex natura voti solemnis eum effectum oriri, quando scimus aliquando constitutos in sacris ordinibus, si non licite, saltem valide conjugium contraxisse, can. 1, dist. 27, l. 45 cod. de episc. et cler. Deinde non satis perspicitur, quomodo in voto simplici traditio non sequatur eodem fere modo, quo in voto solemni; quando æque corpus suum ad effectum continentiæ servandæ, Deo dicat et dedit, quicumque qualecumque votum emittat; eamque ad rem sponsalium similitudo minime pertinet, cum sponsalia in futuram, votum in præsentem et perpetuam obligationem conferatur; eove minus ad eandem rem pertinet similitudo emtionis et venditionis longe remota; neque enim facile respectu Dei votum acceptantis traditio corporis, seu dedicatio tota sui ipsius ab homine facta a vera traditione distinguitur, quando ea obligatio personalis ad nullam rem, sed ad ipsam personam tota refertur, imo et natura pollicitationis, quæ in voto inest, arctius obligat, quam natura ceterorum pactorum, qui inter homines ineuntur, argumento l. 7 ff. de pollicitation.

Sunt istæ vulgares traditiones, ex quibus concludere quidem oportet; non aliter irrita esse illorum, qui olim voverunt, conjugia, quam ubi votum solemne fuerit, seu ubi votum elicitum fuerit una cum religiosa facta professione, vel una cum sacri ordinis susce-

ptione, in ceteris autem votis, quæ simplicia dicuntur, delinquere quidem conjugia contrahentes, non tamen conjugia irrita fieri. At quoties in caussam discriminis inquirendum sit, altiora juvat principia figere, ex quibus tota hæc controversia definiatur. Itaque dico, votum continentiæ, qualecumque sit, suapte natura matrimonii deinde contracti firmitati minime obesse. Etenim licet divino jure unusquisque votum semel emissum implere cogatur, quoties tamen non impletur, et aliquid fit, quod non tam jure publico, quam jure divino firmatur, ne facile rescindatur; quod contra votum, utut improbe factum est, adhuc revera subsistit. Connubium quidem juris nomen est, multa tamen in facto consistunt legum publicarum providentia digna, quæ jus sequuntur, qualis est inter cetera suscepta familiæ cura et educatio liberorum, quæ sane omnia negligi deberent, si prætextu voti continentiæ pridem eliciti, insuper haberentur. Et quando a similibus argumentantur, qui alias observationes edidisse modo notati sunt, et ego exemplo a simili petito observationem confirmo. Naturali jure quis prohibetur, ne ædificet ex tignis alienis. Si tamen inde ædificaverit, vetat jus publicum, ne petente quidem domino tignorum, everti ædificium, non alia sane de caussa, nisi quod everso ædificio ruinis deformaretur urbs, in quo publicus urbis splendor, et decus minueretur; quasi cum duo detrimenta concurrunt, primum privatum, alterum publicum, potius cavendum sit, ne publicum damnum emergat, insuper habito damno privatorum. Idipsum fere evenit in conjugio eorum qui castitatem voverunt. Urget hinc bonum privatum continentiæ, quam voverunt; illinc bonum publicum matrimonii, quod contraxerunt; istud propterea erit illi anteferendum, can. 2 et 3, dist. 27, can. 2, 24 et 41, caus. 27, quæst. 1. Non ignoro, ex veteribus Ecclesiæ patribus fuisse quosdam, qui conjugia post votum continentiæ contracta, adulterii, vel incestus nomine appellaverunt, imo et dixerunt, conjuges illos adulteris et incestuosis esse pejores, can. 9, dist. 27 et alibi, quemadmodum superius notatum fuit. Verum aut hi sancti doctores ea in specie persequi voluerunt gravitatem sceleris, ajendo, voti violatores fidem Deo datam fefellisse, quod adulterii instar est quin tamen de vi nuptiarum verba facerent; aut si de vi nuptiarum forte eos locutos fuisse putes, non fuit recepta illorum opinio ab aliis patribus, inter quos est Augustinus, cujus monumenta sunt in dicto can. 2, dist. 27, et dicto can. 41, caus. 27, qu. 1, quemque in hac re sequi, idem est ac receptæ ecclesiæ disciplinæ adhærere. Vera est hæc regula. In genere suo; non tamen adeo sancta et inconcussa, ut facultas ac potestas contra certis in casibus statuendi denegetur iis, qui impedimenta conjugiis lege publica objicere possunt. Ergo eadem regula tum demum recipienda non erit, quoties certis in casibus adpareat lex publica edita, quæ voventium matrimonia irrita omnino reddiderit. In simplicibus votis, seu extra caussam monasticæ professionis, et susceptionis sacrorum ordinum, quia singulari lege irritante destituimur, regulæ generali adhæremus. In votis solemnibus, seu in caussa monasticæ professionis, aut susceptionis sacri ordinis, habemus singularem legem irritantem, proptereaque a regula generali receditur. Et quidem has singulares leges irritantes jam superius indicavi; ceterum quædam juvat subjicere in præsentia ad universam materiam illustrandam, quæ spectant ad irritata conjugia, qua monachorum qua clericorum in sacris ordinibus constitutorum; multa enim sunt adnotanda ad earum legum origines et caussas; unde et caussæ, et origines illius, quæ hodie etiam obtinet, disciplinæ perspicue dilucideque pandantur.

Ut de monastica professione primum dicam, designandæ sunt variæ temporum notæ. Nimirum priscis Ecclesiæ sæculis omnino privatæ ut plurimum erant monachorum institutiones, adeo ut fere singuli singulas sibi regulas sequendas proponerent, pro lubitu aut restringendas arctius, aut latius relaxandas, unde Hieronymus ad Rusticum monachum scribens eum monebat, ut certum sibi præfectum constitueret, a cujus jussione penderet, can. 41, caus. 7, quæst. 1. Interea ad evitandam adeo amplam libertatem nonnulli cœperunt institutiones ab aliis monachis factas sequi, ab iis præsertim, quorum magna nominis fama erat atque existimatio, inter quos erant S. Basilius, et nonnulli S. Basilii imitatores. Ceterum hæ regulæ adhuc privatarum præceptionum loco habebantur, necdum publica auctoritate probatæ, ac confirmatæ, ut patet ex regulis editis ab Holstenio; quamobrem singuli præpositi monachorum, ubi primum institui cœperunt, easdem pro lubito immutabant. Præterea cum monachi non expresse continentiam voverent, sed tacite, ex eo quod in regula monachis præcipiebatur, ut perpetuam continentiam servarent, et monachi iidem voto sese ad observationem regulæ adstringebant, eam ob rem si relaxari regula poterat in aliis capitibus, putabant nonnulli monachi, etiam relaxari posse perpetuæ continentiæ leges, neque enim sibi ipsi persuadebant, qui illud propositum a se abjicere meditabantur, adeo religiosæ vitæ cohærere individua ratione continentiæ perpetuæ professionem, quemadmodum persuaderi debuisse recentiores pontifices declaraverunt in cap. 6 in fine de statu monach. Difficile est definire, iis temporibus conjugia inita a monachis, irrita omnino fuisse, ex eo quod hæc dum pro-

dieret lex publica, qua eadem conjugia penitus rescinderentur. Tantum lege publica ecclesiastica vetitum graviter monachis erat ne conjugia contraherent, indicta adversus contrahentes pœna excommunicationis, quibus etiam nonnisi post diuturnam pœnitentiam reconciliatio concederetur, quod et Siricius papa, et chalcedonense concilium statuit, canone 14, junctis romanorum correctorum notis, et can. 22, caus. 27, qu. 1. Præterea generaliter statuerunt Leo et Anthemius imperatores, ne monachi potestatem haberent monasteria deserendi, alias legum austeritati subjicerentur, l. 29 cod de episc. et cler., deinde pœna adjecta a subsequentibus imperatoribus, ut res olim monasterio donatas amitterent, l. 39 et 53, § 1, vers. *Quoniam autem* cod. eod. tit., nov. 5, cap. 6, juncta nov. 76 et 123, cap. 37, 38 et 42. Hæ tamen leges, quibus, firmata monachorum consistentia in monasteriis, auferebatur monachis omnis occasio matrimonia contrahendi, non expresse irritaverant contracta ab ipsis matrimonia. In iis adjunctis, monachi, ut pœnas evaderent, curabant, se a monasteriis transferri ad ecclesias, quibus ministrarent, non quidem in majoribus ordinibus, sed in gradu quodam inferiore, ex. gr. cantorum, aut lectorum; cum enim agnoscerent, clericis in gradu inferiore constitutis non esse interdictum conjugio, putabant, rite se tum matrimonia posse contrahere, prætexentes, se speciali non esse continentiæ voto alligatos, votum autem servandæ generaliter regulæ dissolutum fuisse per relationem eorundem in numerum et censum clericorum. Id expresse vetuit Justinanus imperator in nov. 5, cap. 8 statuens, inobedientes et a clericali recens suscepto gradu dejici, atque in pœnas monachorum conjugia contrahentium incidere, ac si in hac parte soluti non essent a monasticæ regulæ observatione: adeo verum semper fuit, monachos ad clerum translatos adhuc regulæ suæ præceptis obstringi in iis, quæ clericæ conditioni non adversantur, potissimum autem in iis, quæ clericam eandem conditionem possunt magis magisque perficere, et reddere honoratiorem. Verum cum quinto et sexto sæculo caveri inciperet, ut monachi uxorem ducentes ad pœnitentiam adducerentur non alibi, quam in arctiore monasterii recessu subeundam, qua fieret, ut in monasterio severiore lege vitam perpetuo traducerent, nov. 123, cap. 43, can. 15, 16, 18, 19, 39, caus. 27, qu. 1, si non iis legibus matrimonium expresse irritabatur (neque enim tunc temporis irritari ea conjugia opus erat ob receptam justinianeam disciplinam mox commemorandam), ita tamen res erat usu confirmata, ac si matrimonium non valeret, non quasi ab initio irritum, sed quasi per regressum ad monasteria dissolutum. Si enim vel ipsum rite contractum conjugium a personis ab omni continentiæ voto liberis, per subsequentem monasticam professionem dissolvi, tunc temporis credebatur ex legibus justinianeis, l. 53, § ult., l. 56 cod. de episc. et cler., nov. 22, c. 5, nov. 117, c. 12, nov. 123, c. 40, potiore jure dissolutum censebatur conjugium cum injuria religiosæ olim initæ professionis contractum, statim ac conjux iterum ac monasterium vitamque monasticam reducebatur; unde parum, aut vix intererat, decretum irritans legi prohibenti adjicere, quando post regressum ad monasterium, ita matrimonium habebatur ac si nullo modo consisteret. Eodem sexto sæculo in Occidente communis fieri cœpit monachis universis S. Benedicti regula, et una viguit apud omnes usque ad sæculum ecclesiæ undecimum; tum vero ubi quis ex monachis monasterio relicto conjugia inivisset, renovatæ fuerunt veteres leges in concilio triburiensi, can. 11, 12, 13 et 14, cau. 27, qu. 1, cautumque, ut monachi regulæ desertores ad monasterium etiam inviti reducerentur; quod satis videbatur ad eosdem monachos a voluntate ineundi conjugii avocandos; an vero dissolveretur conjugii vinculum, mihi non satis liquet, quia non satis perspectum habeo, quo primum tempore recessum fuerit a disciplina justinianea modo commemorata, juxta quam credebatur, per ingressum, aut regressum in religionem matrimonia rite contracta posse dissolvi. Tandem initio sæculi duodecimi suprema manus adposita fuit huic disciplinæ, et sub Calixto II in concilio lateranensi anni 1123, can. 21 statutum est, ut irrita omnino forent ea conjugia, can. 8, distinct. 27, ubi præter pœnam in personas illas conjugium contrahentes illatam, dicitur, *contracta quoque conjugia disjungi,* quæ verba, utpote in conjugium ipsum collata, vim decreti irritantis præseferunt. Idipsum paullo postea, seu anno 1139 confirmavit in lateranensi concilio Innocentius II in can. 40, cau. 27, qu. 1 ita definiens: *hujusmodi copulationem matrimonium non esse censemus,* atque id expresse ad sanctimoniales feminas extendit. Et quidem ego puto, non novam quidem disciplinam exitu inspecto his constitutionibus fuisse inductam, etenim, uti ajebam, ante hos pontificios canones monachi post initum conjugium ad monasteria revocati ita habebantur, ac si soluti essent a vinculo conjugii: tantum opus fuit novis canonibus ad continendos monachos in officio, quia sæculo undecimo cœperat recedi a disciplina Justiniani, nec tutum erat dicere, per monasticam professionem matrimonia posse dissolvi. Et quidem nemo exinde non colligit, potissimam matrimonii dissolvendi caussam in eo fuisse positam, quod perpetuo monachus in monasterio consistere deberet, eo etiam reducendus, si quandoque recessisset, non simpliciter ex emisso conti-

nentiæ voto, præsertim quod olim monachi non expresse continentiam Deo sponderent, sed tacite tantum, nimirum generaliter pollicentes, se regulam servaturos, et in ejus observatione constantissime perstituros. Primus S Franciscus Assisias voluit, ut suo ordini adscribendi expresse continentiam profiterentur, quo clarius intelligerent illi, se omnem omnino contrahendi conjugii spem abjecisse cujus francescanæ regulæ exemplum et plures alii monachorum ordines secuti fuerunt. Hinc reddita est generalis disciplina ad nostra usque tempora traducta, et hodie vigens, qua certum est, et monachorum et sanctimonialium conjugia esse penitus irrita, dummodo ea intercedant, quæ superius dixi constituta fuisse a Bonifacio VIII in c. un. de voto in 6, abs Joanne XXII in extrav. un. eod. tit., juncto can. 9 concilii tridentini in sess. 24 de ref. matrim.

Difficilius est investigare clericorum disciplinam ab apostolicis temporibus ad nos usque traductam. Divino jure clericis indictam fuisse continentiæ legem, ita ut nec uxores ducere, nec ductis uti possint, adfirmari tuto non potest, quando concilium trident. caute in can. 9 de sacramento matrimonii legis tantummodo ecclesiasticæ fecit mentionem. Revera quoties respicio ad apostolica tempora, quibus non alii clericorum ordines, quam episcoporum, presbyterorum et diaconorum adparent, et inquiro, an constante adhuc conjugio maritorum ordinatio admitteretur, ego rem video in incerto admodum collatam. Non heic memoro fabellam, quam primus ex vulgari sequioris ævi traditione nimis credulus sine testimonio veterum scriptorum narravit Beda, de Joanne apostolo, quem ferunt contraxisse in Cana Galileæ nuptias illas, quibus interfuit Christus Dominus, ibidemque fuisse ab eodem Christo avocatum a conjugio ad apostolatum, antequam uxori conjungeretur. Huc potius pertinet, quod dicitur Matthæi cap. 19 in fine, ex quo nonnulli deducunt, apostolos saltem aliquos, atque inter istos Petrum, de cujus etiam Socru mentio fit in cap. 4 Lucæ, uxores suas dimisisse. Verum exinde adhuc incertum deduceretur argumentum; in primis enim neque ibidem aperte constat, ab apostolis, aut a Petro uxores fuisse dimissas; deinde licet istud aperte constaret, non liqueret tamen, dimissas fuisse caussa suscipiendæ ordinationis apostolicæ, cum dimitti potuissent caussa suscipiendæ christianæ religionis, juxta doctrinam a Paullo apostolo traditam in epist. 1 ad Corin. cap. 7. Memorabile etiam est, quod dicitur apud eundem Paullum in epist. 1 ad Timoth. cap. 1, et ad Titum cap. 1, nimirum episcopum, aut diaconum esse debere unius uxoris virum. Sed iterum hinc nihil certi colligi potest, quod adhuc recte Paulli testimonia interpretetur, qui dicat, eo tantum spectare, ut indicaretur, neminem, qui bigamus extitisset, sacris ecclesiæ officiis addici debere. Præterea memorari posset, quod dicit Paullus in cap. 9, epist. 1 ad Corinth. nimirum se habere potestatem mulierem sororem circumducendi. At nemo facile ostendet, nomine mulieris sororis uxorem intelligi, maxime quod Paullus apostolus a matrimonii nexu solutus fuisse probetur ex epist. 1 ad Corinth. cap. 7, vers. 7. Neque enim, quod nonnuli aliquando legerunt in cap. 4, vers. 3, epist. ad Philippenses, *germana compar*, cujus nomine uxor significaretur, quam lectionem recepit Erasmus Rotherodamus, placuit S. Hieronymo, qui in vulgata editione epistolæ legit *germane compar*, et in lib. 1 contra Jovinianum scripsit, adfirmari posse, neminem ex apostolis, uno Petro excepto, vinculo conjugii obstrictum fuisse. Denique ubi exemplum proferri solet Philippi diaconi, cui quatuor filiæ virgines et prophetantes fuisse dicuntur in cap. 21. Actorum, ad hanc dirimendam controversiam parum valeret, cum facile observari posset, illas susceptas ante Philippi ordinationem fuisse ex conjuge etiam prædefuncta.

Post has factorum veterum dubitationes, quæ sane in obscuro admodum collocant definitionem disputationis, num divino jure continentia sit a sacris administris præsertim majoribus observanda, nihilominus certa possunt præjaci principia. Nimirum licet de divino ejusmodi præcepto non constet, constat tamen, convenientissimum semper fuisse institutioni divinæ sacrorum officiorum, ut electi ministri, præsertim majores, si forte conjugio obstrincti essent, conjugio non uterentur, et potiore jure a nuptiis, quas nondum contraxerant, abstinerent, quemadmodum intelligo novellam Justiniani 6, cap. 5, ubi dicitur, clericalis continentiæ legem divinis regulis esse conformem. Si enim in vetere lege, in qua ceteroqui sacrorum officiorum potestas successione perpetua leviticæ tribus de parentibus erat in liberos divino jure transferenda, sacerdotes, quo tempore officio fungerentur in ordine vicis suæ, ab usu contracti conjugii temperare debebant, eo potiore ratione perpetuam esse decebat in nova lege sacrorum administrorum continentiam, quorum non interruptæ sunt vices, sed quotidianum est ministerium, quorum etiam officium non est successione filiorum transferendum, quo purior esse debet, et liberior in Deum resque divinas Christianorum administrorum animus, et quo sacramenta novæ legis per sacerdotes administranda digniora sunt illis, quæ a levitis veteribus dispensabatur, can. 4, 5 et 7, dist. 31, can. 2 et 3, dist. 82. Quod si Paullus apostolus cum de laicis ageret, ad tempus illos vacare volebat conjugii usu, quando nimirum orationis tempus instaret, epist. 1 ad Corinth. cap. 7 perspicue etiam indicavit, cle-

riicis esse perpetuo conjugii usu non interdicendum, quorum oratio, et tractatio rerum sacrarum erat sine ulla cessatione constantissima.

Quando igitur verum est, custodiam perpetuæ continentiæ divinis sacrorum ministeriorum institutionibus maxime consentaneam esse, licet de divino præcepto expresse non constet, laudanda ab omnibus est vetustissima latinæ ecclesiæ disciplina, quæ non solum eos, qui sacris essent ordinibus initiati, semper a conjugiis arcuit, verum etiam laicos conjugio alligatos aut numquam, aut perraro, et tunc data fide de non utendo conjugiis ad sacros ordines suscipiendos admisit. Id sine discrimine admissum quocumque tempore fuit in episcopis, presbyteris et diaconis; et quoniam non constat, quo primum tempore canones conditi ad hanc rem fuerint, et usus latinorum, imo et universarum occidentalium ecclesiarum talis adparet, ut ejus initii nulla extet memoria, facile concluditur, eum ab ipsa apostolica ætate, aut ad ipsa apostolica tempora valde proxima invaluisse. Legitur quidem apud S. Cyprianum in epist. 49. Novatum quendam episcopum africanum calce percussisse uxorem suam, quæ exinde abortivum fœtum emisit. At observo in primis, Cyprianum ibidem non memorare grave illud Novati crimen, quasi admissum post adeptum episcopatum, et proinde ex eo probari non posse, Novatum jam episcopum aut contraxisse conjugium, aut fuisse conjugio usum. Deinde observo, Novatum illum tanquam vitiis deditum, et perditum hominem a Cypriano commemorari, et eum, qui inter cetera eo flagitiorum devenerat, ut parentem suum interfecerit; eamque ob rem conjugium illius episcopi tale haberi non posse, ut dicatur legibus ecclesiasticis illius sæculi consentaneum. De subdiaconorum ordine, quia nec semper, nec ubique inter majores, et sacros recensebatur, non idem olim observabatur apud omnes, can. 13, dis. 32. Primum Ecclesia Romana subdiaconis legem continentiæ imposuit, can. 1, dist. 28, can. 1, dist. 31, can. 1, dist. 32. Ecclesiæ autem romanæ disciplina non nisi serius ad alias ecclesias traducta est, nimirum sæculo sexto in Hispaniam, can. 5, dist. 37, sæculo septimo in Siciliam, can. 1, dist. 31, can. 2, dist. 32, et paullatim in alias provincias, donec tandem factum est, ut id in universum, et generaliter ac sine discrimine custodiretur, can. 2, dis. 28, can. 10 et 11, dist. 32, ex quo etiam profectum fuit, ut postularent subdiaconi, se inter sacros administros adcenseri, quoniam exinde sacer ordo subdiaconatus dici poterat. In minoribus ordinibus constitutis licuit semper nuptias contrahere, nisi tamen essent monachi a monasticis ad ecclesiastica officia translati, can. 14, dist. 32, novella Justiniani 5, cap. 8. Et quidem olim minores clerici in minori ministerio consistentes et uxores ducebant, et uxorum consuetudine utebantur, quousque viguit ea disciplina, juxta quam qui in minoribus ordinabantur, in iis perpetuo consistebant; imo et in carthaginensi ecclesia scimus aliquando statutum ad coercendos intra certos continentiæ leges minores clericos, ut lectores juberentur, cum ad annos pubertatis pervenissent (intellige plenam pubertatem, et quæ vigesimo anno complebatur juxta interpretationem Alexii Aristeni ab Harduino comprobatam) aut uxores ducere, aut continentiam profiteri, ne, si forte continentiam polliceri nollent, justi legitimique matrimonii fines excederent, can. 6, dist. 32. At postquam ii, qui in minoribus ordinantur, putarunt sibi in iis sterni viam ad majores gradus, et ordines, ad quos sine difficultate promoverentur, si postularent, receptum est duodecimo ecclesiæ sæculo, ut minores clerici si conjugia contraxerint, ad peragenda sacra officia ne in susceptis quidem ordinibus admitterentur, quasi ecclesiastico muneri penitus renunciassent, cap. 1 et sequentibus de cleric. conjug. Exceptio est inducta a tridentinis patribus in ses. 23 de reform. cap. 17, ubi decretum est, ut si ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis clerici cælibes præsto non sint, suffici ab episcopo possint etiam conjugati probatæ vitæ, dummodo non bigami, ad ea munera obeunda idonei, et qui tonsuram, atque habitum clericalem in ecclesia gestent, quibus etiam aut beneficia ecclesiastica, quæ ordini congruant, aut præstimonia concedi valeant. Disciplina ecclesiæ græcæ consonavit perpetuo cum disciplina Latinorum, quoties de episcopis ageretur; his enim neque licitum aliquando fuit uxores ducere, neque nuptiis ante ordinationem contractis uti, can. 13, dist. 31, nov. 6, cap. 1, at paullo aliter sese habuit, et remissior fuit respectu presbyterorum, diaconorum et subdiaconorum; his enim quamquam interdictum fuerit matrimoniis post ordinationem contrahendis, indultum tamen, ut conjugiis ante ordinationem contractis uterentur. Atque huic græcæ disciplinæ accommodati sunt vetustissimi canones in græcorum conciliis editi, can. 13 et 14, dist. 31, can. 7, dist. 32, can. 14 et 15, dist. 28, quemadmodum et novella Justiniani 6, cap. 4 et sequentibus, ac nov. 22, cap. 42. Adnotandus quoque est in hanc rem canon concilii ancyrani, quo episcopis permissum fuit cum diaconis dispensatione uti, eisdemque permittere, ut conjugia inde contraherent, si tempore ordinationis protestati fuerint, se velle contrahere matrimonia, can. 8, dist. 28. Displicuit tamen hæc disciplina Justiniano imperatori, qui statuit, diaconum ita protestantem non esse ordinandum, nov. 123, cap. 14 vers. *si vero futurus.* Hinc nemo mirabitur, Martinum Bracharensem, qui suam canonum collectionem

adornavit paullo post editas justinianeas novellas, et quidem instructus in disciplina græcorum, dum editurus esset laudatum canonem ancyranum, contrariam sententiam adscripsisse, uti legimus in can. 1, dist. 27, sive quod amaverit ipse potius adhærere justinianeæ legi, qua tunc Græci regebantur, quam canoni ancyrano, sive quod cum in occidentali ecclesia scriberet, nosset, ancyrani canonis sententiam minus esse opportunam, quæ in suis provinciis ederetur, ac palam fieret. Solet in hanc rem vulgo proferri, quod ex historia tripartita Gratianus descripsit, in can. 12, dist. 31, nimirum nicænam synodum tractatum habuisse de lege introducenda, qua episcopis, presbyteris, diaconis et subdiaconis conjugibus ante ordinationem ductis uti liceret, et consilio Paphnutii ab eo edendo canone prudenter abstinuisse. Verum hæc historica narratio decerpta fuit ex historia Socratis lib. 1, cap. 11 et Sozomeni lib. 1, cap. 23 apud Valesium; imo et Socrates Paphnutium appellavit *cujusdam urbis in superiore Thebaide episcopum*, et Cassiodorus auctor historiæ Tripartitæ in lib. 1 eundem Paphnutium commemorare videtur, tanquam acerrimum christianæ fidei confessorem, a Maximiano imperatore, avulso dextro oculo, incisaque sinistra manu in metallum ad opera exercenda damnatum; exinde autem nonnulli deducunt, Paphnutium illum nunquam in concilio nicæno interfuisse, quod et probant ex eo, quia in subscriptionibus episcoporum consignatis in editionibus concilii nicæni, Paphnutii episcopi nomen desideretur. Primus Socrates fabellam illam mendacio finxit, ut serviret caussæ Novatianorum, quorum sectæ addictus fuerat, propterea quod Novatiani passim traderent, nihil licere laicis, quod et clericis non liceret, proptereaque nuptias in clericis venerabiles esse existimarent. Fidem Socratis secutus est Sozomenus; ex Socrate autem et Sozomeno occasionem errandi habuit Cassiodorus. De minoribus clericorum gradibus nihil dico, perspicuum enim est, apud Græcos non solum ipsos contracto conjugio usos, sed et rite matrimonia contrahere potuisse, can. 13, dist. 31, can. 7, dist. 32, qui referendus est ad can. 6 inter Trullanos, item can. 26 ex iis, qui apostolis tribuuntur, l. 45 cod. de episcop. et cleric., nov. 5, cap. 8, nov. 6, cap. 5, nov. 22, cap. 42.

Ex his perspicuum quidem fit, sacris administris interdictum ab antiquissima ætate fuisse conjugio, nondum tamen constat, conjugia a sacris administris non obstante lege contracta, irrita semper ipso jure fuisse. Equidem irrita sunt hodierna disciplina inspecta: sed utrum et id perpetuo receptum fuerit, apud eruditos ecclesiasticæ antiquitatis studiosos disputatum agnosco. Si priorum quinque sæculorum canones legimus, quibus nuptiæ clericorum improbantur, nihil reperiemus, quod expresse ejusmodi nuptias irritaret, tantum statutum adparet, clericos conjugia contrahentes esse ab officio deturbandos, aliquando etiam communione ecclesiastica privandos, et asperrimæ pœnitentiæ subjiciendos, can. 1, dist. 27, can. 9, dist. 28, can. 3 et 4, dist. 82 atque hæc pœna diutissime perseveravit adeo, ut clerici majores conjugia contrahentes inter idiotas, sive laicos referrentur, nov. 6, cap. 5 aut curiæ una cum bonis suis traderentur, juxta novellam 123, cap. 14, quod tamen inde displicuit Leoni philosopho imperatori, qui indignum putans, personas semel Deo sacratas, sacras esse desinere, potius voluit, ut dejecti a majoribus officiis, in minoribus saltem ministeriis deservirent, novellam 79, quæ tamen non ubique recepta fuit, quemadmodum nec ceteræ Leonis ejusdem novellæ. Quando vero in ea re versamur, in qua quod contra leges fit, non statim pro infecto habendum est, et in qua dici non potest, irritari conjugium ex eo tantum, quod conjugium contrahentes, pœnis utut gravissimis subjiciantur, sed tum demum, si legi decretum irritans adjectum fuerit, mihi non videtur dubitandum, quin olim ea conjugia utut illicita, et legibus improbata, consisterent. Primum irritatæ fuisse videntur majorum clericorum nuptiæ lege imperatoris Justiniani, qui cum plurimas edidisset favore ecclesiæ constitutiones, etiam in hac parte nihil omisit, in quo cleri decus a quibusdam sacrilegis neglectum restitui quoquo modo posset. Ipse in l. 45 cod. de episc. et cler. animadvertens, satis non fuisse, pœnis canonicis, quæ in sola gradus amissione consistebant, terrere clericos libidini deditos, amplius progrediendum voluit, nimirum confirmata eadem canonum pœna, decrevit præterea, ut conjugium irritum esset, quod indicavit, cum expresse dixit, liberos, qui ex eo nascerentur, legitimos ac proprios non fore, sed tanquam tales habendos, ac si ex incestis et nefariis nuptiis progeniti essent, ita ut neque naturales, aut nothi, seu spurii intelligerentur, sed prorsus et undique prohibiti, et nihil de paterna successione sperarent. Exinde liquet, non satis probari posse illorum opinionem, qui scripserunt, sæculo primum undecimo ea conjugia irritata omnino fuisse sub Urbano II confirmata disciplina a subsequentibus pontificibus maximis Callisto II et Innocentio II can. 8, dist. 27, can. 2, dist. 28, can. 40, caus. 27, qu. 1. Non nova inducta his canonibus videtur disciplina, sed vetus confirmata, aut restituta, quam ideo confirmare, aut restituere necesse fuit, quod gravissimi essent ferreis illis sæculis clericorum abusus, quorum alii matrimonia passim contrahere non verebantur, alii in turpi concubinatu versabantur, non in eos animadvertentibus ecclesiarum prælatis,

aut parum tunc de sacra disciplina sollicitis; aut in eadem vitia pronis, dicto can. 2, dist. 28, can. 15, dist. 81, can. 1, dist. 83 et alibi pluries.

Ut sacri canones pressius urgerent clericos in majoribus ordinibus constitutos, onus ordinandis imposuerunt, ut continentiam se servaturos Deo promitterent, ac voverent, canones 1, 6 et 7, dist. 28 quasi tunc magis admoniti clerici viderentur, ne spem nuptiarum contrahendarum quandoque conciperent. Hinc profecta quæstio est, an ex vi voti, an potius ex vi susceptæ ordinationis clerici a nuptiis arceantur. Ex iis, quæ hucusque tradita sunt, facile dirimitur quæstio: profluit enim in primis, votum illud per se illicitas quidem reddere nuptias non vero penitus irritare; deinde colligitur, nuptias ipsas non irritari ex vi ordinationis, sed potius ex vi legis ab ecclesia receptæ, ac confirmatæ. Quod si perspectum habuisset Gratianus, non adeo laboravisset in distinctione elucubranda votorum, quorum alia dixit simplicia, alia non simplicia, sive solemnia, distinctione, inquam, toti vetustati prorsus ignota. Veniam demus collectori, qui reparare collapsam studiorum disciplinam obscuro sæculo invectis variis scholæ accommodatis distinctionibus voluit, neque aliter scivit veterum canonum sententias conciliare, quorum aliis post votum irritæ, aliis validæ nuptiæ declarabantur, can. 2 et 9, dist. 27 quam priores intelligendo de solemni, posteriores de simplici voto. Quod si hac invecta distinctione tenebris obscurioribus rem offudit, quoniam solliciti interpretes statim investigare cœperunt, quænam vota solemnia, quænam simplicia dicerentur, Bonifacius VIII disciplinæ veteris puritatem restituit, atque retenta nova illa distinctione, tanquam in scholis vulgata, et pene trita, votum solemne dixit, sive quod in susceptione sacri ordinis, sive quod in professione religionis fieret, cetera esse simplicia declaravit, c. un. de voto in 6 quod idem erat, ac definire, tum demum conjugia post votum irrita habenda esse, cum legibus irritarentur; noverat enim jurisperitus pontifex, non alias voventium nuptias decretis irritantibus a legibus fuisse improbatas, quam eas, quæ vel post susceptionem sacri ordinis, vel post monasticam professionem contractæ fuissent. Exinde etiam colligitur, eum, qui ea mente ad sacram ordinationem accesserit, ut vovere nullo modo vellet, imo et aperte profiteretur, se nolle continentiæ lege teneri, nihilominus, utut nullum sit votum, lege continentiæ obstringi, et contractas postea nuptias in irritum cadere, quemadmodum et dicendum est de eo, qui votum fieri ordinationis tempore debere ignoraverit. E converso siquis ordinatur ita, ut ordinatio deinde irrita dignoscatur, puta, quia ordinator non erat episcopus, licet continentiæ votum emiserit, eo non obstringetur adeo, ut nuptiæ postea secutæ irritæ habeantur. Idipsum dicendum puto, si metu gravi quisquam ad ordinationem sacram accesserit; ad hanc enim speciem pertinere non videntur publicæ leges, quæ sacrorum administrorum nuptias improbaverunt, nisi tamen cessante metu clericus ratum habeat libere, quod egit, quemadmodum contingeret, si officium suscepto ordini adnexum sponte exerceret.

CAPUT VI.

De iis, qui diversæ religioni in Deum, ac fidei nomen dederint.

Cum in nuptiis Romani veteres quandam contrahi tradiderint non humani tantum, sed divini etiam juris communicationem, l. 1 ff. de ritu nuptiar. nolim ego, ut quisquam statim colligeret, ad substantiam matrimonii pertinere, non posse conjugio jungi illos, inter quos divinarum rerum nulla communio est. Erant illa juris romani præcepta disciplinæ familiari priscorum Quiritium accommodata, juxta quæ sicut uxor in familia viri omnino consistere dicebatur, ita et sacrorum familiarium particeps habebatur. Recentioribus sæculis redacto jure ad quandam naturalem simplicitatem, immutatisque maxima in parte veterum concubinorum formulis, præsertim cum familiaria sacra ab usu exoleverunt, et uxor non omnino, uti olim, ad viri familiam pertinere cœpit, nihil prohibuit, quominus etiam sine communione divini juris nuptiæ consisterent, quemadmodum observavit Photius rerum romanarum peritissimus in nomocanone tit. 12, c. 13 quemadmodum etiam deduci potest ex Justiniano, qui in § 1 inst. de patria potestate, veterum nuptiarum definitionem a Modestino in dicta l. 1 traditam descripturus, omisit nonisi sane de industria verba illa, *divini, et humani juris communicatio*, quemadmodum et eadem omisit Alexander III in cap. 11 de præsuntion. Itaque si tantum inspiciamus conjugiorum naturam, quoties Æthnici, vel Judæi cum christianis, idest baptizatis; quoties item hæretici cum catholicis matrimonio jungantur, nuptiæ valebunt. Ceterum non erit eadem generalis recipienda definitio sine ullo discrimine, si divinas, humanasque, præsertim ecclesiasticas, leges spectemus. Non quæro hoc in loco, num propter conversionem judæi, infidelis, aut hæretici matrimonium antea cum judæo, infideli, aut hæretico contractum dissolvatur, hæc enim disputatio inferius commodiorem locum habebit. Potius quæro de conjugio contrahendo inter eos, qui disparem Dei cultum, ut vulgo dicunt, profitentur. Profecto apertissima sunt divini juris monumenta, sive veterem legem, sive novum testamentum inspicias, quibus con-

stat, viris fidelibus interdictum esse conjugio cum infidelibus, quocumque nomine censeantur, ineundo. Hinc judæis præstituit Deus, ne cum alienigenis matrimonio miscerentur, deuteron. cap. 7. Exodi cap. 34. In novo autem testamento habemus testimonium Paulli, in primis in epist. 1 ad corinth., cap. 7 ubi nuptias ait a viduis contrahendas *tantum in Domino*, si tamen hæc verba interpretemur cum nonnullis ex veteribus patribus, qui dixerunt, nuptias *in Domino* celebrari, quum fidelis fideli jungatur, Tertullianus in lib. 2 ad uxorem; deinde in epist. 2 ad corinth. cap. 6 ubi apostolus ita fideles admonet: *Nolite jugum ducere cum infidelibus quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi .... propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus etc.* Quod si caussa infidelitatis, et blasphemiæ in Christum conversus conjux potest, ex doctrina ejusdem Paulli in dicto c. 7, 1 ad corinth. a conjuge infideli recedere dissoluto conjugii vinculo, potiore sane ratione prohibendum erat, ne inter christianum et infidelem conjugia contraherentur; cum difficilius dissolvantur inita matrimonia, quam, ne fiant, præcipiatur. Apostolicam hanc, dixerim etiam divinam traditionem secuti sunt constantissime universi ecclesiæ patres, qui sive in conciliis, sive extra concilia fidelibus etiam sub anathematis pœna indixerunt, ne conjugia cum infidelibus, aut hæreticis celebrarent, concilio eliberitano c. 5, 16 et 17, concilio arelatensi can. 11, concilio laodiceno can. 10, concilio carthaginensi III can. 12, can. 15, 16 et 17, cau. 28, quæ. 1 et alibi passim, quibus addi potest lex 5 cod. de judæis. Imo et eadem traditio in jure ipso naturali, seu in naturalibus conjugiorum institutionibus quoddam fundamentum positum habet; cum enim, uti superius diximus, natura etiam ad eum finem ordinaverit conjugia, ut necessitudo, et benevolentia inter homines magis magisque firmaretur, hanc facile conciliare non potest conjugium inter homines diversæ religionis initum, quando diversa fidei professio acriter concitat animos hominum ad divisionem, quousque alter a proposito suo non recedat, et in fide conjugi non consentiat, quod gravissimi periculi esset christiano, quum infideli conjungeretur; valde enim verendum esset, ne christianus fidem Christi desereret, ut conjugi infideli omnino adhæreret.

Memorata divina præcepta, atque ecclesiæ canones non ita generalem et perpetuam caussam habuerunt, ut aut nullus aut ne certus quidem utut infrequens casus emergere potuerit, vel possit, in quo ex ipsa Dei institutoris, et ecclesiæ mente locum non haberent. Cum enim ideo fidelibus interdictum fuerit matrimonio cum infidelibus contrahendo, non quod suapte natura turpe sit, aut minus honestum, sed quod potius gravissima inferre soleat fidelibus pericula, ne a vera Dei fide ac religione secedant, facile intelligitur, ubi illud periculum aut nullum esse videatur, aut valde remotum, dispensatione quadam permitti posse conjugia; imo et aliquando laudari, ubi spes concipiatur non inanis futurum, ut per fidelem conjugem conjux infidelis sanctificetur. Certa esse possunt adjuncta, quibus hæc conjugia nec bono eorumdem conjugum, nec bono liberorum officiant. Quid enim in primis respectu conjugum eorundem, si conjux infidelis profiteatur, conjugem fidelem se nunquam a fide recta avocaturum, imo et laudet conjugem fidelem in semel suscepta fide constantem? Vel ipse apostolus Paullus noluit in specie simili dissolvi conjugia infidelium, ubi unus ex ipsis ad fidem christianam convertatur. Cur igitur facile non patietur ecclesia, ut hæc conjugia contrahantur? Imo initium spei hinc emergere videtur, futurum ut conjux infidelis christianam fidem, quam omnino non odit, paullatim diligere incipiat, ac denique amplectatur. Respectu autem liberorum potest publicis legibus provide consuli, ut ipsi in recta fide educentur, et facile sequantur eam fidem, in quam unus ex parentibus christianus vota omnia sua direxit, spreta alterius parentis infidelis superstitione atque impietate, l. 12, § 1, l. 18, § 1 cod. de hæret. et manich. Hæc ratio est, quare apud christianos memorent ecclesiastici scriptores, piissimas feminas viris infidelibus nupsisse, quin in hac re criminis contraherent notam; sic Monica Augustini mater patricio æthnico nupsit, Clotildis Clodovæo, quem ad Christi fidem convertit, et Cresunta filia regis Merciorum in Anglia nupsit Offæ regi Saxonum occidentalium a fide catholica alieno. Omitto sanctorum veterum hebræorum exempla, qui alienigenis juncti sunt, Moyses Madianitidi, filii Noemi Moabitis puellis, David Maachæ, Salomon filiæ regis Ægypti, Josaphat filiæ regis Achab, et Ester Assuero, quin tamen hujusmodi conjugia sacris eisdem, quibus enarrantur, literis improbentur. Tantum improbatæ fuerunt nuptiæ, quando gravis suspicio suboriebatur, futurum, ut exinde Judæi facile a veri Dei culti averterentur. Qua ratione scimus jussisse Esdram, ut Judæi a captivitate babylonica reversi ejicerent uxores alienigenas, quas captivitatis tempore pridem duxerant. Sancti Ecclesiæ patres non aliter vetitas ejusmodi nuptias dixerunt, quam quod ad societatem idololatriæ frequente inducerent; unde Tertullianus in lib. de corona militis cap. 13 ait: *non nubimus Æthnicis, ne nos ad idololatriam usque deducant, a qua apud illos nuptiæ incipiunt.*

Concilium eliberitanum, cujuscumque tandem sit auctoritatis, can. 15 infirmitati sexus consulens etiam statuit, puellas non esse gentilibus conjugio sociandas, ne *ætas in flore tumens in adulterio animæ resolvatur.* E converso alii, quoties infidelitatis nullum esse periculum animadverterunt, eas nuptias non improbarunt. Unde Augustinus in lib. de fide et operibus c. 19 et lib. 1 de adulterinis conjugiis cap. 25 nihil habuit, quod adversus ea conjugia opponeret, inter cetera ita scribens: *Nostris temporibus jam non putantur esse peccata, quoniam revera in novo testamento nihil inde præceptum est, et ideo aut licere creditum est, aut velut dubium derelictum. Mulier mortuo viro cui vult nubere, nubat, tantum in Domino. Quod duobus modis accipi potest, aut christiana permanens, aut christiano nubens. Non enim tempore revelati testamenti novi in evangelio vel ullis apostolicis literis sine ambiguitate declaratum esse recolo, utrum Dominus prohibuerit, fideles cum infidelibus jungi, quamvis beatissimus Cyprianus inde non dubitet, nec in levibus peccatis constituat, jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, atque id esse ducat prostituere gentilibus membra Christi.* Item in concilio laodiceno can. 10 non simpliciter vetitum est, ne fideles filios suos hæreticis jungerent, sed ne *indiscriminatim*, quasi diceretur, nulla ratione habita periculi æternæ vitæ, quod ex assidua diversæ religionis conjugum conversatione emergit. Ut paucis dicam, eadem ratione et divino et ecclesiastico jure interdictum fidelibus est, conjugia cum infidelibus, aut hæreticis celebrare, qua interdictum est, cum iisdem commorari, conversari, et necessitudines quascumque contrahere, dummodo tamen animadvertas, eo arctiorem esse conjugiorum prohibitionem, quo arctior est conjugiorum necessitudo. Quamobrem quemadmodum pro qualitate, et modo periculi ecclesia modo penitus arcuit fideles a quacumque cum æthnicis vel hæreticis conversatione ineunda, modo eandem conversationem publica quadam suadente necessitate permisit, ita modo conjugio fidelibus cum infidelibus ineundo interdixit, modo nonnihil indulsit pro varietate temporum, locorum, ac personarum. Res eo adducta est, ut aliquando non solum illicitæ, sed etiam prorsus irritæ ejusmodi nuptiæ haberentur, aliquando vero subsistere dicerentur, imposita fideli contrahenti pœnitentia, can. 68 ex Arabicis inter Nicænos, can. 11 concilii arelatensis, juncto can. 72 concilii quinnisexti, unde recentiores interpretes ad ecclesiasticos canones respicientes, quorum alii aliis adversari videntur, agnoverunt quidem constantem Ecclesiæ mentem, exoptantis, ne inter christianos, atque infideles, aut hæreticos conjugia ineantur; interea tamen rem tenebris obvolverunt, quoties de vi semel contractorum ejusmodi conjugiorum disputarent. Hodie receptum est, potius generali Ecclesiæ consuetudine, quam jure scripto, ut conjugia cum Judæis, vel infidelibus a christiano contracta irrita penitus habeantur, quamquam irrita non existimentur conjugia a catholicis cum hæreticis contracta; an vero hæc illicita sint, singularum provinciarum moribus inspectis passim judicatur; licet enim ob hæreseos periculum vitanda semper sint, in iis tamen locis, in quibus adeo permixti sunt hæreticis catholici, ut necessario passim invicem conversentur, quandam excusationem habet catholicus, qui hæreticam duxerit, præsertim ubi publicis pactionibus cautum est, ne religionis caussa alicui molestia ingeratur. Oppones forte, nullo modo cuiquam licere cum hæreticis sacramenta, quale est matrimonium, una suscipere, vel ministrare. Sunt quidam ex theologis, qui ab omni culpa catholicos absolverunt, qui cum hæreticis nominatim non denunciatis communicarent in divinis, quoties hæc concurrant. Primo, si adigantur gravissima et urgentissima caussa: secundo, si hæretici, a quibus sacramenta ministrantur, valide sint ordinati. Tertio, si communicatio in divinis non sit externa protestatio falsi dogmatis: quarto demum, si nulli ex ea communicatione scandalum ingeratur. Hæc opinio non omnino tuta esse videtur; quamobrem aliorum potius videretur amplectenda opinio, qui ad evitandam quacumque rerum sacrarum communionem consilium catholico præbuerunt, ut matrimonium iniri curaret uti contractum tantummodo, non uti sacramentum. Ego hanc rem in arbitrio episcopi collocarem, quoniam nullibi certo jure statutam regulam intuemur: is enim utpote de moribus provinciæ satis instructus consilio prudentiaque sua, quæ non ubique eadem operari potest, quid agendum sit, judicabit, dummodo semper præ oculis habeat universalis Ecclesiæ mentem, qua, quoad fieri potest, fidelibus quæcumque spiritualis vitæ pericula declinanda proponuntur.

CAPUT VII.

De iis, qui singularibus ex caussis aut jure ecclesiastico, aut jure civili Romanorum, conjugia contrahere prohibentur.

Superest adhuc, ut ceteras species singulares recenseam, in quibus certis de caussis aut jus ecclesiasticum, aut jus civile Romanorum quædam conjugia improbavit, quæ sane legum, et canonum sanctiones non ubique, neque omni tempore custoditæ fuerunt, eamque ob rem hodie variis provinciarum consuetudinibus obnoxiæ habentur.

Ad duo generalia capita referuntur in proposito sacrorum canonum sanctiones; vel enim tales sunt, quæ certis personis ipso jure desi-

gnatis conjugio interdixerunt, vel tales, quæ conjugio interdicendum judicis sententia, mandaverunt. Ipso jure generaliter interdictum fuit conjugio iis, qui pœnitentiæ publicæ addicti essent, ante finitum ejusdem pœnitentiæ tempus, can. 12, caus. 33, qu. 2, cujus definitionis multiplex ratio reddi potest. In primis enim auferenda erat omnis occasio publicis pœnitentibus, ne rigorem pœnitentiæ per conjugia relaxarent; siquidem si penitentibus indicebatur, ut ab usu conjugii ante susceptam pœnitentiam contracti abstinerent, can. 6 et 13, qu. 4, si insuper christianis universis usus conjugii vetabatur temporibus pœnitentiæ generalis, can. 2, 3, 4, 8, 9, 10 et 11, caus. 33, quæst. 4, unde etiam disciplina ecclesiastica emersit de conjugiis tempore Adventus, vel Quadragesimæ non celebrandis; congruum erat, ut publici pœnitentes a contrahendis matrimoniis abstinerent. Deinde pœnitentibus publicis non erat facile permittendum, ut ad suscipienda sacramenta accederent, quale erat matrimonium. Præterea jure ecclesiastico ita habebantur publici pœnitentes, uti habebantur jure civili deportati, quibus justo conjugio interdictum fuisse scimus. Postremo abominabatur Ecclesia ea conjugia, ex quibus ab hominibus extra communionem ejusdem Ecclesiæ quodammodo ejectis genita proles Ecclesiæ ipsi adgnosceretur, quemadmodum adnotavit Mendoza de confirmando concilio eliberitano lib. 2, cap. 21. Specialiter quoque vetitum fuit, ne conjugia contraherent ii, qui incestum commiserant cum privigna, cap. 4 de eo qui cognovit, etc., vel cum duabus sororibus, aut cum duobus fratribus, vel cum patre et filio, item cum relicta fratris, cum nepte, noverca, nuru, consobrina, filia avunculi, aut ejus relicta, can. 20, caus. 32, quæst. 7, item mulieres adulteræ, etiam post mortem viri; can. 22, caus. 32, quæst. 7, ac denique suorum conjugum interfectores, can. 5, caus. 33, qu. 2, uti enim ii omnes gravissime in conjugium ipsum deliquisse depreheudebantur, ita bono conjugii frui non sinebantur. Judicibus quoque certis in casibus mandatum est, ut sententia sua quosdam continerent, ne connubia celebrarent; tum nimirum, quum novissent, publice interesse, ut a conjugio celebrando abstineatur. Id contingit ex. gr. in ea specie, qua qui matrimonium contraxit, proponat, sibi junctam esse consanguineam, eamque ob rem alias sibi nuptias concedi postulet prioribus dissolutis: siquidem interea, donec de nullitate contracti matrimonii non constet, matrimonio postulanti sententia judicis interdicitur, quemadmodum et in certis casibus huic similibus, cap. 3 de contracto matrim. cont. interdict. Ecclesiæ. Ceterum quotquot sint hujusmodi interdicta, vel abs jure, vel ex sententia judicis proficiscentia, sunt quidem servenda ab omnibus; at si non serventur, quoniam clausulis irritantibus in jure munita non sunt, nihilominus, si nihil aliud obstet, matrimonium consistet, dicto cap. 3, iuncto cap. 1 et 2 eod. titulo

Ex sanctionibus juris civilis Romanorum non probata scimus conjugia, primum inter cives Romanos, et servos, seu ancillas, imo nec mutuo inter servos, et ancillas; secundo inter cives romanos, et peregrinos; tertio inter senatores, ac libertinas; quarto inter rectores provinciarum, et puellas provinciales, quinto inter tutores, aut curatores, ac pupillas, vel adolescentes, sexto denique vetitum scimus, ne conjugia contraherentur a viduis mulieribus, quæ necdum luctus tempora transegissent. Hæc singula expendam, et quidem paucis, propterea quod fere universa ab usu exoleverunt.

Itaque in primis cum servis, et ancillis jus connubii ex romana lege non erat: et quoties data conjugii fides fuisset, illud non nuptiæ, non matrimonium, non conjugium, sed contubernium dicebatur, l. 3 cod. de incestis nuptiis, Ulpianus in fragmentis tit. 5, § 5, Paullus lib. 2, sentent. tit. 19, § 3, siquidem soli cives romani inter se legitima conjugia contrahebant, principio instit. de nupt., a quibus propterea servi omnes arcebantur, utpote qui non tam carebant jure civitatis, quam brutis quodammodo æquiparabantur, et pro nullis habebantur, l. 32 ff. de regulis juris, l. 1 ff. de jure deliberandi. Hoc adeo verum erat, ut nonnisi minus honesto contubernii nomine donaretur conjugium illud, quo aut ancilla homini libero, aut ingenua homini servo jungeretur, dicta l. 3 cod. de incestis nuptiis, dicto § 3 tit. 19 apud Paullum in lib. 2 sentent. Hinc nulla patria potestas in liberos ex ea conjunctione natos, nam quocumque casu mater ancilla foret, editi filii potestati dominicæ adcrescebant, dicta l. 3 cod. de incestis nuptiis, quamquam recentiore ætate alii mores in quibusdam provinciis deinde invaluerint, cap. 3 de conjug. serv., et si mater libera fuisset, pater servus, editi filii habebantur veluti vulgo quæsiti, et spurii, seu sine patre nati, uti enim scribebat Ulpianus in fragmentis tit. 5, § 9, *cum his casibus connubia non sint, partus sequitur matrem*: principio institut. de ingenuis, l. 5, § 2, l. 19 et 29 ff. de statu hominum, l. 6 cod. de suis, et legitimis liberis. Hinc in eadem conjunctione nulla erat de adulteriis quæstio, eo ipso, quod ea conjugii species posita haberetur extra sanctionem legis juliæ de eo crimine latæ, l. 23, 24 cod. ad leg. jul. de adulter., l. 6 ff. eod. tit. Hinc etiam, si in contubernio aut consanguinitatis, aut adfinitatis ratio nulla habita fuisset a conjugibus, vix quidquam sollicitudinis romani suscipiebant, quosque contubernales in servitute manerent, § 10 instit. de nuptiis, juncto principio instit. de servili cognatione,

l. 14, § 2 et 3 ff. de ritu nuptiar., l. 40, § 5 ff de grad. et adfinib., unde Paullus in l. 4 sentent. tit. 10, § 2 ajebat: *Neque servi, neque liberi matrem civilem habere intelliguntur.* At enim hæc vera erant, inspecta tantum ejusdem romani juris subtilitate. Ceterum cum jureconsulti, juxta principia juris gentium, atque juxta bonos mores rem hanc perpenderent, conjunctionum illarum certam rationem habebant, imo et non sine certo juris effectu illas esse voluerunt, quasi multa jure naturæ in iisdem adhuc firma consisterent, quæ temere violari, publica utilitas minime pateretur, l. 13 princip. ff. de condict. indeb. Ad rem Ulpianus in l. 32 ff. de regulis juris: *Quod attinet ad jus civile, servi pro nullis habentur; non tamen et jure naturali, quia quoad jus naturale attinet, omnes homines æquales sunt* re namque vera licet in contubernio vinculum illud, quod parentes invicem, et liberos devincit, non attenderetur, ubi tamen contubernales manumitterentur, major habita fuit ratio naturalis illius conjunctionis inter parentes, et liberos, quam vinculi inter patronos, et libertos in caussa legitimarum successionum, l. 4, § 8 et sequentibus cod. de bonis libertorum, princip. instit. de servili cognatione. Præterea, licet ex lege julia contra contubernales non quæreretur de adulterio; adhuc tamen alia ratione vindicta criminis sumebatur, datis actionibus, et legis Aquiliæ et injuriarum, et de servo corrupto, l. 6 ff. ad leg. jul. de adulter. Denique, licet dum contubernia contraherentur, nulla consanguinitatis ratio haberetur; tamen consanguineorum nomina usurpabantur, l. 50, § 1 ff. de gradib. et adfin., et liberorum nomine etiam liberi in servitute suscepti veniebant, l. 88, § 12 ff. de legat. 2, quandoque etiam habebatur, ratio paternæ pietatis, quemadmodum in specie legis 35 ff. de ædilitio edicto, ac legis 41, § 2 ff. de legatis 3, et quo casu contubernales consanguinei vel adfines ad libertatem pervenissent, ea conjunctio jure etiam Quiritium damnari incipiebat, § 10 instit. de nuptiis, non quasi tum primum novo jure ita definiente, sed quasi jampridem improbata naturali pudore, atque honestate, l. 8, 14, § 2 et 3 ff. de ritu nuptiarum. Inde plane liquet, quid sentiendum sit in ea disputatione, quam nonnulli iniverunt, an, et qua ratione, quæ hujus generis conjugia jure civili Romanorum minime probabantur, probata inde fuerint jure ecclesiastico, quo definitum est, et vera conjugia esse, et posse sacramenti dignitatem habere. Ecquidem Romanis non erant illæ justæ nuptiæ, neque in universis propemodum juris effectibus, juris civilis præsidio gaudebant. Nihilominus tamen non damnatæ conjunctiones erant, sed adhuc intra naturalis juris fines consistere dicebantur, eodem modo, quo pacta, quæ nuda appellabantur, si non civilem, saltem naturalem obligationem inducebant. Conferantur, amabo, quæ traduntur in sacris canonibus, nimirum in can. 1, 2, 5, caus. 29, quæst. 2, et in cap. 1 de conjug. servorum, conferantur, inquam, cum verbis Ulpiani jureconsulti supra commemoratis ex lege 32 ff. de regulis juris, tum vero constabit, utriusque juris, et sacri, et romani principia belle invicem convenire. Post quam observationem, nulla amplius erit dubitatio, quin eadem conjugia inter servos christianos sacramento sanctificari valeant, quemadmodum ex juris scripti disciplina hodie sacramenta judicantur, dicto cap. 1 de conjug. servorum. Siquidem facile intelligimus, ad sacramenti dignitatem elevari potuisse, quod, licet non munitum undecumque esset omnibus juris præsidiis, jure ipso tamen publico minime rescindebatur, sed consistebat, veluti exactum ad juris naturalia simplicitatem, eadem ratione, qua obligationi naturali jure romanorum non confirmatæ, dummodo nec damnatæ, jurisjurandi religio accedens vim majorem addebat, quemadmodum tradunt universi interpretes ad authenticam *sacramenta puberum* cod. si advers. venditionem.

Interea utut ecclesiastici antistites nihil haberent, quod adversus conjugia servorum opponerent, neque a sacra benedictione temperarent, identidem tamen quædam hujus generis conjugia improbaverunt, illa videlicet, in quibus non facile individua vitæ consuetudo inter conjuges consistere posset, aut turbaretur. Quid enim, si servus maritus uni, ancilla uxor alteri domino subjaceret? Ipsa familiarum divisio nonnihil mutuis conjugum officiis oberat, diversa quoque plurium dominorum indoles animos servorum conjugum in contraria non semel distrahebat, servorum, inquam, conjugum, qui vel inviti, quisque in dominica familia, detinebantur. Eam ob rem tum demum ea conjugia probabantur, cum utriusque domini voluntas accessisset, concilio Cabilonensi II anni 813, can. 8, caus. 29, qu. 2, quare Hayto episcopus basileensis in suis capitularibus sæculo nono editis cap. 12 ita statuit: *Ubi mancipia non unius, sed diversæ potestatis juncta fuerint, nisi consentientibus utriusque dominis, hujusmodi copulatio rata non erit.* Eadem cautio adhibebatur, ubi ingenuus ancillæ, vel e converso ingenua servo jungeretur, adeo ut passim optaretur, ut ingenui a servorum, atque ancillarum conjunctionibus abstinerent. Sic Theodorus Cantuariensis in suis capitulis anni 688, cap. 17 apud Harduinum in tomo 3 conciliorum statuit: *Ingenuus cum ingenua jungi debet*, et in lege Salica tit. 22, § 3 ita legitur: *Si quis ingenuus ancillam alienam in conjugium acceperit, ipse cum ea servitio implicetur.* Cum ea species proposita fuisset patribus concilii Aurelianensis IV anno 541, definitum

est can. 24, non aliter conjugia servorum duobus dominis subjectorum vim ac firmitatem habere, quam si voluntas eorumdem dominorum accesserit. At semel, ac uterque dominus consensisset, nulla amplius erat potestas dominis, conjugium semel rite contractum disjungendi. Atque istud ipsum est, quod tradiderunt commemorati cabilonenses patres in dicto can. 8, caus. 29, qu. 2, improbantes factum dominorum illorum, qui cum in servorum conjugia consensissent, eadem inde *potestativa quadam præsumtione dirimebant.* Hæc ipsa jurisprudentia traducta fuit in capitularia Francorum, quemadmodum legitur in editione Baluziana tomo 1 capitularium p. 351, cap. 4 ibi: *Conjugia servorum non dirimantur, etiamsi diversos dominos habuerint, sed in uno conjugio permanentes dominis serviant; sic tamen, ut ipsum conjugium legale sit, et per voluntatem dominorum suorum, juxta Evangelium: quos Deus, conjunxit, homo non separet.* Aliter deinde placuit recentioribus, qui tradiderunt, non licere dividi matrimonia a servis, vel ancillas contracta, etiam ignorantibus, vel invitis dominis, dummodo semper ab eisdem servis, aut ancillis consueta ministeria erga dominos exhibeantur; idque firmaverunt auctoritate Hadriani papæ, cujus tamen monumentum an germanum, et genuinum sit, curiosis rerum antiquarum investigatoribus dijudicandum relinquo. Tantum observo, id in jus commune abivisse, statim ac quod sub nomine Hadriani tradebatur, in decretalibus Gregorii IX locum invenit, cap. 1 de conjugio servorum. Ex quibus constat, disciplinam istam fluxam admodum fuisse inter varia provinciarum, varia etiam temporum adjuncta.

Non est hoc in loco omittendum, etiam jure civili Romanorum generaliter permissum fuisse dominis, ancillas suas ducere uxores, quoties eas manumisissent; quod dicebatur conjugium patroni cum liberta. Gratianus censuit, id abs Julio papa post varias initas disputationes probatum fuisse can. 3, caus. 29, qu. 2. Dixi generaliter: etenim Romani excipiebant ab ea lege quasdam personas clarissimas, quarum conjugia cum libertabus, veluti minus honesta, improbabant, uti inferius tradam, l. 15 cod. de nuptiis. In eo autem conjugii genere duo singularia observabantur. Primum est, ductam libertam arctiore necessitudine fuisse junctam cum marito patrono, quam ceteræ suis viris jungeretur uxores, adeo ut quibus in casibus ceteræ divertere potuissent, uxor liberta a patrono marito divertere non valeret, l. 45, 46 ff. de ritu nuptiarum, l. 8 cod. de operis libert. l. 1 cod. de incest. et inutil. nupt., nov. 22, cap. 37, dummodo tamen non invita ducta fuisset, l. 28 ff. de ritu nuptiar., nisi ideo manumissa fuisset, ut duceretur, l. 29 ff. eod. titul. Alterum est, ne dissoluto quidem conjugio inter patronum, et libertam, non potuisse eandem libertam conjungi liberto ejusdem viri, ac patroni, ne alias videretur libertus in eo conjugio non servavisse reverentiam, et obsequium erga patronum, dum ad ejus uxorem accederet, l. 62, § 1 ff. de ritu nuptiarum. Imo et quod de patrono statutum erat, ad filios etiam patroni productum fuit, cum juspatronatus ipsum de patre transiret in filium, l. 48 ff. de ritu nuptiarum. E contrario vero non permittebatur patronæ, ut libertum suum sibi conjugio jungeret, l. 3 cod. de nuptiis, neque enim honestum visum fuit, eam, quæ domina olim erat, in maritalem servi olim sui potestatem deduci; atque alias credebatur patrona non satis maturo consilio in liberti conjugium consensisse, et nonnisi pellecta blandis liberti ejusdem insidiis. Ceterum si ageretur de patrona minus honesta, officio judicis relaxabatur disciplina juris, et conjugium permittebatur, l. 13 ff. de ritu nuptiarum. Num hoc conjugium semel contractum dissolveretur, non satis apprime constat. Tantum memoria superest, Paullum in lib. 2 sentent. tit. 19, § ult. ita tradidisse: *Libertum, qui nuptias patronæ, vel uxoris, filiæve patroni affectaverit, pro dignitate personæ, metalli pœna, vel operis publici coerceri placuit.*

Ex eodem Romanorum principio, quod suadebat, inter solos cives romanos matrimonium justum consistere, proficiscebatur, conjugia naturali quidem jure valuisse, non tamen justa fuisse habita inter peregrinos, seu inter eos, quorum unus esset civis romanus, alter peregrinus, l. un. cod. Theodos. de nuptiis. Peregrini autem dicebantur liberi homines, quotquot non gaudebant jure civitatis romanæ. Noverant Quirites, utilitati populi plurimum consuli, quoties unusquisque civis averteret animum suum a concilianda benevolentia cum exteris, quos bellorum vi, odioque hostili ad imperii unitatem adducere conabantur, et quoties unusquisque civis fœdera arctiora iniret, renovaretque cum concivibus suis; qui sane finis obtinebatur, illinc conjugia prohibendo cum peregrinis, hinc alliciendo cives ad ineunda tantum inter sese matrimonia, et nuptias celebrandas. Sed recentiore ætate, cum latissime prorogati fuerunt imperii fines, unde plurimæ gentes sub uno imperatore ad animorum unitatem habendam concitandæ fuerunt, pristinus legum rigor relaxatus est. Jam a temporibus Arcadii et Honorii promiscue gentibus universis sub romano imperio constitutis connubiorum jura concessa fuerunt, quod etiam expressum fuit in legibus Wisigothorum lib. 3, tit. 1, cap. 1. Ad rem Prudentius in Symmachum vers. 1422 ita scribebat:

Distantes regione plagæ, divisaque ponto
Litora conveniunt, nunc per vadimonia ad unum

Et commune forum, nunc per commercia et artes
Ad cœtum celebrem, nunc per genialia fulcra
Externi ad jus connubii; nam sanguine mixto
Texitur alternis ex gentibus una propago;

sic enim populi inter sese connubia celebrantes assuescere incipiebant blandis et suavibus modis imposito jugo Romanorum, ut imperii nomen non tam non horrerent, quam amarent: adeo verum est naturam conjugiorum dirigi etiam maxime ad bonum commune societatis.

Ne clarissimarum familiarum splendor et decus imminueretur, statutum quoque fuit lege julia, ne senatores (quorum qui nomine veniant, indicavit Ulpianus in l. ult., § 1 ff. de Senator.), eorumve filii, nepotes ex filio, ac pronepotes ex nepote, uxores ducerent libertinas, aut eas, quæ, vel quarum pater materve artem ludricam in scena facerent, vel fecerint; item ne senatorum filiæ, vel neptes ex filio, vel proneptes ex nepote, libertino, vel ei, qui vel cujus pater materve artem ludricam in scena fecerint, jungerentur, l. 23, 32, 44, 49, 58 ff. de ritu nupt., l. 7 cod. de incest. et inutil. nuptiar. Exceptio erat in senatoris filia, si ipsa ob vitam susceptam minus honestam jam decore paternæ dignitatis decidisse visa fuisset, l. 47 ff. de ritu nuptiar., non tamen, si pater ipse senator a dignitate sua fato quodam decidisset, l. 34, § 3 ff. eod., l. 9 ff. de Senator. Vetitas istas nuptias non solum illicitas romani habuerunt, sed nec nuptiarum nomine dignas, l. 16 et 42, § 1 ff. de ritu nupt., unde receptum est, ut ne sponsalia quidem valerent, quod perpetua foret interdicti caussa, l. 16 ff. de sponsal. Ceterum adhuc conjugium illud intra naturæ fines consistere videbatur, et senatores libertinas sibi junctas si non tanquam matresfamilias, justasve uxores, saltem tanquam concubinas habebant, l. 3, § 1 ff. de donat. int. vir. et ux., qui concubinatus aliquando in matrimonium justum evadebat, quod duobus modis contingebat, primo si senator dignitatem amisisset, l. 27 ff. de ritu nuptiar., secundo, si senator indulgentiam a principe obtinuisset, l. 31 ff. cod., tantum enim legum vetita eo respexerant, ne familiarum splendor imminueretur, qui per justas nuptias, non per concubinatum minui credebatur. Fateor, Constantinum imperatorem in l. 1 cod. de natural. liber. has senatorum conjunctiones acrius improbavisse, imo et abstulisse supplicandi potestatem. Verum eam constitutionem *non utendo peremtam* fuisse, testatur Justinianus in nov. 89, cap. ult. Hinc Justinianus idem primum concessit supplicandi facultatem gratia scenicarum mulierum, dummodo istæ pridem initam ludricæ vitæ rationem deseruissent, l. 23 cod. de nuptiis; deinde non multo postea scenicis eisdem ludricam vitam deserentibus generalem facultatem concessit, quæcumque conjugia contrahendi, nulla principali indulgentia impetrata, l. ult. cod. eod. tit. Denique scenicarum exemplo generaliter permisit senatoribus, ut libertinas suas uxores ducerent, etiam speciali venia non obtenta, dummodo nuptialia instrumenta conficerentur, ad abolendam quamcumque antea initi sine ulla solemnitate et forma publica concubinatus minus honestam imaginem, dicta nov. 89, cap. ult. nov. 78, cap. 3, unde sumta authentica *sed novo* cod. de nup., et nov. 117, cap. 4 unde sumta authentica *sed novo* cod. de naturalibus liberis.

Longe dissimilis caussa fuit romanis, ut proiberent nuptias inter rectores provinciarum, ac puellas provinciales, si enim qui magistratum in provincia gerebant, majus imperium post principem in provincia habebant, l. 8 ff. de offic. Procons., l. 4 ff. de offic. Præs., verendum maxime erat, ne puellæ provinciales gravi potius metu adactæ, quam libere in eas nuptias consentirent, l. 63 ff. de ritu nuptiar., l. unic. cod. si rector provinciæ, l. un. cod. si quacumque præd. potest., quas propterea nuptias contrahi, non tam incivile videbatur, quam conjugiorum ipsorum naturæ ac libertati contrarium, l. 38 ff. de ritu nuptiar., l. 5, § 1 ff. de donation. int. vir. et uxor., eadem ratione, qua jussi sunt magistratus a ceteris contractibus in provincia ineundis abstinere, l. un. cod. de contract. judic. Hanc ob rem puto, conjugium non obstante ea lege contractum, irritum omnino fuisse, neque enim valere poterat, quod nec libere, nec pleno consensu fuerat celebratum: imo et si forte uxor ducta heredem maritum scripsisset, hereditas ab ipso tanquam ab indigno auferebatur, et fisco caduca fiebat, l. 2, § 1 et 2, juncto argumento legis 13 ff. de his quæ ut indignis. Quando igitur interdicti caussa in metus, terrorisque præsumptione versabatur, recipi debuerunt quædam ad generalem coercendam regulam exceptiones, quibus nimirum in casibus, aut nulla omnino erat, aut admodum levis incussi metus terrorisque præsumptio. Prima exceptio erat, si rector provinciæ sponsalia cum provinciali contraxisset, antequam ad provinciam administrandam accederet; etenim libere præhabitus sponsalitius contractus omnem suspicionem metus, et nuptiarum inde minus libere contractarum amovebat, l. 38, § 1 ff. de ritu nuptiar. Secunda exceptio erat si rector provinciæ sponsalia tantum in provincia contraxisset, et matrimonium contrahendum in tempus finitæ administrationis contulisset. Quid enim obesse poterat nuptiis inde celebratis eo tempore quo nullus metus inesse poterat; et puella libere consentiebat? l. 38 ff. de ritu nuptiar. Tertia exceptio erat, si uxor provincialis ducta in provincia, libere deinde finita

administratione in conjugio pridem inito consistere se velle profiteretur, l. 6 cod. de nupt., quasi professio illa subsequens uxoris declaret, olim libere omnino matrimonium fuisse contractum: quia tamen in specie non confirmatum vetus, sed veluti novum matrimonium habebatur, l. 65 ff. de ritu nuptiar., l. 6 cod. de nuptiis. Quarta exceptio erat, si de eo ageretur, qui patriam provinciam administraret; quia in primis nemo prætextu administrationis cogendus erat ad quærendam sibi extra patriam suam uxorem, et cum ignotis familiis ac personis necessitudinem ineundam; deinde, quia in eo, qui in patria sua officium gerebat, tanta non videbatur inesse incutiendi terroris præsumptio, sed potius lenitas quædam animi in suos, et mansuetudo, l. 63 ff. de ritu nuptiar. Quæsitum erat de filiis, et filiabus rectoris, an quoque exemplo patris eisdem interdiceretur connubiis cum provincialibus ineundis. Et quando tota ratio interdicti posita fuerat in gravi metus præsumtione, recipiendum fuit, eadem lege prohiberi, ne filii rectoris puellas provinciales ducerent, non tamen e converso ne filiæ rectoris a viris provincialibus ducerentur, quia facilius præsumebatur metus incussus in puellas provinciales a filiis rectorum ducendas, quam in viros provinciales filias rectorum ducturos, l. 38, § 2, et l. 57 ff. de ritu nuptiar. Ab hoc discrimine recessit Leo imperator philosophus in sua novella 23, ubi idem interdictum ad filias etiam rectorum extendit, qua tamen in re parum sollicitus fuit de investigando spiritu veterum jureconsultorum, quoniam statuit, ideo eamdem in filiis ac in filiabus rectorum disciplinam debere servari, quod minora non deceat concedi privilegia masculis, quam feminis, allegans, per masculos uberius curari publicam utilitatem. Ceterum hæc disciplina viguit, donec rectores provinciarum maximam potestatem et imperium in provinciis exercuerunt. Verum cum recentiore ætate mutata imperii forma, minor eorundem potestas haberi cœpit, utpote quod diviso tributoque imperio inter plures principes, facile fuit provinciarum administratores in unoquoque commodius a singulis regno in officio contineri, cum propterea minueretur gravioris metus præsumtio, relaxari illam oportuit; atque inde si rectores provinciarum, eorumque filii puellas ducerent provinciales, matrimonium consistere cœpit, quod hodiernis etiam moribus confirmatur, integra nihilominus manente generali tunc dissolvendi conjugii caussa, quum liqueat, administratorem potestate abusum vi et imperio puellam ad contrahendas nuptias adegisse.

Vetitum insuper fuit romano jure tutoribus, ne cum puellis, quarum tutelam, et curatoribus, ne cum adolescentibus, quarum curam gesserunt, conjugia contraherent, l. 15 ff. de sponsal., l. 59 ff. de ritu nup., toto titulo codicis de interdicto matrim. int. pupil. et tut. seu curat., adeo ut ne sponsalia quidem valeant, dicta l. 15 ff. de sponsal., l. 60, § 5 ff. de ritu nuptiar.; non quidem simpliciter, sed quousque redditæ non fuerint gestæ tutelæ, vel curæ rationes, l. 62, § 2, et l. 67 ff. de ritu nupt. Ex quo deducitur, totum caussam interdicti in eo inniti, quod consulendum ea ratione fuerit pupillarum et adolescentium puellarum indemnitati, utpote quæ si jungerentur conjugio tutoribus vel curatoribus suis ante redditas rationes, vix futurum esset, ut rite atque ex bona fide administrationis ratio redderetur, alias autem tutoribus vel curatoribus daretur occasio negotia potius gerendi propria, spe futurarum nuptiarum, quam puellarum in tutela vel cura exercenda. Quomodo enim nupta puella tutori vel curatori suo, rationes a marito libere exegisset, aut quomodo sperari posset, sine fraude easdem rationes a marito redditum iri? l. 7 cod. de interd. matrim. Quæ si vera sunt, uti verissima demonstrantur, dubitare non possum, quin romani legumlatores prorsus irritas eas nuptias esse voluerint, quod et perspicue expresserunt, l. 1, 3 et 6 cod. de interd. matrim., nisi de nuptiis ageretur contractis ante delatam curam, utpote quas, cum jam rite constitissent, dissolvi ob eam caussam, seu ob supervenientem curam, utile visum non fuit, quamquam tunc consilium curatori præberetur, ut ipse curam dimitteret, et alium puellæ curatorem dari postularet, dicta l. 5 cod. eod. tit. Eadem jurisprudentia protracta fuit ad filium tutoris, vel curatoris, cujus respectu eadem ratio viget. Quis enim non intueatur, tunc rem ita se habere, ac si pupilla, vel minor in potestatem tutoris vel curatoris uti nurus incideret cum eodem rei suæ, et reddendæ rite rationis periculo? l. 15 ff. de sponsal. Id verum est, etiamsi liberi essent adoptivi, dummodo non emancipati, aut naturales aliis in adoptionem dati, l. 60, § 6 et 7 ff. de ritu nupt., aut etiamsi mortuus esset pater, et filii vel heredes patri essent, vel hereditate paterna abstinuissent, ob graves, quæ fraudis esse possunt, dolive suspiciones, l. 67 ff. de ritu nupt. Imo et jureconsulti, quod de filio tutoris vel curatoris statutum fuit, recta interpretatione ad nepotes extenderunt, l. 59 ff. eod., quemadmodum et ad libertos tutorum eorumdem vel curatorum, l. 37 et 66, § 1 ff. eod.; quasi contra officium libertorum esset, adversus patronos uxoris nomine agere caussa reddendæ rationis: item ad extraneos quoscumque heredes, l. 64, § 1 ff. eod., insuper ad patrem tutoris, vel curatoris, atque ad fratres sub paterna una cum tutore ac curatore potestate constitutos, l. 67, § 2 et 3 ff. eod. Non vero idipsum statuendum fuit de filia tutoris vel curatoris nuptui collocanda pupillo vel ado-

lescenti; neque enim id impedimento esse poterat, quominus ratio administrationis reddi commode et postulari a tutore vel curatore valeret, leg. 64, § 2 ff. eod., leg. 5 cod. de interd. matr., quemadmodum neque idipsum receptum fuit de matre pupillæ aut adolescentis tutori vel curatori nuptura, leg. 2 cod. de interd. matrim., juncta leg. ult. cod. de contr. jud. tut. Sed et notandum est, regulam illam generalem, certam et probabilem habuisse exceptionem, videlicet in ea specie, qua ageretur de pupilla, vel minore a patre desponsa tutori vel curatori, eorumve filio, leg. 36 et 66 ff. de ritu nupt., leg. 6 cod. de interd. matrim., siquidem paternum præcedens consilium, quod liberorum gratia omnium optimum esse præsumitur, et generali legum providentiæ antefertur, liberabat tutorem, ac curatorem a quacumque doli, vel fraudis suspicione, eodem modo quo licet tutores et curatores satisdare generaliter ex legis præscripto cogerentur, tamen relaxabatur in hac parte legis rigor, ubi paternum officium tutoris vel curatoris gratia intercedebat, § 1 instit. de satisdat. tut. Similis propemodum exceptio est ob caussam paternæ adfectionis in specie legis 67, § 1 ff. de ritu nuptiar., in qua proponebatur, avum tutelam gessisse neptis ex filio emancipato natæ, et definitum, potuisse avum tutorem eandem neptem collocare nepoti ex altero filio sive emancipato, sive manenti in potestate, quia par adfectionis caussa suspicionem fraudis amovebat. Quæsitum præterea fuit, an generalis regula locum haberet etiam in filia pupillæ, vel adolescentis, quæ nuptias contractura esset cum tutore, et curatore materno. Respondit Triphoninus, nuptias non improbari, quia in hac specie ratio hereditaria est, et simplex debitum; alioquin omnis debitor eam, cui obligatus esset ex aliqua ratione, prohiberetur sibi, filioque suo conjungere, leg. 67, § 5 ff. de ritu nupt. Non sunt hæc contraria cum iis, quæ tradebat Callistratus in leg. 63, § 1 eod. tit., sed diversa, etenim aliud dicendum est in herede tutoris, vel curatoris, aliud in herede pupillæ, vel adolescentis, quando lex ea conjugia prohibens personam pupillæ, vel adolescentis contemplata fuerat, non alias personas ab eadem pupilla, vel adolescente caussam habentes; at non comtemplata fuerat solam personam tutoris, vel curatoris sed expresse etiam comprehenderat ejus liberos, quorum similitudine ad heredes interdictum recta interpretatione protrahi potuit. Denique quæsitum, an quod de tutore et curatore statutum est, idipsum diceretur de eo, qui pro tutore, aut curatore, aut negotiorum gestore res pupillæ vel adolescentis administravisset, qui tamen neque tutor esset, neque curator; imperatores autem Leo et Anthemius noluerunt, ad eos generale interdictum extendi, l. ult. cod. de interd. matrim. Hæc omnia an etiam hodiernis temporibus vigeant, mihi non est apprime compertum. Tantum scio, recentioribus legibus nihil fuisse romano juri derogatum; propterea non temere diceret, qui concluderet, adhuc hodie eandem esse prudentiam custodiendam, quousque non constet, moribus fuisse abrogatam.

Quæ naturalis ratio perpetuo vetuit, ne mulier pluribus viris matrimonio jungeretur, scilicet ne incerta proles adgnasceretur, vetuit quoque, ne statim post mortem viri viduæ nuptias cum altero viro contraherent. Quamobrem romanæ leges viduis mulieribus certa luctus tempora constituerunt, quibus a nuptiis abstinerent, caventes, ut annus integer continuus a morte mariti computandus haberetur, utpote quo spatio constare poterat, an mortuo viro filius posthumus nasceretur, an nulla spes amplius superesset posthumorum, leg. 11, § 1 ff. de his qui not. infam., l. 53, § 5, vers. *non audente* cod. de episc. et cler., leg. 1 et 2 cod. de secund. nupt. Hinc proficiscitur, non e converso uxore defuncta tempora luctus esse a marito expectanda, quemadmodum neque defuncto sponso expectanda esse tempora ab ea, quæ tantum sponsa, non uxor fuit; eove minus luctum parentum, aut liberorum impedimento nuptiis esse, l. 9 et 11 ff. de his, qui not. infam. Proficiscitur præterea, quo casu mulier vidua post mortem mariti filios peperit, libere statim posse eam ad secundas nuptias convolare, quasi tunc certum esse incipiat, posthumos alios non sperari, et cesset caussa interdicti, dicta l. 11, § 2, quemadmodum et viduam potuisse rescriptum principis impetrare, ut ad secundas nuptias ante statutum tempus convolaret, l. 10 ff. eod., quod non indecore concedebatur iis, quæ nullam spem e priore conjugio suscipiendorum liberorum se habere certis argumentis adfirmarent. Proficiscitur denique, viduas intra luctus tempora sponsalia contrahere potuisse, dicta l. 10, § 1. Quando vero impedimentum istud perpetuam caussam non habet, sed certo tempore circumscriptam, noluerunt romani, eas nuptias contra legem contractas penitus irritari, contenti gravibus pœnis terrere mulieres, ut animum a festinatis nuptiis avocarent. Pœnæ erant, ut mulieres illæ haberentur tamquam infames, una cum iis, qui easdem duxissent scientes prudentes, et cum parentibus, qui nuptiis consensissent, l. 1 et 11, § 3, l. 13 princ. ff. de his qui not. infam., leg. 15 cod. ex quib. caus. infam. irrog., l. 1 et 2 cod. de secund. nupt., l. 4 cod. ad sen. cons. tertull., nov. 22, c. 32 et 40, nov. 39, cap. 2. Secundo non poterant alteri viro ultra tertiam bonorum suorum partem in dotem dare, neque ei ex testamento plusquam tertiam partem relinquere, dicta l. 1, vers. *præterea* cod. de sec. nupt. Tertio neque po-

terant heredes institui, neque aut legata, aut fideicommissa aut donationes caussa mortis, aut quecumque suprema voluntate relicta percipere, dicta l. 1, vers. *omnium*. Quarto amittebant quæcumque aut ex judicio mariti morientis alias habere potuissent, aut etiam quæ lucratæ fuerant caussa sponsalitiæ largitatis, dicta l. 1, vers. *his etiam*, et l. 2 cod. eod tit. Quinto hereditatum legitimarum sive ex jure civili, sive ex jure prætorio ad se delatarum indignæ habebantur, si ageretur de cognatorum successione ultra tertium gradum, dicta l. 1 in fine Sexto denique tenebantur prioris matrimonii liberis semissem bonorum suorum largiri, dicta l. 4 cod. ad sen. cons. tertull. Sed postquam romanæ leges recentioribus sæculis negligi cœperunt, inolevit consuetudo, ut viduæ ad nuptias festinantes infames non haberentur. Hinc duodecimo sæculo cum studia juris romani reviviscerent, et nonnulli veterem infamiæ pœnam in viduas intra annum luctus nubentes inferendam ducerent, Urbanus III et Innocentius III consuetudini potius indulgendum voluerunt, insuper habita romanarum legum dispositione, cap. 4 et 5 de secund. nupt., eo prætextu, quod Paullus apostolus mulieres mortuo viro a lege viri solutas prædicaverit. Ceterum quamquam moribus inductem sit, ut pœna infamiæ remitteretur, non tamen concludi potest, nuptias illas undecumque honestas dici jure posse, quousque saltem affirmari tuto nequeat, nullam esse spem posthumorum defuncto marito adgnascendorum; agitur enim in hac re de naturali immutabili honestate, contra quam mores, et consuetudines parum valere posse videntur, et contra quam nihil tradidit apostolus ab Urbano III et Innocentio III laudatus. Neque præterea exinde concludi potest, remissa infamiæ pœna, etiam ceteras pœnas censendas esse abrogatas: cum ex unius pœnæ remissione, præsertim gravioris, et quæ ad nominis existimationem pertinet, non liceat ad aliarum leviorum pœnarum remissionem argumentari: præcipue cum si ceteræ remitterentur, remissio cederet in filiorum primi conjugii, vel cognatorum detrimentum; quibus accedit vulgata ratio, quæ postulat, ut non præsumantur undecumque abrogatæ veteres leges, quousque de illarum abrogatione perspicue non constet.

QUÆSTIO I.

Quid sentiendum sit de vulgari interpretum doctrina in impedimentis matrimonii distinguendis, ac numerandis?

Quæ de personis ad contrahendum conjugium idoneis, vel non idoneis hucusque disserui, recentiorum sæculorum interpretes, ac glossographi post institutas scholasticorum setas alia methodo exposuerunt, una etiam adnexuerunt formas, et ritus contrahendi conjugii, quibus omissis modo tantum illicitum, modo etiam irritum matrimonium esse dixerunt. Ut enim agnoverunt, legum certis in casibus matrimonia prohibentium duplicem speciem esse, quarum aliæ conjugium non servata forma contractum irritarent, aliæ tantum adversus contrahentes pœnas tantum infligerent, actumque illicitum facerent, non irritum, et inanem, tradiderunt, duplicis generis esse matrimonii impedimenta, primum genus appellantes impedimentorum impedientium, quibus intervenientibus conjugium illicitum quidem esset, sed firmum, et validum; alterum impedimentorum dirimentium, quibus intervenientibus conjugium prorsus irritum haberetur. Neque hic constiterunt: nam secernentes utrumque impedimentorum genus, quibusdam editis versiculis singula descripsere, parum solliciti de nitidioris musæ cultu, dummodo studiosorum memoriam adjuvarent. Ita de impedimentis impedientibus adnotaverunt:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque catechismus, sponsalia, jungito votum,
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

Deinde impedimenta dirimentia ita recensuerunt, nec dissimili metro:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ,
Si parochi, et duplicis desit præsentia testis.

Hanc docendi methodum secuti sunt scolastici propemodum universi, quibus revera contigit in hac parte, quod contingere ipsis aliquando, scripsit Melchior Canus in suo libro de locis theologicis, nimirum primum aliquem ex scriptoribus certam proponere formam, quam deinde recentiores parum perpensam sequuntur, eadem facilitate oppositam secuturi, si decessores suos oppositæ formæ auctores deprehendissent. Ego sane is non sum, qui aliena sequi contemnam, et mea eisdem præferre desiderem: verum mihi venia detur in præsentia, si eam methodum sequi noluerim, propterea quod nec revera salva animi integritate potuerim, utpote quam maturo consilio libratam non solum inconcinnam fore sensi, sed etiam rectæ sacrorum canonum disciplinæ parum accommodatam. Revera, postquam iis versiculis singula conjugiorum impedimenta exhiberi cœperunt, non defuere, qui exinde errandi occasionem arriperent; quotiescumque enim disputandum occurrit, an in certis casibus conjugia prohibita intelligerentur, statim ad eos versiculos respici consuevit; et quemadmodum ubi inter eos impedimentum descriptum agnosceretur, statim interdictum conjugium dictum est; ita non interdictum e converso, quoties nihil ad rem

propositam in eisdem versiculis reperiretur, insuper habitis ceteroqui perspicuis sacrorum canonum sanctionibus. Id dolebat Benedictus XIV in lib. 8 de synod. diœces. c. 34, num. 2, ubi improbavit opinionem illorum, qui adseruerunt, ob solam ignorationem doctrinæ christianæ non posse ab ecclesia removeri sponsos a conjugiis celebrandis, et ait: *Fulcitur hæc opinio quorumdam theologorum auctoritate; qui cum ignorantiam doctrinæ christianæ non invenerint in vulgatis versiculis, in quibus enumerantur impedimenta matrimonium impedientia, asserere proinde non dubitarunt, neminem posse ob illam solam a matrimonio celebrando cohiberi.* Itaque quoties mentem nostram ad eos versiculos conferamus, inveniemus primum, plurima omitti, quæ erant necessario recensenda: deinde, aliqua recenseri, quæ erant penitus omittenda; item ea, quæ enumeranda erant, ut plurimum subobscure indicata, atque invicem omnino inconcinna methodo digesta. De nominibus illis dirimentium, et impedientium impedimentorum verba non facio; eorum enim quædam veluti prima lineamenta sunt apud Cœlestinum III, in cap. 6, qui cler. vel vovent., neque litem de proprietate nominum agendam puto, ubi gravis est de re ipsa, atque, ut puto, ab iis, qui verum amant, nisi ab ea methodo recedant, nunquam diluenda contentio. Exordior ab impedimentis, uti vocant, impedientibus; et statim ac lego *Ecclesiæ vetitum*, quid amplius desiderandum erat, quando cetera, quæ subsequuntur, de tempore feriato potissimum, et de catechismo, non aliter impediunt, quam quod de iis Ecclesiæ vetitum adpareat? Quod si rem in subsequentibus clarius aperiendam esse voluerunt, quæro ab auctoribus versiculorum, cur inter ea impedimenta non recensuerunt omissiones publicarum denunciationum, juxta constitutiones lateranensis, et tridentini concilii, cur etiam non recensuerunt sacerdotalem benedictionem a conjugibus non petitam, quando certum est, conjugia præsente quidem, sed non benedicente, aut etiam contradicente parocho celebrata ab Ecclesia improbari? Sed præterea recensere debuissent obicem, quem contrahentes ipsi ponunt, quoties non bene disposito animo, et qualis ad sacramentum suscipiendum requiritur, ad contrahendum accedant; inter cetera autem memoranda etiam erat notitia rerum ad christianam fidem pertinentium, quæ si deficiat, illicitum conjugium reddit, uti observabat Benedictus XIV modo laudatus. Recensere etiam debuissent dissensum patris in conjugio a filiisfamilias contrahendo; etenim sacri canones licet firmum esse adserant matrimonium a filiisfamilias dissentiente patre contractum, illud tamen improbant, ac damnant, concil. trident. sess. 24 de reform. matrim. cap. 1. Insuper recensere debuissent conjugia inter christianos et hæreticos contracta in iis casibus improbata, quos superius observabam, quemadmodum et conjugia contracta a viduis mulieribus luctus tempore, qua saltem in specie incerta proles nascitura esset, neque omittenda conjugia a publicis pœnitentibus celebrata. Quod de impedimento catechismi traditur, hodie supervacaneum nonnulli censuerunt, quasi concilium tridentinum, si quod antea fuerit, hujusmodi impedimentum omnino sustulerit. Quod item dicitur de voto, admodum ambiguum est, atque indiget explicatione, cum rursus votum inter impedimenta dirimentia recenseatur. Ecquidem distinxerunt ad rei explicationem votum simplex a voto solemni, ut illud impedientibus, istud dirimentibus impedimentis adcenserent. Verum undenam ista distinctio processerit, jam superius tradidi, ubi adnotabam, votum utut solemne non per se seu ratione solemnitatis, sed caussa publicæ ecclesiasticæ legis, aliquando matrimonium dirimere. Quod si ad impedimenta, ut vocant, dirimentia gradum faciamus, inter ipsa recensetur *conditio*, quando tamen ex caussa conditionis servilis conjugia non irritantur, nisi tum demum, cum in eadem conditione erratur, quemadmodum passim omnes interpretantur; quod cum ita sit, cur impedimentum conditionis ab impedimento erroris distinguitur? Item nomen generale *criminis* frustra pro impedimento dirimente collocatur, cum id in certa tantum criminis specie locum habeat, uti suo loco traditum superius est. Melius erat, si criminis nomen inter impedimenta impedientia descripsissent, quando, uti etiam superius dictum est, multa designabantur apud veteres gravia crimina, quorum reus publicæ pœnitentiæ addicebatur, ac proinde a contrahendis conjugiis arcebatur, eodem modo, quo votum utrique impedimentorum generi adscriptum est, quod quædam vota irritent, quædam non irritent matrimonia. Disparitas cultus, quæ inter impedimenta dirimentia recensetur, æque poterat inter impedientia collocari; nam si ad judæos, vel gentiles referatur, nullum reddet matrimonium, si ad hæreticos, ex recentiore disciplina regulariter tantum illicitum. Mihi quoque placere non potest, quod idem unumque impedimentum semel indicatum, iterum aliis nominibus insinuetur. Sic postquam de voto facta fuit mentio, deinde neque continuo fit mentio de ordine. Si quæras, cur eadem ratione de religiosa professione non meminerint, nescio, quid erunt responsuri. Item in secundo versiculo de vi mentionem fecerunt, deinde in quarto de raptu, quando tamen vis nomen generis est, quod raptum quasi vis speciem comprehendit. Si consideres, quomodo inter se concinnata sint impedimenta illa, quæ ex quadam inita inter contrahentes necessitudine oriuntur, nihil est magis involutum; nam

in primo versiculo memoratur cognatio, cujus nomine intellexerunt naturalem, civilem et spiritualem, quas sane distinguere erat maxime opportunum; deinde post plura impedimenta in fine secundi versiculi numeratur honestas, quam in tertio versiculo subsequitur adfinitas. Interea vero plurima omiserunt, quæ erant necessario recensenda. Hujusmodi est conditio turpis contra substantiam, seu naturam matrimonia contrahentibus adposita, juxta capitulum ult. de cond. adpost. Hujusmodi est metus gravis injuste incussus, qui sane cum vi confundi non debuit, præsertim ab iis, qui raptum a vi distinguere sciverunt. Hujusmodi est ætas nuptiis inepta, sive quod in illa non intelligantur obiri posse nuptiarum officia, sive quod in illa idonea non fingatur lege consensio. Hujusmodi est aut furor, aut amentia, aut morbus amentiæ proximus, qualis in eo esse videtur, qui ab infantia, et mutus et surdus simul, et cæcus fuit. Hujusmodi denique dici potest officium tutoris, et curatoris ante redditam tutelæ, vel curæ gestæ rationem juxta, quæ superius tradita sunt. Dicta hæc omnia velim, non eo animo, ut vulgatas interpretum, et pragmaticorum traditiones videar penitus improbasse, sed ut liqueat saltem, me non injuria in ea ipsa impedimentorum materie pertractanda, a vulgata metodo recessisse.

QUÆSTIO II.

De matrimonialibus dispensationibus.

Contingit quandoque, ut a generali disciplina legum, quibus certo personarum generi conjugio contrahendo interdicitur, ita postulantibus singularibus caussarum quarundam adjunctis, ex æquo et bono eorum, ad quos pertinet, dispensatione, atque indulgentia recedatur. Qua in re multiplices sunt disputandi caussæ. Et primo quæritur, num in omnibus generaliter casibus sperari dispensatio possit? Nemo non videt, secernendas esse leges a legibus; nimirum naturales, aut divinas ab humanis, inspiciendumque, an quod conjugio contrahendo obest, jure naturali, vel divino firmatum sit, an humano; quemadmodum enim pro certo habetur, humani juris dispensationem ab homine legitima auctoritate prædito peti, obtinerique posse, ita etiam certum est, nullam esse hominis quacumque potestate præditi auctoritatem, ex qua proficisci aut naturalis, aut divini juris dispensatio valeat, nisi tamen in quibusdam gravissimis caussis æquissimus arbiter jus vel naturale, vel divinum non obligare declaret, quod sane nonnisi latissime dispensationem juris, atque indulgentiam appellaremus. Juxta hæc principia Innocentius III in concilio lateranensi concludebat, *tolerabilius esse, aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra statuta Domini separare,* cap. 47 in fine de testib., cui simile est, quod legitur in cap. 1 qui matrimon. accus. in 1 collect. decretal., et quod legitur in cap. 8 de divort. apud Gregorium IX. Hinc autem, ut liquet, aperiretur amplissima disputandi via, et vix finem habitura. Quamquam enim multa statim adpareant conjugiorum impedimenta, quæ humano tantum jure facile dixeris constituta, de pluribus tamen dubitatur, an ex divino, vel naturali jure fuerint in publicas legum tabulas derivata. Verum ex iis, quæ hucusque diximus, atque ex iis, quæ in sequentibus dissertationibus dicenda supersunt, jam liquido constare potest, quæ naturali, divinoque jure interdicta sint, quæ etiam legibus humanis, ut facilis consideranti reddatur universarum inde emergentium quæstionum definitio. De legibus naturalibus ac divinis tantum dicam, eas in diverso genere positas esse, prout modo perpetuam caussam habent, modo singularibus quibusdam adjunctis accommodatam. Profecto ubi caussa perpetua est, frustra dispensatio speratur, secus ac contingat in iis legibus, quæ certis adjunctis accommodatam caussam habent, iis enim cessantibus, auctoritate illius, ad quem pertinet, facile dispensatio impetratur, aut singulari rescripto, aut legibus generalibus, aut etiam consuetudine. Exempla perspicua sunt in vidua tempore luctus nuptura, et in catholico uxorem hæreticam ducturo. Prohibetur, ut diximus, naturali jure vidua, ne nubat intra tempora luctus; quoniam vero caussa naturalis interdicti in eo posita est, ne partus nascatur incertus, cur non probari aliquando poterit conjugium initum a vidua, si caussa cessaverit, et certum esse incipiat, non incertam prolem secundo conjugi nascituram? Prohibetur, ut diximus, divino jure christianus, ne conjugia cum hæreticis ineat, quoniam vero caussa divini interdicti in eo posita est, ne christianus in periculo fidei versetur, cur non probari aliquando poterit conjugium, si cessaverit periculum lædendæ fidei, ac veræ in Deum religionis?

Longe diversa est ratio juris humani, quod uti ab hominibus conditum est, ita ab hominibus dissolvi potest. Hac tamen in re animadvertere juvat, leges omnes ex justa caussa ut plurimum gravissima ferri solere ab eo, qui publica potestate gaudet. Eadem ergo ratione legis vinculum relaxabitur, quum nimirum duo illa concurrunt, auctoritas dispensantis, et justa nec levis dispensationis caussa. Quum enim leges generales ita scribi non possint, ut singularia quæcumque negotia dirimant, omnesque casus, qui quandocumque inciderint, comprehendant, sed tantum ea, quæ plerumque accidunt, contineant, relicta censetur facultas et legumlatoribus eisdem, et legumla-

torum successoribus, legis vinculum relaxandi, quoties casus emergat, aut qui sententia generalis legis comprehendi non videatur, aut qui aliam videatur providentiam postulare. Quod in primis spectat dispensantis auctoritatem, non memoro, quid olim vigeret, dum conjugiorum regulæ jure publico principum Romanorum præstituerentur, ac proinde eorundem auctoritate ab iis dispensabatur juxta leg. un. cod. Theod. si nupt. ex rescr. pet. leg. 1 et 2 cod. just. eod. tit., l. 23 et 29 cod. de nupt. l. 9 cod. de incest. et inut. nupt. quibus addi potest Cassiodorus lib. 7, variar. 46 ubi dispensationum imperialium forma refertur. Etenim multa jam sæcula præterlapsa sunt, ex quo dispensationes petuntur a pontifice maximo, cui ea potestas reservatur adeo, ut episcopis utut eximia jurisdictione præditis generaliter denegetur. Dixi generaliter; etenim regula ista suas habet etiam consuetudine inductas exceptiones, aliquas etiam expressis legibus comprobatas. Siquidem in primis receptum est, episcopum dispensare posse in impedimentis, quæ vocantur a pragmaticis tantum impedientia, eo excepto, quod oritur ex sponsalibus cum altero jam contractis, propterea quod sine gravi detrimento tertii hæc dispensatio indulgeri non posset; item eo excepto, quod oritur ex voto non conditionali perpetuæ continentiæ, vel religionis ingrediendæ, propterea quod vota ista graviorem caussam habeant, dignamque, quæ uni pontifici maximo reservaretur. Item receptum est, dispensare episcopum posse in impedimentis, quæ vocantur dirimentia, quoties agitur de matrimonio jam contracto, dummodo hæc facti adjuncta concurrant, primo, conjugium sit solemniter in facie Ecclesiæ celebratum, imo jam et consummatum; secundo, bona fides contrahentibus fuerit, cui caussam dedisset vel juris, vel facti ignorantia: tertio, impedimentum sit occultum, nec facile sine scandalo deveniri ad separationem conjugum possit; quarto denique, nequeat commode referri res ad pontificem maximum, vel ob locorum distantiam, vel ob conjugum paupertatem, rusticitatem, aliasve similes caussas, ex quibus facile concluditur, episcopalem hujusmodi dispensationem ad forum potius, ut ajunt, internum pertinere, neque in externo ullo modo suffragari, ac si in romana pœnitentiaria obtenta fuisset. Quoties vero agatur de matrimonio necdum contracto, sed proxime contrahendo, nec dubitant pragmatici adserere episcopo facultatem dispensandi ab impedimento dirimente occulto, quum gravissima quædam urgeat caussa, et nec summus pontifex adiri statim possit, nec matrimonium sine scandalo in aliud tempus differri. Itaque his exceptis casibus hodie receptissimum est, matrimoniales dispensationes esse pontifici maximo reservatas, nisi aliter legitimæ postulent singulares aliquarum diœceseon consuetudines, vel singularia quorumdam antistitum, qui præsertim pontificis maximi legatione funguntur, privilegia. Potest autem obtineri dispensatio vel in pœnitentiaria, vel extra pœnitentiariam, nimirum in cancellaria, aut dataria romana. Quoties obtinetur dispensatio extra pœnitentiariam, suam vim exerit in utroque foro, seu interno, seu externo; at si obtineatur in pœnitentiaria, tantum vim habet in foro interno, præsertim quod apostolicus executor munere impleto literas dispensationis lacerare debeat, ut nullum supersit indulgentiæ monumentum. Solet autem in pœnitentiaria obtineri dispensatio secreta, cum agitur de impedimento prorsus occulto matrimonii jam contracti, cujus dissociatio sine scandalo fieri nequeat; atque modus in dispensatione exequenda servandus solet in rescripto ad confessarium regulariter directo præstitui, quem propterea executor adamussim implebit.

Quando vero mei instituti potissimum est de dispensationibus agere, quæ extra pœnitentiariam impetrantur, observo, duplicem esse dispensationum concedendarum formam, aliam nimirum, quæ dicitur forma gratiosa, et sui natura formalem, ut ajunt, seu juridicam caussæ cognitionem non postulat, aliam, quæ dicitur forma commissoria, et formalem, seu juridicam caussæ cognitionem exposcit. Dispensationes, quæ in forma gratiosa conceduntur, quod perraro contingit, nihilominus ex concilii tridentini decreto sess. 22 de reform. cap. 5 ab ordinariis tanquam in hac parte delegatis apostolicis, non tamen nisi summarie, et extra figuram judicii, cognoscendæ erunt, ne forte obreptionis, vel subreptionis vitio laborent. Quæ autem in forma commissoria expediuntur, quod frequentius est, solent ad ordinarium dirigi non oratoris, sed oratricis cujus ordinarii nomine venit episcopus, aut ejus vicarius in spiritualibus generalis; quod si sedes episcopalis vacet, ex stylo curiæ dirigi solent ad viciniorem episcopum, vel ejus vicarium generalem, non ad vicarium diœceseos capitularem. Porro quicumque sit apostolicus delegatus, maxime studere debet, ne apostolicas literas exequatur, priusquam ea, quæ in eisdem continentur, quæque discutienda mandantur, diligenter, non leviter et perfunctorie investiget; hinc inter cetera a testibus, quos ad examen veritatis admittet, jurejurando, quod testificantur, postulabit confirmari, monitione præmissa de jurisjurandi religione; item sedulo animadvertet, an singula, quæ in libello supplici, vel in narrativa, ut vocant, rescripti, in quam libelli supplicis forma traduci solet veritati per omnia consonent, ne forte ab una impedimenti specie, aut ab una ex propositis caussis, ad aliam ut æqualem majorem, vel minorem dispensatio protrahatur.

Caussæ dispensationum, circa quas præcipue munus executoris apostolici versatur, hodie istæ receptæ sunt, nimirum fidei religionisque tuendæ, concordiæ familiarum, aut publicæ tranquillitatis, provectæ ætatis, dotis incompetentis, angustiæ loci, scandali avertendi, item criminis evitandi. Præter has, quarum præcipua ratio haberi solet, et istæ ab aliquibus adjiciuntur, excellentia in ecclesiam merita, conservatio illustris familiæ in eodem genere consanguineorum alias perituræ, ac demum conservatio facultatum in eadem cognatione, ne caussa dotis, aut muliebris patrimonii in aliam familiam distrahantur. Prima caussa fidei, religionisque tuendæ, locum potissimum habet favore illarum provinciarum, in quibus hæretici catholicis permixti sunt, ac propterea subest periculum, ne si duo catholici forte consanguinei, affines, aliave simili necessitudine juncti invicem abstinere conjugio debeant, facile sint cum hæreticis contracturi. Secunda concordiæ familiarum, aut publicæ tranquillitatis locum habet, quando conjugium inter personas, quibus interdictum est, initum conciliare potest civium, aut conjunctorum animos jamdiu diris contentionibus exagitatos. Tertia provectæ ætatis adducitur, cum puella (intellige de ea, quæ nondum nupta fuit, non de vidua) jam vigesimoquartum ætatis annum excedit, neque aliam spem nuptiarum habet, quam contrahendarum cum eo, quocum contrahere prohibetur. Quarta dotis incompetentis est, quum ex. gr. consanguineus paratus est ad consanguineam ducendam et dotandam, alias destitutam competenti dote, qua non consanguineum paris conditionis inveniat. Quinta angustiæ loci adducitur, quum puella in angusto loco nata, atque educata in eodem maritum invenire nequeat paris conditionis, nisi eum, cui nubere prohibetur. Sexta scandali avertendi est, quum ex. gr. consanguineus consanguineam violaverit, sine animo tamen dispensationis ex eo impetrandæ, ut matrimonium iniret; quamobrem famæ reorum aliter occurri nequeat, quam si legitimo conjugio conjungantur. Septima criminis evitandi, locum tantum habet in eo, qui continentiam simplici, ut ajunt, voto servaturum se Deo spopondit, et profitetur, se de voti implemento pene desperare. De postremis caussis nihil adjicio, cum per se perspicue intelligantur. Hæc omnia, uti liquet, dispensationi locum faciunt matrimonio contrahendo. Quid vero, si matrimonium jam contractum fuerit ab illegitimis personis? Si id bone fide contigerit, vel id unum erit caussa sufficiens dispensationis impetrandæ, ut quod ab initio irritum fuerat, valere incipiat dispensatione obtenta. At si contrahentes ab initio conscii fuerint impedimenti, præsertim si solemnitates requisitas in conjugio contrahendo neglexerint, voluit concilium tridentinum, eos separandos esse, et spe dispensationis consequendæ carere, sess. 23, cap. 5 de reform. matrim. quod tamen ita intellige, ut difficilius dispensatio obtineri possit, nec nisi ex maxima et gravissima caussa, et in qua publicum bonum versetur.

In dispensationibus concedendis consanguineis, et adfinibus, diversorum graduum ratio habetur, imo etiam et diversæ qualitatis; nam ex. gr. facilius dispensatur in quarto, quam in tertio gradu, facilius item in adfinitate, quæ ex illicita copula, quam quæ ex matrimonio proficiscatur; quamobrem quæ caussæ ad obtinendam in certo genere dispensationem sufficerent singulares, impetrandæ dispensationi in alio genere non æque facile valerent, nisi plures una concurrerent. Ajunt tridentini patres in cap. 5, sess. 23 de reformat. matrim. *In contrahendis matrimoniis, vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex caussa, et gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes, ob publicam caussam.* Quæ fuerit sanctorum patrem meus, nemo exinde non colligit, proinde cum in secundo gradu nunquam dispensandum sit, nisi inter magnos principes, et ob publicam caussam, liquet, ea, quæ superius diximus de dispensationum caussis, ad tertium vel quartum tantummodo cognationis gradum regulariter pertinere. Qui plura desiderat in hanc rem, pragmaticos adeat, apud quos, cum potius de jure recepto agatur, quam de ea re, in qua certæ sint ecclesiasticorum canonum expresse constitutiones, et supplicationum formulas, et singularum caussarum vires, ac nexus delineatos inveniet. Tantum addam hoc in loco, dispensatione cum effectu impetrata, conjugium, si forte jam contractum antea fuerit, renovandum esse in facie Ecclesiæ, nullis solemnitatibus omissis, cum res ita sese habeat, ac si nihil eo usque actum esset, quod patria sint nihil agere, et contra jus agere, licet tamen aliud observandum prudenter putem, uti dispensatio in romana pœnitentiaria, seu tantum in foro impetrata fuisset.

DISSERTATIO QUINTA

DE FORMA, AC SOLEMNITATIBUS CONJUGII CONTRAHENDI.

Hunc referendi sunt tituli Decretalium, de clandest. desponsat., et de condition. appositis.

Universæ propemodum gentes, eæ potissimum, quæ cultiores, et doctrina, et moribus visæ fuerunt, certas solemnitates, et ritus publicos præstituerunt, quibus decore matrimonia celebrarentur, ne passim obtineret, quod apud agrestes homines et instar ferarum in incertam venerem ruentes in more fuisse tradidit Lucretius, ita scribens:

> Et venus in sylvis jungebat corpora amantum,
> Conciliabat enim vel mutua quamque libido,
> Vel violenta viri vis, atque impensa libido,
> Vel precium, glandes, atque arbuta, vel pyra lecta.

Infinitus essem, si varios populorum mores persequerer. Tantum generaliter dicam, vel æthnicos ipsos suis superstitiosis ritibus ita pro modo suo sancta reddidisse conjugia, eorundemque celebrationes, ut populus agnosceret, nonnihil divinum, seu sub Deorum auspiciis in celebrando conjugio geri; atque hæc etiam ratio fuit, quare Tertullianus in libro de corona militis cap. 13 scribebat, christianos matrimonia cum æthnicis non contraxisse, apud quos *nuptiæ ab idololatria incipiebant.* Ceterum cum de solemnitatibus, et ritibus christianorum, quos Ecclesia instituit, et probavit, agendum sit, necesse est indicare generalem conjugiorum contrahendorum formam a priscis Romanis receptam. Cum enim ecclesia leges suas passim imposuerit iis, qui romano jure, et Quiritium disciplina vivebant; cum etiam christiani facti imperatores constitutiones saluberrimas et christianæ religioni accommodatas ediderint, aut omnino abrogatis, aut reformatis veterum Quiritium moribus, non possunt hæc omnia commode expendi, nisi saltem paucis indicetur prisca Romanorum utut idololatriæ adhuc serventium disciplina.

Itaque Romani veteres non unam contrahendis justis nuptiis formam præstituerunt, sed triplicem, quarum unam qui servaret, vere diceretur nuptias jure celebrare, eas nimirum, quæ omnes obtinerent effectus lege ejus populi præstitutos. Prima forma erat confarreationis, quæ etiam dicebatur atque et ignis adpositionis; altera coëmtionis; postrema usucapionis. Quod Arnobius adnotavit in lib. 4 adversus gentes ita scribens: *uxores enim ii habent, atque in conjugalia fœdera veniunt conditionibus ante quæsitis, usu, farre, et coemtione genialis lectuli sacramenta conducunt.* Solemniores nuptiæ erant, quæ confarreatione contraherentur, utpote in quibus sacratior ritus apud illos habebatur et pene divinus; eamque ob rem sacerdotes non aliter matrimonia contrahere permittebantur, uti scribit Tacitus lib. 4 annalium. Dicebatur confarreatio ex eo, quod farris sacrificio actus coram sacerdote celebraretur, etenim Romani induxerant, ut specialiter farre, quod erat genus quoddam frumenti optimi et selecti, Diis homines conciliarentur. Arnobius lib. 2 adversus gentes, Valerius Maximus l. 2, memorab. Horat. lib. 3, carminum, ode 23, quod et perspicue indicavit Ovidius in lib. 1 fastorum, ibi.

> Ante Deos homini quod conciliare valeret,
> Far erat, et puri lucida mica salis.

Paucis confarreationis solemnitatem in parte describit Ulpianus in fragmentis, tit. 9. *Farre convenitur in manum certis verbis, et testibus decem præsentibus, et solemni sacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur.* Addebatur his solemnitas velaminis, quo caput nubentis puellæ obnubebatur, unde nuptiarum nomen derivavit, item præferendæ facis, dum uxor ad domum viri adducebatur, quo spectat, quod ait Virgilius in Eglogis.

> Mopse novas incide faces tibi ducitur uxor.

Præterea in maritali domo præparabatur aqua et ignis, per quorum elementorum adpositionem non solum significabatur futura inter virum et uxorem rerum omnium communio, sed potissimum significabatur vis generationis, cujus præcipue caussa conjuges conjungebantur, quod erat illorum philosophiæ accommodatum; dum traderent, ex aqua et igne omnia procreari, quemadmodum indicavit Ovidius lib. 1 Metamorphoseon ibi:

> Quippe ubi temperiem sumsere humorque calorque,
> Concipiunt, et ab his oriuntur cuncta duobus.
> Cumque sit ignis aquæ pugnax, vapor humidus omnes
> Res creat, et discors concordia fœtibus apta est.

Omitto ceteros minoris momenti ritus, qui

aut in spargendis nucibus, aut in canendis quibusdam versiculis atque his similibus consistebant. Non æque solemnia, sed tamen publico certo ritu non destituta erant conjugia per coëmtionem contracta, de quibus mentionem fecit Cicero pro Murena, et in lib. 1 de oratore, tanquam usu frequentibus sua ætate. Mutuis stipulationibus inter sponsum et sponsam omnia concludebantur, interrogante sponso, *vis mihi materfamilias fieri?* Et respondente sponsa: *volo;* interrogante e converso sponsa: *vis mihi paterfamilias fieri?* Et sponso respondente *volo.* Una autem interveniebat solemnis mancipatio cum libripende ex formula Romanorum in trasferendis dominiis et hereditatibus usurpata, juxta illud Horatii: *si proprium est, quod quis libra mercatur, et ære*, unde nomen conjugii *per coemtionem* derivavit. Neque longe a veritate aberraret, qui crederet, ex hoc matrimonii ritu exortam fuisse disciplinam mutuarum largitionum inter virum et uxorem, quibus mulier dotem, maritus donationem propter nuptias conferebat, unde coëmtionem mutuam quandam factam emtionem et venditionem inter virum et uxorem, quasi utrimque dato vel statuto pretio, dixit Isidorus Hispalensis in lib. 5, originum cap. 4, quamquam nonnulli, et forte verius, contrarium sentiant, et dicant, coëmtionis nomine non mutuam emtionem, sed emtionem plurium rerum simul et semel factam significari, argumento l. 5, § 2 ff. de institutor. act., l. 11, ff. de negot. gest., et l. 2, cod. Theodos. de frumento urbis constantinopolitanæ; ideo autem matrimonium coëmtionem celebrari dictum, quod vir et uxorem, et uxoris bona universa emeret, quin uxor maritum sibi emere diceretur. Tertius conjugiorum ritus consistebat in usu, quum enim legibus duodecim tabularum non aliter possent apud Romanos jura transferri, quam solemni mancipatione per æs et libram, vel usucapione; unde Horatius post verba modo laudata, *si proprium est, quod quis libra mercatur et ære,* subjunxit, *quædam, si credis consultis, mancipat usus*, quemadmodum jura patrisfamilias et matrisfamilias per mancipationem adquirebantur, ita et usucapione eadem jura adquiri posse statutum est. Legem duodecim tabularum ad hanc rem editam ita describunt, qui legum earumdem fragmenta, ac reliquias collegerunt: *Mulieris, quæ annum matrimonii ergo apud virum remansit, ni trinoctium ab eo usurpandi* (usurpare idem erat, ac consuetudinem interrumpere, l. 2, ff. de usucapion.) *ergo abescit, usus esto;* ad quam legem respiciens Aulus Gellius lib. 3 noct. Atticar. cap. 2 scribit, ex sententia Quinti Mucii jureconsulti non esse usurpatam mulierem, quæ kalendis januariis apud virum caussa matrimonii esse cœpisset, et ante diem quartum kalendas januarias sequentes usurpatum isset; non enim posse impleri trinoctium, quod abesse a viro usurpandi caussa ex duodecim tabulis deberet, quoniam tertiæ noctis posteriores sex horæ alterius anni essent, qui inciperet ex kalendis. Quando vero generaliter in usucapione inducenda certus quidam titulus necessarius erat, et honestus, ex quo nimirum bona fides præsumeretur immunis a probro, et turpitudine, inductum etiam fuit, ut annalis usucapio uxoris justa non diceretur, nisi de quodam, certoque titulo constaret. Hic autem titulus erat publice facta coram aruspicibus contestatio, qua vir profiteretur se puellam domum ducere liberorum suscipiendorum caussa, quod frequentius fieri debuit post editam legem Papiam, quæ de liberis suscipiendis maxime sollicite fuerat, eamque ob caussa nuptiarum obligationem in cives induxerat l. 220, ff. de verb. sign., l. 4 ff. de fide instrum. l. 9, cod. de nuptiis, l. 13, cod. de postlimin. revers, quod et recte observavit Hotomannus in libro de vetere rito nuptiarum cap. 3. Hinc conjugia etiam usu contracta publicam quandam formam habebant, nec solo consensu perficiebantur, quemadmodum sponsalia, l. 1 et 7 ff. de sponsalibus. Tanti habita fuit apud romanos hæc contestatio, ut quoties latinis romanæ civitatis jure nondum gaudentes conjugium ea non omissa contraxissent, consecuti deinde ex privilegio civitatem, uxorem antea ductam, et filios antea susceptos veluti justos habere inciperent. Ulpianus in fragmentis tit. 3 § 3. Ex his profecto majus lumen accedit iis, quæ superius dixi de veterum Quiritium concubinatu; nimirum quamquam verum sit, non in omni concubinatu hanc testationem præhabitam fuisse, quoties tamen testatio fieret, ante completam usucapionem mulier dicebatur non uxor, sed concubina, uxoris tum honestiore nomine donanda, cum usucapio completa fuisset. Quod ut clarius percipiatur, notandum est, triplex apud Romanos veteres fuisse concubinarum genus. Aliæ enim erant honestæ personæ, cum quibus propterea non indecorum erat testationem liberorum suscipiendorum habere, atque istæ finito usucapionis anno legitimæ uxores dicebantur, quibus olim ne tales appellarentur, aliud non oberat, quam omissio vel confarreationis, vel coëmtionis. Aliæ erant concubinæ minus honestæ, quales habebantur ancillæ respectu ingenuorum, peregrinæ respectu civium, libertinæ respectu senatorum, provinciales respectu rectorum aut præsidum, unde inæqualis conjunctio concubinatus hujusmodi dicebatur, l. 3 vers. *quod si ad alterutram,* cod. de natural. liber. l. 1 cod. Theodos. de collegiat. Atque istæ nunquam uxorem nomine uti ac dignitate frui poterant, quacumque usucapione non obstante; cum enim non admitterentur cum istis, quasi contra decus, faciendæ publicæ testationes,

argumento l 1 princ. ff. de concubinis, et l. 24 ff. de ritu nuptiar., deerat justus titulus, qui usucapioni caussam præberet. Sic Apulejus in lib. 5 de Asino aureo ita scribebat: *Impares nuptiæ, ac propterea in villa, sine testibus, aut patre non consentiente factæ, legitimæ non possunt videri, ac per hoc spurius iste nascetur*; et Marcianus in lib. 3 ff. de concubin. ajebat: *In concubinatu potest esse et aliena liberta, et ingenua, et maxime ea, quæ obscuro loco nata est, vel quæstum corpore fecit; alioquin si honestæ vitæ et ingenuam mulierem in concubinatum habere maluerit, sine testatione hoc manifestum faciente non conceditur; sed necesse est ei, vel uxorem eam habere, vel hoc recusantem stuprum cum ea committere*; cum quo consonat Modestinus scribens in l. 34 ff. ad leg. jul. de adulter., stuprum committere eum *qui liberam mulierem consuetudinis caussa, non matrimonii continet, excepta videlicet concubina;* quasi diceret, præter consuetudinem fieri necessario debuisse testationem, ut quis crimine immunis esset, excepta ea, quæ minus honesta esset, et cum qua testari publice non deceret quam propterea concubinam appellavit. Tertium concubinarum genus erat earum, quæ jam provectæ ætate fuissent, aut ducta ab eo, qui inops esset et jam ex præcedente matrimonio liberorum numero gravatus. In istis autem speciebus etiam testatio omittebatur; siquidem respectu concubinarum ætate provectarum, et de quibus nulla proles sperari poterat nonnisi risu excepta liberorum suscipiendorum protestatio fuisset; respectu autem eorum, qui liberorum numero jam gravarentur, non videbatur decorum testari, se alios velle libere suscipere, quos honeste alere non possent, tum demum admittenda testatione, quum ad meliorem fortunam pervenissent, quo spectat, quod scribebat Hieronymus in epist. ad Oceanum de quibusdam Romanis; *Affectione maritali retinebant concubinas ad evitanda onera et minuendas expensas quas tamen ad ampliores evecti divitias, etiam uxorum non tantum nomine, et dignitate, sed etiam jure dignabantur.* Porro testatio illa, ut dictum est, ab initio fiebat coram aruspicibus; sed deinde ab ea forma paullatim recessum est, visumque fuit sufficere ad titulum usucapionis conjugalis, si coram vicinis testatio facta fuisset, l. 9 cod. de nupt., arg. l. 6, ff. de his, qui sunt sui vel alieni jurius, l. 4, in fine ff. de fide instrum. aut si scriptura interposita fuisset, quod indicavit Augustinus in lib. de moribus Manichæorum ita scribens: *Ad hoc enim ducitur uxor, nam et id etiam tabulæ indicant ubi scribitur, liberorum procreandorum caussa;* et in lib. confessionum, ibi: *Et hoc tabulæ nuptiales indicant, nos jungi in matrimonio, liberorum procreandorum caussa.*

Memoratæ tres conjugiorum contrahendorum formæ, farre, coëmtione, et usu, erant antiquissimæ, et diu viguerunt. Primum aboleri cœpit, veluti nimiis ritibus obnoxia, celebratio conjugii per confarreationem, quæ jam tempore Tiberii Cesaris in usu esse desierat, quamquam sacerdotes æthnici adhuc ea contrahendorum conjugiorum lege usi diutius fuissent, uti idem Tiberius tradit apud Tacitum l. 4 annalium. Paullatim etiam recessum est a formula coëmtionis per æs et libram faciendæ, cum enim in ceteris actibus nimis scrupulosa visa fuerit vetus mancipatio per æs et libram, et in locum illius inventæ aliæ, publicæ, et simpliciores præsertim auctoritate prætorum, solemnitates, in locum coëmtiones successit alius modus nuptias contrahendi, qui dicebatur simplex conventio in manum viri. Hæc autem conventio specie tenus differebat a vetere forma coëmtionum, propterea quod neque æris, neque libræ ritus adhibebatur, re tamen plurimum cum coëmtione conveniebat, quia stipulationibus inter sponsam, et sponsum, et utriusque parentes in quorum potestate illi fuissent; omnia perficiebantur. Conjugium hoc prætorio potius, quam civili jure justum, et legitimum dicebatur. Et quando simplicior hic a prætore inductus conjugii contrahendi modus receptus passim fuit, ab usu etiam desiit conjugium solo usu contrahendum, remanente ea tantum concubinatus specie in qua nulla fiebat liberorum suscipiendorum publica testatio; qui enim usu cum testatione matrimonium olim contracturi fuissent, comtemta solemni mancipatione nimiis ambagibus obnoxia, adamaverunt potius sequi prætorium modum, utpote qui admodum simplex erat, nec cum tanta juris solemnitate fiebat.

Prout diversus erat contracti conjugii ritus, diversa quoque erant nomina conjugiorum, et conjugium. Nam confarreatione contractum, et matrimonium et nuptiæ proprie appellabatur, sicut et uxor proprie, et materfamilias, et nupta, a velamine ad obnubendam sponsam adposito. Coëmtione contractum proprie non nuptiæ, sed matrimonium appellabatur, quemadmodum uxor dicebatur non nupta, sed materfamilias, seu matrona. Conveniebat hoc nomen formæ stipulandi, et promittendi adhibitæ in ea contrahendi conjugii specie, qua primum mulier incipiebat sub matris nomine alienæ familiæ inferi, et novum munus in se adsumebat, l. 15 § 15 ff. de injur., l. 182 et 195 § 2 ff. de verbor significat., unde ab eadem femina novum munus, et nomen assumente, *matrimonii* vocabulum derivavit. At si conjugium usu contractum fuisset, concubinæ quidem nomine ante annum, et uxoris post annum vocabatur mulier, non matrona, non materfamilias. Ad rem Cicero in Topicis: *Si ita Fu-*

biæ pecunia legata est a viro, si ea uxor materfamilias esset, si in manum viri non convenerat, nihil debetur. Genus est enim uxor, ejus duæ formæ. Una matrumfamilias, hæ sunt, quæ in manum convenerunt; altera earum, quæ tantummodo uxores habentur Sed postquam ab usu recesserunt variæ illæ conjugiorum formæ; et nuptiarum, et matrimonii, et conjugii, imo et connubii, quod olim significabit jus contrahendi more institutoque Romanorum, præterea et nuptæ, et matrisfamilias, et uxoris nomina promiscue sumta fuerunt, l. 33 ff. de negot. gest., Ulpianus in fragment. tit. 5 § 2 et sequentibus.

Insuper prout diversi olim erant contractorum conjugiorum ritus, diversi etiam proficiscebantur juris effectus. Siquidem uxor, quæ farre ducebatur, omnino in potestatem viri de potestate patria penitus liberata transibat. Id expresse indicat Ulpianus in fragmentis tit. 9 ibi; *Farre convenitur in manum*, quod idem est, ac dicere in mariti potestatem transferri, quod et clarius explicat Tacitus lib. 4 Annalium, ubi scribens de flamine, qui farre conjugium contrahere, ut modo notatum est cogebatur, inquit: *Et quando exiret de patrio jure, qui in flaminium adscisceretur, quæque in manum flaminis conveniret etc.* Neque a vero aberraret qui huc quoque referret rescriptum Diocletiani et Maximiani in l. 3 cod. de emancipat. liber., ubi generaliter traditur, liberos *actu solemni* a patria potestate liberari, cujus actus solemnis nomine præter imaginarias illas venditiones, et emptiones, quasi memorat Cajus in suis institutionibus lib. 1, tit. 6, § 4, venire etiam poterat celebritas nuptiarum. Eodem modo quæ ducebatur uxor coëmtione, et materfamilias dicebatur a potestate paterna liberabatur, in potestatem viri deducta. Si enim imaginaria venditio filiæ per æs et libram facta fictitio emptori filiam eximebat a nexu patriæ potestatis, juxta doctrinam Caji modo commemoratam, qui fieri poterat, ut non liberaret venditio non inanis, per quam maritus, et uxorem, et certa uxoris bona sub dotis nomine per es et libram coëmere dicebatur? Ad rem Ambrosius in lib. de exhortatione ad virgines ita scribebat: *Quoniam quæ nupserit, ad servitutem pecunia sua venditur, meliori conditione mancipia, qua conjugia comparantur: in illis meritum servitutis emitur, in istis pretium ad servitutem additur;* et Cicero in Topicis ajebat: *Cum mulier viro in manum conveniebat, omnia, quæ ejus fuerant, viri fiebant dotis nomine*, cui consonant Catullus de parentibus filias suas coëmtione marito tradentibus ita scribens: *Qui genero sua jura simul cum dote dederunt*: Hinc factum est, uti observavit jam Boëtius ad Topica Ciceronis, mulierem materfamilias loco filiæ viro fuisse; quo sensu, et non aliter, ego interpretor Ulpianum, dum in l. 4 ff. de his, qui sunt sui vel alieni jur., postquam tradidit, patresfamiliarum esse, qui sunt suæ potestatis, dixit simili modo matresfamiliarum nominari, nimirum ut indicaret, matres familias esse a patris potestate liberatas: quo etiam referendos est idem jureconsultus, dum in l. 46 § 1 ff. de verb. signif. matrem familias dixit eam, *quæ non inhoneste vixit matrem enim familias a ceteris feminis mores discernunt, atque separant: proinde nihil intererit, nupta sit, an vidua, ingenua sit, an libertina; nam neque nuptiæ, neque natales faciunt matremfamilias, sed boni mores;* quasi diceret, matrisfamilias nomine donari tantum eam, quæ ob morum honestatem non concubinati, sed solemni formula ducta esset, sive adhuc nuptiæ consisterent, sive nuptiæ jam dissolutæ fuissent; honor enim, et dignitas matrisfamilias honesto conjugio delata, eodem conjugio dissoluto non amittebatur, nisi tum demam, cum mulier ab honestate vitæ deflexisset. Hinc præterea factum est, ut uxore mortua, in ejus bonis quasi in bonis filiæ, maritus succederet, uti notavit Cicero pro Flacco; atque e converso ut marito defuncto uxor veluti filia ab hereditate mariti abstinere diceretur, l. 14 et 41 § 14 ff. de fideicom. libertat. propterea quod et uxor sua heres marito esset, uti scripsit Ulpianus in fragmentis tit. 22 § 14 ibi: *Sui autem hæredes sunt liberi, quos in potestate habemus, tam naturales, quam adoptivi, item uxor quæ in manu est, et nurus, quæ in manu est filii, quem in potestate habemus;* et sua heres adgnascens testamentum rumperet, uti iterum tradit ibidem Ulpianus tit. 23 § 3 ibi: *Agnascitur suus heres, aut agnascendo, aut adoptando aut in manum conveniendo.* Hinc insuper factum puto, ut nulla posset inter maritum et uxorem donatio consistere, exemplo donationis a patre in filium collatæ; ut uxor diceretur in familia viri, et sacrorum familiarum haberet communionem; nec furti conveniri, ac si esset filia, posset si res mariti abstulisset, l. 1 ff. de ritu nupt., l. 1 ff. rer. amot. l. 4 cod. eod. tit., juncta l. 17. ff. de furtis. Hinc itidem factum est, ut quemadmodum quod filio in potestate existenti administrandum concedebatur, peculium dicebatur, ita peculium diceretur mulieris, paraferna ejusdem bona, quæ non sicut dos ad maritum devolvebantur, l. 9. § 3 ff. de jure dot. l. 51 § 1 ff. de donation. Hinc denique puto factum, ut jureconsulti traderent, libertam quæ adhuc esset in familia patroni, l. 195 § 1 ff. de verbor. signif., matrisfamilias honestatem non habere, si non a patrono, sed ab extraneo duceretur, quasi non omnino solutam a nexu patronalis potestatis, l. 41 § 1 ff. de ritu nuptiar. Quæ vero mulier usu

in matrimonium conveniebat, donec completa non esset usucapio, ea manebat in potestate paterna, quod deficeret mancipationis solemnitas; tantum enim videbatur concessum marito officium caussa ducendorum liberorum, quod contestatio significabat; eove minus desinebat in potestate patris esse concubina sine contestatione ducta; nam hujus generis matrimonia uti justa non erant, idest legum publicarum auctoritate non undique probata, ita minime pariebant omnes juris civilis effectus, eandemque ob rem, nec domicilium mariti uxor sortiebatur, l. penult. § ult. ff. ad municipal., neque ad mariti successionem etiam testamentariam admittebatur, l. 41, § 1, ff. de testam. milit., l. 14 ff. de his, quæ ut indign., l. 9 cod. communia de succession., quamquam ei verbis indirectis legati, vel fideicommissi quidquam relinqui posset, l. 35 ff. de auro et argen. leg., atque, si res viri sustulisset, furti actione tenebatur, l. 17, ff. rerum amotarum. Tantum ubi usu matrimonium cœperat, viro concedebatur, quod initio, seu in limine contestationis inter mulierem, patremve ejusdem, et virum pactione conventum fuerat, argumento l. ult., ff. de in rem verso, et l. 60. § 3, ff. mandati. Hæc ratio erat, quare passim parentes, ad quorum potissimum officium pertinebat filias in conjugium dare, caussa retinendæ nec abdicandæ patriæ potestatis curarent, ut filiæfamilias non jungerentur aut farre, aut coëmtione, sed usu, quem etiam identidem interrumpebant, argumento l. 1, § 5, ff. de lib. exib., l. 11 cod. de nuptiis, ne uxor usucaperetur a marito, et in mariti potestatem deduceretur. Quæ omnia cum minus honesta essent, sive quod facile conjugia dirimerentur, aut turbarentur paterna voluntate, sive quod clam, et veluti furtim conjugia fierent, prætor, uti superius adnotabam, novam disciplinam de conjugiis contrahendis induxit, qua fieret ut hinc maritali honori, ac potestati, illinc potestati etiam paternæ consuleretur. Nam omissa vetere formula mancipationis, quæ venditionis instar erat, simpliciter facta fuit conventio in manum viri jure honorario consistens, seu prætoriis solemnitatibus constituta, quibus fieret, ut mera uxoris rerumque uxoriarum possessio in maritum transferretur, non directum dominium, jus aut potestas, quæ penes patrem ex jure Quiritium remanebat, l. 20 ff. ad leg. jul. de adulter., tum vero proprie locari filia marito dicebatur, actionibus tantum utilibus in eum translatis, non tradi et mancipari. Hinc quoad certos juris effectus videbatur uxor in paterna, quod alios in mariti potestate; neque enim repugnabat, filiam duplici jure censeri in diversis caussis, eodem fere modo, quo et duplici jure peculium esse poterat penes servum, l. 19, § 1 ff. de peculio, et duplici jure venire poterat tutor adversus testamentum, l. 22 ff. de his, quæ ut indignis. En caussam, quare tradi deinde cœperit, uxorem ad utramque familiam, paternam scilicet, et maritalem pertinere, l. 1, § 15 ff. ad senat. cons. Silan. Quæ omnia ut accurat distinguantur, observatur primo in iis, quæ matrimonii caussam minime spectabant, mulierem habitam fuisse, tamquam paternæ potestati adhuc obnoxiam. Sic soluto matrimonio reincidebat filia in integram patris potestatem, quasi cessante utili, et prætoria potestate mariti, pater pristina penitus jura recuperaret, unde sine consensu patris vidua filiafamilias non poterat secundas nuptias jure contrahere, l. 18 ff. de ritu nuptiar. l. 7 cod. de nuptiis. Sic etiam filia dicta non fuit amplius sua heres marito, sed patri, l. 12 et 17 cod. de collationibus, quamquam prætor quibusdam in casibus, ut certas juris veteris reliquias conservaret, bonorum possessionem uxori dederit in bonis defuncti mariti, l. un. ff. unde vir, et uxor, ubi nomine justi matrimonii illud intelligitur, quod jure prætorio contractum fuisset, l. un. cod. eod. tit., l. 9. ff. de legat. 3. Observandum est secundo, in iis, quæ ad conjugium pertinebant, aut ex caussa conjugii proficiscebantur, vix attentam fuisse patriam potestatem, et veluti sui juris mulierem habitam; tantum ratio erat maritalis potestatis. Hinc bona uxori quæsita ex liberalitate mariti, patri non adquirebantur, l. 1, cod. de bon. quæ liber., quamquam dos a patre profecta, ad patrem soluto matrimonio reverteratur, l. 4 cod. soluto matrimonio. Item cogebatur mulier esse in mariti officio, data potissimum marito utili actione ad exhibendum contra eum, qui mulierem abduxisset, adeo ut etiamsi abducens esset pater, contra eum quoque competeret utilis actio, quæ in ea caussa potior erat actione directa, quæ patri competere potuisset, l. 1, § 5, l. 2 ff. de lib. exhib. l. 11 cod. de nuptiis. Observandum est tertio, in iis quæ paternum simul, et maritale decus spectabant, et patrem, et maritum una concurrere potuisse, cujus rei exemplum perspicuum est in actione injuriarium adversus nuptam filiamfamilias illatarum, quæ et patri, et marito concedebatur, l. 1, § ult., l. 18, § 2 ff. de injuriis. Quoties hæc singula accurate, uti decet, perpendatur, commodius extricari inde possunt difficultates universæ, præsertim de dominio dotium, in quas cum inciderint jureconsulti disputationes gravissimas concitaverunt quando enim alicubi dicitur, maritum fuisse dominum alicubi uxorem, seu patrem uxoris filiæfamilias, facile poterunt, et explicari, et conciliari varia juris loca, si ad diversa conjugiorum genera respiciatur, quæ in usu apud veteres Romanæ erant, imo et ad diversas

dominiorum qualitates, et causas, quarum apud veteres eosdem Romanos ratio habebatur. Equidem fateor, ea, quæ hodie nobis supersunt, juris romani monumenta, et mutila esse, forte etiam recentiorum manu, qui vetera recentioribus moribus adcommodare voluerunt, depravata, et obscuris tenebris pleraque obvoluta, unde nec facile, nec tuto in iis possit ordo temporum deprehendi. Verum id dandum est Triboniano, qui cum ætate sua nosceret, jamdiu in desuetudinem abiisse veterem disciplinam, et varios memoratos conjugiorum contrahendorum ritus, nullum ordinem servavit, minusque accurate se gessit, tantum nobis in iis, quæ reliquit, monumentis quædam exhibuit, ex quibus veterem disciplinam variis vicibus fuisse obnoxiam intelligeremus, quod ex aliorum scriptorum præsidio intelligimus. Hinc autem, quod perspicuis undique testimoniis ad singula demonstranda, quæ tradita sunt, et ad certas consignandas temporum notas in multiplici conjugiorum forma destituamur, veniam mihi datum iri confido si in tanta veterum notitiarum obscuritate quædam tantum indicare potui, non ad rem in luce apertissima collocandam, sed ad densiorem, in qua obruta jacet, caliginem paullisper diluendam.

Itaque, ut ad propositum revertar, quo primum tempore christiani antistites vera religione et Christi servatoris fide romanum populum imbuerunt, conjugiorum formam eam passim servari noverant, qua, uno excepto minus honesto concubinatu, prætorio jure, et cum effectibus a prætore constitutis matrimonia contrahentur. Abolitus jam fuerat ritus farris, quem jam Tiberii Cæsaris tempestate singularem fuisse diximus apud flamines. Abolita jam erat coëmtio nimiis juris ambagibus noxia, et a prætore in nitidiorem quandam et cultiorem formulam immutata. Abolitus denique fuerat usus, et quidem paullatim, et sensim. Siquidem in primis contestatio in ea conjugii forma necessario obeunda, fieri desiit apud aruspices, quorum munus christianis indignum erat, deinde etiam fieri desiit publicis tabulis, ac testimoniis, præsertim post abrogatam legem papiam, quæ unicuique obligationem conjugii, et liberorum suscipiendorum imposuerat; ac tum sufficiebat, conjugum animum vicinis, aut aliis notum fuisse, l. 9 cod. de nuptiis. Tum vero si quod conjugium etiam sine contestatione fieret, facile justum conjugium præsumebatur, quod facile unusquisque sibi persuaderet, conjugium illud, animumque liberorum suscipiendorum, vicinorum, vel aliorum quorumdam conscientia teneri. Et quando matrimonium ad sacramenti dignitatem fuerat Christo Domino elevatum, curaverunt sacri antistites, ut certo vere divino ritu matrimonium sanctificaretur, et sive celebrandum esset prætoria testium solemnitate, ac stipulationibus, sive iisdem solemnitatibus omissis, nuda contestatione seu expressa, seu tacita, quæ solo consensu fiebat, ita ad conjugium celebrandum deveniretur, ut nihil desideratur, quominus vir et uxor gratiam a Christo promissam consequerentur. Jam ergo ab antiquissima ætate viguit; ut matrimonia contracturi se coram sacerdotibus sisterent; apud quos consensum suum exprimerent, et divina nuptiarum benedictionem peterent, impetrarent; quod facile liquet ex iis sanctorum patrum testimoniis, quæ superius exhibui, quum demonstrabam, matrimonium merito inter sacramenta novæ legis recenseri. Inter ceteros Tertullianus in lib. 2 de pudicitia c. 4 ajebat. *Penes nos occultæ conjunctiones, idest priusquam apud Ecclesiam sunt professæ, juxta mœchiam, et fornicationem judicari periclitantur.* Ex eo autem factum est, ut præter concubinatum, de quo mentionem fecit S. Augustinus in can. 6, cau. 32 qu. 2, et cujus nulla fere publica ratio habebatur, duplicis generis conjugia contrahentur, quorum aliud solemne appellaretur, aliud clandestinum; nimirum solemne, quod sacris ceremoniis ab Ecclesia probatis perficeretur, et clandestinum, quod nudo consensu, et sine ecclesiasticis solemnitatibus inter conjuges fieret, etiamsi nihil omitteretur ex iis, quæ publico civili jure præstituebantur, quales erant prætoriæ stipulationes, aut protestatio liberorum suscipiendorum vel expressa, vel tacita ex facto emergens, aut etiam dotales tabulæ, quas licet Gallicani Antistites intercedere exoptaverint aliquando, can. 6, caus. 30 quæst. 5, non tamen generaliter intervenire necesse erat, l. 22, cod. de nupt., l. 11, cod. de repud., nov. 22, cap. 3 et 18, nisi in certis casibus, qui recensentur in l. 23 cod. de nupt., in nov. 89 cap. 8, et in can. 12, caus. 32, qu. 2. Imo tot erant clandestinorum conjugiorum genera, quod fere erat solemnitates, quæ omitti in conjugiis poterant. Hinc clandestinum dicebatur matrimonium, seu si benedictio sacerdotalis desideraretur, seu si ceremoniæ reliquæ sacræ defuissent, seu si omissæ fuissent denunciationes post lateranense concilium receptæ, uti suo loco dictum est, seu si patris consensus in conjugio filiifamilias non accessisset, et in similibus speciebus, quas enumerat Antonius Augustinus in notis ad collectionem 4. Decretalium ad tit. de clandestino matrimonio.

Et quidem quæcumque clandestina conjugia perpetuo ecclesia improbavit, ea præsertim, in quibus nulla sacerdotalis benedictio intercessissent, can. 33, dist. 23, can. 8, cau. 30 qu. 5, adeo ut conjugia sacerdotali prece non consecrata prope ad mœchiam, et fornicationem accedentia ab aliquibus haberentur, juxta phrasim a Tertulliano modo laudato usurpatam; quod qui putant, sacerdotem esse sa-

cramenti ministrum, ideo dictum crediderunt, quia omissa sacerdotali benedictione frustrarentur contrahente Christi beneficio; idest sacramento, et gratia sacramentali. Imo et Ecclesia sacram quandam formam sacro ritui accomodavit, de qua mentionem fecit S. Isidorus, et Nicolaus I, in can. 3 et 7, cau. 30 qu. 5, quibus addi potest concilium Troslejanum anni 909, cujus sententia legitur in can. 4, cau. 60 qu. 5. Apud Francos media ecclesiæ ætate passim in ecclesiasticis comitiis cautum est, ut nonnisi publice, et in ecclesia, nuptiæ fierent. Sic in capitulari vernensi sub Pippino rege anni 755, cap. 15, legimus: *Ut omnes homines laici publice nuptias faciant, tam nobiles, quam ignobiles*; et in capitulis Herardi Turonensis cap. 130. *Ut nullus occulte nuptias faciat;* et in lib. 6 capitularium capite 133. *Nec sine publicis nuptiis quisquam nubere presumat*; et denique in lib. 7, capite 179, cui consonat concilium Troslejanum cap. 8 et Isaac Lingonensis in tit. 5, cap. 6, sancitum est, ut *publicæ nuptiæ ab his, qui nubere cupiunt, fiant.... Sed prius conveniendus est sacerdos, in cujus parochia nuptiæ fieri debent in ecclesia coram populo etc.* Num vero irrita etiam perpetuo conjugia fuerint clam contracta, non una definitione concludi potest. Primis ecclesiæ sæculis adhuc matrimonium consistebat, quæcumque solemnitas defuisset, l. 3, cod. Theod. de nupt. ibi: *Si donationum ante nuptias, vel dotis instrumenta defuerint, pompa etiam, aliaque nuptiarum celebritas omittatur, nullus æstimet ob id deesse, recte alias inito conjugio, firmitatem, vel ex eo natis liberis jura posse legitimorum auferri.* Quæ jurisprudentia nondum discisso imperio constituta, ac firmata: in occidentali æque, atque in orientali ecclesia obtinuit. Justinianus imperator in parte a theodosiana lege recessit, in parte eandem confirmavit; nam in nov. 74, cap. 4, in dignitate constitutis nuptiæ fierent, quam publice, et ad quandam orationis domum coram ecclesiæ defensore, intervenientibus tribus, aut quatuor clericis, et facto inscriptis rei gestæ monumento, ita ut si ea forma non intercederet, irritæ nuptiæ forent; ceterum non ita servandum voluit in nuptiis inferiorum, et obscurarum personarum, illorumque, qui armatæ militiæ nomen dedissent. Jungatur novella 117 cap. 4. Hæc jurisprudentia in oriente tantum promulgata, non fuit recepta in ecclesia occidentali. Imo et ipsi orientales ab Justinianea disciplina recesserunt, passim deinde universis sine ulla solemnitate matrimonia contrahentibus. Hinc Leo philosophus imperator non tam justinianeam legem restituit, quam ampliavit ad omnes hominum conditiones, statuens, ut matrimonia sine sacerdotali benedictione contracta nullius momenti forent, una etiam et concubinatus obscuritatem damnavit, nihil amplius medium relinques inter cœlibatum, et legitimum ratumque matrimonium, nov. 89. In occidente, ubi neque novella Leonis recepta fuit, prisca disciplina Theodosii Magni diu servata est, donec Isidorus Mercator sub nomine Evaristi scripserit, omissis solemnitatibus conjugium legitimum esse non posse, et verius *adulterium, contubernium, stuprum, ac fornicationem* nominari, can. 1, cau. 30, qu. 5. Frustra investigaretur, an clausulæ istæ vim decreti irritantis habeant, quoniam non de legitimo monumento agitur, sed de solemni impostoris mendacio. Tantum dico, plurimos recentiorum sæculorum scriptores, qui Mercatoris epistolas tanquam germanas habuerunt, ita credidisse; nimirum non dubitaverunt adfirmare, eos decreto mercatoris irritum factum esse conjugium, si sine solemnitatibus ecclesiasticis celebratum fuisset. Ex his fuit Hincmarus Remensis in opuscolo de divortio Hlotarii, et Tetbergæ; cui morem gessisse videtur Nicolaus I, in can. 4 caus. 31, qu. 2, nonnulli e contrario contra senserunt, quibus scilicet persuasum non erat, aut eam Evaristi epistolam auctoritate pollere, aut eam moribus esse recipiendam; quamobrem sæculo undecimo, duodecimo, et sequentibus usque ad tempora concilii Tridentini, dummodo consensus viri et mulieris non deeset matrimonia consistebant etiam sine ulla solemnitate facta, adeo ut etiam conjugia præsumpta admitterentur, in quibus scilicet conjugum, de quibus ageretur, consensio non appareret expressa, sed ex quibusdam factorum adjunctis præsumeretur, cap. 11, de præsumt., cap. 21 de sponsal., cap. 3 de clandest. despons. Ecquidem lateranense concilium disciplinam publicarum denunciationum induxerat; sed quoniam decretum irritans novæ constitutioni adjectum non fuerat, passim negligi cœpit, iterumque clandestinis conjugiis multi vacabant. Deducta res fuit ad tridentinum concilium, in quo cum agniti fuissent varii, et perniciosi abusus, qui ex clandestinis conjugiis emergebant, præsertim quod qui contraxissent, se contraxisse inficiarentur, et ad secundas, ulterioresque nuptias non sine insigni perfidia libere se posse transire confiderent, quoniam de prioribus non constabat, quod et suis temporibus jam lugebat Justinianus in nov. 74, cap. 5, certa matrimoniis forma statuta fuit, quam omnes sequerentur, nemo negligeret, ses. 24 de ref. matrim. capite 1.

Primam hujus decreti partem superius interpretatus sum, quum de denunciationibus agerem. Nunc expendenda est altera pars, in qua nuptiarum solemnitates, ritusque consistunt. Initio professi sunt Tridentini Antistites, *dubitandum non esse, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata, et vera esse matrimonia, quamdiu ec-*

clesia ea irrita non fecit: ex quibus verbis liquet, caute noluisse antistites illos definire quæstionem, an, et quo tempore, et quibus in provinciis aliquando receptum fuerit in ecclesia, ut clandestina matrimonia irrita haberentur, ne tanquam legitimum habere viderentur monumentum supra a me commemoratum, et Evaristo tributum, neque pro ecclesiastica undique recepta disciplina eorum traditionem haberent, qui eo apocrypho monumento innixi clandestina conjugia tanquam olim irrita existimabant, contenti generaliter definivisse, clandestina conjugia olim vera et rata, idest non irrita, fuisse, *quandiu ecclesia irrita non fecit*. Deinde ad novam instituendam disciplinam progredientes statuerunt, ut factis denunciationibus, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie ecclesiæ procedatur, ubi parochus viro, et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: *ego vos in matrimonio conjungo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum. Ampla hæc fuit constitutionis forma; sed cum deveniendum foret subjiciendum decretum irritans, conceptum hoc fuit contractioribus verbis, nec nisi ad certas species cœrcitum. Nimirum cautum est, ut qui aliter, quam præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, vel ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, matrimonia contrahere attentabunt, ii a sancta sinodo ad sic contrahendum inhabiles redditi, et hujusmodi contractus irriti, ac nulli habeantur. Facile exinde colligitur, hodie duplicis generis ritus ex tridentina constitutione agnosci oportere, quorum alii ad assentiam conjugii spectent, quibus nimirum omissis irritum matrimonium sit; alii ad solemnitatem tantum pertineant, quibus omissis illicitum quidem, nisi legitima dispensatio accesserit, conjugium sit, non irritum, et inane. Essentialia conjugio sunt; primum, ut contrahentes consensum suum exprimant, secundo, ut parochus, vel alius sacerdos de parochi ipsius, vel ordinarii licentia præsens sit; tertio, ut tres, vel duo saltem testes interveniant. Cetera, uti est parochi interrogatio, sacerdotalis benedictio, et similia, quæ in manualibus ecclesiasticis præscribuntur, pertinent tantum ad ritus solemnitatem. Concluserunt in fine dicti capitis 1. Antistites tridentini his verbis: *Decernit insuper, ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis in eadem parochia facta numerandos*. Ex quo deducitur, adhuc in præsentia firmitatem habere conjugia sine solemnitatibus in tridentino concilio præstitutis, nimirum sine præsentia parochi, et testium contracta, in iis locis, in quibus necdum fuit tridentina ista constitutio promulgata; quod adeo verum puto, ut eadem conjugia valeant, etiamsi unus ex sponsis tantummodo de ea provincia sit, in qua tridentina constitutio non est promulgata, dummodo in eadem provincia matrimonium celebretur. Finge nunc speciem. In aliqua provincia promulgatum fuit tridentinum decretum. Qui ibidem commorantur, ejectis catholicis parochis apud hæreticos defecerunt, eamque ob rem universi matrimonia contracturi tridentinas solemnitates minime servant, sed mores sectæ suæ sequuntur. Dicemusne irrita conjugia, ut, si forte conjuges ii ad ecclesiam revertantur, tamquam omnino liberi a conjugali nexu habeantur? Difficilis sane est hujus rei definitio; quoties enim verbis legis inhærendum sit, non erit dubitandum, quin illa conjugia irrita habeantur. Ceterum si æquitatem inspicias, conjicere licebit, ad hanc singularem speciem tridentinos patres non respexisse, nec verosimiliter voluisse generali decreto illam contineri quemadmodum respectu Hollandiæ, et Belgii declaratum est sub Benedicto XIV anni 1741, uti habetur in ejus bullario tom. 1, numero 34. Quod si prætérea quæratur, an liceat catholicis qui apud infideles vel hæreticos domicilium habent, post contracta coram parocho suo juxta ritum ecclesiasticum matrimonia, adire confirmandi conjugii caussa publicum infidelem vel hæreticum ministrum, ut legi publicæ in ea provincia obtinenti obtemperent, respondit Benedictus XIV in lib. 6 de synodo diœcesana cap. 7 licere, dummodo tamen infidelis, aut hæreticus ille minister conjugio adsit, ut minister politicus, non vero ut minister addictus sacris, ne catholicis in rebus sacris cum infidelibus, vel hæreticis ullo modo communicent.

Oportet ergo in primis, contrahentes consensum suum exprimere, quam ad rem non amplius hoc in loco commemoro, quæ superius tradita sunt, de iis, qui utpote consensus incapaces, aut consensu libero destituti, matrimonium contrahere dici non possunt, quales sunt impuberes, amentes, furiosi, atque his similes, item qui vi et metu adiguntur. Neque commemoro hoc in loco, consensum debere esse purum, nullaque conditione suspensum, quod superius etiam, cum de consensu sponsalium agerem, uberi oratione explicavi. Tantum addo, nihil in primis referre, an verbis, an signis æquipollentibus, dummodo certis et perspicuis, consus exprimatur, argumento cap. 23 de sponsal. Quod si quisquam certis quidem verbis utatur, quæ deinde ipse subdole dubia fuisse dicat, velitque propterea a conjugio resilire semper adversus ipsum resilire volentem capienda erit interpretatio, quoties quæ protulit verba, palam apud audientes eam acceperunt juxta morem provinciæ significationem, quæ animum

contrahendi conjugii præseferret, cap. 7 de sponsalibus. Deinde adjicio, nihil referre, an præsens quis verbis consensum exprimat, an absens literis, et per procuratorem. Qua tamen in specie quædam sunt observanda; et primum, neminem admittendum esse, tamquam procuratorem ad conjugium alterius nomine contrahendum, si tantum instructus sit generali mandato, propterea quod requiratur mandatum speciale, quo non tantum conjugii contrahendi caussa, verum etiam persona conjugis, quacum conjugium rite contrahendum sit; specialiter demonstretur, cap. ult. de procurat. in 6, quod etiam consonat priscæ Romanorum disciplinæ, l. 34 ff. de ritu nuptiar.; secundo, in hac mandati specie singulari jure receptum esse, ut procurator constitutus alium procuratorem substituere nequeat, nisi et hoc specialiter ipsi concessum adpareat, dicto cap. ult.; tertio, procuratorem nihil agere, si antequam matrimonium celebret, revocatum fuerit mandatum, licet tam ipse, quam ea, quacum contraxit, revocationem ejusmodi penitus ignoraret, dicto cap. ult.; quarto eo etiam minus matrimonium consistere, si ante celebratum matrimonium mandantem mori contigerit, utpote cessante mandantis voluntate; cujus observationis utilitas eo spectat, ut ex eo conjugio, utpote irrito ex defectu consensus nullum oriatur justitiæ, ut ajunt, publicæ honestatis impedimentum; quinto denique, procuratorem quidem admitti posse facilius respectu viri, difficilius respectu fœminæ, quod veteres jureconsulti adnotaverunt: nam Pomponius in l. 5 ff. de ritu nupt. ajebat: *Mulierem absenti per literas ejus, vel per nuncium posse nubere placet, si in domum ejus deduceretur, eam vero, quæ abesset, ex literis, vel nuncio suo duci a marito non posse;* et Paullus in lib. 2, sentent. tit. 19, § 5. *Vir absens uxorem ducere potest, foemina absens nubere non potest;* quod cavere maxime erat opportunum, ut fraudibus et circumventionibus, quibus sane facile obnoxiæ ob sexus infirmitatem mulieres redderentur, locus quicumque præcluderetur. Et quamquam ecclesiastici canones nihil in hac parte expresse constituerint, sufficit tamen, nihil eisdem contra decretum fuisse, ut recta juris interpretatione concludamus, adhuc romani juris disciplinam, quousque moribus abrogata non demonstretur, esse servandam. Ex his autem omnibus constat, nonnisi perraro, et gravissima de caussa admittenda esse a parochis hujusmodi procuratorum officia, ob frequentes, quæ ex illis suboriri possent; contentiones, præsertim etiam, quod verosimile admodum videatur, conjugia per procuratores contracta interea sacramenta non esse, uti superius virorum gravissimorum testimonio comprobatum est.

Oportet præterea ex tridentino decreto, aut parochum, aut sacerdotem alium de ipsius parochi, vel ordinarii licentia, esse præsentem, quod ad solemnitatem refertur essentialem, qua deficiente matrimonium irritum est. Parochi in primis nomine usi fuerunt patres tridentini in singulari, uti grammatici loquuntur, non in plurali; proindeque si contingat, duos matrimonium contrahere, quorum unus uni, alter alteri parocho subsit, alterutrius parochi præsentia sufficiet, in utra parochia matrimonium celebretur; quamquam in aliquibus diœcesibus statutum fuerit, ut honestius coram parocho sponsæ conjugium celebretur. Videsis Fagnanum ad cap. *Quod nobis* de clandest. despons. Quod vero dicitur de alio sacerdote de licentia ordinarii, id locum habet in ea facti specie, qua ordinarius dignis de caussis coram parocho non celebrari matrimonium prudenter arbitretur, propereaque illud officium alteri sacerdoti committat. Et quidem tridentini patres parochi, aut alterius sacerdotis de ejusdem parochi vel ordinarii licentia, præsentiam ideo matrimonio essentialem voluerunt, non quod omnino voluerint, ad firmitatem actus, benedictionem sacerdotalem requiri, aut quod certam jurisdictionis speciem parochis exercendam mandaverint, sed ut matrimonium publice fieret, omnino improbatis clandestinis sponsorum conjunctionibus, ex quibus olim multa in christianam rempublicam incommoda emergebant. Quamobrem receptum in primis est, parocho, utut needum sacerdote; præsente valere conjugium, uti tradit Barbosa de offic. et potest. Parochi parte 2, cap. 21, num. 60, quamquam aliud sit in eo, qui præsens sit ex mandato parochi, vel ordinarii, quem sacerdotio initiatum esse necesse est, ob perspicua concilii tridentini verba, ibi: *vel alio sacerdote.* Nemo autem putet, verba illa *vel alio sacerdote* supponere etiam in parocho sacerdotii dignitatem; nam similes formulæ alibi in concilio tridentino habentur, quæ hunc seu similem sensum minime recipiunt, ut in cap. 19, sess. 24 de reform. ibi: *et aliis singularibus personis.* Item receptum est, valere conjugium, etiamsi parochus rite non institutus fuisset, puta quia forma concursus in adsecutione beneficii servata non fuerit, dummodo contrahentes parochum illum legitime institutum esse putarent: imo etiamsi interdictus esset, suspensus, excommunicatus, aut etiam irregularis, dummodo non depositus, neque a reali beneficii possessione dejectus. Amplius etiam receptum est, ut in hac specie nomen parochi, quo præsente conjugium celebrandum est, latissime accipiatur. Non solum enim siquis in duplici parochia æque domicilium habuerit, coram alterutro parocho, in cujus parochia eo tempore moretur, sed etiamsi quis in alia parochia domicilium utut minime diuturum constituerit, dummodo fraudis suspi-

eo absit, et animus sit in eo loco diu permanendi poterit matrimonium contrahere coram parocho ejusdem domicilii, quod habitationem potius in facto consistentem, quam domicilium, et jus domicilii proprie appellaremus. Quamobrem tradunt pragmatici, sufficere quatuor mensium spatium, ut quis dicatur quoad hunc effectum in parochia domicilium contraxisse. Non autem similiter receptum est, ut sufficiat præsentia parochi originis, ne eo pretextu publicæ matrimonii celebrationi fraus fiat, scandalumque oriatur apud eos, qui in certa diœcesi aut loco quosdam sese tanquam conjuges habere deprehendunt, quos non ibidem constat publice matrimonio junctos fuisse. Neque similiter receptum est, ut valeat matrimonium contractum coram eo parocho in cujus parochia quis ex accidenti reperiatur, brevi reversurus, puta caussa recreationis, aut simili, neque enim hic dici potest, ibidem habitationem contraxisse. Hinc ut exemplis clarius demonstrem regulam modo traditam, dico receptum esse, ut prætor, aut judex certa in provincia, urbe vel oppido constitutus etiam ad certum tempus, possit matrimonium contrahere in ea parochia, in qua caussa magistratus, vel officii degit, quasi cum habeat permanendi propositum, domicilium nanciscatur. Sic etiam medicus ad certum tempus publice accitus, ut certo in loco moretur, et habitet. Sic quoque puella in orphanotrophio, vel simili religioso loco alta, atque educata dicitur domicilium contraxisse in ea parochia, in qua religiosus locus situs est; quod ipsum dici posset de puella, quæ in monasterio educationis caussa moratur, quæque si conjugium sit ibidem contractura, coram parocho loci, in quo monasterium situm est, contrahere deberet, nisi hodie episcoporum solertia passim fieret, ut puellæ istæ contracturæ extra monasterium exeant, et ad paternam domum, cujus domicilium adhuc retinent, reversæ ibidem potius conjugium celebrent. Sic præterea qui studiorum caussa in aliqua urbe morantur, etiam in hoc proposito ibidem habere domicilium intelliguntur. Sic insuper quicumque in certa domo habitant famulatui addicti, coram eo parocho rite contrahent, in cujus parochia famulantur. Neque aliud dicendum est de iis, qui ad certum tempus jussu principis, vel sententia magistratus in certum locum relegati fuerunt, argumento l. 22, § 3, ff. ad municipalem. Quod ipsum admitti oportet respectu eorum, qui ad certum tempus carceri post sententiam in pœnam delicti mancipantur, quamquam id verum non sit in iis, qui tantum custodiæ caussa in carcere morantur, quousque criminis objecti quæstio fiat, et criminalis caussa sub judice pendeat. Quid vero dicendum est de vagis, qui nullum certum domicilium habent? Ne confundamus vagos cum peregrinantibus. Etenim peregrinantes dicimus illos, qui a domicilio suo quidem abscedunt facto, animo tamen domicilium retinent, et interea ad certa loca remota se conferunt, absoluto itinere reversuri; vagos e contrario dicimus illos, qui et facto, et animo domicilium deseruerunt, nullibi stationem figentes, huc illuc sine ullo morandi proposito transmigrantes, l. 27, § 2, ff. ad municipalem. Peregrinantium parochus semper ille censetur, in cujus parochia adhuc animo domicilium retinent, at parochus vagorum ille intelligitur, in cujus parochia actu consistunt, licet animus desit illi commorandi, propterea que ubicumque, etiam dum in transitu sunt, matrimonia rite contrahunt. Ceterum ad avertenda quæcumque pericula, servandum parochis imminet decretum tridentinum de vagis expresse conceptum in sess. 24, de reform. matrim. cap. 7, quo præcipitur, ne vagorum matrimoniis parochi intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad ordinarium delata ab eo licentiam celebrandi conjugii obtinuerint, ne alias forte emergat, ut vagi iidem multa ineant conjugia in injuriam sacramenti. Quod tamen non pertinet ad essentialem conjugii formam; siquidem parochus non obtenta ab episcopo facultate, si nihilominus vagorum matrimoniis intersit, extra ordinem ab episcopo punietur, non matrimonium irritum ex eo erit, nisi aliud obsit. Porro quod dicitur in laudato cap. 1, tridentino, parochum, vel alium sacerdotem de ejusdem parochi, vel ordinarii licentia debere esse præsentem, id ad formam conjugii pertinet, quin sufficiat, parochum conjugii sine sui præsentia initi factum conscium, conjugium, licet statim, et vix post quandam intercedentem moram, ratum habere; quemadmodum nec sufficeret, si conjugium initum fuisset coram alio sacerdote sine parochi, vel ordinarii licentia, quod gestum deinde ratum parochus, vel ordinarius haberet, uti enim recte ait Barbosa de officio episcopi parte 2 alleg. 32, n. 129. *Etsi regulariter ratihabitio retrotrahatur, et mandato comparetur, tamen ubi lex, vel statutum præsentiam requirit corporalem, ratihabitio sequens non sufficit ad actum validandum.* Præsentem dicimus parochum, vel alium sacerdotem de ejusdem parochi, vel ordinarii licentia, cum ipse intelligere possit, atque testari, vere conjuges in matrimonium consensisse, neque enim requiritur ad matrimonii firmitatem, aut parochum expresse ad eum finem advocari, aut consentire, sed tantum sufficit, eum humano more intelligere, quid agatur, etiamsi forte invitus detineatur, et contradicat, aut etiam, si affectet se non intelligere; propterea quod in tridentino concilio non aliter matrimonium irritum esse decernatur, quam si non fuerit parocho præsente contractum. Quod

conforme est regulæ, quam in non absimili specie tradebat Florentinus in l. 209, ff de ver. sign. ibi: *Coram Titio aliquid facere jussus, non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat .... Scire autem, non etiam velle is debet, nam et invito eo recte fit, quod jussum est.* Consonat lex. 27, § 5, lex. 47, in fine, lex. 49, ff. de receptis, et canon 15, caus. 3, qu. 9.

Oportet denique ex tridentino concilio, tres, aut duos saltem testes præter parochum præsentes esse: præsentes inquam, neque enim requiritur, ut aut sint expresse rogati, aut volentes accesserint, quemadmodum modo dicebam de præsentia parochi tantum sufficit, testes ipsos, quid agatur, humano more intelligere, argumento dicti can. 15, cau. 3, qu. 9, l. 27, § 5, l. 47, in fine, l. 49, ff. de receptis, et l. 209, ff. de verb. signif. Quod autem attinet at ceteras testium qualitates, cum nihil singulare definitum fuerit in tridentino decreto, colligere juvabit, quoscumque eo officio fungi recte valere, dummodo natura non prohibeantur, scilicet dummodo mentis compotes sint, et intelligant quid inter contrahentes agatur.

Sunt istæ solemnitates, ut ajebam, conjugio essentiales: alii supersunt explicandi ritus, vel ex eadem tridentina lege, vel ex generali Ecclesiæ constitutione, vel ex diœceseon, ac provinciarum moribus recepti, quibus quidem sine legitima dispensatione omissis illicitum est matrimonium, non tamen irritum et inane. Respiciunt isti vel locum, vel tempus, vel personas contrahentium, et parochorum, vel ipsas contrahendi conjugii ceremonias, quales in vulgatis ecclesiarum manualibus exibentur.

Locum respicit, quod passim traditur, non in privatis domibus, sed in ecclesia, idest in loco sacro, conjugium celebrari oportere, sive ob dignitatem, et cultum sacramenti, sive ut conjugium solemni et publico ritu celebratum videatur; id enim consonat menti tridentinorum patrum, qui in dicto cap. 1, dixerunt, ad celebrationem matrimonii *in facie Ecclesiæ* procedendum esse, nisi parochus prudenter in certis adjunctis expedire videat, ut privatim conjugium fiat. Imo ubi synodalibus constitutionibus episcoporum expresse cautum est, ut non nisi in loco sacro conjugium celebretur, aut ubi etiam sine expressa constitutione synodali idipsum legitima consuetudo induxerit, dispensationem episcopi accedere necesse erit.

Quod ad tempora contrahendorum conjugiorum pertinet, scio quidem, perpetuo constitutum in Ecclesia fuisse, juxta Paulli Apostoli institutiones, ut certis temporibus a conjugio abstineretur; non possum tamen probare illorum traditionem, qui opinati sunt, aliquando irrita etiam fuisse matrimonia eisdem temporibus contracta. In medium ipsi proferunt testimonium Petri Damiani in epist. 11. lib. 5, ita scribentis: *Censura canonica nuptias illicitis temporibus institutas remoto omni scrupolo dividit;* juxta quæ Christianus Lupus in tomo 1 Conciliorum pag. 43, antiquæ editionis adfirmare non dubitavit: *Quod contractum extra tempora coniugium fuerit omnino substantialiter nullum fateor cum Sancto Petro Damiano.* Revera nullum omnino Ecclesiæ Canonem reperire fas est, quo ea conjugia fuerint irritata. Tantum scimus, indictam eo tempore conjugum separationem, nunquam dissolutionem conjugis quemadmodum liquet ex universis propemodum antiquissimis monumentis, quæ congessit Gratianus in cau. 33, qu. 4. Quod si Petrus Damiani familiari stilo, qualis decebat epistolam, usus dixit, iis temporibus *nuptias dividi*, id improprie intelligendum est, quasi diceret, conjuges fuisse divisos; hac enim potius formula usi fuerunt veterum canonum auctores apud Gratianum relati in loco nuper commemorato; neque sufficit ad matrimonium irritandum, præcisum aliquod Scriptoris Ecclesiastici testimonium minus stricta loquendi formula elaboratum in medium proferre. Itaque Ecclesia indixit saluberrime, ne certis temporibus nuptiæ celebrarentur, tum nimirum, ut generaliter dicam, cum pœnitentiæ, et luctui sacro singulari dandam operam a fidelibus ecclesia jubet. Si enim vel apud æthnicos inopportunæ, et mali ominis nuptiæ videbantur publicæ mœstitiæ tempore, quemadmodum tradit Ovidius in lib. 5. Fastorum, referens a nuptiis abstinendum fuisse, cum Majo mense justa ferrentur defunctis, quæ Remuria, seu, uti alii scribunt, Lemuria appellabantur, ibi:

Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
    Tempora; que nupsit, non diuturna fuit.
Hac quoque de caussa (si te proverbia tangunt)
    Mense malas majo nubere vulgus ait;

potiore sane jure, non superstitioso, ut male feriati aliqui tradiderunt. damnati in concilio tridentino ses. 24, de sacr. matrim. can. 11, sed religioso cultu certa tempora ecclesia statuit, quibus a nuptiis abstineretur. Olim ea tempora designabantur a septuagesima usque in octavas paschatis, item tribus hebdomadibus ante festum S. Joannis Baptistæ, et ab Adventu Domini usque post Epiphaniam, can. 10. cau. 33, qu. 4. Quod dicitur de tribus hebdomadibus ante festum S. Joannis, intelligendum est de tribus hebdomadibus, quæ incipiunt ab hebdomada dominicæ Adscensionis, et finem habent in hebdomada, quæ sequitur solemnem diem Pentecostes, quemadmodum definitum videtur in cap. 4, de feriis, ex quo præterea deducitur, in variis ecclesiis varios fuisse ritus, ac consueto-

dines. Hodie utimur jure, quod constitutum est in concilio tridentino ses. 24, de ref. matrim. cap. 10, quo præcipitur, ab adventu Domini usque in diem Epiphaniæ, et a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive antiquas nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari, aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permissum. Ad interpretationem tridentini decreti vulgaris est et theologorum et canonistarum opinio, tradentium, temporibus memorato decreto designatis non prohiberi matrimonium simpliciter coram parocho contrahi, sed tantum prohiberi nuptiarum solemnitates, idest solemnem et publicam traductionem sponsæ ad domum sponsi, et solemnem benedictionem inter missarum solemnia faciendam. Fagnanus ad capitulum *Cappellanus* de feriis. Tantum indicant scriptores aliqui, in nonnullis diœcesibus ob singularia Synodorum statuta, vel probatas singulares consuetudines, receptum esse, ut parochi non audeant, ne minus quidem solemniter, benedicere matrimoniis, iis temporibus, nisi obtenta ab episcopo dispensatione. Vulgarem istam traditionem dicere quidem possum consonare cum generali quadam inducta recentiorum sæculorum consuetudine, quam ob injurias temporum non omnino damnavit concilium tridentinum, quando in ses. 24, de sacram. matrim. can. 11, illud interdictum retulit ad *solemnitatem nuptiarum*, quarum etiam mentionem fecit in capite 10, ejusdem ses. de ref. matrim. Verum si priscos Ecclesiæ canones, quibus spiritus Ecclesiæ panditur, quis investiget, agnoscatque, interdicti caussa meam esse, propterea quod non deceat publicæ pœnitentiæ tempore uxoriæ rei vacare, forte concluderet, exoptandum saltem, ut antiqua saluberrima disciplina restituatur. Quod, si quæratur, a qua ora incipiat tempus adventus Domini, vel feria quarta Cinerum, mihi admodum placet illorum opinio, qui scripserunt, tempus adventus incipere a vesperis, quæ dominicum diem antecedunt; sed feriam quartam Cinerum incipere a media nocte, qua finis est feriæ tertiæ præcedentis; id enim admodum congruit ecclesiastico ritui in divinorum officiorum celebratione. Quamobrem, nisi aliud in aliqua provincia, vel diœcesi singulari consuetudine receptum sit, ità servandum esse videbitur.

Quod personas vel parochi, vel contrahentium spectat, munus imminet parocho, ut denunciationes faciat, nisi fuerit ab episcopo dispensatum, quemadmodum superius dictum est; ut investiget, etiam ipsos contrahentes interrogando, an aliquo detineantur impedimento, an libere ad contrahendum conjugium accedant, an in christianæ fidei rudimentis instructi sint, et ecclesiastica sacramenta statis ab ecclesia temporibus susceperint, insuper eos moneat, ut debita cum reverentia ad sacramentum suscipiendum accedant. Quod si agatur de iis jungendis, quorum uterque licet domicilium in parochia contraxerint, ex aliis tamen locis advenerint aut quorum unus ex alia parochia sit, præsertim si etiam sit ex alia diœcesi, non aliter ad celebrationem conjugii progredietur, etiamsi denunciationes publice in Ecclesia fecerit, quam si certior redditus ab episcopo fuerit, constare, nihil obesse eidem matrimonio contrahendo, propterea quod saluberrima consuetudo hodie recepta est, qua et advenæ, et exteri, antequam matrimonium contrahant, teneantur apud episcopum fidem facere authenticis monumentis, se nullo impedimento teneri.

Denique quod spectat ipsas contrahendi conjugii ceremonias, non opus est, easdem singulas hoc in loco recensere, quando in vulgatis ecclesiæ manualibus apertissime describuntur. Tantum duo sunt singulari observatione digna. Quorum primum est, in rituali romano præcipuam haberi rationem formulæ a parocho pronunciandæ his verbis. *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*; quæ veluti forma sacramenti existimantur ab iis qui parochum sacramenti ministrum esse opinantur; at non exinde improbandæ sunt damnandæve aliæ formulæ, et diversæ, quæ in variis provinciis vigent juxta receptos uniuscujusque diœceseos mores. Quamobrem prudentissime tridentini Patres in dicto cap. 1, sess. 24, de ref. matr., parochis indixerunt, et uterentur illis verbis: *Ego vos in matrimonium conjungo etc, vel aliis verbis juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum.* Alterum est, duplicis generis esse ritus ecclesiasticos ad nitidiorem sacramenti administrationem prestitutos. Alii enim spectant simplicem matrimonii benedictionem, quæ in ipso contrahendi conjugii actu semper est perficienda, et non sine delicto omitteretur; alii spectant benedictionem solemnem, et quæ fit cum oblatione sacrificii statis publicis, et coram populo precibus in missa parochiali. Hæc autem solemnis benedictio in secundis nuptiis omittitur ex antiquissimo ecclesiæ præscripto; quemadmodum et in nuptii tempore feriato contrahendis; etsi enim episcopi cum quibusdam ex caussa dispensent, ut matrimonium contrahant tempore feriato, in dispensatione tamen monent parochos, ut ab ea solemni benedictione abstineant. Item etiamsi saluberrimum consilium sponsis alias non impeditis præbeatur, ut hanc solemnem benedictionem a parocho petant, precepto tamen ad eam petendam non adiguntur, data præterea ipsis facultate, ut eam vel eo tempore petant, quo conjugium celebratur, vel in aliud commodius tempus differant, dummodo non sit diuturnum.

QUÆSTIO I.

An filiifamilias matrimonium contracturi, parentum, in quorum sunt potestate, petere et obtinere consensum necessario debeant?

Reverentia, et obsequium parentibus ipsa præcipiente natura exhibendum a filiisfamilias perpetuo postulavit, ut non aliter filiifamilias conjugia contrahant, quam si eorundem parentum consensus accedat. Hinc jure optimo Justinianus princ. instit. de nuptiis ajebat, non civilem solum, sed *et naturalem rationem suadere*, ut filiifamilias sine præcedente parentum consensu conjugia minime contrahant; neque enim de levi negotio agitur, sed de eo, a quo plurimum res familiaris, ac domestica, patris officio a natura commissa, prope universa, imo et familiæ ipsius si parentibus ex ipso naturæ instinctu sperata perennitas pendet. Eam ob rem etiam miles filiusfamilias, qui ceteroqui solemnitatibus juris Quiritium immunis fere erat, ad contrahendas sine parentum consensu nuptias non admittebatur, leg. 35, ff. de ritu nuptiar., propterea quod militia neminem a naturali erga parentes obsequio liberabat, leg. 1, ff. de obsequ. parent. et patron. præst. Neque alia fuit virorum ecclesiasticorum sententia; nam concilium tridentinum ad perpetuam disciplinam, et constantem mentem ecclesiæ respiciens, can. 1, 3, 4, 5, caus. 30, quæst. 5, can. 12, in fine, can. 13, 14, caus. 32, quæst. 2, cap. 3, qui matrim. accus., epistola 2, Basilii ad Amphilochium can. 4, can. 22, concilii Aurelianensis IV, anni 541, expresse declaravit, ejusmodi matrimonia ex justissimis caussis detestata semper fuisse, atque interdicta, sess. 24, de reform. matrim. cap. 1. Jus civile Romanorum naturalibus institutionibus illud amplius adjecerat, ut non possent iniri conjugia ab iis quorum, parentes non tantum non consentirent, sed nec consentire possent, quemadmodum contingebat in eo casu, quo pater furiosus esset, aut amens, aut longe absens diuturno tempore; tamquam in hac re non constans fuerit Romanorum disciplina: primum enim infirmitati muliebris sexus consultum est, ut nubere puellæ sine patris furiosi aut amentis consensione liceret, deinde et id protractum est ad filios masculos, imo et ad eum casum, quo diuturna, et ultra triennium prorogata parentum absentia fuisset, princ. instit. de nupt., l. 9, princ. et § 1, l. 10 et 11, ff. de ritu nuptiar., l. 12, § 3, ff. de captiv. et postlimin. rev. quod si intra triennium paternæ absentiæ matrimonium contractum fuisset, adhuc licitum habebatur, si certum fuisset, revertentem patrem nuptias non improbaturum, dicta leg. 11, ff. de ritu nupt., quasi sufficeret, patrem non contradicere, l. 7, § 1, ff. de sponsal. Exceptio quoque ad generalem regulam probata est in filiabus, quas pater in matrimonio collocare negligeret, vel detrectaret; ex quo receptum fuit, ut quoties filiafamilias, non tamen vidua, jam vigesimumquintum annum excessisset, libere nubere etiam sine patris consensione valeret, quin opus haberet confugeret ad magistratus quod parum honestum videretur ob ingenitam sexus verecundiam, puellam de ea re in judicio adversus patrem contendere; quasi nonnisi inique pater conqueri de contractis puellæ nuptiis posset, qui de gravi negligentia redarguebatur, leg. 18 et 20, cod. de nupt., nov. 115, cap. 3, § 11. Paullo aliter receptum erat in filiis masculis: cum enim isti in paternam familiam uxores sibi junctas ducturi essent; et filios patri suos procreaturi, necessario patris consensum obtinere debebant; tantum facultas iisdem concedebatur, ut quoties injuria matrimonium contrahere a patre prohiberentur, conquererentur ipsi apud publicos magistratus, quorum officio mandatum erat, ut patrem cogerent ad consentiendum, quemadmodum et ad dotandam filiam, si jam post legitimum vigintiquinque annorum ætatem sponte nupsisset, cui conditionem quærere pater neglexisset, leg. 19, ff. de ritu nupt. leg. ult. ver. *neque enim* cod. de dotis promissione. Parentum nomen in hac re multo latius juxta naturalem honestatem, quam juxta civilis juris effectus, intelligitur. Etenim natura, quæ generaliter rationem habet reverentiæ, et obsequii in parentes præstandi, eos omnes complectitur pro unusquisque gradu et modo, quibus obsequium debetur; ac propterea etiamsi pater filium emancipaverit, vel etiamsi de matre agatur, de avis quoque seu paternis, seu maternis, consensio illorum erit eatenus adhibenda, quatenus invicem non repugnent, et eo honestius, quo propius attinguntur, vel quo majus etiam obsequium unicuique debetur, eamque ob rem passim honestissimum illud habetur, cuique nihil desiderandum supersit, conjugium, quod omnium fuerit unanimi consensione comprobatum. At juris civilis conditores, qui ob difformes hominum animos non adeo facile sperare poterant tantam in unoquoque conjugio animorum consensionem, atque consilii unitatem, contenti fuerunt contractiore quadam regula, qua saltem servata matrimonium justum ac legitimum dici posset. Nimirum concesso singulari jure patri, aut avo paterno, quos tanquam familiæ principes honoratiores haberi decebat, quod jus patriæ potestatis appellaverunt, justum esse matrimonium dixerunt quod celebratum fuisset eo consentiente, qui filium in ea potestate haberet, uti est avus paternus, vel pater; imo nec sufficere consensum

avi paterni, sed requiri prætereа consensum patris, si in hujus potestatem filius avo mortuo casurus esset, leg. 16, § 1, ff. de ritu nuptiar., ex qua explicari debet lex. 2, ff. eodem titulo tum demum absolventes filium ab obligatione petendi paterni vel aviti consensus, cum emancipatione sui juris effectus fuisset, leg. 10, ff. de sponsal. leg. 2 et 25, ff. de ritu nuptiar., leg. 3, § 5, ff. de bonor. possess. cont. tab., l. 12, 18 et 20, cod. de nuptiis.

Perspicua hæc sunt, atque extra omnem dubitationis aleam posita; ex quibus deducitur, illicitum esse conjugium a filiofamilias contractum, si temere parentum consensio non fuerit requisita, et si, exceptis memoratis negligentum parentum speciebus non accesserit. Utrum vero conjugium deficiente eadem consensione contractum etiam irritum habitum aliquando fuerit, id in disputationem venire solet. Profecto si hodiernam disciplinam spectemus, quæ in trid. concilio fundamentum habet, non dubitandum est, adhuc ea conjugia consistere, quoniam expresse id definitum legimus in cap. 1, sess. 24, de ref. matrim. Insuper si tantum regulam naturalis juris inspiciamus, nihil erit, quod vim conjugii infirmet, neque enim agitur de illis præceptionibus, quæ spectant aut conjugii substantiam, aut directos conjugii fines, sed potius fundamentum habent in generali lege reverentiæ et obsequii exhibendi. Tota dubitatio refertur ad veteres Romanorum leges, et passim disputatur, an quoniam ab iis statutum est, haberi præcipuam rationem et quidem maximam patriæ potestatis, irritum foret olim conjugium, quod contraxisset filiusfamilias sine ejus consensione, in cujus esset potestate. Non defuerunt viri clarissimi, et in juris romani studio apprime, et magna cum laude versati, qui tradiderunt, ea quidem conjugia non justa fuisse, idest non habuisse omnes juris civilis effectus, qualis erat patria potestas ex jure Quiritium, aut jus suitatis in hereditatibus, atque his similia; adhuc tamen firma constitisse, quasi ad unam naturalis juris simplicitatem exacta, nec ulla positiva lege rescissa, atque damnata cujusmodi, ut exempla proferam, erant apud Romanos conjugia, peregrinorum, servorum, et ancillarum. Ita senserunt Cujacius in lib. 35, Paulli ad edictum ad l. 2 et 10, ff. de ritu nuptiar. et Dionysius Gothofredus ad legem *filius* ff. eod. tit. Hanc opinionem plurimum juvaret liber. 2, sententiarum Paulli tit. 19, in illis verbis: *Eorum, qui in potestate patris sunt, sine voluntate ejus matrimonia jure non contrahuntur, sed contracta non solvuntur; contemplatio enim publicae utilitatis privatorum commodis præfertur*, quasi diceretur, prætextu privatorum commodorum, qualia sunt patris gratia jus patriæ potestatis, et liberorum gratia jus suitatis, non esse dissolvendum conjugium contra bonum publicum ex firmitate conjugiorum emergens. Verum qui contra sentiunt ajunt, ex hoc testimonio parum firmum posse elici argumentum, propterea quod ipsi dicunt, ea verba falso fuisse inter sententias jureconsulti Paulli relata, verius autem tribuenda esse Aniano, quia ea inseruit in suis notis at codicem theodosianum editis temporibus Alarici Gothorum regis. Mihi ea opinio admodum placet; atque etiamsi ea verba Aniani sint, non Paulli, quando Anianus veterem disciplinam Romani fori callebat, ejus potius, quam recentiorum, traditionibus morem gerere non indecorum est, ubi præsertim non constat in jure civili romanorum ea conjugia fuisse penitus improbata. Revera certissimum est, apud romanos duplicis generis agnita fuisse conjugia; utraque sane firma, quorum alia justa appellabantur, idest omnes juris Quiritium effectus sortita, alia injusta, quæ ad normam naturalis juris exigebantur, quin damnarentur, etiamsi juris Quiritium effectus non haberent. Hanc distinctionem expresse tradidit Ulpianus in l. 13, § 1, ff. ad leg. Jul. de adulter., cum scripsit: *Plane sine justa uxor fuit, sive injusta, accusationem instituere vir poterit; nam et Sextus Cæcilius ait, hæc lex ad omnia matrimonia pertinet.* Quid igitur prohibet, quominus uxorem a filiofamilias patre non consentiente ductam, veram uxorem utut injustam, fuisse dicamus? Neque his repugnat Ulpianus idem, dum in eadem lege § 6, scribit, non posse filiamfamilias sine consensu patris ductam accusari jure viri de adulterio, quando post conjugium admisisset adulterium, deinde vero ob subsequentem patris consensum justum matrimonium esse cœpisset. Non enim tradidit Ulpianus, eam muliere adulterii insimulari non potuisse, sed potius denegandam accusationem, propterea quod in ejus justas nuptias consentiente patre iterum consentiendo, vir reducendo eam prioris matrimonii delicta abolevit, uti in non absimili specie idem Ulpianus respondit in § 9 et 10, ejusdem legis. Profecto, quæcumque juris loca adparent, ex quibus illud conjugium non probari deducitur, omnia de justis nuptiis concepta sunt, quin proferri in medium possit monumentum quo conjugium dicatur omnino damnari. Ait Paullus in leg. 11 ff. de statu hominum, eum qui vivente patre et ignorante de conjunctione filiæ conceptus est, licet post mortem avi natus sit, *justum* filium ei, ex quo conceptus est, esse non videri. Ait Gajus in leg. 3, ff. de his qui sunt sui, vel alieni juris, in potestate nostra esse liberos nostros, quos ex *justis* nuptiis procreaverimus *quod jus proprium Civium romanorum est.* Ait iterum Paullus in l. 2, ff. de ritu nuptiar. *nuptias*

consistere non posse, nisi consentiant omnes, idest, qui coeunt, quorumque in potestate sunt. Nuptiarum autem nomen tantum ad conjugia justa refertur, argumento l. 24, ff. eod. tit., quod et clarius expressit Julianus in l. 18, eod. tit. ibi: *Nuptiæ inter easdem personas, nisi volentibus parentibus renovatæ, justæ non habentur*, et Modestinus in l. 25, eod. tit. dum scripsit filium emancipatum sine consensu patris posse uxorem ducere, ad juris civilis effectus respexit, cum subjunxit, eam ob caussam filium ei heredem extiturum. Similiter interpretari debemus Justinianum in princ. instit. de nuptiis, dum docebat, sine consensum parentum nuptias iniri non posse, præsertim quod *justarum* nuptiarum se tradere regulas initio profitebatur; quin negotium facessat § 12, eod. tit. ubi concludebat imperator: *Si adversus ea, quæ diximus, aliqui coierint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ nec matrimonium, nec dos intelligitur.* Aut enim hæc verba non omnes casus in eo titulo commemoratos comprehendunt, sed eos tantum, qui ad cognatorum conjugia referuntur in § 1, et sequentibus, aut de justis tantummodo nuptiis intelligenda sunt, ut conveniant cum exordio Justiniani, de *justis* nuptiis se sermonem habere profitentis; secus dicendum esset, neque ullo modo constitisse ex doctrina Justiniani aut servorum, aut peregrinorum conjugia, quando ea sanctio æque refertur ad conjugia servorum, et peregrinorum, ac ad conjugia filiorumfamilias sine parentum consensione contracta. Itaque nullibi constat, ea conjugia fuisse espresse damnata, aut irritata, tantum justorum conjugiorum nomine non donata. At in ea re, quæ sine decreti irritantis adjectione firma semper est, ubi ex sui natura non in irritum cadat, nunquam dicere possumus, nihil actum esse, ubi de decreto irritante non constat. Unum adhuc argumentum meo judicio non leve adjicio depromptum ex l. 3, § 5, ff. de bonor. posses. cont. tab., juncta l. 6, § 1, ff. de bonor. posses. Species proponebatur in l. 3, de filio emancipato, qui uxore ducta sine consensu patris filium susceperat, et susceptus filius ad bonorum possessionem avi defuncti prædefuncto patre venire volens admissus est. Cum autem in bonorum possessione concedenda Prætor emancipationem insuper haberet, imo et officio suo rescinderet, ut dicitur in dicta l. 3, et dicta l. 6, non quidem ad civiles effectus, sed ad naturalem æquitatis caussam, et eo res reduceretur, quemadmodum si nunquam filius e potestate paterna exisset, si nepos ex nuptiis ignorante avo contractis susceptus adhuc admittebatur ad bonorum possessionem; colligere recte possumus, naturali saltem jure, quod prætor sequitur, rescissa emancipatione, matrimonium constitisse. Quæ cum ita sint, facilius intelligitur, quare Ecclesia tanquam sacramenta, si nihil aliud obsit, agnoverit conjugia filiorumfamilias sine parentum consensione contracta; ut enim id fiat, sufficiebat, contractum conjugii non irritari legibus, et consistere intra naturæ fines, etiamsi non haberet omnes civilis juris effectus, quemadmodum superius adnotabam, quum de servorum et peregrinorum conjugiis agerem.

QUÆSTIO II.

De occultis matrimoniis, quæ paucorum conscientia tenentur, seu quæ matrimonia conscientiæ *vulgo dicuntur.*

Expedit quidem generaliter, matrimonia solemniter celebrari, adeo ut nihil desideretur quod aut sacramenti dignitati conveniat, aut decori familiari, quod enitet in uxore ducta et matrefamilias constituta, nec non in liberis susceptis, paterne nobilitatis et jurium aliquando futuris successoribus. Id tamen perpetuum non est, cum certa identidem emergant in familiis adjuncta, quæ postulant, generalem solemnitatum legem remitti. In pluribus Germaniæ locis recepta sunt conjugia quædam, quæ appellantur *ad morganaticam*; eaque ut plurimum contrahuntur a nobilibus viris, qui defuncta uxore, post liberos ex ea susceptos, aliam sibi conjugem inferioris generis adsciscunt ea lege, ut ea conjux, liberique ex eo matrimonio suscipiendi nihil sibi juris ex eo conjugio adquirant, præterquam ad ea, quæ eorum alimentis sunt necessaria; propterea que excludantur ab honoribus, muneribus, et titulis, quæ ex matrimonio undecumque justo adquiri alias possent, lib. 2 feudor. tit. 26, § 5, vers. *filii*. et tit. 29. Privatim hæc conjugia contrahi solent, obtenta a publicis denunciationibus dispensatione, quamquam coram parocho, et testibus, ut decretis tridentinis satisfiat. Non multum ab eisdem distant ea matrimonia, quæ appellantur *conscientiæ*, et quandoque contrahuntur in variis provinciis. Nimirum ea sunt, in quibus non tantum omittuntur legitima interveniente dispensatione denunciationes, verum etiam privatim contractus initur coram parocho vel sacerdote ad eam caussam specialiter delegato, item duobus testibus familiaribus, ac fidelibus amicis, fide ab eisdem præstita, ut secretum illum conjugii actum nemini patefaciant, ob quasdam, quæ subesse possunt, gravissimas caussas. Fiunt hæc vel obtenta ab episcopo facultate, vel obtenta indulgentia in romana pœnitentiaria. Non est dubitandum, quin ex his conjugiis plura olim incommoda emergerent. Nam cum nullum in scriptis fieret contracti matrimonii monumentum, sed omnia penes fidem parochi, aut sacerdotis, et testium, qui conjugio præsentes fuerant, remane-

rent, occultum omnino matrimonium erat, seu quod mortuo parocho, aut sacerdote, item defunctis testibus, de conjugio constare non poterat, seu quod parochus, aut sacerdos, et testes juxta fidem secreti datam nemini conjugium patefacerent. Nonnulli inde ob eam caussam post contractum hujusmodi matrimonium alia publice contrahere nemine facile opponente audebant; alii vitæ communione, quæ conjugio natura cohæret, abstinebant, vel ubi communem vitam cum uxore ducerent, vulgi factum ignorantis obtrectationibus obnoxii erant. Præterea liberi ex eo conjugio suscepti, præsertim semoti a parentibus, minus pie, minusque liberaliter educabatur, et incertis fortunæ casibus subjiciebatur, præteriti parentum testamentis, atque ad intestatas successiones ob defectum probationis natalium non admissi; nisi etiam parentes ipsi contra naturæ leges ausu nefario illorum vitæ insidiarentur. Quandoque etiam contingebat, ut clerici in minoribus ordinibus constituti ita conjugia contraherent, et nihilominus beneficia aut pensiones pridem obtentas retinerent, non facile spoliandi, propterequod in judicio demonstrari non poterat, iis juribus ob contractum matrimonium cecidisse. Non visum est opportunum, ob istas utut gravissimas caussas hæc conjugia penitus abolere, quum aliquando contingat, ut expediat, eadem ob certa gravia adjuncta permitti. Ceterum quasdam cautiones constitui saluberrimum visum est, quibus, quoad fieri posset, memoratis abusibus consuleretur. Quamobrem Benedictus XIV, in sua constitutione anni 1741, diè 17, novembris, quæ est. 35, in tomo 1. Bullarii, decrevit, ut episcopi in primis ea matrimonia permissuri sedulo invigilarent, nequid contra honestatem, aut disciplinam ecclesiasticam, præsertim clericalem, admitteretur, deinde ut in libro secreto in episcopali curia adservando, et sigillis obsignato, acta matrimonii adnotarentur, quo pro rei opportunitate uti possent ii, quorum interest, imo et episcopi ipsi, quoties expedire bono publico noverint. Imo et eam formam servari mandavit, ubi dispensatio petita et impetrata fuerit in pœnitentiaria romana, in sua constitutione anni 1744, idibus aprilis num. 95, in tomo 1, ejusdem Bullarii. Quod si in Pænitentiaria Romana petatur, non solum ut hujusmodi conjugium contrahi possit, sed etiam ut dispensetur in foro conscientiæ ab aliquo impedimento, quod contrahendo conjugio obesset, præsertim ex crimine proficiscente, obtinet, ut duplex rescriptum a romana pœnitentiaria impetretur, quorum primo dispensetur ab occulto eodem impedimento, et quo executioni mandato, atque juxta morem lacerato, nullum supersit monumentum dispensationis; altero permittatur celebratio occulti matrimonii, et quod supersit in archivio episcopali relatum in laudatum librum secretum, et sigillo munitum, ad perennem rei gestæ, ubi opus sit, demonstrationem.

DISSERTATIO SEXTA

DE CONJUGII RITE CELEBRATI EFFECTIBUS.

Contracto legitime conjugio nonnulla proficiscuntur jura, quæ vel ipsos invicem conjuges, vel prolem inde susceptam respiciunt. Ad conjuges ipsos primum spectat, quod scribit Apostolus in epist. 1, ad Corinth. cap. 7, *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*: ad quam rem utar formulis S. Fulgentii in epist. ad Gallam cap. 3, ita scribentis: « Justitia utendi conjugio hæc est, ut non explendæ libidinis, sed substituendæ prolis obtentu sibi conjuges congruo tempore misceantur. In illis namque bonis, quæ fecit Deus, invenitur casta copulatio uxoris et viri, in quibus Dei operibus libido non potest inveniri; nec aliquando justitiæ congruit, quæ non hominibus ex dono conditionis, sed peccatoribus ex vitio primæ prævaricationis accessit. Sed quia sine illa in corpore mortis hujus proles humana non seritur, non eam affectant conjugia casta, sed tolerant, eique imponit nuptialis honestas modum, sine qua non potest in carne peccati, naturalis explere fœcunditatis officium... Quocirca si conjugalis usus eatenus temperetur, ut proventum nasciturae prolis attendat, et cum nata fuerit, diluendam celerius spirituali regeneratione non negligat, non deputatur fidelibus conjugibus ad peccatum,

« carnis indulta commixtio, quia et conjugalis servat confœderatio castitatem, et verecundia custodit modesta temperiem, et Deo « dicandam conjugalis exhibet fœcunditas prolem, ut Redemptoris ope homo jam natus « reformetur baptismatis sacramento, cujus « opere prius formatur in utero et illum habeat humana natura beneficio secundæ nativitatis patrem, quem in prima nativitate « suæ conditionis agnoscit auctorem. » Multa paucis complexus est sanctus vir, quæ et in eadem epistola persecutus est, verbis sane ad modestiam gravitatemque compositis ad quæ unusquisque confugere commode poterit, ubi in hujus generis quæstionibus versaretur. Ad duas generales præceptiones res hæc universa reducitur; quarum prima est, ut honeste, altera, ut temperanter conjuges matrimonio utantur. Honeste in primis, quo spectat, ut noverint ipsi, se sine culpa alio spectare non posse, quum ad bonum nasciturae prolis, cujus si voluntas desit, nemo a delicto penitus immunis habendus est; deinde temperanter, quo spectat, ut noverint iidem, certa esse tempora, quibus ab usu conjugii sit abstinendum. Non mea hæc est, sed Paulli apostoli, sanctorumque patrum apostolum communi consensione sequentium doctrina; in cujus conspectu qui tradiderint, consilium in hac re potius, quam præceptum versari, ipsi viderint; ego enim plurimum vereor, ne forte nimium conjugibus blandiantur. Non omittam quasdam sanctorum virorum sententias heic describere, ex quibus quid judicandum sit, studiosum lectorem omnino latere non possit. Ait Apostolus in epist. 1, ad Corinth. cap. 7, allocutus uxorem et virum: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi;* ut indicet, conjugii usum impedire, ne animus libere in Deum, et res divinas intendat; quod autem dicit *ex consensu*, eo refertur, ut tum consensus utriusque conjugis requiratur, quum ex consensu tempus sit eligendum, quo liberius orationi vacetur. Ceterum ubi tempora hæc abs jure præstituta sunt, frustra consensus privatorum exquiritur. Ita mentem Paulli interpretati fuerunt ecclesiæ patre, et pontifices maximi Innocentius I, in can. 2, dist. 82, ita docet inter cetera: *B. Paullus apostolus ad Corinthios scribit, dicens: abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi, et hoc utique laicis præcipit.* Exhibatur in can. 1, caus. 33, quæst. 4, similis Hieronymi sententia depromta ex quodam sermone de esu Agni, cujus hæc verba sunt: « Ut autem sciatis, fratres « charissimi, quoniam quicumque uxori debitum reddit, vacare non potest orationi, « nec de carnibus Agni comedere; Moysi præcipitur, ut populus, qui adscensurus erat « ad montem Oreb, ante tres dies purificetur, et David cum venisset ad Abimelec « sacerdotem, interrogatus, si mundi essent « pueri, respondit, purificatos esse ab heri, « et nudius tertius. Si autem panes propositionis non poterant ab his, qui uxores suas « tetigerant, comedi, quanto magis panis ille, « qui de cœlo descendit, non potest ab his, « qui conjugalibus paullo ante hæsere complexibus, violari, atque contingi? Non quod « nuptias condemnemus; hoc enim non dicimus; sed quod eo tempora, quo carnes « Agni manducaturi sumus, vacare operibus « carnis non debeamus ». Ecquidem fateor, hanc homiliam vere Hieronymi non esse; verum quæ ibidem adferuntur ad sententiæ probationem ex sacris literis depromta magnam vim habent: deinde si ad germana Hieronymi opera respiciamus, in iis similia quædam inveniemus, dum sanctus vir in sua apologia pro libris editis adversus Jovinianum ita scribebat: *Paullus apostolus dicit, quando coimus cum uxore, nos orare non posse. Si per coitum, quod minus est, impeditur, idest orare, quanto plus, quod majus est, idest Corpus Christi prohibetur accipere?... Diximus in eodem volumine, panes propositionis non potuisse comedere David, et socios ejus, nisi se triduo mundos a mulieribus respondissent; non utique a meretricibus, quod damnabatur a lege; sed ab uxoribus, quibus licite jungebantur.* In canone 2, cau. 33, quæstio 4 generalis est aut Augustini, aut Cæsarii Arelatensis (cum verosimilius adscribendus erat) doctrina, cum dicitur, advenientibus, aut die Natalis Domini, aut reliquis festivitatibus, non solem esse *ab infidelium concubinarum consortio* (legunt alii *ab infelici concubinarum consortio*) *sed etiam a propriis uxoribus abstinendum.* Non memoro canonem 3, eadem caussa et quæstione, ubi sub nomine Ambrosii eadem traduntur, propterea quod viri eruditi sermonem illum ab Ambrosio abjudicant; quemadmodum et ob eandem rationem a referendo canone 4, supersedeo. Potius memorabo alia verba Hieronymi, cujus sententia sub nomine Ioannis Chrysostomi laudatur in can. 6. ead. cau. et quæst. Ita scribit Hieronymus ad caput 2, Joelis. « Egrediatur quoque sponsus de cubili suo, et « sponsa de thalamo suo, ut in tempore jejunii vocationis, et cætus, sanctificationis « ecclesiæ, electionis senum, congregationis « parvulorum, et sugentium ubera, non serviat sponsus et sponsa operi nuptiali, quibus et lege permissum est, ut ad bella non « procedant; unde et apostolus recendendum parumper a coitu præcipit, ut vacare « possimus orationi. Ergo qui in castigatione « victus, et jeiunio, atque eleemosynis dicit, « se agere pœnitentiam, frustra hoc sermone « promittit, nisi egrediatur de cubili suo, et « sanctum parumque jejunium pudica expleat « pœnitentia. » Insuper memorabo capitula

Herardi turonensis episcopi, inter quæ legitur cap. 62. *Et diebus festis jejuniorum a conjugibus se abstineant, et quia non est concessa uxor caussa libidinis, sed filiorum, et omnia prohibeantur illicita, parcaturque a licitis.* Denique inter interrogationes facta Sancti Theophylo episcopo alexandrino, ejusdemque responsiones, hæc habetur: *Interrogatio: Iis, qui matrimonii societate junguntur, in quibusnam septimanæ diebus proponere oportet, ut a mutuo congressu abstineant, et quibusnam potestatem habeant? Responsio: Quod ante dixi, nunc quoque dico; dicit apostolus; Ne fraudate vos invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, et rursus ad idem conveniatis, ne vos tentet Satanas propter incontinentiam vestram. Necessario autem sabato, et die dominico abstinere oportet, quod spirituale sacrificium in eis Domino offeratur.* Quicumque hæc gravissima sanctorum Patrum dicta consideret, nescio, an tuto adhærere possit Gratianæ traditioni, qui post aliquos relatos hujusmodi canones indicta cau. 35, qu. 4, post canon. 11 ita adnotavit: *Hæc autem servanda sunt, si uxor consensum adhibere voluerit; ceterum sine ejus consensu, nec caussa orationis continentia servari debet;* putavit enim imprudens collector id facile se ostendere posse ex duobus canonibus 12 et 13, quos inde commemoravit, quorum prior sancti Augustini est, posterior concilii II arelatensis. At huc non spectat sanctorum antistitum sententia. Imprimis S. Augustinus in dicto can. 12, depromto ex lib. 1, cap. 12, de adulterinis conjugiis, nihil aliud docet, quam libere et ex privata voluntate non licere uni conjugi altero dissentiente abstinere, non vero sermonem instituit de temporibus feriatis publica ecclesiæ lege præstitutis Deinde patres arelatenses de alia caussa loquuntur. Statuerant ipsi in canone 21, publicæ poenitentiæ addictos non solum ab uxoribus abstinere debere, sed et uxoribus mortuis secundas nuptias non posse ullo unquam tempore contrahere. At in sequente can. 22, qui idem est cum dicto canone 13. Gratianeo, statuerint, hujusmodi poenitentias nonnisi consentientibus indicendas esse, eas nimirum, quibus quis perpetua continentiæ lege obstringatur.

Opportunus hic esset locus disserendi de potestate mariti in uxorem, quæ in sacra genesi cap. 2, veluti in adjutorium viri data dicitur caussa regendæ familiæ; ita tamen quemadmodum explicavit apostolus in epist. 1, ad Corinth. cap. 11, et ad Ephesios cap. 5, ut mulier viro tanquam capiti, et familiæ principi subsit, can. 11, 12, 15 et 17, caus. 33, qu. 5, nisi de hac potestate jam in præcedente dissertatione egissem, ubi varias conjugiorum, præsertim apud veteres romanos, contrahendorum formas expenderem. Tantum quasdam enucleabo quæstiones, quæ facile diluentur, si ab eadem superius jacta principia respiciatur. An sponsio ab uxore sine consensu mariti, nam sacri canones eam aliquando resciderunt, ubi quidquam obesse maritali juri, aut ubi mariti aliud interesse deprehendatur, can. 16 et 18, caus. 33, qu. 5, et quidem eodem modo, quo pater certas obligationes a filiisfamilias contractas dissolvere potest, ubi istæ patriam læderent potestatem, quandoquidem, uti diximus, olim pater in maritum jure potestatis patriæ transferebat, deinde vero ob inductam prætoriam contrahendi conjugii formam, utiliter saltem eadem jura maritus potuit explicare. An autem ea de caussa uxor virum quocumque abeuntem sequi teneatur, maxime dubitant pragmatici ob varia, quæ emergere possunt, caussarum adjuncta. Si ab initio, dum conjugium contraheretur, pactum fuit de habitando in certo loco, tum pactioni standum esse videtur, cum legibus eadem non sit improbata, quin obstet lex 71, § 2, ff. de condition. et demonstr., ubi videtur rejecta conditio, ut in certa civitate domicilium legatarius habeat, tamquam ea, qua jus libertatis imminuitur. Siquidem id tum demum verum est, quum illius, qui eam conditione adjecit, nihil interest: Ceterum ubi certa id postulent contrahentium commoda, nihil est, quod conditioni obesse possit; quamobrem ibidem jureconsultus eandem conditionem, si de liberis ageretur, admisit, quia interesse potest patroni, libertum in una potius, quam in alia urbe habitare; quod sane eo convenientius de uxore dicitur, quo aptius dicitur, uxorem esse in familia viri, quam de libertis apud veteres diceretur, argumento l. penult. cod. de oper. libert., juncta l. 2, ff. de libero homine exhibendo. Quod si caussa conventionis tempore celebrati conjugii initæ cesset, aut urgentior alia caussa alio maritum avocet, nihil erit, cur ea conventio adhuc sustineatur, argomento l. 14, 15, et 16, ff. pro socio. At si nullum pactum tempore celebrati conjugii initum proponatur, regula generalis est, uxorem ita teneri, ut maritum quocumque abeuntem sequatur, can. 3, caus. 13, qu. 2, can. 12, et sequentibus caus. 33, qu. 5, argumento leg. 48, ff. de oper. libertor, quæ tamen regula suas habet exceptiones. Quid enim, si maritus, qui tempore nuptiarum certum domicilium, aut sedem habebat, non alio velit domicilium transferre; sed instabili quodam animo huc illuc vaganti corripiatur. Quid si uxor eadem verosimilem capiat conjecturam, futurum, ut, si extra provinciam, in qua degit, proficiscatur, vitæ insidiis, aut ab extraneis, aut etiam a marito paratis fiat obnoxis, aut, quod his proximum est, mutandi domicilii caussa, in gravissimum vitæ, vel salutis discrimen, sive ob itineris difficultates; sive ob compertam aeris inclementiam ad-

ducatur? Quid item, si ad brevissimum tempus maritus sit discessurus? In his aut similibus casibus, non est, cur uxor ad maritum sequendum facile adigatur. Nonnulli addunt aliam exceptionem gratia uxoris, cujus maritus ob crimen admissum in exilium mittitur. Verum non videtur hæc exceptio generaliter admittenda, cum pœna in maritum inflicta, societates atque individua vitæ communione uxorem minime liberet, argumento can. 103, caus. 11, qu. 3, et cap. 31, de sentent. excommunec., neque satis æquo consilio recederet uxor, dum miserabilem damnati conditionem divertendo redderet multo asperiorem, argum. l. 22, § 8, ff. soluto matrimonio.

Ex eo, quod vir uxorem quodammodo habeat in potestate, illud etiam sequitur, uti superius traditum est, ut possit illam adversus detinentem, etiam patrem, vindicare, cap. 11, de sponsalib., item bona dotalia administrare, eisdemque uti ad matrimonalium onerum administrationem, de que jure abunde disserentes juris civilis interpretes unusquisque facile inveniet. Sed et maritus tenetur uxorem alere, argum. cap. 11, de præsumtion., l. 20, § 2, ff. famil. ercisc. l. 7, ff. de jure dotium, l. 20 cod. eod., l. 22, § 8, ff. solute matrim., l. 21, ff. de donat. inter vir. et uxor., l. 11, ff. ut in possession. legator., quod tamen intellige, si uxor a marito non divertat : aut divertat quidem, sed ex justa, probataque legibus caussa, aut demum divertat sine caussa, sed ad maritum deinde redeat, quo postremo in casu a die reditus tantum alimenta a marito seu recipiente, seu reijciente eandem conjugem debebuntur. Hæc quidem certissima sunt, si maritus dotem acceperit, eademque utatur fruatur. Quid vero, si aut nulla ab initio promissa dos fuerit, aut eam dotem, quæ promissa est, nondum maritus acceperit, aut dos, quæ fuit accepta, perierit? Sane cum in nuptiis contrahendis de dote conferenda nihil actum est, eadem marito imminet uxorem alendi necessitas; sibi enim imputet qui duxit indotatam; quod verum est, etiamsi uxor, vel uxoris parentes locupletes sint; quamquam hac in specie nonnulli ex pragmaticis doceant, maritum ex æquo et bono agere posse adversus uxorem, vel ejus parentes (si tamen parentum consensione ducta uxor fuerit minorennis) ut certam dotem marito conferendam constituant, argumento leg. 1, ff. solut. matrim., et l. 28, ff. de relig. et sumt. funer. Cum autem promissa dos fuit, non tamen soluta, plurimum interesse vulgo putant, an ad domum mariti traducta uxor fuerit, an adhuc apud eum maneat, qui dotem promisit, vel ab alio promittendam curavit; primo enim casu, cum non deceat, uxorem jam in familiam a viro receptam expelli, asserunt, maritum ad alimenta teneri; altero autem casu scribunt, nihil imputandum esse marito, qui ideo non traducit alendam uxorem, quia non paritum fuit conditioni tempore nuptiarum adpositæ, quod tamen intelligunt, nisi in diem suspensa dotis obligatio fuerit. Ego vero non possum simpliciter huic opinioni subscribere. Quamquam enim maritus possit agere ad id, quod interest, adversus eum, qui dotem promisit, vel qui ab alio promittendam curavit, interea tamen ab alimentis præstandis excusari non potest, quando ex natura conjugii maritus ad traducendam uxorem adstringitur, et ad eam in consortium omnis vitæ recipiendam; imo et ad maritum pertinet, cui et uxor, et uxoris bona commissa sunt ex vi contracti conjugii, jure ex suo, et uxoris adversus promittentem experiri. Neque in contrarium opponatur, aut capitulum 7, de donat. int. vir. et uxor., aut lex ult. cod. de senat. cons. Vellejan., quod enim ibidem supponi videretur, dote non soluta posse uxorem a marito repelli, factum respicit mariti repellentis, quin tamen id certam juris definitionem exibeat. Quod si dos semel accepta perierit, eadem erit habenda ratio, quæ in uxore ab initio indotata, sive perierit fato quodam, sive ob publicationem ex delicto ab uxore admisso; humanum enim est, sicut uxorem viri ita virum uxoris fortuitis casibus participem esse, leg. 22, § 7, ff. solut. matrimon. Hæc profecto ita dicta velim intelligas, ut non tantum favore conjugis bene valentis locum habeant, sed etiam favore conjugis infirmæ, quæque ob adversam valetudinem in officio viri amplius esse non potest; neque enim mihi placere potest illorum opinio, qui scripserunt, maritum tantum teneri pro rata, ut vocant, dotalium fructuum quantitate, siqui sunt, alias non teneri, nisi in subsidium, idest tum demum, cum de suis, vel paternis bonis uxor ali non potest; cum generalis sit, et nullis circumscripta caussis et civilium, et ecclesiasticarum legum definitio, can. 18, caus. 22, qu. 7, l. 13, cod. de negot. gest. Id ex eo confirmatur, quod maritus teneatur, sine ulla dotis diminutione servum dotalem ægrum curare, l. 7, § ult. ff. soluto matrimonio, quod sane perspicue indicat, suo quoque impendio ad occurrendum ægræ conjugi potiore jure teneri. Neque me in contrarium movet argumentum, quod nonnulli deducunt ex l. 22, § 8, ff. solut. matrim., ubi legimus, nihil a marito prætermittendum esse *secundum dotis quantitatem*, id enim non ita intelligendum est, ut teneatur maritus in id tantum, quod ex dote redigitur, sed ne ita gravetur impendiis, ut nulla sit omnino ratio inter dotem, feminæque conditionem; et quæ forte ab ipsa postulantur impendia; quomodo etiam in simili propemodum specie intelligitur jureconsultus in l. 10, § 2, ff. de alim. et cibar. legat., ubi pro modo legatæ dotis alimenta filiæ a patre legata debentur, non ta-

men adeo, ut dotis designatæ redditus in alimenta convertatur. Juxta ea, quæ hucusque tradita sunt facile est deducere, virum ad inopiam redactum a locuplete uxore alendum etiam esse, nihil enim honestius est, quam æqualitatem officiorum inter virum, et uxorem servari, nov. 2, c. ult., præsertim cum viri mendicitas non leve etiam uxori dedecus adferret, argumento legis un., et authent. *præterea* cod. unde vir et uxor, l. 22, § 7, vers. *quid enim* ff. soluto matrimonio.

Respectu ad liberos ex matrimonio susceptos habito, romanis moribus receptum est, ut illi in patris, non in matris sint potestate, quod sane ex veterum stoicorum philosophia derivatum esse intelligimus, tradentium, fœtus humanos a patre substantiam, a matre incrementa tantum accipere. Non memoro hoc in loco civiles patriæ potestatis effectus, qui potissimum in adquirendo rerum dominio patri per filium siti sunt; varia enim discrimina profectitii, adventitii, castrensis, vel quasi castrensis peculii explicare ad civilis potius juris interpretes pertinet. Tantum dicam, naturalem obligationem parentibus inesse filios alendi et educandi, can. 7, dist. 1, hoc regulariter inter patrem, et matrem intercedente discrimine, quod matris officium sit alere usque ad triennium, nimirum adhuc lactentem prolem, trimum vero puerum alere debeat pater, l. 4, 5, et passim de agnosc. vel alend. liber. l. 9, cod. de patria potest, juncta l. 11, cod. de negot. gest., atque id verum est, sive agatur de liberis in potestate retentis, sive emancipatis, cum iis, quæ ex naturali jure proficiscuntur, nihil emancipatione detrahatur. Quæ vero attigimus inter patrem, et matrem, discrimina, regularem continent disciplinam. Nam si ex. gr. pater inops sit, mater locuples, nulla dubitatio est, quin officio judicis mater in subsidium filium alere teneatur, dicta l. 5, § 2, ff. de liber. agnosc. Quæ caussæ parentes a liberis alendis excusent, apud pragmaticos fuso stilo explicantur. Ad canonum disciplinam pertinet, quod dici solet de patria potestate; nimirum tantam eam haberi, ut nemo possit a parentibus non christianis invitis infantes avellere, quocumque etiam baptismatis conferendi prætextu; ac tum demum infidelium parentum liberos esse in ecclesiam recipiendos, quando ipsi liberi consentiendi capaces sponte a parentibus sui, recesserint, et baptizari se postulaverint, can. 5, distinct. 43, cap. 9, de Judæis.

QUÆSTIO I.

Ad titulum de coniugio Leprosorum.

Decretal. lib. 4, tit. 8.

Nemo dubitat, ex ipsa antiquissima Mosis disciplina leprosus a ceterorum consortio adeo fuisse semotos, ut nec sacrorum partecipes fieri possent, donec legali fuissent expiatione purgati, Levitici cap. 13, numerorum cap. 5. Quamquam vero Mosaicæ illæ expiationes per Christi adventum cessaverint, adhuc tamen ob publicam utilitatem, et apud Christianos receptum fuit; ut eo morbo laborantes a ceteris separarentur, ne ex mutua cohabitatione, aut conversatione eorum infirmitas latius serperet uti legitur in capitulari Caroli Magni anni 789, cap. 20. Imo et aliquando obtinuit, ut leprosi in communem vitam, segregati a ceteris, adducerentur, separataque ecclesia constructa, proprium haberent sacerdotem, a quo sacramenta perciperent sine parochorum contradictione, dummodo veteribus parochialibus ecclesiis nulla injuria inferretur, cap. 2, de eccles. ædific. Ad hos leprosos pertinet laudatus decretalium titulus, in quo nonnulla expendenda occurrunt. Primum est sponsalia de futuro, superveniente alterutri ex sponsi lepra, seu morbo sontico gravissimo et diuturno, ab altero sponso, qui sanus est, posse dissolvi, cap. ult. hoc tit., quod nolim quisquam interpretetur non de sponsalibus, sed de matrimonio rato, nondum tamen consummato dissolvendo, ex eo, quod ibidem quæsitum proponatur, *an ad consummandam maritalem copulam compelli debeat sanus.* Etenim ex ipsis prioribus capituli verbis perspicue liquet, agi ibidem de sponsalibus de futuro. Secundum est, post contractum matrimonium, si lepra uni conjugi superveniat, matrimonii vinculum non dissolvi, propterea non licere sano, alteri conjugi sociari, cap. 1, vers. *si vero* hoc tit., quod sane consentaneum est veterum Patrum doctrinæ tradentium, ex quacumque infirmitate conjugia, rite contracta non irritari, can. 16, 17 et 18, caus. 32, quæst. 5, can. 25, caus. 32, qu. 7, cap. 25, de jurejur., cap. 14, de convers. conjugat. An vero possit sanus ab infirmo divertere, non una est omnium sententia, cum rescripta Pontificum in cap. 1 et 2, hoc tit., variis interpretationibus sint obnoxia. Verosimilius videtur morbum a morbo distinguere, eum nimirum, ex quo periculum in alterum conjugem infirmo cohabitantem, vel in infirmi officio consistentem, vitæ vel salutis gravissimum emergat, ab eo, ex quo nihil tale timetur; quod quomodo contingat, a medicorum potius judicio expectandum est. Interea, qui quandam hujus rei notitiam desiderat, poterit adire Gonzalezium ad dictum cap. 3. Hoc observato morborum discrimine, non dubium esse debet, teneri sanum infirmo quacumque demum infirmitate correpto cohabitare, atque in ejus officio esse, si tempore contracti conjugii alter erat conscius infirmitatis alterius, dicto c. 2, vers. *leprosi.* At si infirmitas contracto conjugio supervenerit, sitque

admodum gravis, ex qua scilicet a consortio hominum libero medicorum judicio semovetur infirmus, quemadmodum aliquando in usu fuisse dictum est, c. 13 et 14, Levitici, c. 12, Deuteronom., c. 26, lib. 2, Paralipomen., c. 2, de eccles. ædific., c. 4, de cler. ægrot., licet optimum consilium sit, sanum conjugem exhortari, ut cum infirmo cohabitet, et necessaria subsidia præstet, non est tamen penitus adigendus, dicto c. 1, hoc tit. Quamobrem potiore jure non tenebitur debitum infirmo reddere, quin contrarium deduci possit ex dicto c. 2, vers. *Quod si virum*, quod ut præcedenti capitulo cohæreat, interpretaberis de conjuge infirmo, ad quem sanus sine gravi salutis, vel vitæ discrimine possit accedere, quemadmodum passim universi propemodum interpretes; ac pragmatici intellexerunt. Neque iterum difficultatem faciat rescribentis pontificis subjecta ratio nimirum quod nulla sit in hac specie apostoli exceptio; nemo enim ignorat, aliquando rescriptis generales rationes adjectas fuisse, quæ tamen ad propositam speciem sunt restringendæ, non ad stabiliendam generalem regulam, et ad alios casus rescripto non comprehensos producendæ.

QUÆSTIO II.

Ad titulum qui filii sint legitimi.

Est titulus 17, libri 4.

Cum de filiis legitimis certæ regulæ tradendæ sunt ad interpretationem propositi tituli gregoriani; nomine legitimorum hoc in loco minime veniunt illi, qui eatenus legitimi dicuntur, quatenus eos sola hominis voluntas legum accedente præsidio, et sine naturæ officiis, juxta adoptionum jura filios fecerit, sed veniunt illi, qui legitimi dicuntur jure natalium, quos scilicet sicut jus civile ad legitimas agnatorum, vel cognatorum hereditates vocat, ita jus ecclesiasticum, et ad suscipiendos ordines, et ad adipiscenda beneficia idoneos esse decrevit, argumento cap. 1 et 2, de fil. presbyt. Triplex est liberorum genus, quorum alii ex justis nuptiis procreati sunt; alii progeniti non ex justis nuptiis, sed ex ea conjunctione, quæ ideo justa dici non potest, propterea quod non sit lege publica probata, ac confirmata, interea tamen adhuc naturali jure consistit, legibus positivis non improbata, seu non damnata; alii denique nati ex damnato coitu. Primi sine ulla prorsus dubitatione legitimorum nomen habent: alteri naturales proprie appellantur: postremi spurii, seu vulgo quæsiti.

Itaque in primis liberos ex justis nuptiis procreatos nominamus legitimos, atque hoc nomine eosdem a naturalibus, spuriisque distinguimus. Qua in re nomine justarum nuptiarum, eas intelligimus non solum, in quibus celebrandis omnes adamussim legum solemnitates observatæ sint, sed etiam illas, in quibus tantum satisfactum fuerit legibus certa conjugia irritantibus. Quamobrem si forte quisquam in matrimonio contrahendo aut culpam, aut crimen admiserit, dummodo non irritum conjugium exinde sit, nihilominus filii ex eodem conjugio suscepit, legitimi habebuntur. Etenim legitimorum filiorum conditioni nihil obest factum parentum, qui legibus obsequentes minime fuerint, quando alias conjugium sustinetur. Hinc liberi geniti ex conjugio contracto a filiofamilias sine consensu patris, liberi ex aliena sponsa ducta uxore suscepti, liberi procreati ex conjugio aut omissis denunciationibus, aut feriato tempore, aut contra interdictum ecclesiæ celebrato, et his non absimiles, dummodo nihil aliud obsiti omnes sine discrimine legitimi existunt, c. 9 hoc tit. Adjicio, etiam quandoque si conjugium ipsum in leges impingat, liberos legitimos nasci, tum nimirum, cum qui conjugium contraxerint certis de caussis non adeo legibus obstringantur, quemadmodum evenit, si infideles, seu non baptizati, conjugium contraxerunt in tertio, vel etiam in secundo consanguinitatis gradu, et liberos inde susceperint, propterea quod infideles legibus ecclesiæ eadem conjugia damnantibus minime subsint, cap. ult. hoc tit., juncto cap. 8. de divortiis. Plane æquitas et benignitas eo semper proclivis esse debet, ut quicumque casus emergat, quo in dubio positum esse videatur judicium; semper sententia pronuncietur pro legitima filii nativitate; quam æquitatem et benignitatem jura ipsa, legesque suaserunt, ad avertendam, quoad fieri possit, turpem aut naturalis, aut spurii filii notam, l. 6, ff. de his qui sunt sui, vel alieni juris.

Fingamus vero, conjugium quidem ipsum esse legibus improbatum, atque damnatum, sed a parentibus bona fide, nimirum ex impedimenti ignoratione contractum, num filii inde geniti legitimi censebuntur; multiplex esse potest impedimenti ignoratio, modo nimirum vel facti, vel juris, modo insuper escusatione digna, modo inexcusabilis. Quoties ignoratio in facto consistat, sive ad factum referatur, eademque excusabilis sit, definitum est, liberos inde natos legitimos esse. Exemplum est in eo, qui cum consanguinea, vel affine conjugium rite, ac servatis juris solemnitatibus contraxerit, ignorans, consanguineam vel affinem esse illam, quam ducebat uxorem, cap. 2. hoc tit. Simile exemplum est in eo, qui mortuum conjugem esse certis argumentis credebat, et post adhibitam omnem diligentiam bona fide secundum conjugium contraxit palam, et publice, cap. 8, hoc tit. Secus tamen dicendum est, quoties qui factum ignorat, conjugium contraxisset omissis denunciatio-

nibus; eo enim ipso, quo in legem denunciationum deliquit, excusandus non est, qui ignorationem prætexit, ignorationem inquam, quam vincere et potuisset, et debuisset, et quam favore potius voluit negligentia, quando declinavit legem sibi dictam ad investiganda, quæ subesse possent, conjugii impedimenta, cap. 2. hoc tit., cap. 3, § *Si quis vero* de clandest. desponsat. Item inexcusabilem prorsus ignorationem allegaret, qui liberos ex matrimonio ignoranter cum sanguinea etiam rite contracto, post indictam ab ecclesia conjugum separationem adhuc gignere pergeret; siquidem ipsa abs judice indicta separatio bonam olim habitam fide abrumpit, dicto cap. 2. hoc tit. Quod si ignoratio non ad factum, sed ad legem refertur, certissimum est apud omnes, non posse ullo modo excusabile conjugium reddi, quotiescumque agatur de jure naturæ, utpote quod omnibus apprime perspectum esse debet, improbata quamcumque ignorationis allegatione. Sed et illud adjicio, neque ullum excusationem admitti, etiamsi ignoratio versetur in jure positivo aut divino, aut humano, nisi talis ac tanta ignoratio sit, ut falere prudentes possit, seu invincibilis esse credatur, et ab omni culpa excuset. Siquidem jura, quibus regimus, ac vivimus, unusquisque scire tenetur: et redarguendus de negligentia est ille, qui dum certa negotia gerit, addiscere negligit, quo ritu, qua formula, quibusque cautionibus gerenda sint, et sollicitudinem non adhibet, ut ritus, formulas, et cautiones calleat, præsertim vero cum de conjugio agitur, in quo et contractus gravitas, et sacramenti dignitas ac majestas satis unumquemque de suo officio monet. Præterquamquod generales juris regulæ docent, ignorationem juris nemini prodesse, atque ab his generalibus regulis nulla est in jure probata exceptio in conjugiis recepta; aperta est definitio in cap. 10, hoc tit., ubi illegitimi declarati sunt liberi suscepti ex eo conjugio, cui oberat publicæ honestatis impedimentum, licet qui contraxerant allegarent, se ejusdem impedimenti disciplinam ignorare. Veteribus Romanis id persuasissimum fuit, quemadmodum colligitur ex l. 57, § ff. de ritu nuptiarum. Quod tempore conjugia inter fratrum sororumve filios licita erant, avunculus neptem uxorem duxerat, et quidem juris prohibentis ignaram: avia ipsa fuit istarum nuptiarum conciliatrix, non mediocris erat inde susceptorum liberorum numerus: bona fide per annos quadraginta conjuges in ea matrimonii specie perstiterant; nihilominus liberi illegitimi habit sunt; atque ut legitimorum jura nanciscerentur, opus fuit singulari rescripto Marci et Lucii imperatorem, qui et professi sunt, se quidquam universis propositæ caussæ adjunctis indulgere, ibi: *Cum hæc omnia in unum concurrant.* Rem hanc ipsam apertius explicaverunt Imperatores in l. 4. cod. de incestis nuptiis, ubi postquam indignos omni legum beneficio declaraverint eos, qui contra jus conjugium contraxissent, exceptiones qua ignorantium, qua errantium his verbis expresserunt. *Exceptis tam fœminis, quam viris, qui ex errore acerrimo, non affectato, insimulatove, neque ex vili caussa decepti sunt, aut ætatis lubrico lapsi. Quos tamen ita demum legis nostræ laqueis eximi placuit, si aut errore comperto, aut ubi ad legitimos pervenerint annos, conjunctionem hujusmodi sine ulla procrastinatione diremerint.* Profecto si jus non adeo sit exploratum contrahentibus, ut omnem dubitationem certis in casibus amoveat, cum errore juris etiam concurrat facti ignoratio legitimæ liberorum conditioni facile proderit. Id agnoscitur in specie capituli 8, hoc tit., ubi conjux putans, conjugem alterum vita functum fuisse novum conjugium contraxisse proponitur. Ad hunc errorem facti accesserat juris dubitatio, an ad eam propositam speciem pertineret, quod de certo expectando tempore statutum fuerat in cap. 19, de sponsal., et quidem non generali lege, sed singulari rescripto. In hac et facti, et juris gravissima dubitatione, si ignoratio, et error conjugio solemniter contrahendo caussam maxime probabilem præbuit, nihil prope erat: quod adversus legitimam nativitatem odio liberorum proponeretur. Denique legitimæ nativitatis gratia definitum est, quo casu parentum ignoratio liberos potest legitimos reddere, sufficere ignorationem unius ex parentibus, sive pater, sive mater sit, licet alter de mala fide convincatur, cap. 14, hoc tit., juncto cap. 1, de eo qui duxit in matrimonium etc.

Quotiescumque in discrimen adducitur legitima filii nativitas ab extraneo, certum in primis est, probato matrimonio inter patrem et matrem, item probata nativitate ex matre, filium censeri legitimum, nisi diuturna nec interrupta mariti absentie omnem præsumtionem excludat, l. 6, ff. de his, qui sunt sui vel alieni juris. Deinde singulare illud receptum est, ut patris et matris testimonio deferatur quoties ipsi legitimum esse filium fateantur, vel negent, nisi is, qui parentum dicto adversatur, certis argumentis contrarium ostendat, cap. 1, hoc tit. Insuper observandum est, satis non esse alicui, qui se filium alicujus dicat, allegare, se quandoque filii nomine appellatum fuisse ab eo, quem sibi parentem agnoscit, nisi alia adminicula concurrant; quandoque enim evenit, ut cuidam ex singulari alterius benevolentia, nomen filii tribuatur, § 11, instit. in fine de adoption., novella 117. cap. 2., cap. 10, de probation. Inter adminicula illud validum est, quo demonstretur, matrimonium fuisse secutum inter matrem, et eum, qui filium nominavit, licet

matrimonium illud occultum pridem foret, cap. 9, hoc tit. Parentibus autem defunctis, non licet extraneis, illegitimos filios dicere, cap. 11, hoc tit., ne semel contracta matrimonia, et quæ usque ad conjugium amborum mortem firma constiterunt, notis turpibus, aut minus honestis afficiantur, nisi qui illud proponunt, parati sint ad edocendum, defunctos conjuges mala fide conjugium irritum contraxisse, cap. 7, in fine, et cap. 11 eod. Quod si quis in judicio probaverit adulterium matris, non statim exinde demonstrata videbitur illegitima filii nativitas, leg. 11, § 8 et 9, ff. ad leg. Jul. de adulter. Imo et in hac parte adeo prævalet legitimæ nativitatis favor, ut si vel mater ipsa contra legitimam filii nativitatem testimonium in judicio tulerit, nec ista quidem confessio pro rei veritate habeatur, argumento capituli 9 de pœnit. et remis., l. 29, § 1, ff. de probation., l. 27, § 1, ff. de inoffic. testam. præsertim si mater eum tanquam filium alias agnoverit, cap. 10 de probationibus.

Nomine filiorum naturalium veniunt illi, qui gignuntur ex conjunctione legibus nec omnino probata, nec damnata, seu ex conjunctione a legibus ita relicta, ut intra naturæ fines adhuc consistat. Hinc naturalium liberorum nomine scimus a Romanis donatos servorum filios, qui non in matrimonio, sed in contubernio geniti dicebantur, l. 88, § 12, ff. de legat. 2., potissimum vero eos, qui ex concubinis suscipiebantur, quasi et ipsi ex contubernio nati viderentur, l. 8, cod. de natural. liberis. Et quidem distinguenda species a specie est. Si ex servo et ancilla in contubernio filii nascebantur, ii naturales erant, non legitimi, quousque servi et parentes et filii forent. At si filii iidem una cum parentibus manumitterentur, filii iidem incipiebant legitimorum jure censeri, renovato saltem a parentibus matrimonio, argumento legis 13, in princ. ff. de condict. indeb., l. 88, § 12, ff. de legat. 2, et l. 4, § 8, et sequentibus cod. de bonis libertorum. Nonnihil profecto indulgendum erat parentibus illis, qui cum in servitute essent, tum non aliam conjugii speciem, quam contubernalem inire poterant. Quod si liber homo concubinam duxisset, et quidem ea, quam uxorem ducere perpetua lege prohibebetur, non solum liberi exinde nati illegitimi natalibus dicebantur, sed etiam frustra sperabant futurum ut subsequente conjugio legitimi fierent, cum perpetuo verum esset, ab ejus concubinæ nuptiis esse abstinendum. At si liber homo concubinam duxisset eam, cum qua potuisset nuptias justas inire, liberi quidem illegitimi nascebantur, modo tamen sine spe, modo spe concepta legitimi nominis, juxta varias ætates, quibus varia jura constituta fuerunt, ac recepta.

Viguit usque ad tempora Constantini Magni, disciplina juris, qua siquis legitimas justasque nuptias contraheret cum ea, quam jam concubinam habebat, legitimos quidem susciperet liberos post nuptias jure contractas genitos, non tanquam legitimos agnosceret liberos pridem in concubinatu procreatos, nisi istorum adrogationem faceret, quasi tunc non caussa natalium, sed caussa adoptionis legitimos habere inciperet, nov. 117, cap. 2, juncta l. 11, ff. de his, qui sunt sui vel alieni juris. Imo nec facile semper hæc adrogatio locum habebat, propterea quod naturales iidem liberi, quorum consensus requirebatur, dicta l. 11, et nov. 89, cap. 11, repugnabant, veriti jura patriæ potestatis, quæ certis in casibus aut parum utilia, aut etiam noxia eisdem liberis esse poterant. Itaque si filiusfamilias ignorante aut contradicente patre puellam sibi junxisset, non matrimonio (neque enim poterat), sed inito concubinatu, filios tantum ex ea suscipere legitimos poterat, vel defuncto patre, ac tum instaurato conjugio, vel vivente patre, et nuptiis consentiente, quemadmodum intelligenda est lex. 5, cod. de nuptiis, juncta l. 68, ff. de jure dotium. Eadem de caussa filii nati præsidi ex puella provinciali, quam concubinam quidem ante depositum officium habere poterat ille, non uxorem, nunquam legitimi exitituri erant, legitimorum jure tantummodo habendis iis, qui post depositum officium, et quo tempore veræ nuptiæ intercederent, gigneretur, l. 65, § 1, ff. de ritu nupt., l. 6, cod. de nuptiis. Atque hæc caussa erat, quare jureconsulti veteres ante Constantini tempora identidem disputabant in hac re, an conceptionis potius, an nativitatis liberorum spectari tempora oporteret, cum frequens contingeret, ut concubinam utero gravis materfamilias justis nuptiis fieret. Putabat Paullus, attendenda tempora conceptionis, l. 11, ff. de statu hominum; Ulpianus e contrario, sufficere, si partus tempore matrimonii ederetur, idque exemplo libertatis, tit. 5, § 11, in fragmentis. Imo cum Paulli doctrina multos pervasisset, nova sollicitudo tangebat jureconsultos de septimo mense, disputantes, utrum qui septimo mense natus fuisset post celebratas cum concubina nuptias, conceptus non in concubinatu, sed in matrimonio videretur, l. 12, ff. de statu hominum, juncta l. 3, § 12, de suis et legit. hered. Ex quibus colligitur, jureconsultos conatos fuisse, quod fieri posset, ut incolumi manente legum disciplina, in dubio saltem pro jure legitimorum liberorum responderent, præsertim postquam legitimam liberorum nativitatem rescripto suo in hac parte edito juvare voluit Pius Imperator, dicta l. 3, § 12, ff. de suis et legit. hered.

Primus Constantinus imperator hanc veterum Quiritium disciplinam immutavit, voluitque, liberos ex concubina, quæ tamen

ingenua fuerit, susceptos fieri legitimos, si cum eadem concubina justæ nuptiæ inde contraherentur, uti testatur Zeno in l. 5, cod. de natural. liberis. Sic decuit christianum imperatorem, allicere cives romanos, ut tandem aliquando minus honestam concubinatus rationem desererent, et eam cum justo conjugio commutarent. At enim hæc lex præterita tantum tempora respicere videbatur consulereque iis, qui cum eadem constitutio ederetur, tum adhuc in concubinatu erant, liberosque susceperunt, ne alias favere potius concubinatui quam concubinatum de medio tollere certis, utut blandis rationibus voluisse Constantinus ipse intelligeretur. Et revera anno 476 Zeno imperator eod. spiritus concitatus aliam legem constantinianæ similem se edere professus est in dicta l. 5, statuens expresse, liberos susceptos ex concubina legitimos fieri, si cum concubina nuptiæ sequerentur; ex quo gravis conjectura emergit, post Constantinum respectu illorum, qui concubinas sibi junxerunt, nullum ejus generis privilegium subsecutis post concubinatum nuptiis fuisse concessum. Imo et Zeno renovans Constantini legem, expresse professus est, iterum se præteritis, non futuris casibus velle ea ratione prospicere, ibi: *Illi vero, qui tempore hujus sacratissimæ jussionis necdum prolem aliquam ex ingenuarum concubinarum consortio meruerint, minime hujus legis beneficio perfruantur, cum liceat easdem mulieres sibi prius jure matrimonii copulare, non extantibus legitimis liberis, aut uxoribus, et legitimos filios, utpote nuptiis præcedentibus, procreare, nec audeant quos ex ingenua concubina dilato post hanc legem matrimonio nasci voluerint, ut justi, ac legitimi postea videantur, magnopere postulare.* Quod si Anastasius imperator iterum quidquam remittendum censuit anno 508, in l. 6, cod. eod. tit., statim tamen successor Justinus anno 519, in l. 6, cod. eod. decrevit, legem Anastasii in iis tantum valere casibus, qui eo usque evenerant, hac adjecta cautione: *In posterum vero sciant omnes, legitimis matrimoniis legitimam sibi posteritatem quærendam, ac si prædicta constitutio* (nimirum Anastasii) *lata non esset.* Verum Justinianus in l. 10 et 11, cod. eod. tit. perpetuas constitutiones edidit, quibus voluit, liberos ex concubinis genitos subsequente matrimonio, legitimos quandocumque fieri, dummodo tamen concubinæ liberæ essent, atque eæ, quibuscum matrimonium non esset legibus interdictum; imo et gratia liberorum veteres illas a me superius memoratas disputationes sustulit, statuens, in quæstionibus de statu liberorum non conceptionis, sed editionis tempora esse spectanda, iis tantum exceptis casibus, in quibus conceptionem magis adprobari, infantium conditionis utilitas expostulet. Hanc ipsam constitutionem ita deinde explicavit Justinianus, ut locum haberet, etiam, existentibus filiis ex justis nuptiis procreatis ex justa uxore, post cujus obitum concubina primum ducta fuisset, inde materfamilias reddita, nov. 12, cap. 4. Idipsum extendit ad filios natos ex ancilla concubina, quam deinde, manumissam una cum liberis, uxorem quis duxerit, nov. 18, cap. 11. Iterum ea omnia confirmavit in nov. 19, necnon in nov. 78, c. 3 et 4, ubi adjecit insuper sufficere manumissionem matris ab eo factam, qui ancillam pridem concubinam uxoris titulo decoraverit, ut filii in concubinatu ab ea geniti etiam manumissi, proptereaque statim legitimi censerentur. Addi his omnibus potest novella 89, cap. 8.

In conspectu harum legum, passim docent interpretes, matrimonium cum concubina contractem retrotrahi ad tempus quo primum iniri cœpit concubinatus. Mihi id satis placere non potest, consideranti, si ita res sese haberet, induci oportere quamdam juris fictionem, qua nimirum fingatur, matrimonium ab initio, et tempore initi concubinatus jam constitisse. At apud Justinianum ipsum, qui favorem hunc præ ceteris amplificavit, nulla dicitur esse juris fictio; imo et in suis legibus definivit imperator expresse, in quæstionibus hujus generis inspiciendum esse tempus nativitatis, non conceptionis liberorum, dicta l. 11, cod. de natural. liber., et dicta nov. 89, cap. 8, quæ sane definitio eam fictionem prorsus excludere videtur. Plane ubi agitur de imperiali privilegio huic liberorum generi dato, quid opus esse potest fictione juris? Fictione juris erant modi singulares inventi abs jureconsultis carentibus potestate legum ferendarum, qui in certis æquissimis adjunctis, in quibus legum severitas oberat, conabantur a lege recedere, a qua tamen cum recedere ipsi sine egregia temeritate privata opinione non possent, ingeniosos colores prætexebant, quibus cum leges paullo asperas revera atque exitu inspecto emollirent, tum nihilominus legum ipsarum sententias, quas interpretabantur, adhuc servare incolumes viderentur. Quænam absurda emergere potuissent, inducta hujus generis fictione, facile est demonstrare uno proposito exemplo. Nimirum proponatur filiusfamilias eam in concubinam sibi abscivisse, quam ideo uxorem non duxerat, quia pater nuptiis cum ea contrahendis dissensisset. Interea ex ea concubina nati sunt liberi, iidemque juxta juris romani etiam justinianei principia naturales. Mortuo patre, filius sui juris effectus, cum concubina sua nuptias contraxit. Quoties in specie fingeretur, ad tempora concubinatus retrotrahi nuptias, qui non videret, filios in concubinatu susceptos habitum iri tanquam suos avo, eidemque quasi posthumos agnasci? At vero hoc posthumorum genus toti romanæ vel ipsi recentiori Justinianeæ

jurisprudentiæ prorsus incognitum est, et novis inauditisque controversiis occasionem præberet.

Jamvero indicemus jurisprudentiam, quæ viguit ratione habita filiorum, qui nec naturales dici poterant, sed spurii, et vulgo quæsiti appellabantur, quales erant ex stupro, ex adulterio, ex incestu concepti. Hos omnes et illegitimos esse, et sine ulla spe legitimi nominis, non veteres modo, verum et recentiores romanorum principum leges voluerunt, l. 23, ff. de statu homin., novella 89, capiti ult. At successionem temporum nonnihil in hac re immutatum fuit: etenim qui gignerentur etiam extra concubinatus formam, dummodo ab ea matre, quacum conjugium eo tempore contrahi potuisset, legitimi fieri visi sunt, nuptiis inter patrem et matrem rite subsecutis. Viri eruditi passim putant, id ex eo fuisse receptum, quod, cum sequioribus sæculis vulgo traderetur, naturales filios posse fieri legitimos subsequente matrimonio juxta disciplinam romanorum, naturalium liberorum nomine juxta communem loquendi illorum temporum consuetudinem filii etiam ex stupro geniti intelligerentur, argumento capituli 13, qui filii sint legitimi. Mihi verosimilius est, novam hanc disciplinam referendam esse in singularem prudentiam, eademque maxime illis temporibus opportunam, qua et religiosi principes, et pontifices maximi curaverunt, ut concubinatus tandem aliquando e republica eliminaretur. E re publica erat sæculo duodecima, et decimotertio turpem notam concubinatui propter graviores in dies emergentes abusus inurere, quemadmodum superius observavi, et non procul a stupri scelere alienum prædicare. Id sane facile eventurum sperabatur, si ea, quæ de filiis in concubinatu susceptis jure romano statuta fuerant, filiis etiam ex stupro genitis communia redderentur, quemadmodum revera communia reddi placuit, cap. 1, qui filii sint legitimi. Cum in hanc opinionem, quam prudentia suadet, facile descendo statim mihi videor intelligere, ac percipere intimam mentem Alexandri III, quando in cap. 6, qui filii sint legitimi ita scripsit: *Tanta est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur.* Maluit Alexander caussam, quare legitimi liberi reddantur ex subsequente conjugio, conferre in vim matrimonii, ad quod, tanquam ad sacramentum novæ legis, advocabat quotquot erant concubinariis conjunctionibus dediti; quem ad finem multum intererat, persuadere ad concubinatus abominationem, nihil inter concubinatum, et stuprum differre, et quæ filiis concubinarum inde matrimonio junctarum competebant, eadem competere filiis ex stupro genitis, matre in conjugium adscita. Hinc insuper intelligo, quare nihil detractum fuerit veteri jurisprudentiæ in filiis vel ex adulterio, vel ex incestu natis, utut inde inter parentes conjugium justum, etiam dispensatione accedente, celebratum fuisset. Licet enim et in hoc conjugio sacramenti dignitas existat, satis tamen erat providis Ecclesiæ Patribus, quæ de filiis naturalibus concubinarum veteres leges sanxerant, filii etiam ex stupro genitis communia reddere, ut non major haberetur concubinatus, quam stupri ratio, quin opus esset, eandem jurisprudentiam extendere etiam ad eos casus, in quibus non stuprum, sed adulterium, aut incestus, aut alia ejusdem generis flagitia longe stupro graviora intercessissent. Itaque decretum est, nunquam eos legitimos fieri posse, qui gignerentur vel ex incestu, vel ex adulterio, cap. 4 et 10, qui filii sint legit., vel quicumque gignerentur ex alia nefaria conjunctione, quæ adulterio æquipararetur quoad juris effectus, quale esset conjugium inter christianum, et judæam celebratum, l. 6, cod. de nupt, aut conjugium contractum a clerico in majoribus ordinibus constituto l. 45, cod. de episc. et cleric. Tantum exceptio recepta fuit in filiis ex stupro procreatis, qui exemplo filiorum naturalium ex concubinatorum, subsequentibus justis nuptiis legitimi redditi sunt, cap. 1 et 6, qui filii sint legitimi.

Recens hæc disciplina, quæ legum Justinianearum beneficium naturalibus liberis concessum, etiam ad filios spurios, et vulgo quæsitos ex stupro genitos extendit, adeo recepta est, ut iidem filii legitimi ex subsequentibus nuptiis facti concurrant cum liberis ex eisdem parentibus post secutas nuptias natis, imo et decorentur nomine et dignitate primogenitorum; quod fundamentum habet in legibus Justiniani supra commemoratis, quibus iidem primogenitorum honores filiis e concubina deinde uxore legitima ante nuptias natis decreti sunt; nisi tamen in institutione primogenii cautum expresse fuerit, ut tantum admittantur ad illud, qui sunt ex justis nuptiis procreati, quales profecto dici non possunt, qui legis beneficio legitimi habentur. Imo et exceptio est, ubi aliæ nuptiæ intercessissent. Finge enim vero, spurium nasci ex Cajo et Titia; deinde Cajum uxorem ducere Sejam, atque ex ea suscipere justos liberos; denique mortua Seja Cajum eundem sibi jungere Titiam uxorem. Spurius ille olim ex Titia natus meo judicio ne legitimus quidem filius ex subsecutis illis nuptiis fieri poterit: ac certe nunquam præferri poterit liberis prioris conjugii ex Seja susceptis. Etiam qui putant, per nuptias secutas post concubinatum, aut stuprum, retrotrahi fictione quadam juris nuptias ipsas ad tempus initi concubinatus, aut stupri admissi, id facile intelligunt; nulla enim potest admitti juris fictio, ubi intermediæ aliæ nuptiæ extitissent; nisi aut fingatur insuper,

matrimonium interrumpi variis legitimis conjunctionibus posse, quod absonum est, et prorsus a recta ratione alienum, aut nisi fingatur insuper nullum omnino matrimonium intercessisse, quod tamen repugnaret apertissime veritati, quam in ipsa familia assidue demonstrarent legitimi liberi ex intermediis nuptiis jure procreati; in pari autem caussa beneficii unius, alicui ex liberis concedendi, nimirum vel filiis legitimis jure natalium, vel filiis jura legitimorum natalium non habentibus, prævalere debet veritas fictioni, ne dum uni favere velimus, gravissimum detrimentum aut injuriam minime levem in alterum inferamus. Ego plane, qui jam superius professus sum, me ab inducendis hujus generis fictionibus esse alienum, simplicius dixero, beneficium naturalibus liberis concessum, quo tanquam legitimi habeantur secutis nuptiis, ex lege descendere. Duo hinc oriuntur consectaria: primum est, tum hoc beneficium indulgeri, cum lex indulgendum expresserit. Ex hoc consectario fluit, tum primum naturales liberos legitimos effici, cum lex legitimos effici constituerit, nimirum quando quis uxorem sibi junxerit eam, quæ pridem concubina fuerat, juxta leges justinianeas, aut quando quis uxorem sibi junxit eam, in qua stuprum admissum fuerat, juxta recentiorem disciplinam, non aliter receptam, quam exemplo vetustioris. Alterum consectarium est, iis, et non aliis modis hoc ipsum beneficium liberis concedi posse, quam quibus modis, et rationibus, et caussis legibus datum est. Plane justinianeæ, eisque antiquiores leges filiis naturalibus concubinarum prospicientes, ad eum tantummodo casum pertinent, quo concubinatus illico, et nullis aliis intercedentibus nuptiis in matrimonium flectatur, quod facile probari potest ex novella 12, cap. 4, in qua Justinianus, quamquam naturalibus liberis maxime favens, tantum meminit naturalium liberorum, qui editi fuerint a concubina post mortem legitimæ uxoris. Imo et imperatores proposita spe legitimæ habendæ sobolis parentes ipsos a concubinatu ad nuptias invitarunt, quemadmodum superius adnotabam, nec esse poterat tam benigna principum voluntas adversus eos, qui vaga ita dixerim libidine ducti modo concubinis adhærebant, modo abjiciebant alia superinducta legitima uxore, modo ad easdem maritali adfectione tertiis, ita dicam, nuptiis revertebantur. Quod si ad hanc speciem minime pertinere possunt beneficia naturalibus liberis Justinianeo jure concessa, quid caussæ esse potest, cur ea beneficia concedantur in non dissimili specie filiis ex stupro genitis, cum intermediæ aliæ nuptiæ proponuntur? Beneficium datum liberis ex stupre genitis traductum fuit recentiore ætate, quasi facta similitudine quadam, ex æquali beneficio concesso olim jure romano filiis naturalibus ex concubina susceptis. At beneficium interpretatione legis ad alios casus productum ita saltem coërcendum est, ut modum, et formam a lege in expresso casu designatam minime excedat.

Est alter modus, quo filii legitimi fiant, nimirum ex rescripto principis. Primum refert Anastasius Imperator in l. 6, in fin. cod. de natural. liber. anni 508, consuevisse ex principali rescripto naturales filios adrogari a Patre, eaque ratione legitimos effici. Sed hæc adrogationis forma anno 519, displicuit imperatori Justino, lib. 7, cod. eod. tit. ut sic sine spe legitimæ sobolis ii essent, qui cum possent nuptias celebrare, in concubinatu potius manere volebant. Idipsum visus est confirmare imperator Justinianus in nov. 89, c. 7, qui tamen miseratione quadam, et clementia concitatus in cap. 9, permisit patri, ut rescripto principis naturales liberos adrogare valeret, quo in casu, et liberi legitimi nulli existerent, et vel ea concubina foret, quæ honeste in conjugeum adsciscí non posset, vel res incideret in eum casum, quo matrimonium consistere, aut instaurari non valeret, ceu si pater sacris. Ecclesiæ ordinibus initiaretur, aut concubina defuncta esset, aut eadem concubina continentiam Deo vovisset. In conspectu harum legum nemo non videt, hanc juris romani disciplinam locum tantummodo habuisse in filiis naturalibus. Sed successione temporum obtinuit, ut intercedente rescripto principis liberi omnes sine discrimine ex quacumque illicita conjunctione suscepti legitimi fierent, tota re in principis arbitrium collata, cap. 13, qui filii sint legitimi, quin referat, an mater, an pater vivant, an mortui sint, an cum vivant assentiant, vel dissentiant, an rescriptum petatur a patre, vel a matre, vel a liberis. Quoties de ecclesiasticis constitutionibus agatur, quibus spurii a certis officiis arcentur, obtinuit jamdiu, ut dispensatio a Pontifice Maximo impetretur, quemadmodum contingit in ea specie, qua spurius sacris Ordinibus sit initiandus, cap. 8, hoc tit. cap. 20 et 25, de electione; quamquam et unius episcopi dispensatio sufficiat, ubi agatur de minoribus ordinibus suscipiendis, aut de beneficio, quod curam animarum non habeat adnexam, cap. 1, de filiis presbyter. in 6. Illud ad hanc rem adhuc observandum est, nulla dispensatione eos indigere, qui licet defectu natalium habeant, monasticam tamen vitam amplexi, vel in Congregatione Canonicorum regularem vitam professi fuerunt, dummodo a prælationibus abstineant, cap. 1, de filiis presbyt. apud Gregorium IX. Sed de hac parte, in qua irregularitas versatur, commodior erit alibi disserendi locus, nimirum in Commentariis in librum V. Decretalium.

QUÆSTIO III.

Ad titulum de purificatione post partum.

Decretal. lib. 3, tit. 47.

Vetus jam fuit Judæorum disciplina, juxta quam mulieres recens enixæ per certos constitutos dies nec sancta contingere, nec in sanctuarium ingredi possent; expletis autem purificationis diebus ad sacerdotes accederent oblationes quasdam et Deo, et eisdem sacerdotibus collaturæ, cap. 12, Levitici. Quoniam vero præceptum illud divinum non ad morales, sed potius ad ceremoniales institutiones pertinebat, nemini venire in dubium potest, qui nova Christi Servatoris lege cessaverit, quemadmodum alia numero plura ejusdem generis abolita fuisse nemo ignorat, cap. 3, de constitution. Ceterum neque ecclesiæ patres, neque Pontifices Maximi improbanda voluerunt, sed potius laudaverunt religiosarum mulierum devotionem, quæ non primum sacris communicent post editam prolem, quam per sacerdotes postulent sibi a Deo bona precari, unaque datis oblationibus religionem suam, pietatemque testentur, can.1 et 2, dist 5 cap. unic. hoc tit. Non est, cur quisquam hunc sacrum ritum, quasi Judaicum carpat; etenim licet verum sit, veteris legis ceremonias nova Christi lege expiravisse, neque ullam amplius obligationem inducere, non tamen verum est generaliter, omnes omnino ritus, qui apud Judæos veteres in usu erant tanquam mortiferos et lethales habendos Christiano populo esse. Mortiferi sane illi sunt, qui olim ideo in usu erant, ut Christi Servatoris futurum adventum, futuramque redemtionem præfigurarent, qualis habenda est ex. gr. circumcisio, velagnus Paschalis. Nimirum ii impletis figuris aboleri penitus debuerunt, neque hodie facile admitti possent, nisi ab eo, qui temere quandam adhuc implendam in ipsis figuram cum judæis agnosceret. Ast illi ritus, in quibus nulla singularis erat implendarum rerum præfiguratio, apud christianos recipi sine religionis injuria potuerunt, neque enim, ut exempla proferam, quisquam dixerit, aut templa hodie non esse summo Deo erigenda, quod apud Judæos erecta sciverit, aut non esse celebrandas templorum dedicationes, quod apud Judæos veteres celebratas agnoverit, can 1 et 2 de cons. dist. 1, aut demum non esse decimarum jura recipienda apud legis evangelicæ administros, quod olim decimæ Leviticæ tribui luerentur, cap. 1 et 14 de decimis. Dummodo apud christianos absit animus Judaizandi, seu Judæorum superstitiones ea occasione fovendi, nihil est, quod in his, aut similibus improbetur; quod præsertim locum habet in proposito, quum Ecclesia statis formulis, et christianæ fidei accommodatis ritum eundem sanctificaverit, et omnis superstitionis suspicione vacuum omnino reddiderit, uti constat ex vulgatis ecclesiarum manualibus. Revera plura sunt apud christianos a veteribus Judeorum ritibus derivata, quæ potissimum ubi novam formam, et religioni christianæ accomodatam receperunt, sacratissima evadere potuerunt, quemadmodum contingit in solemni paschatis aut pentecostes celebratione, quæ aliam formam aliumque ritum in Ecclesia obtinuit, quam apud Judæos veteres obtineret, can. 7, inter vulgo apostolicos. Quæ cum ita sint, jure concludere poterimus cum Innocentio III, tantum abesse, ut quisquam improbare valeat ecclesiasticum illum benedicendarum mulierum ritum, quin etiam iste laudari omnino debeat, tamquam ceremonia fovendæ pietati adversus Deum, atque in res ipsas divinas devotione maxime utilis et opportuna, dicto cap. un. hoc tit.

Quod si de origine ecclesiasticæ istius disciplinæ quæratur, ego sane video quædam ejusdem rudimenta adparere apud S. Dionysium episcopum alexandrinum, qui sæculo ecclesiæ tertio floruit, eatenus nimirum, quatenus ipse in can. 2, epistolæ ad Basilidam docuit, immundas mulieres ab ecclesia abstinere debere, at vero si de forma et ritu purgationis sermo sit, non puto, eam esse sexto sæculo antiquiorem, quamquam certo non possit definiri, quo primum tempore emerserit: etenim apud ecclesiasticos scriptores quinque priorum sæculorum de ea re altum silentium observatum agnosco. Circa tempora Justiani imperatoris apud Græcos institui cœpit festum Purificationis B. Mariæ, uti refert Baronius in notis ad martyrologium ad diem 2 februarii; qua occasione orientalis populus profanis quibusdam ritibus cæpit eam solemnitatem celebrare, quos operæ pretium fuit amovere in synodo trullana, qua præterea statutum fuit, ut religiosi homines sacris tantummodo canticis, hymnisque diem illum transigerent, can. 79, junctis commentariis Balsamonis et Zonaræ. Eodem tempore piæ mulieres B. Mariam imitatæ, dum prolem edidissent, ad ecclesiam accedere consueverunt, se Domino oblaturæ, et sacerdotalem benedictionem accepturæ, quarum etiam nonnullæ piaculam esse credebant; si ritum illum prætermitterent, quasi viderentur tunc sanctiores purissima Virgine, quæ expiationi legitimæ se subjecerat, utut expiatione non indigeret, cap. 2, evangelii Lucæ. Paullatim ad Orientali in occidentalem Ecclesiam producta fuit consuetudo, in Francorum capitularibus confirmata, lib. 6, capitular. cap. 207, capitularis Herardi Turonensis cap. 60, imo eo tempore ita recepta erat, ut crederetur a Gregorio Magno probata, propterea quod sub nomine Gregorii Magni edita fuisset epistola ad Augustinum

Anglorum episcopum, in qua nonnulla ad eam rem pertinentia adparebant, dicto can. 1 et 2, dist. 5. Sub finem noni sæculi eo progressa res est, ut etiam dubitaretur, an mulier recens enixa puerperii tempore ad baptismum, utut sacramentum maxime necessarium, esset admittenda. Verum emergentes istas quæstiones opportunum duxit Leo Sapiens omnino supprimere declarans, nihil penitus difficultatis subesse posse, quominus mulier ad baptismatis sacramentum suscipiendum, admitteretur, nov. 17. Tandem temporibus Innocentii III, probatus est publicis constitutionibus vetus idem ritus, non quidem ita, ut mulieres illum omittentes criminis reæ dicerentur, sed potius ita, ut si quæ receptæ consuetudini morem gerere desiderarent, pia illarum devotio minime improbaretur, dicto cap. unico hoc titulo.

QUÆSTIO IV.

Ad titulos, de his qui filios occiderunt, et de infantibus, et languidis expositis:

Decretal. lib. 5, tit. 10 et 11.

Amplissima illa potestas, quæ legibus duodecim tabularum data fuit patri in filios ex justis nuptiis procreatos, qua fiebat, ut filius in vitæ discrimen a patre adduceretur impune, l. 11, ff. de liber., et posth., l. ult. cod. de patria potestate, ob frequentes parentum excessus publicis legibus cohibenda fuit; quamobrem recentioribus sæculis receptum est, ut patria potestas in pietate potius, quam in sæva tyrannide consisteret, l. 6, ff. ad leg. Pompej. de parricid., et quamquam permissum sit patri filium moderate corrigere, nusquam tamen licet in eum utut inobedientem, et in malo pervicacem ad interitum usque animadvertere, hujusmodi pœnæ illatione, quoties opus sit, publicis magistratibus reservata, l. 3, cod. de patria potestate, l. un. cod. de his, qui parent. vel liber. occid., ex qua sane liquet, quanam pœna suorum liberorum occisores plectendi sint. Potiore ratione gravissimis eisdem pœnis subjiciuntur matres, utpotequæ eam, quæ olim patribus concedebatur, potestatem nunquam habuerunt, l. 1, vers. *Sed, et mater* ff. ad leg. Pompej. de parricid Quid de matribus, quæ infantes suos necant, iisque, qui impio facinori consilium, vel operam præstant, hodie apud nos statutum sit, colliget unusquisque ex lib. 4, Regiar. Constit. t. 34, cap. 4 § 1, 2 et 3. Apud ecclesiasticos viros id crimen gravissimis pœnitentiis subigitur, can. 20, cau. 2, qu. 5, cap. 1 et 3, de his, qui fil. occid., non tamen erit caussa sufficiens, ut uxor filium occidens a marito sit separanda, dummodo alias salutaria pœnitentiæ remedia suscipiat, et bono liberorum superstitum consulatur, capit. 2, eod. tit.

Atrox quoque est parentum flagitium, et natura ipsa horrente admissum, quum ab illis infantes, vel languidi filii exponuntur, cui propterea sceleri nunquam pepercerunt ne ipsi quidem romani veteres, qui ceteroqui jus vitæ et necis parentibus non denegaverant. Etenim ubi proponeretur pater filium occidisse, præsumebatur occidisse ex publica et gravissima caussa, quasi quodam usus domestico magistratu ad præveniendum officium magistratuum publicorum ad animadvertendum in scelestos et facinorosos homines; neque aliam facti interpretationem paterna pietas admittere videbatur; ast infante, vel languido esposito necessaria vitæ subsidia extrema necessitate presso, et insonti denegabantur, quod parum distat a nece in insontem illata, l. 4, ff. de agnosc. et alend. lib.; unde Lactantius in lib. 6, divinarum institutionum cap. 20, scribebat. *Tam igitur nefarium est exponere, quam necare. Etenim parricidæ facultatum angustias conqueruntur, nec se pluribus liberis educandis sufficere posse prætendunt; quasi vero aut facultates in potestate sint possidentium, aut non quotidie Deus ex divitibus pauperes, et ex pauperibus divites faciat. Quare siquis liberos ob pauperiem non poterit educare, satius est, ut se ab uxoris congressione contineat, quam sceleratis manibus Dei opera corrumpat.* Hujus criminis pœna duplex lege indicitur, criminalis et civilis. Prior modo asperior, modo lenior est, prout vel atrocius, vel miserabilius parentum facinus existit. Quis enim non videat, durissimas ex. gr. infligendas esse pœnas, quoties infans in sylvis remotis ab hominum consortio exponatur, quasi ad pabulum animalium et ferarum? De his ita scribit Lactantius loco modo laudato: *Quid illi, quos falsa pietas cogit exponere? Non possunt innocentes existimari, qui viscera sua in prædam canibus objiciunt, et quantum in ipsis est, crudelius necant, quam si strangulassent.* E converso gravibus quidem, non tamen æque aspersis subjiciuntur pœnis, qui liberos exponunt in iis locis, in quibus facile de alicujus pietate speretur, futurum, ut aliqua ratione infanti, vel languido occurratur. Videantur ad hanc rem Regiæ leges loco superius laudato § 4. Posterior pœna, seu civilis consistit in amissione patriæ potestatis, si a patre, vel ab extraneo, patre sciente, aut mandante filius exponatur. Qua in re observandum est, non eandem semper fuisse juris disciplinam. Romæ olim si filius in Insula Tiberina Æsculapio sacra exponeretur, in ejusdem Æsculapii, ut dicebant, divinam potestatem filius deducebatur, a qua nunquam exiret, ibidem altus et educatus in nosocomio ad id parato, de quo mentionem fecit

S. Hieronymus, nisi ageretur de filio quem pater non exposuisset, sed Xenoni commendasset, quasi sub numine Æsculapii tutius alendum, et educandum; putabant enim Romani æthnici insulam illam esse Deo plenam, argumento legis unicæ § 3, cod. de latina libert. tollen. Extra hunc casum filius expositus, licet alieno beneficio altus, et educatus, nihilominus in patris potestate consistere videbatur, leg. 29, ff. de manum. testam., juncta l. 1 § 2 ff. de juris et facti ignor., saltem quoad eos effectus, qui filio utiles erant; nam quoad eos, qui favore patris a lege inducebantur, non aliter in potestate patris esse credebatur, quam si, quod in alimenta filii ab extraneo præstitum fuisset, restitueretur, l. 16, cod. de nuptiis; neque enim apud Romanos recepta fuit, quæ apud græcos in usu aliquando erat, abdicatio liberorum, l. 6, cod. de patr. potest. Primus Constantinus Magnus in l. 1, cod. Theodos. de exposit voluit, patrem infantem recens natum exponentem, aut exponi patientem, omni jure privari, data facultate ei, qui pietate motus expositum receperit atque aluerit, receptum altumque habendi tanquam filium, vel tamquam servum pro ipsius arbitrio, quod confirmaverunt imperatores Valentinianus, Valens, et Gratianus in leg. 2, cod. Justinian. de infant. expos. Circa annum 412. Honorius, et Thodosius Augusti voluerunt quidem, patrem exponentem omni jure patriæ potestatis cadere, et recipientem alentemque jure parentis, vel domini haberi, non aliter tamen, quam si omnia testibus probarentur, et testimonia subscriptione episcopali firmata adparerent, unde nulla facti superesse dubitatio potuisset, l. 2, cod. Theodos. de expositis. Majore pietate, ac favore expositos prosecutus est Justinianus, qui in suo cod. l. 3 et 4, de infant. expos. voluit, eos omnino liberos evadere, neque ulla ratione subjici recipientium et alentium potestati, idemque confirmavit in nov. 153. Hinc facile quisque intelliget canonem 9, concilii Vasensis, et canonem 32, Concilii Arelatensis II, quibus datur facultas illis, qui expositos collegerent, in suam potestatem expositos vindicandi, dummodo apud ecclesiam id contestati fuissent. Ista enim concilia celebrata, quo tempore necdum editæ, aut necdum promulgatæ Justinianæ leges erat, ad veterum imperatorum disciplinam commode respexerunt, can. 9, dist. 87. Eadem fere ratione ecclesia Gallicana retinuit recentioribus etiam sæculis disciplinam veterum imperatorum, propterea quod codex Justinianeus diu ignotus fuit Francis. Hinc idipsum firmatum fuit in capitulari incerti anni, quod Baluzius putat editum circa annum 744, tomo 1, Capitularium Francorum p. mihi 151, cap. 1, cujus verba translata sunt in librum 6 capitularium cap. 144, et inter canones Isaac Lingonensis cap. 16. At duodecimo sæculo quum Justinianeorum codicum studium instauratum est, abolitis ceteris, Justiniani leges servandæ proponi cœperunt. Quamobrem nemo non videt, summo jure rescripsisse Gregorium IX, in cap. un. de infant. et langu. expos., expositos quidem potestate patria liberari, expositorum autem collectores non posse ob præstitum pietatis officium in eorum personas sibi jus aliquod vindicare. Interea tamen non erit dubitandum, quominus qui expositum aluit, actione negotiorum gestorum repetere possit, quod impensum fuit in alimenta, dicta l. 1, cod. de infant. expos., l. 4, § 9 ff. de doli mali et metus exceptione, nisi animo furis alendum expositum susceperit, dicta l. 1, aut nisi gratioso pietatis intuitu, quod idem est, ac sine animo repetendi, impensum fuerit, l. 27, § 1, l. 34, ff de negot. gest., l. 32, § 2, ff. de condict. indeb., pietatis autem caussa factæ censebuntur impensæ, et animus fuisse non repetendi, quoties de expositi inopia conscius est suscipiens, nec habet, unde repetitionem impensarum sperare commode possit, arg. l. 27, § ult., l. 28, 29, et 38, ff. de rei vindicatione. Denique animadvertere juvat, liberos expositos, si aliud expresse non constet, in dubio sicut non servos, sed ingenuos, ita non spurios, sed legitimos habendos esse; maximus enim est, sicut ingenuorum, ita et legitimorum natalium favor; quamquam alias verum sit, non præsumi baptizatos, ideoque baptizatos, esse saltem sub conditione, ne forte necessario ad salutem æternam consequendam subsidio destituantur, cap. 2 de baptismo. Quamobrem expositi, de quorum conditione non constat, poterunt libere ad sacros ordines promoveri, et beneficiis ecclesiasticis donari, nisi forte de illis beneficiis agatur, quæ ex singulari statuto, et prærogativa illustribus tantum personis sint concedenda.

DISSERTATIO SEPTIMA

DE VARIIS MODIS, AC CAUSSIS, QUIBUS LEGITIMA SEMEL CONTRACTA CONJUGIA DISSOLVUNTUR.

Huc referendi sunt tit. 18 et 19, lib. 4, tit. 32, lib. 3 et tit. 16, lib. 5, Decretalium.

CAPUT I.

Generalia quædam proponuntur præcepta in dissolvendis conjugiis observanda.

In legitimis conjugiis semel contractis tria consideramus: primo vinculum, quo veluti nexu quodam ex fide præstita vir et uxor invicem junguntur, quo fit, ut interea nec maritus aliam superinducere uxorem possit, neque uxor alteri jungi marito: secundo cohabitationem, quæ in individua vitæ consuetudine consistit: tertio thorum, cujus scilicet usu liberorum procreationi conjuges vacant. Quamobrem aliquando contingit, ut dissolvantur conjugia quoad thorum tantum, qui ab individua vitæ consuetudine recedatur, eove minus matrimonii vinculum disrumpatur, aliquando contingit, ut dissolvantur conjugia quoad thorum simul et cohabitationem, integro manente matrimonii vinculo; aliquando denique contingit, ut dissolvantur conjugia etiam quoad vinculum, ita ut liceat alterutri conjugi alias nuptias celebrare, generalis quidem regula docet, indissolubilia esse conjugia, quod vel ex ipsis naturæ institutionibus derivari commode potest, præsertim si consideremus firmitatem illam, quam inditam videmus primo protoparentum conjugio, cap. 2, Geneseos, quamque validiorem adhuc reddit in evangelio Christus Dominus, ubi abrogato repudio veterum, nunquam voluit regulariter conjuges dissociari: nihilominus tamen singulares sunt exceptiones, quas vel ipso divino jure expresse traditas scimus, vel ex ecclesiasticis institutionibus ad juris divini explicationem formatis accipimus.

Modis et caussis dissolvendorum conjugiorum modo indicatis addi potest, aliquando fieri locum dissolutioni conjugii, non quod proprie dissolvatur, sed quod declaretur, ab initio irritum fuisse, quemadmodum contingeret, si proponeretur, tale in contrahendo conjugio impedimentum fuisse, quo contrahi conjugium nullo modo posset, quodque pragmatici vulgo dirimens impedimentum appellant. Hac in specie competens judex, antequam declaret, irritum matrimonium fuisse interdicet conjugibus dissolutionem petentibus ne interea alias nuptias celebrent; item ne invicem cohabitent, eove minus conjugio utantur, donec quæstio per sententiam definiatur, cap. 4, de sponsa duor., cap. 4, de conjug. serv. cap 1 et passim de matrimon. contr. interd. eccl. Quod autem dicitur de cohabitatione interdicenda, ita intellige, si notorium sit impedimentum, aut jam idoneis testibus comprobatum, cap. 3, de eo, qui cognov. consanguin., quemadmodum quot dicitur generaliter de inter dicendo usu conjugii, exceptionem habet in ea specie, qua agatur de impedimento impotentiæ viri, quousque legitimum tempus præterlapsum non est experiendi vitii caussa, juxta ea, quæ superius suo loco tradita fuerunt.

Quæcumque sit dissolvendi conjugii caussa, vel ratio, si unam excipians dissolutionem thori ex consensu factam, aliter rata esse non potest, nisi publica auctoritate firmetur, Judice, ad quem pertinet, cognoscente; etenim non privata, sed publica caussa in eo versari videtur. Quamobrem apud veteres Romanos nullum divortium valere poterat, nisi coram septem testibus fieret, l. 9, ff. de divortiis, exemplo, ut puto, testamentorum, quæ pari solemnitate indigebant, quod publicam similiter in iis versari caussam existimarent, l. 3, ff. qui testam. facere. Recentiore ætate, ubi non a conjugum arbitrio divertendi caussæ pendere cœperunt, sed jure publico determinari, non satis fuit coram testibus dissolutum conjugium dicere; ut enim omittam, quæ in hac parte in legibus Justiniani traduntur, novella 117, cap. 13, et nov. 134, cap. 11, ad quas respiciens Balsamon in canonem 48, ex apostolicis ait: *Antiquitus quoque non fiebat libere divortium, nisi cum cognitione judicis*; et Blastares in syntagmate alphabetico litera G. cap. 13, ait: *Non tamen aut mulier arbitratu suo divertere potest a marito, aut maritus ab ipsa*

sine judicio et sententia judicum, quemadmodum diversæ Justiniani Novellæ statuunt; Ecclesia jamdiu decrevit, nonnisi caussa cognita divortia conjugum admitti, qualescumque subesse divertendi caussæ proponetur. Primum adparet in concilio Agathensi decretum, ut caussæ dissidii in provinciali concilio examinerentur, can. 1, cau. 33, qu. 2, deinde cum ob temporum injurias provincialia concilia vix celebrari identidem juxta veterum canonum disciplinam possent, argum. cap. 25, de accus. receptum est, ut coram episcopo rei discussio fieret, et illius sententia aut divortium indiceretur, aut etiam, ubi caussa sufficiens esset, matrimonium aut rescinderetur, aut irritum declaretur, cap. 7, de sent. et re judic. cap. 3 et 6, de divort. cap. 1, 2 et 4 de conjug. serv., cap. 5, de procurat. cap. 2 et 3 de donat. int. vir. et ux. cap. 16, de offic. et pot. jud. deleg. quod etiam tum verum est, cum notoria sit divortii caussa, cap. 3 de divort. Illud cognoscentibus episcopis in hac re observandum imminet, ut summario judicio de caussa cognoscant, idest, ut ajunt pragmatici, controversiam dirimant sine strepitu, et figura judicii, ne forte odiosas dissidii caussas diutius et forensibus ambagibus fovere aliquando videantur, cap. 1, ut lite non contestata, Clement. 2, de judiciis. Concilio tridentino hujusmodi caussarum cognitio denegata fuit archidiaconis, aut decanis, et episcopis reservata, cap. 20, sess. 24 de ref. visæ enim sunt matrimoniales caussæ admodum graves, et nonnisi a majoribus judicibus dirimendæ, argumento capituli 9, de integr. restit. capituli 1, de consanguin. et adfinit. juncto cap. ult de procurat. in 6 Non inde tamen inferes, de eisdem caussis judicare non posse prælatos alios non episcopos jurisdictionem habentes episcopalem, seu quasi; nam in cap. 1, de consang. et adfin. licet concludatur, matrimoniales caussas per quoslibet indiscriminatim non esse tractandas, tamen abbati cassinensi ea jurisdictio non denegatur; et in cap. 12 de excess. prælat abbatibus facultas fit de caussis matrimonialibus cognoscendi, quoties *quisquam eorum speciali concessione, vel alia legitima caussa hujusmodi valeat se tueri.* Neque inde inferri potest, vicarium generalem episcopi non posse ex episcopi mandato cognoscere, et judicare; etenim tridentinum concilium tantum in hac re voluit vindicare episcopale munus, exclusis prælatis inferioribus in Diœcesi constitutis, qui singulari titulo jurisdictionem sub episcopo quidem, sed ab episcopali jurisdictione distinctam exercent; non eos excludere, qui unum et idem habent cum episcopo tribunal, eandemque cum episcopo explicant potestatem.

Observandi præterea sunt modi, quibus dissolvendorum conjugiorum controversiæ in judicio instituantur, ac finiantur. Qua in re duo præcipue consideranda occurrunt. Primum est de eo, ad quem in judicio agere pertinet; alterum est de probationibus, quibus mens judicis rite instruatur. Si quæras de iis, qui possunt matrimonium dirimendum vel dissociandum proponere, distinguendum est inter caussas illas, quæ jure probantur beneficio conjugum, quemadmodum contingit, si ex. gr. proponatur matrimonium nullum esse ex errore, vel metu; item irritandum esse caussa ineundæ religiosæ vitæ; item dissociandam habitationem ob mariti sævitiam, vel quid simile; atque inter caussas illas, in quibus publica res versatur, quod nimirum publice intersit, matrimonium diutius non consistere, uti contingit, cum duo consanguinei, vel adfines conjuncti sunt, vel cum sine præsentia parochi et testium ad cohabitationem sponsorum deventum est omissis solemnitatibus conjugii, aut quid simile. Etenim in prima specie solis tantum conjugibus permittetur agere in judicio ad dissolutionem conjugii pro qualitate rei, exclusis extraneis quibuscumque, propterea quod tantum intersit ipsorum, argum. c. 26, de sponsal., cap. 2 et 4 de conjug. servor., cap. 5, de frigid., et alibi passim. At in altera specie quicumque extranei, dummodo legitimis documentis sint, quod proponunt, probaturi, dummodo præterea non sint suspecti de dolo, aut mala fide, ut in specie capituli 5 et 6, qui matrim. accus, ad accusandum admittentur. Agitur enim de caussa publica, in qua non actio, sed accusatio proponi videtur, ut docet vel ipse titulus decretalium qui matrimonium accusare. Quod adeo verum est, ut etiamsi agatur de personis, quæ conjugibus ipsis, de quorum dissociatione agitur, sanguine sint conjunctissime, nihilominus denunciaturæ apud competentem judicem audiantur, can. 1, et sequ. caus. 35, qu. 6, cap. 3 et 4, qui matrim. accus. præsertim autem consanguinei audiendi erunt, ubi irritum conjugium proponatur caussa consanguinitatis, vel adfinitatis conjugum; hæc enim vincula consanguinitatis, et adfinitatis magis comperta propinquioribus præsumuntur, quam extraneis.

Probandi ratio quadruplex proponi potest. Etenim, quæ in judicium deducuntur, probantur, vel scripturis, vel testibus, vel confessione partium, vel earundem partium jurejurando. In primis quod spectat ad scripturas, nihil in hac materie singulare occurrit in sacris canonibus cautum. Hinc quoties tale gestum per scripturas ostendatur, quod per se matrimonium irritat, probatio admitteretur, quoties nihil sit, quod tabularum condictarum auctoritati juxta generales instrumentorum leget opponatur, quemadmodum ex. gratia si proponeretur literis episcopalibus ostensis, quemquam in sacris ordinibus con-

stitutum matrimonium celebravisse. Animadvertendum tamen erit judici, ne facile scripturis minus authenticis credat, ne forte illarum occasione legitima conjugia facile dissolvat. Quid enim, si ex. gr. ignota manu illius, qui pietatem ac religionem simulat, moneretur episcopus, ne patiatur diutius quosdam in conjugio consistere? Habenda quidem erit gravissima doli fraudisque suspicio, et rejicienda epistola, cap. 1, qui matrim. accus., et tantum licebit conjecturam capere, cui tum demum accedentibus aliis perspicuis, probationibus, indulgeatur.

Discutienda erit diligentissime etiam testium fides, si qui ab agentibus producantur, vel si qui judicis officio vocati sese exhibeant. Etenim cum dissolutio conjugii, vel dissociatio conjugum res sit momenti gravissimi, non facile ejus caussa sine discrimine personarum testimonia recipientur. Primum investigandum erit, an tales sint testes, qui verosimilem rei, de qua testantur, notitiam habere potuerint; atque hinc profectum est, ut etiam consanguinei admittantur, ubi agatur de investiganda cognatione, quod ipsi cognationis notitiam habere præcipue præsumantur, licet alias verum sit, consanguineos excludi a ferendo testimonio in caussis consanguineorum, can. 1 et sequentibus, caus. 35, qu. 6, cap. 3 et passim qui matrim. accus., cap. 5, de testibus. Sæcundo observandum erit, testes debere esse præclaros, et bonæ opinionis, cap. 4, qui matrim. accus., cap. 4, eod. tit. in 1, collectione. Tertio observandum, ne forte ad accusandum matrimonium accesserint spe præmii proposita, vel similibus de caussis, cap. 5, eod. tit. apud Gregorium IX. Quarto non aliter admittentur testes, quam si jurejurando profiteantur, se accessisse ad testimonium ferendum studio pandendæ veritatis, ac religionis cujus jurisjurandi formulæ leguntur apud gratianum in caus. 35, qu. 6, can. 5, et sequ. Quinto cum testimonium fertur, quamquam olim admitterentur testes ex auditu, quando ante concilium lateranense cognationis gradus ad septimum usque extenderentur; postquam tamen cognatio quarta generatione concluditur, testimonium de auditu non facile recipitur, nisi testis graduum notitiam et ipse præseferat; cum non adeo difficilis esse videatur quatuor graduum computatio, cap. 47 de testibus. Denique testes ipsi, ubi gradus consanguineorum computant, non aliter erunt audiendi, quam si a communi conjugum stipite ad ipsos conjuges usque descendant, aut saltem incipiant a germanis fratribus, vel sororibus; neque enim sufficeret, a secundo tantum gradu cognationis jure exordiri, c. 7, de consanguin. et adfin. Non memoro, sicut in ceteris, ita et hac in parte, uno tantummodo testi non facile esse credendum; quamquam enim unicus testis sufficere possit, ubi needum contractum conjugium fuerit, ne inde ob certa impedimenta opposita contrahatur, aliud tamen observandum est, ubi agatur de dissolvendo conjugio jam contracto, cap. 22, de testibus.

Partium, seu conjugum spontanea confessio, etiamsi sit sacramento jurisjurandi firmata, in hoc proposito minime sufficit, cap. 2, qui matrim. accus. in 1. Collectione decretalium, nisi alia gravissima testimonia concurrant, can. 3, caus. 33, qu. 6. Quamquam enim verissimum sit, aliquando ex unius conjugis confessione matrimonium, de cujus vi disputatur posse consistere, quemadmodum in specie canonis 3, caus. 33, qu. 1, et capituli 1, de frigid. et malef., nunquam tamen definitum scio, simili conjugum confessione posse dissolvi, nisi et alia concurrant veritati edocendæ argumenta, can. 1 et 2 caussa 33, qu. 1, cap. 5 et 7, de frigid. et malef. cap. 3 et 5, de eo qui cognovit, cap. 11, de sentent. et re judic., siquidem proniores esse debemus ad sententiam ferendam favore matrimonii semel contracti, quam simus ad conjugium dissolvendum alias autem plura suborirentur in republica incommoda, quod non deessent conjuges, qui amore secundi conjugii contrahendi facile faterentur, sibi subesse justas caussas initi conjugii dissolvendi. Neque est, cur opponas capitulum 2, de consanguinit. et adfinit., etenim siquando creditur sponsorum confessioni, id locum tantum habet in conjugio nondum contracto, in quo contrahendo si sponsus inesse impedimentum adfirmet, non erit celebratio conjugii ab ecclesia probanda, secus autem sese habet res in dissolvendo contracto conjugio, cum ecclesia sit æque sollicita, ut nonnisi jure dissolvantur contracta matrimonia. Eodem modo interpretaberis capitulum 12 de sponsalib., ad quod tamen posses animadvertere, agi ibi non de conjug. tantum confessionem, sed etiam de alterius de crimine conscii testimonio. Ex istis facile colliges, non esse favorabilem divortii caussam, neque alias pro divortii admittendas probationes, quam quæ sint omnium gravissimæ. Quod verum est præcipue in iis caussis, quæ ex jure ecclesiastico proponendo divortio occasionem dederunt. Nam si ageretur de divortio, quod certis in casibus ex juri divini auctoritate faciendum proponeretur, majore prudentia opus erit judici, quemadmodum etiam cautius agendum erit, ubi agatur de dissolvendo conjugii vinculo, quam de conjugibus tantum dissociandis. Nam est omittendum postremo loco, Benedictum XIV, in sua costitutione *Dei miseratione* anni 1741, 3 novembris statuisse, ut in singulis diœcesibus designarentur matrimonium defensores. Quemadmodum enim Judex ex officio procedere potest ad dirimenda conjugia, contra quæ denunciatio proposita fuerit, etiam sine accu-

satione, ubi legitima sit dirimendi conjugii caussa; ita e converso adjuvandum est judicis officium dato conjugii defensore, ubi forte conjuges ipsi dissolvendum conjugium proponant, ne certas caussas, forte inanes, etiam colludendo prætexant, ut conjugium rite contractum defensoris opera, ubi opus sit, confirmetur.

CAPUT II.

De dissociatione conjugum, vel quoad thorum tantum, vel quoad cohabitationem.

Quoties tantum agatur de thori separatione, nulla dubitatio est, quin ex mutuo consensu sponte conjuges ad eam devenire possint; quod vel ipse Paullus apostolus quandoque expresse suasit in cap. 6, epist. 1, ad Corinth., et certis statisque temporibus jubere visi sunt ecclesiastici patres, quorum monumenta plurima extant in caus. 33, qu. 4, a me alias superius explicata. Item thori separatio fit, quoties alteruter ex conjugibus vitio laboret impotentiæ, vel quæ ab initio fuit, sed utrique conjugi cognita, juxta capitulum 4, de frigid. et malefic., vel quæ post initum matrimonium supervenerit, can. 28, caus. 32, quæst. 7. Item necessario thori separatio injungenda est, quoties dubitatur, an matrimonium jure contractum fuit, puta quia suspicio est intercedentis inter conjuges adfinitatis, atque alterius cujusquam impedimenti; atque cum occulta adhuc res sit, nondum dissociantur conjuges quoad cohabitationem; item, quoties certum est, conjuges illegitime fuisse conjunctos, atque ob privatum, seu non publice patens impedimentum petita est necdum obtenta superioris ecclesiastici dispensatio. Qua in re aliquando evenire potest, ut ex conjugibus unus ad thori dissociationem teneatur, alter vero jure thori uti licite possit. Quid enim ex. gr., si unus voto continentiæ ignorante, vel invito altero conjuge se obstrinxerit? Ipse quidem vovens a debito petende abstinebit, quod tamen tenebitur reddere postulanti, can. 1, et passim cau. 33, qu. 5, cap. 11, de convers. conjugat. Quid si maritus consanguineam uxoris, aut uxorem consanguineus viri cognoverit? Ob hanc supervenientem adfinitatem reus jungi insonti non poterit, licet insons non debeat jure suo carere. Eadem ratione si forte unus ex conjugibus conscius sit impedimenti matrimonium dirimentis, ut loquuntur nostri, quod alter conjux ignoret, nec probare conscius in judicio possit, a thoro penitus abstinebit, qua in specie adeo obligabitur conscius, ut teneatur alteri debitum ex ignorantia petenti denegare; imo etiamsi judicis officio obstrictus ad reddendum debitum declaretur, quod propositum in judicio impedimentum non potuerit demonstrari, nihilominus jure refragabitur, dummodo omnino certus sit de impedimento, nec levi quadam credulitate adducatur, atque huc pertinet, quod rescripsit Summus Pontifex in cap. 44, de sentent. excommun., conscium illum conjugem *debere potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale.*

Difficiliore sane ratione quoad cohabitationem dissolvitur matrimonium, scilicet nonnisi ex caussis lege probatis, quæ ad paucas sequentes reducuntur. Prima est caussa adulterii, quod si uxor admiserit, poterit a viro repelli juxta evangelicas regulas, Matthæi cap. 5, vers. 32. Neque in hac parte diversa est uxoris conditio, utpote quæ a viro propter viri adulterium sejungi se jure postulabit, can. 19, 20 et 23, cau. 32, qu. 5, can. 4 et 5, cau. 32, qu. 6. Exceptio est, si uterque conjux simili delicto inquinatus fuerit, can. 1 et 2, cau. 32, qu. 6, cap. 4 et 5 de divort., c. 6 et 7, de adulter. non quidem quod, uti nonnulli perperam scripsere, paria delicta mutua compensatione abolita censeantur, sed quod non mereatur audiri in judicio accusator illius criminis, quo et accusator ipse inquinatur, quemadmodum habetur in rescripto imperatoris Antonini apud S. Agustinum in lib. 2, de adulterinis conjugiis cap. 18. Alia exceptio est, si conjux insons conjugem adulterii reum sibi reconciliaverit, quasi oblitus injuriæ in thorum illatæ, præsertim ubi reus criminis pœnitentiam egerit, can. 3 et 5, caus. 32, qu. 7, l. 13, § 9, ff. ad leg. Jul. de adulter., quasi in hac specie frustra injuria semel remissa opponeretur. Ex generali principio sequitur, insontem maritum ita dimittere posse adulteram uxorem, ut rite valeat monasticam vitam profiteri, aut at sacros Ordines promoveri, contra dicente etiam uxore, cap. 15 et 16 de convers. conjugat., non tamen sequitur, privata auctoritate in uxorem ream posse animadvertere, ut mortem inferat; quamquam enim legibus publicis Romanorum olim pœna ordinaria legis Pompejæ vel Corneliæ non plecteretur maritus uxorem adulteram occidens, l. 24, ff. ad leg. jul. de adult., nunquam tamen id probatum fuisse legimus, argumento l. 22, § ult. ff. eod tit., a sacris autem canonibus manifeste novimus improbatum, can. 6 et 9, cau. 33, qu. 3. Qua in re non videretur mihi longe recedere a sententia veterum legum romanarum, qui diceret, ideo eisdem legibus non damnatum fuisse maritum adversus uxorem adulteram ad necem usque incitatum, propterea quod, uti superius observabam, per matrimonium patria potestas in maritum transferebatur, et uxor veluti filiafamilias marito suberat; patri autem ratione patriæ potestatis jus adferebatur liberorum occidendorum. At recentioribus sæculis sublata a parentibus ejusmodi potestate, eam quoque

maritis auferri necesse fuit, ne quidquam magis fictitio patri, qualis erat maritus, quam patri naturali concederetur; præsertim etiam postquam usu temporum inolevit, ut patria potestas in maritum non pleno jure transiret, quemadmodum etiam fuit superius observandum.

Non defuerunt aliquando, qui opinarentur, ex adulterio conjugis non tantum dissolvi conjugium quoad thorum et cohabitationem, sed etiam dissolvi ipsum matrimonii vinculum, quasi liceat insonti nuptias, vivente rejecta adultera, cum alia contrahere. Latius hæc opinio vagata fuit in ecclesia græca, atque in Tridentino concilio a nonnullis propugnata: sed post diuturnam disputationem prævaluit Latinorum sententia, utpote et Sacris Literis, et sanctorum patrum monumentis firmata; quamobrem, uti refert cardinalis Pallavicinus in sua historia lib. 22, cap. 4, paratus jam fuerat canon edendus, quo definiebatur, vinculum matrimonii ex adulterio alterutrius conjugis non dissolvi. Cum vere decretum istud Græcis, qui in eam sententiam ire se non posse profiterentur, displicere posse videtur, tridentini patres leniore concepta formula rem definiverunt his verbis, quæ habentur in canone 7, de sacram. matrim. ses. 24. *Si quis dixerit, ecclesiam errare, cum docuit, et docet juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui caussam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adulteram aliam duxerit, et eum, quæ dimisso adultera alii nupserit, anathema sit.* Hæc definitio consonat vetustissimæ patrum traditioni, quorum monumenta plurima extant in cau. 32, qu. 7. Quod vero apud Græcos negotium facessere potuit, spectabat germanam interpretationem evangelicorum verborum apud Matthæum cap. 5, ubi postquam enarravisset Christus Dominus, apud Judæos veteres in usu fuisse, ut quicumque dimitteret uxorem, libellum repudii daret, ita subdidit: *Ego autem dico vobis: quia omnis qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis caussa, facit eam mœchari, et qui dimissam duxerit, adulterat.* Nimirum, si caussa fornicationis excepta a Christo proponitur, videbatur Græcis, tum demum in dimissæ nuptiis admitti adulterium, cum non caussa fornicationis dimissa fuisset. Verum non fuit admittenda hæc interpretatio jamdiu et passim rejecta a vetustis ecclesiæ patribus, can. 3, 4 et sequentibus caus. 32, qu. 7, etenim illa Christi verba *excepta fornicationis caussa* ad priorem tantum sententiæ partem spectant, in qua de dimissione mulieris, seu dissolutione conjugii quoad cohabitationem agitur, non ad posteriorem, in qua secundæ nuptiæ dimissis interdicuntur. Profecto Marcus, qui Matthæi breviator dicitur, telaturus eandem Christi Domini sententiam in cap. 10, quod de vinculo matrimonii formam conceperit, illam exceptionem omisit, ibi: *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam, et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur.* Eodem modo Lucas in cap. 16, ita scripsit: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur, et qui dimissam a viro ducit, mœchatur;* quibus addi possunt generalia Paulli verba sine ulla exceptione descripta in ep. 1, ad Corinth. c. 7, ibi: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Forte quemquam turbabit canon 17, caus. 32, qu. 7, ubi et nuper laudata Pauli verba exhibentur ea exceptione adjecta, *nisi caussa fornicationis*, et traditur, adulteram uxorem dimissam innuptam manere debere, dimittenti vero secundum conjugium permitti. Torquetur Gratianus ipse in ejus canonis interpretatione, quemadmodum liquet ex ejusdem verbis post canonem 18, ead. caus. et quæst. Ceterum hodie eruditis persuasissimum est, commentaria in epistolas Pauli Ambrosio tributa, ex quibus laudatus canon decerptus est, non esse Ambrosii; imo nec in eisdem commentariis omnes codices exhibent, quod habetur in versicul. *Ideo non subdit*, quem versiculum Maurini monachi ambrosianorum operum revisores testantur desiderari in pluribus codicibus, eaque propter suspicantur, hæretici cujuspiam manu fuisse adjectum. Sanctum mediolanensem antistitem aliter omnino sensisse, jamdiu indicaverunt romani correctores ad calcem dicti canonis 17. Gravior est difficultas, quæ proficiscitur ex canonibus 19 et 24, eadem caussa, et quæstione. Canon 19, referendus est ad canonem 8, concilii compendiensis anni 767, et canon. 24, referendus est ad canonem 10 et 11, concilii vermeriensis an. 752. Eo autem tempore multi erant ecclesiastici viri imbuti disciplina græcorum, apud quos propterea non satis constare poterat, num adulterio conjugis vinculum conjugii dissolveretur: hinc si post adulterium conjugis innocens conjux aliam duxisset uxorem, non laudabant quidem factum, sed non penitus improbabant, quod non apud omnes peræque provincias improbaretur. Sane notanda sunt ipsa concilii Vermeriensis verba, a quibus recessit Gratianus in descriptione dicti canonis 24; erat enim ita scribendum: *Siquis cum noverca sua uxore patris sui dormierit; nec ille, nec illa possunt ad conjugium pervenire. Sed ille vir, si vult, potest aliam uxorem habere, sed melius est abstinere. Siquis cum*

filiastra sua dormierit, simili sententia stare potest, et cum sorore uxoris suæ, simili modo stare potest. Itaque quotiescumque quis cum noverca, *filiastra*, aut sorore uxoris concubuisset, conjux innocens tria peragere poterat, et primum quidem, perpetuæ continentiæ vacare, alterum, conjugis rei societate discissa novas celebrare nuptias; postremum, conjugis rei conjugio frui. Patres Vermerienses primum faciendum laudarunt, potius vero, quam ad postremum res reduceretur, tamquam minus malum secundum permiserunt. Forte vero patribus latinis octavi sæculi in quibusdam provinciis admodum gravis videri potuit auctoritas Theodori Cantuariensis, cujus documenta tunc erant vulgatissima, et maxima in existimatione. Hic autem vir apud græcos eruditus in latinas plures provincias græcam disciplinam facile traduxit; ac cum inter cætera docuisset juxta institutiones græcorum, ex adulterio conjugis matrimonii vinculum dissolvi, veteri plurimum potuerunt compendienses episcopi, ne penitus eam doctrinam damnarent, si contrarium statuissent; quamobrem modestius scribere voluerunt, ajentes, melius agere conjugem, qui perpetuo conjugiis abstineret. Videatur pœnitentialis liber Theodori Cantuariensis, c. 11. Sed aliter sese habuerunt generales latinæ ecclesiæ constitutiones, quibus rejectis ceteris, omnino parendum est, postquam præsertim fuerunt in Tridentino confirmatæ.

Altera dissociandæ cohabitationis caussa est, si alteruter ex conjugibus fidelibus a fide deficiat, seu vel ad hæreticos pergat, vel judæorum, æthnicorumque superstitionibus se dedat, cap. 6, de divortiis, cap. ult. de convers. conjugat., non tamen ea de caussa solutum intelligetur ipsum conjugii vinculum, cap. 2 et 7 de divortiis, concil. Trident., sess. 24, de reform. matrim. can. 5. Rationem, quare dimitti, aut relinqui conjux hæreticus possit, aliqui in eo collocant, quod sub nomine fornicationis, qua interveniente dissociari posse conjuges diximus, hæresis comprehendatur, can. 5 et 6, caus. 28, qu. 1. Ego puto, in eo potius collocandam, quod subsit ex individua vitæ consuetudine periculum gravissimum fideli conjugi, unde et ipse in conjugis hæretici crimen facile trahatur, dicto cap. 2, de divortiis. Ex quo sequitur, conjugem fidelem teneri ad recipiendum, et sibi reconciliandum hæreticum, si iste pœnitentia ductus ad ecclesiam reversus fuerit, et in ecclesia per manus impositionem admissus, dicto cap. 6 et 7, de divortiis, nisi tamen in ea conditione esse cœperit fidelis, qua jungi amplius reverso non possit, quemadmodum contingeret, si jam religiosam vitam in monasterio inivisset, dicto cap. ult. de convers. conjugat. Atque hoc est discrimen, quod intercedit inter crimen hæreseos, et crimen adulterii a conjuge admissum, etenim dimissam semel adulteram uxorem ne pœnitentem quidem recipere vir innocens compellitur, ex ea forte ratione, quia adulterium directo adversatur fidei in contrahendo conjugio præstitæ, ideoque difficilius aboletur. Non ignoro, vulgo in contrarium adferri capitulum 3, de adulteriis, ubi sub nomine arelatensis concilii ita definitum legitur: *Si vir sciens uxorem suam deliquisse, quæ non egerit pœnitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, et ejus peccati particeps. Quod si mulier dimissa egerit pœnitentiam, et voluerit ad virum suum reverti, debet, sed non sæpe, recipere peccatricem.* Pithæus ad hoc capitulum adnotavit, laudari potius debuisse ex concilio aurelianensi. Verum neque in aurelianensibus, neque in arelatensibus conciliis editis istud monumentum reperitur. Imo et si ecclesiasticos canones evolvamus, passim quidem traditum agnoscemus, posse virum sibi reconciliare adulteram uxorem post pænitentiam, si voluerit, non tamen teneri; imo et nec posse eam sibi statim reconciliare, sed tum demum, cum pœnitentiam uxor absolverit. Ita statutum est in canone 102, codicis africanæ ecclesiæ. Ita etiam in can. 12, concilii Nannetensis, cujus verba relata sunt in librum 7. Capitularium Francorum c. 332, ibi: *Si cujus uxor adulterium perpetraverit, et hoc a viro deprehensum fuerit, et publicatum, dimittat uxorem, si voluerit, propter fornicationem. Illa vero, secundum quod superius insertum est, publice agat pœnitentiam. Vir vero ejus illa vivente nullatenus habebit licentiam aliam ducere uxorem. Quod si voluerit adulteram sibi reconciliare, licentiam habeat, ita tamen, ut pariter cum illa pœnitentiam agat, et exacta pœnitentia ad communionis gratiam, sicut superius continetur insertum, utrique accedant.* Similia leguntur in pœnitentiali Bedæ, quod evulgavit Mansius in tomo 1. Supplementi Labbeani pagin. 573, ibi: *Vir qui uxorem suam invenit adulteram, et non vult dimittere eam, sed in matrimonio suo adhuc habere, annos duos pœniteat, et jejunia religiosa exerceat. Et quamdiu ipsa pœniteat, abstineat a se matrimonio ejus, quia adulterium illa perpetraverit.* Addo canonem alterum inter adscriptos S. Patricio apud eundem Mansium num. 5, loco citato pag. 337, ibi: *Si alicujus uxor fornicata fuerit cum alio viro, non adducet aliam uxorem, quamdiu viva fuerit uxor prima. Si forte conversa fuerit, et agat pœnitentiam, suscipiet eam, et serviet ei in vicem ancillæ, et annum integrum in pane et aqua per mensuram pœniteat, nec in uno lecto permaneant.* Multa alia monumenta non memoro sane similia, quæ in medium ad hanc rem proferri possent, ex quibus deducatur, non esse verosimile, arelatenses, aut aurelia-

nenses episcopos in eam ivisse sententiam. Quod si Gregorianæ collectionis auctoritas tanti habenda sit, ut nihil omnino in ea legi dicatur, quod ex germanis monumentis depromtum non sit, proptereaque dictum capitulum interpretari potius malis, quam rejicere, non dissentiam, eam ipsi interpretationem affingendo, quæ vulgatae aliorum canonum sententiae conveniat. Nimirum dicam, ideo tradi in eo loco, maritum debere recipere pœnitentem, ut insinuetur, non aliter debere recipere, quam si pœnitentiam exegerit; atque huic interpretationi consonant illa verba, *sed non sæpe*, quasi quæ sæpe in idem crimen inciderit, inania pœnitentiæ argumenta exhibuerit.

Hæreseos, seu infidelitatis exemplo, nonnulli scripserunt, idem esse de aliis, gravissimis saltem, criminibus sentiendum, ut ex. gr. uxor innocens a viro scelesto divertere possit. Ego puto, non esse admittendam dissociationem, quoties maritus uxorem minime pertrahit in criminis societatem; videtur enim pœna illa esse singularis in crimine hæreseos ob gravius, quod exinde imminet animæ periculum ac detrimentum, c. 2, de divortiis, can. 17, 18 et 21, cau. 32, qu. 5. Quoties vero mulier in consortium sceleris a marito vocatur, et pene trahitur, ego non dubito, quin indulgendum sit uxori sibi per dissociationem consulenti, quousque vir non resipiscat, quemmadmodum contingeret, si maritus leno proponeretur, vel si fur, aut latro domum adferret furtivas res, et uxori custodiendas committeret. Hæc suadet naturalis quædam ratio, qua distinguantur depravatio voluntatis, et depravatio intellectus. Duæ istæ animi facultates ubi depravatæ fuerunt, non æque alios inficiunt. Nam prava aliena voluntas, et operatio quamquam mali exempli sit, non tamen adeo facile ceteros movet, ut similia persequantur: at pravus alienus intellectus, cujus vis potissimum in suadendo consistit, procliviores ceteros reddit ad sequenda aliena vestigia. Itaque hæresis intellectum inficit, ac vitiat, inficiunt quoque ac vitiant intellectum cetera scelera, quando eorum reus ceteros urget ad eadem, atque impellit; quamobrem mirum non est, si in his adjunctis conjux innocens a reo conjuge divertere valeat, quamquam in aliis caussis adhuc individuæ vitæ ineundæ rationis obstringatur.

Caussam quoque dissociandis conjugibus integro manente conjugii vinculo præbet gravissimus metus; ne alteruter subjaceat discrimini vitæ, vel salutis, si conjugi adhærere pergat, quod primum ex morbo sontico proficisci potest, quemadmodum superius observandum fuit ad titulum de conjugio leprosorum: deinde evenire potest ex furore conjugis, qui identidem morbo percitus facile sit sano conjugi graviter nociturus; item ex insidiis clam ab uno conjuge paratis, puta venenum conficiendo et subministrando; hac demum ex inferenda mariti sævitia; quæ sane omnia erunt in prudentis judicis æstimatione; etenim ubi de divertendo, agitur res maxime gravis est æstimanda, nec facile ob leviusculas caussas eo erit deveniendum, c. 8 et 13, de restitut. spoliator., atque ita interpretandum censeo Nicolai I, rescriptum ad Bulgaros, cujus verba sunt in can. 22, caus. 32, qu. 5, neque enim Nicolaus aliud innuere volebat, quam non esse facile, et levibus de caussis conjuges odio habendas, vel dimittendas, quemadmodum eousque de more Æthnicorum Bulgari consueverant. Sane in his caussis temporale divortium erit, nimirum quousque morbo sontico, furore, vel vitio conjux laboret; quod si de sævitia, aut paratis insidiis agatur, ex arbitrio judicis pendebit ea cavere, quæ pro personarum adjunctis opportuna videbuntur, ne forte sub specie boni gravissima iniquitas lateat, et reconciliatione simulata irreparabile malum emergat; atque hoc est, quod ait Alexander III in dicto c. 8. *Recepta sufficienti cautione*, et Innocentius III, in dicto c. 13, in fine, *Sufficienti securitate provisa*, uxorem ad redeundum cum viro cohabitaturum compelli.

CAPUT III.

De dissolutione coniugii quoad vinculum.

Cum de dissolvendo ipso conjugii vinculo agatur quo nimirum dissoluto aut uterque, aut alteruter conjux novis possit nuptiis copulari, vix opus est in primis monere, illud morte alterutrius dissolvi; id enim expresse docuit apostolus in epist. 1, ad Corinth, cap. 7, ibi: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit; quod si dormierit vir eius, liberata est, cui vult, nubat.* Hanc regulam Romani veteres latius quam par est, in suis legibus extenderunt, sancientes, eam habere locum, etiam ubi non naturalis, sed civilis, seu fictitia mors intercessisset, qualis intercedere dicebatur, ubi quis in captivitatem, seu servitutem redigeretur, leg. 45, in fine ff. de ritu nuptiar., leg. 1, ff. de divortiis, leg. 56, ff. solut. matrim., adeo ut Triphoninus in leg. 12, § 4, ff. de captivis, scribere non dubitaverit, captivi uxorem ne in matrimonio quidem esse posse, etiamsi animum habuerit, et retinuerit permanendi in conjugio, et in domo mariti habitet.

Eadem ratione tradiderunt, dissolvi quoque conjugium per deportationem, quasi deportatus effectus fuerit servus pœnæ, dicta leg. 56, ff. solut. matrimon. Equidem Justinianus imperator in deportatis eam disciplinam abolevit statuens, servos pœnæ eos non effici, novella 22, cap. 8, at in captivis adhuc vete-

rem traditionem retinuit, novella 22, cap. 7, nov. 117, cap. 12. Quænam caussæ esse potuerint romani juris conditoribus, ut ista reciperent, inferius pandam quum nonnulla tradam de veteribus Quiritium repudiis. Tantum dicam hoc in loco, Justinianum imperatorem ex jure consultorum philosophia putavisse, non aliter matrimonium consistere posse, quam inter eos, quorum conditio esset æqualis, longe autem distabat conditio servorum a conditione civium romanorum, dicta nov. 22, c. 7, Ceterum id displicuit Leoni philosopho, qui in sua nov. 33, eam disciplinam penitus voluit abrogatam et quando in ecclesia expressis canonibus definitum est, conjugia servorum esse etiam sacramenta, dummodo ea concurrant, quæ ad sacramenti celebrationem necessaria sunt, prævaluit, atque adhuc hodie observatur Leonis imperatoris traditio, ut per captivitatem matrimonia non dirimantur.

Olim quoque ex romanis legibus scimus aliquando permissum, ut mutua dissensione conjugum matrimonii vinculum dissolveretur, eodem modo, qui mutuo consensu nectebatur, juxta vulgarem juris regulam, quæ suadet, unumquodque eo modo dissolvi, quo colligatum est. Nihil dico de legibus eisdem Romanis, de iis enim inferius sermo instituetur. Quod si de regula quæratur, suadente, unumquodque eo modo dissolvi, quo est colligatum, ista quidem generaliter recipi potest, ubi actum dissolvi tantum intersit privatorum, nihil autem intersit rei publicæ. At dissolvi conjugia, vel non dissolvi, non tam privatorum interest, quam reipublicæ, et religionis, adversus quam non licet privatis contrahentibus, vel distrahentibus pacisci. Res perspicua esset nisi in medium proponeretur can. 4, caus. 27, qu. 2, ita conceptus sub nomine Joannis Chrysostomi: *Omnis res per quascumque caussas nascitur, per easdem dissolvitur. Matrimonium enim non facit coitus, sed voluntas, et ideo non solvit illud separatio corporis, sed separatio voluntatis. Ideo qui dimittit coniugem suam, et aliam non accipit, adhuc maritus est. Nam etsi corpore iam separatus est; tamen adhuc voluntate conjunctus est. Cum ergo aliam acceperit, tunc plane dimittet. Non ergo qui dimittit, mœchatur, sed qui alteram ducit.* Quid ad hunc canonem dicendum sit, jam in meis animadversionibus in gratianeum codicem adnotavi. Tantum dicam, opus imperfectum in Matthæum non esse Chrysostomi, sed viri involuti erroribus Marcionis, Tatiani et Montani, propetereaque neminem ejus monumenti auctoritate teneri.

Ex doctrina apostoli Paulli dissolvi conjugii vinculum potest, quod fuit in infidelitate contractum, quando alteruter ex conjugibus ad Christi fidem convertitur, altero in infidelitate permanente. Verba Paulli leguntur in epist. 1, ad Corinth. cap. 7, ibi: *Siquis frater habet uxorem infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et siqua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum; sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi.* Considerabat apostolus, tria esse naturalia hominum aut inter se, aut adversus Deum officia; quorum primum est hominum in Deum, alterum conjugis in conjugem, postremum filiorum in parentes, vel e converso parentum in filios. Hæc sane officia certo ordine discreta invicem sunt, quorum nimirum aliud alio præstantius est ac nobilius, proptereaque aliud alii anteferendum. Nobilius sane est officium hominum in Deum, cujus caussa, ubi opus sit, et liberi et conjuges sunt dimittendi, quum gravissimo sint offendiculo, quo spectat evangelicum præceptum, quo jubemur, ut propter nomen Christi et uxorem et filios relinquamus, Matthæi cap. 19, in fine. Imo et cum Christus Dominus etiam jusserit, ut projiceremus a nobis pedem, aut oculum, si in iis scandalizaremur, præceptum eo ipso fuisse videtur, ut si scandalo uxor esset, ea quoque abjiceretur; neque enim alia ratione in cap. 2, Geneseos uxorem non abjiciendam esse a viro traditum est, quam quod uxor esset unum os ex ossibus viri, et una caro cum viro. Post officia hominis in Deum succedunt officia viri in uxorem, et uxoris in virum, et ista anteferuntur officiis parentum in liberos, et liberorum in parentes, unde profluxit alterum naturale præceptum a Deo expresse confirmatum in c. 2 Genesos, *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ.* Quemadmodum igitur insuper habenda sunt officia parentum et liberorum, quando aliud postulant officia viri et uxoris, ita insuper habenda erunt officia viri, et uxoris, quando aliud postulant officia in Deum exhibenda. Neque dicas, in horum conspectu similem recipiendam fore disciplinam, ubi de conjuge alterutro hæretico, aut a fide apostata agatur, aut etiam ubi talis sit conjux, qui in crimina alterum conjugem inducat. Etenim observo in primis, satis prospectum esse in his speciebus conjugi catholico, et insonti, si cohabitatione tenus vitæ rationem dissociet: deinde observo, non adeo facile trahi posse conjugem in fide et proba doctrina altum et educatum in errores, et crimina conjugis apud hæreticos, aut extraneos quoscumque deficientis, quemadmodum trahi posset, qui post conjugium in infidelitate contractum, educatus olim apud infi

deles recens baptismate ablutus est, et Christo regeneratus.

Ex his liquet, non quidem ipso jure dissolvi matrimonium in infidelitate contractum, statim ac quis ad fidem Christi convertitur; sed teneri primum baptizatum conjugem sciscitari ab infideli, an velit et ipse converti, aut saltem velit cohabitare quin injuriam in christianam religionem inferat ullam, baptizatumque a fide removere conetur. Etenim si infidelis conjux aut converti ipse velit, aut habitare consentiat sine molestia, libenter, et sine mærore patiendo, baptizatum in fide suscepta constantissime perseverare, matrimonii vinculum dissolvi nullo modo poterit. Tum demum autem dissolvetur, quum conjux infidelis et pervicax sit in infidelitate, et non alio animo habitare velit cum baptizato, quam ut eundem a fide dimoveat. Quid ergo, si infidelis interrogatus nihil respondeat? Erit abs judice præfigendus dies, quo elapso, et nullo dato responso; res sese habeat, ac si molestum christiano futurum se infidelis profiteretur. Quid item, si infidelis et diu et procul absit, et eo in loco, in quo facile interrogari nequeat? Usus obtinuit, ut hac in specie dispensatio obtineatur a pontifice maximo, ut baptizatus nulla præcedente interrogatione nuptias alias contrahat dissoluto priore vinculo, uti testatur Benedictus XIV, in lib. 6, de synodo diœcesana cap. 4, num. 3, ubi etiam tradidit num. 4, conjugium primum idest in infidelitate contractum, tum demum, cum secundæ nuptiæ contrahuntur, dissolvi. Itaque si interrogatus infidelis respondeat, se habitare nolle sine injuria Christi, poterit baptizatus secundas contrahere nuptias, votum solemne continentiæ elicere, seu suscipiendo sacros ordines, seu religiosam vitam profitendo, ac tum a priore conjugio liber esse dicetur. Quod si nec nuptias ineat alteras, nec solemni continentiæ voto se interea obstringat, nondum omnino dissolutum est primum conjugium; eamque ob rem si re integra conjux infidelis abjecta pervicacia baptismum petat, et convertatur ad fidem consolidari, ac restaurari idem conjugium debet etiamsi forte conjux infidelis, dum fidelem sequi detrectavit, secundum jam conjugium inivisset. Finge nunc eum converti, qui nuptias contraxisset in infidelitate cum ea, cum qua apud nos nullum esse connubium potest, licet apud infideles consistat. Ubi ambo conjuges, vel alteruter convertatur, tanquam irritum omnino illud conjugium declarabitur, si juri naturali, aut divino adversetur; at si tantum refragabitur jus ecclesiasticum, non ideo pro irrito conjugium habendum erit, quod vulgatissimum sit adagium, legibus ecclesiasticis non teneri non baptizatos, cap. 8, de divortiis. Finge aliam speciem: Infidelis quidam juxta morem patriæ suæ plures duxit uxores, deinde ad fidem christianam convertitur. Primam tantum conjugem habere poterit, a ceteris abstinebit. Quod si prima converti nolit nec velit sine injuria christiani nominis cohabitare, nihilominus liber erit a ceteris, cum quibus nullum unquam fuisse matrimonium intelligitur, quod divino jure interdictum in evangelio fuerit pluribus jungi, dicto cap. 8, de divortiis. Denique quæri potest, an liberi ex eo matrimonio suscepti in infidelitate, converso uno ex conjugibus, sint baptizandi? Sane si liberi jam infantiam egressi proponantur, sintque jam septennio majores, voluntati suæ relinquendi esse videatur, neque enim quis invitus ad religionem adducendus est christianam: At si infantes adhuc sint, possunt quidem baptizari, nullo habito discrimine inter patrem conversum, aut matrem, dummodo ita res fiat, ut liberi apud conversum educentur ad evitandum gravissimum apostasiæ periculum, canone 10, caus. 28, qu. 1, cap. 2, de convers. infidelium.

An per professionem religiosæ vitæ in monasterio factam matrimonium jure antea contractum dissolvatur quod vinculum, disputatio fuit celeberrima, quæ juris ecclesiastici studiosos plurimum defatigavit. Quoties de matrimonio consummato agatur, constantissimam habemus ecclesiasticorum patrum traditionem, quæ docet, viro non licere uxori invita aut ignorante, seu e converso non licere uxore invita, vel ignorante marito monasticam vitam profiteri, quam si forte profiteatur, debere conjuge postulante reverti, can. 1, et sequentibus cau. 33, qu. 5, quod adeo verum est, ut etiamsi mortuus sit conjux, redire ad monasterium minime teneatur, cap. 3 et 12, de convers. conjugat. Verum uxore consentiente poterit maritus religionem profiteri, dummodo ipsa uxor sanctimonialium vitam profiteatur, aut saltem perpetuæ continentiæ voto se obstringat, cap. 1, de convers. conjug., quod sane ex episcopi arbitrio pendebit, judicaturi pro personarum adjunctis, an expediat, uxorem potius monasterio addici, an ferendum sit tantum eam voto continentiæ obligari remanentem in sæculo, can. 22 et 23, can. 27, qu. 2, cap. 4, 8 et 18, de convers. conjugat., quamobrem liquet, hac in specie non dissolvi penitus conjugii vinculum, sed potius coniuges perfectioris vitæ ineundæ gratia dissociari. Neque his opponatur aut lex 53, cod. de episc. et cler. § ult, aut novella 123, cap. 40, quibus constitutionibus conjugi in sæculo remanenti concessum videtur secundas nuptias contrahere; etenim constitutiones illæ a sanctis patribus nunquam probari aut recipi potuerunt, quasi divino juri contrariæ, quemadmodum ratiocinatur Gregorius Magnus in can. 19 et 21, cau. 27, qu. 2, quamquam in eo videatur excusandus Justinianus, quod crederet, in divini juris interpretatione locum esse posse fi-

ctioni, sicuti locus aliquando factus est in interpretatione juris humani. Siquidem cum vulgare esset adagium, monachos pro mortuis haberi, putavit ille, marito monasterium ingrediente, eodem modo dissolvi conjugium, ac si eo mortuo dissolveretur, uti ex laudatarum constitutionum verbis adparet. Atque ea fictio eo facilius ab imperatore fuit admissa, quo frequentius ex aliis caussis divortia conjugum tum permittebantur ex juris romani disciplina. Aliud sane traditum est, quoties agatur de matrimonio legitimo quidem et rato, nondum tamen consummato; hoc enim conjugium omnino dissolvi etiam quoad vinculum placuit, si alteruter ex conjugibus monasticam vitam profiteatur, et licere conjugi relicto alias nuptias celebrare, cap. 2 et 7, de convers. conjugat.; quæ traditio confirmata fuit in tridentino concilio sess. 24, de sacram. matrim. can. 6, ibi. *Siquis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum per solemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, anathema sit.*

Plurimum interest hanc ecclesiæ definitionem accurate explicare; novi enim, quam obscura sint, et parum apta, quæ a nostris interpretibus in hac re proferuntur argumenta. Siquidem vulgo traditur a nonnullis, magis firmum esse conjugium consummatum, quam sit ratum tantum quasi secuta traditione, utentibus similitudine emtionis venditionis traditione firmatæ, quæ difficilius rescinditur, quam emtio venditio nudo celebrata consensu. Interea vero cum sentiant facile demonstrari posse, firmitatem vinculi conjugalis oriri potissimum ex contractus celebratione, in qua sacramentum perficitur, et mysterium inest individuæ conjunctionis Christi et ecclesiæ, verba, ut verum fatear, congerunt verbis, germanam ecclesiæ sententia vix attingunt, præsertim in conspectu c. 5, de sponsa duorum, quo reprobata fuit consuetudo Mutinensium, qui putabant conjugium consummatum, ubi corporum traditio facta dicebatur, præferri alteri conjugio præcedenti tantum rato; quasi sine corporum traditione conjugium esset infirmius, allato etiam memorato emtionis venditionis exemplo. Non defuerunt etiam, qui mysteria mysteriis compararent, et sacris sacratiora præferendo, consummatum rato conjugio prætulerint, quod crederent, in conjugio tantum rato esse mysterium conjunctionis Christi et Ecclesiæ, et in conjugio consummato esse mysterium conjunctionis duarum naturarum, divinæ et humanæ in una Christi Persona. Condonanda esset hæc observatio asceticis hominibus, qui plus æquo proveherent rerum divinarum meditationes, quas minus apte certis hominum actibus veluti figuris accommodarent; at jurisconsultorum prudentiæ parum apta esse videtur. Ceterum opinio hæc, qua credatur majorem esse vim consummati matrimonii, quam rati, quæcumque caussa aut ratio fingatur, pervasit duodecimo sæculo plurium animos imo etiam recepta fuit singularibus aliquarum provinciarum consuetudinibus, juxta quas aliquot pontifices maximos respondisse, testatur Alexander III, in cap. 3, de sponsa duorum, et clarius in cap. 3, eod. tit. in 1, collectione decretalium in illis verbis. *Quamvis quidam alii aliter sentiant, et aliter etiam a quibusdam prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum.* Verum postquam veniam dederimus ita opinantibus, quod tunc temporis vulgaris esset clandestinorum, et quæ ex præsumptione emergerent, connubiorum consuetudo, nec facile esset ostendere, consensum de præsenti interfuisse in primo conjugio, ubi aliud conjugium secundo loco initum, et consummatum adpareret, concludemus, et opinionem, et consuetudines illas singulares omnino fuisse damnatas, nec generaliter majorem datam fuisse consummato, quam rato tantum conjugio firmitatem, dicto cap. 3 et ult. de sponsa duorum. Alii Justinianum secuti in dicta leg. 5, cod. de episc. et cler., et dicta nov. 22, tradiderunt, ideo dissolvi conjugium ratum per ingressum alterutrius conjugis in religionem, quia religiosus mortuo æquiparatur, argumento canonis 53 et 54, caus. 2, quæst. 7. Sed nemo statim non videt, hac in re fictioni prævalere veritatem debere, atque eandem fictionem, quoties admittatur, facile operaturam eundem effectum in matrimonio consummato. Alii secuti, et Gregorium Magnum in can. 19 et 21, caus. 27, qu. 2, et Alexandrum III, in c. 2, de convers. conjugat. tradiderunt, tum demum repugnare, alterum conjugem monasticam profiteri vitam, quando facti sunt una caro, ne illud absurdum eveniat, ut una eademque caro uno eodemque tempore in monasterio sit, et extra monasterium. Verum quousque ista ratio nobis indicat, et Alexandri, et Gregorii eam fuisse sententiam, ut conjugium consummatum non dissolvatur, quando dissolvitur ratum religiosa secuta professione, facile admittetur; sed si quisquam eo ulterius contendat, ut persuadere velit, his veluti fundamentis ecclesiæ doctrinam stabilitam a laudatis pontificibus maximis fuisse, facile adsentiri non possumus, siquidem non ignoramus, sicut in conjugio consummato una fit conjugum caro, ita in conjugio rato unum fieri consensione conjugum animum; quo supposito jure postulabimus, quomodo fieri possit, ut unus factus animus possit esse intra et extra monasterium, quando admittunt, conjugium ratum religiosa professione dissolvi, si non percipiunt, quomodo una facta caro intra et extra monasterium esse possit. Non persequor ulterius hoc et similia argumenta statim enim multa emergerent, quibus tempus terere inanibus tricis viderer.

Itaque solidiora aperiamus gravissimæ doctrinæ fundamenta. Jure divino indissolubile conjugium est; major etiam tum accessit conjugio firmitas, cum in evangelio in conjunctione viri et uxoris figura fuit proposita conjunctionis Christi et Ecclesiæ, quod sane potissimum in conjugio rato adparet. Hinc ajebat Christus Dominus: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Quum igitur præceptum est, ne homo sejungeret conjunctos a Deo, perspicue innuitur, sejunctionem ejusmodi Deo reservari, quemadmodum observavit Innocentius III, in cap. 2, de translat. episcop. Deus autem nullibi verbo suo testatus est, se nunquam conjugia legitima, et a se semel juncta dissoluturum; imo et constat aliquando voluisse disjungere, quando per apostolum Paullum permisit infideli accedenti ad christianam fidem conjugio in infidelitate contracto liberari, ubi suscipiendæ, vel recens susceptæ fidei ratio id postularet. Quamobrem si alterutrum conjugem Deus ad ineundam vitam monasticam vocet, Deo jubenti erit obtemperandum: atque conjugium tunc dissolutum non alia, quam divina auctoritate rescissum videtur, ut ait Alexander III, in c. ult. de convers. conjug. in 1, collectione decretalium. Porro divina voluntas aut generalis est, quæ in sacris literis exprimitur generalibus propositis institutionibus, quemadmodum illa, qua traditum scimus, conjugia infidelium aliquando baptismo suscepto rescindi; aut singularis, quæ vulgo divinæ inspirationis certum hominem illustrantis nomine appellatur. In hac specie dissolvendorum conjugiorum ineundæ monasticæ vitæ caussa, generalem Dei præceptum non habemus, quemadmodum habemus, de dissolvendo conjugio caussa fidei christianæ, siquidem christianæ fidei caussa præterquamquod omnium maxima et gravissima, omnibus etiam hominibus communis erat, et digna propterea fuit, quæ ex Dei clementia generalibus institutionibus promoveretur. At caussa monasticæ vitæ singulares quosdam a Deo selectos homines solummodo respicit, quos propterea concitat interior singularis mentis illustratio, et divinus impulsus. Hic autem divinus impulsus duplex esse potest, nimirum ordinarius, quem regulariter in eo præsumimus, quicumque ad monasticam vitam se vocari sentit, ac profitetur; et extra ordinem datus, qui ex gravioribus quibusdam argumentis adparet, quem mira quædam, et præter naturam emergentia, procul omni dubitatione demonstrant. Posterior hæc ratio vocandi homines ad vitam monasticam infrequens admodum est, atque instar miraculi, quam propterea superare omnem legem, adfirmavit Innocentius III, in cap. 14, de convers. conjugat.; ubi vero de ea constet judicio ecclesiæ, non dubito, quin statim ad dissolutionem etiam consummati conjugi deveniendum sit, non hominem tunc, sed Deo conjugium dissolvente, quemadmodum de conjugio Sancti Theonas refert Cassianus collat. 21, cap. 20. Quid enim repugnat, ex iis, quæ extra ordinem divina potestate fiunt, extraordinarios effectus proficisci? At quoties agitur de priore, seu ordinaria divinæ vocationis specie, hæc quidem explorari solet variis institutis probationibus, sed humano tantum modo attingitur ita, ut probationibus positis gravissimæ ad summum conjecturæ divinæ voluntatis emergant, non de eadem divina voluntate certo adeo constet, ut nulla omnino superesse ne levissima quidem dubitatio possit. Hinc sequitur, quoniam præcipuus divinæ voluntatis interius moventis testis est ille ipse, qui ad religionem adspirat, plurimum ipsius testimonio tribui, quoties tales conjecturæ sunt, ut verosimiliter adpareat, illum revera divina voluntate moveri; neque in contrarium gravis esse suspicio potest, ne forte alia de caussa, quam divino impulsu, ad monasterium accedat. Quod si suspicio nec levis suboriatur, ne forte monasticam vitam quærat aliis de caussis, ordinaria divinæ voluntatis exploratio non sufficit, neque ecclesia divinam voluntatem, facile existere judicat, nisi de ea aliter, et clarius constet. Itaque cum matrimonium est consummatum, si conjux ad monasticam vitam amplectendam a Deo moveri se dicat, ex ordinariis tantum probationibus divinam voluntatem non satis ecclesia colligit, quod plurimas subesse posse caussas agnoscat, quibus præter Dei voluntatem conjux ad vitæ mutationem adducatur. Quid enim, si tædeat illum aut maritalis in uxorem, aut paternæ in liberos curæ? Nonne etiam metu electio religiosæ vitæ extorqueri a marito facile poterit? can. 2, caus. 33, qu. 5. Non memoro alia similia bene multa, quæ emergere possunt post diuturnam conjugum conversationem; unde dubitare jure ecclesia possit de divina vocatione, quidquid unus ex conjugibus serio adfirmet; atque in dubio optimum consilium est, ut firmum tueatur conjugium, quod fuisse a Deo junctum certissime constat. In matrimonio necdum consummato, ubi alteruter conjux dicat, se se moveri a Deo ad religiosam ineundam vitam dicenti facilius creditur; cum enim nullæ esse videantur, quæ contrarium indicent, conjecturæ, satis est ecclesiæ, ordinario more divinam explorare, voluntatem, qua ordinario more explorata declarat, vere a Deo vocatum conjugem, ac proinde contractum conjugium auctore Deo dissolvi.

In claro lumine, uti liquet, collocata es ratio, quare per religiosam professionem dissolvatur rati, non consummati conjugii vinculum. Ex quo facile etiam colligitur ratio, quare non similiter dissolvatur per sacri ordinis susceptionem. Etenim divina voluntas, ubi agatur de ministris sacris ordinandis, non

pendet præcipue ex testimonio illius, qui est ordinandus, sed potius pendet ex judicio ecclesiæ, quo quis ad sacram ordinationem vocatur; hinc neminem novimus ad monasticam vitam reluctantem adductum, scimus autem sanctissimos viros etiam invitos ad ordinationem clericalem attractos ecclesiæ suffragio, quemadmodum de eligendis episcopis ajebant imperatores Leo et Anthemius in l. 31, cod. de episc. et cler. quos amabant ita ab ambitu esse sepositos, *ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi; profecto enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus.* Profecto ecclesia eos, qui matrimonium contraxerunt, non solet ad sacros suscipiendos ordines invitare. Quod si divina voluntas specialiter id aliquando ab ecclesia postularet, ecclesia ipsa, quæ divina oracula optime sentit, agnoscitque, tunc sine dissolutione conjugii vocatos a Deo maritos ordinaret, uti contingit apud Græcos; non enim æque conjugum conditioni ecclesiasticus status, ac religiosa professio adversatur, extrav. un. de voto apud Joannem XXII. Non est tamen dubitandum, quin etiam apud Latinos recipi possit, ut maritus sacris ordinibus initietur, dummodo uxor consentiat, et continentiam perpetuam profiteatur, eodem sane modo quo superius diximus, maritum etiam consummato matrimonio uxore consentiente posse vitam monasticam profiteri, can. 14, dist. 32.

Quoties conjux ante conjugii consummationem ait, se deliberare adhuc, an velit monasticam professionem emittere, potest adstringi intra certum tempus postulante altero conjuge ad professionem emittendam, qua non secuta ad consummandum matrimonium obligetur. Hoc tempus olim determinatum non erat; cum vere proposita fuisset hujusmodi species Alexandro III, idemque pontifex in singulari caussa rescripsisset, expectandum bimestre tempus, cap. 7 de convers. conjugat. receptum est, ut regulariter duorum mensium spatium sit petenti conjugi concedendum. Dixi receptum esse; neque enim id generaliter statuit Alexander III in dicto cap. 7, tantum duos menses præstituit, quum jamdiu diuturna lis instituta fuisset, unde colligitur, diuturnius adhuc tempus præterlapsum in proposita specie fuisse. Ceterum vulgaris illa traditio planam invenit, ac facilem executionem usque ad tempora Tridentini Concilii, cum annus probationis caussa ineundæ vitæ monasticæ non necessario requireretur, sed posset eidem probationis anno quasi beneficio cuidam lege concesso renunciari, cap. 16. de regularibus. Postquam tamen Tridentino Concilio cautum est, ut ab omnibus sine discrimine probationis annus impleatur, quacumque renunciatione irritata, sess. 25, de regular. cap. 15, fieri cœpit locus disputationi inter interpretes. Quidquid alii dicant, mihi probabilissimum videtur, pristinam illam duorum mensium designationem concedendam esse, antequam habitum induat conjux, sed et præterea annum novitiatus esse expectandum, imo etiam longius adhuc tempus, quoties singulares nonnullorum monasteriorum leges diuturnius tyrocinium emetiendum præstituant. Idipsum dico, si puella duodecim annos tantum nata nuptui data sit; erit enim expectandum eo usque, donec annus decimusextus impleatur, juxta tridentinam constitutionem sess. 25, de regularibus cap. 15. Neque enim verosimile est, Tridentinos Patres aut voluisse veterem jurisprudentiam abolere, ut nusquam amplius contingere posset, matrimonium ratum per monasticam professionem dissolvi, quando et id speciali decreto confirmaverunt, can. 6, de Sacram. matrim. sess. 24, aut voluisse in proposita specie annum tyrocinii relaxare, quando de eodem anno sine ullo discrimine statuendo maxime solliciti fuerunt, dicto cap. 15, imo et in eo, qui post contractum conjugium ait, se ad religiosam vitam vocari, maturior videtur facienda esse deliberatio, quam in aliis casibus, ob fluctuantem, qualis ex iis adjunctis adparet, animi sententiam. Neque dicas, id obesse plurimum conjugi in sæculo remanenti, quoties tamdiu expectare cogatur, etenim æquo animo sustinere debet, conjugem, quem sibi amanter sociavit, nonnisi matura deliberatione, et quæ ab ecclesia regulariter præstituitur, perfectiorem statum arripere. Quid enim, si idem conjux infirmaretur? Quid, si caperetur ab hoste? Quid, si aliquid simile contingeret, quo dissociari invicem oporteret?

Quæri ad hanc rem posset, quid juris, si cognita a marito uxor fuerit ante celebrationem nuptiarum, item si per vim fuisset matrimonium consummatum? Neutro in casu puto dissolvi conjugium monastica professione; etenim in prima specie conjugii celebratio quodammodo ad præteritum tempus retrotrahi videtur, vel favore liberorum, uti superius traditum est, vel ut nihil inter conjuges supersit, quod præferat turpem et inhonestam imaginem: atque in secunda specie verum est dicere, conjugium consummatum fuisse, et quidem non omnino injuria, ob factam conjugibus mutuam corporum potestatem; alias autem verum est, consummata conjugia per professionem religiosam dissolvi non posse. Si præterea quæras, quænam ad hunc effectum dicatur religiosa professio, paucis dicam, eam in proposito appellari, qua superius diximus, impediri omnino conjugia ne contrahantur, et postquam contracta sunt ea præcedente dissolvi, juxta extravagantem unicam de voto et voti redemtione apud Joannem XXII.

QUÆSTIO I.

De vetere repudiorum disciplina, qualis apud Judæos, Romanosve obtinebat.

Mores Judæorum veterum, item Romanorum, quibus permissum legimus facile conjuges dissociari, gravissimam, ut verum fatear, semper ingesserunt difficultatem iis omnibus, qui de conjugiorum indissolubilitate sermonem instituerunt. Ut de Judæis primum loquar, legem ipsi proponunt a Mose acceptam, quæ his verbis exprimitur in cap. 24. Deuteronomii. *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius et dimittet eam de domo sua; cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, et abominabilis facta est coram Domino.* Ex quibus liquet, judaici repudii has fuisse leges. Primo, vir quidem uxorem repudiare poterat, non uxor a viro recedere. Secundo, non opus erat marito certas repudii caussas allegare, satis erat illi, si displiceret consortium uxoris. Tertio, repudium non voce tenus, sed libello, et scriptura indicendum erat. Quarto, si repudiata alteri nupsisset, non poterat, ne post repudium quidem a secundo viro datum, imo nec post secundi viri mortem, ad priorem conjugem reverti, licet prior conjux eam sibi sociari iterum postularet. Sunt, qui addunt, eam fuisse etiam repudii legem, qua repudiatæ permitteretur jungi secundo viro, et repudianti alteram sibi uxorem sociare. Verum fateor quidem ego, ita facto suo demonstravisse Judæos, quemadmodum etiam hodie in suis libelli repudii formulis demonstrant, cum in libello scribant, licere dimissæ aliud conjugium contrahere, quemadmodum liquet ex formula ejusdem libelli, quam exhibet Sixtus Senensis in lib. 2. Bibliothecæ sanctæ verbo *repudium* his verbis: *In sexta Sabbati, in duodecima mensis Adar, anno a creatione mundi etc. in urbe N. in Italia. Ego N. N. filius N. N. sponte mea, et ex animo, et citra ullam coactionem dimitto a me N. filiam N. et concedo ei licentiam et potestatem, ut ad arbitrium suum abeat, quo ei visum fuerit, ducique possit ab omni viro, nec eam quisquam prohibere præsumat. In cujus testimonium dedi ei hunc librum repudii, et schedam dimissionis, atque signaculum divortii juxta constitutionem Moysi, et Israel, præsentibus testibus infrascriptis.* (Subjiciuntur hic trium testium signacula) Interea tamen ex lege Mosis nihil tale deduci videtur; quinimmo ibidem secundo ducta *polluta dicitur, et abominabilis coram Domino.* Ad summum concedam, secundo nubentem non subjectam fuisse legitimis adulterii pœnis, at scelere immunem fuisse, nec facile nec tuto audeo adfirmare. Quod omni dubitatione caret, illud est, quod generali consensione tradiderunt Sancti Ecclesiæ Patres, nimirum totam, atque integram Mosis legem, non repudii disciplinam probavisse, sed dispensatione quadam permisisse, ut graviora mala evitarentur. Ad rem Hieronymus in cap. 5. Matth. vers. 3. *Moyses libellum repudii dari jussit propter duritiam cordis maritorum, non discidium concedens, sed auferens homicidium; multo enim melius erat lugubrem evenire discordiam, quam per odium sanguinem fundi.* Idem Christus Dominus perspicue hoc ipsum in evangelio explicavit; etenim Matthæi cap. 19, interrogantibus Pharisæis, an liceret homini dimittere uxorem suam quacumque ex caussa, atque ad eam rem subjicientibus Mosis exemplum, qui libellum repudii dare, et dimittere mandaverat, postquam respondit, non esse ab homine separandum, quod fuit a Deo conjunctum, ait: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.* Ad mosaicæ legis interpretationem duo necessario sunt distinguenda. Primum est, potuisse maritos uxorem dimittere; alterum est, maritos uxorem dimissuros libellum repudii dare debuisse. In primo nulla legis potestas inerat, tantum dispensatio quædam, seu indulgentia, dixerim etiam patientiam, qua fiebat, ut dimittens pœnam legis evaderet. In altero præceptum gravissimum continebatur; noverat enim Moses, ea ratione difficiliores fieri et rariores divortiorum caussas, quod maxime erat in Judæorum Republica exoptandum, quoniam vix obtineri poterat, ut repudia abolerentur, quin graviora emergerent incommoda. Quis statim non videt, Judæos ad conscribendum libellum repudii adstrictos in primis serio de dimittenda uxore cogitare, ac deliberare debuisse? Dum hæc deliberatio fieret, sperari poterat, ut quiesceret præceps animi flagrans impetus, qui forte maritum corripuisset, et ad dimittendam uxorem adduceret. Deinde quoniam acta publica a scribis publicis pendebant, et scribæ viri essent in populo selecti prudentissimi, facile evenire poterat, ut concitati conjugum animi interpositis amicorum, et prudentum virorum officiis conciliarentur, et quod gerendum erat in conscribendo libello, in irritum omnino caderet. Prudens hæc erat œconomia, qua sane opus non fuit in novo Testamento, in quo sicut conjugium majorem accepti firmitatem ob figuram conjunctionis Christi et ecclesiæ, majorem etiam Dei gratiam fidelibus conci-

liavit ob dignitatem Sacramenti accedentem, qua sanctior redditur mutua conjugum charitas, ita facilius sperandum erat, futurum, ut nulla suborirentur incommoda, quibus ad similem dispensationem esset aliquando deveniendum.

Non procul a moribus Judæorum distabat Romanorum veterum disciplina, apud quos et repudia, et divortia vigebant. Repudiorum nomine proprie intelligebant quamcumque revocationem, seu dissolutionem sive jam initi, sive futuri ineundi conjugii; sed nomine divortiorum tantum dissolutionem jam initi matrimonii significabant; eamque ob rem repudiatas, vel sponsas, vel uxores dicebant, divertisse non sponsas, sed uxores, l. 2, ff. de divortiis, et repudiis, l. 101, § 1, et l. 191, ff. de verbor. signif. Non est, cur de sponsorum repudiis hoc in loco sermonem instituam, de quibus superius actum est. Tantum de repudiis conjugum agendum superest, quæ proprie divortia dicimus. Horum plane origo non adeo antiqua fuit apud Romanos, ut eorum nequeamus prima vestigia indicare. Etenim refert Aulus Gellius in lib. 4. Noctium Atticarum cap. 3, per quingentos et amplius annos post Romam conditam nulla unquam fuisse conjugia divortiis dissoluta, et primum Spurium Carvilium, cui Ruga cognomentum fuit, virum nobilem divortium ab uxore fecisse, quia liberi ex ea corporis vitio non gignerentur, anno urbis conditæ 523, atque is Carvilius traditur, uxorem, quam dimisit, egregie dilexisse, carissimamque morum ejus gratia habuisse; sed jurisjurandi religionem animo atque amori prævertisse, quod jurare a censoribus coactus erat, uxorem se liberorum quærendorum gratia habiturum. Paullatim eodem urbis conditæ sæculo illud Romani receperunt, ut facile, atque etiam pro lubitu uxores dimitterent, quibus puto plurimum stimuli adjicere potuisse exemplum Judæorum, quibuscum circa annum ab urbe condita 580, fœdus iniverant, quemadmodum legimus in 1. libro Machabæorum cap. 8, neque enim inverosimile est, divortiorum disciplinam Romanis eo usque fere inauditam ad eosdem fuisse a populo Judæorum fœdere juncto derivatam. Ex eo paullatim factum est, ut duplex esset divortiorum genus, quorum alia ex caussa dicebantur, alia bona gratia fieri; atque in eisdem distinguebantur abs Judæis Romani, quod apud Romanos æque vir uxorem dimittere poterat, atque uxor a viro recedere. Ex caussa dicebatur divortium fieri, quando non sponte, et pro lubito conjuges dissociabantur, sed legitimis intervenientibus caussis, quæ sane a principio ex prudentis judicis arbitrio pendebant, deinde jure determinatæ fuerunt, quemadmodum in l. 8, et 11, cod. de repud., nov. 22, cap. 15, et nov. 117, cap. 8, et sequentibus; quibus addi potest lex 1, cod. Theodos. de repudiis; atque ejus divortii effectus erat, ut qui caussam divortio dederat, si vir esset, donationem propter nuptias, si uxor, dotem amitteret. Divortia bona gratia fieri dicebantur, quoties conjuges mutuo consensu, et sine ulla caussa dissociabantur, sine ulla pœna, idest recuperante dotem uxore, et donationem propter nuptias retinente marito, quod liquet potissimum ex ejusdem divortii formula, cum diceret maritus uxori; *res tuas tibi habeto*, responderet uxor marito; *res tuas tibi agito*, l. 2, § 1, ff. de divort. et repud. Ne vero per hunc conjugum consensum fraus alteri fieret, cautum erat, non valere divortium, quoties patri mariti filiifamilias obfuturum esset. Quid enim, si pater in potestate filium habens dotem recepisset, et filius conjugem suam patre ignorante, vel contradicente dimitteret? Non valebat actus in fraudem patris elicitus, quemadmodum ab initio matrimonium sine consensu patris contractum nec justum, nec legitimum habebatur, l. 3, et ult. cod. de repud. Item cautum fuit, ut ne mariti, vel uxoris pater dissentientibus conjugibus divortium indiceret, etiamsi pater filium, vel filiam, cujus divortium desiderabat, in potestate haberet, l. 5, cod. eod. tit. Prælerea caverunt Romani, ut cum divortia fierent, de illis publice constaret, ne passim is ad secundas nuptias admitteretur, qui in primo adhuc esse conjugio videretur; quamobrem non aliter divortium ratum habebatur, quam si septem testes, et romani cives, et puberes interfuissent, l. 9, ff. de divort. et repud. Sed hæc divortia, quæ bona gratia fieri dicebantur, Justinianus tandem abolevisse videtur in nov. 117, cap. 10, nisi tum demum, quam uterque conjux de servanda continentia deliberaret, qua in specie non conjugii vinculum dissolutum fuisse credimus, sed tantum dissociatam communis vitæ olim initæ rationem; quamquam Justinus Imperator Justiniani filius voluerit veterem divortiorum bona gratia faciendorum reduci disciplinam, modo libellus repudii conscriberetur, nov. 140, quæ tamen veluti jus commune in toto romano imperio recepta non fuit.

Nemo non videt, hanc romani juris disciplinam displicuisse ecclesiasticis patribus, can. 17, 18, can. 32, quæst. 5, can. 1, caus. 32, quæst. 7, can. 2, caus. 33, quæst. 2, quod et adnotavit, imo et demonstravit Jacobus Gotofredus in notis at legem 1, cod. Theodos. de repudiis. Et quidem quousque de romanis legumlatoribus loquimur, qui christianam fidem necdum amplexi fuerant, nimirum a temporibus Carviliani divortii usque ad tempora Constantini Magni, nihil est, quod miremur, si, qui Christum aut minime noverant, aut insequebantur, a Chri-

sti institutionibus recesserunt. Quod si nonnulli hinc occasionem arripiant, damnandi memoriam religiosissimorum Imperatorum, Constantini præsertim, Theodosii seu Senioris, seu Junioris, nec non Justiniani, quod vel repudiorum disciplinam non penitus aboleverint, vel eamdem statutis novis legibus confirmasse visi fuerint, ego potius excusatos quoquo modo haberi vellem: in primis, quod leges dicendæ essent non solis christianis, sed etiam alienæ religionis hominibus, qui tunc latissime diffuso Imperio suberant: atque cum optime scirent, christianis interdicta fuisse divina lege repudia, facile sibi persuadebant, latas de repudiorum caussis, et formulis leges tanquam ceteris minime christianis accommodatas habitum iri. Ut enim leges illæ non repudia laudabant, nedum non præcipiebant, uti scribit S. Augustinus in lib. de bono conjugali cap. 7, unde detromptus est canon. 1, caus. 32, qu. 7, sed tantum modum faciendorum repudiorum indicabant, facile intuebantur christiani, easdem ad se non pertinere, sed ad eos tantum, qui nondum potuerant ad Christi fidem, ac legem adduci. Deinde in eisdem legibus quid aliud adparet, quam veterem repudiorum agendorum libertatem jamdiu vigentem angustioribus paullatim et sensim terminis circumscriptam a christianis imperatoribus fuisse, dum cautum est, a solis conjugum parentibus non potuisse repudium indici, dum cautum est, non omnes caussas ad repudium faciendum sufficere, dum denique cautum est, repudia, quæ bona gratia fieri dicebantur, in posterum non licere? Tantum reprehendi posset laudata constitutio Justiniani in nov. 140, qua iterum reducta sunt divortia bona gratia, quæ jam fuerant abs Justiniano abrogata. At de Justino ita dicentem Evagrium exhibet Baronius ad annum 566 num. 11. *Quod ejus vitæ rationem attinet, deliciis revera defluxit, et mollicie, in voluptatibus obscœnis volutatus, alienæ pecuniæ adeo ardenter appetens, ut omnia iniqui quæstus gratia divenderet, imo vero etiam ipsa sacerdotia, divinum numen minime reverens, plebeis hominibus venalia palam exponeret.* Ceterum ubi de religiosis imperatoribus, qui Justinum antecesserunt, sermo sit, erat illa prudens quædam eorumdem œconomia, qui corruptos populi lati diffusi, et innumeræ gentium multitudinis mores paullatim et sensim ad evangelicas institutiones efformare conabantur, quoad fieri posset, nec novum est, dum nequissimos abusus diuturnum tempus in magna multitudine invexit ac fovit, interea providos principes gravioribus occurrere, futurum sperantes, ut aliquando depereant omnes, atque evanescant. Tandem observari adhuc potest, apud Romanos disciplinam fuisse, qua patrifamilias quoddam officium fere publicum respectu familiæ regendæ demandatum videbatur, quod adparet in potestate illi concessa coërcendi etiam corporalibus pœnis eos, qui in familia delinquunt, quasi domestico judicio condemnatos; quam sane potestatem, licet recentiore ætate circumscribenda fuit, olim tamen nemo ignorat amplissimam fuisse; neque enim suspicio erat, patrem improbe de suis, seu in familia existentibus judicaturum, eamque ob rem de judicio patris nulla quæstio proponebatur. Hinc forte evenit, ut, quoniam uxor in manum viri convenire dicebatur, et ad viri familiam pertinere, si forte ab eodem viro dimitteretur, præsumeretur nonnisi ex magna et gravissima caussa dimitti, quin de ea judicio publico quæreretur. At primis ecclesiæ sæculis nondum definita quæstio erat, an nulla unquam proponi caussa possit, qua conjugium dirimatur, cum ne quibusdam gravissimis caussis, ac specialiter de adulterio, disputatum etiam apud ecclesiasticos patres aliquando sciamus, quemadmodum fuit superius observandum. Quibus recte consideratis, excusandos saltem putos veteres illos legumlatores, qui non eas de repudiis omnino abolendis leges sanxerunt, quæ recentioribus temporibus palam edi ac proponi commodius potuerunt.

QUÆSTIO II.

De secundis Nuptiis.

Huc referendus est titulus 21, lib. 4, juncto titulo 21, lib. 1. Decretalium.

Nomine secundarum nuptiarum proprie non hic eas intelligo, quæ contrahuntur, postquam declaratum est, primo contractas non valere; istæ enim licet facto secundæ dicantur jure tamen sunt primæ: neque hic intelligo illas, quæ prioribus adhuc consistentibus perperam contrahuntur; istæ enim adulterii potius, quam nuptiarum nomine dignæ sunt, etiamsi tunc initæ proponantur, quando divortium inter conjuges primo conjunctos celebratum fuerit. Illas potius intelligo, quæ contrahuntur a conjuge post mortem conjugis, vel vivente quidem adhuc conjuge, sed matrimonio etiam quoad vinculum rite dissoluto, in iis nimirum specibus, quas superius expendebam. Sane cum de talibus nuptiis agimus, nulla dubitatio est, quin divina, et ecclesiastica lege non damnentur, cum vel ipse apostolus Paulus id expresse declaraverit in epist. 1, ad Corinth. cap. 7. Ceterum plurima sunt apud veteres ecclesiæ patres monumenta, quibus fideles a secundis nuptiis arceri, quasi a flagitio quodam jubentur. Non enim ignoro, modo bigamos fuisse pœnitentiæ publicæ addictos, modo a sacris or-

dinibus exclusos, modo secundis nuptiis sacerdotalem benedictionem, quæ primis concedebatur, negatam, can. 4 et 5, dist. 16., can. 13, 14, 15, dist. 54., cap. 1, et passim de bigam. non ordin., cap. 1 et 4 hoc tit., can. 8, caus. 31, quæst. 1, can. 4. S. Basilii ad Amphilochium, et alibi quam frequentissime. Addo, quosdam ex Imperatoribus Justiniano recentioribus abominabiles habuisse tertias nuptias, et gravibus pœnis obnoxias reddidisse, uti liquet ex novella 2 Constantini Porphyrogenetæ, quæ habetur ad calcem codicis Justinianei, atque ex novella 90. Leonis philosophi. Non sunt hæc ita in medio relinquenda, ut singulari observatione non explicentur.

Itaque ego in primis animadverto, veteres illos canones, ac legum definitiones tunc temporis præsertim conditos fuisse, cum vigebat apud Christianos Romanarum legum disciplina, juxta quam qui divortium a conjuge fecisset, sibi blandiebatur, posse se aliud inire conjugium despectis Evangelii legibus: quamobrem secundas se nuptias celebrare dicebat, qui non nuptias celebrabat, sed turpe adulterium admittebat; quod, si Romanis legibus sine pœna erat, non erat tamen Ecclesiæ canonibus tolerandum. Deinde animadvertere oportet, secundis nuptiis, quæ solutis omnino prioribus celebrandæ essent, Ecclesiam non eodem modo favisse, sicuti primis, quamvis nec secundas ipsas nuptias, nec ulteriores damnaret. Agnovit Ecclesia in secundo nubentibus, vel secundam uxorem ducentibus, miserabiliorem quandam infirmitatem, cui per secundas nuptias, vel ulteriores occurrebatur; quemadmodum enim in maxima erant existimatione, qui virginitatem profitebantur, nec nisi inferiore gradu erant, qui primas nuptias contrahebant; ita nonnisi tertio gradu, aut etiam post tertium, qui secundas, vel ulteriores nuptias contraxissent, collocabantur, quasi longe imparis meriti atque virtutis. Neque tantum in istis quædam gravis adparebat infirmitas; verum etiam secundæ ipsæ, vel ulteriores nuptiæ non adeo perfecte videbantur significare divina mysteria, quæ sub matrimonii specie latent, quemadmodum primæ significant. Nimirum in primis nuptiis junctus uxori maritus junctum Christum Ecclesiæ repræsentat, juxta doctrinam Apostoli; at secundæ, vel ulteriores nuptiæ licet idem repræsentare etiam possint, aliqua tamen ex parte, scilicet in ea, qua respiciunt præcedens conjugium dissolutum, indicant dissociatum fuisse fœdus, quod ceteroqui indivisam Christi et ecclesiæ conjunctionem olim significabat, unde non undecumque perfectum in secundis nuptiis videtur esse mysterium. Præterea quicumque in veterum Patrum monumenta accuratius intendat, commode observabit, sacerdotalem benedictionem, qua conjugia consecrantur, multiplicem fuisse; erat enim benedictio illa nuptiis omnibus communis, quæ consentientibus sponsis in ipso contrahendo conjugio statim, et sine intervallo concedebatur, quam nonnulli veram sacramenti formam putant a sacerdote quasi a ministro pronunciatam; erant itidem aliæ benedictiones, quæ ceremonias celebrandi conjugii solemniores reddebant, dum sacerdos etiam inter ipsa missarum solemnia publice sponsis bona omnia a Deo nuptiarum auctore, a Christo Sacramenti institutore, precabatur, quæ sane omnia vivus est notis singularibus perspicue distinxisse Tertullianus, dum nuptias memoraret, quas *Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, obsignat benedictio*, lib. 2., ad uxorem cap. ult. Recentioribus demum sæculis a scholasticis dubitari cœpit, num semel suscepta conjugalis benedictio iteranda esset, quam perpetuo in personis, quibus benedictum fuerat, consistere nonnulli credebant, quemadmodum arbitratus fuisse videtur Urbanus III in cap. 3 de secundis nuptiis, dum ideo bigamis benedictione suscipienda interdicit, *quia cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet.* Atque id facile nonnulli recipere potuissent, etiamsi ex duobus contrahentibus unus tantum bigamus esset, quod bigamus ipse cum secunda conjuge benedictionem suam communem habere videretur, eodem modo, quo jura adfinitatis contractæ olim in secundum conjugem transmittebantur, dum adhuc vigerent tria illa adfinitatum genera, de quibus mentio est in cap. 8 de consanguin. et adfinit., propterea quod illud, quod dici solet de viro et uxore *Erunt duo in carne una*, ita ex scolasticorum provecta interpretatione intelligebatur, ut quæ uni congruerent, in alterum transferrentur, juxta ea, quæ superius expendebam, quum de variis adfinitatum generibus agerem.

His præjactis, commode explicantur propositi canones, aut constitutiones. Si enim ex illis adparet, bigamos ab ordinatione sacras fuisse rejectos, constabit statim, non ideo fuisse rejiciendos, quod criminis rei haberentur, sed quod essent infirmiores; ecclesiam vero consuevisse ad clerum promovere non innoxios quoscumque, sed eos, qui digniores præ ceteris existerent. Si ex illis adparet, non consuevisse ecclesiam secundis nuptiis benedicere, nomine benedictionis non generalem illam, et nuptiis omnibus communem intelligemus, sed maxime solemnem, quæ etiamnum nostris temporibus omitti solet non omissa communi; atque ubi de canonibus recentioribus sermo sit, dicemus, ideo non adhibitam aliquando fuisse in secundis nuptiis benedictionem, quia nonnulli piaculum putarent, eam bis recipi, ac bis concedi. Si demum ex illis adparet, inter pœnitentes bigamos admissos fuisse, gravioribus autem pœnis, seu, ut magis proprie loquar, pœnitentiis addictos fuisse, qui matri-

monia ulteriora contraxissent, pœnitentias intelligemus non ad pœnam admissi delicti luendam, sed ad infirmitatem juvandam, fuisse eisdem impositas. Additur his, vetustioribus patribus rigidiores fuisse formulas, quibus bigamos insequerentur, quod tunc temporis bigami erant passim, qui primo conjugio adhuc consistente, sive secuto divortio, conjugia secunda, vel ulteriora contrahebant, quam sane secundarum, aut ulteriorum nuptiarum speciem detestabilem omnino censemus.

Difficilius esset interpretari canonem 5 concilii toletani XIII, anni 683; quo a christianorum communione seclusi fuerunt, quicumque viduatas principum, aut regum uxores duxissent, nisi statim observandum occurreret, constitutionem illam fuisse omnino singularem, ad quam edendam devenerunt Toletani antistites suasione regis Ervigii; qui in eo concilio præsens aderat, quique verebatur, ne vidua uxor post regis mortem alii sociata extraneum quendam principem in regni possessionem induceret in suæ posteritatis, sive filiorum, et ex eis descendentium detrimentum. Non hæc odio secundarum nuptiarum edita sunt, sed ex aliis æquis causis, qualis etiam esse poterat publica quædam honestas, qua non deceret, regiæ potestati subjectos sui regis olim uxorem sibi conjugio jungere, eadem fere ratione, qua apud romanos veteres *mulier liberto viri, ac patroni sui mala ratione conjungebatur*, uti tradidit Papinianus in l. 62, § 1, ff. de ritu nuptiarum.

Non vero primum ad secundas nuptias contrahendas accedere permittendum cuipiam est, nisi iste manifestis probationibus demonstret, prioris matrimonii vinculum fuisse dissolutum, cap. 2 de secundis nuptiis; hinc si dubitaretur de morte conjugis, is, qui se exinde liberum putat, non erit ad secundas nuptias admittendus, quamquam tamen semel admissus, superveniente dein dubitatione, non sit statim dissociandus, quousque de rei veritate non constet, dicto cap. 2 vers. *Si vero*. Quoniam autem non semper idem modus in promtu est, quo mors conjugis probetur, ubi præsertim susceptæ proponantur diuturnæ peregrinationes, necessario modus idem admittendarum probationum in arbitrio judicis positus est, cujus tamen officium erit, ubi dubium etiam leve emergat, nuptiarum secundarum contractum impedire. Fuit olim romani juris disciplina, qua ubi de morte alicujus dubitaretur, si per quinquennium non constitisset de ejus vita, haberetur, ac si mortuus esset, l. 6, ff. de divortiis. Deinde etiam cautum est, ut sufficeret quadriennium expectare, l. 7 cod. de repudiis. Sed hæc fuerunt abs Justiniano abrogata, nov. 117, cap. 11., ubi statutum est, nunquam ad secundas nuptias transiri posse, nisi de absentis morte certa sint testimonia. Atque Justiniani providentiam confirmavisse visi sunt pontifices maximi, qui voluerunt, certo de morte absentis constare, cap. 19 de sponsalibus, ex quo supplendus est canon. 1 vers. *Nec tamen* caus. 34, quæst. 1, et capitulum 5, § *Si autem* ut lite non contestata. Hinc si quæratur, an uni tantummodo testi credatur, de morte conjugis testimonium perhibenti, non aliter sufficere puto, quam si agatur de teste integerrimo, atque in ea specie, qua aliæ conjecturæ concurrant, puta mortis in remota provincia evenientis, et testimonio ita coram judice edito, ut pensatis caussarum adjunctis admodum verosimile adpareat, nec aliter major, et uberior eventus certitudo haberi commode possit, argumento l. 50, § 6, ff. de re militari. Eodem modo si quæratur, an sufficiat probatio vulgaris famæ, ferentis, conjugem mortuum esse; neque aliter sufficere puto, quam si fama eadem aliquot adminiculis juvetur, nimirum iis, quibus judex nullam amplius dubitationem superesse prudenter existimet, argumento cap. 24 de accusationibus.

CONCLUSIO.

Quæ persecutus hucusque sum, ea non tam integrum exhibere videntur quartum gregorianarum Decretalium librum commoda interpretatione illustratum, quam pandere altissima illa principia, quibus innituntur multiplices leges matrimonia dirigentes, modo naturales unicuique insitæ, modo divinæ, qua in vetetere, qua in novo Testamento expressæ, qua insuper perenni patrum traditione ad nos traductæ, modo humanæ, istæque seu in jure communi Quiritium demonstratæ seu ecclesiasticæ et temporum et locorum, ceterisque id genus adjunctis accommodatæ, picta a me ut plurimum imagine variarum ætatum, quæ variam disciplinam, iisdem tamen semper principiis mirum in modum hærentem, identidem postulaverunt. Ecquidem fateor, multa me in his commentariis omisisse singularia, quæ adjici belle potuissent; id tamen concedant viri prudentes sapientesque proposito meo, propterea quod deliberavi (puto autem uti considerate, ita et caute) de rebus hisce parcius ac moderatius verba facere, contentus, generales conjugiorum præceptiones expendisse, alias vero apprime gnarus, generales ipsas præceptiones posse ad res et facta, quæ multa incidunt, nullo pene negotio adhiberi. Quod in conjugiis præstantius est, quod dignius, quod homini ratione prædito et utenti etiam in iis ipsis, in quibus communia quædam cum ceteris animantibus habet, convenientius esse potest, id potissimum exornandum curavi; nihilque antiquius habui, quam ut disputationes universas, imo et certas legum ipsarum sententias exigerem ad eos fines quos natura

posuit sanctissimos, ad quos divina voluntas mentes ipsas conjugum clementissime elevavit, quos denique non aliter metiti sunt aut religiosi principes, quam si una et publicæ societatis, aut ecclesiastici antistites, quam si una et boni et ecclesiastici fines metirentur, quasi universos eodem omnino ambitu concluderent. Re enim vera qui hos ipsos commentarios legendo percurrat, inveniet passim primigenia illa sæpe inculcata naturæ dogmata, quibus insinuatum est, quotquot conjugia ineuntur totidem esse debere vincula humanæ benevolentiæ, et societatis. Non de ea benevolentia tantum dico, quæ invicem sancto fœdere devincit conjuges; sed de ea benevolentia potissimum loquor, qua parentes liberis, fratres fratribus, familias familiis, gentes ipsas longe lateque diffusas inde mutuo, utut difformi, nexu conciliat. Hæc illa charitas est, quæ infra Deum, resque divinas suprema lex est inter homines, cujus præceptum in Evangelio secundum quidem dicitur, sed simile primo, videlicet præcepto charitatis in Deum. Ad hanc benevolentiam jura universa, et ea quæ natura inseruit mentibus omnium, et ea quæ gentes sibi ipsis communi voluntate constituerunt, facile referuntur. Ad hanc conjugii institutor Deus leges conjugiorum direxit, ne dicam illam adhuc voluisse ex primo conjugio ceu e fonte dimanare, aut certe fieri multo firmiorem quando Deus ipse voluit ex uno viro, e cujus etiam latere uxorem eduxit, ceteros homines procreari, quasi in fraternam societatem invicem advocandos. Ad hanc positiva Levitici præcepta formavit idem Deus, ut cum in Abrahæ filiis unum sibi populum instar familiæ dirigendum singulari ratione ac clementia susciperet, tum certis conjugiorum legibus institueret. Ad hanc hominum universos mores reduxit Christus Dominus in Evangelio, quando non solum quidquid in nuptiis ab ea alienum induxerant temporum corruptelæ, id totum renovatis vetustis præceptionibus improbatum voluit, atque damnatum; verum etiam ut eadem charitas cum solidior, tum etiam purior foret, ipsam erexit in symbolum charitatis et Christum et ecclesiam devincientis, unde conjugium ad sacramenti dignitatem evexit. Quid aliud insuper exhibent humanæ leges sive sacræ sint, sive civiles, in excludendis, a conjugio illis præsertim, qui arcto jam necessitudinis vinculo junguntur, quacumque sit necessitudinis caussa, non sanguis modo aut adfinitas, sed etiam quæ consanguinitatem imitatur adoptio, aut quæ adoptionem imitari visa fuit cognatio spiritualis; ut hac ratione ibi per conjugia plurium familiarum cieretur amor, ubi per remotas propagines, oblivione quadam parentum communium tepuisset? Quod si etiam inter propinquos instauranda, aut confirmanda benevolentia certis de causis sit, leges ipsæ viam minime occluserunt providæ dispensationi. Hæc erant intima hujus universæ rei principia, quibus jactis multa veluti consectaria fluerent, et quæ consectaria non essent, certe veluti adminicula quædam existere cernerentur. Itaque dum his finibus opus meum, laboremque totum concludendum censui, mihi visus sum et nemini fuisse gravis, una etiam satis proposito meo fecisse, quando in lucubrationibus hujus generis curavi, ut altissimarum caussarum adjectione lectorum fastidium si non omnino abjicerem, saltem levarem, et certe ingenitam illam aversionem minuerem, quam pati solent viri de pudicitia, de verecundia, et de castimonia universæ vitæ, uti honestum quemque decet, solliciti, dum agentes inter homines non possunt non impendere quandam operam in studia istarum rerum, regularum, et jurium; imo et mihi videor non sine quadam jucunditate imitatus pro viribus meis prudentiam legumlatorum, quorum cum in hac parte recensere debui, atque expendere constitutiones, et constitutionum formulas in juribus conjugiorum palam et publice proponendis, tum observare potui, imo et mirari singularem dexteritatem, et artem cum sagacitate conjunctam. Si eo usque ex imbecillitate ingenii mei pervenire non potui, ut lectores benevoli saltem conatus meos, voluntatemque enixam æqui boni faciant, opto, precor.

IN QUINTUM DECRETALIUM
GREGORII IX. LIBRUM
COMMENTARIA

PRÆFATIO.

Quanto dulcius atque jucundius detinuit me in prioribus suarum decretalium libris Gregorius IX, tanto asperior et tristior ad interpretationem libri quinti videtur in præsentia juxta ordinem suscipienda tractatio, quæ terribilem juris ecclesiastici partem continet, dum in atrocioribus criminibus recensendis, et severioribus pœnis in reos eorundem infligendis versatur. Quamquam enim in hac re non exuat ecclesia erga homines scelerum conscios maternam, ita dixerim, pietatem, quando vel in ipsis inferendis pœnis clementiam sequitur Dei optimi maximi, qui non mortem vult, sed vitam conversionemque peccantium, quemadmodum sacræ literæ passim docent; nihilo tamen minus non severitatem gravitatemque deponit, sed istam tantum misericordia mitigat, ne facilitas ipsa in divinorum mandatorum contemtionem, atque in salutis æternæ periculum torqueatur. Hæc illa est ingenita et summa ecclesiæ majestas nunquam a benignitate sejuncta, qua divina sponsa egregie decoratur, et Christi Redemtoris, cui miris modis injuncta est, jure ac potestate sibi veluti mutuata, personam ac dignitatem per suos antistites, et majores sacrorum administros exercet, hinc lenis, illinc terribilis, hinc bona spe fideles erigens, illinc metum acerbissimarum pœnarum incutiens, ne aut clementia sine justitia contemnatur, aut justitia sine clementia humanam premat infirmitatem, ac frangat. Aureæ sunt in hanc rem Gregorii Magni sententiæ in libris Moralium. Sic lego in primis in Can. 9, dist. 45. *Disciplina, vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed circa subditos suos inesse rectoribus debet, et juste consolans misericordia, et pie sæviens disciplina.... Miscenda est ergo lenitas cum severitate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum: ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur... Sit itaque amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderate sæviens, sit pietas, sed non plus, quam expediat, parcens etc.* Sic insuper lego in Canone 14 ejusdem distinctionis: *Sunt namque nonnulli ita districti, ut omnem etiam mansuetudinem benignitatis amittant; et sunt nonnulli ita mansueti, ut perdant districti jura regiminis. Unde cunctis rectoribus utraque summopere sunt tenenda, ut nec in disciplinæ vigore benignitatem mansuetudinis, nec rursum mansuetudine districtionem deserant disciplinæ, quatenus nec a compassione pietatis obdurescant, cum contumaces corrigunt, nec disciplinæ vigorem molliant, cum infirmorum animos consolantur. Regat ergo disciplinæ vigor mansuetudinem, et mansuetudo ornet vigorem, et sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.* Proficiscuntur hæc ex natura ecclesiastici regiminis, quod si compares cum regimine magistratuum publicorum, facile intelliges, quare publici magistratus reos graviorum scelerum jure ac merito puniant eo usque, ut eosdem in interitum aliquando adducant, ac perdant; ecclesia vero etiam ubi asperiores quasdam potestati suæ congruentes pœnas inferendas devenerit, jure ac merito paratam se ad miserendum semper parcendumque demonstret. Curant magistratus publici tranquillitatem societatis, ac reipublicæ salutem, atque incolumnitatem, ad quam unam universa vota sua, et officia dirigunt. Cum autem illa nonnisi incommode, et cum gravi perturbatione patiatur, reos graviorum flagitiorum aut libere in civitate manere, aut etiam vivere, nihil est, quod sollicitos faciat magistratus de reis eisdem servandis. Ecclesia e converso non tam societatem fidelium regit, quam singulas fidelium animas, quas ad aliam, nimirum ad æternam, et lætissimam beatorum cœlestem

societatem, præparat; imo et qua in parte terrenam hanc fidelium societatem regit, agnoscit istam veluti partem ecclesiæ christianæ nondum expurgatam, in qua, juxta phrasim evangelicam, cum tritico zizania succrescunt, zizania, inquam, non statim eradicanda, ne eradicetur simul et triticum, in diem messis differendo separationem. Quid igitur mirum, si ecclesia aut malos toleret, aut cum malis mitius agat, de quibus spem adhuc concipit, futurum forte, ut in bonam frugem adducantur? Itaque ecclesia et judicis æque, et matris agit partes; judicis ad terrendum, matris ad miserandum, ut matris officium fovere in sinu pergat, quos solum officium judicis foret perditurum, et judicis officium concutere non desinat, quos materna pietas forte molliores efficeret. Non possum ego continere in hac parte a laudandis quorundam canonum conditoribus, qui cum leniores quasdam pœnas in reos criminum decernerent, pœnis eisdem, quæ potius erant suaves pœnitentiæ, terrifica nomina indiderunt, qualia publicis in legibus ad significandas capitales, capitalibus proximas pœnas usurpantur, veluti deportationis, exilii, carceris, et verberum, can. 9, dist. 35; can. 7, cau. 2, qu. 1; can. 13, caus. 17, qu. 4; can. 10 et 13, caus. 26, qu. 5; cap. 35 de sent. excom.; cap. 27, in fine de verb. signific.; cap. 1 de calumniator., et alibi pluries. Quæ enim pœnæ his nominibus designantur, longe diversæ sunt ab iis, quæ proprie eisdem nominibus designarentur, neque longe sunt a salubribus pœnitentiis ad expiationem indictis remotæ. Verberibus castigari consuevisse in ecclesia reos aliquot pœnitentes, præsertim si juniores essent, docet Augustinus in can. 1, caus. 23, quæst. 1. Ibidem autem sanctus vir ait: *Vocatur quidem et ista damnatio; sed quis non intelligat, magis beneficium, quam supplicium nuncupandum, ubi nec sæviendi relaxatur audacia, nec pœnitendi medicina subtrahitur?* Imo et subjicit, modum istum coercitionis, et a parentibus erga liberos, et a magistris erga discipulos adhiberi. Quod si aliter intelligeres Gregorii Magni sententiam in dicto canone 10, caus. 26, quæst. 5, aut similes, inveniret statim contradicentem Gregorium ipsum Magnum in can. 1, dist. 45, et quotquot patres ecclesiastici in eadem distinctione a Gratiano commemorantur. Deportatione, exilio, carcere plures etiam a viris ecclesiasticis damnatos cum legimus, apud veteres, iis omnibus intelligimus, aut peregrinationes pœnitentiæ caussa suscipiendas ad loca quædam sacra, et templa honorabilioris famæ, aut ejectiones de gradu clericorum vel in alium inferiorem clericalis ordinis gradum, vel etiam in laicam communionem, sive ejectione de gradu communi fidelium in ordines pœnitentium, aut missione in monasteria, vel collegia clericorum, quibus qui pœnitentiæ caussa adscriberentur, vigiliis, orationibus, jejuniis, solitudine, et alienatione a sæcularibus negotiis, et maculas contractas scelerum ex imo delerent, et Deum facilius sibi placarent. Et revera antequam clerici communem vitam inivissent, monasteria designari solebant tanquam loca clericorum pœnitentiæ aptiora. Inita communi vita inter clericos, certa loca secreta erant in clericorum cœtu ac domicilio, austerioris ineundæ vitæ ac pœnitentiæ gratia, in quæ superiorum consilio, et auctoritate rei clerici se reciperent, canon. 8, dist. 81. En caussam, quare canon. 7, caus. 2, qu. 1, depositio clericorum, et exilium, dicantur pœnæ non longe dissitæ, legeres etiam in Gratiani codice junctum ibidem nomen *deportationis*, si romanorum correctorum industria deletum non fuisset. En caussam, quare in canon. 13, caus. 26, quæst. 5, depositio et exilium perpetuum promiscue sumantur. En caussam, quare inter aquisgranensia præscripta regulæ canonicorum editæ anno 816, cap. 134, ita legitur: *Si uterque, et qui flagellatur, et quem flagellari ætas, aut qualitas personæ prohibent* (confirmant hæc, quæ modo tradebam ex Augustino de pœnitentia flagrorum clericis junioribus illata) *adhuc incorregibiles extiterint, sit locus intra claustra canonicorum, sicut multis in locis noscitur esse, quo ad tempus retrudantur, et secundum modum culpæ castigentur.* Sæculo 12, viguit alicubi, ut in civitatibus construerentur domicilia ad correctionem pœnitentium, uti constat ex canone 50, concilii Strigoniensis anni 1114, ibi: *Episcopi in unaquaque civitate duas domos ad coercendos pœnitentes faciant.* Hoc eodem in sensu ita scribebat Anastasius in Stephanum IV. *Sergius vero in monasterium D. Scauri deportatus*, etc., et Platina in Christophoro: *In monasteria tanquam in insulas, clerici male de ecclesia Dei meriti tum relegabantur.* Atque ita intelligendus est canon 2 de pœnit. dist. 6, canon 9, caus. 30, quæst. 1, capitulum 6, § ult. de homicid., capitulum 35 de sent. excomm. cum similibus. Ceterum generalis est sententia, quam ecclesiæ nomine protulit Gregorius II, in ep. 2 ad Leonem Isauricum, ubi imperatorem alloquens ita diversos coercendi modos, et publicæ, et ecclesiasticæ potestatis exponit: *Vides imperator pontificum, et imperatorum discrimen? Si quisquam te offenderit, domum ejus publicas, et spolias, solam illi vitam relinquens, tandemque illum etiam vel suspendio necas, vel capite truncas, vel relegas, eumque longe a liberis, et ab omnibus cognatis, et amicis suis amandas. Pontifices non ita: sed ubi peccavit quis, et confessus fuerit, suspendii, vel amputationis capitis loco, evangelium, et crucem ejus cervicibus circumponunt, eumque tanquam in carcerem in secretaria, sacrorumque vasorum æraria conjiciunt in ecclesiæ diaconia, et in*

catechumena ablegant, ac visceribus ejus jejunium, oculisque vigilias, et laudationem ori ejus indicunt. Quæ cum ita sint, ex ipsa rei, quæ agenda suscipitur, natura criminum, et reorum tractatio non adeo aspera existit. Quod si non æque jucunda, et amœna, uti ceteræ tractationes, sentiatur, in meam suscipio sollicitudinem, ea ratione ac methodo ipsam dirigere, qua elegantior, quoad fieri possit, cultiorque reddatur; neque enim id oneris gravate suscipio, dum una et operam meam in lucubrationibus meis perpetuo æquabilem facio, et molestiam, qua aspersa esse potest oratio, curo ut levem. Quod ut ex voto eveniat, abstinebo in primis ab iis omnibus exhibendis, quæ sunt civili etiam disciplinæ communia, nisi in quibusdam dare veniam oporteat necessitati, et arctissimæ conjunctioni caussarum. Deinde satagam, ut quidquid elegans est in ecclesiastica delictorum pœnarum historia, cultiore quadam oratione, siquid ego valeo, proponatur. Denique ne informis et aspera tractatio videatur, a collectoris decretalium methodo recedam, cujus loco planiorem, et magis perspicuum de more meo ordinem agendorum instituam. Duas partes habebit tractatio, in quarum priore de criminibus, posteriore de modis, quibus rei criminum coercentur, agetur, variis dissertationibus utraque divisa, istis etiam fere singulis in sua capita distributis, ad quæ fere universis nimirum utiliores, decretalium tituli exigantur. Quinque dissertationibus pars prior constabit. In prima, quæ erit fere procemii loco, agam de criminibus generatim. Secunda explicabit crimina directo adversus Deum admissa. In tertia expendentur graviora delicta, quibus injuria in res Deo sacras infertur. Quarta exhibebit crimina, quæ propria sunt, et singularia clericorum. In quinta observabuntur crimina, quæ sunt unicuique sive in clero, sive extra clerum constituto communia. Quatuor dissertationibus pars posterior constabit. Prima generalia præcepta tradet de modis, quibus ecclesia utitur in reis criminum coercendis. In secunda agam de reis per pœnitentias expiandis. In tertia de reis per censuras coercendis. In postrema de reis per pœnas puniendis. Si forte in mea hæc commentaria inciderent improbi homines, quos non pigeret in eisdem paullisper meditari, futurum forte sperarem, et ex sedula rerum propositarum consideratione anteactæ pœniteret vitæ, tum etiam in posterum a gravioribus saltem ejusmodi flagitiis temperarent. Sed tanta non est apud me fiducia de perditis hominibus, quibus alia placent otia, hæc molestiam ingerunt ac fastidium. Vos vero, studiosi lectores, eum fructum, ut auspicor, percipietis, ut lætemini in primis, ab omni vos impietate, ab omni scelere sano consilio declinavisse; deinde impietatem ipsam, scelera universa magisque abominari, detestari, horrere pergatis.

PARS PRIMA.

DE CRIMINIBUS.

DISSERTATIO PRIMA.

DE CRIMINIBUS GENERATIM.

CAPUT I.

Quid sit crimen.

Fecerunt civitates duas amores duo, terrenam scilicet amor sui usque ad contemtum Dei, cœlestem vero amor Dei usque ad contemtum sui: Paucis ita in libro 14 de civitate Dei cap. 28 delictorum omnium originem, caussas, et naturam ipsam expressit Augustinus, philosophica sane ratione. Siquidem philosophi meo judicio saniores totum naturæ jus, imo et universa jura, quæ ad naturale adjecta sunt, in recta amoris ordinatione constituerunt, qua fiat, ut primum et præ ceteris diligamus Deum, infra hanc dilectionem locum demus reliquis amoribus, in societatem primum, deinde in nosmetipsos, denique in singulos naturæ nostræ consortes pro modo universorum. Hinc civitatem cælestem et sanctam eam dixit, quæ coaleret ex hominibus, qui divini amoris ardore concitati sollicitudinem sui nonnisi inferiore loco haberent, in quo consistit rectus ordo amandi; civitatem autem terrenam, et labe confectam appellavit, quæ coaleret ex hominibus, qui nimium sibi indulgentes Deum temnerent, in quo amoris ordo turbatur atque pervertitur. Nimis forte subtilis alicui videbitur hæc observatio, juxta quam peccatum definiretur amor quicumque inordinatus; quare clarius iterum cum Augustino in libr. 22 contra Faustum cap. 27 dicam, peccatum esse *factum, dictum, vel concupitum contra legem æternam Dei*, cui consonans Ambrosius in libro de Paradiso cap. 8 ait: *Quid est peccatum, nisi prævaricatio legis divinæ, et cœlestium inobedientia præceptorum?* Clarius adhuc juvat Augustini mentem attingere, cum *legem æternam* Dei nominavit, ex quo etiam intelligatur Ambrosius cum *legem divinam* dixit, et *cœlestia præcepta*. Eo in loco Augustinus legis æternæ nomine fassus est, intellexisse se *rationem divinam, vel voluntatem Dei, ordinem naturalem conservari jubentem, perturbari vetantem.* Hinc est, quod divinæ legis nomine non ea tantum veniat, quæ divino oraculo perspicuo revelata fuerit, idest aut scripto, aut tradito verbo Dei, sed etiam quam aut naturalis ratio a Creatore Deo honesti sane, et inhonesti præceptis imbuta suadet, aut homines potestate legitima prædíti ad publicæ seu sacræ, seu civilis societatis emolumentum proponunt; non enim est potestas, nisi a Deo, ut ait Paullus in cap. 3 epistolæ ad Romanos, et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, can. 45, caus. 23, qu. 4; can. 27 et 29, can. 23, qu. 5.

Generalia hæc sunt, et omni delictorum etiam leviorum generi accommodata: Verum agnoscenda initio est varia delictorum ratio. Omnia quidem delicta utpote adversus Deum admissa, Deum eundem vindicem sunt habitura, quousque legitimis modis non explentur; proindeque delicta omnia subjacent ecclesiæ clavibus in foro, ut ajunt, interno, sive pœnitentiali, quo vere pœnitentibus absolutio datur, et coram Deo indicitur operum satisfactio, quoties necdum satisfactum sit; non tamen generaliter de peccatis omnibus sumitur in foro externo publica hominum Dei ministrorum auctoritate vindicta; sed tantum de gravioribus nonnullis, et quidem indictis modo asperioribus, modo lenioribus pœnis pro admissi qualitate. De posteriore hoc delictorum genere tantum agere, mei est instituti, sive de delictis illis, quæ in externo foro puniuntur, et quæ proprie criminum nomine veniunt. Distinctionem istam aperte tradidit Isidorius hispalensis ita scribens in libro 2 sententiarum cap. 18. *Multi vitam sine crimine habere possunt, sine peccato non possunt . . . . Joanne apostolo attestante, qui ait: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est;* et synodus Romana anni 1074 can. 15, dum ex apostolica doctrina voluit ad clerum admittendos esse, qui sine crimine essent, licet non sine peccato, quoniam crimen est *peccatum grave, accusatione et damnatione dignissimum;* quod et perspicue docuit Augustinus in can. 1, dist. 81. Itaque in proposito nostro crimen

esse dicemus, non quodcumque peccatum, idest non quodcumque aut admissum adversus legum vetita, aut prætermissum adversos legum præcepta, sed illud quod pœne sequitur abs judice inter homines indicenda; adeo ut legitima pœnæ indictio crimen a peccato distinguat. Observandum tamen est, nihil in hac re interesse, an pœna lege specialiter definiatur, an prudentiæ et æquitati judicis definienda mandetur; semper enim pœna dicitur legitima, quam ex præscripto legis judex infligit, utut modus et quantitas pœnæ plurimum pendere ex ejusdem judicis arbitrio videatur.

Itaque crimen proprie dicitur, contra quod pœna decernitur. Sed in hac positione ceteroqui perspicua et plana nonnullæ instituendæ sunt observationes, quibus palam etiam fiat, qualia sint delicta, contra quæ pœna statuenda fuerit, et qualia sine pœna relinquenda. Id clarius demonstraretur exemplis, quam generalibus regulis, imo et demonstrabitur in integra tractatione. Ceterum juvet initio generalia quædam præcepta stabilire, quæ cum norma esse consueverint legumlatoribus, esse præterea possunt interpretibus legum, veluti lumen ad intimum legum spiritum adsequendum. Sunt ista, uti nemo non videt utrique juri communia: quamobrem opportunum est, suspicere animo ad placita prudentum virorum, sive illi sint civilis sapientiæ, sive disciplinæ ecclesiasticæ præceptores, quorum sententias ubi contulerimus, agnoscemus mutuo consonare; tantum apud viros ecclesiasticos quædam singularia inveniemus, quia isti, dum regulas traderent, multa, quæ ad forum internum pertinent, cum iis, quæ ad forum externum attinent, congesserunt, uti congerere debuerunt illi, qui utriusque fori regimen nacti sunt. Porro utrique generaliter constituerunt, tum esse reos pœnis coercendos, quum tale foret admissum, quod societatem, remve publicam turbaret; interea tamen in hoc explicando, non quidem contrarias, sed paullo diversas regulas proposuerunt, quasi incedentes per diversas semitas, ad unam eandemque metam ac finem collinearent.

Civilis sapientiæ seu philosophiæ dogmata explicavit Aulus Gellius in lib. 6, noctium atticarum cap. 14, ubi ait, tres esse caussas, quibus existimatum est, certa delicta puniri. Prima est, quum pœna adhibetur castigandi, atque emendandi gratia, ut is, qui fortuito deliquit, attentior fiat, correctiorque; altera est animadvertendi caussa, cum dignitas, auctoritasque ejus, in quem est peccatum, tuenda est, ne prætermissa animadversio contemtum ejus pariat, et honorem levet: tertia ratio vindicandi est, quum punitio propter exemplum est necessaria; ut ceteri a similibus delictis, quæ prohiberi publice interest, metu cognitæ pœnæ deterreantur: idcirco veteres *exempla* pro maximis, gravissimisque pœnis dicebant. Quando igitur, aut spes magna est, ut is, qui peccavit, citra pœnam ipse sese ultro corrigat, aut spes contra nulla est, emendari eum posse et corrigi; aut jacturam dignitatis, in quam peccatum fuit, metui non necessum est; aut non id peccatum est, cujus exemplo necessario metu succurrendum sit, tum quidquid ita delictum est, non sane dignum esse imponendæ pœnæ studium visum est. Hucusque Gellius, qui et philosophos, præcipue Taurum et Platonem, ita disseruisse commemorat. Hinc primo infertur, etiam attenta jureconsultorum philosophia, multa esse delicta, quæ uti talia in foro non attenduntur, idest, quæ non puniuntur, quo pertinet sententia Paulli in l 144, ff. de reg. juris; *Non omne, quod licet, honestum est*, quasi dicatur: multa sunt, quæ licent, idest, quæ non puniuntur, quæ tamen non sunt honesta. Hujusmodi sunt delicta leviora, quæ rempublicam aut nihil, aut parum turbant; neque enim congruit ob res minimas rempublicam inquietari, argumento l. 4, ff. de integr. rest. Hinc jureconsulti actionem de dolo denegaverunt, ubi de re modica ageretur, idest quæ duobus aureis minor esset, l. 9 in fine, l. 50 et 11 principio, ff. de dolo malo. Hujusmodi etiam sunt illa delicta, quæ humanitati quidem, et benignitati repugnant, non tamen justitiam lædunt, a quibus siquis abstineat, laudandus est, quæque si admittat, non damnatur, ut in specie lib. 1, § 3, ff. de peric. et com. rei vend. Hujusmodi quoque sunt illi actus, de quorum pravitate satis non constat, et gravis difficultas esset in sumenda cognitione; veluti siquis citra metum, aut dolum curaret testamentum sui gratia condi, juxta l. ult., ff. siquis aliquem testari, et leg. cod. eud. tit. secundo infertur, non omnia delicta gravia, et quæ rempublicam turbant, legibus puniri; sed tum demum, cum aut corrigendi sunt rei, et emendandi, aut vindicanda publica auctoritas, aut pœnarum exemplo ceteri terrendi juxta doctrinam Gelli modo laudatam. Hinc scimus, gravissimum assentationis crimen fere non puniri, quia hæ puniendi caussæ deficiunt: dixi *fere*, ut exciperem speciem legis 1. cod. de statuis et imaginib., in qua publica principum auctoritas violata perhibetur. Scimus insuper, in solam delictorum cogitationem, sive propositum pœnam non inferri, l. 18, ff. de pœnis, quia sola cogitatio necdum manifestata in eas caussas non incidit, præterquamquod difficilis esset probationis. Scimus denique, sæpe non puniri in republica luxum, utut sæpe perniciosum, quia eædem desunt puniendi caussæ. Hinc Tiberius apud Tacitum lib. 3, annalium cap. 53, quum de luxu urbis tollendo consilia agitarentur, ajebat: *Suasurus fuerim, omittere potius prævalida et adulta vitia, quam hoc assequi, ut palam fieret, quibus flagitiis impares essemus.*

Dum hæc philosophorum et jureconsultorum

placita ipse considero, video, ab illis ecclesiasticos patres minime recessisse. Invexerunt ipsi triplex coercendorum reorum genus, idest pœnitentias, censuras et pœnas. Pœnitentiarum finis est emendatio reorum. En primam puniendi delicti caussam a Gellio commemoratam. Censurarum finis est animadversio in contumaces, qui ecclesiasticam temnunt auctoritatem. En secundam puniendi caussam apud Gellium. Pœnarum finis est terror incutiendus in universos, quo omnes exemplo damnati rei a flagitiis temperent. Quis et in hoc non agnoscit tertiam puniendi caussam a Gellio demonstratam? Hinc non semper patres ecclesiastici pœnam inferendam voluerunt, uti scribit Ambrosius in can. 26, caus. 23, qu. 4, quoties nimirum eæ caussæ deficerent, ac præsertim cum per se leviora peccata sunt, neque adeo christianam rempublicam turbant, ut sint necessario punienda; qua in specie dum homo in hominem infirmitatis consortem miserationem congruam exhibet, universi invicem ex divina clementia indulgeri sibi veniam optant, demisseque precantur. Hinc insuper a pœnis inferendis abstinuerunt, quum delicta, utut per se, et ratione objecti, uti loquuntur scholæ, gravissima, non tamen a delinquente absoluta omnino fuerint, et consummata, can. 2 et 3, dist. 6. Ad rem Balsamon et Zonaras ad canonem 4, concilii neocæsariensis ita scribunt: *In peccatis quatuor esse gradus, dicunt sancti patres, impressionem, seu primum motum, luctationem, assensionem et actum; quorum duo quidem prima non esse pœnæ obnoxia, in duo autem, quæ sequuntur, pœnam cadere.* Equidem fateor, hoc in loco paullo variam esse disciplinam antistitum ecclesiæ a disciplina jureconsultorum; quando sola assensio necdum executioni mandata ab ecclesia puniri potest, quæ apud jureconsultos pœna immunis existimatur. Sed heic agnoscenda singularis ecclesiæ ratio, quæ in hac specie potius in foro interno, et pœnitentiali punire dicitur, non in externo, in quo easdem cum jureconsultis regulas sequitur.

Addi solet alia caussa non infligendæ in facinorosos homines pœnæ, quando nimirum magna est delinquentium multitudo, et majus reipublicæ detrimentum pœna in omnes inferenda, quam pœnæ ejusdem remissio adferret, can. 25, dist. 50, can. 14, caus. 1, quæst. 7, can. 5, caus. 9, qu. 1, can. 24 et 32, caus. 23, qu. 4, juncto cap. 1, de paroch. Sed ego in primis observo, in his monumentis non generalem regulam constitui, sed potius contrariam generalem regulam æquitate ac prudentia ex utilitate publica temperari. Et revera si ad eas incitas res redigatur, quibus maxime enormia flagitia sint, et periculum emergat, ne pietas et clementia non prosit, imo et futurum timetur, ne ad similia perpetranda ceteri indicantur, peccantis multitudinis nulla ratio habebitur, can. 37, caus. 23, quæst. 4, cap. 4, de clerico excom. minist. Deinde observo; hanc caussam non puniendorum scelerum non esse facile cum prioribus comparandam. Etenim ubi agatur de prioribus caussis, delictum quidem dicetur, quod admissum est, non crimen, quia illud nulla pœna ex legis potestate punitur; at ubi de peccante multitudine sermo sit, adhuc proprie crimen appellatur, quod admissum est, quia pœna remissa potius ex dispensatione, seu executioni non demandata, quam non indicta ab initio deprehenditur; cujus rei argumento gravissimo est, quod peccante multitudine non semper omnibus ad unum usque pœna remittitur, sed adhuc in eos, qui præcipuam caussam delicto dederint, animadvertitur, dicto cap. 4, de cleric. excomm. min. Idem dici potest juxta romanas leges de marito uxorem suam adulteram occidente, cujus flagitium adhuc crimen dicitur, nec sine pœna est, quamquam nonnihil rigoris lex ipsa remittat parcens justo dolori, juxta legem 38, § 8, ff. ad leg. Juliam de adulter., leg. 1, § ult, ff. ad legem Cornel. de sicariis, et leg. 3, § 3, ff. ad Senat. Silanian.

CAPUT II.

Quotuplex sit crimen?

Vulgatissimum adagium est, extrema quæque vitari oportere; sive enim in unam, sive in alteram partem eo abeamus, quo longius iri nequeat, sine vitio fere esse non possumus. Utinam id servavissent, qui singulorum criminum qualitates et species invicem contulerunt, quorum aliqui definiverunt, omnia peccata esse paria, nullumque omnino inter ea discrimen intercedere; alii e contrario tantam inter nonnulla scelera voluerunt esse distantiam, ut vix commune aliquid superesset. Primi generis fuere stoici, quorum tamen opinio explosa fuit quorumcumque legumlatorum sententia; et post institutam a Christo ecclesiam nunquam amplius audita fuisset, nisi eam iterum excitavissent olim, renovata quidem, sed inani contentione, hæretici novatiani, uti referunt Ambrosius in lib. 1, de pœnitentia cap. 1 et 2, Augustinus in epist. 29, ad Hieronymum, Marcus Antoninus imperator cognomento philosophus lib. 2, de rebus suis, ac Cicero academicarum quæstionum lib. 2, et de finibus bonorum lib. 4. Posterioris generis fuerunt iidem novatiani, qui temporibus Ambrosii, eodem Ambrosio teste in lib. 1, de pœnitentia cap. 2, tradebant, quædam esse peccata, quorum veniam possumus a Deo sperare, quædam e contrario, quæ nunquam sint a Deo pœnitentibus remittenda. Miraris forte hanc novatianorum tergiversasionem, modo cum stoicis paria esse peccata tradentium,

modo tantam peccatorum differentiam adsignantium. Præterquamquod hæc est hæreticorum consuetudo, qui nunquam sibi concinere constanter potuerunt, et dummodo adversus ecclesiastica dogmata pugnent, non dubitant, se contrariis doctrinis involvere; id expediebat Novatiano olim stoicorum sectæ addicto, qui ubi se junxit Novato, mutavit opinionem, ut ego observavi in meis notis in canones gratianeos ad libros Ambrosii de pœnitentia parte 3. Utrumque autem opinionis genus jam satis firmissimis argumentis confoderunt ecclesiæ patres, nec quidquam adjiciendum superest.

Adversos stoicos, et quotquot stoicorum opinamento adhæserunt, pugnaverunt, ut modo dicebam, legumlatores universi; statim ac enim isti diversas seu modo leniores, modo asperiores pœnas peccatis indixerunt, perspicue indicaverunt, se peccata alia aliis graviora agnovisse, sancti patres eadem ratione, qua pugnaverunt contra Jovinianum dictitantem, omnes virtutes pares esse, contra quem videtur esse sententia Augustini can. 41, de pœnit. dist. 4, pugnaverunt etiam contra eos, qui nullum inter delicta discrimen agnoscerent, et ad hos confutandos vel unum satis fuisset Christi responsum, Joannis cap. 29, dum ait romano præsidi : *Qui me tradidit tibi; majus peccatum habet.* Posterior quoque novatianorum doctrina evangelicis Christi institutionibus adversatur, cum noverimus datam apostolis, et successoribus apostolorum sine discrimine quæcumque solvendi facultatem, Matthæi cap. 18, Joannis cap. 20, hodie autem vix locus esset improbo cuique aliter interpretandi evangelica testimonia, utpote quæ ad quæcumque crimina referri, perpetua patrum traditio docet. Gravissimum inter cetera fuit argumentum Ambrosii in can. 51, de pœnit. dist. 1, ubi cum adnotasset, a Christo factum fuisse apostolis æque et ligandi et solvendi potestatem, jure postulabat, quomodo non æque per ecclesiam Dei ministram peccata omnia sine discrimine remitterentur, quando retineri per ecclesiam peccata omnia sine discrimine potuissent. Ecquidem non ignoro, novatianos, cum aliqua peccata irremissibilia dicerent, provocavisse ad quædam sacrarum literarum testimonia, quæ aut non intelligebant, aut sana ratione intelligere detrectabant. In primis affirmarunt, remitti peccata posse ante baptismum admissa, post baptismum nullo modo, in medium proferentes testimonium Paulli in epist. ad hebræos cap. 6, ibi : *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari per pœnitentiam*, et cap. 10, ibi : *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Inde vero mutata sententia, dixerunt, irremissibilem esse blasphemiam in Spiritum Sanctum, utentes Christi Domini verbis illis apud Matthæum cap. 12. *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Abuti quoque potuerunt doctrina Joannis, dum apostolus in epistola 1, cap. 5, prope finem, quædam ait esse peccata *ad mortem*, pro quorum reis orandum non sit apud Deum, quasi et id concinat cum sententia, quæ habetur in lib. 1, reg. cap. 2. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* et quæ paullo aliter exprimi visa est sub nomine Hieronymi in can. 59, de pœnit. dist. 1, ibi : *Si sacerdos peccaverit, quis orabit pro eo?* Hæc tamen omnia et his similia, ad difficultatem potius, quam ad desperationem impetrandæ veniæ pertinent. Et revera ut ab apostoli Paulli testimoniis exordiar, postquam ille in dicto capite 6, epistolæ ad hebræos tradidit, *impossibile esse eos, qui sunt semel illuminati, rursus renovari per pœnitentiam*, subjicit statim : *Confidimus tamen de vobis, dilectissimi, meliora et viciniora saluti, tametsi ita loquimur. Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri etc.* Quod ergo initio ad terrendum impossibile dixit, sperari adhuc posse conclusit, unde intelligeretur esse valde difficile, quod impossibile dicebatur. Quod subjicitur in cap. 10, non relinqui hostiam pro peccatis post acceptam notitiam veritatis, alio spectat; uti enim ex toto contextu deducitur, scopus Paulli erat, ut traderet, non aliam hostiam pro peccatis post novam editam promulgatamque legem esse posse, quam Christum, qui una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, ac proinde frustra confidere pervicaces judæos in suarum hostiarum oblatione, per quas ex ritu mosaico sibi peccata remitti putabant. Evangelicam Matthæi sententiam in dicto cap. 12, commode jam explicaverunt veteres patres, Athanasius, Pacianus, Ambrosius et Augustinus, quorum postremus in cap. 32, enchiridii, et in epist. 50, ad Bonifacium contra donatistas, qui eo ipso Matthæi testimonio abutebantur, inquit, tum demum non remitti blasphemiam in Spiritum Sanctum, cum ejus criminis reus usque in extremum vitæ de misericordia divina desperat, aut corde non flectitur, ut divinam pietatem imploret, quod criminis genus proprie blasphemia in Spiritum Sanctum dicitur. Ad eandem rem ita scribit Chrysostomus in homilia 42, in Matthæum : *Spiritusne*, inquies, *blasphemiæ non dimit-*

titur pœnitentibus? Quod omnino falsum esse patet, nam et hoc peccatum dimissum scimus cum multis eorum, qui talia in Spiritum Sanctum dixerant. Quid igitur est, quod dicit? Significare voluit, multo minus ceteris hoc esse ignoscibile. Quamnam ob rem? Quia videlicet quisnam esset Christus, ignorabant. Spiritus autem Sancti gratia multis et magnis signis seipsam manifestaverat. Chrysostomi verbis lumen adferunt duo Ambrosii monumenta, quæ recensentur apud Gratianum in can. 49, caus. 1, quæst. 1, et in can. 54, de pœnit. dist. 1, ubi Ambrosius adversus novatianos pugnans notabat, Simonem magum deliquisse in Spiritum Sanctum, veniam tamen, si pœnituisset, illi non fuisse ab apostolo denegatam. Quod ajebat Joannes in epist. 1, cap. 5, de peccato ad mortem, intelligendum est de cæcitate animi et pervicaci obstinatione, quæ sane si irremissibilis a Deo est, non ex qualitate criminis proficiscitur, sed ex prava peccatoris adfectione, qui velit in peccato manere. Quæ denique leguntur, aut in lib. 1, regum cap. 2. *Si vir peccaverit in Dominum, quis orabitur pro eo?* aut in vulgato illo dicto: *Si sacerdos peccaverit, quis orabit pro eo?* quod sub nomine Ambrosii refertur in dicto can. 59, de pœnit. dist. 1, jamdudum explicavit Ambrosius adversus novatianos in lib. 1, de pœnitentia cap. 9, scribens, his, aut similibus interrogationibus non subaudiendum esse: *nullus orabit,* sed potius, non adeo facile inveniendum, qui oret, quasi difficilius venia sit impetranda. Clarius pandam, et divinarum literarum testimonia, et sententias patrum. Clamant divinæ literæ, prædicant sancti patres, omnium criminum veniam sperari a Deo sine discrimine posse. Clamant divinæ literæ, prædicant sancti patres, nunquam remitti crimina, nisi per pœnitentiam. Duo hinc colliguntur consectaria. Primum est, ubi quis proclivis ad pœnitentiam sit, sperare ipsum facilem veniam posse. Alterum est, ubi quis adduci nequit ad pœnitentiam, aut ad eam difficile inducitur, vel impossibilem esse, vel difficilem remissionem. His principiis positis, notari necessario debuit, tres esse delinquentium personas, quarum aliæ delinquunt ob infirmitatem, aliæ ob ignorantiam, aliæ dolo malo, idest scientes prudentes. Delinquentibus ob infirmitatem, vel ob ignorantiam, faciliorem veniam spoponderunt; quia et juvari infirmitas novis præsidiis, et dissipari ignorantia novis doctrinæ luminibus facile potest; tum vero delinquentes etiam facile ad pœnitentiam adduci. At delinquentibus dolo malo, difficilem, et pœne impossibilem veniam concedendam esse dixerunt; quia isti duriores cervice sunt, et firmo deliberatoque animi proposito tenacius criminibus hærent. En caussam perspicuam, quare peccata baptizatorum difficilius remittuntur, quam non baptizatorum, quia baptizati nec adeo infirmi sunt, nec adeo in rebus divinis cæcutientes, uti non baptizati. En caussam, quare peccata sacerdotum difficilius remittuntur, quam delicta ceterorum; quia sacerdotes selecti sunt in ecclesia viri, et seu sanctitate, seu doctrina præ ceteris probati. En denique caussam, quare peccata in Spiritum Sanctum difficilius remittuntur; quia in Spiritum Sanctum blasphemare dicuntur, qui prudentes scientes, et dolo malo, manifestatæ cognitæque veritati resistunt. Ecquidem tres divinæ personæ, quæ in eadem divina natura subsistunt, æquales sunt, neque una naturalis proprietas de una prædicari potest, quin de altera prædicetur, docet tamen traditio ecclesiastica, singulari quodam jure tribui Patri potentiam, Filio sapientiam, Spiritui Santo bonitatem, propterea quod in externis divinis operibus eædem divinæ personæ pressius manifestaverint singulæ singulas illas proprietates. Cum autem potentiæ opponatur infirmitas, sapientiæ ignorantia, bonitati dolus malus, traditum est, eum, qui ex infirmitate delinquit, contra Patrem, eum, qui ex ignorantia delinquit, contra Filium, eum, qui ex dolo malo delinquit, contra Spiritum Sanctum peccare. Itaque si peccatum contra Spiritum Sanctum difficilius remittitur, id non est ex natura criminis, et ex divina voluntate veniam denegante; sed potius ex prava delinquentis affectione, qui difficilius pœnitentiæ se subjicit, et vix ad veniam demisse a Deo petendam inducitur.

Dicta hæc generaliter sint, ut in primis statueretur, varias criminum differentias adsignari oportere, quum peccata non esse inter se paria contra stoicos diximus; deinde statueretur, non admittendam esse illam criminum distinctionem, quam tradiderunt novatiani ajentes, alia esse peccata remissibilia, alia irremissibilia. Indicemus nunc receptas criminum partitiones. Non memoro illam, quam tractationi tribuendæ accommodatam exhibui, tradens, alia esse crimina directo adversus Deum admissa, alia adversus res Deo sacras, alia singularia clericorum, alia communia universis, hæc enim omnia ex ipso tractationis ordine sponte, et per se patefient. Memoro in primis, alia esse crimina, quæ qualitate, alia, quæ quantitate differunt, sive uti loquuntur theologi, vel specie, vel numero distinguuntur. Utilis est observatio hujus partitionis et in pœnitentiali secreto, et in judiciorum publico ecclesiæ foro. Nimirum si de foro pœnitentiali agatur, perspicuum est Tridentini concilii decretum in cap. 5, sess. 14, quo cautum est, ut a pœnitentibus apud sacerdotem absolutionis obtinendæ caussa pandantur peccatorum mortalium et numerus et species, unde congruæ et salutares pro modo singulorum pœnitentiæ indicantur. Et si de foro externo sermo sit, quis ignorat, statim

occurrere in legibus varios coercendi modos pro varietate specierum, sub quibus crimina continentur: item disputari posse, an exesperandæ sint pœnæ, ubi reus in eadem criminis specie crimina multiplicaverit, et habitum habuerit delinquendi? Incidimus in disputationes scholasticorum, quoties disceptamus de tradenda regula, ad quam exigantur diversæ species delictorum et criminum. Alii enim ex diversitate præcepti, diversam peccatorum speciem constituunt; alii ex diversa specie objecti, in quod tendat peccatum; alii ex diversa specie virtutis, cui peccatum opponitur. Ex diversitate præcepti videri non potest satis erui distinctio specifica peccatorum; ne forte quis dicere cogatur, in homicidio admisso triplicem peccati speciem contineri, propterea quod triplici lege homicidium damnatur, naturali, divina et humana; aut eum, qui simul et contra sextum et contra nonum, aut et contra septimum et contra decimum decalogi præceptum agit, duplex specie crimen admittere. Neque enim præceptum præcepto additum in eadem re novam peccati speciem inducit; non innovat, aut immutat, sed potius firmat obligationem; quemadmodum promissio aut Deo, aut homini sæpe facta nullam novationem facit, tantum ratam habet olim factam pollicitationem. Neque ex specifica, uti scholæ loquuntur, diversitate objectorum, criminum species secernuntur, sive quod in diversis specie objectis sciamus unum specie esse peccatum; sive quod in uno eodemque objecto admitti diversa specie crimina possunt. Unum specie peccatum est ab eo admissum, qui servum cum peculio furetur, quamquam servus, et peculium specie differant, et in utroque furtum dicitur. Diversa specie peccata sunt in eo, qui pecuniam clam aurriperet, et in eo, qui pecuniam per vim a domino raperet; furtum illud, hæc vis bonorum raptorum, seu rapina vulgo appellatur, quamquam utrumque crimen in eadem pecunia versetur. Restat igitur, ut concludamus, potius ex specifica diversitate virtutum, quibus crimen opponitur, diversas criminum species esse eruendas. Qua in re duo sunt observanda: primum est, nomine virtutis, non intelligi virtutem quandam generalem, quæ omnes in se virtutes complectitur, qualis e. g. est virtus obedientiæ, quæ in omni crimine violatur, aut qualis est virtus justitiæ in sua latitudine amplissime dicta, quam lædere dicitur quicumque quodcumque delictum admittat. Virtutis nomine intelligitur ea, quæ certam specie virtutem ab altera distinctam constituit. Alterum est, nomine virtutis intelligi debere eam, quæ sub obligatione sunt. Quibus positis, ut exemplum tradam, furtum rerum sacrarum, quod virtuti singulari justitiæ adversatur, et non tam furtum, quam sacrilegium appellatur, et singulari pœna legibus plectitur, leg. 6 et 9, ff. ad leg. jul. peculat., leg. 16, § 4, ff. de pœnis. Quantitate, seu numero differunt crimina, quæ eidem virtuti opposita per actus, ut ajunt scholæ, moraliter interruptos, iterum admittuntur, idest, si interna sint, per novam consensionem, aut deliberationem voluntatis, si externa sint, per novum actum a priore distinctum, sive id objectum sit, sive diversum. Ubi multa admissa sint crimina non specie quidem, sed tantum numero differentia, regula generalis est, quæ tradit, pœnam non ideo augeri, aut immutari. Quinque tamen sunt ad hanc regulam exceptiones. Prima est, si aliud expresse cautum lege fuerit, uti in leg. 28, § 3, ff. de pœnis. Secunda est, si agatur de pœnis levioribus ad rei emendationem potius, quam ad læsæ reipublicæ satisfaciendum indictis, leg. 3, cod. de patria potest. Tertia est, si agatur de pœnis nonnisi adversus eos indictis, qui consuetudinem habeant delinquendi, uti in cap. 1, de usuris. Quarta est, si agatur, non de pœna inferenda, sed potius remittenda, quæ sane facilius iis qui semel, quam iis, qui iterato, et ex consuetudine delinquerunt, remittitur, l. 3, vers. *his ergo* cod. de episc. audient. Quinta est, si agatur de foro pœnitentiali, sive de pœnitentia infligenda, can. 10, caus. 6, quæst. 1, can. 60 et 78, de pœnit. dist. 1, cap. 8, de pœnitent. et remission., siquidem pœnitentia inducitur non solum, ut Deo et christianæ reipublicæ satisfiat, sed etiam ut pravis delinquentis adfectionibus medela porrigatur; eamque ob rem salubrius est peccatori, eo diuturniori atque asperiori pœne subjacere, quo pluribus delictis animo infirmatur.

Altera, et quidem vulgaris criminum divisio est, qua alia publica dicuntur, alia privata, quod aliter civilis, aliter ecclesiastici juris cultores explicant. Etenim civilis juris studiosi privata appellaverunt, quæ privatis damnum, vel injuriam adferunt; publica, quibus in rempublicam directo peccatur, data in his unicuique de populo reos accusandi facultate, l. 3, § 1, ff. de publicis judiciis. Ast ecclesiastici juris studiosi publica dixerunt; de quibus palam constat, et publico judicio quæritur, publice propterea punienda, can. 33, dist. 50, cap. 1, de pœnit. et remission., privata, quæ occulta sunt, seu quæ unius rei, non aliorum conscientia tenetur, et vix sacerdoti secretam pœnitentiam indicturo produntur, can. 34, dist. 50, can. 31 et 32, de pœnit. dist. 1. Præterea alia crimina sunt ecclesiastico foro, alia civili privative subjecta, alia mixta, quæ tum civili tum ab ecclesiastico judice coercentur, in quibus propterea qui judex prævenit alterum excludit, cap. 19, de foro compet., cap. 8, de offic. et potest. jud. delegat, in 6, l. 7, ff. de judiciis. Horum perspicua sunt in sacris canonibus exempla, ac præcipue in iis, quibus

unaquæque gens instruitur, utriusque potestatis concordatis. Item alia ordinaria sunt, quibus jure communi definita est, alia extraordinaria, quibus judicis arbitrio definienda pœna mandatur. Atque ut paucis utiliora complectar, alia aut speciale nomen habent, aut speciali nomine carent; alia aut dolo admittuntur, aut impetu, aut negligentia, aut casu; alia denique vel adversus nosmetipsos, vel adversus proximum, vel adversus Deum perpetrantur, quemadmodum indicavit Paulus ad Titum cap. 2, ibi: *Sobrie, juste et pie vivamus in hoc sæculo*: nimirum in primis *sobrie*, ne adversus nos, deinde *juste*, ne adversus proximum, denique pie, ne adversus Deum delinquamus.

CAPUT III.

Quinam rei criminis habeantur.

Huc inter cetera referendus est tit. 23, lib. 5.

Quamquam quod ad pœnam attinet in foro externo subeundam, non solus peccandi animus quemquam reum constituat, nisi voluntas exterius se ipsam quoquo modo prodiderit, quia, ut ait Cicero lib. 3, de officiis, *aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias, leges, quatenus manu tenere res possunt, philosophi, quatenus ratione et intelligentia*, non tamen ex factis, sed potissimum ex animo dicimus crimen. Hinc tria statim colligimus, veluti summa disciplinæ principia. Primum, nullo modo reos criminum habendos esse, qui nullo voluntatis vitio, non dolo, non lascivia, non culpa, aliquid sui natura turpe, aut inhonestum admiserunt; secundo, si non a flagitio, saltem a gravitate flagitii excusari, ac propterea mitiore pœna puniri eos, qui leviore et minus firmo consilio peccaverunt; postremo, eos proprie dici criminum reos, et pœnæ legum ordinariæ subjacere, quibus grave fuit, et solidum delinquendi propositum, ac voluntas. Juvat singula paucis explicare.

Ex prima regula proficiscitur, nec criminis reos dici, neque ulla admissi pœna teneri infantes, aut, qui infantibus æquiparantur, amentes, furiosos, ac dormientes, Clement. unic. de homicid., et eos, qui vi ad aliquid faciendum, vel non faciendum adiguntur. Dixi vi; etenim si tantum metus intervenerit, utut gravissimus, iste quidem crimen imminuet, non delebit cum metus non auferat, sed tantum elevet libertatem, quam sane demonstrat, quæ integra manet vis, ac potestas eligendi, argumento capituli 3, § ult., de baptismo, cap. 5, de his, quæ vi metusque caussa fiunt. Revera infantes, furiosi, amentes, dormientes, ac vi adacti, aut dicuntur voluntate carere, aut voluntate non uti, sive nullam habere deliberandi facultatem, in voluntate autem, aut voluntatis usu, seu in facultate deliberandi, præcipua sedes delicti est; et non alia de caussa res inanimes, aut bruta delicti expertia nuncupamus, nisi quod careant voluntate. Quod si in furiosos, iisque similes animadverti aliquando videamus, quod vinculis detineantur, non est hæc flagitii pœna, sed cautio, qua pericula avertuntur, veluti cum venenatas fruges herbasque aut projicimus, aut seponimus, ne passim obesse possint, graviterque nocere. Idem dicendum est de iis, qui casu delinquerint, dummodo casum nulla, ne levis quidem, culpa præcesserit. Adde his illos, qui ex ignorantia vel juris positivi, vel facti, adversus legem quidquam admiserint, dummodo tamen distinguas crassam et supinam ignorationem ab ea, quæ vinci facile non potuerit; est enim quod imputetur illi, qui aut facti adjuncta, cum possit, minime investigat; aut, dum juris ignoratione laborare vult, non eo animo est, ut delicta declinet, sed potius, ut prætexendo delictorum excusationem delinquat impune, cap. 9, de cler. excom. min., cap. 2, de costitut. in 6. Sunt etiam, qui certis in casibus non solum delicto immunes sunt, sed et bene merentur, utut adversus generales, ipsas quoque naturæ leges facere videantur; nimirum qui speciali divino jussu excitantur ad aliquid admittendum, quod tamen quam rarissime contingit. Paucis id explicat Augustinus in can. 15, cau. 23, qu. 5, de lege æterna Dei ita scribens: *Lex æterna ita medio quodam loco posuit aliqua hominibus, ut in eis usurpandis merito reprehendatur audacia, in exequendis autem jure obedientia laudatur. Abraham, si spontaneus in occidendo filio motus fuisset, execrabilis haberetur: at jubenti Deo obsecundans famulatus est.* Recensui verba Augustini, prout apud Gratianum descripta sunt: ceterum cohærent cum sententia Augustini in lib. 22, contra Faustum.

Profluit ex secunda regula, eos, qui judicii infirmitate laborant, adhuc reos criminis haberi, licet a magnitudine facinoris excusentur, proindeque extra ordinem puniantur. Hujusmodi sunt primo, quibus animus caussa ætatis imbecillis est; secundo, quibus animus ægritudine quadam, aut lascivia est corruptus; tertio, quibus animus exteriore quadam caussa est impeditus; quarto, quibus animus est interiore ignoratione obcæcatus. Itaque in primis observo, etsi anima nostra sit immortalis, et natura sua incorporea, ex quo tamen ipsa corpori alligatur, videri eam quodammodo cum corpore ipso adolescere, ac perfici. Hinc in infantia, uti modo adnotabam, vix explicari potest facultas deliberandi, quod necdum discerni potest lex, nec propterea bonum a malo. Ex eo sequitur, ut infantes veluti doli prorsus expertes, omnino a crimine dicantur

immunes. Quid tamen de iis, qui infantiam egressi sunt, idest vel septennium proxime attingunt, vel septennium excesserunt, et pupillarem adhuc ætatem agere dicuntur, aut pupillari jam exacta ætate nondum dicuntur majores? Ut ego verum fatear, varia in hac parte sunt, et ecclesiasticarum et civilium legum monumenta, quæ forte etiam dixeris invicem adversari. Certa lex universis casibus accommodari non poterat; neque enim definiri ullo modo potest, qua primum ætatis parte, quo die, quove anno quis incipiat veri, et pœna ordinaria damnandi doli capax esse; et quemadmodum operam perderet legislator, qui vellet corporibus modum adolescendi statuere, ita et is, qui definiret, quo primum tempore animus induat consilii firmitatem. Solet quidem ut plurimum a septennio usus fieri judicii, ac voluntatis; imperfectus tamen adhuc est usus: liberior etiam usus fit, cum ætas in dies, menses, annosve producitur; sed quis gradus in hominibus in universum ita definire possit, ut in certa ætate liberiores, atque expeditiores facultates dicat, aut minus, unde de majore, vel minore, de absoluto et imperfecto dolo judicetur? Hanc ob caussam rem universam prudenti judicis interpretationi, et arbitrio singula pro adjunctorum diversitate moderanti relinquendam censerem, cum modo firmius, modo imbecillius dignoscatur aut pupilli cum altero pupillo, aut minoris cum altero minore comparati consilium, quod vel paullo provectior ætas, vel insignis quædam in re gesta audacia, et dominans præter modum impensa libido quandoque patefecit. Itaque de pupillis generalis regula est, quæ docet, eos doli capaces esse, si proximi sint pubertati, cap. 1, de delict. pueror., l. 111, ff. de regul. jur., l. 23, ff. de furtis, et licet senatusconsulto silaniano excusationem illorum ætas habuerit, ubi tamen gravissimum flagitium admisissent, dum præsertim proxime pubertatem attingerent, a capitali pœna immunes non evaserunt, l. 1. § 32 et 33, juncta l. 14, ff ad senat. cons. silan. Item apud Gregorium IX scimus, eosdem excommunicationis pœnæ obnoxios fuisse; quamquam facilior deinde præbita fuerit petendæ absolutionis, ac veniæ ratio, cap. ult., de sent. excom., can. 118, in fine de cons. dist. 4. Quis tamen interea dicet, in conspectu horum monumentorum, ætatem fuisse generaliter definitam, qua primum constitueretur, doli capacem esse quempiam et damnandum? De minoribus servato ætatis modo eadem fere recepta regula est, ut scilicet quidquam indulgeatur, can. 8, caus. 26, qu. 7, can. 5 et 14, caus. 33, qu. 2, l. 16, § 3, in fine ff. de pœnis; interea tamen remissius agatur cum eo, qui vix pupillarem ætatem egressus est, asperius cum eo, qui prope ad majorem ætatem accedat; deinde in criminibus atrocissimis vix inspecto annorum discrimine severius animadvertatur, l. 36 et 38, § 4, ff. ad leg. jul. de adult., can. 3, caus. 21, qu. 5, in minus atrocibus, in quibus tamen gravis imminet, qualis esset infamiæ pœna, clementius parcatur, l. 21, cod. ex quib. caus. infam. irroget, in levioribus quasi majores coerceantur, præsertim ubi pecuniaria pœna sit, l. 9, § 2, ff. de minor., l. 4, cod de servis fugit., atque hoc est, quod dicitur, tum in l. 108, ff. de reg. jur., tum in l. 37, § 1, ff. de minorib., minori *fere* in omnibus delictis, et *interdum* occurri.

Si denique de illis agatur, quibus animus ægritudine quadam, aut lascivia corruptus est, triplex in hoc delinquentium genus secernendum est, quorum alii ebrii sunt, alii prodigi, alii justo quodam dolore perciti ad delinquendum excitati deprehenduntur. Qui in ebrietate delinquunt, dicuntur a Marciano delinquere impetu, l. 11, § 2, ff. de pœnis. Æquiparantur autem iis, qui lascivia labuntur, l. 6, § 7, ff. de militari; proptereaque, ut ibidem dicitur, ordinariam pœnam evadunt, et extra ordinem puniuntur, attenta qualitate culpæ, quam se inebriando admiserunt. Hinc recte ajebat Augustinus in can. 9, caus. 15, quæst. 1, de Loth incestuoso: *Culpandus est quidem, non tamen, quantum ille incestus, sed quantum illa meretur ebrietas*, et Ambrosius in can. 7, ead. caus. et qu. *Si qua per vinum deliquerint, apud sapientes judices venia quidem facta donantur, sed levitatis damnantur auctores.* Prodigorum delinquentium nulla singularis est excusatio, qua ordinariam pœnam evadant, utut curatorem acceperint; non enim est verisimile, leges, quæ curatorem dando prodigorum lasciviam cohibere voluerunt in rebus administrandis, aliquam ipsis reliquisse doli exercendi facultatem. Neque obstat lex 40, ff. de reg. jur. ubi prodigi nulla voluntas esse dicitur, ejusdemque fit cum furioso comparatio; siquidem id tantum spectat vim civilium obligationum, de qua Ulpianus agebat in libris ad Sabinum, l. 6, ff. de verbor. obligat. Qui justo dolore perciti excesserunt modum, et deliquerunt, venia quidem digni sunt, ita, ut ordinariam pœnam evadant, adhuc tamen extra ordinem puniuntur, pro qualitate adjunctorum. Huc referre possum can. 47, cau. 23, quæst. 5, ubi quidquam remissius agitur cum iis, qui ex zelo disciplinæ fervidiores, et acriores sese gessissent adversus excommunicatos. Exemplum etiam proferunt jureconsulti in l. 3, § 3, ff. ad Senat. cons. silan., l. 38, § 8, ff. ad leg. jul. de adulter., ubi marito parcitur occidenti uxorem in adulterio deprehensam. Hinc etiam tradi solet, homicidium inter rixantes, et graviter contendentes admissum, cui subita ardens ira caussam dederit, mitius puniri.

Ii deinde, qui dicuntur exteriore quadam

caussa impediti, ne legi pareant, sunt quicumque metu ad certam rem faciendam, vel non faciendam quodammodo adiguntur. Profecto licet metus voluntatem minime excludat, minuit tamen, modo magis, modo minus pro metus ejusdem qualitate, libertatem, seu eligendi facultatem. Hinc est, ut si metus gravis fuerit, et cadens in constantem virum, et ex eo peccatum a quoquam sit, reus criminis ordinariam pœnam evadat, quamquam adhuc extra ordinem puniatur, can. 7, vers. *Si autem episcopi* caus. 2, qu. 1, c. 5, de his quæ vi met. caus. fiunt. Similiter denique dicendum est de iis, qui interiore ignoratione obcæcantur, sive illa sit juris, sive facti. Ignorantia, quidem invincibilis a crimine prorsus excusat, et a quacumque pœna; at si talis sit ignorantia, quæ vinci potuisset, quæque non doli, sed culpæ, ac negligentiæ speciem habet, can. 41, caus. 24, qu. 1, pro modo ejusdem culpæ, vel negligentiæ crimen adhuc dicitur, vel gravius, vel minus grave: quod ipsum dicendum est de illis admissis, quæ perpetrantur ex minus accurata rerum observatione, idest quibus inadvertentia caussam dederit: in quibus sane casibus plurimum prudentis judicis arbitrio tribuitur, pro modo culpæ, et intelligentiæ pœnam extra ordinem indicturi.

Juxta postremam regulam, quænam dubitatio esse potest, quin is ordinariis criminis pœnis coercendus sit, qui deliberato animo, et dolo crimen admittat? Siqua iniri disputatio potest, ad eos pertinet, qui crimen admittenti quoquo modo consenserint. Quinque distinguenda sunt personarum genera. Primum est illorum, qui opera impenderunt; alterum eorum, qui mandaverunt; tertium eorum, qui consilium dederunt; quartum eorum, qui ratam rem habuerunt; postremum eorum, qui cum impedire possent, non impediverunt. Quicumque opera delinquentem juvaverunt, aut ministerium præbuerunt scientes prudentes, eodem crimine, eademque pœna tenentur, can. ult., caus. 23, qu. 8, cap. 8, 11, 13, vers. *credentes* de hæreticis, cap. 7, de crimine falsi, cap. 6, vers. *hi quoque* de homicid., et albi passim. Qui mandavit, ut certum crimen admitteretur, reus ejusdem criminis est, ac si ipse admisisset, est enim mandatarius, quasi mandantis instrumentum, veluti in homicidio manus occisoris, dicto cap. 7, de crim. falsi, cap. 2, de cleric. pugnant. in duello, l. 1, § 12, ff. de vi et vi arm.; imo et mandans proprie est caussa criminis, quicumque autem caussam delicto præbet, is reus delicti jure deprehenditur, cap. 11, de homicid. Id imo verum est, etiamsi mandatarius aut mandatum executus minime fuerit, aut in exequendo mandato non servaverit formam sibi a mandante præstitutam; quemadmodum si mandans telo hominem occidi mandasset, vel clam; et homo occisus fuerit fustibus, vel publice; quidquid enim secutum est, cum a mandante originem duxerit, totum mandanti tribuitur. Et revera casus emergens præter opinionem in re dolo facta agenti semper adscribitur, quemadmodum contigit in ea specie, qua quis dolo velit occidere Titium, et dum putat Titium occidere, Cajum occidit. Non idem evenire puto respectu eorum, qui consilium dederunt. Quod ut perspicue tradatur, observandum est præprimis, quid inter mandatum et consilium differat. Proprie in contractibus mandatum dicimus, quod interest vel mandanti, aut extranei cujusquam præter mandatarium: quod si tantum mandatarii intersit, tunc consilium appellatur, § 6, instit. de mandato. Plane sicut in contractibus illud, quod interest, sive privata utilitas, ea est, quæ movet ad contrahendum; ita in delictis movent ut plurimum ad delinquendum privata quædam adjuncta, iracundiæ, lasciviæ et his similia; ac propterea quemadmodum in contractibus is dicitur consilium præbere, non mandatum facere, qui non quæ sua, aut extranei commoda quærit, sed potius quodammodo induit personam illius, cui consilium præbet, traditque quid ipse facturus esset, si in talibus esset caussarum adjunctis constitutus; ita in delictis, dicitur non mandavisse, sed dedisse consilium, qui non privata iracundia, aut lascivia, aut simili animi vitio motus delictum suadet, sed potius proponit, quid ipse esset in iisdem adjunctis positus admissurus. Posita hac generali doctrina, dico, eum, qui consilium dedit delinquendi caussa, teneri de crimine, et pœna criminis, si crimen secutum fuerit, cap. 6, vers. *Qui vero* de homic., can ult., caus. 23, quæst. 8, l. 12, ff. ad leg. jul. de adulter. At si crimen secutum non fuerit, consulens non tenebitur, idest in foro externo pœna criminis non punietur. Neque enim qui crimen consulit, caussam crimini præbet: tantum incipit movere animum, ut in criminis deliberationem feratur. Crimine secuto, consideratur tanquam unica actio; quæ cum a consilio initium ceperit, aut incrementum, tota una cum consilio in judicium deducitur: sed ubi non habuit effectum, res coerceretur intra fines meræ deliberationis et propositi; alias autem verum est, non puniri in externo foro merum propositum, aut deliberationem. Clarius loquar, collatione facta interni cum externo foro, quod tamen velim accipiatur, non ut æqua undecumque sit comparatio, sed ut, quod propositum est, nitidiore in lumine collocetur. Devenitur ad peccatum internum, prout subjacet foro pœnitentiali, per quatuor gradus; quales sunt impressio primum, deinde luctatio, cui succedit assensus, ac postremo executio. Quoties ad assensum, multo magis quoties ad executionem deventum est, incipit unum esse pec-

catum, ita ut ex unitate actus, non solum mala dicatur voluntas in assensione et executione, sed etiam mala voluntas in impressione et luctatione; mala in impressione, quia impressionem non ægre recepit, mala in luctatione, quia luctationem non bene sustinuit. At quoties ad assensum deventum non est, eove minus ad executionem, nec mala impressio dicitur, nec mala luctatio, propterea quod utraque ad meritum profecta est. Accommodemus hanc ipsam doctrinam, sana tamen traductione, ad rem propositam. Ubi quis consilium crimini dedit, secuto scelere, scelus ipsum in externo foro cum consilio jungitur, quasi una sit actio, quæ a consilio aut originem cœpit, aut incrementum. Nil ergo mirum, si et consilium puniatur. Quod si delictum non sequatur, nihil est criminis, cui jungatur consilium, et sistit intra fines meri propositi et deliberationis, quæ in externo foro aut vix, aut parum attenditur, secus ac contingit in mandato, utpote quod per se jam est actio consummata. Si contrarium dicas, in contractibus neminem ex consilio obligari, ex quo deducas, neque criminibus ex consilio quem posse accusari, reponam ego, longe aliam esse et contractuum et criminum rationem. Nam in contractibus si obbligatio nasceretur, actio esset gratia illius, qui consilium accepit; huic autem est actio deneganda, quia est, quod eidem imputetur, quum minus prudens consilium secutus est. Verum in criminibus quæ vindicta sumitur, quæque conceditur accusatio, tota est gratia reipublicæ, quæ curat diligentissime, ne prava consilia civibus præbeantur. Si iterum in contrarium opponas, romanas leges actionem furti non concessisse adversus eum, qui furandi consilium præbuit, leg. 36, ff. de furtis, § 11, in fine instit. de obligat. quæ ex delicto, iterum ego reponam, id esse in furto singulare ob romanorum principia, juxta quæ nullibi furtum intellexerunt, ubi nulla esset contrectatio, quam contrectationem deesse in eo, qui consilium tulit, manifestum est. Quicumque ratum habuerunt, vel laudaverunt crimen ab alio admissum, rei etiam criminis dicentur, si crimina in solo consensu consistant, et sola comprobatione perficiantur; non enim tunc proprie est ratihabitio alieni criminis, sed proprium et singulare, imo et novum crimen illius, qui dicitur laudare et ratum habere. Exemplum est in crimine hæreseos, in quod incidit, qui hæreticam doctrinam ab alio prolatam laudat et ratam habet, cap. 2, 8, 11, et passim de hæreticis. Ceterum si de criminibus sermo sit, quæ solo consensu non perficiuntur, sed aliquid extra voluntatem adhuc desiderant absolvendum, distingui solet inter leviora delicta, quæ levioribus et graviora crimina, quæ gravioribus pœnis reum obnoxium faciunt; ita ut in gravioribus criminibus, et pœnis nunquam ratihabitio æquiparetur mandato, argumento leg. 13, de his, qui not. infam, et in levioribus facile æquiparetur, leg. 152, § 2, ff. de reg. jur., quod ego ita intelligo, videlicet cum caussa pecuniaria est, et ex delicto aliquid lucri devenit ad eum, qui ratum habuit: neque vero dicendum, generalem esse Ulpiani regulam in dicta l. 152, scribens: *In maleficio ratihabitio mandato comparatur*. liquet enim, Ulpianum in libro 69, ad edictum, unde deprompta lex fuit, egisse de interdicto de vi et vi armata, quemadmodum et magis perspicuum fit ex collatione legis 1, § 14, ff de vi et vi armata, et legis 3, § 10 et 11, eod. tit. In his casibus, cum qui ratum habet delictum alienum, ex eodem delicto emolumentum sentit, facilius tenebitur, æque ac si de contractibus ageretur, in quibus dubium non est, generaliter ratihabitationem mandato æquipararì, l. 22, in fine ff. de solution., l. 6, § 9, ff. de negot. gest., l. 66, ff. de judic., l. 60, ff. de reg. jur., l. 16, § 1, ff. de pignor. Imo et observatur in hac re, olim etiam in pecuniariis, ac civilibus caussis non convenisse in hoc principium universos jureconsultos, nam Ulpianus in dicta l. 1, de vi et vi arm. scribit, se Sabini et Cassii opinionis adhærere, Sabini, inquam, et Cassii, qui summum jus æquitate temperabant adversus Proculejanos, et Pegasianos summo juri constanter adhærentes. Immo et adhuc Justiniani temporibus in his, ac similibus argumentis jureconsulti distinguere solebant jura a factis, distinctione, quam subtilem appellavit Justinianus, atque uti talem rejecit in l. 25, cod de donat. int. vir. et uxor., unde tandem ad stabiliendam generalem regulam deventum est, qua retrotraheretur ratihabitio, et mandato æquipararetur, l. 7, cod. de senat. cons. macedon. Sacri canones hæc ipsa principia receperunt in pœnis illorum delictorum, in quibus ratum habens aliquid emolumentum sentiret, veluti in ea specie, qua quis pecunia ab extraneo donata beneficium consequeretur, si deinde ratam simoniam haberet, cujus conscius antea non fuisset, cap. 59, de elect., adde capitulum 23, de sent. excom. in 6, ubi qui ratum habuit, quod suo nomine gestum erat, visus est declaravisse, quid sua interesset. Denique si de illis agatur, qui cum crimen impedire facile possent, minime impediverunt, scio, passim generalem regulam proferri, qua traditur, eum, qui impedire negligit, cum possit, crimine teneri, quasi is consentire videatur, can. 8, caus. 23, qu. 3, cap. 2, de hæreticis, cap. 47, de sent. excom. Verum hæc regula non adeo generalis est, ut ad certos casus restringi non debeat. Obtinebit illa tantummodo, quoties agatur de illis, qui in delinquentem certam potestatem exercent, aut necessitudine quadam cum delinquente junguntur, et ratione potestatis imperare delinquenti possunt, aut ratione neces-

situdinis suadere vehementer et acriter, ut a delicto abstineat, can. 12, caus. 23, qu. 8, cap. 17, de homicidio, cap. 13, vers. ult., de hæreticis, cap. 6, vers. *et quidem*, de sent. excom. in 6. Ceterum quoties aliqui nullam in delinquentem exercent potestatem, aut tali necessitudine cum eo non junguntur, ut facile sperent futurum, ut a delicto abstineatur, non ideo ipsi criminis rei erunt, quod non impediverint, utut præsentes fuissent in eo loco, atque eo tempore, quo crimen admittebatur, can. ult. in fine, caus. 23, qu. 8.

CAPUT IV.

De modis, quibus crimina in judicium deferuntur.

Huc referendus est titulus 1, libri 5.

Non ego quidem ex iis sum, qui toti consistunt in investiganda antiquitate, res vero sui temporis ignorare indecore delectantur; ut enim nati sumus præcipue ad juvandam pro virili parte eam, in qua vivimus, societatem, ea potissimum curare debemus, quæ ad nostræ ætatis utilitatem felicitatemque conducunt. Ceterum ubi nonnullæ res veterum in medium proferantur, quarum cognitio aut necessaria, aut maxime utilis est, non ideo ab iis mihi abstinendum censeo, utpote quas ignorare pudor esset. Quatuor olim modis crimina in judicium deferebantur, accusatione, denunciatione, exceptione, et inquisitione, cap. 31, de simonia, cap. 11 et 24 de accusationibus. Hodie ordinarius modus in inquisitione situs est; pluribus in casibus denunciationes admittuntur; minus frequens est exceptio; prorsus autem videtur ab usu recessisse accusatio. Num ergo aut de denunciatione, aut de inquisitione tantum agendum erit, nihil de exceptione, quia infrequens, nihil de accusatione, quia ab usu recessit? Juvat quammaxime et istarum, ac præsertim accusationis veterem disciplinam agnoscere; sive quod totum Romanorum jus, in quo multa hodiernæ etiam scientiæ dogmata fundamentum habent, et caussas, hoc argumentorum genere abundat; sive quod in codice Gratianeo a caussa præsertim 2, usque ad septimam, hæc materies versatur, et apud Gregorium IX, multa ad eandem rem inveniuntur; sive denique quod vetus accusandi ratio tota hodie in denunciationes, et inquisitiones translata est; unde nec apprime dignosci potest denuntiationum, inquisitionumque doctrina, nisi comperta sit ratio priscarum accusationum.

Erat accusatio delatio criminis ad vindictam publicam, legitima interveniente accusatoris inscriptione, cujus vi accusator fiebat quasi actor, et judicium usque ad definitivam sententiam sustinebat, c. 5, de procurator., l. 10, ver. *Qui nomen* ff. de jurepatr., l. 14, § 8, ff. de bonis libertor., l. 3 et 7, § 1, ff. de accusation., l. 5, cod. de his, qui accusare. Quod ergo in civilibus caussis actio, id in criminalibus accusatio appellabatur, hinc fit, ut in aliquibus et actio, et accusatio congruerent; in multis distinguerentur. Congruebant in eo, quod accusator æque ac actor judicium inciperet, persequeretur, absolveret, etiam, ubi expediret, proposita, introductaque appellatione. Distinguebantur in caussa et in fine: in caussa primum, quia actio ex civili obligatione proficiscebatur, accusatio ex crimine publico; deinde in fine, quia finis actionis erat persequi, quod actori debebatur, accusationis finis erat publica coercitio, et vindicta. Ex diversitate autem caussæ ac finis, aliud discrimen ex rei natura emergebat in eo, quod accusator esse poterat unusquisque de populo, cum uniuscujusque intersit rempublicam salvam fore, eamque ob rem accusatio appellabatur actio popularis, idest unicuique de populo concessa nisi de iis ageretur, qui alias specialiter abs jure, aut moribus removerentur; contra actio illi tantum dabatur, cujus interesse privatim poterat, seu cui aliquid ex civili obligatione debebatur. Quando autem dicitur, unumquemque accusare potuisse, non ita intelligitur, ut post accusationem ab uno intentatam, alii ulteriore judicio accusare valeret, sed ut quicumque de populo alium præ veniret, ipse legitimus esset criminalis judicii institutor, ipse loco actoris haberetur, et ceteros deinde ad accusandum accedentes excluderet; ubi vero plures una concurrerent, is præferretur, qui magistratus arbitrio magis idoneus haberetur, leg. 2, ff de popular. action. Hinc jure ajebat Paulus in leg. § 1, ff. eod. tit., eum qui habet populares actiones, non intelligi locupletiorem, etiam in iis caussis, in quibus pœna pecuniaria in reum probato delicto esset inferenda, et accusatori applicanda nimirum antequam accusatio institueretur cum præveniri ab altero posset; quod clarius explicat Ulpianus in l. 12, ff. de verb. signif., cum ait, accusatorem in populari caussa ante litis contestationem *recte dici, creditoris loco non esse postea esse.* Quæri potest, an accusatio in jure, seu facultate consisteret, et in arbitrium conferretur, an potius in obligatione posita foret. Equidem postulare videtur utilitas publica, ne a pœnis atrocia crimina immunia evadant, ad cavenda reipublicæ pericula. At obligationem inducere accusandi in unumquemque de populo, asperum visum fuit, ne forte etiam mansueti, et judiciorum inexperti homines in suam fidem caussam publicam recipere tenerentur, aut ne periculo suo judicium grave instituerent, et minus instructi, prout rem deceret, probationibus de

calumnia damnarentur. Alias autem spes erat, ut si accusatio arbitrio uniuscujusque remitteretur, quisquam futurus esset, qui crimen opponeret ad vindicandam rempublicam, et probationibus solertius quæsitis, relatisque vividius ad judicium accederet, quod et alacrius ac firmius persequeretur. Imo et aliquando ad provocandos accusatorum animos, etiam præmia quandoque accusatoribus decreta fuerunt. Imo et si hæc sufficere non videbantur ad bonum societatis, poterant quædam personæ publica auctoritate designari, ad quorum officium deficientibus ceteris accusatio pertineret; quemadmodum recentioribus sæculis factum est, quando designati fuerunt procuratores, seu, ut vocant, promotores fiscales, quorum denique institutio disciplinam actionum popularium abolevit. Ceterum quibus temporibus accusationi judiciis publicis in usu erat, tres erant singulares casus, in quibus accusatio erat in obligatione. Primus erat, cum quis jam judicium instituisset, et præveniendo ceteros de populo ab accusatione exclusisset; vel enim falsum erat crimen, quod objiciebatur; tum vero æquum non erat, contumelia affectum relinqui accusatum, atque accusatorem calumniæ reum pœna vacuum abs judicio secedere. Vel verum erat objectum crimen; tum vero intererat reipublicæ controversiam definiri, et sumi de accusato vindictam; alias enim ex voluntate privati, qui ceteros ab accusatione exclusit præveniendo, publica sublata fuisset utilitas; imo et fraudibus locus fieri potuisset, quando accusator facile collusisset cum reo, instituendo judicium ad excludendos ceteros, cœptumque judicium ad rei commodum deserendo. Secundus casus erat, cum quis suppresso nomine suo crimen alicujus palam vulgasset ad inurendam reo infamiæ notam; tunc enim si palam se prodidisset, et accusationem in judicio non instituisset, et gravissimis pœnis coercebatur, tanquam insignis calumniæ reus, Can. 1 et 2, caus. 5, q. 1. Ad tertium casum spectat salubris disciplina, qua traditur, licet potestas accusandi in arbitrium cujusque collata videretur, non tamen potuisse eum, qui talem facultatem haberet, accepta pecunia pacisci, ne accusaret, c. 14 de simonia. Id enim in primis vergeret in reipublicæ detrimentum, quia facile rei quicumque scelerum admissorum pœnas pecunia data redimerent; deinde non licet alicui privata pactione renunciare iis, quæ competunt unicuique non uti privato, sed uti uni de populo, quasi ad agendum publice electo argumento cap. 12, de foro competenti.

Itaque dabatur unicuique de populo reos accusandi facultas, nisi de eo ageretur, qui vel lege, vel moribus ab accusando repelleretur. Habet hæc exceptio duplicem observationem. Prima est respectu eorum, qui generaliter in judiciis publicis accusare non poterant, ita præcipiente, aut probante jure etiam vetustissimo Romanorum. Secunda est respectu eorum, qui singulari jure in ecclesia, vel ab ecclesia ab accusando fuere remoti. Jus civile vetustum Romanorum, a cujus disciplina in hac parte fere recessum non fuit in Ecclesia, excluserat ab accusando eos, qui de publico crimine accusati sunt, pendente judicio, vel qui de calumnia convicti alias fuerant, facile litigantes, et quomodocumque suspecti, quorum numero recenseri jure possunt, qui graves cum accusato inimicitias gerunt, denique omnes infames, quod etiam fuit sacris canonibus comprobatum, can. 4, caus. 3, qu. 5., can. 1 et seq. caus. 3, qu. 10., can. 1 et seq. cau. 3, qu. 11., can. 1, cau. 4, qu. 1., cap. 7, 10 et 13. de accusation. Præterea erant, qui non admittebantur ad accusandum ex caussa reverentiæ in reum debitæ, aut singularis necessitudinis inter reum et accusatorem. Hinc nec parens filium, nec filius parentem, nec servus dominum, nec familiarem accusare poterat, leg. 20, cod. de his, qui accusare, imo nec frater fratrem, sororemve, nisi ageretur de levioribus delictis, leg. 8, cod. eod. tit., aut de hæreseos crimine, in cujus accusatione multa singularia recepta sunt ad exemplum criminis læsæ majestatis, c. 14, de præsumption. Singularis etiam benevolentia, ac necessitudo impediebat, ne maritus uxorem accusaret, excepta tamen adulterii caussa, in qua sine ulla dubitatione etiam singulari jure mariti vir accusare uxorem poterat; et quamquam eadem facultas civili Romanorum jure denegaretur uxori adversus maritum adulterum, leg. 1, cod. ad leg. Jul. de adulter., aliter tamen receptum deinde fuit ex canonum disciplina, can. 4, caus. 32, quæst. 4, de feminis generaliter cautum erat, ne ad accusandum admitterentur, nisi suam, aut suorum injuriam prosequerentur, can. 1, 2 et 3, caus. 15, 4., l. 4, 9 et 14, cod. de his, qui accusare. Quod si de jure in Ecclesiam, vel ab Ecclesia invecto sermo sit, quæri primum potest, an excommunicati, inde, an monachi possint ad accusandum admitti, denique, an clerici prælatos suos, an laici clericos, an e converso clerici laicos valeant accusare.

Ut de excommunicatis primum loquar, generale principium est, eos, qui ad universitatem minime pertinent, accusare non posse; quod pendet ex altiore principio: nimirum accusatio, quæ datur unicuique de populo, ideo datur, ut nomine universitatis adversus reos agatur. At nomine universitatis agere nequit, seu universitatis personam sustinere non potest, qui non est in universitate. His positis, tota quæstionis definitio pendet ex investigatione, an excommunicati sint in ecclesia, an minus. Distinguendum profecto est inter eos, qui proprie anathematizati dicun-

tur, quales sunt hæretici, aut qui ex aliis caussis extra caussam hæreseos post excommunicationis censuram in eadem insorduerunt; atque inter eos, qui non anathemate, sed censura excommunicationis notati sunt, et proprie ac simpliciter excommunicati necdum insordescentes appellantur. Ista distinctio clarius tradetur in posteriore tractationis parte, ubi erit de excommunicatione disserendum. Igitur qui anathematizati sunt ob hæresim, vel qui ob alias caussas post excommunicationis censuram per annum in ea insorduerunt, penitus extra ecclesiam sunt. Etenim excommunicati insordescentes hæreticis æquiparantur: proindeque non admittuntur ad accusandum, can. 36, 37, caus. 11, q. 3, cap. 13, vers. *Qui autem* de hæreticis, cap. 7, eod. tit. in 6. Ad hos autem pertinere puto canones 6 et 7, caus. 3, q. 4, uti canonum ipsorum, quæcumque sit illorum auctoritas, verba demonstrant. Ad rem Constantinopolit. I. Synodus, et generalis ita definivit in can. 3. *Ut primum quidem haereticis non liceat orthodoxos episcopos de rebus ecclesiasticis accusare. Hæreticos autem dicimus, et qui olim ab ecclesia ejecti sunt, et qui sunt postea a nobis anathematizati.* Addit idem concilium, idipsum esse et de schismaticis dicendum; et enim vix schisma esse potest, aut olim vix schisma erat, quod non foret cum hæresi junctum. Dubitari tantum potest de iis, qui censura tantum excommunicationis perculsi sunt, et nec hæretici sunt, nec hæreticis ob insordescentiam comparati. Ecquidem isti adhuc communionis ecclesiasticæ jura in radice, ita dixerim, retinet, argumento capituli 3, 4 et 5, de cler. excomm. ministr. usu tamen eorundem jurium interdicuntur. Eam ob rem, licet jus accusandi adhuc habere videantur, accusare tamen nequeunt, quasi quodam facti impedimento irretiti. Ad rem ita prosequuntur constantinopolitani Patres in can. 3, modo laudato: *Præterea autem etsi aliqui eorum ab ecclesia ob aliquas caussas prius condemnati, et ejecti, vel excommunicati fuerint, sive ex clero, sive ex laicorum ordine sint, nec iis licere episcopum accusare, priusquam proprium crimen absterserint.* Idipsum statuerunt patres carthaginenses in can. 1, caus. 4, qu. 1 et recentioribus sæculis rescripsit Innocentius III in cap. 20, de accusat. Liquet inde, exitu quidem inspecto æque removeri, excommunicatos, atque anathematizatos ab accusando; interea tamen discrimen inter utrosque intercedere, quod anathematizatus removeatur ex natura judicii publici, quod non admittit constitutus extra universitatem, excommunicatus autem removeatur impedimento quodam, quo, utut agendi jus habeat, detinentur tamen interea, ne in judicio agat.

An monachi ab accusando repellantur, Gratianus quærendum censuit post canonem 52, caus. 2, quæst. 7 et postquam duo recensuit monumenta in can. 53 et 54, quorum primum Hadriani collectioni, alterum Pelagio II tribuitur, et ex quibus deduci videbatur, monachos accusare non posse, de more suo ad distinctiones confugit, concludens, monachum accusare valere *ex necessitate charitatis, non ex præsumtione temeritatis.* Nolo inquirere in Gratiani doctrinam: nam forte exinde deduceretur, aut Gratianum nihil singulare de monachis ad accusandum accedentibus tradidisse; aut, si singulare quidquam censuit a monachis veluti in solitudine consistentibus observari oportere, concessisse ceteris accusandi facultatem etiam *ex præsumptione temeritatis*, quod nedum a scriptis canonibus, sed et a recta ratione perquam alienum est. Potius consisto in monumentis a Gratiano descriptis. In canone 53, sub Hadriani nomine legitur: *Placuit eorum accusandi sacerdotes, et testificandi in eos vocem obstruere, quos non humanis, sed divinis vocibus mortuos esse scimus, quia vocem funestam intercidi* (ita legendum est, non *interdici*) *potius, quam audiri oportet.* An de monachis concepta hæc verba sint, divinantis est: tantum dicitur, non esse audiendam in judiciis vocem funestam eorum, qui divinis legibus mortui sunt. Symbolica hæc mortuorum mentio de hæreticis potius, aut similibus perditis hominibus facta intelligeretur. Hæc sententia legitur in Capitularibus Francicis lib. 7, cap. 440, quin tamen adpareat, eam quoquomodo ad monachos pertinere. Quod si collector capitularium id derivavit ex capitulis Hadriano tributis, et capitula Hadriani vulgo habentur veluti fragmenta, et centones mercium Isidori Mercatoris, quid mihi elaborandum est, ut in id curiosius inquiram? Correctores Romani jam adnotaverunt, similia verba reperiri in epistolis, et Stephano, et Melchiadi a Mercatore adscriptis, imo adjecerunt in capitulis Hadriani hæc verba esse subsequentia: *Quoniam infidelis homo mortuus est in corpore vivente*, quibus indicatur, auctorem illus monumenti nomine mortuorum symbolice intellexisse non monachos, sed infideles, aut similis generis perditos homines, argumento canoni 6, caus. 3, qu. 5. Video tamen, unde verba mutuatus fuerit auctor canonis, scilicet ex l. 3, cod. Theodos. ne præter crimen majestatis, translata in codicem Justinianeum, l. 20, de his, qui accusare, ubi cum familiaribus, aut servis prohiberetur, ne crimen domini in judicium deferrent, excepto crimen læsæ majestatis, additum est: *Vocem enim funestam intercidi oportet potius, quam audiri.* Quæ leguntur in can. 54, sub nomine Pelagii, præterquamquod laudata pelagii epistola est commentum Mercatoris, ne in eadem quidem Pelagii epistola habentur. Tantum ibidem ista leguntur:

Similiter et omnes, quos divinæ leges mortuos appellant, submovendos esse ab eadem accusatione, et publicæ pœnitentiæ submittendos judicamus; can. 6, cau 3, qu. 5. quæ sane verba consonant cum verbis canonis præcedentis, et longe positæ sunt a proposita disputatione. Quidquid tamen sit de monumentis hujus generis, monachos ab accusationibus removeri, receptum fuit, cap. 11, de accusat. nec injuria, proptereaquod in recessu et solitudine tota sita est illorum vita, nunquam judiciis publicis implicanda; ac licet monachi pars sint universitatis, universitatis tamen negotia gerere, et in accusando universitatis sustinere personam, non visum fuit solitariis hominibus accommodatum. Interea tamen exceptio probanda fuit, si de criminibus ageretur ab abbate, seu a præposito monasterii, ceterisque monachis admissis præsertim ubi utilitas monasterii, aut monachorum graviter læderetur, cap. 3, 11 et 26, de accusation. Id enim singulari jure interest eorundem monachorum, et consentaneum visum est, uti in ceteris caussis, ita et in hoc accusationum genere monachos vice monasterii fungi, et deferendo agere. Quod adeo verum est, ut officio judicis cogi prælatus possit, ut de rebus monasterii accusanti monacho expensæ necessariæ tribuantur, ad controversiam sustinendam, dicto cap. 11.

An clerici prælatos suos gravium criminum reos accusare valerent, disputatio fuit primum concitata, quum lucem adspexerunt Mercatoris pseudodecretales. Ut enim certissimus est, hanc accusandi facultatem usque ad sæculi septimi finem clericis fuisse concessam, ita certum est, passim in epistolis isidorianis eandem fuisse denegatam. Num ergo dicere sufficiet, disciplinam ab Isidoro insinuatam rejici oportere, et veteri potius judiciorum ecclesiasticorum consuetudini adhærendum? Declamantis id esset, non interpretis, imo et declamantis in inanem aerem, cum, licet Mercatoris decretales spuriæ sapientum omnium judicio sint, in parte tamen novæ stabiliendæ doctrinæ occasionem præbuerint. Itaque pro certo ponens, quod in confesso apud eruditos est, isidorianas epistolas supposititias existimari, demonstrabo potius, primum, quænam occasio esse potuerit Mercatori, ut clericos a prælatorum accusatione rejiceret, quod deinde ambagibus rem Isidorus involveret, dum foret disciplinam veterem eversurus; postremo, quis exitus fuerit tantæ contentionis: his enim inspectis, uno obtutu et antiqua, et media, postrema ecclesiæ disciplina observabitur. Primis ecclesiæ sæculis passim vigebat, ut ad continendos prælatos in officio ipsi a clericis, dum criminum rei forent, accusarentur; atque eo potissimum pertinebat conventus episcoporum in conciliis provincialibus, in quibus deferentibus clericis coram metropolitano, et suffraganeis caussæ episcoporum agitabantur, nec dubitabant provincialia concilia, ubi utilitas publica postularet, etiam reos episcopos de gradu dejicere. Sexcenta possent in hanc rem referri veterum synodorum monumenta. Erit tamen pro omnibus canon sardicensis in can. 36, caus. 2, qu. 6, ubi datur episcopo in provinciali concilio damnato, ac dejecto facultas romanum pontificem appellandi. Id ægre tulerunt episcopi quidam sibi nimium indulgentes, proindeque isti moliti sunt, ut, si fieri posset, severam hanc, ut ipsis videbatur, disciplinam evaderent. Qui Isidori Mercatoris nomen assumsit, aut fuit unus ex istis episcopis, aut certe voluit alicui ex his episcopis rem gratam facere. Commentitias ipso edidit veterum pontificum epistolas, quas pene universas talibus sententiis respersit, quibus traderetur, episcopos non esse a clericis accusandos. Has decretales statim vulgavit Ingilramnus Metensis, et ipsé episcopus, ex quo latius per episcoporum manus vagari cœperunt. Quidam interea eas festive exceperunt, ut liberius ecclesiastica in clero negotia gererent, nullas veriti clericorum inferiorum accusationes. Multi ad honorem episcopalis ordinis rati id pertinere, facile comprobarunt. Plerique decepti inscriptionibus nominum, quibus eædem epistolæ decorabantur, fictionis ignari, contradicere non audebant, ut antiquitati et sanctitati illorum pontificum, quibus tribuebantur, nihil detraherent. Profuerunt impostori adjuncta temporum: videlicet tum primum occidentale imperium mutavit faciem, illud suscipiente Carolo Magno, qui et de episcopali dignitate magnifice sentiebat, et quidem jure; et facile censuit, eas epistolas vere esse pontificum, quorum nomina præseferebant. Soli archiepiscopi numero pauci conquerebantur, qui exinde intuebantur, et suam, et provincialium synodorum auctoritatem non leviter minui, quamquam et nonnulli episcopis conniverent, rati exinde se subtrahi ab accusationibus, quæ deferri coram primate ad nationale concilium potuissent. Viguit diutius controversia, uti liquet in conspectu canonis 1, dist. 19 et ex celebribus dissidiis, quæ interfuerunt inter duos Hincmaros, patruum et nepotem, unum rhemensem archiepiscopum, alterum episcopum Lugdunensem. Mirum est, quot figuris novam hanc disciplinam adumbraverit Mercator: modo enim ajebat, clericos esse veluti episcoporum filios, episcopos venerandos esse veluti patres, inhonestum autem filio esse adversus patrem accusationem intendere, exemplo Cham filii Noe, ideo divina maledictione damnati, quod paternum delictum minime texerit, can. 9, 12, 16, caus. 2, qu. 7, can. 8, caus. 6, qu. 1. Argumentum urgebat ex eo, quod summa iniquitas esset accusare fratres, can. 10, cau. 6,

qu. 1, ut concluderet, iniquiorum esse accusationem in patrem. Adjiciebat his, majorem natu a minoribus accusari non posse, juxta præceptum apostoli 2, ad Timoth. cap. 5. *Seniorem ne increpaveris,* can. 11, 52, cau. 2, qu. 7, can. 20, cau. 5, qu. 1. Insuper ajebat, ab ovibus pastores reprehendi non posse, quasi episcopi mutorum essent animalium duces, can 13, cau. 2, qu. 7, can. 9, 9, cau. 6, qu. 1. Abutebatur insuper passim Christi mandatis, vel ubi dictum est in evangelio: *Qui vos tangit, me tangit*, vel ubi dictum est in sacris literis: *Nolite tangere Christos meos*, can. 15, cau. 2, qu. 7, ac denique ajebat, aliquando ex divina providentia fieri, ut a malis episcopis regantur ecclesiæ ad puniendos populos, aut cleros, qui propterea id debent demisso animo sustinere, can. 1, caus. 2, qu. 7, can. 8, 13, 15, caus. 6, qu. 1. Hæc et alia similia urgebat Mercator, unicam tantum subjiciens exceptionem, cum scilicet episcopi a fide erravissent, can. 8, 13, cau. 2, qu. 7. Interea vero Mercator, quasi in rebus omnino novis producendis adversus communem disciplinam hæsitans, variis sese involucris implicabat; neque enim potuit in eo proposito ubicumque consistere, identidem scribens, difficilius admittendas esse episcoporum accusationes, seu tum admittendas esse, cum qui accusat bonæ sit opinionis, et jam privatim episcopum admonuerit, et non odio, non calumnia, non temeritate accesserit ad accusandum, can 16, 17, 18, 19, 21, 23, 39, 52, caus. 2, qu. 7. Majoribus involucris irretiti fuerunt recentiores in conspectu tot monumentorum, quorum aliqua vel ab Isidoro depromta, vel isidorianis mercibus consentanea clericos ab antistitum accusatione removerunt, aliqua e contrario clericos ad id officium admiserunt, qualia erant monumenta Isidoro antiquiora, can. 20, 22, 28, 43, 44, 45, 46, 48, 49 et 57, caus. 2, qu. 7, can. 12, qu. 2. Imo et recentioribus sæculis fuerunt receptæ hujus generis accusationes, quamquam obtinuerit, episcoporum crimina ad pontificem maximum deferri, quemadmodum liquet passim ex collectionibus decretalium, inter cetera ex cap. 15, de accusation., adeo ut interpretes in conspectu Isidorianæ disciplinæ passim tradiderint, ac receperint, eam ita esse temperandam, ut ad eas demum species contraheretur, quibus clerici adversus episcopum odio quodam, aut obedientiæ tædio ad accusandum devenissent, quod sane non est novam Isidori disciplinam in hac parte clericorum admittendorum vel rejiciendorum recipere, sed perpetuam disciplinam canonum confirmare, aut instaurare.

Ea ipsa principia, quæ jaciebat Isidorus Mercator ad clericos minores seu subditos a majorum seu prælatorum accusationibus repellendos, suadebant, ne laici clericos accusarent. Proinde Mercator, ne sibi minime constans videretur, manifeste tradere debuit, non esse excipiendam laicorum adversus clericos accusationem, can. 1, 2, 3, 5, 6, 8, 9 et passim, cau. 2, qu. 7, ubi multa recensentur pseudodecretalium isidorianarum fragmenta. Mutari exinde cœpit sæculo octavo vetus judiciorum disciplina. At inde gravissima in christianam rempublicam incommoda derivaverunt. In primis enim clerici plures nullas amplius veriti laicorum accusationes, ansam liberius delinquendi arripuerunt; neque inverosimile est, ex hac etiam caussa profluxisse morum depravationem, ac corruptelam, qualem in clericis sæculo nono, decimo et undecimo lugere ecclesia debuit, quemadmodum historici universi testantur. Secundo cum laici nossent, sibi interdici accusationes clericorum, alias autem sua interesse putarent, certos quorundam clericorum excessus puniri, ipsimet sine judice vindictam sumebant, unde undecimo sæculo eo usque deventum est, ut Arnaldus Brixiensis prædicaret palam, insequendos esse clericos, percutiendos, cædendos, atque mactandos, qua in re multos habuit traditionis suæ sectatores; quod occasionem dedit ferendo canoni 29, cau. 17, qu. 4, in concilio lateranensi Innocentii II adversus percussores clericorum. Imo et temporibus Innocenti III inventi fuerunt ecclesiarum patroni, advocati, seu vicedomini, qui clericos in beneficiis institutos mutilarent, atque occiderent, uti refertur in cap. 12, de pœnis. Tertio cum laici nossent, in episcopalibus judiciis se non audiri, si clericos accusarent, episcopalia judicia declinabant, et coram publicis magistratibus clericos accusabant, gnari apud publicos magistratus nullam habitum iri rationem pseudodecretalium Isidorianarum, c. 17, de judiciis. Interea duodecimo sæculo viri ecclesiastici non audebant ab Isidoriana disciplina recedere vel quod jamdiu in foro recepta fuerat, vel quod multi sibi persuadebant, non supposititias, sed genuinas esse decretales epistolas a Mercatore evulgatas; atque inter ceteros Alexander III in rescriptis suis respondit, non esse laicos ad accusandos clericos admittendos, cap. 13, de testibus, cap. 10, de accusationibus, quamquam identidem quædam exceptiones adversus generalem regulam admitterentur. Primum Innocentius III Isidorianam disciplinam relaxandam duxit in cap. 17, de judiciis, ne distraherentur judicia clericorum, et a foro ecclesiastico ad fora publica deducerentur, ita rescribens: *Præcipiatis ex parte nostra prælatis, ut laicis de clericis conquerentibus plenam faciant justitiam exhiberi .... ne pro defectu justitiæ clerici trahantur a laicis ad judicium sæculare, quod omnino fieri prohibemus.* Ac tandem duce Innocentio III relaxari adeo cœpit Isidori disciplina, ut multæ exceptiones in-

ducerentur, et fere tot, quot sufficerent ad restituendam veterem disciplinam, et Isidori traditiones fere abolendas. Hinc primum vulgare fuit dicere, quod etiam ante Innocentium III tradebatur, posse laicos adversus clericos instituere accusationem, si laici suam, aut suorum injuriam persequerentur, can. 1, caus. 4, qu. 6, dicto cap 14, de testibus; secundo eam facultatem fieri laicis in crimine hæreseos, can. 8 et 13, cau. 2, qu. 7, tertio in crimine læsæ majestatis, can. 4, cau. 13, qu. 3, quarto exceperunt crimen sacrilegii, recepta Gratiani doctrina tradita in vers. *qui autem* post can. 29, caus. 17, qu. 4, quinto adjecerunt crimen simoniæ, argum. cap. 7, de simonia; sexto fundatoribus vel fundatorum heredibus concessa facultas accusandi clericos, aut prælatos impositis fundationum legibus non satisfacientes, can. 60, caus. 16, qu. 1, can. 32 et 34, caus. 16, qu. 7. Septimo denique traditum est, potuisse a quocumque clericos accusari de crimine notorio, ex quo clerici ipso jure infamiam contraxissent, argum. cap. 24, in fine de appellation., et l. 1, cod. de quæstionibus.

An e contrario clerici admittantur ad laicos accusandos, vix disputari posse videtur, cum aperta sint canonum monumenta. Distinguere oportet, an in ecclesiastico, an in publico civili foro sit instituenda accusatio. In foro ecclesiastico, ubi pœnæ, aut censuræ ecclesiasticæ reorum coercendorum caussa infliguntur, nullibi prohibetur clericis, ne laicos accusent, imo et id expresse permittitur, can. 7, caus. 2, quæst. 7, can. 1, 2, 3, caus. 6, quest. 2. Neque in contrarium adferri potest, aut canon 6, cau. 2, qu. 7, aut canon 9, cau. 11, qu. 1, præterquamquod enim hæc monumenta sunt Mercatoris, liquet, in dicto canone 9, non agi de judiciis ecclesiasticis, sed de judiciis publicis laicorum, in dicto autem canone 6, præcipuus scopus auctoris erat demonstrare, non esse admittendos laicos ad accusationem clericorum, ex eo quod clerici non admittentur ad laicos accusandos: quasi ita diceretur, ante laicos magistratus non licet clerico laicum accusare; ergo a converso ante episcopos non licebit laico clericum accusare. De vi hujus argumentationis non est, quod quæram. Sufficit indicavisse Mercatoris voluntatem, ut qualis ejusdem sententia fuerit, colligatur. Quod si agatur de publico civili foro, cum ab hoc vacare clerici jubeantur, nec pro alio postulare sinantur etiam in caussis civilibus, nisi suam, aut suorum, aut ecclesiæ caussam agant, cap. 1, 2 et 3, de postulando, potiore jure removentur in criminalibus negotiis vice reipublicæ sustinere personam accusatoris, ne a lenitate clericali deflectant; cum semper consueverint clerici pro reis criminum apud magistratus intercedere potius, quam de sumenda vindicta sollicitudinem gerere, can. 30, caus. 23, qu. 8. Exceptio tamen est, quum clericus vellet aut suam, aut ecclesiæ injuriam persequi, et periculum, quod ex aliena pravitate aut sibi aut ecclesiæ imminet, evadere querela apud judicem proposita, c. 8, de foro compet. dummodo tamen protestetur, se pœnam sanguinis non intendere, quidquid deinde judex ex officio suo sit pronunciaturus, uti saluberrime cavendum voluit Bonifacius VIII in c. de homicid. in 6.

Quando vero superius dictum est, accusationem non aliter fieri consuevisse, quam interveniente legitima accusatoris inscriptione, colligitur, absentes per literas, aut per procuratores accusare non potuisse, can. 8, cau. 2, qu. 8, can. 1 et seq., cau. 3, qu. 9, c. 15 et 16, de accusation., c. 31, de simonia, nisi tamen ageretur de criminibus, uti vocant Pragmatici, mixtis, qualia sunt, in quibus et publica et privata vindicta versatur, quemadmodum est crimen adulterii, ubi vir, aut uxor accusent, cap. 15, de procurator., et crimen abigeatus, l. un., cod. de abigeis, at nisi ageretur de criminibus levioribus, argumento leg. 6, ff. de accusation, juncta leg. 9, § 3, ff. de offic. procons. Multa alia non memoro ad Romani juris disciplinam pertinentia, quæ commodius tradenda relinquo civilium legum interpretibus.

Hæc, quæ ex vetere judiciorum disciplina vigebant, hodie fere exoleverunt, quoniam tres tantum posteriores supersunt modi deferendi in judicium crimina, denunciatio, exceptio et inquisitio. Denunciatio est simplex delatio criminis sine inscriptione, cap. 16, de accusation., unde fit, ut competens judex ex officio in crimen inquirat, quin denunciator vices actoris sustinere cogatur. Et quidem denunciatione facta, ex arbitrio prudentis judicis pendebit, an ad inquisitionem procedendum sit, an minus, quod facile erit augurari, seu ex qualitate denunciantis, seu ex qualitate illius, contra quem denunciatum fuerit; et cum inquisitioni locus fiet, actoris vices geret ex officio qui vulgo a Pragmaticis promotor fiscalis appellatur, seu procurator, seu advocatus fisci, derivato nomine a veteribus advocatis fisci, quorum mentio fit, in l. 5, § 13, ff. de his, quæ ut indignis, l. 8, cod. de advocatis diversorum judicum, et in l. 8, cod. de advocatis diversorum judiciorum. Si denunciatio cum accusatione conferatur, adparet statim, utramque in paucis congruere, in pluribus distare. In eo uno utraque congruit, quod quemadmodum personæ infames, et extra ecclesiæ communionem sitæ, aut ejectæ, imo et quæcumque de calumnia evidenter redargui possunt, aut etiam gravi calumniæ suspicione notantur, ab accusando repelluntur, ita repellantur quoque a denunciando, c. 19 et 20, de accusation. Quod tamen de infami-

bus, et excommunicatis dictum est, exceptionem habet in gravissimis quibusdam facinoribus, quorum respectu publica utilitas denunciationum leges paullo relaxandas suasit, ut illa facilius detegerentur ad avertenda gravia in christianam rempublicam emergentia pericula; quoties nimirum id speciali lege statutum est, uti contingit in crimine hæreseos, can. 26, caus. 2, qu. 7, et in crimine simoniæ, cap. 3, 7, 31, de simonia. Distat utraque in eo primum, quod licet accusator teneatur nomen inscribere, et actoris loco caussam instituere, et persequi usque ad sententiæ pronunciationem, denunciator tamen denunciatione facta ob omni hujusmodi obligatione sit immunis, cum denunciationem excipiat inquisitio, in qua ex officio vices actoris gerit promotor fiscalis. Tantum exceptio est respectu ejus, qui non ex officio denunciat; nam postulante reo debet monumentum suæ denunciationis scripto nomine in curia saltem clam et in occulto exhibere eatenus quatenus rei absolutione secuta extra ordinem puniatur, si adparuerit, per calumniam denunciavisse, argumento cap. 2, de calumniator., nisi crimen opponatur non caussa inferendæ pœnæ, sed nequis ad sacra officia promoveatur, cap. 16, de accusat. Distat secundo in eo, quod accusator quomodocumque suspectus removendus sit ab accusando; non tamen removeatur a denunciando, qui non gravissime suspectus sit; siquidem etiamsi des mihi denunciatorem valde quidem, sed non omnino suspectum, adhuc recipi poterit denunciatio, ita tamen, ut judex exinde examinet rerum et personarum, ceteraque hujus generis adjuncta, quibus pensatis ad judicium inquisitionis progrediatur, non ut statim inquisitionem incipiat. Distat tertio in eo, quod finis præcipuus accusationis est publica vindicta, sue pœnæ illatio; finis autem denunciationis potius est emendatio rei, atque correctio, cap. 16, de accusation. Quamobrem erit in hac parte observandum evangelicum fraternæ correctionis mandatum, de quo apud Matthæum cap. 18, et apud Lucam cap. 17, juxta quod, si spes emendationis sit, privatim primum monendus erit reus, et tum demum, nisi resipiscat, deferendus, cap. 20, de accusat., cap. 31, de simonia, nisi tanta sit, et adeo urgens ecclesiæ necessitas, et utilitas, ut denunciatio in longius tempus differatur. Distat denique in eo, quod accusare unicuique licet, nemo fere tenetur; denunciare autem semper licet, sed aliquando quisque conscius etiam debet, quotiescumque quis aut generali lege, aut singulari præcepto; seu edicto publico admonetur, et obligatur. Generali lege præceptum est, ut denuncietur crimen simoniæ, extrav. 2, in fine de simonia: item crimen hæreseos ex constitutione *Noverit* 10, Innocentii IV in Bullario, ac denique crimen sollicitationis juxta constitutionem famigeratam Gregorii XV die 30 augusti anni 1622. Hanc ad rem adnotanda est regula a S. Thoma præstituta in 2, 2, quæst. 33, a. 7, in corpore scribentis, in criminibus etiam occultis fraternam correctionem judiciali denunciationi minime præmittendam, quinimo illa confestim iudici deferenda esse, quoties ejus generis sint, ut etiam in occulto ad spiritualem proximorum perniciem tendat. Singulari præcepto, aut edicto publico quis ad denunciandum obligatur, quando in Ecclesia proclamationes, aut caussa matrimonii, aut caussa suscipiendorum ordinum, aut caussa rerum furto subreptarum, quas postremas *monitoria* nostri appellant, de quibus inferius sermo habebitur, argumento capituli 3, de clandest. desponsat, can. 11, dist. 61, et cap. 4, de furtis.

Exceptio est oppositio quædam aut similis, aut alterius criminis a reo facta adversus accusatorem, aut testem, ut eum ab accusando vel testimonium ferendo repellat. Id contingere solet, quum ex. gr. maritus uxorem de adulterio accusat ad finem divortii, et uxor e contrario allegat, maritum pari fuisse crimine inquinatum, cap. 6 et 7, de adulteriis. Hinc liquet, finem exceptionis non illum esse, ut ab eo, contra quem excipitur, publica vindicta sumatur, sed ut ne contra accusatum quidquam agere valeat; quamobrem etiamsi crimen ab excipiente probetur, non erit ad ordinariam criminis pœnam inferendam deveniendum; sed tantum cohibetur reus criminis, ne susceptam controversiam prosequatur, cap. 2, in fine de ordine cognationum, cap. 1, de exception. Ad hanc rem jure optimo rescripsit Innocentius III in cap. 23, de accusation., non esse abs jure beneficii quæsito repellendum eum, adversus quem non instituta criminis accusatio fuisset, sed crimen in modum tantum exceptionis oppositum.

Denique inquisitione crimina in judicium deferuntur, quum judex ex officio nemine accusante, vel denunciante, in reum criminis quæstionem facit, et jurisdictionem suam exercet. Duplex autem est inquisitio, nimirum generalis et singularis. Generalem inquisitionem appellant nostri quam faciunt ecclesiarum prælati statutis temporibus, seu diœcesin visitando, seu synodum celebrando, palam investigantes, imo et populum clerumve interrogantes de admissis criminibus, et de rei, quos puniant, aut certa ratione coerceant, can. 11, caus. 10, quæst. 1, cap. 25, de accusation., cap. 20, de præbend., cap. 13, vers. *adjicimus* de hæreticis, et cap. 13, de offic. jud. ordinar. Et quidem invicem cohærent duo illa antistitum officia, primum visitandi ecclesias, alterum celebrandi synodum, et dum utroque singuntur, rite recteque modo in visitatione singulis consulunt, modo in synodo ecclesiarum universitati prospiciunt,

quod utilissime fit in crimina, et reos criminum inquirendo, atque animadvertendo. Quum vero olim singulis saltem annis et visitatio fieret, et synodus celebraretur singulis quoque annis generalis inquisitio fieret. Atque antiquissimis sæculis res hæc universa in prudentiam antistitis conferebatur, nulla certa præstituta inquirendi formula. At deinde ad magis magisque excitandum antistitum officium operæ pretium duxere nonnulli canonum collectores certam formulam describere, quam antistites aut visitando, aut sinodum habendo sequerentur Non memoro canonem 7, caus 35, quæst. 6, in quo inquisitionis in synodo habendæ mentio fit, etenim perperam hic adscriptus fuit Eutychiano papæ, quando depromtus erat ex collectionibus canonum longe recentioribus. Primum, quod ego novi, adparet certa inquisitionis generalis formula apud Reginonem Prumiensem noni sæculi collectorem, qui eam exhibet initio libri 1, de ecclesiasticis disciplinis, in quinque supra nonaginta capita distributa, ex qua liquet, duplicem fuisse ejus inquisitionis finem, nimirum in primis, ut clerici et laici, de quorum moribus identidem inquirebatur, in officio continerentur, deinde ut rei, siqui reperirentur, pœnam luerent. Placuit passim Reginonis industria, quem propterea multi imitati sunt, similes formulas describentes adjuvandorum antistitum gratia. Unde et sæculo undecimo Burchardus Wormaciensis parem formulam descripsit initio sui decreti distributam in 67 capita; nec defuerunt, qui similem etiam ederent, et Leoni IV pontifici maximo adscriberent. Ceterum a sæculo undecimo dici potest, disciplinam hujus generalis inquisitionis fuisse in tota fere occidentali ecclesia receptam. Specialis, seu singularis inquisitio dicitur, cum prælatus ex officio in certum crimen admissum, vel in certam personam delinquentem inquirit, vel post alicujus denunciationem, vel post inquisitionem generalem factam indicato reo, vel ex fama, seu rumore publico ferente, aliquem gravis criminis reum extitisse, qua in specie nemo non videt, procuratorem, ut vocant, fiscalem vice fungi accusatoris, juxta ea, quæ modo observabam, can 6, caus. 2, quæst. 5, cap. 22, de sent et re judic, cap. 1, in fine de officio custodis, cap. un, vers. *sane* de sensib. in 6 Adeo autem verum est, publicam famam inquisitionis judicio caussam dare, ut licet duo, vel tres, vel etiam plures testes dixerint aliquem diffamatum, non inde tamen locus inquisitioni fiat, nisi aliquid sinistri de reo in publico audiatur. cap. 19, 21, § ult., et cap. 24, de accusation., quamquam in ea specie locus fiat indicendæ purgationi secundum arbitrium judicantis. Hodie hæc inquisitio ex generali consuetudine facta est ordinaria, cum olim extra ordinem fieret in subsidium accusationis, idest cum accusator deficeret, ita ut accusatore accedente inquisitio irritaretur, argumento capituli 19, de accusation. In hoc ipso inquisitionis judicio observandum est, fieri locum pœnæ ordinariæ per judicem infligendæ in reum, quoties tale crimen admissum proponatur, quod suscepti ordinis executionem, aut retentionem beneficii etiam post peractam penitentiam impediret; alioquin universa ex judicantis arbitrio et humanitate pœnam moderaturi pendere. Perspicue id definitum fuit ab Innocentio III in cap. 21, de accusationib. Quæsitum fuerat, an ecclesiasticus judex inquisitione suscepta, probatoque in judicio crimine, pœnam a canonibus indictam moderari ex æquitate valeret. Distinguendum voluit Innocentius, et ait, ubi tale sit crimen, quod ipso jure executionem suscepti ordinis, ac beneficii retentionem perpetuo impediret, quemadmodum contingit in crimine homicidii, aut simoniæ, non esse in potestate episcopi moderari pœnam: ubi enim pœna ipso jure indicta est, et reus statim ac crimen admisit, in pœnam incidit potestate legis, lex ipsa quodcumque officium judicis prævenit, ac sententia judicis tantum declaratoria est, idest indicans, quam reus ex lege pœnam incurrerit. Notari debet Innocentii formula, dum ait, *hoc casu erit, sicut in accusationis judicio procedendum*. Supponit enim, in judicio accusationis judicis officium esse omnino ad summos juris apices exigendum, ita ut judex pœnam nequeat moderari, sine ullo delictorum discrimine, sed debeat in universis criminibus eam pœnam infligere, quæ lege decernitur. Contra tamen respondit esse observandum in judicio inquisitionis, quoties talis pœna abs jure præstituatur, quæ nec ordinis suscepti executionem, nec retentionem beneficii perpetuo impediret, in his enim caussis inquit, discretioni judicantis, si pœnam moderari voluerit, nonnihil esse indulgendum. Si caussam quæras, quare in judicio inquisitionis mitius agatur, ego dicam, in judicio accusationis non tam æquitatem, quam æquabilitatem esse servandam; et quando accusator, si in probatione deficeret, talione puniebatur, seu plecti poterat ea pœna, quam in reum inferendam dicebat, minime decuit, reum convictum mitius plecti; ne rei gravis criminis melior caussa videretur, quam accusatoris ad tuendam rempublicam periculo suo conantis. At in judicio inquisitionis, cum deficiat accusator, qui suo periculo crimen objiciat, nulla est ratio, ex qua æquitas et prudentia rerum et pœnarum moderatrix locum habere nequeat. Quod si adhuc urgeas, usuvenire in judicio inquisitionis, ut sint in eo denunciatores caussam judicio dantes etiam puniendi, si per calumniam ad denunciandum accedant; reponam ego, in primis non semper denuciatores puniri, sed tum demum, cum de calumnia constet. Quid enim, si reus ab-

solvatur ex eo tantum, quod liquidæ non fuerint criminis probationes? Accusator in hac specie olim puniebatur: punitos denunciatores minime legimus. Deinde pœna denunciantium calumniatorum ex arbitrio judicis plurimum pendet. Ergo etiam pendere ex judicis arbitrio poterit pœna reorum, ubi judicium ab inquisitione cœperit, utut inquisitionem denunciatio præcesserit, quin judicii æquabilitas dissolvatur.

CAPUT V.

De condemnatione, vel absolutione, vel purgatione reorum.

Huc referendi sunt titulus 18, lib. 2, tituli 2, 22, 34 et 35, lib. 5.

Et facile est, et plenum publicæ utilitatis negotium leges pœnales ferre adversus reos scelerum, aut delictorum. Difficile autem semper visum fuit, et plenum periculi, post latas leges in singulares criminum delictorumve reos pronunciare sententiam, ob varias, quæ occurrere passim solent, facti dubitationes; qua in re jamdiu in adagium abivit, satius esse in dubbio non damnare eum, qui reus forte sit, quam pœnis innocentem affligere. Ut caute ad damnationem reorum procedatur, tria sunt generalia jacienda principia. Primum est, damnari jure reum, cum propria sincera confessione se reum esse adfirmavit. Alterum est, tunc etiam jure reum damnari, cum est convictus. Postremum est, sententiam damnationis non statim paratam executionem habere, quousque aliqua appellationis caussa proponatur. Merentur hæc singulares observationes.

In primis generaliter verum est, reum in judicio confessum jure damnari, cap 4, de judiciis, cap. 2, de confessis, cap. 1, de accusationibus in 6. Tria tamen requiruntur, ut regula locum habeat. Primum debet confessio scienter prudenter elicita esse: nam si per errorem facta deprehendatur, nihil accusatori proderit, cap. ult., de confessis. Secundo confessio debet esse verosimilis, et quæ non repugnet adjunctis facti, quæ crimen delatum undecumque circumstant: hinc ajebat Paulus in l. 13, ff. de interrogat. in jure faciend., confessiones naturalibus convenire oportere, et Javolenus in l. 14, ff. eod., confessiones ita ratas esse, si id, quod in confessionem venit, et jus et naturam recipere potest. Sic, ut exemplum proferam, qui profiteretur hominem occidisse, qui vivus sit, pœna homicidii puniri non deberet, l. 23, § ult., l 24 et 25, ff. ad leg Aquil. Tertio confessio metu extorta non sufficiet, ut reus damnetur, can. 1, cau. 15, qu. 6, can. 4, cau. 31, qu. 2, quod absolute verum est, ubi confessio extorta per metum fuerit ab accusatoribus, aut ab iis, quorum quoquomodo interfuit reum damnari, aut etiam a quibuscumque privatis. Quid tamen, si judicis auctoritate torqueri debuit reus caussa eliciendæ confessionis, et reus tormentorum atrocitate pressus, ac subjugatus crimen fateatur? Sunt qui adversus hanc torquendorum reorum disciplinam declamant. Verum jureconsulti fatentur quidem esse rem hanc periculi plenam et fragilem, quæ sæpissime fallit; nam plerique ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit, alii tanta sunt impatientia, ut in quovis mentiri, quam pati tormenta velint, l. 1, § 23, ff. de quæstion., non esse tamen in judiciis criminalibus abolendam, ubi gravissimæ sunt admissi criminis conjecturæ, quousque non utilis eliciendæ veritatis præsidium inveniatur. Hinc factum est, ut tum demum reo, dum torquetur, confessio credatur, cum reus quod, dum torquetur, asseruit, post tormenta confirmet Quid vero, si reus non solum crimen a se, sed etiam ab alio consorte criminis admissum profiteatur? Generalis regula est juris Romani, neminem reum de aliorum conscientia interrogari, l 16, § 1, ff. de quæstion, l. ult., cod. de confessis: caussam adjicit Paulus in lib. 1, sententiar. tit. 12, § ult., *ne alienam salutem in dubium deducat, qui de sua disperavit.* Exceptio tantum erat in delictis a familia servorum admissis, in quibus præsumtio oriebatur de mandato alicujus, et servi rei de mandantis persona interrogabantur, l. 6 et 17, ff. ad senat. cons. silan. Exceptio etiam erat in latronibus, qui instructa veluti classe in viatores irruerent; hos enim de sodalibus permissum fuit interrogari, l. penult., cod. de feriis. Exceptio denique erat in crimine falsæ monetæ, ad quam cudendam argumenta erant, plurimos operam contulisse, l. 1, cod. de falsa moneta. Non absimilis est decretalium disciplina. Generaliter enim traditum est, reos confessos non esse de consortibus interrogandos; siquidem si accusatus de crimine non admittitur ad alios de eodem crimine accusandos, neque admittitur ad testimonium in eadem caussa ferendum, cap. 10, de testibus. Clemens III in cap. 1, de confessis excepit crimen læsæ majestatis, quod derivavit ex canone 8, cau. 15, quæst. 3, qui tamen canon depromtus est ex epistolis Isidori Mercatoris. Hodie in foro publico hujusmodi quæstiones pronunciata demum sententia admittuntur ad capiendas conjecturas, ex quibus in alios inquiri possit, non ad testimonia perhibenda, cum damnati sint plerumque infames, semper autem suspecti, ne pœnam quam ipsi declinare non potuerunt, in alios etiam inferant.

Præterea vera est altera regula, convictum in judicio jure damnari, etiamsi crimen confessus minime fuerit, cap. 4, de judiciis. Di-

citur autem convictus, qui manifestis et apertissimis probationibus, crimen admisisse demonstratur, l. ult., de probation. Primo id contingit, cum quis in flagranti, idest, in ipso actu criminis deprehenditur. Secundo, cum talis est rei evidentia, quæ nulla potest tergiversatione celari, cap 24, in fine ff. de verb. signific. Tertio cum testibus probatum est, crimen a reo fuisse admissum: qua in re obtinet, ut testium numerus quadragenarium non excedat, ne criminalis processus in infinitum protendatur, cap. 37. de testibus, saltem vero duo testes concordi testimonio id adfirment, dummodo alias integerrimi sint, et de quorum calumnia, vel mendacio nulla possit suboriri suspicio, can. 1, caus 2, qu. 4, cap. 23, de testibus. Frustra autem hodie quis allegaret in contrarium canonem 2, caus. 2, quæst. 4, ubi traditur, duos supra septuaginta testes ad episcopi, quatuor supra quadraginta ad presbyteri, septem supra viginti ad diaconi, septem ad ceterorum minoris gradus administrorum damnationem requiri. Sunt hæc figmenta Isidori Mercatoris, qui, uti superius observatum est in capite præcedente, nihil antiquius habuit, quam ut accusationes episcoporum de medio tolleret; quam ob rem cum ista sub nomine Romani concilii sub Sylvestro celebrati traderet, subdidit statim: *Testimonium laici adversus clericum nemo recipiat*, can. 9, caus. 11, qu. 1. Si hæc recipi quandoque potuerunt, ignoro plane, an aliquod in caussis clericorum, præsertim majorum, criminale judicium institui potuisset; nam semotis a ferendo testimonio laicis, inverosimile est, tot numero testes in uno clero inveniri, præsertim cum idem Isidorus et in ipsa sua Romana synodo Silvestro tributa rejecerit testimonium clerici inferioris gradus adversus clericum majoris ordinis, caus. 10, caus. 2, quæst. 7. Quid ad hanc rem diceret Alexander III, qui in c. 10, de testament. Romanarum legum consuetudinem probare non potuit, juxta quas septem testium numerus in testamentis requirebatur, ea ductus ratione, quod *a divina lege et sanctorum patrum institutis, et a generali ecclesiæ consuetudine id noscitur esse alienum, cum scriptum sit, quod in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum?* Equidem scio, traditionem hanc Mercatoris laudatam fuisse a Leone IV in epistola ad episcopos Brittaniæ, cujus monumentum extat in can. 3, caus. 2, qu. 4, eamque ipsam Leonis IV sententiam visam fuisse confirmatam a Nicolao I in epistola ad Salomonem regem Brittonum. Verum et Leo IV et Nicolaus I prudentissime, et ex œconomia quadam usi sunt isidorianis hujusmodi mercibus, non quod, ut arbitror, crederent magno momento valere, sed quòd adjunctis illius temporis opportunæ erant, cum non omnino apud Brittones contemnerentur. Erant Brittones temporibus Caroli Magni obnoxii potestati ejusdem Caroli, uti colligitur ex can. 37, cau. 11, qu. 1. Petierunt paullo postea, ut sibi rex constitueretur imperatori subjectus, quod obtinuerunt necessitate quadam exigente, uti professus est Carolus Calvus in capitulari anni 877 apud Carisiacum cap. 23. Hac tamen adjecta conditione, ut ex certa tantum familia progeniti regio nomine, ac dignitate potirentur: Primus inter Brittones regnum sibi concedi amabat Numenojus quidam, qui, ut facilius voti compos fieret, post occupatas armorum vi plures urbes, ejecit ab iis episcopos universos, in quorum locum totidem antistites sui ambitus conscios subrogavit. Id ut liberius moliretur, sparsit in vulgus, episcopos olim constitutos gravibus criminibus esse inquinatos, quorum caussa ut removerentur a dignitate sua, nullum non lapidem movebat. Atque ut rite novi episcopi a se electi consecrarentur, veritus ne archiepiscopi, seu Metropolitani, qualis erat Turonensis, querela gravissima fieret, ipse Metropolitanum in sua ditione constituit, allegans, Turonensi archiepiscopo Brittones nunquam fuisse jure subjectos. Ejecti episcopi qua apud regem Francorum, qua apud pontificem maximum conquesti sunt; nec querelas inferre similes de turbata jurisdictione sua omisit archiepiscopus Turonensis, Numenojo successit Salomon in regno, qui prædecessoris sui gesta tueri pergebat. Hæc fuit Brittonum conditio, et ecclesiarum status temporibus Leonis IV, Nicolai I et Joannis VIII, atque juxta hæc adjuncta explicandi sunt, tum laudatus canon 5, cau. 2, qu. 4, qui est Leonis IV, tum can 10, caus. 3, qu. 6, qui verosimiliter tribui posset Joanni VIII, verius autem Nicolao I, quemadmodum ego ostendi in meis animadversionibus in Gratianum. Porro laudati pontifices in his factorum adjunctis, ut ejectorum antistitum caussas, et Turonensis archiepiscopi jura tuerentur, rati sunt opportunum, ut a dirimendis in specie subortis controversiis abstinerent; noverant enim prudentius fore, si quasdam forte in Brittania receptas traditiones allegarent, ex quibus Brittones ipsi sponte eo adducerentur, ut et irregulare adversus ejectos episcopos susceptum judicium crederent, et lubentius archiepiscopo Turonensi se subjicerent. Prodierant tunc Isidori Mercatoris decretales, ac passim de provincia in provinciam traductæ, si non ubique receptæ statim sunt, aliquam saltem reverentiam apud legentes inveniebant. His uti se fidenter posse duxerunt Leo IV, Nicolaus I et Joannes VIII inter cetera duo ex mercibus Isidori stabilientes principia; quorum primum erat, episcopum damnari non posse, nisi crimina probantibus ingenti numero testibus, et eo, qui apud Mercatotem in laudata synodo Sylvestri statutus ferebatur. Hinc putabant, inferri

facile posse, episcopos a Brittonibus electos nonnisi per injuriam, idest informi judicio fuisse damnatos; alterum erat, episcopos damnari tantum posse in concilio episcoporum, in quod saltem duodecim antistites convenissent. Hinc putabant, inferri facile posse, episcopos Brittones non potuisse ejicere episcopos veteres, utut sub archiepiscopo electo a Numenojo constitutos, cum numerum duodenarium non attingerent, et facile adduci posse Brittones episcopos, ut se Turonensi metropolitæ subjicerent, propterea quod duodecim essent in Turonensi Provincia episcopatus. Itaque quod Leo IV in singularibus adjunctis versatus prudentissime, et ex quadam æconomia tradidit, ad generalem disciplinam traduci haud facile poterit. Potest addi, id definitum esse ex concilio carthaginensi vulgo I, can. 11, 12, in collectione canonum ecclesiæ africanæ.

Denique postremum principium erat, sententiam damnationis non statim paratam habere executionem, quousque aliqua appellationis caussa proponatur; est enim appellatio species quædam naturalis defensionis nemini deneganda, nisi cum appareat, frustra appellationem interponi, et tergiversationis ergo, qua reus pœnam ceteroqui sibi jure debitam declinet. Hinc denegatur appellatio primum, si reus fuerit propria et sincera confessione damnatus, cap. 9, de excess. Prælat., l. 2, cod. quorum appellat. non recip., secundo, si reus in flagranti, et per evidentiam facti deprehensus in crimine fuerit, cap. 61, § *porro* de appellation., nisi tamen quædam adhuc supersit dubitatio, an possit alia probabilis exceptio proponi, cap. 3, vers. *si autem* eod. tit. in 6, tertio, si eo gravitatem alicujus flagitii, cujus memoriam quantocius aboleri, et quod statim vindicari, publice intersit, leges publicæ appellandi facultatem sustulerunt, uti cautum est in crimine hæreseos, cap. 18, de hæret. in 6, quod et in crimine falsæ monetæ in jure romano olim constitutum scimus, l. 1, cod. de falsa moneta.

Pertinent hæc ad condemnationem reorum. Certæ quoque regulæ præstituendæ sunt, tum observandæ, cum reus absolvitur. Ex parte rei, qui controversiam passus est, obtinet, ut reo semel absoluto, nequeat regulariter novo judicio iterum de eodem crimine inquiri. Dixi regulariter, etenim duæ proferuntur vulgares exceptiones. Prima est, si reus fuerit absolutus, non quod ejus demonstrata innocentia fuerit, sed quod satis aptæ non extiterint probationes; tunc enim novis emergentibus caussis nihil oberit, quominus ad novum judicium, et caussæ cognitionem procedatur. Altera est, si accusator cum reo collusionem fecisset; siquidem tunc, colludente accusatore extra ordinem punito, judex ex officio adversus reum inquiret, cap. 1 et sequentibus, de collusione detegenda. Non tamen hic concluditur judicis officium, nimirum ut reo tantum prospiciat absolutione, sed quandoque animadvertendum erit in eum, qui crimen in judicium detulit, et caussam controversiæ adversus reum instituendæ præbuit. Si judicium criminis ab exceptione cœpit, perspicua res est, reo absoluto, permittendum esse eidem, ut libere accusationem persequatur, vel testimonium ferat, quasi irritata adversus accusantem vel testimonium ferentem exceptione. Difficilius est quærere, quid sit observandum, ubi judicium cœperit, aut ab accusatione, aut a denunciatione, aut ab inquisitione.

Jamdiu caverant Romani veteres, aut, ut nonnulli volunt, legibus duodecim tabularum, aut lege Remmia, aut senatusconsulto Turpilliano, ut qui falsum crimen in judicium detulissent accusando, pœnam infamiæ subirent, inusta in fronte turpi nota, seu litera *K*, quæ *Kalumniatorem* significabat, ad quam disciplinam respexit Cicero in oratione pro Sexto Roscio Amerino num. 57, dum scriberet: *Sed si ego hos bene novi, literam illam cui vos usque eo inimici estis, ut etiam eas omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, ut postea neminem alium, nisi fortunas vestras accusare possitis*; quam pœnam qui non subivisset, homo integræ frontis dicebatur, l. 13, ff. de testibus, imo et calumniatores, eadem pœna plectebantur, qua accusatos plecti a magistratibus postulavissent, quæ talionis pœna dicebatur, l 10, cod de calumniator., leg. ult. cod. de accusation. Meum non est in præsentia investigare, quibusnam specialiter legibus duæ istæ pœnæ indictæ fuerint; aut utrum æque infligerentur in calumniatores, qui scilicet odio, inimicitia, aut simili de caussa, crimina falsa detulissent, ac in moratores, qui intra annum non probabant crimina illata, et in desertores, qui de probatione criminis desperantes ab accusatione persequenda cessabant. Tantum dixero, primum pœnam literarum in fronte conscribendarum ab usu exolevisse post legem Constantini, quæ, extat in l. 17, cod de pœnis, pœnam autem talionis nonnisi serius cessavisse, forte post tempora Justiniani, quum nimirum Romanarum legum disciplina sperni cœpit. Non potuit profecto ecclesiis suis judiciis accommodare talionis disciplinam etenim cum clerici accusarentur, et pœna accusatis immineret aut suspensionis, aut dejectionis ab officio, eadem pœna non omnibus infligi poterat, cum possent esse aut laici clericorum, aut clerici minores clericorum majorum accusatores, argumento canonis 3, cau. 5, q. 6. In veteribus ergo canonibus traditum est, ut qui probare non valuerit crimen, ab accusando in ceteris removeretur, imo et excommunicatione plecteretur, si laicus esset, aut, si clericus, dejiceretur a proprio gradu, can. 1, 2 et 3, cau. 3,

qu. 10, can. 4 et 8, cau. 5, qu 6. Isidorus Mercator, dum suas pseudodecretales epistolas sub nomine veterum Pontificum concinnaret, cujus scopus is erat, quemadmodum superius observatum est, quo accusationis judicia difficiliora redderet, ad terrendos accusatores studuit quammaxime, ut pœnam talionis in disciplinam ecclesiasticam inveheret nec dubitavit sententias imperatorum veterum de talione conceptas, præsertim in codice Theodosiano descriptas, pontificibus priscis adtribuere, uti adparet ex can. 3 et 4, cau 2, q. 8. Non memoro canonem 2, cau. 5, q 6, non enim est Gregorii, cui ceteroquin inscribitur, sed est veluti breviarium minus apte compositum canonis 3, subsequentis, quemadmodum observaverunt correctores romani. Non potuit tamen recipi in ecclesiastico foro ob caussas modo indicatas disciplina Mercatoris e Romano foro deprompta: proindeque recipi necessario debuit, accusatorem calumniantem condemnari primum in expensas, deinde in id, quod accusati interfuit caussa suscepti judicii, argumento capituli 23, in fine de accusation., quod si insignis accusantis improbitas, et perfidia videretur, receptum est, ut accusator pœna extraordinaria pro modo improbitatis et perfidiæ plecteretur, c. 1, de calumniator., nisi tamen quidquam justo dolori accusantis indulgendum fore, ut in specie legis ultimæ ff de public judic., et legis 2 ac 4, cod. de calumniatoribus.

Quoties de denunciatore quæratur, nollem in primis, huc adferretur canon 6. caus. 5, quæst. 6, nam, cujuscumque is sit auctoritatis cum ceteris Eliberitani concilii canonibus species, quæ ibidem fingitur, spectat delatores christianos, qui ejusdem christianæ fidei consortes odio christianæ fidei ad magistratus ethnicos deferebant. Nollem deinde, huc adferretur canon 7, caus. 5, quæst. 6, pertinet enim ad monachos deferentes crimina monachorum apud præpositos monasterio, penes quos nulla tunc erat publica ecclesiastica potestas, ac juridictio. Et revera utut canon ille tribuatur octavæ synodo, monuerunt tamen correctores romani, verius tribuendum fuisse regulæ monachorum s. Isidoro adscriptæ. Utrumque canonem ego expendi in meis animadversionibus in codicem Gratiani. Potius huc referri posset canon 5, cau. 5, q. 6, in quo non Hadriani sententia agnoscenda est, sed constitutio Constantini imperatoris adhuc ethnici, edita anno 319 quæ habetur in l. 2, cod. Theodos. de petitionibus, recentioribus sæculis Gothorum manu depravata. Verum et ista lex singularis erat, et spectabat delatores illos, qui post victum a Constantino, et fractum Maxentium tyrannum deferre voluissent ex odio et inimicitia apud imperatorem victorem eos, qui pridem Maxentio adhæsissent; quemadmodum docet Gothofredus in suis animadversionibus in laudatum titulum codicis Theodosiani de petitionibus. Revera hæc ipsa le quamquam deinde in libros capitularium Francorum relata fuerit, tamen aut nunquam usu recepta est, aut, si aliquando recepta, non diu viguit; nam Innocentius III in c. 2, de calumniat, præcepit, ut si denunciator canonice purgavisset innocentiam suam, idest demonstravisset, se non calumniandi animo ad denunciandum accessisse, pœnam omnem evaderet, si vero de calumnia constaret, ab officio et beneficio suspenderetur. Hodie in tribunalibus obtinet, ut denunciator ad expensas teneatur, quoties adparuerit, eum per calumniam denunciavisse, juxta ea, quæ tradit Faber in codice lib. 8. tit. 2, defin 9 et 10, unde colligitur, denunciatorem, quamquam, uti supra traditum est, nomen inscribere non teneatur, postulante tamen reo debere monumentum suæ denunciationis in curia relinquere, ut, absolutione secuta, adversus calumniatorem agi sine tergiversatione possit, argumento dicti capituli 2, de calumniator.

Quod si ab inquisitione judicium cœperit, sive præcesserit, sive non præcesserit denunciatio, neque ipsas judicii impensas ab inquirente repetet reus absolutus, nihil enim imputandum est inquirenti prælato, dum ad animadvertendum in facinorosos homines gravissimo officio suo tenetur, nec facile de eo capi potest conjectura calumniæ. Id fere ipsum recipiendum est in eo, qui ex officio publica auctoritate sibi mandato accusat, vel denunciat, vel post denunciationem ab alio factam, actoris partes in judicio sustinet, quales sunt promotores, ut vocant, fiscales, quos satis a calumnia excusat, et liberat necessitas muneris, argumento l. 13, § 5, ff. ad l. Jul. de adulter., nisi calumnia maxime evidens fuerit, argumento l. 2, cod. de his, qui accusare.

Jamvero, si ubi certo constat aliquem esse reum criminis, reus est sententia definitiva damnandus; si e contrario nullo modo probatur, aliquem reum fuisse, qui convenitur est absolvendus; quænam erit ferenda sententia, ubi aliquæ quidem, sed non plenæ probationes, aut gravissimæ conjecturæ, quæ prope ad probationem accedunt, in judicio editæ fuerint, unde judicis animus hæreat in incerto? Salebrosa semper res fuit ista, quæ apud nullas, quascumque etiam excultissimas gentes aut legum aut magistratuum providentia sine ulla juris aut prudentum invidia definiri potuit, et manet adhuc sine spe certæ, et omnem omnino notam evasuræ definitionis. Sane in civilibus caussis inducta fuerunt in forum juramenta suppletiva, ita dicta, quod semiplenas probationes suppletent, sive redderent firmiores. Sed ista recipi quidem potuerunt in civilibus caussis, utpote pecuniariis, ac propterea levioribus. In criminalibus autem caussis, utpote gravissimis, in quibus de atroci

inferenda pœna agitur, non erant facile permittenda. At enim cui danda essent? Non accusatori, qui pœnam iniquæ accusationis evadere studens, judicio et adsertione sua facile accusatum ad supplicium duceret. Non reo, qui de improbitate admodum suspectus, præsumendus est pœnam potius velle, quam perjurium declinare, imo et in perjurium eo pronior esse potest, quo infirmior est ejus voluntas metu atrocis pœnæ perterrita, turbata, et veluti contremiscens. Equidem torqueri reos conjecturis gravatos, fere receptum est. At vel ipsi jureconsulti hujus generis quæstiones periculi plenas esse inficiari non potuerunt, uti supra observabam; neque alia potest reddi ratio, quam quod alius huc usque nequiverit induci utilior modus eruendæ veritatis. Sacri canones mitius cum reis agendum præstituentes, reis eisdem valde gravatis purgationem induxerunt, cap. 31, de testib., cap. 15, de purgat., can. de qua cum adhuc agendum supersit, notandum initio est duplex purgationis genus, cum alia appelletur purgatio vulgaris, alia canonica. De purgatione vulgari tria discutienda sunt: primum, in quonam illa consisteret alterum, quænam fuerit ejus origo, et progressus: postremum, quænam de illa fuerit ecclesiæ sententia.

Media ecclesiæ ætate, cum præsertim Longobardi multas Europæ provincias occupabant, duplicis generis purgationem, ut ajunt, vulgarem invexerunt, quorum unum observaretur in judicio accusationis, alterum in judicio aut denunciationis, aut inquisitionis. Cum judicium ab accusatione cœpisset, et in dubio controversia hæreret, fiebat rei purgatio indicto initoque privato certamine (*monomachiam* alii, *duellum* alii appellaverunt) ita, ut qui eo victus fuisset, a caussa cecidisse crederetur, idest victus accusator haberetur quasi convictus de calumnia, victus accusatus, tanquam convictus de crimine, c. 2, de purgat. vulg. Cum judicium cœpisset ab officio judicis inquirentis, seu ex denunciatione alicujus, seu ex fama publica, monomachiæ non fiebat locus, ne judicis persona gradus, et dignitas in illud discrimen adduceretur. Fiebat tunc purgatio vel per aquam frigidam, vel per aquam calidam, vel per ferrum candens, ita ut reus periculo aquæ frigidæ expositus si submersus fuisset, tanquam noxius damnaretur, e contrario absolveretur, si supernataret; item judicio aquæ fervidæ purgandus nudatum brachium in aquam ferventem immitteret, innocens judicandus tum demum, cum illæsus evaderet; et similiter reus per ferrum candens purgaretur, nuda manu ferrum candens arripiendo, manu ipsa facinus admissum, vel non admissum indicatura; nimirum si manus illæsa evasisset, reus pro purgato haberetur, si læsa fuisset, plene probatum crimen judicaretur.

Non est æqualis duplici hujus generis purgationum origo. Antiquissima omnium est, quæ ferro candente fiebat, et in judiciis græcorum aliquando viguit etiam ante Christi nativitatem. Nam Sophocles priscus poeta græcus ejus mentionem perspicuam facit, dum retulit, Creontem regem Corinthiorum vetuisse, ne corpus Polinicis tumularetur quod tamen clam a fratre Antigone sepultum fuit; hinc in milites ad cadaveris custodiam designatos motam fuisse quæstionem, quos inficiatos crimen ita loquentes inducit: *Sumus vero parati, et candens ferrum manibus tollere, et per ignem serpere, Deosque jurare.* Ex ethnicorum sententia erat hæa sacra quædam cerimonia, et instar solemnis jurisjurandi maxime religiosi. Ut enim ipsi Solem venerabantur, sub nomine modo Jovis, modo Apollinis, suumque Deum in sole agnoscebant, quem philosophus Anaxagoras græco vocabulo *Mydron*, idest candentem laminam, appellabant; dum candentem ferri laminam manu arripiebant, aut dum super candentem laminam incedebant juraturi, præsente Deo suo superstitiosa quidem, sed acri persuasione jurare se profitebantur, quasi pleni religione, et reverentia Deum suum aut manu apprehensum, aut toto homine incedente occupatum testarentur. Plurimi extiterunt, qui cum Sole Deo sub Jovis nomine et Junonem deam colebant, quam aeris et nimborum dominatricem prædicabant. Isti, ut præsente Dea paratos se ad confirmandam veritatem jurejurando dicerent, aquam aut fervidam aut frigidam adhibebant, quasi Junonem perjurii vindicem in eo elemento, aut tutricem innocentiæ constituerent. His ethnicæ superstitionis præstigiis inquinatos fuisse puto Gothos, Vandalos, Longobardos, quasi reliquiis præjudicatæ parentum suorum religionis. Ea adtulere in Europam, et cum moribus suis pervicaciter custodirent, tum aliis eadem recipiendi occasionem facilem præbuerunt, præsertim cum unicuique populo, ac familiæ liceret, sibi seligere pro lubito certas leges, et consuetudines, quæ in Occidente variis commixtis gentibus occupato variæ erant. Ab eisdem gentibus efferatis arbitror derivatam monomachiæ, sive duelli disciplinam. Ut enim Gothi, et qui ex Gothis nati sunt Longobardi, profugi erant a suis provinciis, occidentales provincias occupaturi sive jure sive injuria advenissent, omne jus in armorum vi collocabant, et passim venditabant, ejus justam essé caussam, qui in conflictu vicisset. Initio quidem tantum penes illos, ea traditio consistebat, sed paullatim initis conjugiorum, aliarumque arctarum societatum, fœderibus, partim ex eo, quod occidentales Europei Longobardis assuescerent, partim ex eo, quod pueruli ex matribus Europeis occidentalibus nati, paterna vestigia facile premerent, mono-

machia, seu duellum passim obtinuit, probantibus præsertim magistratibus ut plurimum Gothis, ac Longobardis. Forte etiam hujusmodi hominum genus pervasit ea agendi ratio, qua putarent, homines ad arma procliviores, hostibus terribiliores, et nobiliores ferocia reddi, dum frequens monomachiis occasio præberetur.

Hæc nonnisi cum dolore maximo intuebantur ecclesiarum antistites, qui in monomachia quotidiana homicidia spreto divino ac naturali jure, in ferri candentis, et aquæ seu fervidæ, seu frigidæ purgatione non superstitionis tantum, sed veræ idololatriæ deplorabilem cultum non detestari, non horrere non poterant. Hinc monomachiam perpetuo improbaverunt, damnarunt, can. 22, caus. 2, qu. 5, cap. 1 et 2, de cleric. pugnant. in duello. In purgatione autem seu aquæ fervidæ, seu aquæ frigidæ, sue ferri candentis, duplicem improbitatem unam altera detestabiliorem agnoscentes, utramque quidem statim detestati sunt, et abolendam solerti vigilantia curarunt; sed in quibusdam provinciis cautius acta res est, ut quod levius esset, interea toleraretur quadam cum patientia, dummodo quod gravius erat de medio tolleretur. Erat primum insignis improbitas in eo, quod qui ferrum candens arriperet, Solem veluti Deum, qui periculo aquæ seu ferventis, seu frigidæ se subjiceret, Junonem veluti Deam jurejurando testaretur. Hanc nefariam idololatriam eradicare statim, et ubicumque voluerunt, et facile potuerunt. Erat altera, nec tamen levis improbitas in eo, quod in purgatione ferri, et aquæ fato quodam dirimenda relinquerentur judicia criminum per impietatem, aut, si divino judicio commissa videbantur, nihil aliud id esset, quam tentare Deum, et singularibus miraculis finem contentionibus imponendum non sine impudentia, nisi simplicitatem dixeris, desiderare, can. 22, cau. 2, qu. 5. Hanc quoque abolendam improbitatem illico sollicitudo plurium Antistitum curavit. Non tamen ubique vota episcoporum impleri potuerunt. Hinc quidam extiterunt ferreis, et obscuris sæculis, qui dummodo omnia Idololatriæ germina eradicarentur, ita demum permiserunt, ut et ferri candentis, et aquæ seu fervidæ, seu frigidæ pericula fierent, cum statis in ecclesia, et ante verum Deum precibus quoquo modo sanctificarentur, rati ea ratione commodius idololatriam deleri, et decursu temporis et has superstitionis veteris reliquias deletum iri. Ita fieri solet, ubi vitia multa sunt, et graviora suffocari possunt, toleratis interea levioribus, de quibus extinguendis spes etiam incipit affulgere. Ex his excusatos puto nonnullos ecclesiarum quarundam ritus, qui tamen nunquam generales, in occidentali quidem ecclesia, extiterunt, juxta quos fiebat in ecclesia inter Missarum solemnia purgatio per ferrum, aut aquam, argumento Canonis 15, caus. 4, qu. 5, uti probant plura veterum monumenta, apud sacræ antiquitatis collectores exhibita, inter ceteros apud Baluzium in tomo 2, capitularium Francorum pag. mihi 639. Ceterum ubi primum dissipari caligo cœpit, quæ ferrea sæcula obtegebat, et cultiora reddita sunt hominum ingenia, disciplina isthæc, quæ paucas sane diœceses tenebat, curantibus præsertim et urgentibus pontificibus Maximis, interire visa est, can. 7. vers. *purgationem*, et can. 20, caus 2, quæst. 5, c. 9, ne clerici vel monachi, cap. 8, de purgation. canon. cap. 1, 2 et 3, de purgat. vulgar. adeo ut hodie vix memoria supersit, qua recolatur apud eruditos vetustatis studiosos, hujus generis purgationes aliquando extitisse.

Nolim vero, in purgationis vulgaris exemplum, aut probabilem caussam, in medium proferatur mosaica disciplina, qualis exhibetur in capite 5. Numerorum, et apud Gratianum in can. 21, caus. 2, qu. 5, de muliere adulterii suspecta, quæ ad sacerdotes adducebatur, per aquas amaritudinis, et maledicta in iis congesta se purgatura. Etenim ista purgatio præterquamquod singularis erat in suspicione adulterii, et quidem ad privatam mariti querelam, longe a quocumque vitio erat apud Judæos, nec debet ullo modo cum vulgari purgatione aquæ frigidæ, aut fervidæ, aut simili comparari. Erat in vulgari purgatione apud Longobardos recepta veteris Græcorum idololatriæ vestigium sane damnandum; quod in ea purgatione, aut Juno, aut Jupiter sub Solis nomine in testimonium innocentiæ advocaretur: at id in purgatione judaica non erat. Erat deinde in vulgari purgatione Longobardorum gravis in Deum temeritas, proptereaquod non sine miraculo innocentia demonstrari potuisset; id autem erat tentare Deum, et sibi audacter persuadere, Deum illico miraculis cujuscumque innocentiam demonstraturum. At et istud vitium aberat a purgatione judaica; cum non humana, sed divina esset judaicæ purgationis institutio; neque judæi ipsi Deum tentabant, sed Deus idem se innocentiam testaturum spoponderat. Postquam vero quum universa judiciorum disciplina, hæc quoque disciplinæ pars in nova lege cessavit; etiam divina promissio, et quod olim sine ulla temeritate fiebat, non temere deinde fieri non potuit.

Nova potius successit in ecclesia, et simplicior purgandorum reorum ratio, ubi gravis esset criminis objecti suspicio, quæ cum canonibus ecclesiasticis comprobata fuerit, purgatio canonica appellata est. Non tamen eadem semper fuit hujus purgationis ratio. Primum fieri cœpit ad sepulchra Martyrum; vel ad reliquias eorundem, vel ad crucem consecratam, aut ad Evangelium. Successit deinde, quamquam nec ubique, nec diu recepta fuerit moribus, purgatio ad sacram eucharistiam:

ut plurima media ecclesiæ ætate, ac præsertim temporibus decretalium invaluit, ut fieret adhibitis pluribus innocentiæ testibus in eodem gradu et ordine constitutis, puta coepiscopis, aut consacerdotibus; ac fere semper in omni purgationis genere jusjurandum intercedebat. Antiquissima fuit purgatio ad reliquias martyrum, quam noscimus jam indictam a s. Augustino in epistola ad clerum et populum hipponensem, ex qua depromtus est canon 12, caus. 2, quæst. 1. Fuerat in hipponensi ecclesia a Bonifacio presbytero de gravi crimine accusatus quidam clericus nomine Spes, qui crimen ipsum in accusatorem retorserat. Ubi res dubia erat, jussit eos Augustinus, ut uterque ad sepulchrum s. Felicis Nolani frequentia miraculorum celebratissimi congrederetur, ibidemque suam quisque innocentiam testaretur. Facile autem sibi persuadebat sanctus antistes, animos accusatoris, et rei ad illud sepulchrum constitutorum territos magnitudine frequentium miraculorum, sine calumnia, aut mendacio confessuros. Neque levis erat ista persuasio, propterea, quod, uti scribebat Gregorius Magnus in homilia 32, in evangelia, *ad extincta martyrum corpora viventes ægri veniunt, et sanantur, perjuri veniunt, et a dæmonio vexantur.* Eandem ob caussam Gregorius idem Magnus in can. 8 et 9, caus. 2, quæst. 5, voluit maximum de simoniaca hæresi suspectum ad corpus s. Apollinaris purgari: et Leonem, ac Mennam ante corpus apostoli Petri purgatos fuisse commemorat in can. 6 et 7, caus. 2, quæst. 5. Quod de reliquiis martyrum receptum erat idipsum recipiebatur proposita Christi servatoris cruce, præsertim si ab episcopo consecrata fuisset, ob majorem reverentiam, quæ ad illam exhibebatur; unde scimus, aliquando gravissimas pœnitentias indictas fuisse in eos, qui ad crucem consecratam pejeravisse deprehensi fuissent, can. 2, caus. 22, quæst. 5: idipsum etiam recipiebatur propositis Evangeliis, uti in can. 17, caus. 2, q. 5. Interea ob frequentem usum istarum purgationum hominum perfidia falsis protestationibus assuevit, nec tantus fuit timor pejerandi ad reliquias martirum, ad crucem et evangelia: quamobrem sæculo nono invectus est alius purgationis modus gravior, nimirum ita, ut reus ante sacram eucharistiam constitutus testaretur Christi corpus et sanguinem de innocentia sua, et testatus statim communicaret; sibi enim persuadebant episcopi illius ætatis, neminem nisi cautissime, et cum protestatione veritatis ad tantum sacramentum accessurum, ne judicium juxta phrasim Apostoli sibi manducaret et biberet. Primum id constitui cœpit in capitulari aquisgranensi Ludovici Pii anni 817, cap. 14, et in monasteriis penes monachos, ibi: *Ut de furto incerto oratio, et excommunicatio a corpore et sanguine Christi fiat, quousque culpabilis confiteatur.* Clarius deinde id constitutum est in concilio vormaciensi tam respectu monachorum, quam respectu clericorum, uti liquido constat ex canone 23 et 26, caus. 2, quæst. 5. Neque minus commoda videretur interpretatio canonis Triburiensis in can. 4, caus. 3, quæst. 5, si quis diceret; nomine *Sanctæ consecrationis*, per quam episcopi de crimine suspecti interrogari dicebantur, venire sacram eucharistiam. An etiam extra Germaniam et Galliam latius producta fuerit hæc disciplina, mihi satis compertum non est. Tantum scio, eadem ipsa media ecclesiæ ætate invaluisse alium purgationis canonicæ modum faciendæ per contestes integerrimos innocentiæ, quales præsertim erant coepiscopi, consacerdotes, conclerici. Induxerant Longobardi feudorum inventores, ut cum vassalli apud Dominum jurejurando fidem suam obstringerent, adhiberent ad jurisjurandi celebritatem pares curiæ, idest convassallos. Displicere non poterat gravis hæc jurandi ratio, quæ nonnisi cautissime fiebat, proptereaque, cum purgatio per eucharistiam non ubicumque reciperetur, nec quibuscumque placeret, purgatio per conjuratores facilius in ecclesiastico foro probata est, et quotiescumque gravis suspicio criminis in alio suboriretur, suspectus purgari cœpit jurejurando, una cum ipso jurantibus pluribus ejusdem ordinis, aut gradus, quorum testimonium recipiebatur, et plurimum valebat, sive quod essent viri fama et instituto vitæ integerrimi, sive ex eo quod de accusati moribus notitiam haberent. Origo hujus purgationis repetenda videtur a fine sæculi octavi, idest a temporibus Leonis III papæ, et Caroli Magni imperatoris. Cum Leo III diu vexatus fuisset a romanis clericis, a quibus de atrocibus quibusdam criminibus insimulabatur, convocavit Romæ Concilium plurium episcoporum, coram quibus se jurejurando testatus est esse objectorum scelerum purum. Formula purgationis habetur in can. 18, caus. 2, quæst. 5, ubi tamen adjicitur, id non ex necessitate a Leone factum fuisse, sed potius, ut certius se a suspicione qualibet liberaret. Exemplum Leonis normam inferioribus episcopis et clericis præbuit: nam in capitulari anni 779 a Carolo Magno edito, cujus verba referuntur in cap. 35, lib. 5, capitularium, tractatum adparet, quid agendum esset de sacerdotibus, qui graviter suspecti de crimine forent, et dicitur, *hoc sæpissime a nobis, et progenitoribus, atque antecessoribus nostris ventilatum est, sed non ad liquidum hactenus definitum.* Eam ob caussam missi fuerunt legati ad Leonem pontificem, a quo id definiretur. Definitione a Leone facta anno 803, capitulum editum est in Gallia, quod legimus in canone 19, caus. 2, quæst. 5, qui perperam tribuitur Leoni papæ ad Carolum scribenti, et potius tribuendus Carolo in

comitiis episcoporum definienti modum purgationis ex rescripto Leonis papæ Videsis, quæ ego jam observavi ad hos canones in meis animadversionibus in Gratianum. Hinc sane falsitatis redarguitur epistola Isidori Mercatoris, unde depromptus est canon 10, caus 2, qu. 5, tributus Sixto III, quibus ibidem proponitur se purgavisse coram testibus in romano concilio de criminibus a Basso accusatore objectis. Non solum apocrypha epistola est, sed et apocripha sunt acta integra illius concilii adeo barbara et squallida, ut stomachum legenti facile moveant, minime sane convenientia adjunctis quinti sæculi ecclesiastici, cujus initio Sixtus tenuit pontificatum. Hinc quoque falsitatis redarguitur inscriptio canonis 12, caus. 2, qu. 5, qui tribuitur agathensi concilio sexto sæculo celebrato, et in quo fit mentio purgationis sacerdotis cum septem, diaconi cum tribus sui ordinis sociis faciendæ. Primus Burchardus eam sententiam tribuit agathensi concilio, quam elucubraverat ex variis monumentis capitularium Francorum, et juxta mores suæ ætatis edendam curavit, quod etiam observavi in meis animadversionibus in Gratianum. Hinc denique falsitatis redarguitur canon 13, caus. 2, quæst. 5, tributus concilio Ilerdensi aut anno 524, aut anno 546 celebrato, qui potius referendus est ad capitularia Francorum, quemadmodum et ego ostendi in laudatis animadversionibus in Gratianum. Itaque primum in capitularibus Francorum tradita est ejus purgationis forma, in qua statim non certus numerus conjuratorum constitutus est, sed *vel trium*, *vel quinque, vel septem*, *exemplo Leonis papæ, qui duodecim episcopos in sua purgatione habuit*, uti legitur in dicto can. 19, caus. 2, quæst. 5. Eam ob rem in arbitrio erat episcoporum, modo majorem, modo minorem conjurantium numerum designare, pro suspicionis, ut arbitror, gravitate. Factum inde fuit, ut in subsequentibus conciliis modo major, modo minor numerus designaretur, modo etiam generaliter diceretur, suspectum esse jurejurando purgandum, quin de numero contestium mentio fieret, uti legitur in concilio tiburiensi can. 22, ibi: *Si quis .... aliquo crimine, aut infamia depùtetur, utatur jure, juramento se excusare. Si vero tanto talique crimine publicatur, ut criminosus a populo suspicetur, ac propterea superjuretur, aut confiteatur, et pœniteat, aut episcopo vel misso suo discutiente, per ignem candenti ferro caute examinetur.* Descripsi canonis verba, et agnoscatur mendum, quod ex collectione Burchardi derivavit in canonem 15, caus. 2, quæst. 5, ubi perperam legitur, faciendam esse *cum duodecim ingenuis* purgationem. Generaliter quoque in canone 16, caus. 2, qu. 5, sub nomine Hincmari Rhemensis legimus constitutum, ut testes recipiantur ad purgationem, eo adjecto in integris capitulis Hincmari, ut tres saltem contestes adhibeantur, uti demonstravi in meis adnotationibus in Gratianum. Alexander II in epist. ad Rainaldum Cumanum episcopum, cujus fragmenta sunt in can. 11 et 7, vers. *purgationem*, caus 2, qu. 5, contentus fuit, purgationem fieri duobus tantum sacerdotibus adscitis, et Innocentius, sive II sit, sive III in can 17, caus. 2, quæst. 5, seu in cap. 5, de purgat. canon. voluit, episcopum de simonia accusatum cum tribus sui ordinis, et quatuor abbatibus, et religiosis sacerdotibus esse purgandum. Lucius III in cap. 8, de purgat. canon. purgationem fieri jussit *cum septima, aut quinta manus sui ordinis*; quamquam Innocentius III extra ordinem in singulari casu quatuordecim conjuratores esse voluerit in cap. 30, eod. tit., ex quibus omnibus aliisque similibus, quæ in decretalibus occurrunt, concludi potest, quoad numerum testium, purgationem canonicam indici consuevisse *secundum arbitrium judicantis*, uti legitur in c. 21, § ult. de accusation. Porro officium conjuratorum illud erat, ut postquam accusatus, et de crimine suspectus sit criminis purum esse jurasset, jurarent illi se credere, accusatum, et suspectum verum jurejurando adfirmasse, cap. ult. in fine de purgat. canon. Adde his capitulum 4. de confessis, cap. 10, de accusat., cap. 5, de adulter., cap. 13, vers. *Qui autem* de hæreticis. Hæc autem disciplina hodie ab usu fere exolevit, et in locum purgationis successit simplex jusjurandum, quod reo defertur, cum interrogatur; nisi tamen de gravissimis quibusdam criminibus agatur, in quo reipublicæ christianæ plurimum interest, canonicas admitti purgationes, quale est crimen hæreseos, de quo quis suspectus deprehendatur, juxta dictum capitulum 13, vers. *Qui autem*, et capitulum 9, § *Qui vero* de hæreticis. Non immoror diutius in expendendis generalibus criminalis rei præceptis, contentus singularia quædam exposuisse ex canonum disciplina maxima in parte collecta, cetera pro certo habens unumquemque facile ex civilis Romani juris interpretibus derivaturum.

DISSERTATIO SECUNDA.

DE CRIMINIBUS DIRECTO CONTRA DEUM ADMISSIS.

Quamquam in omni criminum genere graviter peccare humana perfidia possit, gravissima tamen, et præ ceteris atrociora habenda sunt scelera, quibus directo adversus Deum delinquitur, quorum propterea conscii merito rei divinæ lesæ majestatis in ecclesiasticis canonibus appellantur. Hujusmodi flagitiorum immanitatem considerans Samuel ita exclamat in libro 1, Regum cap. 2. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus : Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo* ? Paucis singulos tantorum criminum reos recenseo. Videlicet ii sunt in primis, qui Christum et Christi fidem penitus aversantur, vel pagani, vel judæi : secundo apostatæ et hæretici, quibus proxime accedunt schismatici ; tertio blasphemi et sortilegi : quarto denique jurisjurandi et votorum violatores.

CAPUT I.

De iis, qui Christi fidem penitus aversantur.

Huc referendus est titulus 6, libri 5.

A duobus Abrahæ filiis, Isaaco ex Sara, et Ismaele ex Agar ancilla Saræ, natis duæ gentes originem suam traxere, nimirum Saraceni, qui et Agareni, atque Hebræi, qui et Judæi nominantur, quorum priores nomen Saracenorum a Sara legitima, et Agarenorum ab Agar naturali matre duxerunt, posteriores Heber inter majores Abraham Patriarchæ nomen retinuerunt, quibus deinde ex Juda Abrahami pronepote Judeorum nomen accessit. Cum vero hebræi ita invicem arctissimam necessitudinem pepigissent, ut non quasi populus: sed quasi una familia viderentur ; alii populi non tam regione, quam voluntate legibusque discissi, quicumque hebræi non erant, gentes, seu gentiles appellari cœperunt, quasi ex variis gentibus, et multiplici propagine procreati, apud græcos ethnici, quod idem sonat ; ac tandem postquam a christianis imperatoribus sub finem quarti, vel initium quinti sæculi jussi sunt ab urbibus exulare, pagani vocati sunt, quod pagos, seu loca agrestia incolerent. Hodie indiscriminatim, quemadmodum hebræos dicimus, quoscumque scimus vetus adhuc testamentum servare, et evangelium abhorrere, ita Saracenos vocamus, paganos, ethnicos, gentilesve, quoscumque idolorum superstitio detinet, seu supina misere obruit veri Dei ignoratio, quos jamdiu ferme omnes ab anno 630, aut circa eum annum, impia Mahometis doctrina pervasit, Persas dico, Tartaros, Arabes, Ægyptios, Africanos, Mauros, et ceteros, quos nec circumcisio Abrahæ filios fecit, nec baptismatis unda Christo regeneravit. Nemo inde non colligit, gentiles idolorum superstitionibus servientes perpetuo fuisse detestabiles apud Deum, judæos autem usque ad Christi adventum Deo gratos, atque dilectos, tum primum vero abominabiles factos, quando Christi servatoris præcepta, in quibus figuræ veteres complebantur, recipere detrectaverunt. Siquidem a Christi servatoris adventu una christiana religio veram semper habuit, et germanam fidem judæis æque, ac universis gentibus prædicandam, quod divina sane illustratione perfecturi apostoli, Petrus præsertim ac Paullus, et gentes, et judæos in Christi fide erudiendos tributo evangelizandi officio susceperunt, uti Paullus idem testatur in epistola ad Galatas cap. 2, non quidem ut invitos cogerent ad suscipiendum baptismatis sacramentum, et nomen Christo dandum, sed ut exemplo, prædicatione, ac monitis invitarent, cap. 9, de judæis.

Præcipua hæc semper fuit ecclesiasticorum antistitum cura, ac sollicitudo, qua fieret, ut Christi fides quam latissime extenderentur, juxta evangelicum illud mandatum : *Ite in universum mundum, prædicate evangelium omni creaturæ.* Dixi ecclesiasticorum antistitum, ut excluderentur ab hoc officio aut clerici inferiores, aut potiore jure laici ; nisi agatur de clericis illis, qui legitimum antistitum mandatum habuerint. Hinc jure optimo recentiore ætate cavendum fuit, ubi ad prædicandum gentibus evangelium instituta fuerunt collegia clericorum, aut monachorum, non aliter episcopi, vel prælati regulares admitterent ad evangelicæ prædicationis officium clericos, vel monachos, quam si isti antistitum suorum expressam, et in scriptis facultatem obtinuissent, cap. 10, de judæis, extrav. 2, de regular. int. communes. Non aliud sane postulat, et postulavit semper ingenita veræ ecclesiæ ratio, quæ et una esse debet unitate potissimum fidei, et apostolica propter divinam missionem. Quomodo enim una fides esse posset, si unicuique, ignoto etiam et minus probato, prædicandi evangelii potestas sine discrimine fiat ? Quomodo apostolica ec-

clesia, nisi ab eo instituta, qui missus a viro apostolico et ecclesiæ regimini præposito sit, juxta illud apostoli cap. 10, ad Romanos: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Sunt episcopi apostolorum successores, quos propterea missos ab apostolis dicere possumus, apostoli fuerunt missi a Christo Deo, unde ecclesiam nostram apostolicam prædicamus, quasi perpetua divina missione gaudentem.

Ecquidem quousque divisæ non fuerunt apostolicis temporibus diœceses, passim viri ecclesiastici missi ab apostolis, ab iis etiam episcopi ordinati nullis locorum limitibus circumscriptis evangelium prædicabant: verum adsignata unicuique episcopo diœcesi, opportunum fuit, certos episcopali potestati fines constituere; ne forte episcopus certæ ecclesiæ, certove populo regendo addictus prætextu amplificandæ latius fidei, et in alias provincias traducendæ, diœcesanam curam negligeret, aut desereret, ac proinde ad unum pontificem maximum jamdiu pertinuit, et pertinet, mittere sacros administros caussa propagandæ latius fidei, et evangelicæ prædicationis apud extraneæ communionis homines promulgandæ. Præterquamquod enim agitur in hac caussa negotium universæ ecclesiæ, quæ sane, præsertim post factas divisiones diœceseon, pontificis maximi tanquam supremi pastoris curæ commissa est, singulis episcopis singularum diœceseon regimini addictis, facile est indicare vetustissimam ecclesiæ consuetudinem, ex qua liquet, perpetuo auctoritate pontificis maximi missos fuisse evangelicos administros, qui novas provincias ecclesiæ adjicerent. Jam a sexto sæculo scimus a sede apostolica missum Augustinum ad Anglos, octavo sæculo Bonifacium ad Germanos, et nono sæculo nonnisi auctoritate apostolica Bulgaros fuisse in fide christiana eruditos; ac denique a Gregorio XV in bulla *Inscrutabili* 26, instituta fui congregatio propagandæ fidei, apud quam pontificia auctoritate officium apostolicæ prædicationis apud extraneæ religionis homines regitur, et mundum omnem capit.

Duæ sunt probabiles regulæ hujus exceptiones. Prima est in ea specie, qua in certa diœcesi cum christianis viris incolunt certas urbes, aut oppida alienæ religionis homines: etenim in hac specie ad episcopum jure optimo pertinebit, judeos, aut ethnicos in sua diœcesi consistentes, si fieri possit, ad catholicam fidem adducere. Quid enim repugnat, episcopos jurisdictionem, utut certis limitibus definitam, intra eosdem limites caussa religionis sicut tuendæ, ita in plures homines propagandæ exercere? Neque in hoc officio a cura diœcesana episcopus avocaretur; imo et diœcesim suam a superstitiosis hominibus expurgaret; neque ex usu unquam obtinuit, ut hæc potestas superiori reservetur. Altera exceptio est in ea specie, qua certa diœcesis sit extraneæ religionis hominibus contermina; tunc enim et ad episcopum jure pertinere poterit, in eas finitimas regiones a nullo adhuc episcopo conversas diœceseos suæ pomæria, quasi, ita dixerim, contingente alluvione, protendere. Quid enim obesse potest episcopo, ne ampliorem diœcesim reddat in ea parte, in qua non ab ecclesia positi sunt fines gratia aliorum episcoporum, sed potius ab oppositis regionibus infidelium injuria impedimentum objicitur, ne ulterius episcopus idem progrediatur? Sublato obice ab infidelibus, quorum animos evangelica prædicatio emolliverit, ac flexerit: jure suo diœcesis extenditur, sine fraude, atque injuria aliorum antistitum, quorum potissimum caussa intra certos terminos coerceretur episcopus, si diœcesis christianis provinciis undique circumcluderetur. Neque tunc episcopus diœcesanam curam negligeret, imo et diœcesim ipsam nobiliorem augendo faceret: neque constat, aliquam esso in hac parte singularem reservationem; imo et in can. 50, can. 16, qu. 1, argumentum est, ex quo concluditur, diœceses recens conversas ad ejus episcopi curam pertinere, cujus diœcesim attingunt, et nonnisi ejusdem consensu proprium, et singularem episcopum, cum populus fidelis ibidem multiplicatus fuerit, postulare.

Vix contingit, ut unam diœcesim incolant christiani, et ethnici idolis servientes, quando tamen contigit quandoque, ut unam diœcesim, aut urbem incolant et christiani et judæi. Ecquis ignorat, etiam in republica christiana ex pessimis priscæ sanctæ synagogæ reliquiis bona aliquando suboriri posse non contemnenda? Impii sint, et corruptissimi moribus suis pene universis judæi; sint illi, quantum velis, infensi christianæ fidei et nominis inimici; sint etiam publicæ fidei violatores, sint superstitionibus involuti; si non aliud, illud saltem lucrum reportabit ecclesia, ac religio nostra, quo ex eorum testimonio, velint nolint, christiana ipsa fides confirmetur. Illi ipsi sunt, ex quorum libris, atque avitis canisque traditionibus ethnicos facile convincimus, et quidem eo validioribus argumentorum præsidiis, quo infensiores sunt inimici, e quorum scriniis argumenta eadem derivamus. Illi ipsi sunt, qui prophetas et vaticinia Christi redemptoris nobiscum custodierunt, et vindicant ita, ut nos de obtrusa falsitate a nemine redargui possimus. Illi sunt, qui Christum servatorem adhuc hodie se occidisse testantur. Illi sunt, qui post Christi crucifixionem se sine duce, sine rege, calamitates omnes per diuturna sæcula secum traxere profugi in universam terram in certum æque ac perspicuum divinæ maledictionis monumentum. Quid exinde deducendum est? Duo sane consectaria observatione dignissima; quorum primum est, esse quidem christiano viro

maxime cavendum, ne forte judæorum aut superstitionibus, aut morum corruptela seducatur; alterum est, privato homini non licere in eos, ubi auctoritate publica in certa urbe oppidove consistant, quasi tyrannidem exercere, ut perdantur; sed potius esse illos cum humanitate quadam ad ejurandam synagogam invitandos. Hinc collineant, et religiosorum principum, et ecclesiasticorum antistitum vota, qui ita junctis consiliis unaquæque composuerunt, ut hinc animarum fidelium pericula caveantur, illinc comitas, et benignitas christiano homine digna ergo miseros homines superstitionibus obrutos exhibeatur, ita tamen, ut non eorum foveatur audacia, sed ut, dum pietas exercetur in eos, ipsorum impietas certis finibus coerceatur, ne aut latius ex nimia conniventia serpat, aut in veram fidem injuriam inferat. Generalis hæc observatio triplicem habet partem; prima respicit familiarem quandam, et socialem conversationem; altera cultum sacrorum; postrema munera publica.

Itaque in primis ratione socialis, aut familiaris conversationis, et cavenda sunt christiano pericula, ne seducatur, et sunt judæi cum humanitate, non cum asperitate tractandi. Qua in re generaliter animadvertendum est, judæos in iis locis, in quibus degere auctoritate publica permittuntur, pro civibus considerari, uno excepto honorum jure, proindeque non esse habendos, quasi extra omnem communionem positos, et vix injuris non lacessendos, propterea licebit cum ipsis inire honesta, et civi convenientia pacta, ac conventiones; dummodo ab arctissima conjunctione abstineatur; in hac enim periculum versatur a christiano nomine declinandum, atque ob hanc caussam prudentissime legibus publicis caveri consuevit, ut signo quodam exteriore judæi a ceteris distinguerentur, cap. 15, de judæis. Primum igitur constitutum est, ne christiani cum judæis convivia celebrent, can. 12, 13 et 14, cau. 28, qu. 1, in his enim arctissimæ necessitudinis existerent argumenta, quemadmodum in usu fuit apud Romanos veteres, qui dum servum suum ad mensam admitterent, statim a servitute liberatum, et manumissum inter amicos dicebant, quod turpe crederent, et indecorum, Romanum civem mensæ una cum servo adsidere. Secundo constitutum est, ne christianus servilem operam judæo præstaret, non solum ita, ut nemo christianus in servitute judæi consisteret jure veræ ac propriæ servitutis, lib. 56, § ult., cod. de episc. et cler., l. 1 et 2, cod., ne christianum mancipium, cap. 1 et ult. de judæis, sed etiam ita, ut nemo christianus operas suas ad serviendum in domo ac familia judæi locaret, cap. 8 de judæis. Quomodo enim ferendum est, christianos sese subjicere iis, aut eos reverentia colere, qui ex Dei ultrice providentia potius et serviendum relicti sunt in pœnam apostasiæ, atque perfidiæ? Adde his, familiarem hanc servitutem, aut operarum præstationem assiduam ac domesticam esse christiano maximi periculi plenam. Huc pertinet cap. 2, de judæis, ubi cum Gregorius initio statuerit, non esse ferendum, ut christianus quasi mancipium judæo serviat, subjicit tamen, servos judæorum, qui in prædiis eorundem sunt quasi coloni et originarii, in eisdem prædiis utut christianos posse consistere, et consueta officia judæi præstare. Quis vero non videat, agi ibidem non de servis proprie dictis, et operas suas domi apud herum præstantibus, sed de adscriptitiis fundo dominico addictis, quos ne domino quidem licebat a prædiorum cura, et cultura avocare, l. 13, cod. de agricolis et censisis. Utile erat, hos adscriptitios, seu colonos utut christianos prædiis judæorum addictos non liberari ab officio, propterea quod si liberarentur, occasio data fuisset judæis, mittendi ad ea prædia caussa colonatus totidem judæos, atque ita judæis hominibus loca plura agrestia replendi in detrimentum christianorum ac præsertim eorum rusticorum, qui vicina prædia excolerent; alias autem christiani illi adscriptitii, et coloni judæorum longe erant abs judæorum conversatione semoti. Ceterum Gregorius idem Magnus in can. 13, dist. 54, expresse docuit, nullum christianum mancipium posse judæo servire. Tertio constitutum est, ne aut christiana judæo nuberet, aut christianus judæam uxorem duceret, ne facile christianus ex familiari, et maxime necessario tali consortio superstitionibus judæi conjugis corrumperetur, l. 6, cod. de judæis, can. 15 et 13, cau. 28, qu. 1. Quarto cavendum fuit, ne christiana mulier nutricis officium judæorum filiis præstet, est enim nutrix quodammodo loco matris, et facilem benevolentiam veluti maternam in altum et enutritum contrahit, qualem benevolentiam actissimam christianam feminam dedecere visum est, c. 8, de judæis. Quinto jubentur christiani, ne in contractibus, sive in commerciis ineant cum judæis societates, argumento, cap. 12 de judæis. Etenim in primis est societas non una bonorum, juriumve communio, sed communio cum singulari personarum affectione conjuncta, l. 31, ff., pro socio, adeo ut scripserit Ulpianus in l. 63, princ. ff, eod. tit., *societatem jus quodammodo fraternitatis in se habere*. Deinde societas ista facile christianum traheret in usurarias pactiones, aut in commoda usurarum communicanda, quibus passim student judæi; utrumque autem christiano indignum est, ac præsertim nulla societas est, quæ delictorum turpis sit atque fœda communio, l. 53 et 57, ff., pro socio.

Sexto denique odio judæorum constitutum est, ut ipsorum universitas nihil ex christianorum testamentis, codicillis, aut donationibus inter vivos capere possit, l. 1, cod. de judæis. imo ne singulares quidem judæorum personas licet hodie christiano instituere heredes, aut legatis, fideicommissis, vel donationibus locupletare, admissa tantum inter ipsos judæos aut testamentaria, aut legitima successione, argumento, cap. 5 et 6, de hæreticis; essent enim hæc omnia non mediocria benevolentiæ argumenta a christiano in judæos exhibita, imo et in institutione hereditaria observaretur, judæum hæredem christiani defuncti personam repræsentare, cum heres defuncti personam induere dicatur. Exceptio est, si christianus legaret judæo, quod ipsi olim ex qualibet causa debebat; non enim in ea specie liberalitas ulla, benevolentia exhibetur, sed tutius prospicitur, nequis suo jure fraudetur. Sunt qui putant, judæum posse a christiano hæredem institui sub conditione, si baptizetur. Ego tamen vereor, ne hæc institutio adversus generales juris regulas impingeret, quæ postulant, ut heres tempore testamenti jam sit idoneus, § 4, inst. de hered. qual. et differ., l. 59, § 4, de hered., instit., nisi tamen quisquam dixerit, et quadam æquitate, seu favore religionis sustineri, quod summo jure non consisteret, nec novum esse ex singulari benevolentia aliquando recipi hujus generis testamentarias conditiones, argum. l. 62 ff. de hered. institut. Ceterum nihilominus dicendum potius videretur, non esse facile hujusmondi institutiones admittendas, ne forte iis blanditiis allicerentur judæi ad christianam fidem, quam nos tam reciperent, quam se recipere simularent, præsertim cum de hominibus agatur ad simulandum et fallendum valde pronis. Pertinent hæc ad cavenda christianorum pericula, cujus rei caussa multa indicata sunt judæorum odio constituta. Ut vero humanitas quædam, et clementia in judæos exhibeatur, præceptum quoque fuit christianis, ne in judæos injuriam inferant ullam, aut in eorum personas, aut res, aut jura quæcumque, l. 6, cod. de paganis, c. 9, de judæis. Deinde non erunt judæi expellendi a publicis christianorum cœtibus, quoties ad eos prædicationis evangelicæ audiendæ caussa accesserint, se potius erunt æquo animo admittendi, imo etiam invitandi; dixerim insuper pertinere ad episcoporum officium, judæos eosdem ad fidem christianam suscipiendam prædicatione publica hortari, pro mandato Christi Domini, qui omni creaturæ evangelium prædicari apostolis, et apostolorum successoribus præcepit.

Quoties de cultu sacrorum sermo sit, iterum idem modus servandus erit, ut rigor cum humanitate temperetur, idest, exhibeatur humanitas in eo, ut judæi suos ritus de more exerceant, rigor etiam præsto sit, ne illorum fovere superstitiones videamur, atque ut noscant ipsi, abuti superstitione sua, aut gloriari nullo modo posse. Ad humanitatem in primis pertinet, ut cum judæi de more suo ritus, ceremonias, solemnitates ac festivitates celebrant, non turbentur a christianis, l. 14, cod. de judæis, l. 16, cod. de paganis, neque a christianis invadantur, aut disrumpantur cœmetria judæorum, cap 9, de judæis. Secondo vetitum est christianis, ne in synagogas facta judæis facultate erectas quasi in profana habitacula irruant, l. 4 et 14, cod. de judæis. Tertio nec licebit christianis, judæos vocare in judicium eo tempore, quo judæus juxta mores suæ gentis festivitatem celebrat, ex. gr. die sabbati, l. 2 et 13, cod. de judæis, can. 3, dist. 45; imo etsi judæus eodem die vellet in judicio adversus christianum agere, neque erit ullo modo ferendum, ne singulare jus judæo concessum contra christianum torqueatur, dicta, l. 53, argumento, l. ultimæ, cod. de fructib. et lit. expens. Rigor deinde adhibendus est in eo primum, quod non sit ferendum, judæos novas synagogas construere, quamquam permittantur veteres habere, tueri, sarcire, l. ult., § 1, cod. de judæis, cap. 3 et 7, cod. tit. Secundo in eo, quod severissimis pœnis judæi puniantur, quotiescumque proferant blasphemias in Christum, aut Deiparam Virginem, aut quoties libros sive clam teneant, sive palam edant hujusmodi blasphemias continentes. Tertio in eo, quod capitali pœna judæi damnentur, si christianum quemquam in suam sectam abduxerint, aut circumcisione initiaverint, l. 16 et 18, cod. de judæis. Quarto in eo, ut aliquando coacti fuerint ad restituendas immodicas usuras quas a christianis extorserant, c. 28, de usuris. Quinto in eo, quod judæi in festivitatibus christianorum teneantur tabernarum, officinaroumve ostia claudere, ne publicæ mercaturæ, aut contractuum cujusvis generis detur occasio, quemadmodum diebus, quibus anniversaria passionis dominicæ celebrantur, ne extra habitacula sua in publicum prosiliant, interdicitur, cap. 4 et 15, de judæis. Et quamquam satius esset, per vicos judæorum sacras processiones non ducere, in quibus præsertim sacrosanctum Eucaristiæ Sacramentum cum celebritate gestatur, uti tradit Barbosa de episcopis allegat., 22, num. 4 et de parochis, c. 20, num. 33, si tamen ex antiqua consuetudine, aliave caussa id fieri, expediat, obligari judæi poterunt ad ornandos de more loci parietes, prout ceteri obligantur, non quod tunc ipsi cogantur ad colenda fidei nostræ mysteria, sed quod tempore publicæ lætitiæ, et ipsi lætitiæ signa edere debeant, sicuti in

publicis minime sacris solemnitatibus faciendum est: eo sane minus poterunt judæi quoquo modo officere christianis, aut injuriam inferre in christianorum religionem, sacrosque ritus, gravissimis pœnis coercendi, ubi in tantam temeritatem eruperint, l. 11, 14, 16 et 18, cod. de judæis. Aliquando etiam evenit, ut parochi certas exigant abs judæis annuas pensitationes, nimirum quoties in parochia siti judæi vicos tenent olim a catholicis occupatos, quasi in damni compensationem, cap. 17, de exces. Prælator., quod tamen non omnino probandum videretur, nisi singularis ratio aut consuetudinis, aut statuti id confirmaret. Quoties judæi hæc transgressi fuerint, gravissimas corporales pœnas religiosi principes indicerunt, uti liquet ex romanis legibus supra laudatis. Adjecerunt pontifices maximi identidem pœnam, quæ speciem quamdam exhibet excommunicationis, non sane quod vere judæi excommunicarentur, utpote qui excommunicationis censuræ sunt incapaces, sed quod prohiberetur christianis, ne ullo modo cum judæis communicarent. Hujus pœnæ mentio fit, in cap. 13, 14 et 16, de judæis, et in cap. 18, de usur.

Ratione publici regiminis, et munerum publicorum rursum et humanitas quædam et rigor adversus judæos exibetur. Est hac in re habenda ratio in primis legum, quæ judæis observandæ immineant, deinde officiorum, et munerum, quibus obnoxii judæi sunt, aut a quibus excludentur. Generaliter verum est, quotiescumque judæi in certam urbem publica auctoritate admissi sunt, eos jure civitatis gaudere, et veluti cives considerari. Quando vero legem suam singularem ipsi profitentur, dijudicandam erit, utra lege teneantur, ubi concurrat observanda hinc lex ipsa eorum singularis Judaica, illinc lex publica et civilis. Receptum est, judæos in civitatem admissos publico et civili jure potissimum obstringi, nec adversus istud aliquid agere posse prætextu suæ singularis legis, nisi ea conditione admissi in urbem fuerint, qua possent insuper habita in certis capitibus lege civili, et publica, singulares suas consuetudines sequi. Quod si quæratur, in quibus caussis erga judæos indulgeri soleat, ut possint suis moribus vivere, distinguendum est inter negotia mere civilia, et res vel sacras, vel religiosas, vel aut sacrarum, aut religiosarum speciem habentes. In negotiis mere civilibus, obtinet, ut ista ad publicas civiles leges exigantur, uti sunt contractus, testamenta, modi ac rationes adquirendorum dominiorum, judicia, atque his similia, l. 8, cod. de judæis. Absurdum enim foret, eos, qui civium sibi nomen adsciscunt, a civitatis, in qua degunt, legibus esse immunes. Tantum in iis locis, in quibus bona immobilia possidere non possunt, jus quoddam singulare suis moribus invexerunt quod ipsi vocant jus *Kasagà*, in eo consistens, quod judæus in ædibus generaliter judæorum universitati habitationis caussa concessis, ubi sortitus fuerit certa cubicula, nequeat ab eisdem cubiculis ab alio judæo turbari, atque hoc jus personale non est, sed in heredes transfertur, et inter judæos est in commercio. Rabbini judæorum, fondamentum et caussas hujus juris collocant in c. 27, Deutoronomii vers. 17, in illis verbis: *maledictus qui transfert terminos proximi sui*, quorum verborum interpretatio an sit recte accommodata, meum non est judicare. In rebus vero sacris, sive sacræ sint respectu christianorum, sive sacræ habeantur apud eosdem judæos, suis moribus relinquuntur. Hinc in celebratione conjugiorum non avocantur a suis ritibus, dummodo pluribus simul uxoribus non copulentur, dummodo non contrahant intra gradus naturali, vel divino jure prohibitos, l. 7, cod. de judæis, cap. 8, de divortiis. In muneribus, et officiis exercendis nulla jurisdictio judæis competit, ne judæorum quidem Rabbinis, aut senioribus, ita ut judicium non solum inter christianum et judæum, sed et inter judæum et judæum ab ordinariis christianis judicibus dirimatur, l. 8 et 15, cod. de judæis; et quamquam judæus in caussa judæorum olim arbiter eligi potuisset, dicta, l. 8, usu tamen obtinuit, ut ne ea quidem notio competere amplius possit, vix hodie explicantibus rabbinis quandam inanem potestatis imaginem in moderandis ritibus, et ceremoniis ex suæ legis præscripto. Insuper arcentur judæi a muneribus publicis advocationis, procurationis, et tutelæ, l. ult., princ. cod. de judæis, l. ult., cod. de postulando, l. 15, cod. de episc. audient., nov. 144, cap. 2, can. 7 et 8, de pœnit, dist. 1, can. 14, dist. 54, quibus abrogata est vetus jurisprudentia legis 3, § ult., ff. de decurion. et legis 15, § 6, ff. de excusat. tutor. Illud tamen singulare in tutela obtinet, ut judæis pupillis judæi tutores dentur, quia etsi munus illud auctoritate publicum esse dicatur, tamen ex parte tutoris onus, non honor est, et respectu pupilli directio, et præcipue spectat privatam pupilli ipsius utilitatem, ac favorem. Visi autem non sunt judæi absolvendi a gravi onere erga suos, nec tantus judæorum pupillorum habendus favor, ut eorum gratia christiani obligentur. Adde his singularem educationis caussam; neque enim dignum visum fuit, christianum tutorem judaico in ritu educare pupillum suæ curæ commissum; alias autem injuria inferretur in judæos, si eorum pupilli christiano more educarentur, Præterea quamquam in contractibus, et testamentis judæus a ferendo testimonio non repellatur, ubi saltem christiani testis co-

pia desit, ex eo tamen, quod persona judæi christiano semper infensa præsumatur, non recipitur in judiciis testimonium judæi adversus christianum, l. 21 cod de hæreticis, cui sane traditioni non refragatur summus pontifex, in cap. 21, de testibus, ut pote qui non quid juris fuerit indicet, sed qui judæi facto suo aliquando præsumserint Profecto judæi adversus judæum testimonium, utpote nullo modo suspectum, etiam in judiciis recipitur. Denique cautum est, ut christiani judæorum medicorum opera non utantur, nisi forte urgens necessitas id postulet, veluti si casus emergat, quo infirmus in gravi vitæ discrimine constitutos ab alio juvari nequeat, quam abs judæo, can. 13, caus. 28, q. 1. Id recentioribus sæculis eo opportunius observari cœpit, quo cautius præstitutum est, ut medici ad ægrotantes advocati monere eos debeant, et hortari ad receptionem sacramentorum, c. 13, de pœnit. et remis., quod sane abs judæo medico sperari nec potest, nec debet. In conspectu horum omnium si judæis rigida videatur constituta a christianis legumlatoribus jurisprudentia, non est sane, cum iidem judæi conquerantur, adversus quos responderi posset, quod contra Donatistas Augustinus ajebat, in can. 33, caus. 23, q. 5. *Cum aliquid adversus vos reges constituunt, admoneri vos credite, ut cogitetis, quare ista patiamini, etc.*

Quoties judæi christianæ fidei sociandi sint, plurimum in primis interest nosse, an de infantibus agatur, an de infantiam egressis. Infantiam egressi intelliguntur quicumque sunt septennio majores, aut etiam septennio proximi, quotiescumque consensus capaces sese exhibeant, quod prudentis judicis arbitro relinquitur. Ecquidem interest christianæ reipublicæ, pertinet etiam ad curam ecclesiasticorum antistitum, dicam præterea, curare posse fideles universos, ut quicumque et ex quocumque genere originem traxerit, det nomen Christo, et Sacramento baptismatis regeneretur, quod primum in cultum Dei summi, deinde in incrementum ecclesiæ, ac denique iu privatam ipsorum baptizatorum utilitatem vergeret. Non tamen exinde deducitur, æque baptizandos esse judæorum etiam filios, seu adhuc voluntatis expertes, seu propria voluntate volentes, seu detrectantes. Altius repetenda res est, ut generalia principia jaciantur, qua in re duæ distinguendæ erunt disputationes, non sane invicem confundendæ: nimirum aliud est quærere, an baptisma collatum vere collatum seu respectu characteris, seu respectu ceterorum ex eo Sacramento pendentium effectuum intelligatur, aliud, an baptisma licite conferatur. Itaque dico, irritum esse baptisma collatum adulto, idest ei, qui consensus capax est, seu infantiam egressus, quoties ipse in baptismum propria non consenserit voluntate: e contrario firmum esse, validumque baptismum, omnesque effectus suos parere collatum ei, qui intra infantiam adhuc est constitutus, seu necdum est propriæ voluntatis, ac consensionis capax. En perspicuam discriminis rationem. Institutum fuit a Christo Sacramentum baptismatis, ut quando vi ipsius, ubi nil aliud obstet, omnia peccata, quæ animam inficiunt, deleantur, tum anima eadem Christo agnoscatur, et ecclesiæ inferatur. Qui consensus capaces sunt, si baptismum non petant, præterquamquod peccato originis aliena, idest protoparentum, voluntate contracto inficiantur, vel ex eo uno, quod baptisma negligant, jam crimen propria voluntate, et actu contraxerunt. E contrario infantes, seu qui consensus capaces adhuc non sunt, tantum peccato originis detinentur. Divina autem providentia ita cuncta disposuit, ut quemadmodum qui propria voluntate deliquerunt, propria voluntate remedia querant, quibus gratiam Dei sibi concilient, ita qui aliena tantum voluntate, idest protoparentum, peccarunt, ipsi etiam aliena voluntate salvi fieri possint, quia et pro ipsis mortuus est Christus, et qui nati sunt ex vitiosa origine, renasci in Christo Redentore possunt, propterea quod ubi abundavit delictum, ibi superabundavit et gratia. Hinc passim Sancti Patres constanti ac perpetua traditione docuerunt, parvulos propriæ voluntatis expertes offerentium voluntate posse salvari, dum ad baptisma adferuntur; imo etsi offerentur adhuc in ea voluntate deficerent, dummodo baptisma rite conferatur, et juxta mentem ecclesiæ, vel ipsam ecclesiæ voluntatem sufficere, can. 7, 33, 74, 76, 77 et 129, de cons. dist. 4. Neque dicas, infantes non posse paterna voluntate, aut extraneorum actu salvari per baptismum, ex eo, quod nequeunt paterna aut extraneorum prava affectione damnari. Etenim notandum est, crimina aliena non contrahi, excepto peccato originis; quia excepto vinculo voluntatum, quod fuit inter protoparentes, et descendentes ab eis, unde peccatum originis omnes infecit, nullum aliud est vinculum voluntatis inter filios Adæ, ex quo alter alterius labe inquinetur. At ex beneficio Christi omnes consecuti sumus commune vinculum unitatis fidei, aut unitatis in fidem, uti explicat Augustinus in dicto can 129, quo fit, ut unus alterius voluntate fidem ipsam profiteri possit, si propriæ sit expers voluntatis et per hanc professionem baptizari. Plane vinculum hoc generale est, quod non tantum devincit parentes, et liberos, aut personas sanguine conjunctas, sed universos homines inter se sociat, et ligat; propterea que ut baptismus infantium valeat, non requiritur, ut a parentibus aut conjunctis

infans offeratur, sufficit voluntas extranei offerentis, aut ecclesiæ christianæ, cujus voluntas est generalis, et omnibus prodest. Dixi in adultis, sive capacibus propriæ consensionis illorum voluntatem requiri, quin tamen referat, an actu baptismum petant, an aliquando petierint voluntate non retracta. Etenim etiam valebit baptismus dormienti, ægrotanti, torpedine quadam correpto, amenti, furiosove collatus, si ante somnum, ægrotationem, amentiam, vel furorem petitus fuerit. Quod si metus intercesserit etiam gravis, quo quis perculsus baptizari se postulet, definitum etiam scimus, baptisma valere, quamquam enim non omnes effectus habeat hoc Sacramentum, ob minus dispositum suscipientis animum, vi tamen sua baptismus consistit, characterem Christi interea imprimens, tum demum anima a crimine expianda, et gratia Dei santificanda, cum baptizatus veram et sinceram voluntatem induerit, et sponte ecclesiæ, cui adscribi cœpit, clavibus sese subjecit, can. 5, dist. 45. Uti enim ratiocinatur Innocentius III, in cap. 3, de baptismo, metus voluntatem quidem minuit, non tamen, etiamsi gravis sit, penitus aufert, et is, qui metu vult, sub conditione velle deprehenditur, idest, vult posito instante periculo, sine quo simpliciter et absolute non vellet; sufficit autem velle baptismum, ut baptismus valide conferatur. Non idem sane dicendum esset, si non metus, sed vis intercederet, cum vis omnino voluntatem excludat. Nemo ad hanc rem in contrarium adferat canonem 1, caus. 23, q. 6 ibidem enim Augustinus non de judæis agit, sed de hæreticis, aut de schismaticis, quos adduci vi posse tradit ad hæresim, vel schisma ejurandum, ob potestatem, quam in ipsos veluti subditos suscepti baptismatis caussa ecclesia exercet.

Pertinent hæc ad vim firmitatemque baptismatis. An vero quotiescumque baptisma collatum validum et firmum est, etiam licite conferri dicatur, altera est disputatio, in qua certum est in primis, adultis sponte baptisma petentes, cujuscumque sint gentis, et a quocumque parente descendant, vel christiano, vel judæo, vel ethnico, indiscriminatim rite admitti, dummodo, si de judæorum, ethnicorumve filiis agantur, exploratum sit illorum desiderium, et voluntas certis cautionibus adhibitis, cum aliquando contigerit, eos non sincero excipiendæ fidei proposito, sed aliis minus dignis caussis moveri. Imo explorata voluntate, instrui eos in fide ante baptismatis susceptionem oportet; quamobrem olim nonnisi emenso octo mensium catechumenatu ad Sacramentum admittebantur, can. 93, de cons. dist. 94, quod temporis spatium a Gregorio Magno ad quadraginta dies redactum est, can. 98, de cons. dist. 4, quod sane congruebat disciplinæ veteri ecclesiasticæ, juxta quam in feriis quadragesimæ præparabantur catechumeni ad baptisma suscipiendum in solemnitate pascali; nisi tamen urgens necessitas, seu imminens vitæ periculum non ditius differri baptisma suaderet. Præterea respectu adultorum observandum est, non omnino fuisse probatum sacris canonibus, ut metu quis ad suscipiendum baptisma adigatur, propterea quod qui ita baptizantur, vix animo adducantur, ut Christum sincere sequantur, atque ut plurimum in Sacramenti et Christi injuriam baptismate abutantur, can. 5, dist. 45. Quod si de infantibus christiànorum agatur, nemo unquam dubitavit, quin sive volentibus, sive etiam invitis parentibus, licet baptizentur. Cum enim parentes christiani teneantur filios suos ad baptismum offerre, fraus nulla ipsis fit, ubi etiam sine eorum consensu filii baptizentur. At si de infantibus ex judæis parentibus progenitis sermo sit, generalis regula est, non licere eos baptizare. Regulæ caussam multi in eo collocant, quod infantes propriæ voluntatis expertes naturali ipso jure a parentum voluntate omnino pendere debeant, idemque esse baptizare infantem invitis parentibus, ac parentes ipsos naturali jure exuere. Si hæc simpliciter ita tradantur, forte nimis aspera videbuntur, et eo disserentem adducent, ut tradat, naturalem parentum potestatem in filiis etiam perdendis, et in negligenda eorundem salute consistere. Moderatius dicerem, eam disciplinam ideo servandam esse, partim ex eo, quod fraus fieri parentibus non debeat, partim ex eo, quod baptizati infantes salvo parentum jure apostasiæ periculo gravissimo obnoxii futuri sint. Finge enim vero, infantem judæum baptizari. Vel est in potestate parentum educationis caussa relinquendus: vel ab eadem penitus eximendus. Si primum, quis fidejussor eris, ne adolescentior factus ejuret Sacramentum quod suscepit, et blasphemet Christum, cui ceteroqui nomen dedit, utut ignorans? Si alterum, fraus parentibus fiet ab eo, qui baptizavit, dum patria potestas in totum irritateur. Si ista ratio placeat, facile recipietur, licere infantes judæorum baptizare, quoties infantes in extremo periculo constituti sint, nec spes ulla supersit vitæ, quia in hac specie et nullum subest probabilis futuræ apostasiæ periculum, et nulla injuria in parentes infertur. Ceterum plures extant generalis illius regulæ exceptiones, quarum prima est, si parentes facti fuerint christiani, secunda, si parentes, licet non christiani, filios ecclesiæ obtulerint, tertia, si parentes a se filios abdicaverint.

Si uterque parens a synagoga recedentes ad christi fidem conversi sint, nulla dubitatio

est, quin rite baptizentur infantes illorum filii Neque ulla dubitatio esse potest, si baptizetur pater, non mater; quum penes patrem præcipue sit potestas in liberos, et novum non sit etiam in jure Romanorum, voluntatem patris pro voluntate filii impuberis haberi, uti contigit in substitutione pupillari. Quid tamen, si mater, non pater, ad fidem Christi venerit et fuerit baptizata? Receptum est, ut etiam in hac specie filius infans rite baptizetur, tam romanorum imperatorum constitutionibus, l. 12, § 1, et l. 18, § 1, cod. de hereticis, quam sacris canonibus, can 10, 11, 12, cau. 28, qu. 1, cap. 2, de convers. infid. Non est, cur hæc disciplina videatur a recta ratione aliena, quasi in ea stabilienda maximam partem sibi vindicet favor christianæ religionis, et odium superstitionis judaicæ eo usque provectum, ut summum jus evertatur. Ego enim in primis observo, attentis etiam juris Romani principiis, voluntatem matris, quasi voluntatem filii certis in casibus haberi, ut exemplum est in substitutione exemplari, cujus faciendæ facultas etiam matri conceditur; ex quo fit, ut testamentum matris quandoque pro testamento filii sit, l 9, cod. de impuberum, et aliis substitut. Quod si receptum est, decoris et majoris honoris caussa, propterea quod decentius sit et honestius decedere testatum, quam intestatum, quid ni recipiendum est, voluntate materna filium baptizari, cum agatur de sacramento maxime necessario, sine quo filius æternis pœnis damnaretur? Deinde etiam ex romani summi juris principiis receptum est, ut ubi servus pater sit, mater libera, filius liber nascatur. Quid in hujus disciplinæ conspectu repugnabit, filium judæi et baptizatæ sequi maternam conditionem? Adde his, in baptismate infantium non tam versari vim patriæ potestatis quam onus educationis. Onus autem educationis æque ad utrumque parentem pertinet, l. 1, § 1, ff. ubi pupillus educari, l. 5, § 2 et sequentibus, de agnoscend. et alend. liberis. Denique etiamsi velis ad controversiæ diremtionem de vi patriæ potestatis disputare, dicam, patriam potestatem oriri ex justis nuptiis, quarum effectus est, ut vir familiæ princeps habeatur, mater viri potestate subsit, eamque ob caussam mater non possit habere filios in potestate, quum repugnet, eam habere potestatem familiæ, quæ in familia est, et patrifamilias subest. Cum vero baptizata mater divino jure liberata sit a potestate mariti, et conjugium dissolvere valeat, incipit ipsa sui juris effici, et potest quandam potestatis speciem, si non romanam, naturalem saltem, libere explicare, quasi æqualis incipiat tum esse potestas patris, ac matris in liberos. Ubi autem duo sunt æquali potestate potiti, nobilioris facultas præstantior habetur, et prærogativam nanciscitur, qualis est præ judæo mulier baptizata, præsertim quod baptizata mulier utilius negotium pro infante filio gerat. Hæc qui rite considerat, facile etiam idipsum recuperet, quoties avus, vel avia, seu paterna, seu materna religionem christianam amplectatur, etiam vivis patre et matre, et quidem in judaica perfidia consistentibus. Quod si pater in judaismo perseverans filium infantem baptizari postulet, vel consentiat, tunc sane baptizari infans rite poterit, et etiamsi pater sententiam inde mutaverit; neque enim jus ecclesiæ semel ex consensu paterno quæsitum, potest ex ejusdem dissensu tolli. Si denique judæi parentes infantes suos exposuerint, poterunt iidem infantes suos baptizari, quasi post expositionem patria omnis potestas evanuerit; atque eadem ratione baptizandi erunt infantes ethnicorum, aliarumve gentium, quos christiani a parentibus suis emerunt; et potiore jure infantes judæorum baptizatorum, qui per apostasiam ad synagogam reversi fuerunt.

Cum judæus quisquam baptizatus est, sive infans sit, sive adultus, sive licite, sive illicite, dummodo firmum et validum baptisma habeatur, quatuor præcipue sunt observanda: primum respectu baptizati, alterum respectu parentum baptizati, tertium respectu extraneorum, postremum respectu ecclesiæ. Respectu baptizati, sive filiusfamilias sit, sive paterfamilias, sive infans, sive infantiam egressus, observandum est, eum removendum esse, quoad fieri possit, a consortio judæorum, etiam parentum, ne forte persuasione judaica deficiat imprudenti consilio a fide christiana, quam semel susceperat. Id adeo verum est, ut locum etiam obtineat, quo casu infans quidam judæus dissentientibus, aut ignorantibus parentibus ab aliquo forte imprudenter baptizatus fuerit; erit enim iste in loco tuto collocandus, et custodiendus tanquam matris ecclesiæ filius, et omnibus modis satagendum, ut fidem, quam ignoranter cum sacramento accepit, sciens deinde prudensque, cum per ætatem poterit, profiteatur. Porro in his speciebus in sollicitudinem confertur ecclesiasticorum administrorum, ut neophyti judeorum etiam parentum conversationem veluti gravissimi periculi plenam omnino declinent, can. 11, caus. 22, qu. 1, alias enim diris suppliciis punientur ex legibus publicis judæi, qui neophytos eosdem ad se reverti minis, blanditiisve procurent, l. 3, cod. de judæis. Potissimum autem habenda est pupillorum neophitorum, utpote infirmiorum, ratio, qui apud honestos christianos viros erunt educandi episcoporum arbitrio. Neque est, cur judæi parentes conquerantur, cum jure suo ceciderint, uti modo ostendam.

Respectu parentum judæorum, ubi filiusfamilias judæus baptizatus est, observatur,

parentes omni jure ac potestate cadere. Plane si de filiofamilias agatur, qui propria voluntate baptismum petiit, gravissima hujus rei sunt argumenta. Etenim in primis Christus Dominus et patrem et matrem fidei caussa relinquendos esse perspicuo evangelico præcepto suo mandavit; docet idipsum naturalis ratio, qua facile persuademur, Deum esse super omnia diligendum, et charitatem in Deum paternæ charitati esse anteferendam. Docuit ipsum facto suo Christus idem Dominus, dum conquerentibus parentibus, utut justissimis, quibus olim subjectum sese exhibuit, quod fuga lapsus esset, dixit, nescire illos, quod in iis, quæ patris sui erant, se esse opporteret, eumque esse patrem suum et matrem, qui verbum Dei audivisset. Additur his, etiam potestatem maritalem amitti in uxorem ab judæo, si judæa uxor baptizetur, juxta apostolicam traditionem. Cur non eadem ratione amittetur paterna? Ne dicas, ex apostolica doctrina, matrimonii vinculum adhuc consistere, si maritus judæus velit sine Creatoris contumelia cum baptizata conjuge habitare; eademque ratione recipi posse, ut paterna potestas penes judæum retineatur, si velit cum baptizato filio sine injuria baptismatis agere. Non eadem habenda est patris ratio, ac mariti. Paterna enim adfectio, et filialis benevolentia, utraque sane in vi sanguinis naturale fundamentum habens, gravius periculum baptizato inferret, quam necessitudo conjugii, quam sola peperit et animorum et corporum conjunctio. Quod si de filiofamilias agatur, qui cum infans esset, minus rite, et imprudenter baptizatus fuerit ignorantibus, aut dissentientibus parentibus, ratio etiam reddi potest, cur parentum judæorum potestatem evasisse dicatur. Sunt baptizati per sacramentum regenerationis Deo et Christo consecrati, cujuscumque tandem etiam tale jus non habentis facto consecrati deprehendantur, et persona semel Deo consecrata facile antiquam non similiter consecrati hominis potestatem evadit; eodem fere modo, quo siquis rem alienam profanam invito vel ignorante domino imprudenter Deo dedicavisset, non eo minus sacra esse desinit, sed perpetuo sacra est, nunquam evasura profana, nunquam in potestatem domini reversura, argumento canonis 2, caus. 11, quæst. 6. His generaliter positis, deducitur primo, filiumfamilias baptizatum consequi pleno jure adventitium peculium, quod possidebat, semoto patre judæo ab usufructu; secundo, non posse impuberibus baptizatis a parentibus judeis substitui pupillariter, quando certum est, fundamentum pupillaris substitutionis in patria potestate consistere, l. 2, ff. de vulgar. et pupil. subst., l. 7 et 8, cod. de impuber. et aliis substit., imo nec locum fieri substitutioni exemplari; etenim licet ista fundamentum non habeat in patria potestate, tota tamen in humanitate innititur; propterea quod fere præsumitur optimum esse consilium, quod a parentibus pro filiis capitur; at hæc præsumtio in parente judæo cessat respectu bonorum, quæ pertinent ad filios christianos: uno verbo deducitur, cessare universos patriæ potestatis effectus. Non tamen e contrario cessant paterna munera et obligationes. Nimirum tenentur parentes pro modo facultatum interea legitimam portionem, aut alimenta baptizato filio dare, dotem etiam congruam, si agatur de puella nuptura, aut monasterium ingressura; filiis eisdem baptizatis habituris deinde post mortem parentum integram hereditatis partem, quam habituri essent, si parentes ab intestato decederent; neque enim datur parentibus judæis baptizatos exheredandi facultas, etiamsi forte legitima exeredandi caussa extitisset; imo ne fraus baptizatis fiat, solet tempore baptismatis bonorum omnium paternorum fieri inventarium, cujus ad portionem hereditariam computandam tempore paternæ mortis ratio habeatur, ne alias occasio detur parentibus, bona subdole distrahendi, argumento capituli 5, de judæis.

Respectu extraneorum observatur, ut judæus baptizatus, seu paterfamilias sit, seu filiusfamilias, quemadmodum omnia bona, et jura retinet in judaismo quæsita, ita teneatur ad æs alienum antea contractum, et ad restitutionem usurarum, ex quibus judæorum peculium ut plurimum fit, redigitur, et augetur; imo si forte reus criminis capitalis fuerit, nec post baptismum pœnam legitimam, evadet, ne forte si aliud ex quadam indulgentia obtineret, judæi his potissimum de caussis conversionem meditarentur, ac fingerent, argumento legis 1, cod. de his, qui ad eccles. confugiunt. Animadvertendum tamen est, quod ad pecuniam attinet ex usuris quæsitam, multum interesse discriminis inter eam speciem, in qua constat, ad quos illa determinate pertineat, atque eam in qua pecunia incertis sit personis restituenda. Siquidem in priore judæus conversus pecuniam restituere debebit: in posteriore obtinuit, ut quoniam res incertis personis debita, aut in ecclesia, piave loca, aut in pauperes esset tribuenda, eadem baptizato ex indulgentia concedatur, non quasi domino rei, sed quasi pauperi, et ex caussa piissima, qualis est favor christianæ religionis, et ne territi alias judæi suorum bonorum jactura, a baptismate suscipiendo declinent.

Denique respectu ecclesiæ observatur, ut si judæus, baptismate semel suscepto; iterum revertatur ad superstitiones suorum, tanquam apostata habeatur, et apostasiæ pœnis gravissimis puniatur, can. 94, c. 4, de apostatis, licet forte ad baptismum fictus accesserit, dummodo non vi fuerit adactus, argumento

capituli 3, de baptismo, c. 13, de heræt. in 6 Qua in re singulare est, ut quamquam testimonium judæi adversus christianum regulariter non recipiatur, admittatur tamen, si testificetur, baptizatum ad judæorum superstitiones divertisse, argumento capituli 5 et 13, de hæret in 6 Adnotandum nihilominus est, in pœnis apostasiæ infligendis lenius agi cum iis, qui infantiæ proximi baptizati fuerunt. ob infirmitatem judicii, et priore ratione cum iis, qui in infantia baptizati fuisse insciis parentibus proponuntur, nisi isti adolescentiores facti libere ratum habuerint, quod in ipsis ignorantibus gestum fuerat.

CAPUT II.

De apostatis, hæreticis et schismaticis.

Huc referendi sunt, tit. 1, lib. 4, tit. 7, 8 et 9, lib. 5, decretalium.

Quicumque Christi fidem detestantur, ac sive judæorum, sive gentium superstitionibus obvolvuntur, sine pœna sunt apud ecclesiam, cum nunquam ecclesiasticæ jurisdictionis subditi fuerint, pœnas in altera vita apud summum judicem Deum luituri. Alia sane ratio est eorum, qui semel Christo nomen dederunt: isti enim si post susceptum baptisma ab ecclesia non recedunt tantum, sed et fidem fallunt, quam semel præstiterunt ut fidei violatores in ecclesia puniuntur. Appellantur autem vel apostatæ, vel hæretici, quibus proxime accedunt schismatici. Sunt hæc nomina a græcis dictionibus derivata, quorum si ingenitam significationem attendas, latius accipiuntur, quam vulgaris loquendi usus induxerit. Apostatæ nomine græci significant desertorem, eum scilicet, qui a suscepta agendi, aut vitæ ratione recedit: quamobrem lata significatione non solum Donatistas hæreticos apostatarum nomine vocavit Cyprianus in epistola ad Cornelium papam, sed et aliquando apostatæ appellati fuerunt clerici majores, qui a clericali militia, vel monachi, qui a monasterio recesserunt, vitam inter laicos, et laicorum conditionibus traducturi, cap. 1, 3, 5 et 6, de apostatis. Vulgaris loquendi usus latissimam hujusmodi significationem contraxit; quo fit, ut proprie eos apostatas nominemus, qui a fide omnino defecerunt, et non in uno, aut altero fidei christianæ dogmate ab ecclesia discrepant, sed in eorum conditionem sese recipiunt, in qua ante baptismum erant, aut esse potuissent, cap. 4, de apostatis, quemadmodum explicavit Isidorus Hispalensis in lib. 8. Originum cap. 3, ita scribens: *Apostatæ dicuntur, qui post baptismum Christi susceptum ad idolorum cultum, et sacrificiorum contaminationes revertuntur.* Et nomen hæreseos latissime significat factæ cujusquam electionem ab iis, qui in aliquam facultatem tributis studiis cum divisione animorum incumbunt. Hinc. in l. 6, § 2, ff. de excusation. tutor. memorantur hæreses rethorum, idest variæ rethorum sectæ, in quas qui rethoricæ artis studiosi erant, dividebantur. Unde iterum Isidorus in dicto lib. 8, cap. 3, ait: *Hæresis græce ab electione vocatur, quod scilicet unusquisque id sibi eligat quod, melius sibi esse videtur*, et Hieronymus in can. 27, caus. 24, quæst. 3, scribit: *Hæresis græce ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem.* Apud viros ecclesiasticos contracta quoque fuit hujus nominis significatio ad designandos eos, qui se quidem Christo obedire, et in ecclesia Christi esse verbo profitentur, in ecclesia tamen vere non sunt, propterea quod nova et falsa dogmata in fidem suam inducant; quo sensu hæreticos in ecclesia esse scribebat Hieronymus ita pergens in dicto can. 27. *Quicumque igitur aliter scripturam intelligit, quam sensus spiritus Sancti flagitat, quo scripta est, licet de ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest;* quod ipsum explicat laudatus Isidorus, dum in libro 1, sententiarum cap. 16, ait: *Qui sunt hæretici, nisi qui relicta Dei ecclesia privatas elegerunt societates?* In conspectu traditionis tantorum virorum, mihi placere non potest subscribere illis Grammaticis, qui vel quod errent a recto, vel quod hæreiscantur fidem, vel quod hæreant nimis, et cum pertinacia doctrinæ suæ, vel similibus de caussis nominatos hæreticos ajunt. Hæreticis proxime accedunt schismatici, quod nomen si late sumatur, significat eos, qui se ab aliorum societate, ac communi consortio dividunt. Stricte autem accipitur de iis, qui et Christum sequi se profitentur, qua in re ab apostatis, et universa ecclesiæ catholicæ dogmata recipiunt, qua in re ab hæreticis distinguuntur, tamen obedientia tenus ab ecclesia se dividunt, prælatis suis obedire, aut obsequi detrectantes, canon. 7, caus. 7, quæs. 1, can. 20, caus. 24, quæst. 3. Quamobrem iterum Isidorus in dicto cap. 3, libr. 8. Originum scribit: *Schisma a scissura animorum nomen accepit, eodem etiam cultu, eodemque ritu credit, ut ceteri, solo congregationis delectatur dissidio.*

Apostatæ, ut de iis primum dicam, cum omnia fidei dogmata rejecerint, imo et ipsa christianæ fidei fundamenta a se avellere studuerint, tanquam læsæ divinæ majestatis rei judicantur, iisdemque pœnis puniuntur, quæ adversus detestabiliores hæreticos sunt præstitutæ, l. 1, 2, 3 et 4. cod. de apostatis, cap. 13, de hæreticis in 6. Quid vero de iis dicendum est, qui cum ab extraneæ religionis hominibus captivi vi armorum metu adacti deprehendantur, ut christianam fidem ab-

negarent? Mitius enim videtur agendum, quasi cum iis, qui voluntate non omnino libera et expedita ab ecclesia defecerunt, can. 52, de pœnit. dist. 4. Isti sane si sponte ad ecclesiam revertantur, interrogandi in primis erunt, an ex animo fidem abjecerint, an fidem se abjecisse simulaverint, ut cruciatus evaderent. Quum profiteantur, se tantum infidelitatem simulavisse, tum reconciliandi erunt, tanquam ii, de quibus gravis veræ apostasiæ suspicio suborta fuerit, pœnitentiis impositis salutaribus, unde Deo et ecclesiæ non leviter læsis satisfiat, habita ratione personarum, prout rudiores sunt, seu imbecilliores vel ætate, vel sexu, aut cultiores doctrina, vel viribus firmiores. At quum profiteantur, se animum abnegandi fidem habuisse, tum eodem modo recipientur ab ecclesia, quo insignes hæretici reconciliantur, gravissima et asperrima pœnitentia indicta. Quod si sponte non sese in ecclesia sistere festinaverint, cum suspicio veræ apostasiæ augeatur, torqueri per competentem judicem poterunt, ut qualis, in externa abdicatione fidei fuerit illorum animus eliciatur. Quamquam enim si se ex animo fidem non abnegavisse constanter adfirment, ad abjurandam apostasiam, tanquam more vehementer suspectorum de apostasia, imposita salutari pœnitentia admittantur, si tamen fateantur, se misere animo lapsos fuisse, nonnisi ut veri apostatæ recipiuntur, arbitrio judicis puniendi, considerata delinquientium conditione, et metus olim incussi qualitate, uti passim pragmatici doceant. Atque ita interpretandus est Ambrosius in dicto canone 52, de pœnitent., dist. 4, in quo sane attendi oportet sancti viri scopum, qui in libris de pœnitentia totus erat adversus Novatianos, qui peccatum apostasiæ a Deo nunquam remissum iri prædicabant; quamobrem quod ibidem traditur, apud gentes victos athletas coronari etiam consuevisse, eo pertinet, ut inde inferret Ambrosius, non pœna, aut pœnitentia immunes esse, qui victi cruciatibus fidem Christi oretenus abnegavissent, sed eos venia, ac clementia excipiendos esse, cum reversi ad ecclesiam fuerint, data spe remissionis post exactam legitimam pœnitentiam.

Antequam explicanda sit disciplina, quæ generaliter adversus hæreticos in ecclesia obtinet, opportunum, atque utile videri posset, singulas, aut saltem celebriores, hæreticorum sectas, quæ hucusque prodierunt, quasi per indicem demonstrare, ex quo in primis addisceret unusquisque, quid evitandum, quid e contrario tenendum sit viro catholico, deinde sciret, ecclesiasticos canones identidem in caussis fidei editos, et personis, et temporibus accommodare. Verum ne extra propositum meum vagari latius videar, satis mihi sit, laudare canonem 39, caus. 24, qu. 3, ubi Isidorus Hispalensis brevem quidem, sed accuratum hæreticorum catalogum texuit, atque ab ipso nascentis ecclesiæ initio ad sua usque tempora produxit. De recentioribus hæreticis, plena undique est ecclesiatica historia, quam viri complures, iidemque celeberrimi exornaverunt, et hanc ob rem supervacaneum laborem impenderem, si vellem singulas hæreticorum sectas recensendo commemorare. Tantum obiter attingam, quæ in universum ad confutandas omnes hæreses plurimum valent; et generaliter dicam, vel unum argumentum sufficere posse demonstrandam nostræ fidei veritatem, ad sanctitatem. Nimirum fides nostra a Deo ipso originem trahit perspicuam, certissimis divinæ voluntatis oraculis indicatam. Primum illa fuit Deo auctore proposita, deinde a viris integerrimis promulgata, promulgationem ipsam eodem semper Deo signis evidentibus confirmante. Ista fuit forma mosaicæ legis, cujus testes, vel ipsos infensissimos inimicos nostros adducimus judæos. Ista forma evangelicæ legis, quam Christus ipse palam fecit, Christum dico, quem si vel nequissimæ et perditæ ceteræ gentes pium et religiosum virum fuisse non potuerunt non confiteri, Deum credere necesse est, quando ipsemet Filium Dei, proptereaque Deum esse se dixit, ne concludamus, pium et religiosum haberi, vel apud extraneos, et alienos homines potuisse, qui divinam sibi naturam non sine atroci blasphemia adseruisset. Quod si quidam fidei, et morum restauratores mitti a Deo extra ordinem debuerunt, quod aliquando in vetere lege contigisse scimus, non aliis Deus eam gerendam provinciam mandavit, quam viris morum in primis integritate probatis, deinde prophetia et miraculis plane magnificis, suæ missionis testimonia perhibentibus, uti observavit Innocentius III, in cap. 12 de hæreticis. Sistant hæretici universi, sistant, amabo illos, quocumque nomine censeantur, sectarum suarum auctores. Tum vero tantum aberit, ut in eis divinorum legatorum qualitates miremur, quin potius vitiosos homines, seditionis amatores, turpissimis flagitiis inquinatos, nec alia de caussa, quam vel ambitu, vel invidia, vel iracundia, vel animi ægritudine concitatos deprehendamus: nos e converso recto neque interrupto ordine exhibebimus viros perpetua successione ab apostolis descendentes, apostolos exhibebimus missos a Christo; Christum a Deo in testamento vetere jamdiu promissum, et tandem hominibus in tempore datum, ita ut divinas revelationes mutuo nexu ita dixerim colligatas, ordinatasque a protoparentibus ipsis ad nos usque derivatas, et constantissime custoditas gloriose pandamus. Hinc sane fluit, apud nos esse unitatem, qua eadem, quæ olim, et in præ-

sentia adparet morum fideique doctrina, quæ sane est præcipuum veræ ecclesiæ fundamentum, contra quam in extraneis societatibus videatur, in quibus vix pater, et filius, maritus, et uxor in una domo, familiaque consentiunt. Revera id non apud alios, quam apud nos evenire potest, qui soli ubi obscura quædam emergunt definienda, divina oracula per publicam ecclesiæ definitionem aperienda expectamus, ab illa animo demisso universi pendemus, illi obsequimur sine calumnia, nec unquam sanctissimum religionis vinculum dissolvimus. Paucis summa argumentorum capita attigi, quæ fusius a viris dogmaticis expendi solent: ista tamen quicumque attento animo, et sepositis partium studiis considerant, adeo premi se sentiunt, ut quo se vertant, prorsus ignorent. Tantum superest, ut vel cum ecclesia nostra consentiant; aut, si, ne consentiant, ab iis, quæ contraxerunt, depravatæ naturæ vitiis, distrahuntur, omni se fore religione vacuos candide profiteantur, quorum tunc conditionem, et statum lugebimus: neque enim aliquod in medio relictum videtur inter atheismum, et religionem, quam profitemur.

Jamvero quod nostrum præcipue est, prosequamur. Hæretici nomen aut de homine pronunciamus, aut de libro, opinione, sententia. Quum hominem hæreticum dicimus, duo hæc concurrere oportet: primum, ut quis aliquid proferat adversus definitiones fidei ab ecclesia aditas: alterum, ut sciens prudens id faciat, seu cum noverit, aliam ab ea, quam profert, ecclesiæ esse sententiam, can. 27 et 31, cau. 24, qu. 3. Si enim ex. gr., quisquam ignorans definitionem ecclesiæ aliquid contra pronunciet, alias paratus ad professionem illorum, quæ proposita ab ecclesia noverit, falsam quidem habere doctrinam intelligetur, non in hæresim indicisse, can. 29, cau. 24, quæst. 3. Quod siquis dubitet, an iis, quæ ab ecclesiæ proposita esse sciverit, debeat assensum præstare, is nihilominus tanquam hæreticus habendus erit, cum catholicum virum confiteri, et credere oporteat, non tantum non contradicere, cap. 1, de hæreticis; quemadmodum et is hæreticus dicendus esset, qui tum demum se paratum exhiberet ad obediendum ecclesiæ, cum de veritate propositi dogmatis convincantur, argumento, canonis 2, cau. 24, quest. 1 et canonis 30, cau. 24, qu. 3. Librum autem, opinionem, sententiam statim dicemus hæreticam, ac deprehendemus ecclesiaticis dogmatibus adversari, etiamsi auctor ex ignorantia scripserit, vel pronunciaverit. Quod ut clarius explicetur, obervandus est, multiplex designari genus propositionum censura dignarum; aliæ enim propriæ hæreticæ appellantur, aliæ sapientes hæresim, aliæ male sonantes, aliæ blasphemæ, aliæ impiæ, aliæ erroneæ tantum, seu falsæ, aliæ temerariæ, aliæ scandalosæ, aliæ schismaticæ, aliæ injuriosæ. Hæreticas proprie dicimus, quæ adversus dogmaticas ecclesiæ definitiones directo pugnant veluti ista: Christus non est Deus; sapientes hæresim, quæ primo obtutu videntur hæreticæ, adhuc tamen possunt juxta sanam ecclesiæ doctrinam explicari: male sonantes, quæ per se quidem a catholica fide non dissonant, non sunt tamen ferendæ in eo, qui de hæresi sit suspectus, veluti siquis, quem Arianum esse suspicamur, dixerit, Patrem Deum esse Christo majorem; blasphemas, quibus injuria, aut contumelia irrogatur in Deum, veluti siquis Deum injustum diceret; impias, quæ adversus pietatem proferuntur, quemadmodum siquis prædicaret, eleemosynas non esse largiendas; erroneas tantum, seu falsas, quæ veritati repugnant extra caussas fidei, aut morum; temerarias, quæ temere et sine caussa proferuntur, veluti siquis prædiceret, post centum annos futurum supremi judicii diem; scandalosas, quæ audientibus præsertim infirmioribus et minus eruditis in doctrina fidei scandalum ingenerant, et præbent facilem errandi occasionem; schismaticas, quæ seditiones et turbas movent, veluti siquis diceret, malo prælato non esse obtemperandum; injuriosas denique, quæ detrahunt aliquid cuidam fidelem statui, vel conditioni. Non repugnat autem, unam eandemque propositionem pluribus hujusmodi notis adfici posse. Hinc plane colligitur, non statim ac damnatus est alicujus liber, aut propositio, censeri damnatum et illius auctorem, quem forte vel ignorantia, vel alia non improbabilis caussa excuset, cap. 2, de summa Trinitate, extravag. 2, de hæret. int. com., e contrario damnato auctore, statim ejus codice damnatos intelligi, cap. 4, de hæret., lib. 6 et 8, § 5, cod. eod. tit., nov. 42, cap. 1, § 2, nisi alias de libris ageretur, in quibus nulla hæreseos esset suspicio, vel ab ecclesia probatis, quemadmodum vulgo traditur de libris Origenis et Tertulliani. Quando vero recentioribus sæculis immanis prodiit multitudo librorum, Tridentini patres e re fidelium esse censuerunt, si de perniciosis delendis, et manu studiosorum subtrahendis deliberarent, uti liquet ex sessione 18. At cum omnia concilii tempore perfici non potuissent, absoluturi synodum in fidem romani pontificis et vigilantiam omnia contulerunt; quamobrem jamdiu obtinuit, præsertim post constitutionem *cum hebræorum* Clement. VIII, anni 1593, ut librorum fidei, et moribus perniciosorum censura ab apostolica sede expectetur. De libellis famosis in contumeliam scriptis antiquæ extant romanæ leges, quibus et auctores capitali sententia damnantur, et corrumpi libros debere præcipitur, leg.

unic., cod. de famosis libellis. Item in concilio eliberitano anathemate perculsi sunt ii, qui libros ejusmodi in ecclesia posuissent, can. 3, cau. 5, q. 2.

Cum nihil aliud sit hæreticum esse, quam fidei dogmatibus adversari, juvat animadvertere, quid dicatur dogma fidei, ut facilius quisque dignoscat, in quem nota hæretici inuratur. Ex duobus pendet fides nostra: primum ex divinis oraculis seu revelatione, quæ in verbo Dei vel scripto, vel tradito continetur; deinde ex declaratione ecclesiæ, qua proponatur, aliquid divino oraculo revelatum fuisse juxta vulgarem illam Augustini sententiam contra epistolam fundamenti, cap. 5. *Evangelio non crederem, nisi me ecclesiæ commoveret auctoritas.* Igitur ex. gr., ubi aliquid aperte in sacris literis exhibetur, quicumque refragabitur, statim dicetur hæreticus, quia ecclesia quidquid sacris eisdem literis continetur, tanquam divinum oraculum fidelibus, proposuit. Ast ubi aut de obscuris divinarum earundem literarum sententiis interpretandis agatur, aut de alio nondum ab ecclesia probato oraculo Dei, nemo hæreticus dici poterit, quousque ecclesia testimonium non accesserit; quam sane fidei rationem Deus ipse habendam voluit in institutione ecclesiæ suæ, ne forte fideles prætextu divinorum oraculorum, quæ privato spiritu ducti præseferrent, facile circumferrentur juxta phrasim apostoli omni vento doctrinæ.

Adversus hæreticos, quocumque nomine censeantur, gravissimæ constitutæ sunt pœnæ. Et quando hæretici non solum ecclesiasticam unitatem discindunt, verum etiam gravissime turbant rempublicam, cujus incolumitatem præcipue fovet sanctitas, ac soliditas religionis, optimum fuit, ut æque ecclesiastici antistites, ac pii principes in illos severas pœnas indicerent. Ut primum dicam de pœnis, quas pro jurisdictione sua ecclesiastici antistites induxerunt, nemo dubitare potest, quin jure hæretici universi anathemate damnati fuerint, cujus vi extra ecclesiam penitus ejiciuntur; non simplici excommunicationis censura; c. 13, de hæreticis. Re enim vera universi hæretici statim ac palam et publice a fide recesserunt, vinculum christianæ communionis facto suo resciderunt, adeo ut sententia canonum, qua anathema indicitur, declaratoria tantum sit, si de jure sermo instituatur, et siquid adjicit, totum in facte consistit; nimirum vel hæreticos excludit a cætu ecclesiæ, si forte ipsi sese audacter in cœtum intrudant, vel catholicos jubet, ut a consortio hæreticorum abstineant. Duo potissimum vincula sunt, ex quibus christiana communio ac societas coalescit, videlicet vinculum charitatis, et vinculum fidei; quo utroque vinculo quoties quisque jungatur, ad ecclesiam undecumque pertinet, et de bonis societatis christianæ operibus omnino participat ad meritum; et siquis dissoluto vinculo charitatis adhuc retineat vinculum fidei, nihilominus in ecclesia adhuc est, quamquam in ecclesia, et de bonis ecclesiæ mereri non possit, quousque non iterum se eo vinculo jungat; at siquis præter charitatis vinculum etiam dissolvat vinculum fidei, distinguendum est inter eum, qui hæresim internam sive tantum in animo fovet, adhuc exterius fidem profitens, et inter eum, qui nec externam tenet fidei professionem, et exterius ecclesiasticis dogmatibus contradicit. Hæretici sane animi interioris sententia, sed adhuc exterius fidem profitentes, in ecclesia sunt, utpote quæ natura sua visibilis esse debeat, et nonnisi externa fidei professione discernatur, quamquam illi veluti membra mortua, et vix non recisa a corpore habeantur. Secus dicendum est de hæreticis manifestis, qui neque exterius fidem profitentur, quorum respectu nullum superest vinculum, ex quo cum ecclesia uniantur. Hoc sensu, in can. 29, caus. 24, quæst. 3, dicitur hæreticus esse *semetipso damnatus.* Hinc jure optimo Alexander IV, in cap. 2, de hæreticis in 6, declaravit, hæreticos vita functos non esse ecclesiasticæ sepulturæ tradendos, insuper adjiciens, sepelientes in excommunicationem incurrere sine spe absolutionis, quousque propriis manibus non extumulent, atque projiciant corpora damnatorum, denegato in perpetuum loco illi jure sepulchri. Ecquidem novi, in lib. 9, cod. de hæreticis sub nomine Marciani imperatoris definitum inveniri, anno 457. *Humanum, et pium hoc arbitrati, hæreticos permittimus sepeliri legitimis sepulchris*, cui legi subjecta fuit epitome ex Photii nomocanone his verbis: *Hæretici legitimo modo, ut ceteri, sepeliantur.* Verum observo in primis, legem illam in vetustis codicis editionibus desiderari, et recentiore manu adsutam fuisse. Ceterum in lib. 1. Basilicorum, tit. 1, cap. 24, legitur: *Legitimis hæretici traduntur sepulturis*, et Photius in nomocanone, tit. 12, cap. 2, de hæreticis scribit: *Item quod legitime sepeliantur.* Quidquid tamen sit de hujus constitutionis fide, notandum est, apud veteres jureconsultos romanæ disciplinæ testes traditum fuisse, etiam eos, quorum bona tanquam ab indigno avocabantur, et Fisco addicebantur, adhuc jura legitimorum sepulchrorum retinuisse, lib. 33, ff. de religiosis. Tantum in eo causa rei a legitimo sepulchrorum jure excludebantur, quo perduelles essent in rempublicam, seu, ut recentiores locuti fuerunt, crimen læsæ majestatis admisissent, l. 1, § 3, ff. de suis et legitim. hered., propterea quod nec perduelles apud Romanos lugerentur, l. 35, de religios.,

ino nec sepulchra hostium religiosa haberentur, l. 4, ff de sepulchro violato. Hæc erant juris romani principia temporibus Marciani, quibus primum quæri potuit, an hæretici tradi possent legitimis sepulturis. Ecquidem ex præcedentium christianorum principum constitutionibus caveri jam cœperat, ut aliquorum hæreticorum bona publicarentur. At non satis id erat, ut concluderetur, esse illos legitima sepultura privandos, quum aliud esset nudari bonis, aliud sepultura carere, dicta, l. 33, ff. de religios. Insuper caveri quidem cœperat ex præcedentibus christianorum principum constitutionibus, ut hæretici quodammodo læsæ majestatis rei haberentur, propterea quod divinæ majestati directo obstitissent. At neque id satis erat, ut concluderetur, hæreticos esse sepultura privandos; quamquam enim verum esset, perduelles sepultura carere, non tamen generaliter cautum erat, ut omnes pœnæ, quæ perduellibus, eædem et hæreticis sine discrimine imminerent, ut liquet ex toto titulo codicis Theodosiani de hæreticis, et quod dicebatur, hæreticos læsæ majestatis reos haberi, usurpabatur ad demonstrandam criminis hæreseos atrocitatem, non ad extendendas universas legitimas pœnas, quæ perduellibus a legibus publicis indicebantur. Opus ergo videbatur singulari constitutione hæreticos hac etiam in parte plectente. Verum Marcianus, si germana et vera est laudata lex 9, humanitatem, et pietatem secutus jussit, ut hæretici legitimis sepulchris gauderent. Licet profecto augurari, quænam Marciano fuerit, aut esse potuerit caussa ita definiendi. Agitabatur tunc temporis acerrima controversia definita in concilio chalcedonensi, in quo idem Marcianus præsens adfuit, trium capitolorum, ex quibus primum erat, an damnanda esset persona Theodori Mopsuesteni in pace ecclesiæ defuncti; uno et in eo concilio definitum (qualiscumque demum auctoritatis acta ejus concilii in hac parte haberi debuerint), ne Theodori vita functi manes inquietarentur. Theodoro, et Theodori caussæ patrocinabatur Marcianus, cui præterea congruum erat in eam ire sententiam, qua declararet, hæreticis vita functis non esse denegandos legitimi sepulchri honores. Temporibus Justiniani in concilio generali V. Constantinopolitano damnata fuerunt tria capitula, ac pro inde etiam damnatus Theodorus; hinc ego puto fuisse caussam Justiniano, ut eam Marciani legem suo codici non insereret, quamquam recentibus sæculi opera quorundam eruditorum adsuta fuerit. Quod si adhuc quæratur, quare sacri canones recentioribus sæculis a Marciani disciplina recesserint, dum statuerunt, ne hæretici sepultura donarentur, c. 8, de hæret., dicto, c. 2, eod. tit. in 6, facile est respondere: nimirum temporibus Marciani nec dum mos invaluerat, nisi ageretur de martyrum exuviis, ut cadavera piorum fidelium in ecclesiis tumularentur. Tantum id obtinuit recentiore ætate, qua primum sepultura inter jura christianæ communionis recenseri aptius potuit; unde sepultura, quæ olim res religiosa dicebatur, dici deinceps cœpit res ecclesiastica; ac proinde si olim hæretici sepultura donati fuerunt, id argumentum non erat christianæ communionis, cujus argumentum fuisset, si posteriore ætate id fuisset indultum. Hæc generalia erant hæreticis universis. Singularia quædam observanda sunt respectu clericorum, qui si in hæresim inciderint, cum et ipsi anathematis pœnam ipso jure incurrant, statim etiam ab omni officio, et beneficio cadunt, cap. 9 et 15, de hæreticis, adeo ut libera fiat beneficii tanquam vacantis collocatio, quin sit facultas penes judicem bona beneficiaria ab hæretico possessa ne ad vitam quidem hæretici aliter applicandi, Clement. 2, de hæreticis. Imo licet regulariter ad degradationem clericorum unus tantum episcopus procedere nequeat, c. 2, de translat. episc., poterit tamen convocatis abbatibus, aliisque prælatis, et religiosis personis ac literatis suæ diœceseos, si clericus ex caussa hæresis de gradu suo sit dejiciendus, cap. 1, de hæreticis, in 6.

Hæc de pœnis ecclesiasticis. At enim si de pœnis imperiali jure constitutis sermo sit, vetus sane disciplina variis vicibus obnoxia fuit, et quidem non solum pro temporum varietate, verum etiam pro diversis hæreticorum generibus: modo enim, si ingens esset hæreticorum multitudo, ac veluti colluvies quædam numeri majoris, mitius cum ipsis actum est, ut lenius ad unitatem reducerentur, e contrario ubi pauci essent, severius puniebantur, ut quantocius emergentis hæreseos semina suffocarentur: modo si tales hæretici essent, qui turbas seditionesque in societate moverent, præsto erant acerrimæ leges ad pœnas atrocissimas infligendas, levioribus inflictis, si hæretici leniores animos exhiberent. Ex his rerum adjunctis fluxa erat disciplina juris, et inconstans, idest et sectis hæreticorum, et numero eorundem, et temporibus accommodata, aliquando etiam ex mutatione hujusmodi adjunctorum immutata. Quod ut paucis tradam, frustra in primis investigaretur, an ante Constantinum imperatorem certæ pœnæ in hæreticos inflictæ fuerint; eo enim usque in ecclesia variis vexationibus obnoxia tuitores, ac patronos principes utpote ethnicos habere non potuit. Deinde distinguenda sunt duo pœnarum genera, quarum aliæ jura respiciunt, et bona hæreticorum; aliæ hæreticorum personas, quæ pœnæ capitales appellantur. Frequentius illæ, rarius istæ indictæ sunt.

Itaque primus Constantinus imperator in

leg. 1, cod. de hæret. constituit, ut quæ privilegia dudum contemplatione religionis indulta fuerant, hæreticis nullo modo competerent. Edita fuit hæc lex anno 326. Kalendis septembris, sed nono kalendas octobris ejusdem anni aliam legem edidit, qua cum Novatianis Romæ degentibus mitius agendum sanxit, ut scilicet ipsi ecclesias suas cum cœmeteriis jamdiu possessas pacifice retinerent, dummodo nequid usurparent de domibus sacris, aut locis religiosis catholicorum, l. 2, cod. theodos. de hæret. Hanc voluit imperator rationem Novatianorum habendam, quia, si vera testatur Socrates l. 7, cap. 11, Novatiani usque ad Innocentii papæ ætatem pacate in urbe vivebant, alias autem potissimum de tranquillitate publica sollicitus fuerat Constantinus. Addi potest eorum hæresim ex animi austeritate, ac gravitate nimia prodiisse, cum assererent lapsos non posse ulla pœnitentia restitui, ceterum viri erant virtutis et integritatis severi cultores. Quando vero Constantini temporibus non alia catholicos vexabat hæreticorum, aut schismaticorum secta, quam arianorum, et meletianorum, ad eos potissimum ea constitutio, seu lex 1, cod. de hæret. pertinebat; hinc, in l. 1, cod. theodos. eod. tit. legimus: *Hæreticos autem, atque schismaticos non tantum ab his privilegiis etc.*, licet in codice Justiniani schismaticorum mentio omissa fuerit. Et quidem mitis fuerat ea pœna a Constantino indicta, sive quod pius imperator vix absoluto nicæno concilio facile sperabat futurum, ut et arianorum hæresis, et meletianorum schisma interiret, sive quod in magna arianorum, et meletianorum multitudine lenius agendum videretur, sive quod non videretur opportunum ea ætate, qua primum ecclesia pace frui visa est, intestina certamina fieri inter catholicos, et hæreticos in provinciis christianis intermixtos, quibus pœnarum gravitas, aut metus occasionem præberet. Successores imperatores graviores indixerunt pœnas, non quidem semper generatim in hæreticos universos, sed aut in illos, qui olim damnati renovatis dissidis turbas cierent, aut in illos, qui publicam pacem quoquo modo turbarent, et pro modo initæ seditionis. Hinc cum arianorum nomen probrosum esse cœpisset sub finem quarti sæculi, et Ariani novo assumto Eunomianorum nomine veterem hæresim tuerentur, Theodosius magnus, in leg. 5, cod. theodos. de hæret., anni 381, sanxit, ut Ariani, Eunomiani, aut Aætiani abstinerent ab ecclesiis ædificandis, fundo, ubi ecclesia ædificata fuisset, fisco principis addicendo. Initio autem ejusdem anni statuerat idem Theodosius, ut ubique Nicæna fides sustineretur. Arianis quibuscumque, eunomianis, ac photinianis ea lege imposita, ut si intra oppida hæretici illi congregationes fecissent ab ipsis etiam urbium mœnibus expellerentur, l. 6, cod. theodos. de hæreticis. Amplius itum est in leg. 17, cod. theodos. eod. tit., anni 389, qua cautum, ut Eunomiani non testamentum condere possent, non ex alieno testamento capere, et omnia, quæ illorum essent, aut futura sperarentur, veluti caduca fisco vindicarentur: sic enim gliscens in dies arianorum perfidia coercebatur. Refert tamen Sozomenus, l. 7, cap. 12, Theodosium magnum ad terrorem potius incutiendum hanc legem adversus Eunomianos edidisse, quam ad eam exequendam. Eam ob rem legem eandem inde revocavit, anno 394, tradita Eunomianis facultate, seu testamenta condendi, seu capiendi ex testamento, l. 23, cod. theodos. eod. tit. Anno sequente Arcadius et Honorius abrograta paterni Theodosii lege iterum Eunomianos a testamento condendo, et a capiendo ex testamentis alienis rejecerunt, l. 25, cod. theodos. eod. tit., sed necdum quatuor mensibus elapsis iterum facultas fuit et testandi, et ex alieno testamento capiendi, l. 27, cod. eod. tit. lata, anno 395. octavo kalend. julii. Hinc audaciores facti Eunomiani turbas seditionesque movebant, unde iidem imperatores, anno 396, sancire boni publici caussa debuerunt, ut eunomianorum auctores, doctoresque, ac præcipue clerici e civitatibus pellerentur, l. 31 et 32, cod. teodos. eod., et pressius, in l. 34, anni 398, cod. theodos. eod. Clarius, in l. 36, cod. theodos. eod. tit., anni 399, statuitur, ut Eunomianis, et cum Eunomianis sit testamenti factio; abstineant autem iidem a publicis cœtibus, et si publicos cœtus egerint, antistites amissis bonis deportentur, et fundi possessor ultimo supplicio feriatur, ipsa possessio fisco vindicetur. Anno 410, iterum cautum est a Theodosio juniore, in leg. 49 et 50, cod. theod. eod. tit., ut Eunomiani neque possent testamenta condere, nec capere testamento, imo nec posse invicem sibi donare, nec ex donationibus quidquam adquirere, omnibus lucris in fiscum collatis, quod si in hæresi decessissent, adjectum est, ut ab intestato succederent legitimi heredes, quibus deficientibus, ad fiscum hereditas devolveretur; quod et confirmavit, anno 415, idem Theodosius junior, in leg. 58, cod. theod. eod. tit. Fuerunt quarto sæculo hæretici quidam dicti Tascodrocitæ, qui superstitionibus quibusdam inter orandum utebantur, de quibus scripsit Epiphanius hæresi 48. Adversus istos, anno 383. Theodosius magnus statuit, ne conventicula inirent, quin tamen a suis sedibus moverentur, quia vix turbas seditionesque concitabant, l. 10. cod. theodos. de hæret. Eodem quarto sæculo adversus Apollinaristas statutum fuit ab Arcadio imperatore, in l. 33, cod. theod. eod. tit.,

anni 397, ut eorum doctores, qui nimirum urbem constantinopolitanam turbabant, ab eadem urbe discederent, ita ut si privatim in urbe conventicula fecissent, loca ipsa cœtui destinata fisco vindicarentur. Similia quædam statuta sunt, anno 415, a Theodosio juniore adversus Montanistas, in leg. 57, cod. theod. eod. tit. ubi cautum est, deportandos esse eorum clericos, qui conventicula celebravissent, bonis quidem privatorum relictis unicuique domino, tantum devolutis in ecclesiam locis sacris una cum donariis religionis caussa collatis. Adversus Nestorianos, anno 435. Theodosius et Valentinianus statuerunt, ne conventicula facerent, seu cœtus publicos, indicta adversus inobedientes pœna publicationis bonorum, l. 66, cod. theodos. de hæret., lib. 6, cod. justin., eod. tit. Valentinianus et Marcianus, anno 457, in l. 8, cod. justin. eod. adversus Eutychianos statuerunt, ut nequirent clericos ordinare vel habere, tam ordinantibus, quam ordinatis pœnam exilii cum bonorum amissione indicentes, item addicentes fisco domos, in quibus cœtus celebrarentur, conventicula celebrantibus indicta pœna fustium, si viles essent, si honesti, pœna pecuniaria; imo et pœna ultimi supplicii iis, qui hæresim docuissent. Asperiores sane ac duriores pœnæ inflictæ fuerunt in Donatistas, Manichæos, ac Priscillianistas, eosque, qui eisdem erroribus involuti modo phryges, modo cataphryges appellabantur. Suam ipsi sedem potissimum in Africa constituerant, ibidemque præcipue omnia susdeque turbabant, moventes quotidianas seditiones, armis etiam universa vastantes. Catholici, ac præsertim Antistites sæpe ad principes confugerunt, opem ac subsidium imploraturi; unde factum est, ut identidem leges imperatoriæ ederentur, quibus illorum hæreticorum sævitia pressius coerceretur. Primi Valentinianus et Valens, anno 372 et 377, caverunt, ut domus publicorum cœtuum seu a manichæis, seu a donatistis frequentatæ publicarentur, l. 3 et 4; cod. theodos. de hæret., l. 2, cod. theodos. ne sanctum baptisma, l. 2, cod. justin. de hæret. Deinde Theodosius magnus anno 381 voluit, manichæos, quocumque nomine appellarentur, nec testamentum condere, nec ex testamento capere posse, fisco addictis hereditatibus decedentium, et lucris testamento honoratorum, tantum servata liberis successione legitima, si liberi eam hæresim non sequerentur, l. 7, cod. theod. de hæret. Item Theodosius anno sequente, seu 382, renovavit easdem pœnas, instituto adversus manichæos judicio publico, etiamsi privatim, et extra urbes cœtus facerent, l. 9, cod. theodos. eod. tit. Insuper anno 389 Valentinianus et Theodosius adjecerunt, manichæos esse præcipue ab urbe Roma pellendos, leg 18, cod. theod eod. tit Honorius imperator anno 407, l. 40, cod. theod. de hæret., l. 4, cod. justin. eod., et manichæos, et phrygas, et priscillianistas bonorum publicatione damnavit, ita ut etiam fierent civilium jurium expertes, nec contrahere quidem, aut donare valerent, eove minus testari, aut capere ex testamento; pœna hac et accusandi facultate etiam post mortem data, salvis tantum legitimis successionibus gratia descendentium, vel ascendentium, vel venientium de latere cognatorum ad secundum usque gradum; quæ et confirmata fuerunt ab eodem Honorio anno 408, l. 43 et 44, cod. theodos. eod. tit. Ad hæc tempora, seu initio quinti sæculi cum donatistæ Africam gravissime commoverent, refert Augustinus in epist. 50 ad Bonifacium, imperiali constitutione hæreticos illos pecuniaria tantum mulcta fuisse damnatos, ut facilius ad unitatem converterentur. Id cautum fuit anno 412 ab Honorio augusto in l. 52, cod. theod. de hæret., ubi tamen adjectum est, ut eos, quos pecuniaria mulcta non correxisset, facultatum omnium publicatio subsequeretur. Deinde anno 414 ab eodem Honorio cautum est, ut donatistæ intestabiles essent, et infames, et omni potestate carerent, sacerdotibus eorum etiam deportatis; tantum exceptis viris quibusdam civili dignitate præclaris, quibus imposita fuit mulcta pecuniaria, l. 54, cod. theodos. eod. tit. Manichæi autem præ ceteris, cum ad summum nequitiæ et scelerum devenissent, non tantum e civitatibus expulsi, sed etiam ultimo supplicio damnati sunt anno 428 a Theodosio et Valentiniano in l. 5, cod. justin. de hæret., quod et recentiores imperatores confirmaverunt, l. 11, 12 et 16, eod. tit.

Sunt hæc specialia in conspectu juris Romani adversus singulares quasdam hæreticorum sectas constituta. Generaliter autem adversus omnes hæreticorum sectas primus Theodosius magnus anno 383 statuit, ut quoties cœtus publicos celebrarent, aut vel publice, vel privatim aliquid gererent, quod sanctitati catholicæ ecclesiæ officere posset, expellerentur, leg. 11, cod. Theodos. de hæret., et clarius in leg. 12, ejusdem anni, et, in leg. 13, anni 384 cod. Theodos, eod. tit. exilio pulsi sunt, quicumque cœtus publicos celebrarent, domo, vel loco ad solemnem eorum cetum selecto fiscali juri supposito. Item Theodosius anno 388 eos omnes generaliter voluit ab urbibus exulare, et ita secedere, ut segregati a celeris quasi vallo quodam in locis agrestibus ipsi tantum inter se invicem conversarentur, denegata adeundi, et interpellandi imperatorem facultate, l. 14, cod. theodos. de hæret. Cum autem hæretici in loca suburbana sese conferrent, vel in minores urbes majori urbi finitimas, idem Theodosius anno 389 et 391, ab eisdem et suburbanis, et vicinis urbibus pelli hæreticos jussit, leg. 19

et 20, cod. theodos. eod. tit. Anno 392 vetuit Theodosius, ne ab hæreticis clerici ordinarentur, imposita pecuniaria pœna tam adversus ordinatores, quam adversus ordinatos, et loco ordinationis fisci juribus addicto, si loci dominus consensisset, leg. 21, cod. theod. eod. tit. Præterea Arcadius et Honorius anno 395 et 396 hæreticos ab universis militiis arcuerunt, ac sic diaconica quidem in urbibus habere voluerunt, leg. 29 et 30, cod. theodos. eod. tit., l. 3, cod. justin, eod. titul., quod Honorius et Theodosius anno 408 confirmaverunt, leg. 42 et 45, cod., theod. eod. tit. Anno 410 iterum cavendum fuit ab Honorio, ut si hæretici publicos conventus facerent, et proscriptione, et summo supplicio punirentur, leg. 51, cod. theodos. eod., quod ed renovatum est anno 415, l. 56, cod. theod. eod, ex quo liquet, legem illam ad terrorem potius incutiendum latam fuisse, quam ab pœnam revera infligendam. Anno 425 Theodosius et Valentinianus jusserunt, ut hæretici ad centesimum usque lapidem ab urbe Roma remoti solitudines sibi eligerent, et paucos post dies jusserunt, ut longe ab aspectu universarum urbium aufugerent, l. 62 et 64[1], cod. theod. tit. Plurima iidem imperatores collegerunt in l. 65, cod. theodos eod. tit., ex qua deprompta est lex 5. cod. justin. eod. anni 428. Verum ibidem fassi sunt, *non omnes hæreticos eadem austeritate plectendos esse* designatis variis pœnis, prout supra laudatis constitutionibus cautum deprehenditur, Anastasius imperator anno 511 vetuit, ne prædia, in quibus horthodoxæ fidei ecclesiæ, vel oratoria existerent, venderentur, irritata venditione, et prædiis in fiscum collatis, leg. 10, cod. justin. de hæreticis. Item in l. 14, cod. eod. ultimum supplicium indictum est in hæreticos, qui cœtus inirent, aut ecclesias, aut religiosas domos consiruerent, aut Sacramenta administrarent, aut antistites sibi constituerent. Denique Justinianus vetuit, ne hæretici quoquo modo hereditatem, aut legatum, fideicommissum acciperent, ne ex militari quidem testamento, leg. 22, cod. de hæret., et in nov. 109, mulieribus hæreticis dotium privilegia ademit. Imperator Justinus etiam illud adjecit, ut hæretici quicumque nec testamento capere possent, nec testari, publicatis defuncti bonis veluti caducis, nisi qui percepturi essent, catholicam fidem sequerentur, nov. 144, cap. 1. Sic producta est usque ad sæculum sextum, ecclesiæ et imperii disciplina adversus hæreticos; ex qua constat, multos quidem olim, multos nonnisi posteriore ætate civilibus aut infamiæ, aut amissionis quorundam jurium pœna punitos; capite damnatos tantummodo manichæos, aut extra ordinem hæreticos alios, qui rempublicam vehementius turbavissent; generaliter quidem obstrictos, ut ecclesias, et loca religiosa ab illis contra catholicos occupata catholicis restituerent; fisco addictis locis, in quibus contra principum interdicta cœtus ab hæreticis celebrarentur; multos quidem ab initio exclusos fuisse a testamentis condendis, a testamentariis successionibus, aliquos deportatos; omnes quidem exilio damnatos, sive ab urbibus exulare jussos; non vero generaliter testamenti factione privatos, nisi ex laudatis aut Justiniani, aut Justini constitutionibus, eove minus generaliter suis bonis spoliatos, quo casu publicam non turbarent tranquillitatem. Primum generaliter exilio pulsi fuerunt, et passi bonorum publicationem universi hæretici sub finem anni 1220 auctoritate Friderici II ea constitutione, quæ post libros feudorum adjecta fuit ab Hugolino Bononiensi jureconsulto, unde deprompta est autentica *Gazaros* cod. de hæreticis. Ea ipsa tempestate, eove magis post editam hanc constitutionem pontifices Maximi statuerunt, ut cum hæretici anathemate damnati per ecclesiasticos antistites essent, brachio, ut ajunt, sæculani traderentur, pro qualitate facinoris puniendi, cap. 9 et 15, de hæreticis, exasperata etiam qualitate supplicii pro conditione delinquentis, et criminis atrocitate, cap. 8, § ult., eod. tit. in 6. Quando vero Fridericus in laudata constitutione certas constituit pœnas adversus hæreticos, adjecta ratione, *cum longe gravius sit, æternam, quam temporalem offendere maiestatem*, receptum deinde facile fuit, ut hæretici pœna capitis damnarentur, exemplo criminis læsæ majestatis. Si quæras, cuinam addicenda sint publicata hæretici damnati bona, scio quidem, Lucium III in dicto cap. 9, de hæret. vers. *Bonis damnatorum* in notis, bona clericorum addixisse ecclesiis, quibus clerici hæretici ministrabant. Verum generaliter, et communi jure nihil in hac parte definitum est, et unaquæque provincia suas sequitur consuetudines. Hinc alicubi fisco publico fit addictio, alicubi ecclesiæ, seu apud ordinarium, seu apud apostolicum delegatum, seu apud ipsam apostolicam sedem, alicubi fiunt bonorum divisiones tum fisco publico, tum ecclesiæ addicendorum, cap. 13, vers. *damnati* de hæreticis, cap. 19, eod. tit. in 6, extravag. 1, de hæret. int. communes.

Constitutio Friderici imperatoris modo laudata, ac relata in auth. *Gazaros* cod. de hæret. ea fuit, quæ normam judicibus, et pragmaticis universis præbuit instituendi caussas hæreticorum, ac dirimendi. Quando autem ibidem expresse cautum est, ut adversus hæreticos omnes fiat publicatio bonorum ita, ut *filii ad successiones eorum pervenire non possint*, atque id exemplo criminis læsæ majestatis, actum penitus est de veterum legum providentia, quæ olim, etiam ubi hæreticorum bona publicanda erant, legitimas successiones præsertim liberorum servaverant, l. 49, 50,

58, cod. theodos. de hæret., l. 4, 15 et 19, cod. justin. eod. tit., novel. 115, cap. 3, § 14. Ut id perspicue tradatur, distinguere oportet inter filios hæreticorum paternam hæresim sequentes et filios orthodoxos. De filiis hæreticorum damnatorum, qui paternam sequuntur hæresim nulla est dubitatio, quin non solum paterna successione priventur, verum etiam ipsi tanquam hæretici, et proprii seu personalis criminis rei plectantur. Exceptio est in infantibus, vel post hæresim paternam natis, vel in infantia constitutis, dum pater in hæresim incidit, qui deinde dum adoleverint, a patre hæretico educati fuerunt: etenim isti licet hodie parentibus non succedant in hereditate ne legitima quidem, non tamen statim tanquam hæretici damnandi sunt, si dum ad usum rationis pervenerint, pertinaces in hæresi non consistant, sed *quærant cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum veritatem invenerint*, uti de donatistarum filiis ajebant Augustinus in can. 29, caus. 24, qu. 3. Quod si filii orthodoxi sint, certum in primis est, et jamdiu receptum, eos ipso jure liberari patria potestate, ita ut nec emancipatio valeat a parentibus facta, cap. 2, § ult., de hæret. in 6, hinc si adventitia bona habuerint, ipsorum pleno jure fiunt, quin hæc publicationi subjaceant. Neque in contrarium dicas, legem Friderici filios a successione paterna exclusisse exemplo criminis læsæ majestatis, quod et tradidit Innocentius III in cap. 10, de hæret.; quemadmodum autem in crimine læsæ majestatis nihil præter vitam filiorum gratia reservatur, ita et quodcumque peculium esse ab hæreticorum filiis auferendum, argumento l. 5, cod. ad leg. jul. majest. Etenim observandum est, comparationem illam inter crimen læsæ majestatis, et crimen hæreseos non omnigenam esse, nec ita factam, ut quidquid in uno obtinet, in altero crimine obtineat, sed tantum, ut comparatione facta demonstretur, exclusionem liberorum a paterna successione exemplo legitimo non carere. Similis ratio exhibetur in l 4, cod. de hæret., ubi cum definiretur in § 4, etiam institui judicium posse contra manichæos post mortem, exemplum allatum est judicii instituendi contra reos criminis læsæ maestatis; quamquam in § 6, ejusdem legis subjiciatur, filios orthodoxos ad parentis manichæi legitimam hereditatem admitti, quamquam id non recipiatur in crimine læsæ majestatis. Profecto ad auferenda a filiis adventitia peculia opus esset expressa lege, nec sufficit argumentatio petita ab exemplo aliorum criminum, utut leviorum; leges enim pœnales coercendæ potius sunt, quam extendendæ: alias autem certum est, leges, ac pontificias constitutiones hæreticorum filios a paterna successione exclusisse, non propriis facultatibus exuisse, dicta lege Friderici, et cap. 19, de hæret. in 6. Potiore igitur jure uxores hæreticorum damnatorum dotem veluti peculium proprium libere vindicabunt, et quidquid ad ipsa ex debito pertinet in bonis mariti, cum nullum sentire debeant ex mariti crimine detrimentum, nisi tamen uxores, aut marito in hæresi consenserint, aut scientes prudentes cum hæretico illicite conjugium contraxerint, cap. 14, de hæret. in 6. Itaque si de filiis agatur orthodoxis ad bona patris hæretici adspirantibus, olim quidem vigebat, ut parentes hæretici tenerentur filiabus elargiri congruas dotes, et filiis omnibus alimenta, quos nullo modo exheredare liceret, aut orthodoxos hæreticis posthabere, l. 13, 19. et authentica sequente cod. de hæret., nov. 115, cap. 3, § 4, can. 7, caus. 1, quæst. 4. Sed a sæculo decimotertio, eove magis post legem Friderici, ita publicantur bona paterna, ut nihil liberis utut orthodoxis reservetur, cap. 10 et 13, vers. *damnati* de heret., cap. 19, eod. tit. in 6. Imo neque admittenda est distinctio, an ante paternam hæresim, an post hæresim nati filii fuerint, ob generalia constitutionum verba; item an pater in hæresim inciderit, an mater, propterea quod constitutio Friderici de hæreticis *utriusque sexus* espresse concepta sit Ad similitudinem hujus pœnæ, quæ hæreticorum filiis utut orthodoxis quodammodo indicta est, similem pœnam indixit Alexander IV in cap. 2, de hæreticis in 6, versic. *Hæretici autem*, ubi statuit, ne hæreticorum filii usque ad secundam generationem ad ullum ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum admitterentur, quam constitutionem ita explicavit Bonifacius VIII in cap. 15, ut si de paterna linea ageretur, usque ad secundum, si de materna, ad primum tantum gradum referretur. Memoravit ibidem Bonifacius constitutionem Innocentii et Alexandri suorum prædecessorum, qua in re constitutio Alexandri adparet in dicto cap. 2, at constitutio Innocentii alia esse nequit, quam quæ laudatur apud Gregorium IX in cap. 10, de hæret., ubi generaliter traditur, non repugnare, filios ob crimen paternum quandoque puniri. Non tamen ego censerem, dejiciendos a gradu ecclesiastico jam adepto filios hæreticorum orthodoxos ob paternum maternumve crimen, quousque expresse in jure cautum id non demonstretur, cum aliud sit aliquem ad beneficia non admitti, aliud, et quidem acerbius, aliquem jam rite admissum suo jure sine propria culpa spoliari, atque ob hanc rem, ubi expressa pœnalis constitutio deest, non licet ab una ad alteram speciem argumentari. Adde his, quod quis non admittatur ad beneficia, irregularitatem dici, quæ non semper pœna est, sed quandoque simplex impedimentum; quod vero quis ab adepto beneficio deturbetur rite suscepto, nonnisi pœnæ, et quidem gravissimæ speciem præseferre. Nemo sane adversus lau-

datas constitutiones Alexandri IV et Bonifacii VIII objiciat generalem juris Romani disciplinam, qua definitur, crimen[1], vel pœnam paternam nullam maculam filio infligere, can. 6, caus. 1, qu. 4, seu l. 26, ff. de pœnis. Continet illa regulam generalem, adversus quam in gravissimis quibusdam criminibus singularis exceptio non improbatur. Nemo item opponat canones 1, 2 et 10, caus. 1, quæst. 4, nam Augustinus, cujus hæc monumenta sunt, in dicto can. 1 et 2, tantum demonstrare volebat in epistola ad Vincentium, non esse redarguendos illos, qui communicarent cum reo, cujus crimen ignorabant, quod sane longe est a proposita quæstione; et in can. 10, tantum improbavit factum cujusdam africani episcopi, qui ob paternum crimen filios excommunicaverat. Plane excommunicatio utpote pœna spiritualis, qua quis ab ecclesia, seu a mystico Christi corpore separatur, ob paterna crimina infligi nequit, neque ab hac pœnæ specie ad irregularitatem argumentandum est. Nemo denique opponat canones 3 et 4, caus. 1, qu. 4. In primis enim nullibi invenitur in africanis conciliis, quod ibidem legitur, idest, paternam hæresim impedimento non esse liberis, ne ad sacros ordines promoveantur. Tantum ex codice ecclesiæ africanæ can. 47, constat, dubitavisse africanos antistites de filiis orthodoxis donatistarum, an essent in clericum recipiendi, et de ea re interrogasse Siricium et Simplicianum, quin liqueat, quid inde definitum fuerit aut receptum. Ceterum scimus, in Africa cum donatistis clementissime actum esse, ut lenius ad unitatem adducerentur, adeo ut hæreticis ipsis clericis aliquando permissum fuerit, in proprio gradu ministrare, cum reverterentur, cap. 1, de parochis; quæ sane fuit indulgentia singularis, quæ trahi in exemplum minime potest.

Memoratæ adversus hæreticos constitutæ pœnæ executionem paratam inveniunt, si rei hæreseos sint in crimine pervicaces. Ceterum si resipiscant, favore christianæ fidei singulari jure receptum fuit, ut pœnitentibus ignoscatur. Siquidem pro pœnitentibus, et ad ecclesiam demisso animo reversis jamdiu apud principes intercedere consuevit ecclesia, uti liquet ex epistola Joannis II papæ, quæ extat in fine codicis de Summa Trinitate. Ipsi etiam religiosi principes testati sunt, se pœnitentibus indulgere, ac remittere pœnas in hoc crimine, quamquam generaliter verum sit, sola pœnitentia neminem desinere esse nocentem. Hinc Arcadius et Honorius de filiis hæreticorum etiam manichæorum decreverunt anno 407, ut venia pœnitentibus concederetur, l. 4, § 6, cod. de hæret., et paucos post menses eodem anno 407 idipsum indulserunt hæreticis ipsis parentibus, utut sera esset illorum pœnitentia, l. 41, cod. Theod. eod. tit. Materna in hac re etiam patere debuit erga pœnitentes hæreticos ecclesiæ clementia, qua sane in ecclesiasticis judiciis leniter excipiuntur, adeo ut si sponte, et ante cœptum judicium hæretici pœnitentia ducti revertantur, illis salutarem tantum, et qualitati admissi respondentem indicat satisfactionem, imo etiamsi judicium sit cœptum, adhuc extra ordinem moderetur pœnas, ac minuat, quousque nondum est promulgata sententia, et quidem prudentis viri arbitrio juxta singulares pœnitentis adfectiones, cap. 9, de hæret., cap. 12 et 15, eod. tit. in 6. Quoniam vero singularis ista clementia est, qua neminem abuti decet, eo non fuit protrahenda, ut iterum, forte etiam atrocius delinquendi occasio præberetur. Hinc est, ut hæreticis non patrocinetur ecclesia, si post hæresis ejurationem, vel ad eandem, vel ad aliam hæresim sese vertant, cap. 9, vers. *illos quoque* de hæret., cap. 8 et 11, eod. tit. in 6. Si enim iterum resipiscere se profiteantur, eatenus audiuntur, quatenus necessariis spiritualibus ad æternam vitam consequendam subsidiis non destituantur, idest absolvantur pœna anathematis, sacramentis pœnitentiæ et eucharistiæ donentur, si pœnitentiæ evidentia signa præbuerint, cap. 4, eod. tit. in 6. Ceterum aliis ordinariis juris pœnis subjacebunt.

Quum hæreticus pœnitentia ductus absolvi se postulat ecclesiastica auctoritate, tenetur hæresim abjurare, can. 20 et 21, caus. 1, quæst. 7, cap. 9, de hæret., cap. 10, de purgat. canonica, videlicet jurejurando profiteri, se nunquam ab ecclesia, ecclesiæque doctrina in posterum recessurum: id enim significat hæresim abjurare, quemadmodum dicitur abjurare ecclesiam, qui spondet, se a possessione ecclesiæ recessurum, in cap. 3 et 4, de restitut. spoliat., eodemque sensu abjurare beneficium in cap. 5, de renunciat. abjurare jura in cap. 6, de institut. abjurare uxorem in cap. 2, qui cler. vel vovent. abjurare adulteram in cap. 5, de eo, qui dux. in matrimon. et in cap. 6, de adulter. et abjurare provinciam in cap. 3, de crimine falsi. Et quidem abjuratio hæresis in scriptis fieri debet, can. 4, vers. *Constitutio*, et can. 8, caus. 1, qu. 7, et publice, si de hæresi publica agatur, quod aliquando in concilio fieri consuevit, can. 22, caus. 1, qu. 7, aliquando libello coram pontifice maximo edito, can. 19 et 20, ead. caussa et quæst. sed juxta recentiorem disciplinam hæc forma judicis arbitrio relinquitur, ut singula personarum, caussarumque adjuncta pensentur. Duas habet abjuratio partes, quarum prior continere debet ejurationem hæreseos illius, in quam pœnitens incidit, imo maxime convenit adjici ejurationem ceterarum hæreseon, ut abjurans magis magisque in officio contineatur; propterea quod si ceteras hæreses una cum ea, in quam incidit, ejuraverit, puniendus esset pœna rela-

psorum, quoties in aliquam ex ejuratis hæresibus, utut non eandem, in quam lapsus olim fuerat, incidisset Altera pars continere debet catholicæ fidei expressam professionem; neque enim sufficit catholico viro non adhærere hæreticis, si catholicam fidem non amplectatur, can. 112, caus. 1, qu. 1, can. 20 et 21, caus. 1, qu. 7, can. 42, de consecrat. dist. 2.

Adeo atrox et immane natura sui, adeo impietatis et injuriæ plenum adversus Deum, adeo perniciosum in christianam rempublicam hæreseos flagitium est, ut non tantum pœnis coercendi visi fuerint illi, qui proprie hæretici existerent, verum etiam illi, qui vel hæreticis faverent, vel suspecti de hæresi viderentur; quamquam enim isti si hæreticorum sententiis non adhæreant, hæretici proprie dici non possint, interea tamen gravissime delinquunt. quod et hæreses, et hæreticos declinare debeant. Non in individuo consistit favor in hæreticos exhibitus, aut suspicio hæreseos; modo enim potest esse in aliquo major, modo minor, modo impensior, modo lenior hæreticorum tutela, seu patrocinium, aut hæreseos suspicio. Quamobrem in pœnis designandis certa nequit præstitui regula, sed debent illæ ex arbitrio judicis modum accipere. Sane, quoties liquet aliquem hæreticis favere, idest illos tueri patrocinio, juvere facultatibus, recipere hospitio, occultare domi, is sane, si clericus sit, interea ab omni officio et beneficio ecclesiastico cadit, si laicus sit, excommunicationem incurrit, ita ut et ceteris etiam hæreticorum pœnis damnetur, si intra annum ecclesiæ non satisfaciat, cap. 8 et 13, vers. *credentes* de hæreticis. Revera qui hæreticos fovet aut recipit, incipit esse de hæresi graviter suspectus, proindeque gravibus etiam pænis terreri potest, ut animum ab illis avertat. At si per annum in suscepto consilio contumax perseveret, augetur suspicio, et prope demonstrata est hæresis etiam in eodem, quo fiat, ut velut hæreticus et ipse damnetur. Hæc ipsa ratio est, quare siquis in hæresim inciderit, deinde eandem hæresim abjuraverit, iterum autem hæreticis favere pergat, puniatur pœna relapsosum, cap. 8, vers. *ille quoque* de hæretic. in 6 Etenim subsequens animus favendi hæreticis injunctus cum præcedente hæresi utut abjurata, in caussa est, ut præsumatur simulata abjuratio, et pervicacia in hæresi pene demonstretur. Ut hæreticis patrocinium omne denegaretur, jam caverant olim imperatores, ut defensore destituerentur, l. 5, cod. de hæret. Eam ob rem Innocentius III advocatis et scriniariis inhibuit, ne in caussis hæreticorum patrocinium aut operam præberent, cap. 11, de hæret. imposita infamiæ et depositionis ab officio pœna, quam sane evasuros interpretes ajunt; si aut ignoraverint hæreticum illum esse, cui patrocinantur, aut quo casu contra absentem hæreticum proceditur, velint tantum allegare quasdam justas absentiæ caussas ad suspendendum judicium, vel intercedendum pro eo, qui paratus sit ad abjurandum: quibus tamen in speciebus tutius consilium iidem pragmatici proponunt advocatis, quo postulent abs judice, ut ex officio deputentur, ac vocentur ad allegandas, quæ reo competere possent, exceptiones; tunc enim futurum scripserunt, ut pœnas omnes evadant. Si de iis agatur, qui non quidem hæreticis favent, sed alia de caussa suspecti sunt de hæresi, etiamsi gravis suspicio sit, pœnis hæreticorum non subjiciuntur. Verum quousque judicis animus in dubio versetur, accusatus vel inquisitus erit ad purgationem criminis admittendus adeo ut si canonice purgetur, pœnas omnes evadat. Quod si judici videatur gravissima esse hæreseos suspicio, nec reus satis purgatus adpareat, reus idem pro conjecturarum qualitate arbitrio judicis extra ordinem pœna, pœnitentiave plectetur; cap. 9, vers. *qui vero* de hæret., cap. 8, eod. tit. in 6, [cap. 14, de præsumtion. quoquo enim modo et ipse sub hæretici nomine continetur, l. 2, § 1, cod. de hæret. adeo ut si gravissimæ sint suspicionis caussæ, possit et pœna excommunicationis puniri, aliis deinde puniendus hæreticorum pœnis, si per annum pervicax in excommunicatione perstiterit, et ecclesiæ non satisfecerit, cap. 13, vers. *qui autem* de hæret., cap. 7, eod. tit. in 6, dicto. cap. 14, de præsumtion., uti enim superius observabam contemtus ecclesiæ apud contumacem una cum præcedentibus suspicionis argumentis pene demonstrat animum hæretici hominis, sive hæreticis adhærentis. Interea vero qui suspectus habetur, sive dum purgationem canonicam subiit, sive dum extra ordinem corrigi debuit, ad evadendam hæretici notam ad hæresim abjurandam obligatur, cap. 10, de purgat. canon. in fine; et si post abjurationem in hæresim lapsus fuisse deprehendatur, relapsorum pœna puniendus erit, dummodo non levis, sed gravis fuerit suspicio, ob quam ad abjurationem devenerat, cap. 8, in princip. de hæret. in 6. Non tamen pro suspecto de hæresi statim habendus erit, qui semel, et casu quodam, aut curiositate, sine animo hæreticis adhærendi, hæreticorum prædicationem audiverit, aut in eorum se conventum immiserit, nisi aliæ concurrant suspitionis caussæ, argumento canonis 111, cau. 1, qu. 1, et capituli 3, de præsumtion., quemadmodum nec statim pro suspecto habendus erit, qui exercendæ doctrinæ gratia cum hæreticis disputationem iniverit, quamquam et iste, si alias facultatem disputandi non habeat, non sine pœna esse debeat, l. 8, 5, ultimo vers. *Eos vero* cod. de hæreticis.

Non solum purganda respublica est flagitiosis hæreticis hominibus, verum etiam pros-

piciendum ita catholicis est, ne in discrimen fidei aliquando adducantur Pertinent ad hanc rem saluberrimæ illæ leges, quibus cautum est, ne passim et generaliter unicuique liceat de fide disputare. Jam veteres imperatores christiani cum nossent turbas passim ab hæreticis agitari, palam et publice conquirentibus argumenta, quibus hæreses suas probabiles edocerent, sub gravissimis pœnis vetuerunt generaliter, ne in publicis conventibus et fides et populus turbaretur, l. 1, 3 et 5, cod. theod. de his, qui super religione contendunt. Specialiter Theodosius Magnus anno 388, in l. 2, cod. theod. eod. tit. ita caverat: *Nulli egresso ad publicum, vel disceptandi de religione, vel tractandi, vel consilii aliquid deferendi patescat occasio, et siquis posthac ausu gravi, atque damnabili contra hujusmodi legem veniendum esse crediderit, vel insistere motu pestiferæ perseverationis audebit, competenti pœna, et digno supplicio coerceatur.* Idipsum statuit Marcianus imperator anno 459, in l. 4, cod. justin. de sum Trinit. et fide cath. utraque autem lex, uti liquet in earum conspectu, ad publicas pertinet disputationes partium studio ineundas; neque enim intererat sine publica auctoritate iterum disceptando agitare, quæ in conciliis auctoritate antistitum, ad quos ea jurisdictio spectabat, definita fuissent. Revera admissis publicis disputationibus, primum gravis illata fuisset injuria in ecclesiam, quæ olim certa dogmata fidei certo præstituerat in Conciliis. Deinde via latissima strata fuisset artibus calumniantium hæreticorum ad illaqueandos infirmiores, quorum etiam plures facile in sectam suam versutis fallaciis abduxissent. Quamobrem etiamsi legibus publicis necdum cautum fuisset, nequis privatim cum hæreticis disputaret, semper tamen propositum fuit saluberrimum consilium unicuique minus erudito in rebus fidei, ut ab his disputationibus abstineret, ac generaliter id laicis interdici consuevit, utpote qui divinarum literarum studiis non eam navabant operam, qualem clerici impendebant. Quamquam enim, uti observat Garnerius in præfatione in omnia opera Marii Mercatoris, aliquando contigerit non sine singulari providentia Dei, qui humilia mundi eligit, ut fortia quæque confundat, ut hæresibus laici homines primi opponerentur, Constantius ex Vicano Romæ habitans pelagianos contuderit, Eusebius rethor, vel, uti alii volunt, judex forensis nestorianam hæresim confecerit, Hilarius et Prosper ambo laici adversus massilienses seu semipelagianos invicti pugnaverint, imo et palmam retulerint; sancti tamen viri regulariter laicos, utpote minus eruditos in doctrina sacrorum, a disputationibus adversus hæreticos ineundis remotos voluerunt. Quare Isidorus hispalensis ad Claudium Ducem scribens, ajebat: *Sed quod subjecisti, habere te hæreticos, cum quibus assidue disputas, et quos ad fidem catholicam suades revocare, laudamus zelum, sed audaciam reprehendimus. Dicit namque Scriptura divina, qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Cave igitur, dilectissime fili, ut quia Deus triumphabilibus trophæis armorum strenuitate prostratis inimicis te fecit victoriosum, hæreticis suasionibus ignominiose ne victus succumbas; te enim laborante eos ab errore mortis eruere ipsi invigilant, te in præcipitium erroris demergere, a quorum confabulatione, et solatio quemlibet christicolam tanquam a lethifero veneno sub obtestatione divini judicii præcipimus abstinere, nisi fuerit in divinis præceptis experientia operum probatus, et sacris eruditus scripturis.* Hinc sane laudanda est Alexandri IV, prudentia, dum sub pœna excommunicationis laicis generaliter interdixit, ne aut publice, aut privatim contra hæreticos disputarent, c. 2, vers. *inhibemus* de hæret. in 6. Id postulabat præterea rectus ordo, cum sint in ecclesia præstituti sacrorum doctores, quibus id muneris reservatur ad utilitatem reipublicæ christianæ. Quod si laicis facultas prædicandi denegatur, non erit sane illis concedenda potestas suis disputationibus curandi, ut hæretici convertantur, ne nimius iste fidei zelus tristem aliquando exitum sortiatur, c. 12 et 14. de hæreticis. Torquentur nonnulli in interpretatione laudatæ constitutionis Alexandri IV scribentes, se non percipere, qua ratione laicus in sacris rebus edoctus ab hujus generis disputationibus arceatur, e contrario clericus quilibet etiam minus eruditus sit admittendus: nec defuerunt glossographi, qui putarunt, mentem potius sequendam esse Alexandri, quam verba, quasi statuerit Alexander, indoctos tantum viros excludi, non doctos, sive laici sint, sive clerici et laicorum nomen usurpaverit pro indoctis quibuscumque. Ego sane non video, cur a germana et propria vocabulorum significatione sit recedendum. Etenim in primis pœna excommunicationis, quæ ibidem indicitur, proprie laicorum dumtaxat pœna est, quando scimus, clericos iis in casibus, quibus laici excommunicantur, a gradu suo dejici, et tum demum excommunicari, cum post dejectionem a gradu, sint in crimine pervicaces, nisi de atrocissimo flagitio sermo sit, in quo reipublicæ intersit, statim clericum omnino et a clericorum, et ab universorum fidelium cœtu eliminari. Deinde observo, in conspectu illius canonis, non illud absurdum sequi, ut indiscriminatim clerici etiam minus eruditi ad disputandum cum hæreticis admittantur. Tantum Alexander disputationem laicis interdixit sub pœna excommunicationis, non generaliter eam clericis universis indulsit. Quod si clerici noverint se hac constitutione non comprehendi, quoties tamen minus eruditi sint, generalibus præ-

ceptionibus prohibitos se perpendent, ac si nihilominus disputare ausi fuerint, non deerit antistitum censura, imprudentiam et redarguentium, et damnantium. Denique si aliquando laici docti sint, qui valeant acriter, et forte vividius, quam clericus in diœcesi existens, de fide disputare, non deerit tunc episcoporum prudentia, qui hanc facultatem illi laico faciant, ubi necessitas, aut utilitas ecclesiæ id postulet. Interea ut lex æquissima existat, satis est, ut iis, quæ frequentius emergunt, consulat, neque enim casus omnes singulares legibus comprehenduntur, sed leges iis, quæ frequentius accidunt, accommodantur. Frequentius autem est, aut esse debet, quemadmodum præsumere poterat Alexander, in rebus fidei clericos doctores esse, quam laicos. Nemo autem in hanc rem opponat canonem 36, in fine caus. 24, quæst. 3, ubi sub nomine Gelasii papæ in commonitorio ad Faustum scribentis ita legitur: *canonum magistris, atque custodibus nobis nullum fas est inire certamen cum hominibus communionis alienæ.* Num forte quisquam deducet exinde, non licuisse pontificibus canonum præceptoribus adversus hæreticos disputare? Omitto, non deesse viros eruditos, qui commonitorium ad Faustum a Gelasio abjudicent. Concedatur illud esse Gelasii. Primum observanda erunt ipsa Gelasii verba a Gratiano paullisper depravata; deinde eruetur germana Gelasii sententia. Instruebat Gelasius Faustum, Theodorici gothorum regis legatum Constantinopolim profectum ad Anastasium imperatorem, qua ratione impetrare debuisset Faustus, ut damnarentur Acacius et Euphemius Acacii successor, qui constantinopolitanam episcopalem sedem romanæ præferendam contendebant. De his ita scribebat Gelasius. *Sed religiosi viri, atque perfecti* (sic græcos schimaticos ironice nominabat) *secundum canones concessam sedi apostolicæ potestatem nimirum conantur eripere, et sibimet eam contra canones usurpare contendunt. O canonum magistros, atque custodes! Nobis nullum fas est inire certamen cum hominibus communionis alienæ, etc.* Itaque Gelasius postquam demonstravit, prærogativam apostolicæ sedis jam sacris canonibus agnitam fuisse, redarguit græcos, quod a definitionibus ecclesiæ recessissent; ac propterea subdit, nolle se certamen novum inire cum hominibus alienæ communionis, qui scilicet ecclesiasticas definitiones minime attenderent. Erant græci jamdiu disputationibus confecti, et de illis nulla omnino spes supererat, futurum, ut novis susceptis disputationibus ad unitatem reducerentur. Cum hoc hominum genere inanis disceptatio fuisset, si non etiam perniciosa. Mihi etiam videtur latere in hac parte commonitorii mira quædam Gelasii prudentia. Euphemius Acacii successor, ut Gelasium infensum faceret imperatori Anastasio, passim tradebat in urbe constantinopolitana, Gelasium eundem ab imperatoris juribus alienum esse, romanæque urbis senatum ad proclamandum in libertatem, et excutiendum imperiale jugum suasionibus crebris impellere. Ut hanc calumniam a se Gelasius averteret, insinuavit Fausto, se certamen inire nolle cum hominibus communionis alienæ, idest de hæresi damnatis, ita enim professus, tacite fatebatur, se adhærere imperatoriis constitutionibus pridem latis de non disputando de dogmatibus semel definitis, quemadmodum Theodosius Magnus, et Marcianus caverant, dicta, l. 2, cod. Theod. de his qui sup. relig. contend. et dicta, l. 4, cod Justin. de Summ. Trinit. et fide cathol. quod idem est ac fateri, se colere imperatores constantinopolitanos, eorundemque judiciis morem gerere.

Præterea ad præcavendum hæreseos periculum, cautum fuit ecclesiasticis constitutionibus, ut fideles certis in temporum, et caussarum adjunctis actum fidei elicere tenerentur. Non hic loquor de actu fidei interno, cujus necessitatem theologi explicant, vel cum quis rationis lumine expleta infantia illustratur, vel cum adversus fidei dogmata cogitationes irrepunt, aliæve similes caussæ emergunt. De externa professione fidei sermonem instituo, cujus obligatio, aut jure communi, aut concilio trid., aut singularibus constitutionibus, vel diœceseon statutis inducitur, aut firmatur. Jure communi elicere externam fidei professionem in primis tenentur universi, qui ad sacramentum baptismatis suscipiendum accedunt, can. 55, 56, 58, 59 et 64 de consecrat. dist. 4, adeo ut etiamsi de parvulis agatur, per alios, qui præsentes sint, professio fieri debeat. Secundo tenentur quicumque in majoribus ecclesiæ ordinibus, seu dignitatibus instituuntur, juxta antiquissimam romani ordinis disciplinam, can. 8, dist. 16. Ex concilio tridentino ad externam professionem fidei obligatur quicumque beneficium curam animarum adnexam habens obtinuit, et quidem intra duos menses a die adeptæ possessionis coram episcopo, eove impedito, coram vicario generali, seu officiali; item quicumque obtinuit canonicatum, vel dignitatem in ecclesia cathedrali, non solum coram episcopo, aut ejus vicario generali, sed etiam in capitulo sub pœna amissionis fructuum beneficii, quin ullo possessionis jure juvetur, sess. 24, de reform. c. 12. Cautum præterea fuit in eodem Tridentino concilio, ut dum synodi celebrarentur, etiam publica fieret fidei professio, sess. de reform. cap. 2. Denique singularibus constitutionibus præceptum est, ut externam fidei professionem eliciat, quicumque traditurus est liberales artes, majoresve disciplinas, item quicumque ad prolytarum, doctorumve gradus promovetur, cujus professionis formulam edidit Pius IV,

anno 1564, idibus novembris. Omitto varios diœceseon mores, ac statuta, juxta quæ alii plures professionem fidei edere teneatur, veluti sacri oratores, confessarii, et alii ecclesiasticis hujusmodi officiis addicti, vel addicendi.

Singularia nonnulla sunt in caussis hæreticorum statuta, ac recepta. In primis vix opus est adnotare, hæresim inter publica crimina recenseri, contra quam popularis est accusatio, et actio, leg. 4, § 1, cod. de hæret. quæ lex quamquam dicta fuerit adversus Manichæos et Donatistas, contra quos tum primum pœna publicationis bonorum constituta est, postquam tamen recentioribus sæculis etiam publicatio bonorum fieri cœpit adversus hæreticos omnes, et ad hæreticos omnes facile popularis actio commeavit. Imo non solum datur unicuique accusandi facultas, sed et inest denunciandi obligatio sub pœna excommunicationis, juxta constitutionem *Noverit* 10. Innocentii IV. Singulare illud est, ut adversus hæreticum etiam hæreticus ad accusandum admittatur, eademque ratione ad testimonium ferendum, can. 26, caus 2, qu. 7, nisi alias constet, odio quodam, aut invidia fuisse ad accusationem temere inductum. Præterea etiam adversus absentes judicium institui potest, c. 7 et 12, de hæret. in 6. Item cum crimini læsæ majestatis in pluribus æquiparetur hæresis, imo et longe gravior sit, utpote quæ non contra humanam, sed contra divinam majestatem directo efferatur, leg. 4, § 4, cod. de hæret. cap. 10, eod. tit. definitum est, ut pœnæ ipso jure, non demum ex sententia judicis locum habeant, et sententia declarandi potius, quam puniendi vim exerat, cap. 19, de hæret. in 6. Singulare quoque est, exemtos ab episcoporum jurisdictione ab episcopis ipsis in caussa hæreseos posse damnari, sive quod privilegio suo ceciderint, sive quod ordinariæ episcoporum jurisdictioni delegata jurisdictio ex mandato apostolicæ sedis aderescat, cap. 9 in fine de hæret. nisi agatur de nunciis, vel officialibus apostolicæ sedis, extravag. 3, de hæret. in comm. qui si tanquam hæretici deprehendantur, munus erit ordinariorum de eo pontificem maximum reddere certiorem, ejusdem expectata sententia. Adjicio his, singularem videri hujus judicii formam, sive quod judex simpliciter, et non servata ordinaria judiciorum figura procedere possit, quin testium nomina opus sit publicari, quoties testes in aliquod discrimen adducerentur, c. ult. de hæreticis in 6, dummodo in recipiendis testimoniis duo saltem religiosi et probi viri interveniant, cap. 11, vers. *verum* de hæret. in 6, sive quod ii etiam testes adversus hæreticos admittantur, qui antea hæreticos celavissent, utut jurejurando interveniente, dummodo non odii aliave simili caussa ad prodendos hæreticos accessisse perhibeantur, cap 8, versic. *licet*, cod. tit. in 6, sive quod plures judices vel junctis, vel divisis studiis possint in eadem caussa procedere, dummodo ante condemnationem acta communicent invicem, et una sententiam proferant si in eadem provincia degant; qua in specie ad summum pontificem devolvetur caussa, si in diversas partes distrahantur, cap. 7, de hæret. in 6. Clement. 1, eod tit. quamquam si non in eadem provincia degant, prævaleat sententia ejus, qui prævenit, argumento l. 8, ff. judiciis, et l. 19, ff. de jurisdictione; sive quod tabularii munere fungi possit etiam sacerdotio initiatus, dummodo alias idoneus habeatur, dicto cap. 11, vers. *verum* de hæret. in 6, sive quod judices etiam pronunciata sententia valeant eam immutare, pensatis rerum, et personarum adjunctis, ac moderari, cap. 12, vers. *nec non* de hæret. in 6, sive denique, quod post definitivam sententiam regulariter denegetur damnatis appellandi facultas, cap. 18, de hæret. in 6. Dixi a definitiva sententia; etenim ab interlocutoria non denegatur, quod tunc nondum pro hæreticis habeantur, imo et aliquando non erit appellationis remedium a definitiva denegandum, quoties nimirum reus alleget, judicem aut odio pronunciavisse sententiam, aut alias fuisse corruptum, argumento, l. 27, § 2, l. 31 et 32, § 14, ff. de arbitris. Duo vero præcipua sunt argumenta, ex quibus adparet, singulare jus recipi in caussis hæreticorum, primum in persona hæretici damnanda, alterum in persona judicis competentis.

Itaque in primis singulare illud est, ut adversus hæreticos, non viventes tantum, sed et vita functos et institui, et absolvi judicium possit, nec morte hæretici crimen aboleatur. Duas habet partes hæc observatio. Prima sita est in ea disputatione, an hæreticus vita functus damnari valeat, altera in ea disputatione, an non obstante quocumque temporis lapsu et accusatio institui, et judicium absolvi adversus hæreticos possit. Jam olim adversus Manichæos statutum scimus, in l. 4, § 4, cod. de hæret., ut etiamsi obiissent, accusari damnarique valerent, ex eo quod adversus illos graviores, quam contra ceteros hæreticos pœnæ ab imperatoribus indictæ fuerant. Cur non similis jurisprudentia recipi deinde potuit in hæreticis universis, præsertim postquam adversus omnes, et quoscumque hæreticos pœna capitalis est præstituta? Ecclesiastici canones in quibus caussis de anathemate quæstio erat, quæstionem ipsam, sive ageretur de illatione anathematis, sive de absolutione ab anathemate, etiam post mortem accusati, dirimi instituto judicio comprobaverunt. De absolutione exemplum est in can. 13, dist. 50, ubi initio refertur, Joannem Chrysostomum a Theophilo Alexandrino in concilio apud Quercum inique damnatum,

deinde etiam post mortem fuisse Romæ ab Innocentio pontifice Maximo absolutum, nomine illius in dypticis ecclesiæ constantinopolitanæ descripto, ac si numquam a suo gradu, et ecclesiæ communione sanctus vir decidisset. Fere similis caussa fuit Flaviani constantinopolitani episcopi olim damnati opera Eutichianorum, deinde post mortem restituti. De condemnatione sufficit respicere ad acta concilii constantinopolitani II, seu V generalis, in quo versata fuit famigerata caussa trium capitolorum, quorum unum erat, an post mortem damnari posset Theodorus Mopsuestenus, utut in pace ecclesiæ obiisset. Ibidem autem, et statutum fuit, rite recteque damnari posse, et id ex perenni traditione ecclesiæ comprobatum, uti liquet ex canone 6, caus. 24, quæst. 2. Revera, uti ajebant iidem patres constantinopolitani, in can. 9, caus. 24, quæst. 3, anathemizatio post mortem pronunciata nihil aliud est, quam declaratio, ex qua liqueat, quemquam fuisse a Deo damnatum; eodem propterea jure id fieri ab ecclesia potest, quo ecclesia ipsa declarare consuevit, defunctum aliquem justum in beatorum societatem fuisse admissum. Eadem disciplina confirmata fuit recentioribus sæculis ab Innocentio III, in cap. 28, de sentent. excomm. Interea vero cum adversus hæreticos præter anathematis pœnam recepta fuerit altera pœna publicationis bonorum, factum est, ut exemplo pœnæ anathematis, etiam judicium institueretur post mortem de publicatione bonorum, cap. 8, vers. *in eo* de hæret., in 6. Num autem hæc accusatio post mortem in perpetuum concedatur, adversus quam nulla temporis exceptio utut longissimi proponi valeat, a nostris disputari solet. Sunt qui putant, illam accusandi facultatem quinquennio præscribi, l. 2, de apostatis: alii tantum ad quadraginta annos accusandi prorogant facultatem ex, c. 2, in fine de præscript., in 6. Mihi distinguendum videtur, an agatur ad pœnam anathematis infligendam adversus defunctum ne ejus nomen in ecclesia recitetur, neve pro eo fiant orationes; an vero ad defuncti hereditatem vel fisco, vel ecclesiis juxta varios provinciarum mores addicendam. Quoties judicium instituatur ad pœnam anathematis infligendam puto, actionem nullò unquam tempore circumscribi; id enim in primis postulat natura juris ecclesiasticæ communionis, quæ defunctis in hæresi divino jam irrevocabili judicio damnatis aquiri per tempora utut longissima nequit; deinde idipsum confirmavit constans disciplina ecclesiæ, quæ in excludendis a christiana communione vita functis hæreticis nullam unquam temporis rationem servandam esse duxit, can. 6, caus. 24, qu. 2, edito ad damnationem Theodori Mopsuesteni jam ante sæculum vita functi. At si judicium in tituatur ad pœnam publicationis bonorum, in qua non tam defuncti, quam possessorum caussa versatur, non est, cur præscriptioni non fiat locus, ita ut adversus fiscum publicum possessoribus ordinaria juxta leges romanas prodesse exceptio valeat, l. 1, § 3, ff. de jure fisci cum similibus, et adversus ecclesiam etiam romanam, quæ in hac parte nullo utitur singulari privilegio quadraginta annorum præscriptio, dicto, cap. 2, in fine præscription., in 6. Quid vero est, quod opponitur ex dicta, l. 2. cod. de apostatis, ubi definitur, intra quinquennium agi oportere? De apostatis concepta lex est, non de hæreticis, quorum alias ratio habebatur: ut enim superius adnotatum est, generaliter serius pœna publicationis bonorum adversus hæreticos recepta fuit. Itaque observandum est, olim Constantinum imperatorem, anno 357, prohibuisse christiano, ne judæus efficeretur, secus autem facultates ejus dominio fisci vindicarentur, leg. 7, cod. theodos. de judæis, seu leg. 1, cod. justin. de apostat. Verum facile est conjicere, hanc constitutionem non diu viguisse, cum Constantino successerit Julianus, qui a Christi baptismate defecit ad idololatriam, et superstitiones gentium acriter etiam christianos insecutus, unde Julianum passim historici apostatam nominant. Post Juliani obitum opus exinde fuit novis legibus, ut apostatæ punirentur, præsertim quod non multo postea Valentinianus, Valens et Gratianus, anno 371, unicuique liberam fecissent facultatem colendi factam seu religionem, quæ placuisset, lib. 9, cod. theodos. de maleficis. Igitur primus Theodosius magnus, anno 381, in l. 1, cod. theodos. de apostatis ita cavit: *His, qui ex christianis pagani facti sunt, eripiatur facultas, jusque testandi. Omne defuncti si quod est testamentum, sublata conditione rescindatur.* Idem autem imperator, anno 383, amplius progressus est, in l. 2, cod. theodos. eod. tit., ubi distinxit inter baptizatos, et catechumenos, quorum magna tunc temporis erat multitudo, sanciens, ut si de baptizatis ageretur, qui ad paganos ritus migrarent, illi omnino testamenti factione carerent in quamcumque personam, et essent *absque jure romano;* at si ageretur de catechumenis, tantum testari possent gratia filiorum, aut fratrum germanorum. Hæc Theodosius in Oriente, qui visus fuit immutavisse præcendentem legem idest dictam legem 1, cod. theodos. de apostatis; cum enim in illa dumtaxat caveretur ut testamentum *rescinderetur*, quod tantum juxta jus romanum fieri poterat proposita inofficiosi querela, in altera deinde subsequente lege, anni 383, voluit, testamentum omnino irritum esse. Porro eodem anno, et post unum diem a constitutione posteriore

edita a Theodosio, Valentinianus junior in Occidente, qui sane necdum conscius esse poterat posterioris theodosianæ constitutionis utpote pridie editæ, sanxit, in l. 3, cod. theodos. eod. tit., ut in primis eadem ratio haberetur christianorum seu apud paganos, seu apud judæos, seu apud manichæos deficientium; deinde, *ut siqui defunctum violatæ, atque desertæ christianæ religionis accusat: eumque in sacrilegia templorum, vel in ritus judaicos, vel ad manichæorum dedecus transisse contendit, eaque gratia testari minime potuisse confirmat, intra quinquennium juge, quod inofficiosis actionibus constitutum est, proprias exerat actiones, futurique judicii hujuscemodi sortitur exordium, ut eodem in luce durante, cujus prævaricatio criminanda est, flagitii hujus, et sceleris particeps fuisse doceatur publica sub testificatione testatus, probet indicium, neque quam superno nomini tacitus præstitit perfidiam, sceleribus adquiescens: prævaricatione deinceps, tanquam ignarus accuset.* Hæc sunt ipsa Valentiniani verba, quæ depravata descripsit Tribonianus, in dicta, l. 2, cod. justinian. de apostatis; ex quibus manifeste constat, in Occidente tunc necdum irrita declarata fuisse testamenta apostatarum, sed tantum rescindi proposita inofficiosi querela potuisse, secus ac vigeret in Oriente ex constitutione Theodosii eodem anno, et pridie edita. Verum non multo post et idem Valentinianus II, anno 391, expresse in Occidente sanxit, ut quicumque apostatæ nullam testamenti factionem haberent, l. 4, cod. theod. de apostat., l. 3, cod. justin. eod., ex quo tempore actum est de meta quinquennii ad posponendam inofficiosi querelam. Arcadius in Oriente, anno 396, addidit, apostatis decedentibus patrem, matrem, fratrem, sororem, filium, filiam, nepotem, ac neptem ab intestato succedere, lib. 6, eod. Theod., eod. tit., et Valentinianus III, in Occidente, anno 426, postquam confirmavit veterem constitutionem, qua apostatis ademta fuit testandi facultas, statuit, ut nullis temporibus apostatarum, et apostasiæ accusatio concluderetur, et apostatis decedentibus fieret locus legitimis proquinquorum successionibus, l. 7, cod. theodos. de apostatis, l. 4, cod. justin. eod. Itaque his observatis juxta temporum ordinem, concludendum est, leges istas universas non ad hæreticos spectare, sed ad apostatas, quorum odio graviores præstituebantur pœnæ, præsertim vero statutum denique fuit, ut testamenti factione carerent, nisi quo tempore, aut quibus in locis viguit laudata lex 2, cod. justin. de apostatis. Ceterum recentioribus temporibus non solum hæc facta communia sunt hæreticis universis, ut scilicet testamenti factione careant, verum etiam, ut nec legitimis eorum successionibus locus fiat; eamque ob rem quod de quinquennii spatio in dicta, l. 2, cautum est, jamdiu abrogatum fuisse tam respectu apostatarum, quam respectu hæreticorum deprehenditur. Igitur nova emersit adversus hæreticos disciplina juris post indictam adversus eos pœnam publicationis bonorum; inde enim aliis regulis subjacere ejusmondi judicia debuerunt. Illud tamen judici post mortem hæretici judicium instituturo observandum erit, ut non primum ad damnationis sententiam deveniat, quam urgentibus argumentis commoveatur, et longe gravioribus, quam si contra viventem negotium gereretur, præsertim si jam diuturnum tempus præterlapsum fuisset.

Alterum, quod observatione dignum est, eo pertinet, ut dignoscatur, quis judex competens sit habendus. Qua in re multum interest investigare, an disputatio in jure, an in facto versetur, seu, quod idem est, an sit de hæresi, an sit de hæretici persona judicandum. Juris, sive de hæresi dicitur controversia, cum disputatur, an hæretica, necne, sit propositio, quæ judicio caussam præbet, facti, seu de hæretici persona, cum disceptatur, an aliquis propositionem, quam certo esse hæreticam constat, ediderit, pronunciaverit, eamque ob rem sit ordinaria pœna damnandus, aut extra ordinem coercendus. Si juris, et de hæresi controversia sit, generaliter in primis statuendum est, in iis, in quibus necdum ecclesiæ definitio prodita sit, gravissimum negotium versari, quod propterea perquam cautissime gerendum est, uti scribebat Augustinius in præfatione libri de hæresibus, ne forte contingat, ut hæretici habeantur, qui revera hæretici non sunt, uti aliquando contigisse testatur Gregorius Magnus, in lib. 9, epist. 39. Agitur hac in re de fide proponenda, quæ et generalis et una in universa ecclesia esse debet, et quocumque tempore immutabilis, proindeque ad eam definitionem ejus requiritur auctoritas, cujus sit certum atque infallibile judicium. De generali concilio nulla esse dubitatio potest, quin definire fidei dogmata possit; adeo enim certa et immutabilis ejus sententia est, uti certum est, ecclesiam universam errare aut deficere in fide non posse, quando generale concilium universam ecclesiam repræsentat. Quoniam vero aut non semper opportunum est, aut difficile ob vario temporum adjuncta admodum videtur, œcumenicas synodos celebrari, solebant veteres, ubi expediret, ad coercendas novas in ecclesia emergentes opiniones concilia particularia convocare, in quibus aut sacræ literæ, aut patrum, ac majorum traditiones explorarentur, atque juxta eas definitio fieret. Quod adeo verum erat, ut vix in tota ecclesiastica antiquitate reperias hæresim ab universa ecclesia damnatam, quæ pridem in particularibus

conciliis exagitata, ac damnata non foret. At enim dogma fidei in particulari concilio definitum quousque generalis ecclesiæ consensus non accessisset, proprie dogma fidei dici non poterat, propterea quod particularis concilii definitio retractari valebat, et aliquando eveniebat, ut in diversis provinciis in contrarias opiniones concilia ipsa particularia distraherentur; neque enim proprie dogma fidei dici potest, quod non est ubique ecclesiarum unum, neque est inconcussum apud universos, qui in christiana communione consistunt. Erant illa judicia conciliorum particularium veluti graves sententiæ, quibus qui ejus generis conciliis suberant, adquiescere, morem gerere, aut saltem non contradicere debebant, ne schismata interea suborirentur, et contentiones fierent acriores; nondum tamen ad fidem ipsam pertinebant, quousque ceterarum ecclesiarum consensus non accessisset; adeo ut quicumque privato judicio concilio ex. gr. provinciali in provincia ipsa contradiceret, moti schismatis, seu inobedientiæ reus dici potuisset, non proprie in hæresim incidisse: tantum hæreticus erat, quotiescumque propositio in particulari concilio definita, deinde in concilio generali confirmata, aut tacite consensione ecclesiarum omnium in unitate consistentium comprobata fuisset; quid enim interest, an ecclesia universa expresse in œcumenico concilio sententiam suam aperiat, an tacite sine convocatione concilii œcumenici quidquam comprobet, ac recipiat? Hæc ratio est, quare episcopi provinciale concilium celebraturi adversus novas emergentes sectas, ad præcavenda quæcumque schismata passim olim consueverint interrogare variarum ecclesiarum antistites, a quibus percunctarentur, quid ipsi sentirent, ac crederent, præsertim vero percunctabantur majores episcopos, nimirum patriarchas, atque inter ceteros pontificem maximum apostolicarum traditionem custodem vigilantissimum. Si enim id in more erat, ubi ageretur de ecclesiastica disciplina; unde Africani antistites, in can. 47, codicis africani consuluerunt Siricium papam, et Simplicianum episcopum de admittendis in clerum filiis hæreticorum, potiore jure id recipiebatur in caussis fidei, unde Augustinus, in lib. 2, cap. 3, contra duas pelagianorum epistolas sermonem habens de pelagianis, quorum opinamenta ad apostolicam sedem deducta fuerant, ita scribebat: *Per papæ rescriptum caussa pelagianorum finita est, totoque orbe post ejus damnationem damnati sunt, ac literis Innocentii* (pontificis Maximi) *tota de hac re dubitatio sublata est.* Exempla hujus rei antiquissima sunt, adeo ut ab ipsis apostolis possint facile repeti. Revera ipse apostolus Paulus, in cap. 2, epistolæ ad Galatas profitetur, se ascendisse Jerosolymam cum Barnaba et Tito, ut cum apostolis evangelium a se prædicandum conferret. Scimus insuper, quinto sæculo, africanam ecclesiam percunctatam fuisse romanam, antiochenam et alexandrinam, ubi de nicæni concilii definitionibus discutiendis ageretur. Atque ad id respexerunt religiosi imperatores, quum in l. 1, cod. de summa trinitate profitentes se ab omni hæresi alienos, palam protestati sunt, velle se *in tali religione versari, quam divum Petrum apostolum tradidisse Romanis, religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque pontificem Damasum sequi claret, et Petrum Alexandriæ episcopum, virum apostolicæ sanctitatis.* Hæc erat vetus ecclesiæ disciplina. Interea generalis regula tradi, recipique consuevit, ut a majoribus caussis dirimendis episcopi universi abstinerent, in quibus magis magisque firmatum est, quod olim tradebatur, caussa fidei ad sedem apostolicam referri oportere, ut inde unitas fidei originem ducat, unde etiam ex. unitate capitis unitas christianæ societatis demonstratur, can. 12, 14, can. 21, qu. 1, cap. 1, in princ. de baptismo: unde hodie obtinuit, ut cavere episcopi debeant, ne caussas ad fidem pertinentes, in diœcesi ipsi diramant, sed negotium ad sedem apostolicam referatur, a qua definitio expectetur.

Quod si in facto controversia versetur, idest dirimendum judicium sit de hæretici persona, ecclesiasticam jurisdictionem olim usque ad sæculum decimumtertium exercuerunt episcopi singularum ecclesiarum, et capitula cathedralium sede episcopali vacante, cap. 9 et 13, § ult., de hæreticis. Primus Innocentius III sub initium sæculi decimitertii occasione subortæ hæreseos albigensium, et late serpentis in Gallia, anno 1204 misit in provinciam tolosanam, et illi adjacentes, tres cistercienses monachos, nimirum Arnaldum abbatem, Petrum de Castronovo et Radulphum, veluti delegatos apostolicæ sedis, qui in eos hæreticos inquirerent, pœnasque indicerent. Parum felix, et pene sine exitu fuit hæc delegatio, conquerentibus episcopis in ea vicinia constitutis, id potius in sollicitudinem suam referendum fuisse, adeo ut laudati monachi de abdicando legationis munere deliberarent. Contigit tunc, ut Romam venisset ab Hispania Didacus episcopus oxomensis una cum s. Dominico ecclesiæ illius canonico. Hos Innocentius misit in tolosanam provinciam, ut junctis studiis cum laudatis tribus monachis delegatis hæreticos Albigenses prædicatione, ac jurisdictione insequerentur. Et Didacus, et Dominicus mandatum pontificis executi sunt. At Didacus post biennium ad episcopalem ecclesiam suam reversus, opus universum absolvendum Dominico reliquit. Do-

minicus ut impensius in eam curam incumberet, aliquot sibi sæculares sacerdotes adjunxit, obtentaque circa annum 1215 ab episcopo tolosano s. romani ecclesia, ibidem sui ordinis jecit fundamenta, quem paullo postea Honorius III Innocentii III successor confirmavit. Adversus albigenses instructi quoque fuerant exercitus religiosorum principum auctoritate, quam excitaverat lateranense concilium sub Innocentio III celebratum; atque in his adjunctis Dominicus cum sociis nihil diligentiæ omittebat, monitis, prædicatione, et intercessionibus apud principes, quibus albigenses conficerentur. Anno 1229 ex mandato Gregorii IX sub cardinale S. Angeli pontificio legato celebratum fuit concilium tolosanum, in quo multa contra ereticos constituta adparent, omni tamen sollicitudine in ordinarios collata. Sed anno 1231 dominicanis officium inquisitionis adversus hæreticos a Gregorio IX mandatum est, quod et confirmatum est ab Innocentio IV anno 1251 in constitutione, quæ incipit *Ad extirpanda*, ubi tamen etiam episcopis inquirendi facultas adseritur. Imo recentioribus sæculis, temporibus nimirum Pii IV, Pii V et Sixti V. Romæ instituta congregatio fuit sub nomine Sancti Officii, a qua inquisitores in provinciis constituti penderent, data facultate inquirendi, et judicandi non solum de ipsis hæreticis, sed et de criminibus ceteris quibus admissis quisquam in gravem suspicionem hæreseos inducatur, quale est schisma, sortilegium, divinatio, magia, abusus sacramentorum, et his similia, uti deducitur ex constitutionibus Gregorii XIII, Innocentii VIII, Paulli III et Clementis VIII. Quod inquisitorum officium ut rite appositeque obiretur, saluberrime caverunt pontifices maximi, ut illud non demandarent, nisi viris spectabilibus atque gravissimis, quorum probitatem, integritatemque nulla omnino suspicio læderet; alias enim eo munere abutentibus voluerunt excommunicationis pœnam imminere, a qua nonnisi a pontifice maximo absolvi possent, clement. 1, vers. *verum*, et clement. 2, de hæreticis. Voluerunt præterea aliquando, ut nemo ad illud gerendum munus advocaretur, nisi ætate gravis, et annorum saltem quadraginta, dicta clement. 2, quamquam deinde Paulus III in constitutione 34, § 8, triginta annorum ætatem satis idoneam esse decreverit. Idem autem non tam romani antistitis, quam apostolicæ sedis legatione funguntur, eamque ob rem etiam mortuo romano antistite in munere perseverant, utut judicium minime cœperint, cap. 10, de hæret. in 6, argumento capituli 5, de rescriptis in 6. Hæc tamen ita intelligenda voluerunt iidem pontifices maximi, ut per delegatos inquisitores non excluderentur episcoporum officia; etenim in primis gratia episcoporum cautum scimus, ne delegati pontificii sine speciali mandato adversus eosdem episcopos licet hæreticos judicium instituerunt, concessa tantum ipsis facultate caussam hæreseos ad pontificem maximum deferendi, a quo censura expectetur, cap. 16, de hæret. in 6, deinde scimus, definitum fuisse, ut junctis quoad fieri possit, animis et inquisitor delegatus, et ordinarius ad dirimendas hæreticorum caussas una concurrant, nisi forte ordinarii ipsi reis criminum impie favere deprehenderentur, cap. 12, eod. tit. in 6, ita ut si invicem dissentiant in ferenda sententia, quemadmodum prænotatum est, ad pontificem maximum caussa referatur, cap. 7, eod. tit. in 6.

Pauca nunc subjicenda sunt de schismaticis, quorum nomine veniunt illi, qui in fide, et dogmatibus fidei consentiunt, sed sese a prælatorum obedientia submovent, ac propterea ecclesiam dividere deprehenduntur. Siquidem unitas ecclesiæ in duobus agnoscitur; quorum primum est, ut fides eadem sit et ubicumque, et quandocumque, alterum, ut ordinum et graduum ratio habeatur, et inferiores prælatis suis obtemperent. Primum unitatis fundamentum hæretici, schismatici alterum concutiunt, can. 7, caus. 7, quæst. 1, can. 42, caus. 23, quæst. 5. Non una tamen eademque est schismaticorum omnium ratio. In primis alii sunt, qui tantum ab episcopi sui obedientia recedunt profitentes se in antistitum majorum, præsertim pontificis maximi obsequio esse. Hos etiam schismaticos dixeris, can. 7, caus. 7, quæst. 1, neque enim licet, prælati jurisdictionem potestatemque declinare, cum siquis a prælato suo gravari se sentiat, parata habeat juris auxilia, can. 30, caus. 11, quæst. 3, cum similibus. Alii sunt, qui non singularis tantum prælati sui potestatem excutiunt, sed et pontificem ipsum maximum aversantur, sese ab ejus obedientia generaliter subducentes. Hos detestabiliores schismaticos dixeris, et parum ab hæreticis distantes; vix enim schismatici hujus generis esse possunt, quin et quoquo modo dicantur hæretici, can. 26, caus. 24, quæst. 3. Quale enim demonstrari in ecclesia potest subortum schisma adversus sedem apostolicam, cui adhærentes in aliquam hæresim non declinaverint, si eos casus excipias, quibus inter plures ad apostolicam sedem electos divisis eligentium suffragiis contendebatur? Imo et hæretici ipsi in more illud habuerunt, ut dum novis opinionibus christianam fidem turbaturi essent, statim se ab apostolicæ sedis auctoritate subducerent. Deinde alia commode tradi potest schismatis partitio, quæ præcedentem partitionem clariorem facit. Videlicet triplex distinguitur schismatis genus, aliud sane alio damnabilius. Primum est, quod sine hæresi esse nullo modo potest, quando qui se ab ecclesia dividunt, non facto tantum se dividunt, sed et putant ecclesiam dividi posse.

Errant isti in fide, quæ docet, unam et individuam Christi ecclesiam esse. Alterum est; quando quidam facto tenus se dividunt, licet revera non posse ecclesiam dividi profiteantur: quod sane si non hæreticorum aperte dixeris, hæresi tamen proximum esse videtur ob gravissimam hæreseos suspicionem, præsertim si schismatici in concitato schismate perseverent. Quid enim schismatici isti responderent, si interogarentur, quare se diviserint, et ad unitatem reverti nolint; nisi aut se omnino extra ecclesiam velle consistere, aut censere etiam divisionem ecclesiam pati? Igitur ab hoc schismate ad hæresim non nisi unus est, et quidem facilis gradus. Postremum est, quando quis ecclesiam dividit, ignorans quis de pluribus contendentibus de episcopatu, vel pontificatu maximo vere sit illam dignitatem adeptus. Non hic putat ecclesiam posse dividi, ita ut aut acephalus, seu sine capite et pontifice esse velit, aut pluribus pontificibus æque subesse: neque hic facto se a prælato segregati; tantum ignorat, quis sit prælatus, cui jure obsequium et obedientia debeatur; imo forte etiam ipse unitatis amore, aut nemini ex electis parebit, quod neminem tanquam legitimum pastorem pensatis adjunctis agnoverit; aut uni ex electis potius obtemperabit insuper habitis ceteris, quod eum tanquam legitimum antistitem probabilioribus argumentis crediderit. Refert Theodoretus lib. 5, cap. 23, hujus generis schisma fuisse concitatum in antiochena ecclesia; qua vacante divisis eligentium suffragiis electi duo fuerant, Flavianus et Evagrius, et de alterutrius prærogativa gravissime dubitabatur, interea vero excusatos fuisse quoscumque alterutrius parti studia traxissent. At enim observandum est, excusatione dignos fore, aut saltem indulgentia, ac clementia schismaticos hujus generis, ita ut a schismaticorum pœnis facile absolvantur, quoties, quo Deus avertat, controversia maxime dubia etiam apud probos et religiosos viros haberetur, uti aliquando contigisse ferunt; ceterum ut excusationem, vel veniam mereantur, oportet primum, uti saniori parti adhærere conentur, deinde ut parati sint pacato animo, et sine seditione in eam partem transire, quam deinde noverint saniorem. Avertat Deus ab ecclesia sua hujus generis dissidiorum caussas, in quas si forte quædam ætas incideret, exemplar egregium vetus ad pacandas controversias proponi posset. Nimirum, sub finem anni 418 post obitum Zozimi papæ miserando schismate discissa fuerat ecclesia romana, ad quam ab aliis evectus fuerat Bonifacius, ab aliis Eulalius. In gravi facti dubitatione ad synodum episcoporum deleta controversia fuit, quorum judicio definitum est, prævalere Bonifacii electionem. Nec mora: statim parati omnium animi Bonifacium receperunt. Imo et Eulalius ipse, et Bonifacius insignis moderationis exemplum præbuerunt. Nam Eulalius non quievit modo, nec paruit, tantum, sed et post mortem Bonifacii utut a Romanis rogatus, si fides est libri pontificalis auctori, pontificatum maximum recusavit. Bonifacius autem diu doluit, tantum schisma occasione electionis suæ concitatum fuisse, et rogare non dubitavit Honorium augustum, ut auctoritate etiam sua futuris hujusmodi casibus provideret. Epistola Bonifacii habetur in can. 1, dist. 97. Rescriptum Honorii legitur in can. 2, dist. 97, et in can, 8, dist. 79.

Itaque si de pœnis adversus schismaticos infligendis sermo sit, legum sanctiones ad schismaticos tertii generis minime pertinent, quoties isti aut omnino in dubitationem adducti fuerint una cum viris pluribus vitæ integritate, et doctrina præstantibus, et dum ignorant cui potius parti adhæreant, interea in suspenso ita dixerim manent, aut arbitrati una cum viris et integritate vitæ, et doctrina præstantibus, potiorem esse unus quam alterius caussam, uni potius quam alteri adhærent, parati animo ad obsequendum illi, cujus deinde legitimum jus in ecclesia asseratur. Tantum imminent illis pœnæ schismaticorum, qui in primo, vel in secundo schismaticorum genere sunt constituti. Nemo sane ex istis juxta veterum canonum sanctionem in ecclesiæ communione consistit, ob individuam fidelium in ecclesia consistentium unitatem, eamque ob rem anathemate damnati ipso jure dici possunt, can. 5, 6 et 9, caus. 7, qu. 1, can. 19, caus. 16, qu. 7, can. 42, 43, caus. 23, qu. 5, can. 19, 23, 31 et 34, caus. 24, qu. 1, propterea que ad obtinenda, vel retinenda ecclesiastica beneficia, et ad quæcumque jura christianæ communioni cohærentia inidonei. Sunt qui distinguunt inter eos schismaticos, qui a pontifice maximo, et inter eos, qui ab episcopo suo recedunt; et priores dicunt quidem ipso jure anathemate damnatos, posteriores non anathemate damnatos ipso jure, sed sententia judicis posse anathematis pœna damnari. Discriminis caussam in eo collocant, quod sejunctus ab obedientia pontificis maximi vinculum unitatis omnino dissolverit; at qui tantum ab episcopo suo se segregaverit, et adhuc adhæreat cum pontifice maximo, adhuc unitatem retineat in ea parte, qua pontifici maximo subest. Mihi placere non potest hæc opinio; quamquam enim fatear, gravius delinquere eum, qui supremi ecclesiæ pastoris, quam qui prælati sui singularis potestatem declinat, tamen alterutrum sufficit, ut quis ab ecclesia alienus dicatur. Revera in pontifice quidem maximo veluti Christi vicario positum est primum ecclesiæ fundamentum; nihilotamen minus etiam ex divino jure unitas fidelium variis in diœcesibus ac provinciis constitutorum coale-

scit ex eo, quod unusquisque episcopo suo subjiciatur, et per episcopum pontifici maximo subjectum etiam pontificis maximi auctoritati fiat obnoxius; et satis est in parte rescindere unitatem ordinis, licet non undecumque recissa sit, ut extra ecclesiam, quæ una undecumque, et necessario est, abiisse quisquam credatur. Iterum hic observo, quod superius observabam, unitatem ecclesiæ ex duobus pendere, quorum primum est professio unius ejusdemque fidei, alterum est subjecto sacris potestatibus a Deo ipso ordinatis. Quemadmodum ergo qui unitatem fidei dissolvit, et hæreticus dicitur, non solum recedit ipso jure ab ecclesia, si fundamentalibus fidei articulis non adsentitur, puta iis, qui in apostolorum symbolo continentur, sed etiam si retenta fundamentalium fidei articulorum professione alia dogmata respuit, diciturque fidei unitatem rescindere, licet unitatem servet professionis in primis fidei principiis; ita recedit ipso jure ab unitate ecclesiæ, non solum qui primarum potestatum a Christo institutarum, sed etiam qui ceterarum jugum a se excutit. Video, quid caussæ fuerit, cur nonnulli ex pragmaticis in hac disputatione dubitare visi fuerunt. Nimirum in cap. 1, de schismat. observarunt constitutum, eos, qui *sponte de tenendo schismate juramentum præstiterunt, ab ordinibus, et dignitatibus manere suspensos*, et in cap. 2, eod. tit. decretum, schismaticos posse ab ordinis exercitione repelli, quæ profecto dici de iis non potuissent, qui in ecclesia amplius non consisterent. At enim observare potius debuissent, ea capita ad singulares caussas pertinere, et generalem disciplinam præseferre non posse. Quod in primis spectat capitulum 1, de schismat. editum in lateranensi concilio Alexandri III, certum est, de iis esse conceptum, qui adhæserant electioni Octaviani electi in pontificem maximum contra electionem Alexandri III, item conceptum esse de schismate Guidonis, qui modo Octaviani partibus adhærebat, modo renovata electione sibi a pluribus delatum pontificatum maximum acceptaverat. Per plures annos hoc schisma turbaverat ecclesiam romanam, unusquisque ex electis contendentibus pœnis depositionis in clericos, et anathematis in universos sibi contradicentes sua jura vindicabat, adeo ut celebratis ad sedandas controversias conciliis, modo Alexandri, modo Octaviani gratia res definiretur, nec nisi post viginti fere annos prævaluerit caussa Alexandri, definita in concilio turonensi, ac serius confirmata in conc. lateran. anni 1179. Porro quousque caussa definita non fuerat in ecclesia, cum schismaticis indulgentius agendum erat, utpote qui in dubio versarentur, et plurimi saltem eorum ignorarent, cui potius adhærerent. Quid mirum igitur, si tum demum excommunicarentur schismatici, aut suspenderentur, cum contumaces existerent? Statutum, quod legitur in dicto cap. 1, editum primum fuit in canone 9, concilii turonensis adversus schismaticos, qui adhærebant electioni vel Octaviani, qui nomen Victoris IV, vel Guidonis, qui nomen Paschalis III, assumserant; deinde confirmatum est in Concilio lateranensi. Ibidem autem legimus, *eos, qui contraire præsumserint, excommunicationi subjiacere*. Ac revera post statuta Turonensia, et Lateranensia agnita fuit in ecclesia tanquam legitima Alexandri III, electio, et post hanc agnitionem, tanquam excommunicatus veluti omni dubitatione cessante habendus erat, qui Alexandro non paruisset. Quod si subjicitur, eos *manere suspensos, qui juramentum de tenendo schismate præstiterunt*, ad eos pertinet, qui jurejurando se obstrinxerant Octaviano et Guidoni, antequam compertum habuissent jus Alexandri; et quando futurum sperabatur, ut Alexandro parerent, suspensionis tantum erant censura terrendi, ut quantocius ad unitatem revertereutur. Addidit Alexander III, se in ea re innovavisse decretum sui prædecessoris Innocentii; quod refertur ad Innocentium II, contra quem facto in romana ecclesia schismate electus erat a nonnullis in pontificem maximum Petrus Leonis. Statutum autem fuerat in lateranensi concilio, anni 1139, ut ordinationes a Petro Leonis antipapa factæ tanquam vacuæ et irritæ haberentur. Venio nunc ad capitulum 2, de schismaticis. Sed ibidem non de pœna schismatici agitur, sed de pœna illius, qui a schismatico episcopo ordinatus fuisset. Is sane dicitur deponendus ab officio, quousque cum eo non fuerit ex indulgentia dispensatum. Multum autem interest inter pœnam schismatico inferendam, et pœnam inferendam illi, qui a schismatico fuerit ordinatus. Non enim certum est, ordinatum a schismatico schismati adhærere, tantum suspicio schismatis suboriri potest. Itaque schismatici ipso jure anathemati subjiciuntur; extra ordinem etiam pro modo seditionis coerceri possunt, non tamen ceteris pœnis, quibus plectuntur hæretici, puniuntur. Quando vero in unoquoque damnabili schismate suboriri solet suspicio hæreseos, receptum est, ut schismatici etiam pœnis hæreticorum subjaceant, si, postquam ad unitatem legitime vocati fuerint, redire contemserint, cap. un. de schismaticis in 6. Quod si pænitentia ducti revertantur ad unitatem, non erunt sine abjuratione sui schismatis recipiendi, hæreticorum exemplo, cujus abjurationis formula exhibetur in can. 9, cau. 1, qu. 7, et reversi tum demum poterunt adepta olim officia, aut beneficia recuperare, vel ad alia promoveri, cum fuerit cum ipsis ex indulgentia dispensatum, can. 5, caus. 9, qu. 1, cap. 5, de elect., cap. 5, de donationi, dicto cap. 2, de schismat., extravag. un. eod. tit. inter communes.

CAPUT III.

De blasphemis et sortilegis.

Huc referendi sunt tit. 21 et 26, lib. 5.

Omnes quidem hæretici, rei blasphemiæ dici merito possunt, can 70. caus. 1, quæst 1, non tamen e converso omnes blasphemi hæreticorum nomine appellari: est enim blasphemia convicium quoddam, vel maledictum, sive directo in Deum, aut Christum, sive in Christi sacramenta, crucem, evangelia, aliave redemtionis monumenta, sive in deiparam Virginem, sive in beatos, aut sacras imagines, sive in ecclesiam, ordinesve ecclesiasticos, eorum præsertim, qui ex divina institutione universæ ecclesiæ præsunt, cap. 1 et 2 de maledicis, cap. 2, de offic. jud. ordinar., juncta, l. 6 et 7, cod. ad leg. Jul. majest., argumento legis unicæ cod. nemini licere signum Salvatoris. Quadruplex esse vulgo traditur blasphemiæ genus: primum est, quum Deo tribuitur, quod Dei non est; quod tamen ita intellige, ut non improbemus symbola quædam in ecclesia jamdiu probata, veluti cum spiritum Dei pingimus sub specie ignis, vel columbæ aut Verbum Dei sub specie agni. hæc enim ideo exhibemus, non ut innuemus veras illas esse Dei formas, sed quia cum sub formis sensibilibus facilius suspiciamus in Deum, illa potius figuras proponimus, sub quibus singulari clementia Deus manifestare se hominibus voluit. De agni figura, sub qua Christus exhiberetur tanquam apud veteres usu recepta, conceptus est canon 82. Concilii Trullani, quo statutum est, ut deinceps convenientius in sacris ædibus præ agno Christus homo pingeretur, quasi rei veritas, qualis erat in forma humana, typo et symbolo, qualis erat agnus præferenda jure ac merito foret. Alterum blasphemiæ genus est, quum Deo denegatur, quod revera Dei est. Tertium, quum creaturis tribuitur, quod Dei est proprium et singulare. Postremum, quum aut convicia in Deum, et Deo adsidentes in patria beatas animas ore impio jaciuntur, aut facto rebus divinis, vel religiosis fit contumelia. Tantum hominis ausum in lege vetere voluit Deus capitali, et quidem acerbissima pœna puniri, qualis erat mors blasphemorum conjectis lapidibus obruendorum, Levitici, cap. 24. Capitale quoque edicto suo esse voluit Nabuchodonosor hujusmodi crimen, statim ac veri Dei notitiam habuit, Danielis, cap. 3, vers. 46, can. 41, caus. 23, quæst. 4, can. 98, caus. 11, qu. 3, Capitale demum esse voluit Justinianus in Nov. 77, cap. 1, § 1 et 2. Media ecclesiæ ætate cum non ubique vigerent leges justinianeæ, recessum passim est a pœnis capitalibus. Hinc, anno 826, in capitulari ingilenheimensi sub Ludovico Pio cap. 5, ita decretum fuit: *Siquis quolibet modo blasphemiam in Deum jactaverit, ab episcopo, vel comite pagi ipsius carceri usque ad satisfactionem tradatur, et publica pœnitentia multetur, donec precibus proprii episcopi publice reconcilietur, ecclesiæque gremio canonice reddatur.* Latius recipi potuit hæc sanctio, postquam traducta fuit in collectionem capitularium, lib. 6, cap. 101. Hodie vero juxta varias provinciarum constitutiones variæ pœnæ esse solent, eæ præsertim, quæ a publicis magistratibus infliguntur, habita ratione tum qualitatis blasphemiæ, tum adjunctorum. Apud nos præstitutæ pœnæ leguntur in lib. 4, tit. 34, cap. 1. Regiarum constitutionum, in quibus etiam asperiores pœnæ indicuntur adversus judæos blasphemantes, lib. 1, tit. 8, cap. 6. Generaliter in hac re multa sunt posita in arbitrio Judicis, pensaturi varias proferentis adfectiones et modos, quos ut plurimum explicare solent variæ loquendi consuetudines, quæ certis in regionibus passim apud plurimos invaluerunt, atque juxta illas modo asperiores, modo leviores pœnas illaturi. Jure ecclesiastico distingui solet blasphemia, quam hæreticalem appelant, a simplici. Si hæreticalis blasphemia sit, instituitur, judicium adversus reos, ac si essent hæretici, de qua re optimum erit respicere ad instructionem Benedicti XIV, pontificis max. ad nostrates episcopos missam § 7. Hinc ubi executionem habuit constitutio *In multis* 23. Julii III, etiam inquisitores hæreticorum in ea caussa ex officio procedunt. At si blasphemia simplex sit, olim obtinebat, ut clerici ab officio et beneficio, laici ab ecclesiastica communione removerentur, can. 13, caus. 24, qu. 3, can. 10, caus. 22, qu. 1. Recentioribus sæculis mitior dicta fuit pœna. Siquidem Gregorius IX, propemodum secutus laudatam francorum capitularium disciplinam clementer blasphemis indulsit, ut suscepta publica pœnitentia Deo; et ecclesiæ reconciliari valerent, cap. 2, de maledicis; quam tamen si devote rei non expleant, excommunicationi infligendæ locus adhuc superesse videtur, in qua si per longum tempus contumaces blasphemi persistant, poterit adversus eos, tanquam in hæreticos, aut saltem de hæresi vehementer suspectos inquiri, can. 31, caus. 24, quæst. 3. Imo etsi pœnitentia publica devote et suscipiatur, et expleatur, non excluduntur magistratus publici a publica pœna inferenda, cum crimen illud adeo mixti fori esse dicatur a pragmaticis, ut utraque jurisdictione et ecclesiastica et civili, rei possit una damnari, quia pœna ab ecclesia indicta potius, quam veræ pœnæ, locum teneat censuræ, aut pœnitentiæ salutaris. Quoniam vero dictum capitulum 2, ad laicos tantum pertinet, cum publica pœnitentia ex ecclesiæ

disciplina in clericos infligi non soleat, can. 5, dist. 82, non dubito, quin vetus adversus clericos blasphemos pœna canonum, videlicet e gradu dejectio, sit infligenda, quemadmodum statutum est in Concilio lateranensi sub Leone X, sess. 9. Hinc facile colligitur, blasphemiæ crimen publicum esse, in quo propterea non solum unicuique datur accusandi facultas, sed imminet etiam denunciandi obligatio, canon. 10, vers. *Siquis autem* caus. 22, quæst. 1, quod et recentiores pontifices suis constitutionibus confirmaverunt.

Quod majores nostri idololatriæ superstitionibus misere obvoluti jacuerint, vestigia quædam impietatis apud nepotes etiam seros remanserunt, obscuris præsertim sæculis pressa ab improbis de trivio hominibus utut Christo regeneratis, qui insigni perfidia ad dæmones, quasi opem ab ipsis ad varias caussas imploraturi, et oracula idolorum, quibus silentium a Christo indictum altissimum fuit, ex erebo excitaturi, confugere non dubitaverunt, can. 9, caus. 26, q. 2. Varias horum hominum turbas, et varias illorum nomina dolens recensuit initio septimi sæculi Isidorus Hispalensis in libro 8. Originum, c. 9, unde multa translata sunt in canonem 1, caus. 26, q. 3, et canonem 14, caus. 26, q. 5, juncto canone unico, caus. 26, qu. 1. Generaliter autem universi ecclesiarum Antistites omnem sollicitudinem impenderunt, ut tristes illas veteris idololatriæ reliquias penitus ab animis christianorum eraderent. Inter ceteros laudare possum Agobardum Lugdunensem episcopum sæculi noni scriptorem cujus opera extant in Bibliotheca patrum; hic enim eruditus Antistes inter sæculi illius vulgares crassasque caligines totus fuit in libro *de Grandine et Tonitruis*, ut ex animis plebejorum hominum præjudicatas opiniones avelleret, quæ passim inoleverant, de magis, qui pro lubito tempestates immitterent, et aerem turbarent, ridens aniles fabellas, quæ indiscriminatim in populo recensebantur. Huic adjicere possum Burchardum wormaciensem, qui obscuriore adhuc ætate floruit, et plane ferrea, idest initio sæculi undecimi: nihilominus autem in libro 19, sui decreti, qui instar pœnitentialis est, totus in illud incubuit, ut gravissimas pœnitentias indiceret non tam in eos, qui magicæ artis præsidio aliquid molirentur: quam in eos, qui moliri aliquid posse crederent. Optandum sane foret ingenuo, et præjudiciis experti viro, ut tot Danieles in medium prodissent; dolos et fraudes patefacturi, quot sacerdotes Belis monstra hujusmodi exhibuisset, forte enim evenisset, ut deceptorum insignium ars, et perfidia perpetuo adparuissent, exemplo illius, quod legitur Danielis, cap. 14, quod ipsum contigit apud regem Persarum, qui monente sancto Marutha suorum magorum fraudes non dissimiles agnovit, uti refert Socrates, lib. 7, cap 8. Superis grates sint, quod in eam ætatem inciderimus, qua hoc superstitionis genus eversum jamdiu videtur. Laudanda tamen est veterum legumlatorum prudentia, qui in sortilegos pœnas gravissimas indixerunt; etenim licet inania essent illorum præstigia, quando tamen qui artem illam profitebantur, illud in animo versabant, ut sub specie vis majoris perimerent homines, pudicitiam honestarum mulierum attentarent, agros vastarent, annonam redderent cariorem, et rudioribus saltem hominibus metum inculerent, non fuerunt impune dimittendi. Episcopi veteres in reos sortilegii pœnam anathematis inflixerunt, can. 1, 4, 6, 8, 9 et 11, caus. 26, quæst. 5, licet aliquando contra eos, qui ex rusticitate quadam sine expressa dæmonis invocatione divinorum artem exercuerint mitius agi visum fuerit, clericis ad annum suspensis, cap. 2, de sortilegis, laicis extra ordinem corporali pœnitentia afflictis, can. 10, cau. 26, quæst. 5. Religiosi quoque imperatores severissimis pœnis subjiciendos delinquentes voluerunt, tanquam eos, qui rempublicam universam atrocissimis facinoribus turbarent, toto titulo codicis de maleficis. Hinc passim cavendum fuit, ut crimen illud capitale haberetur, publicatis bonis, et supremo supplicio affectis reis, illisque omnibus, qui cum iis nefariam inivissent societatem, l. 3 et 5, cod. eod. tit. Recentioribus sæculis ex disciplina tribunalium extraordinariam pœnam pro admissi qualitate et conditione personarum modo leniendam, modo exasperandam, infligi solere, pragmatici universi testantur, quod invaluit ex rescripto Gregorii magni in dicto can. 10, caus. 26, q. 5. Ecclesiasticam jurisdictionem adversus ejus criminis reos soli episcopi olim in singulis diœcesibus exercebant, ita ut inquisitoribus a sede apostolica delegatis ea facultas non competeret, nisi crimen hæresim saperet manifestam, c. 8, vers. *Sane* de hæreticis in 6. At recentiores pontifices constitutionibus suis eam quoque potestatem delegatis inquisitoribus fecerunt, ac si adversus suspectos de hæresi agendum sit. Porro ad avertendam quamcumque hæreseos suspicionem ulterius progrediendum fuit ecclesiasticis constitutionibus; nimirum licet civili jure romanorum in casibus dubiis, et incertis non improbetur, rem sortibus committi, l. 14, ff. de judiciis, l. 5, ff. famil. ercisc. l. 3, cod comm. de leg. sacris tamen canonibus suffragia eligendorum sorte committi vetitum est, cap. 3, de sortilegis; eo etiam potiore jure damnatæ jampridem fuerant sortes illæ, quas appellabant sanctorum, cum videlicet quis ad evangelicas paginas confugeret, ut illarum æque curiosa investigatione, ac superstitiosa interpretatione futura prædiceret. can. un., caus 26, qu. 1, can. 3, caus. 25, q. 2.

CAPUT IV.

De violata jurisjurandi, aut voti religione.

Huc referendus est titulus 24, lib. 2, et tit. 34, lib. 3.

Quemadmodum religiosum esse debet fideli viro, Deum ad confirmationem veritatis jurejurando testari, ita mendacibus impium est, Deum quasi mendacii sui patronum advocare perjurio; quod veluti immane scelus expresse a Deo in veteris testamenti literis damnatum fuit, Levitici, c. 5, can 12, caus. 22, q. 1. Non defuerunt olim, qui putarent, omne jusjurandum illicitum esse, aut saltem dubitarent, an in conspectu evangelicæ doctrinæ indiscriminatim, et generaliter improbandum sit. Verba evangelii sunt apud Matthæum in c. 5, ibi: *Dictum est antiquis, non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua: Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus, neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis: neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum: Sit autem sermo vester, est, est, non, non: Quod autem his abundantius est, a malo est.* His consonat apostolus Jacobus in c. 5, epistolæ ita scribens: *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester est, est, non, non, ut non sub judicio decidatis.* Supervacaneum hodie foret elaborare in interpretatione hujus divinæ sententiæ, propterea quod eadem exposita jamdiu fuit a veteribus patribus, uno suffragio definientibus, ex mandato Christi Domini non per se vetitum esse tanquam illicitum jusjurandum, sed potius cavendum, nequis jurejurando abutatur. Interpretatio patrum legitur apud Gratianum in tota fere quæstione 1, cau. 22. Observatur in primis in canone 1. Apostolum Paulum juravisse, quod sane non fecisset, si in eo se ab evangelica Christi doctrina recedere credidisset. Deinde observatur in can. 3, non ideo dictum videri in Evangelio, ne omnino juremus, quia verum jurare peccatum sit, sed quia pejerare immane peccatum est, a quo longe nos esse voluit, qui omnino, ne juremus, admonuit. Consonant canones 5 et 13. Iterum observatur, verba illa Evangelii; *Quod autem his abundantius est, a malo est,* pertinere potius ad laudandam animi simplicitatem, quam ad redarguendam jurisjurandi rationem, quasi diceretur; ideo identidem exigi jusjurandum inter homines, quia dolus et fallacia esse solet apud eos, qui simpliciter affirmant, aut negant; a quibus propterea postulatur, ut quod proferunt, jurejurando confirment. Id legitur in can. 2, 5, 6 et 14. Denique observatur in can 7 et 8, non juramentum quodcumque in Evangelio improbari, sed quod fieret per cœlum, per terram, per Jerosolymam, aut per caput jurantis, quasi totius esset, directo jurare in Deum, quoties justa jurisjurandi caussa occurreret. Hæc omnia complexus est Innocentius III, in cap. 26, de jurejurando. Laude dignæ sunt universæ istæ evangelicæ doctrinæ interpretationes, neque nobis ab eisdem recedendum est, cum ex unanimi veterum Patrum traditione profluxerint. Quoties vero invicem observationes illas confero, mihi præcipua illa videtur qua traditum est, ideo nos ab jurejurando abstinere debere, ne in perjurium ex facilitate jurisjurandi incidamus. Etenim exinde fluit generalis jurandi doctrina, quæ suadet, non facile et passim apud christianos viros jurandum esse, sed tum demum, cum aut rei gravitas, aut publicæ formæ ratio id postulat, can. 1, 2, 5 et passim dicta caus. qu. 1. Itaque jusjurandum, uti ait Hieronymus in can. 7, caus. 22, quæst. 1 et in can. 1, caus. 22, quæst. 2, juncto, cap. 6, de jure jurando, tres debet habere comites, veritatem, judicium, atque justitiam, juxta verba Jeremiæ, cap. 4. Veritatem, ut juremus non solum, quod in se verum est, sed et quod verum esse sincere, simpliciterque credamus, item non tam quale interno mentis proposito retinemus, quam quale intellecturos audientes prævidemus, can 9, cau. 22, q. 5 atque si de re futura agatur, quæ a nostra pendet voluntate, ut non juremus, nisi, quod nos facturos sine fallacia, et constanti implendi animo spondeamus. Judicium, ut non imprudenter, non temere, non sine gravi caussa Deum testemur, ne de rebus inanibus sacratissimum Domini nomen invocemus. Justitiam, ut nihil turpe, aut minus honestum datam jurisjurandi fidem polluere quoquo modo possit; istæ enim promissiones uti sunt detestabiles apud Deum, ita ipso jure solvuntur, can. 1, 2 et sequentibus, cau. 22, q. 4, cap. 18, 19, 21, 23 et 27, de jurejuran. Cum vero jusjurandum fiat ex sententia animi jurantis, certissimum est, perjurium veluti gravius mendacium jurantis animam inquinare. Hinc proficiscitur, universitatem neque jurisjurandi, neque perjurii capacem esse per se, cum nec animum habeat, cujus sententia Deum de rei veritate testetur, et in quem perjurium referatur, argumento, c. 5, de sentent. excommun. an 6, quamquam possit intelligi jurare per administros ex animi sui sententia jurantes, et animam suam perjurium referentes, l. 97, ff. de condition. et demonstrat., cap. 4, de juram. cal. Hinc præterea proficiscitur, procuratorem non aliter pro mandante ad jurandum admitti, quam

si mandato ad id speciali suscepto in animam juret sui principalis, l. 2, § 2, cod. de jurejurand. propt. calumn., cap. 3, de juram. calumniæ, cap. 3, eod. tit. in 6.

Variæ et olim fuerunt, et hodie sunt jurisjurandi formulæ: neque enim solum jurare intelligitur, qui Deum expresse, et directo testatur, sed etiam qui ea, in quibus Dei nomen tacite vocari intelligitur. Hinc judæi, uti liquet ex laudato evangelii monumento, jurabant per cœlum, per terram, per caput suum. Christianis minime placuerunt istæ formulæ, sive quod improbatæ in evangelio fuerint, quemadmodum supra laudati Patres observaverunt, sive quod non videbatur opportunum, jurantes in elementorum, corporumque specie consistere, ad evadendam, quamcumque idololatriæ suspicionem, quam contrahebant judæi juxta eas formulas jurantes, can. 7, caus. 22, qu. 1. Potius juratum est, ubi opus, vel per Deum, vel per Christum, vel per monumenta reparatæ salutis, veluti per evangelium, per crucem, per sacramenta, per altare, ceterasve res Deo sacras, can. 11, 12, cau. quæst. 1, can. 2, cau. 22, q. 5, quibus addi potest argumentum Matthæi, cap. 23, evangelii. Huc etiam pertinet recens judiciorum disciplina, qua obtinet, sacerdotes juraturos manum ad pectus admovere, quasi quod Deo singulari sit jure dicatum. Qua tamen in re notandum est, jam quarto sæculo obtinuisse episcopos, ut ad testimonium in jure dicendum non advocarentur, l. 7, cod. de episc. et cler., quod Justinianus, in nov. 133, cap. 7, ita voluit intelligendum, ut judices mittant ad episcopos *quosdam ex personis ministrantium sibi, ut propositis sanctis evangelii, secundum quod dicet sacerdotes, dicant, quæ noverint.* Ad proposita sancta evangelia fieri consuevisse jusjurandum, nemo est, qui inficias ire possit in conspectu legis 2, in principio, et § 1, cod. de jurejur. propt. calumn. De presbyteris cautum erat, ut tantum remitteretur injuria quæstionis, dum ad judicium accederent; ceteri autem clerici communi jure ad testimonium dicendum audiebantur, l. 8, cod. de episc. et cler. Diu viguisse puto hanc disciplinam, donec Isidorus Mercator, in pseudo-epistola 2, ad Ruffum sub nomine Cornelii papæ edita tradidit, sacerdotes divino jure prohiberi, ne jurent, sese referens ad laudata Matthæi, et Jacobi monumenta. Hinc nono sæculo clericorum juramenta veluti a Christo interdicta a pluribus improbari cœperunt, uti liquet ex capitulari francorum, anni 858, cap. 15, ubi rhemensis provinciæ episcopi tradiderunt non decere manus sacro chrismate perunctas, et Christi corpore consecratas, *ullo modo tangere sæculare sacramentum.* Hinc sequentibus tribus sæculis nonnulli canones editi sunt, quibus videbatur clericis jurejurando interdici, an. 22 et 23, caus. 22, qu. 5. Ecquidem iis temporibus Gratianus in dicta caus. 22, q. 1, ex traditionibus veterum patrum evangelica mandata illustraverat, interea tamen vulgare erat adagium clericos saltem abs jurejurando abstinere oportere, vix quibusdam exceptionibus adjectis canonum auctoritate, uti in dicto, can. 23. Adeo pervasit hæc opinio plurimorum animos, ut qui authenticas codici inseruit, ubi referre volui laudatam Justiniani novellam de episcopis testimonium laturis propositis sanctis evangeliis, adjecerit in authentica *sed judex* cod. de episc. et cler. *Non tamen jurant*, quando tamen nihil tale legitur in novella justinianea. Delata fuit controversia ad Honorium II, vel, uti aliis placet, III, qui in cap. 1, de juram. cal. totam eam rem moderandam duxit ita, ut episcopo, ne inconsulto romano pontifice, et clerico, ne inconsulto episcopo suo jurare auderet; interdiceretur. Hinc Lucius III, clericos in judicio jurare oportere rescripsit, in cap. 5, eod. tit utut consuetudine se ab jurisjurandi obligatione immunes adsererent, Gregorius IX, in cap. ult., eod. tit. episcopos jurare jussit in caussis judiciariis, non quidem tactis, sed propositis evangeliis; unde profluxisse puto admotionem manus ad pectus, quoties ab episcopo jurandum esset, et hanc deinde ad sacerdotes universos usu fori in plures provincias traductam. Quæsitum olim fuerat apud s. Augustinum a quodam Publicola, utrum christiano viro liceret jusjurandum recipere a viris idololatris, qui per dæmones, aut idola, quæ colerent, essent juraturi. Responsio sancti antistitis extat apud Gratianum, in can. 16, caus. 12, qu. 4, ad quem non nulla Gratianus idem explicationis caussa subjecit. Hodie in judiciis duplex distinguitur jusjurandum illud, quod suppletivum, aut purgativum appellatur, nimirum aliud simplex, aliud solemne, idest execrationibus adjectis pronunciatum, quorum diversa formula extat, in lib. 3, tit. 14, § 4 et 6, regiarum constitutionum. Receptum autem est, ut jusjurandum quidem simplex per procuratorem fieri possit, uti superius notatum est, ad jusjurandum solemne debeat semper fieri ab ejus persona, cujus est caussa, et recte, etenim cum jusjurandum illud solemne in gravioribus caussis indici soleat, interest maxime, ut is, cujus principaliter caussa versatur, et monita judicis, et pressas formulas arrectis auribus, attentoque animo excipiat, ut terreatur gravitate rei, et cautius juret, semper autem a perjurio recedat.

Vulgaris est jurisjurandi partitio, qua alterum assertorium, alterum promissorium a pragmaticis appellatur. Assertorium vocant, quum quod in præsentia est, aut aliquando

fuit, asseritur, admissi statim perjurii crimine ab eo, qui mendacium protulit. Promissorium dicunt, quando aliquid dandum, vel non dandum, faciendum, vel non faciendum promittitur, in qua specie imminet adhuc futuri prejurii periculum, quousque certum non est, datam fidem impleri. Est hæc regula generalis, quæ tamen suas habet exceptiones, adeo ut aliquando contingat, ut jusjurandum irritetur, quod in primis fieri potest juris auctoritate, deinde jurisdictione judicis, postremo etiam facto hominum privatorum. Quod spectat in primis legis auctoritatem, non memoro veterem Romanorum providentia, qui remiserunt jurandi obligationem, utut vel legis potestate, vel voluntate testatoris impositam, quotiescumque non legibus conjecturis colligeretur facile futurum, ut jusjurandum non impleretur. Remisit jusjurandum legis potestate impositum Justinianus imperator tum in novella 22, cap. 43, tum in novella 94, cap. 2. Remiserat etiam olim prætor jus jurandum a testatore impositum in ea specie, qua testator aut hæredem instituisset, aut liberalitate quadam legati titulo, vel fidei commissi quemquam honoravisset sub conditione jurisjurandi, l. 8, ff. de condit. instit., l. 29, § 2, ff de testam. milit., l. 112, § 4, ff de legat. 1, l. 29 et 26, de condition. et demonstrat. Cum enim (ait jureconsultus in dicta, lib. 8, ff. de condit. inst.) faciles sunt nonnulli homines ad jurandum contemtu religionis, alii perquam timidi metu divini numinis usque ad superstitionem, ne vel hi, vel illi aut consequerentur, aut perderent, quod relictum est, prætor consultissime intervenit; quod ipsum in alia specie, observavit Justinianus, in l. 21, vers. *neque enim* cod. de fide instrument. Non, inquam, hanc providentiam memoro, utpote quæ potius vetat, ne juretur, quam jusjurandum semel elicitum diramat. Potius dico juris, potestate irritari jusjurandum emissum, quoties sub jurisjurandi vinculo spoponderit aliquis, quod divinæ legis et bonis moribus adversetur; irritas enim ipso jure hujusmodi pollicitationes esse diximus, tamquam in quibus justitia jurandi deficiat, imposita salutari pœnitentia in eum, qui temere jusjurandum ejusmodi interposuit; unde passim in decretalibus pontificiis legimus, nunquam jusjurandum implendum esse, ubi vergat in dispendium salutis æternæ. Neque vero aliud ego dicendum censeo, quoties agatur de jurejurando contra publicas leges ab hominibus editas bono publico societatis, vel ecclesiæ. Qua tamen in re juvabit duas legum publicarum distinguere species; quarum aliæ directo publicam, privatorum aliæ utilitatem respiciunt. Quoties publica versetur utilitas, ipso jure nullam vim jusjurandum habebit, cap. 21, de jurejurando; neque enim Deus ex privata invocatione sui nominis publicam voluit unquam tranquillitatem pacemque turbari: ast ubi privata tantum utilitas inest, cum liceat unicuique favori pro se introducto renunciare, lib. 29, cod. de pactis, quemadmodum pactum insuper habitis legibus consistit, ita, imo et potiore jure, valebit jusjurandum, cap. 28, de jurejurando, c. 2, de pactis, in 6. Verum enim vero licet regulæ hæ generales probabiles, atque optimæ sint, periculum tamen frequenter ingerere solent judicaturis, sæpe ac sæpius dubitantibus, quibusnam in legibus privata potius, quam publica, quibusnam publica potius, quam privata utilitas contineatur. Ut exemplum proferam, scimus definitum ecclesiasticis legibus, nequis ad professionem monasticam admittatur, nisi absoluto probationis anno. Fuit aliquando definitum, ut huic legi sive a monachis novitium recipientibus, sive a novitio professuro renunciari valeret, quasi ea lex favore singulari monarchorum et novitii lata fuisset, cap. 16, de regularibus; aliter tamen deinde visum fuit tridentino concilio, in cap. 15, sess. 25, de regular., quasi non tam privatam, quam publicam inesse utilitatem in ea lege tridentini antistites noverint. Undenam, amabo, orta est antinomia illa, quæ habetur inter legem Justiniani, in l. 29, cod. de pactis, et rescriptum Innocentii III, in cap. 12, de foro competente, statuente Justiniano, valere, statuente e contrario Innocentio, non valere pactum utut jurejurando firmatum, quo sacerdotes renunciarent sui fori privilegio, nisi quod Justinianus privilegium censuerit ad privatam, e contrario censuerit Innocentius ad publicam utilitatem referri oportere? Ad evitandas hujus generis controversias optimæ in hanc rem sunt, et saluberrimæ regum nostrorum leges, dum ad eludendos temere, aut minus deliberate jurantium actus, ad præcavenda præterea frequentiora perjuriorum pericula, constituerunt, ut quodcumque jusjurandum instrumentis adjunctum pro non interposito haberetur, lib. 5, tit. 10, § ult., regiarum constitutionum. Præterea ipso jure non consistunt juramenta illorum, qui judicio carent, cum proprie juramenta dici nequeant deficiente consensu, et proposito voluntatis. Sane si de parvulis agatur septennio majoribus, quorum consilium infirmum adhuc est, ego non dubito, quin ipso jure valeant, cum isti naturalis saltem obligationis ineundæ capaces sint. Verum in primis observandum est parvulos in pupillari ætate constitutos nunquam esse ad jusjurandum cogendos; jam enim abrogata non solum est, ubi aliquando viguit, sed etiam improbata ubicumque fuit lex Gundobada, quæ parvulos etiam jurare cogebat, can. 14, caus. 22, qu. 5. Deinde si sponte parvuli juraverint, inducendi quidem

sunt, quoad fieri possit, et ubi nemini fiat fraus, ad jusjurandum implendum, non tamen pro prejuro habebitur, quod spectat ad perjurii pœnas, qui illud non servaverit, l. 36, ff. de jurejurj., cap. 9, de probation., can. 19, caus. 22, qu. 4, dicto can. 14, can. 24 et 16, caus, 22, qu. 5. Officio judicis ecclesiastici etiam jusjurandum relaxatur, quasi per absolutionem; qua in re ea est prœlato cognitio, ut divinam voluntatem interpretetur, et declaret, et quo casu noverit minus expedire, ut jusjurandum impleatur, illud divina veluti auctoritate remittat. Prælati nomine ego ordinarium intelligo, idest episcopum unumquemque in sua diœcesi, quin opponatur versiculus *utrum vero*, cap. 34, de elect., ubi Innocentius III, caussam juramenti ad se pertinere definit.; etiam ibi agitur non generaliter de quibuscumque jurantibus, sed de iis, qui juraverunt in caussa electionis imperatoris, quod sane negotium apud episcopos inferiores minime gerebatur, ut liquet ex integro capituli contextu. Porro auctoritate ordinarii jusjurandum relaxatur, ubi minus caute, minusve deliberate elicitum fuerit quemadmodum contingit, quoties qui juravit, non omnino libera voluntate consensit, puta metu adactus, cap. 8 et 15, de jurejurando, aut quoties agitur de parvulis infirmo consilio jurantibus, uti enim legimus, in can. 17, caus. 22, quæst. 4, *definitio incauta laudabiliter solvenda est*; *nec est prævaricatio, sed temeritatis emendatio;* aut quoties jurisjurandi implementum noxium esse alicui potest, uti contingit in eo, qui se ad usuras præstandas obstrinxit, cap. 1, juncto, cap. 6 et 12, § 1, de jurejurando. Denique etiam voluntate privatorum potest aliquando jusjurandum irritari; et quidem in primis ex parte jurantis certis in casibus, videlicet vel cum jurans velit promissionem suam jurejurando firmatum in aliam et quidem meliorem commutare, can. 9, caus. 22, quæst. 4, cap. 3, de jurejur., vel cum jurans prævideat, rem, quam jurejurando spopondit pejorem in exitum vergere, can. 16, caus. 22, quæst. 4. His tamen in speciebus id privatæ voluntati jurantis conceditur, quoties res evidens sit ac perspicua: si enim vel minimam dubitationem patiatur, tutius semper est, superioris dispensationem, seu relaxationem petere, atque expectare, ne facile unusquisque arbitrio suo relictus sibi blandiatur, et declaret se ab omni obligatione solutum. Deinde jusjurandum irritari poterit ex parte illius, cujus gratia juratum est, qua in specie remissionem jurisjurandi fieri dicitur, veluti si stipulanti sub jurejurando decem promitterem, et stipulator accepto ferret; si enim remissione creditoris tota extinguitur obligatio principalis, jurisjurandi accessionem etiam extingui necesse est, cap. 1 et 16, de jurejur. Insuper jusjurandum aliquando etiam irritatur ex parte illorum, qui jurantem et obligatum in sua habent potestate, qualis est dominus respectu servi, abbas respectu monachi, pater respectu filii, et vir respectu uxoris, quoties nimirum jusjurandum a subdito emissum fraudem faceret potestati, can. 15, cau. 22, qu 5.

Rem admodum in obscuro positam esse video, cum quæritur, an romanis legibus perjuriis certa indicta fuerit pœna. Scio quidem singularem fuisse editam constitutionem a Tiberio imperatore, qua perjuri pœna publica coercerentur, si juravissent *per genium principis*, ut refert Dio in Tiberio, Svetonius in Caligola, et Tertullianus in Apologetico, cap. 28, juncta, leg. 13, § ult., ff. de jurejur., nisi forte iracundiæ calor perjurum quodammodo excusaret, l. 2, ver. *periculum* cod. de reb. creditis. Neque ignoro, singulares etiam pœnas præstitutas fuisse adversus perjuros, aut in specie legis 41, cod. de transactionibus, quando nimirum quis transactione jurejurando firmata controversiam omnes diremit; is enim et infamis fiet, et rerum proprietatem, atque emolumenta sibi parta vi transactionis ejusdem amittet; aut in specie legis 17, cod. de dignitat., quum viri illustres juratoriæ tantum cautioni relicti fidem non servant; aut in specie legis ultimæ, cod. ad leg. jul. repetund., quum rectores provinciarum perjurio professi fuerint, se caussa muneris adipiscendi pecuniam non dedisse, data illos accusandi unicuique de populo facultate. Ceterum generaliter adversus perjurii reos pœnam publicam nullibi præfinitam invenio. Nec quisquam in medium proferat legem 4, ff. stellionatus, ubi qui pejeravit, affirmans suas esse res pignori datas, stellionatus reus dicitur, ideoque ad tempus exulare compellitur: siquidem Romani legumlatores et eadem stellionatus pœna plectendum eum voluerunt, qui sine jurejurando pignus esse suum falso adfirmavisset, l. 1, 2 et 4, cod. de crim. stellionat. Insuper infirmum esset argumentum, quod deduceretur ex leg. 21, ff. de his qui not. infam., etenim ibi pena infamiæ falsitatem potius testimonii, quam perjurium sequitur. Nihil denique evinci potest ex leg. 22, ff. de dolo malo, in qua mentio fit pœnæ perjurii; præterquamquod inde non liqueat de qualitate, aut quantitate pœnæ, interpretari illam possumus de pœna non a publicis magistratibus, sed ab ultore Deo expectanda, leg. 2, principio cod. de reb cred., formula jurisjurandi subjecta post novellam 8, in fine. Neque e contrario facile quis probare poterit omni pœna immunes fuisse perjuros, aut ex leg. 21, ff. de dolo malo, aut ex leg. 15, ff. de exception., aut ex leg. 11, ff. de in litem jurando; istæ enim leges cum simili-

bus tantum pertinent ad jusjurandum, quo iis decidatur in civilibus caussis, in quibus statim ac juratum est, nihil aliud quærendum superest, leg. 28, § ult., ff. de jurejur., quamquam nonnihil novi in hac specie statuerit Justinianus, in leg. ult., cod. de reb. credit. Atque ego ita intelligenda puto verba illa Alexandri in dicta leg. 3, cod. eod. titul., *jurisjurandi contempta religio satis Deum ultorem habet*; cum ea lex aliis cohæreat constitutionibus, in quibus de jurejurando in litem sermonem fieri apertissime constat.

Recentioribus temporibus apud principes christianos intercesserunt religiosi antististes; ut certæ pœnæ adversus perjuros clarius ederentur, inter ceteros auctor canonis 40, cau. 23, qu. 5, quamobrem paullatim factum est, vel moribus, vel latis legibus, ut quicumque in damnum alterius perjurii reus dignosceretur, infamis haberetur, nec amplius ad jurandum in judiciis admitteretur, quemadmodum apud nos servatur ex § 11, lib. 3, tit. 14, regiarum constitutionum. Sacri vero canones jamdudum graves pœnitentias in perjuros indixerant, can. 18, caus. 6, quæst. 1, can. 17, caus. 22, qu. 1, can. 2 et sequentibus caus 22, qu 5, eosdemque infames, seu ab officiis ecclesiasticis arcendos esse voluerunt, can. 17, caus. 6, q. 1, laicis a communione ecclesiastica, donec satisfecerint, exclusis, clericis gradu suo aut in perpetuum dejectis, aut ad certum tempus pro admissi qualitate suspensis, can. 12, d. 81, can. 17, caus, 22, q. 1, can. 19, caus. 22, quæst. 5, c. 10, de judiciis, c. 10, de jurejurando, c. 2, in fide fidejussor., sublata facultate in eadem caussa, in qua perjuri fuerunt, actionem instituendi, aut persequendi coram prælato, argumento, c. 3, de jurejur., in 6, perpetuo etiam a ferendo testimonio exclusis, can. 18, caus. 6, qu. 1, can. 14, caus. 22, qu. 5, imo et obligatione imposita unicuique perjurios prævia monitione denunciandi, ut salutari pœnitentia apud ecclesiam facinus expientur, can. 8, caus. 22, quæst. 5. Plane quod traditur, clericos perjurii reos ab officio, et beneficio removeri, id tantum obtinet ex disciplina tribunalium in perjurio judiciali, quemadmodum ex regula Alexandri VI, de signatura gratiæ scripsit Rebuffus in tractatu de pacifica possessione, n. 218

Cum obligatione jurisjurandi promissorii, plurimum convenit obligatio voti, propterea quod utrumque in futuram rem faciendam, vel non faciendam sub præsentia divini numinis confertur. Votum ego definio pollicitationem factam Deo alicujus rei, cujus quidem laudabile consilium est, nullum autem est legis præceptum. Dico in primis pollicitationem factam Deo, ut initio adpareat votum naturam potius pollicitationis, quam pacti seu conventionis induere, est enim pactum duorum consensus, atque conventio, pollicitatio vero offerentis solius promissum, leg. 3, ff. de pollicitat Ex quo proficiscitur, voti obligationem ex parte voventis statim nasci, ubi promissum est, ex parte autem Dei, in cujus honorem votum elicitur, conferri in secretum ipsius voluntatis, cui gratum votum semper præsumimus, quousque aut agnoscimus, aut conjicimus, rem in votum deductam Deo placere, idest, ut ait Innocentius III, in cap. 7, de voto, ubi observata sint in voto hæc tria, primo, quid liceat secundum honestatem, deinde deceat secundum honestatem, postremo, quid expediat secundum utilitatem. Memorata quoque definitionis verba indicat discrimen, quod intercedit inter votum, et jusjurandum, sive in eo, quo jusjurandum interveniat in sponsionibus, quæ hominum gratia fiant, et tantum in testimonium veritatis divinum nomen invocetur; at votum totum et directo in Dei honorem conferatur; sive in eo, quod obligatio jurisjurandi accessoria sit respectu alterius obligationis confirmandæ, at ipsa voti obligatio sit principalis. Insuper eadem definitionis verba perspicue indicant discrimen, quod intercedit inter votum, et simplex animi propositum; multum enim distat pollicitatio Dei facta a deliberatione quadam animo concepta, qua quis proponat, se certam rem facturum, vel non facturum, quin Deo quidquam polliceatur. Huc pertinet vulgaris disputatio, qua quæritur, utrum ex nudo simplicive proposito quis obligetur, ac si votum effecisset. Et quid ad severioris philosophiæ regulas id exigatur, facile liquet, adeo repugnare, obligationem ex nudo proposito suboriri, ac repugnat, quemquam obligari sibimetipsi. Nascitur omnis obligatio vel ex lege, vel ex consensu. Quoties autem nulla sit obligatio legis, et de consensu agatur, tum demum obligatio proficiscitur ex consensu, cum quis consentit gratia vel honore alterius, minime sane ubi alterius non intersit, argumento, leg. 71, § 2, ff. de conditionibus, et demonstrationibus. In collectione Gratiani extat monumentum in can. 1, caus. 17, quæst. 2, ex quo deducitur, ex solo proposito religiosæ aliquando ineundæ professionis nullam emergere obligationem. In hanc ipsam sententiam ivit Alexander III, tum in cap. 3, de renunciat. tum in cap. 3, de voto. Gravem in contrarium ingerit difficultatem Innocentius III, in cap. 30, de Regular. habetur hoc caput in 3, Collectione decretalium, cap. 7, eod. tit. sub hac inscriptione: *Idem* (idest, Innocentius III) *Abbati de Affligerin. et magistro R. a persona ecclesiæ ceteren. et G. canonico Timacen.* Gonzalezius corruptam inscriptionem agnovit, et pro ea scribendum voluit: *Idem Abbati de Affligen. et Magistro R. et G. canonicis Trajecten.*, subjiciens,

rescriptum istud spectare ad Affligenium, monasterium admodum potens in diœcesi olim cameracensi, nunc mechliniensi situm, erectum in honorem D. Petri ab Henrico III, Lovanii comite, anno 1086 Scribit Innocentius, quæsitum a se frequenter fuisse, utrum qui monasterium est ingressus habitum sumendo novitii, si ante emissam professionem infra tempus probationis exire voluerit, licite possit absque apostasiæ nota, vel noxa ad sæculum remeare. Observat in hac re diversos diversa sensisse. Ipse autem distinguendum putat, an monasterium ingressus simpliciter, et absolute proposuerit vitam mutare, ut sub habitu regulari de cetero Deo famuletur, an potius voluerit statum monasticum experiri; sub conditione eum amplexurus, si placuisset, et, si non placuisset, animum habuerit revertendi ad sæculum moribus emendatus. In primo casu censuit, debere illum ad laxiorem saltem regulam pertransire; in secundo casu posse ad sæculum remeare; non tamen ut vivat sæculariter. Notanda profecto sunt postrema rescripti verba, quæ apud Gregorium IX, paullo aliter descripta sunt, quam leguntur in 3, collectione. Siquidem ita scribendum est. *In secundo potest ad sæculum, non tamen ut vivat sæculariter, remeare; ut quæ sit ejus intentio, plenius agnoscatur, propositum suum in principio protestetur. Hac ergo distinctione diligenti meditatione pensata, circa dilectum F. Trajecten. Decanum inquiratis sollicite, quæ videritis requirenda, et statuatis canonice, quæ videritis statuenda.* Ita exposita Innocentii doctrina, ego in primis observo, Innocentium nihil novi in hac re adversus generalia principia statuisse, quod statim liquet ex eo, quod postquam tradidisset, frequenter se fuisse interrogatum, et de ea diversos diversa sensisse, item se utilem credere distinctionem allatam, nihil aliud concludendum arbitratus est, quam esse interrogandum eum, de quo agebatur, et denique statuendum canonice, quod visum fuerit statuendum. Ergo cum regulæ canonum nunquam in simplici proposito obligationem induxerint, nec Innocentius voluit, ex sola animi deliberatione, quæ votum non esset, obligationem induci. Præterea observo, Innocentium caute admodum rescripsisse, quasi non absolutam et in jure consistentem definitionem esset pronunciaturus, sed quasi multa ex facto non satis liquido pendere doceret, unde pro varietate adjunctorum varia quoque sententia esset proferenda. Huc spectat, quod initio profitetur, se *a multis*, et *frequenter* fuisse interrogatum; huc, quod deinde subjicit, *diversos diversa sensisse*; huc, quod monet, eum, de quo quærebatur, *in principio*, idest dum prudentes viros de ea re consuleret, *protestari propositum suum*; huc, quod concludit, *inquirenda esse sollicite, quæ visa fuerit requirenda.* Insuper observo, Innocentium in distinctione duorum casuum proponenda non legislatorem agere videri, sed potius eum, qui prudens consilium pro facti adjunctis sequendum, vel non sequendum proponat, dum ait *nos credimus distinguendum*; prævidebat enim forte utilem futuram eam distinctionem, si certa fuissent facti adjuncta, de quibus esse suspicio poterat, forte autem inutilem in aliis facti adjunctis, quæ Innocentium latebant; atque id est, quod Innocentius subjicit, non indiscriminatim eam distinctionem esse servandam, sed potius esse *diligenti meditatione pensandam*: quorsum enim diligenti meditatione adhuc pensandum esse definivisset, si certa juris regula distinctio inniteretur? Post hæc generaliter prænotata, ex quibus liquet, multa animo versavisse Innocentium, quæ in rescripto prudentissime non expressit, liceat mihi conjicere Innocentii mentem. Verosimile est, eum, de quo quærebatur, hominem fuisse variis, et quidem non levibus criminibus olim deditum, qui deinde pœnitentiæ caussa, forte ex sacerdotis absolventis judicio, monasticam vitam amplecti, aut monasterium ingredi sine voto, sed simplici animi deliberatione proposuerat; aut saltem verosimile est, ita fuisse Innocentium suspicatum, ob frequentem consuetudinem illius ætatis juxta quam qui morum emendationem proponebant, se ad monasteria pœnitentiæ caussa vel ex legis præscripto, vel ex sacerdotum mandato conferebant, cap. 11, vers. *Quamquam autem* de renunc., cap. 12, in fine de pœnit et remiss., cap. 30 et 40, de simonia, cap. 2, de apostatis, cap. 2 de adult. cap. 2, de cler. non ordin. min., cap. 1, 2 et 3, de eo qui furtive. In his facti adjunctis verosimilibus jure poterat Innocentius distinguere, an propositum fuisset de ingressu in religionem simpliciter, et absolute, an potius animo explorandi religionem, et sub conditione, si placuisset, profitendi. In priore casu prudens erat consilium, ut pœnitens, cui monasterium electum non placuisset, ad aliud monasterium, seu *ad laxiorem saltem regulam pertransiret.* Neque enim pœnitentia coercenda erat intra muros electi cujusdam, aut eligendi monasterii: satis videbatur monastica quæcumque professio, quam ubi pœnitens in quocumque monasterio inivisset, satis ostendebat signa pœnitentiæ, satis etiam se a præcedentis depravatæ vitæ consuetudine distrahebat. In posteriore casu, cum non absolute indicta pœnitentia esset, neque absolute suscepta, dandum erat consilium, ut recedi a monasterio posset, dummodo pœnitens *non sæculariter*, utut in sæculo, viveret. Notanda sane sunt illa verba rescripti: *moribus emendatus*, et illa: *non tamen ut vivat sæculariter*; hæc enim bene perpensa

facile insinuant, hanc esse germanam Innocentiani rescripti interpretationem. Revera id salubriter statuebatur respectu ejus, qui pœnitentia expiaturus erat admissa crimina, quæ scilicet si non in monasterio, saltem extra monasterium, idest in sæculo, non vivendo *sæculariter* expiaret. His adhuc adjicio, non interrogatum fuisse Innocentium, an is, qui proposuerat vitam religiosam inire, et non omnino susceperat, tanquam apostata habendus sit, sed an posset *absque apostasiæ nota, vel noxa, præsertim cum debita morum correctione ad sæculum remeare*? Dubia erant illa verba, *apostasiæ nota, vel noxa*; ex quibus colligere poterat Innocentius, interrogantem de industria utramque commemorasse, idest, et apostasiam, et aliam culpam, ne videretur speciem apertam proponere de eo, qui divina vocatione, et sponte accesserat ad monasterium, sed etiam de eo, quem pœnitentiæ agendæ caussa in monasterium recipi privata spiritualis utilitas postulabat. Augebant suspicionem Innocentio verba illa *præsertim cum debita correctione*; non enim debite corrigi dicitur, nisi is, qui antea excessisset, et pœnitentiæ foret subjiciendus. Denique observo, eum, de quo quærebatur, fuisse Trajectensem decanum, qui sane privato proposito non aliter potuerat ad monasterium relicta Trajectensi ecclesia transire, quam si certæ caussæ legitimæ a superiore probatæ extitissent. Recens tunc erat constitutio Concilii lateranensis sub Alexandro III, edita, quæ habetur in cap. 7, vers. *inferiora* de elect., ubi damnatur consuetudo illis sæculis recepta, ex qua personæ minus idoneæ ad Decanatus ecclesiarum promovebantur, eæ nimirum, quæ in minori ætate essent constitutæ, et quæ sacerdotio initiari negligebant. Cautum inde fuit, ut deinceps nemo decanatum susciperet, nisi vigesimum quintum annum natus, et idoneus ad sacerdotium, item, ut decani jam constituti quantocius ad presbyteratus ordinem ascenderent, *si canones non obsisterent*. Ex his decanis aut erat decanus ille Trajectensis, aut saltem eum esse potuisse Innocentius suspicabatur; videlicet et sacerdotio insignitus non erat, et ne sacerdotio initiaretur, canones obsistebant, quia forte erat irregularitate notatus. Ut autem satisfaceret menti lateranensis concilii, salubre consilium ceperat, ut ecclesiam derelinqueret et in monasterium se reciperet. Revera ab ecclesia jam abscesserat, et habitum religiosum induerat. Innocentius, qui lateranensem canonem in ea parte non jus, sed dispensationem continere noverat, eo animo se esse indicabat, quo nollet, eum decanum post depositam dignitatem iterum ad ecclesiam reverti, eamque ob rem ita respondere debuit, ut insinuaret, quoad fieri posset, optimum decani propositum esse servandum. Quoties hæc interpretatio recipiatur, frustra excitantur dubitationes illæ, quas intuemur excitatas a Fagnano ad dictum capitulum 20, num is, de quo quærebatur, vere votum religionis elicuisset, an simplex propositum; num ex susceptione habitus tacita professio videretur inducta; num diceretur potius apostata, an inconstans, qui propositum deseruisset, et alia hujus generis, quæ sane in gravissimas difficultates inducunt, utinam non pluribus consectariis occasionem dedissent germanæ canonum disciplinæ contrariis.

Revertamur in viam: Dixi, in voto inesse pollicitationem Deo factam alicujus rei, cujus quidem laudabile consilium est, nullum est legis præceptum. Postrema hæc definitionis verba indicant, voti materiem non aliam esse, quam ea, quæ lege præcepta non sunt. Qua in re ego votum proprie sumo, non improprie, prout significat quamcumque Deo factam promissionem, ut distinguantur singulares obligationes, quæ ex vi votorum privatorum pendent, ab obligationibus communibus, quæ votis confirmantur potius, quam constituantur. S. Thomas in 4, dist. 38, q. 1, et in Summa secunda secundæ qu. 88, art. 2, quærebat, an in iis, quæ necessaria sunt, votum consistat; et distinguit inter ea, quæ absolutæ necessitatis sunt, quæ nimirum etiam invitis eveniunt, et ea, quæ necessario sunt implenda caussa adipiscendæ æternæ salutis, de quibus tamen implendis, vel non implendis libertas in homine est. In prioribus ait, votum sane esse, veluti siquis voveret se moriturum. In posterioribus ait, votum improprie consistere, veluti siquis voveret, se servaturum divina præcepta; ac concludit, votum nonnisi in rebus, quæ consilii sunt, proprie existere. Revera cum omnis obligatio aut ex legis potestate imponatur, aut ab homine propria voluntate adsumatur, cum utraque concurrat, et voluntas hominis, et legis potestas, proprie immutari non videtur natura obligationis, et quemadmodum siquis voveat, quod lege præceptum non est, non immutatur natura obligationis voluntariæ susceptæ ex eo, quod votum sequatur lex, generaliter præcipiens vota custodiri oportere; ita e converso siquid lex præcipiat, non immutatur natura obligationis, postquam quis voverit legis præcepta se impleturum. Quod si aliter sentiendum foret, singuli sane fideles in singulis fere actibus lege præstitutis, votis proprie obligarentur, quando scimus, passim fideles universos solere non tam proponere determinatione voluntatis, quam directa in Deum voluntate Deo promittere, se divina præcepta impleturos. Ipse Dei amor super omnia, qui est de necessitate salutis, nos ita Deo devincire debet, ut ipsi polliceamur, nil acturos, quod Deo displiceat. Ita singuli in baptismo promisimus, ita renovamus promissa nostra

sæpius, præcipue vero cum ad sacramentum pœnitentiæ suscipiendum accedimus. Firmamus in his speciebus voluntate nostra, quod imminet nobis ex præscripto legis, non obligationem innovamus: veluti cum semel emissa vota confirmantur; nemo enim tunc dixerit, ex confirmatione voti novam obligationem induci. Scio quid respondeant, qui contra sentiunt. Ajunt ipsi, voventem servare præcepta, ita Deo promittere, ac si lege non obligetur. At repono: qui præscindere vult a divino præcepto, et ita agere, ac si nullum sit præceptum, et voluntariam exequi promissionem, non optimum, nec melius consilium suscipit, quasi eligat suæ potius voluntati semel constitutæ obtemperare, quam divinæ legi, quæ sane non est perfectioris obedientiæ species, cum obedientia legi divinæ debita virtus sit, et subjectio in Deum omnium maxima. Ob hoc autem ipsum nec votum proprie dici posset, cum votum non sit, ut ajunt scholastici, nisi de meliore bono. Quod si dicatur, voventem rem a Deo præceptam duplicem obligationem suscipere, primam in conspectu divinæ legis, alteram in conspectu propriæ voluntatis, replicabo ego, in primis inanem fore hanc voluntatis obligationem, utpote quæ jam in lege inest, de re autem inani supervacaneum est votum; deinde promissionem illam ad summum in ea parte utilem esse, qua qui pollicetur reminiscitur actu obligationis, quæ sibi imminet, eandemque renovat, unde attentior fit ad observationem divinorum mandatorum, quæ sane recordatio non distinctam obligationem proprie inducit; denique promissionem illam esse renovationem æque voluntariæ obligationis, quam in baptismo suscepimus; et si in baptismo votum emissum esse non inficiantur, dicendum esse aut votum voto superadditum innovare obligationem, aut hujus generis votorum proprie dici non posse specialem obligationem. Fateor tamen aliquando, et ex accidenti fieri posse, ut votum etiam sub se contineat rem certam, quæ sub præcepto cadit, veluti siquis voveret singulis diebus sabbathi jejunaturum, et certa adveniente die sabbathi jejunium servandum sit ex præcepto. Votum illud suo ambitu complectetur etiam sabbathi diem, qua sub præcepto jejunium indicitur, et qui non jejunat, in eo etiam delinquit, quod votum violaverit, non in specie, sed in genere suo; propterea quod non in speciem, sed in genus voluntaria suscepta est obligatio, et in genus ipsum recte, ac proprie votum conferre poterat. Opponunt adhuc, qui contra sentiunt, eum, qui vovet rem præceptum, dici admittere sacrilegium, si votum simul, ac præceptum violet. Velim ego, ut observarent, non semper sacrilegium proprie dici, sed aliquando improprie referri ad quamcumque legis divinæ, veluti per se sacræ, violationem, veluti cum dicitur Cain sacrilegium admisisse, cum Deo mentitus est, juxta phrasim Ambrosii in canone 47, de pœnit. dist. 1. Sed de hac impropria sacrilegii significatione agendum erit in sequenti dissertatione, cap. 1.

Quemadmodum ubi tria illa concurrunt in voto, quæ ab Innocentio III, commemorantur in cap. 7, de voto, nimirum ubi vovetur, quid licet secundum æquitatem, quid decet secundum honestatem, et quid expedit secundum utilitatem, grave crimen est apud Deum non implere promissum, cap. 6 et 10, eod. tit., cap. 13, de regular., ita e contrario si unum desit, aut irritum omnino votum est, aut auctoritate superioris caussa cognita rescindendum, can. 5, caus. 22, quæst. 4, cap. 7, 9 et 11, de voto. Irritum est ipso jure votum primo, quoties res turpis, vel inhonesta, aut prorsus inanis in votum deducta fuerit: imo et tunc non sine salutari pœnitentia dimittendus est vovens, propterea quod vel impie, vel temere Deo promiserit, nisi aut rusticitas, aut ignorantia voventem excuset, aut nisi forte esse cœperit inane, quod initio cum voveretur, utile foret. Secundo irritum est votum ipso jure, cum libere, et ex consensu emissum non fuerit; clamant enim juris regulæ, obligationes consensu impositas irritas esse, ubi consensus fuisse non deprehenditur, cap. 15, de regularibus. Rescinditur votum facto hominis, vel illius ejusdem, qui vovit, vel illius, cujus potestati vovens obnoxius est, vel ecclesiastici superioris; fit autem id vel immutatione, vel redemtione, vel dispensatione. Immutatio est, cum promissum opus in aliud opus convertitur, vel in idem opus perfectius implendum. Redemtio est, cum data pecunia in pios usus eroganda quis a voto absolvitur. Dispensatio dicitur, cum Antistes divina auctoritate, prout res incidit, prudenti arbitrio, et veluti cum interpretatione divinæ voluntatis, voti obligationem remittit in totum, vel in parte relaxat. Itaque quoties qui vovit petat votum in melius commutari, observandum erit, an votum in eodem propositi genere commutandum sit, an minus. Si in eodem propositi genere commutatio voventi placeat, et in melius poterit id sponte exequi vovens, quin necessaria sit superioris auctoritas, uti contingit in eo, qui postquam vovit ad certum tempus in monasterio manere, perpetuam deinde monasticæ vitæ professionem emittere meditatur, cap. 4, de voto. At si commutatio non in eodem propositi genere fiat, ad superioris officium pertinebit inquirere, an revera quod secundo proponitur, Deo acceptius sit futurum, et tum demum auctoritatem suam declarando interponere, cap. 1, de voto. Præterea quoties qui vovit, licet plenum habuerit vovendi consensum, exequi tamen votum inconsultis aliqui-

bus nequeat, ex. gr. filius inconsulto patre, uxor inconsulto marito, monachus inconsulto prælato, clericus inconsulto episcopo, episcopus inconsulto metropolitano, vel pontifice maximo, tunc quidem renuentibus iis, in quorum potestate vovens est, ad judicis arbitrium pertinebit, votum in aliam boni speciem immutare, quæ sine fraude, et injuria illius, a cujus potestate vovens pendet, impleri possit, cap. 7, 8 et 11, de voto, juncto, cap. 11, de convers. conjugat. Insuper quoties voventis sit quidem consensus, sed infirmus, veluti in puero, aut libertas quidem sit, sed infirma, veluti in eo, qui metu adactus vovit, facile superioris arbitrio obligatio relaxabitur, indicta tamen redemtione quadam, videlicet impositis lenioribus quibusdam officiis, quæ rei in votum deductæ locum quodammodo teneant, cap. 2, de voto, cap. 5, qui clerici vel voventes. Denique si nova supervenerint adjuncta, quibus positis aut votum impleri non posset, aut non expediret, veluti in eo, qui in ægrotationem inciderit, observandum erit, an impedimentum tempore sit cessaturum; tum vero prorogabitur voti executio, cap. 8, de voto, an vero perpetuum impedimentum sit, tum vero auctoritate superioris redemtioni dandus erit locus, argumento capituli 4, de regulis juris.

Nomine superioris, ad quem dispensatio sive absoluta, sive redemtionis, aut commutationis caussa facienda, pertinet, regulariter intelligimus eum, qui ordinariam jurisdictionem in diœcesi exercet; est enim species hæc non fori pœnitentialis, sed publica quædam potestas, ubi non a criminibus, sed ab obligatione legitima dispensatio petitur. Regulariter inquam, etenim ex recepta disciplina tria vota excipiuntur, quorum dispensatio reservatur pontifici maximo. Primum est votum hierosolymitanæ peregrinationis, de quo agitur in cap. 2, 5 et 9, de voto, alterum est votum ingrediendi religionem, postremum est votum non conditionale perpetuæ continentiæ. In jure communi hæ reservationes non continentur; usu potius inductæ fuerunt. Et quamquam passim in medium proferatur extravagans ult. in fine de pœnit. et rem. int. com., ibidem tamen tantum statuitur, ne qui ex pontificio privilegio obtinuerunt, ut a votis dispensarent, privilegium illud extenderent ad ea vota singularia: de ordinariorum autem potestate ne verbum fit. Imo cum in dicta extravag. ult. fiat etiam mentio de voto visitationis liminum apostolorum Petri et Paulli, item de voto peregrinationis in Compostellam, tradi cœpit, et receptum est moribus, ut hæc etiam vota, quod ad dispensationem attinet, forent pontifici maximo reservata. Qui plura desiderat, adeat Barbosam de offic. et potest episc. allegat. 37. Quod spectat ad continentiæ votum, locus hic videretur opportunus, in quo duplicem ejus speciem, solemnis nimirum ac simplicis, indicarem, variaque utriusque jura, ac rationes expenderem. Verum satis de hac re ad interpretationem capituli unici de voto in 6, actum fuit in tractatione de juribus conjugiorum, ad quam opportunum erit unicuique respicere. Tantum addam, in voto simplici observari, ut siquis illud non impleat, nullis publicis pœnis coerceatur, sed tantum in foro pœnitentiæ satisfactioni congruæ subjiciatur, quod ut plurimum ejusmodi vota privatim fiant, unumque Deum et testem habeant, et annuentem; at si publice delinquatur contra vota solemnia, imminere reis gravissimas pœnas, ita ut monachi monasteria deserentes, habitumque abjicientes, sicuti clerici laicorum more sæcularem vitam ineuntes, tanquam apostatæ habeantur, pœna carceris plectendi, donec resipiscant, interea etiam ad majores ordines ascendendi denegata facultate, cap. 1, 5 et ult. de apostatis, juncto canone 18 et 19, caus. 27, qu. 1. Quod si non adeo graviter adversus vota emissa delinquant, superioris arbitrio relinquitur, modo asperiorem, modo leniorem pro admissi qualitate pœnam infligere, cap. 4, § 1, de judiciis, juncto, cap. 21, de accusationibus.

DISSERTATIO TERTIA.

DE CRIMINIBUS,

QUIBUS INJURIA IN RES DEO SACRAS INFERTUR.

Quum res Deo sacræ sint ab humano commercio exemtæ, et quasi divini juris esse dicantur, facile percipitur, injurjam in ipsas illatam ita gravem haberi propemodum, ac si directo adversus Deum illata fuisset, quemadmodum tradiderunt patres concilii aquisgranensis II, anni 836, can. 6 Evenit id potissimum in sacrilegio, simonia, spreto cultu sanctorum, item spreto cultu sacramentorum.

CAPUT I.

De sacrilegio.

Latissime patere potest sacrilegii nomen, cum pluribus in locis usurpetur pro quocumque delicto adversus divinam legem veluti rem quammaxime sacram admisso, c. 7, de reg. jur., l. 1, cod. de crim. sacrileg. Factum inde fuit, ut velut sacrilegi haberentur, qui alteri desponsatam sibi matrimonio jungerent, can. 50, cau. 27, qu. 2, l. 3, in fine cod. ad leg. jul. de adulter. qui schismate ecclesiam dividerent, qui rebaptizarent, qui blasphemarent, can. 35, cau. 23, qu. 5, qui potestate sibi a Deo tradita abuterentur, can. 5, cau. 24, qu. 3, qui mendacium coram Deo proferrent, can. 47, de pœnit. dist. 1, qui magos, aruspices, et quosvis ejusdem generis homines sectarentur, can. 5, cau. 26, q. 5, qui judæis occasionem præberent injuria potestatem exercendi adversus christianos, can. 31, cau. 17, q. 4, qui non sinerent rite ecclesias ordinari, can. 125, cau. 1, q. 1, ut alios bene multos omittam. Imo et juxta imperatorias constitutiones sacrilegium admitti pronunciatum est quoties principis auctoritas directo læditur, vel quum de ejus judicio quæritur, lib. 3, cod. de crimine sacrilegii, vel cum non obtenta ab eo potestate publicam sibi quis jurisdictionem usurpat., l. ult, cod. eod. tit., l. 1, cod. ut dignitatum ordo servetur. Hæ sane sunt impropriæ nominis significationes. Etenim proprie sacrilegium quasi a sacris rebus legendis definit Isidorus, in lib. 5, Originum, cap. 26, *furtum rerum sacrarum*, quemadmodum sumitur, in can. 3, 5, 10, cau. 12, q. 2, can. 4, 5, 18, cau. 17, q. 4, can. 3, cau. 23, q. 4, et cap. 22, de sentent. excommunic. Revera si ad veteres Romanorum leges respiciamus, non alia in specie sacrilegium admitti, et sacrilegii pœnas imminere traditum est, quam ubi quis res Deo sacras abripuisset, vel suppressisset, l. 4, 5, 6 et 9, § 1, ff. ad leg. Jul, pecul. Paullo latius ecclesiasticorum canonum auctores sacrilegii nomen sumsere, juxta quos definitur *rei sacræ violatio*, unde emersit vulgaris sacrilegii divisio in personale, locale et reale, prout vel persona, vel locus, vel res Deo sacra violatur, can. 21, cau. 17, q. 4. Hinc mihi displicere non potest illorum opinio, qui putant, quoties emergat disputatio de pœnis adversus sacrilegos generali lege indictis, distingui oportere inter ecclesiasticos canones, et civiles constitutiones; ita ut si de pœna a canonibus imposita agatur, sacrilegorum sub nomine veniant quicumque vel personam, vel locum, vel rem Deo sacram violaverint; at si agatur de pœna civilibus legibus præstituta, iis tantum imminere dicatur, quousque aliud non sensisse legislatorem adpareat, qui res Deo sacras subripuerint.

Itaque ecclesiastico jure primo sacrilegium admittitur in personas Deo sacras, veluti cum adversus episcopos, vel majores prælatos, sacerdotes, et omnes in clero constitutos injuria infertur, cædendo, vulnerando, aut contumeliis afficiendo, lib. 10, cod. de episc. et cler., can. 21 et 29, cau. 17, quæst. 4, cap. 5, de pœnis, in 6, clem. 1, eod. tit. quod adeo verum est, ut etiam obtineat in clericis conjugatis, si in clericali tonsura, et habitu incedant, et cum una tantum nec vidua contraxerint, cap. 1, de cleric. conjug,, in 6. Imo idipsum dicendum erit, si agatur de monachis, utut ecclesiasticis ordinibus non initiatis, cum et isti singulari jure Deo devoti sint, et sub religiosarum personarum nomine veniant, dicto, can. 21 et 29, cau. 17, quæst, 4, cap. 5, 9 et 10, de sent. excommun. quod et recta interpretatione ad sanctimoniales facile protrahes, argumento canonis 40, caus. 27, quæst. 1, utpote quæ solemni voto Deo dicantur. Quamobrem sequitur, sacrilegium etiam admitti ab eo, qui sanctimonialem aut rapuerit, aut etiam volentem turpi conjunctione maculaverit, l. un., cod. de raptu virgin., can. 14, 17 et 37, caus. 27, q. 1, quem-

admodum et sacrilegii reus fieret clericus monachusve, quisquis statutas continentiæ leges violaret, can. 2 et 3, dist. 28, can. 11, caus. 27, q. 1.

Secundo admittitur sacrilegium ex disciplina canonum in loca sacra, vel cum sacræ ædes diruuntur, vastantur, incenduntur, invaduntur, can. 6, caus. 17, quæst. 4, can. 22, caus. 24, q. 8, quibus jungi potest, lex 1, ff. ad leg. Jul. majest. et lex 2, cod. de collegiis, vel cum ecclesiastici conventus temere turbantur, l. 10, cum authentica sequente, cod. de episc. et cler., l. 5, cod. de his, qui ad eccles. confug., vel cum certamina, rixæve in sacra æde committuntur, can. 7, caus. 17, quæst. 4, vel cum quis in templis sacris, quasi in profanis locis, conversatur, cap. 1, 5, 6 et ult., de immunit. eccles., cap. 1, eod. tit. in 6, vel cum ludi theatrales, et profana spectacula in eisdem celebrantur, cap. 11, de vita et honest. cleric. Quæ omnia ita vera sunt, ut non solum locum habeant in ecclesiis consecratis solemni dedicatione, sed etiam in ecclesiis simplici benedictione institutis, dummodo in iis sacra jam mysteria obeantur, cap. 9, de immunit. ecclesiar. Huc pertinet, quod tradi solet a pragmaticis, sacrilegii reos illos haberi, qui reos ad ecclesiam confugientes vi facta abstrahunt, quod æque et religiosorum imperatorum constitutionibus, et ecclesiasticis canonibus definitum videmus, lib. 1 et 6, cod. de his, qui ad eccles. confug., can. 8, 9, 10, 19 et 20, caus. 17, quæst. 4, cujus disciplinæ triplex caussa esse dignoscitur, et prima quidem sita est in clementia erga miseros delinquentes exhibenda, altera consistit in providentia quadam, qua per pœnitentiam potius, quam pœnas delinquentes coerceantur; postrema sita est in honore quodam erga sacras ædes exhibendo. Equidem prima caussa in jure divino fundamentum quoddam positum habet, secunda in ecclesiastica disciplina, postrema in consuetudinibus apud varios populos receptis, ac moribus comprobatis. Quæ singula ubi quisquam apprime consideret, forte noverit varias pragmaticorum doctrinas invicem conciliare, aut saltem ita conferre invicem, ut medius inter disputantes sedens certam, aut valde probabilem sententiam proferat.

Dixi, primum disciplinæ caussam sitam esse in clementia erga miseros delinquentes exhibenda, atque id fundamentum quoddam habere in jure divino. Clementia hæc est, non in quoscumque indiscriminatim reos fovendos, sed eos tantum, qui miserabilius deliquissent. Promiserat olim Deus in costituenda judæorum republica se certa loca designatarum, in quæ se conferret, qui non omnino sponte positisque insidiis hominem occidisset, Exodi, c. 21, vers. 13. Clarius, in c. 35, Numeror. ita Deus præcepit: *De ipsis autem oppidis, quæ Levitis dabitis, sex erunt in fugitivorum auxilia separata, ut fugiat ad ea, qui fuderit sanguinem, et exceptis his alia quadraginta duo oppida, idest, simul quadraginta octo cum suburbanis suis.* Executurus Moses præcepta Dei legitur, in c. 4 Deuteronom. tres civitates trans Jourdanem ad Orientem plagem designavisse, ut confugeret ad eas, *qui occiderit nolens proximum suum, nec sibi fuerit inimicus ante unum et alterum diem, et ad harum aliquam urbem possit evadere.* Insuper mandavit Deus, in c. 19 Deuteronom., ut cum judæi terram gentium occuparent, separarent tres civitates refugii nomine, ad quas posset evadere, qui propter homicidium profugus esset, hac lege dicta: *Qui percusserit proximum suum nesciens, et qui heri, et nudius tertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur, sed abiisse cum eo simpliciter ad ligna cædenda in sylvam, et in succisione lignorum securis fugerit manus, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit, et occiderit, hic ad unam supradictarum urbium confugiet, et vivet; ne forsitan proximum ejus, cujus effusus est sanguinis, dolore stimulatus persequatur, et apprehendat eum, si longior via fuerit, et percutiat animam ejus, qui non est reus mortis; quia nullum contra eum, qui occisus est, odium prius habuisse monstratur... Si quis autem odio habens proximum suum insidiatus fuerit vitæ ejus, surgensque percusserit illum, et mortuus fuerit, fugeritque ad unam de supradictis urbibus; mittent seniores civitatis illius, et arripient eum de loco effugii, tradentque in manu proximi, cujus sanguis effusus est, et morietur: non misereberis ejus, et auferes innoxium sanguinem de Israel, ut bene sit tibi.* Eadem leguntur, in c. 20. Josue, eo adjecto, ut qui hominem nescius, seu casu occidisset, in civitatem refugii se recipiens ibidem moraretur, donec staret ante judicium caussam reddens facti sui, et moreretur sacerdos magnus, qui illo tempore fuisset. Plura hinc colliguntur; et primum de sacris locis ibidem non agi, sed de civitatibus singulari jure designatis; secundo non de quibuscumque delictis immunitatem fuisse concessam, sed de homicidio casu quodam admisso; tertio immunitatem datam adversus cognatos occisi, qui deprehensum occisorem ad ulciscendam defuncti necem jugulare impune potuissent, Numerorum, c. 35, vers. 19, 20 et 21. Tota ergo, uti liquet, ejusmodi disciplina ex humanitate, ac clementia proficiscebatur in eos merito exhibenda, qui casu deliquissent; longe autem distat hoc asylum ab eo, quod Romulus, dum urbem conderet, reis quibuscumque constituit inter Palatinum et Capitolium, cujus finis erat ut nova civitas eo confluentibus hominibus

augeretur. Quæ si velis hodiernæ immunitati ecclesiarum accommodare, eatenus æquali ratione accommodabis, quatenus cum ecclesiæ præ urbibus refugii designatæ fuerint ad asylum suppeditandum, clementia erga eos exhibeatur, qui sunt clementia, ac miseratione digni qua in re divinum quodammodo jus versari videtur, ut aut prorsus innoxii quascumque pœnas, aut qui levius delinquerint, gravissimas pœnas evadant.

Non hic tamen consistendum est: accessit enim in constituenda immunitate ecclesiarum altera caussa secundo loco a me commemorata, ac sita in providentia quadam, qua per pœnitentias potius, quam pœnas delinquentes coerceantur, quod fundamentum habere dixi in ecclesiastica disciplina. Mos erat in vetere ecclesia, ut quicumque reï publici criminis existerent, ubi demisso animo ad ecclesiam, idest ad ædes sacras, et ad sacerdotes in illis merentes confugerent, exciperentur quidem leniter, non tamen societati fidelium reconciliarentur primum, quam per longas, et quidem asperas pœnitentium stationes transgressi emendati fuissent. Duplex in conspectu publicæ severioris pœnitentiæ bonum emergebat, primum publicum, quo læsæ christianorum societati, ecclesiæ, ac Deo satisfiebat, quod fieri posset; alterum curata rei ejusdem emendatio, atque in meliorem frugem conversio. Horum bonorum spe illecti ecclesiarum antistites, ubi rei criminum sese in ecclesiam sisterent pœnitentiam arbitrio ecclesiæ suscepturi, nihil antiquius habebant, quam ut apud religiosos principes, aut curatores reipublicæ pro reis pœnitentibus intercederent, quo qui penitentiam suscipiebant, pœnis publicis liberarentur, quousque in ecclesia mererent sub pœnitentiæ disciplina; atque id facile a piis principibus, aut reipublicæ curatoribus impetrabant, præsertim ubi quædam subesse poterat erga reum criminis miseratio. De hoc intercedendi munere mentionem fecit Gregorius Magnus, in can. 3, caus. 14, qu. 6, Gelasius, in can. 3, dist. 86, Augustinus, in can. 4, caus. 23, quæst. 5, mentio etiam fit in capitularibus Francorum, seu, in can. 9, caus. 16, quæst. 4. Quid vero est, quod sub nomine Gregorii Magni legimus, in can. 8, caus. 23, q. 5. *Reos sanguinis defendat ecclesia, ne effusione sanguinis particeps fiat?* Nihil tale legitur apud Magnum Gregorium. Potius obscurus quidam auctor perperam hæc sub Gregorii nomine consarcinavit, putans paucis referre sententiam Gregorii, quæ habetur in dicto can. 3, q. 87, his verbis: *Hi, qui in furtis publicis implicati sunt, a nobis non videantur juste defendi, ne opinionem male agentium ex indiscretæ defensionis ausu in nos ullo modo transferamus; sed quantum decet ecclesiam, admonendo, et verbum intercessionis adhibendo, quibus valetis, succurrite, ut et illis opem feratis, et opinionem sanctæ ecclesiæ non inquinetis;* quod jam observaverunt Romani correctores, quodque etiam maxime animadvertendum est, cum longe distet unius ab alterius monumenti sententia. Nemo insuper in contrarium proferat quasi ex Augustino depromptum canonem 8, caus. 17, q. 4. Eam enim epistolam Lovanienses primum theologi, deinde Maurini monachi ab Augustino, cujus nomine laudatur, abjudicarunt. Potius ego laudabo duo germana Augustini monumenta, ex quibus demonstretur, qualis fuerit quinti ecclesiastici sæculi disciplina: ait ille, in epist. 115, ad Fortunatum Cirtensem, episc. de quodam Faventio, qui ad ecclesiam hipponensem confugerat: *Is cum ab ejusdem possessionis, domino, nescio quid sibi metueret, ad hipponensem confugit ecclesiam, et ibi erat, uti confugentes solent, expectans quomodo per intercessionem nostram sua negotia terminaret.* Item in sermone 18, de verbis Domini ita eum adloquebatur, qui reus ad ecclesiam confugerat: *Contremiscis, conturbaris, pallescis, ad ecclesiam curris, videre desideras episcopum ad pedes ejus volutaris, domine concutior, domine in carcerem mittor, miserere mei. Ego quidem curro propter carnem tuam; utinam tu curreres propter animam tuam.* Quod si adhuc quisquam opponat in medium canonem 10, caus. 17, q. 4, notabo ego, monumentum istud Gelasio tributum non levi falsitatis suspicione carere, quemadmodum observandum mihi fuit in meis animadversionibus in Gratianum Jure autem dixero, ubi certa constat ex alia perspicuis monumentis modo laudata veterum disciplina, frustra istam productis incertis capitibus posse turbari.

Denique in confirmanda ecclesiarum immunitate accessit postrema caussa cultus, et reverentiæ in sacras ædes exhibendæ, quod dixi fundamentum habere in consuetudinibus apud varios populos receptis, ac moribus comprobatis. Equidem deberi sacris ædibus reverentiam, divini juris est: qua vero ratione reverentia præstetur, et num ad reverentiam spectet ecclesiarum, reos ab ecclesiis abducere, ex moribus hominum fuit judicandum. Jamdiu post institutum imperatoris munus, et dignitatem invalueral ad honorem Cæsarum, ut quicumque ad statuam principis confugisset, in ea reperiret asylum, in quo tutus esset ab omni vexatione, præsertim illorum, quorum potestatem ac vim metuisset, quales ut plurimum erant servi iram domini fugientes, lib. 2, ff. de his qui sunt sui vel alieni juris, l. 1, § 1, ff. de offic. præf. urbi, lib. 17, § 12, de ædilitio edicto. Res eo protracta fuit, ut qui voluisset impune delinquere, passim secum imaginem Cæ-

saris circumferret ad injuriam in alios inferendam. Ad quem cohibendum abusum, opportunum fuit ita cavere, ut quidem fugientibus alienam iram statuæ principis asylo essent, non iis, qui delinquendi impunitatem exinde sperabant, lib. 28, § 7, ff de pœnis, l. 5, ff. de extraor. crimin., l. 38, ff. de injur. Retenta etiam hæc consuetudo fuerat apud christianos imperatores, adeo ut imagines imperatoriæ etiam solemni ritu dedicarentur, t. un. cod. theodos. de imaginibus. Theodosius imperator ita statuit, in l. unica, cod. theod. de his qui ad statuas confugiunt. *Eos, qui ad statuas vel evitandi metus, vel creandæ invidiæ caussa confugerint, ante diem decimum neque auferri ab aliquo, neque discedere sponte perpetimur; ita tamen, ut si certas habuerint caussas, quibus confugere ad imperatoria simulacra debuerint, jure ac legibus vindicentur; sid vero proditi fuerint artibus suis invidiam inimicis creare voluisse, ultrix in eos sententia proferatur.* Integra descripsi verba legis, propterea quod nonnulla omissa fuerint a Triboniano, qui eam retulit in codicem justinianeum, l. un., eod. tit. Similem saltem honorem deferri ecclesiæ, seu sacris ædibus oportere quis dubitavisset? Eam ob rem quicumque servi dominos timebant, ad ecclesiam confugiebant, ut clericali intercessione domini ira placarentur, atque interea domini a coercitione temperarent; multi etiam alii publicorum criminum rei ad sacras ædes confugiebant, sperantes futurum, ut intercessione clericorum a pœnis publicis absolverentur, uti superius observabam, quod facile concedebatur, ne minor cultus et reverentia in ædes Deo sacras, quam in principum statuas, exhiberi videretur. Quando vero non in omnibus delictorum speciebus tutus esse poterat, qui ad statuas principum confugiebat, ita nec in omnibus criminum speciebus cautum fuit jure romano, ut tutum asylum in ecclesiis inveniretur; unde variæ consuetudines inductæ ad definiendum certum honorem in ecclesias exhibendum sine eversione publicæ disciplinæ.

Post hæc generaliter observata, generaliter concludi potest, maxime laudabilia semper fuisse utriusque potestatis concordata in hoc argumento inita, ut dum hinc publica tranquillitas adversus scelestos tuetur, illinc et clementia locum habeat, et certus honor ecclesiis decernatur. Nam si primo clementiam illam respicias, quæ habet fundamentum in jure divino, ad certos tantum casus referri debet. Si providentiam consideres ecclesiæ quæ olim reos excipiebat pœnitentia emendandos, eaque de caussa pro reis intercedebat, optando erit provido viro, ut rei ita ab ecclesia defendantur, ut dum in sacris ædibus merent, pœnitentiæ signa publice pandant. Si decus perpendas ecclesiis debitum, modus quidam erat definiendus, quo nihil hinc honori detraheretur, illinc rigor disciplinæ improbos homines adhuc contineret in officio, præsertim postquam auctus est numerus ecclesiarum. Hinc ne injusta in atrocioribus flagitiis videretur esse clementia, can. 33, cau. 23, qu. 4, cavendum fuit prudentissime, ne omnes indiscriminatim intercessione ac tutela ecclesiæ juvarentur, ut desperatione veniæ homines a tantis sceleribus facilius abstinerent. Quamobrem et cives publici ærarii debitores, et judæos creditores suos fallentes tutos esse in ecclesia noluerunt, etiamsi isti sponderent, Christo se nomen daturos, ne forte et ecclesiam simulata conversione decipiant, nisi creditoribus satisfecerint, aut se delicto purgaverint, l. 1, cod. theodos. de his qui ad eccles. confug., lib. 1, eod. justinian. cod. tit. quemadmodum nec servos potestate dominica liberari cupientes, lib. 4, cod. eod., can. 22, 23, 36, caus. 16, qu. 4, cap. 6. de immunit. nec publicos latrones, aut nocturnos depopulatores agrorum, dicto, cap. 6. eod. tit. neque eos, qui in ecclesia delinquerunt, cap. ult., eod. neque eos, qui sponte et deliberato consilio hominem occiderunt, cap. 1, de homicid. Addidere nonnulli, nec injuria, adulterii, aut raptus reos, ex novella 17, cap. 7, interea tamen non satis in eo definiendo securos se esse crediderunt, quod offenderent in canonem 3, caus. 36, qu. 1, ad cujus interpretationem rati sunt pugnare jus ecclesiasticum civili, proindeque in aliam quæstionem se adduci senserunt non adeo facile digerendam, an in proposito jus ecclesiasticum anteferri, an civile oporteret. Ego facilius arbitro, utrumque monumentum, sive Justiniani, sive patrum aurelianensium, ad diversos provinciarum mores, ad diversos etiam tempora esse exigendum, quando certum est, concilium aurelianense I, ante novellas Justiniani fuisse celebratum, et in iis provinciis, quæ græcorum imperio tunc minime suberant. Non memoro, quid pragmatici ulterius excipiendo tradant de crimine læsæ majestatis, de crimine peculatus, de iis, qui publicis rationibus tenentur obnoxii, et similibus, siquidem hujusmodi controversiis apud nos finis impositus fuit post inita utriusque potestatis concordata. Tantum dicam, ex sanctionibus legum, et canonum disciplina declaratum fuisse, ut quod sacrarum ædium, sive ecclesiarum gratia cautum est, protraheretur ad atria et sacraria, sive diaconica, lib. 3, cod. de his qui ad eccles. confug. ad cemeteria, ad domus episcopales et clericales, et ecclesiæ diversoria, dummodo hæc loca ecclesiis ipsis cohæreant, l. 4, cod. theodos. de his qui ad eccles. confug., can. 7, 20, 36, caus 17, q. 4. c. 5, de immunit eccl., c 7, de consecr. eccl.

vel alt., cap. un., eod. tit. in 6, c. 17, de sent. excom. etenim olim clericorum ut plurimum in commune viventium habitacula pone ecclesiam ædificabantur, can. 4, cau. 12, q. 1. Ad auferendas autem controversiarum occasiones aliquando certi limites definiendi fuerunt, intra quos loci sacri immunitas contineretur, uti deducitur ex, can. 6 et 21, c 17, quæst. 4, quamquam tamen in urbibus, et oppidis, ubi templa laicorum ædibus pene cohærere debuerunt, illud observari vix potuerit, unde moribus potius, quam lege scripta, ea in præsentia regitur disciplina. Protractum quoque id fuit ad monasteria, can. 21, in fine, cau. 17, q. 4, item ad loca religiosa, in quibus actoritate Antistitum pia hospitalitatis officia exercentur, c. 4, de relig. dom. Sed iterum hic ob multiplicatas ecclesiarum, oratoriorum, sacellorum, locorumque religiosorum erectiones, opus fuit publicis inter utramque potestatem ineundis conventionibus, quas, quod ad nostras provincias attinet, unisquisque intelliget ex recentibus, quibus instruimur, concordatis.

Tertio, et quidem proprie, uti diximus, admittitur sacrilegium in res sacras, quando nimirum quis furatur, aut rapit res Deo consecratas, quas sane nemini licet in profanos usus aliquando convertere, can. 3, cau. 12, q. 2, c. 51, de reg. jur., in 6, can. 38, et sequentibus de cons. dist. 1. Et quamquam nomine sacrarum rerum proprie illæ veniant, quæ sacerdotali prece sunt dedicatæ, lib. 6, § 3 et lib. 9, ff. de rer. divis. in proposito tamen etiam sacra intelligitur pecunia, et bona universa, quæ ad cultum sacrorum ab ecclesia possidentur, lib. 4, 5, 6, ff. ad leg. jul. pecul., can. 5, caus. 12, quæst. 2, can. 3, 5, 12, 18. et passim caus. 17, quæst. 4, imo et sacra intelligetur obsignata pecuniæ quantitas ecclesiæ ultima alicujus voluntate relicta, ita ut qui eam mortuo testatore sibi usurpat, sacrilegus judicetur ob dominium rei legatæ in ecclesiam ipso jure translatum, quemadmodum ego intelligo canonem 4, caus. 17, quæst. 4, argumento, lib. 3, cod. de furtis. Hinc est, quod clerici beneficia possidentes sacrilegi appellentur, si, quod superest ex honesta sustentatione in sacros piosve usus erogandum, in profanos convertant, can. 6, caus. 1, qu. 1, can. 68, caus. 16, quæst. 1, can. 71, cau. 12, qu. 2, cap. 4, de pecul. cleric. Ulterius progressi sunt juris ecclesiastici conditores; quamquam enim apud romanos veteres sacrilegus non haberetur, qui rem privatam in sacra æde depositam subripuisset, lib. 5, ad leg. jul. pecul. ecclesiastici tamen antistites eum sacrilegum appellaverunt, quod dixerint, triplex in hac specie sacrilegium esse posse, videlicet cum quis furatur aut sacrum de loco sacro, aut sacrum de loco non sacro, aut non sacrum de loco sacro, can. 21, cau. 17, quæst. 4, ob singularem injuriam, quæ in Deum seu ratione loci sacri, seu ratione rei sacræ semper infertur. Nomine autem loci sacri, non privatum, sed publicum locum sacrum intelligo, propistereaquod ita intellexerunt jureconsulti veteres, lib. 9, § 1, ff. ad legis jul. pecul. a quorum traditionibus minime constat, patres ecclesiasticos in hac parte recessisse.

In tot et tam variis sacrilegii speciebus, quarum aliæ, uti statim agnoscitur, multo sunt aliis atrociores, imo et toto fere cœlo, ita dixerim, invicem distant, æquissimum fuit, non una eademque pæna universos sacrilegos sine discrimine coerceri. Est sacrilegium quoddam criminis genus, quod multorum criminum species ad se trahere potest, cum sacrilegium in homicidio, in adulterio, aliisve nefarii, conjunctionibus, in furto, in rapina, in injuriis, in damno dato, aliisve pluribus admittatur. Quamobrem quis dubitet, generaliter sacrilegii scelus extraodinarium posse appellari, leniore modo, modo asperrima pœna dignum? Ut primum de sacrilegio, dicam, quale apud romanos veteres habebatur, lege duodecim tabularum, uti refert Tullius, lib. 2, de legibus, statutum erat, ut qui sacras res subripuisset, parricida foret; deinde legibus Juliis puniri cœpere sacrilegi pœna peculatus extra ordinem infligenda, scilicet habita personarum, ætatis, sexus, temporis, et rei ratione; hinc alios scimus vivos exustos, alios bestiis objectos, alios furcæ suspensos, alios publicatis bonis deportatos, alios in metallum damnatos, alios flagellis cæsos, et in exilium missos, l. 3, 4, 6, 9, 10 et 11, ff. ad leg. Jul. pecul. Quod si sacrilegium late sumatur, prout in sacris canonibus sumitur, tanquam violatio personæ, lociva sacri, varias quoque noscimus pro varietate criminis, et adjunctorum, seu civiles religiosorum imperatorum constitutionibus indictas, seu ecclesiasticas canonum pœnas. Etenim eos, qui sacra ministeria turbaverint, vel celebrari prohibuerint, capite puniti constitutum est, nov. 123, c. 31, lib. 5, cod. de his qui ad eccles. confug., et qui atrocem in sacros administros, dum sacra celebrarentur, injuriam intulerint, flagellis cœdi, et in exilium mitti, dicta nov. 123, cap. 31, ex qua immutata fuit disciplina, leg. 10, cod. de episc. et cler. juxta quam hæc injuria a rectoribus provinciarum etiam non postulantibus episcopis erat capitali pœna vindicanda. Præterea ii, qui ad ecclesiam confugientes vi facta abstraxissent, tanquam rei læsæ majestatis olim habebantur, lib. 2, cod. de his, qui ad eccles. confugiunt. Verum media ecclesiæ ætate in hac sacrilegiorum specie non constans ubique servata fuit juris disciplina ob varias, quæ prodie-

runt leges, modo apud græcos, modo apud longobardos; siquidem apud græcos obtinuit, ut qui confugientes ad ecclesiam propria auctoritate abstraxissent, verberati et tonsi deportarentur, l. 2. cod. de crim. sacrileg. ex tit. 46. Basilicorum in codicem justinianeum translata, de qua videris Armenopolum in epitome juris, lib. 6, tit. 5. Idem Armenopulus in promtuario juris civilis ita tradit, lib. 2, tit. 9. *Qui ad ecclesiam confugiunt, usque ad fines ecclesiæ, qui ante publicum forum sunt, tuti sunt. Verum armis ne se muniant. Servus cum armis ad ecclesiam confugiens exinde protinus abstrahatur. Resistens vero summa vi abripiatur, ac extrahatur, et si pugnans ceciderit, absque ulla noxa sit, qui in eum invasit Dominus. Neque homicidis, neque adulteris, neque virginum raptoribus delinquentibus, quæ de terminorum cautione et tutela tradantur, observabis, sed et inde extrahes, et pœnam meritam irrogabis. Quæ enim ex sacris cautio, et immunitas competit non injuria afficientibus, sed affectis a lege conceditur. Qui ad sacram ecclesiam confugientem propriæ auctoritate revellit, et extrahit, verberibus affectus, ac rasus relegatur.* Quamobrem Isidorus Mercator juxta recentiores sui temporis mores tradere non dubitavit, sacrilegos infamia, carcere, exiliove puniri, in can. 13, cau. 17, quæst. 4. Apud longobardos receptum fuit, ut compositio ob violatam templorum immunitatem data pecunia fieret, ad quam respexit concilium triburiense in can. 7, 20, 25 et 26, juncto can. 27 et 28, cau. 17, quæst. 4 Adversus occisores episcoporum, et cardinalium prodierunt posterioribus sæculis pontificiæ constitutiones, quales exhibentur, in capite 5, apud Bonifacium VIII, et in capite 1, apud Clementem V, de pœnis. Canonice quoque pænœ adversus sacrilegos variæ præstitutæ fuerunt pro qualitate delictorum; hinc contra eos, qui ecclesias diruunt, vastant, spoliant, incendunt, indicta fuit pœna excommunicationis tamdiu quamdiu rei congrue non satisfaciant, et damna resarciant, can. 1, 6 et 21, cau. 17, quæst. 4, cap. 2 et 5 de raptor., cap. 22, de sentent. excomm. concilio tridentino, sess. 22, de reform., cap. 11, item præceptum est a communione eos excludi, qui extra caussas jure moribusve probatas violenter extrahunt confugientes ad ecclesiam, can. 10, 11 et 35, caus. 17, quæst. 4, aliquando vero publicæ pœnitentiæ subjici, can. 14 et 20, caus. et quæst., et si clerici sint, e gradu suo dejici, can. 19, ibidem. Præterea adversus sacrorum administros res ecclesiasticas præter caussas et sollemnitates abs jure probatas alienantes, cautum aliquando fuit, ut de gradu suo deturbarentur; deinde statutum, ut certis pœnis subjicerentur quales præstituntur in extrav. un. de rebus ecles. non alien. int. com. In aliis autem caussis, in quibus adversos sacrilegos singularis pœna indicta non adparet, extra ordinem potuerunt ecclesiarum antistites in reos animadvertere.

Prætereunda sane non est vulgaris prudentia, quæ obtinuit post constitutionem concilii lateranensis, anni 1139, sub Innocentio II, in can. 29, cau. 17, qu. 4. Nimirum, quidquid olim vigeret juxta canones 22, 23, 25, 26, 27, 28, eadem quæstione, cautum legimus, ut *si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum, vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, et nullus episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandatum suscipiat.* Nova fuit pœnalis hæc sanctio, primum edita in concilio rhemensi, anni 1131, can. 13, eisdem verbis concepta; ac deinde in dicto lateranensi concilio confirmata, et in generalem ecclesiam prorogata. Hinc liquet, quid sentiendum sit de capitulo 9 de vita, et honestate clericorum adscripto Gregorio VII, qui vixit ante tempora et rhemensis, et lateranensis concilii quique in fine illius rescripti ita respondere videtur, ac si et rhemensis, et lateranensis canonis sanctionem moderetur. Falso tributum est rescriptum illud Gregorio VII, ac verius tribuendum erat Gregorio VIII, qui post lateranense concilium floruit. Et revera in Collectione I. Decretalium, cap. 10, idem rescriptum recensetur sub nomine Gregorii VIII, imo auctor ejusdem collectionis, qui in recensendis pontificum monumentis temporum ordinem peræque observavit, rescriptum illud recensuit post rescripta Alexandri III, quod etiam notari potest, in collectione Gregorii IX. At vero si rescriptum illud Gregorii VII, foret, non Gregorii VIII, collocati debuisset ante rescripta Alexandri III, quem Gregorius VII, non Gregorius VIII, tempore antecessit. Tria observanda sunt in conspectu laudati decreti lateranensis, quorum primum spectat interpretationem illorum verborum *suadente diabolo*, alterum spectat anathematis pœnam inflictam in eum, qui in clericum vel monachum violentas manus injecerit, postremum spectat reservationem absolutionis ab eodem anathemate.

Ad interpretationem illorum verborum *suadente diabolo* non dimoveor ab iis, quæ animadvertenda censui in meis lucubrationibus in canones gratianeos, ubi tradidi, occasionem edendo huic canoni præbuisse Arnaldum quemdam Brixiensem, qui adversus ecclesiasticam hierarchiam, statumque monasticum impie insurgens nihil antiquius habebat, quam ut passim excitaret universos, quo in monachos, clericos, antistites, ipsum etiam

pontificem maximum vi facta irruerent, cæderent ac bonis omnibus spoliarent. Certum est, in eo concilio lateranensi Innocentii II. Arnaldum fuisse damnatum: certum est, Arnaldum ea in clerum universum odia concitavisse, adeo ut plures jam urbes contra ecclesiam commovisset. Quid clarius ad attingendam patrum lateranensium mentem, ut inferamus, tum demum pœnæ illius canonis locum fuisse, cum conceptum in ecclesiasticam hierarchiam, et monasticos ordines odium inferendæ injuriæ caussam dedisset? Nihil sane referebat, an privatim, an publice facta injuria proponeretur; nihil etiam referebat, ubi de monachis ageretur, an injuria illata esset adversus professum, an adversus eum, qui tantum monasticum habitum suscepisset, et in tyrocinio versaretur. Quum enim adversus omnes has personas æque Arnaldistarum animus debaccaretur, optimum fuit definire, locum esse pœnæ concilii, c. 7, de sentent. excommunic., cap. 2, in fine eod. tit., in 6. Si hæc vera sunt, quemadmodum ego verissima censeo, liquet profecto, pœnalem concilii sanctionem certis tantum in casibus circumscribi; videlicet tum pœnam anathematis dictam fuisse, cum quis odio cleri, et monasticarum institutionum in clericos, vel monachos injuriam intulisset. Cæterum hæc interpretatio licet in jure fundamentum habeat, parum tamen in facto consistit, quando scimus, ex respectis subsequentibus pontificum maximorum, pœnam illius canonis ad omnes species prorogatam fuisse, quibus injuria illata deprehenderetur, vel in clericos, vel in monachos, etiam ab eo, qui aut nunquam induisset, aut semel indutum deposuisset animum Arnaldistarum. Hanc pœnalem extensionem de specie ad species postulavit utilitas publica, postulavit etiam sagax agendorum prudentia, in qua ubi impiæ sectæ evertendæ sunt, rigor, et austeritas adhibenda est, quibus tamen eversis conandum est, ut rigor ille et austeritas, clementia et moderatione temperetur. Ita sese gesserunt pontifices maximi. Cum primum Arnaldistarum hæresis grassabatur, ob ingentem illorum multitudinem recipiendum erat, ut quicumque in clericos, vel monachos impiam manum intulissent, ita lateranensis canonis pœnis subjacerent, ac si Arnaldistarum furore correpti fuissent, cap. 5, 9, 19, et passim de sentent. excommunic. Cum vero imminui cœpit Arnaldistarum numerus, adhuc tamen aliqui erant, non omnes conjecturæ sublatæ fuerant, quibus in eadem disciplina perseverandum esse crederetur. Tandem vero cum severior pœna videretur, certi casus excipiendi erant, quibus pœna lateranensis concilii locum non haberet. Hinc exceptio probata est, quo casu ex animi levitate, seu joco quis clericum læsisset, c. 1, de sentent. excommunic.; item quo casu quis ex officio, puta magister discipulum, prælatus subditum corrigat, aut laico corrigendum mandet, dicto. cap. 1 et 36, eodem tit., cap. 15, eodem, in 6, itidem quo casu quis vim a clerico illatam repellat, aut injuram inferentem clericum coerceat, quemadmodum contingit in specie, capituli 3 vers. *nec ille* eod. tit., insuper qno casu quis clericum percutiat divina officia impedientem, cap. 16, eod. tit., aut tractantem negotia sæcularia, a quibus nec post tertiam prælati sui admonitionem recesserit, cap. 25 et 45, eod., aut eum, quem clericum esse ignoraverit, cap. 4, eod., denique quo casu quis non mandaverit quidem clericum ludi sed ratam injuriam ab alio illatam habuerit, dummodo ratam habentis nomine illata non fuerit, cap. 23, de sententia excommunicationis in 6.

Verba illa lateranensis concilii *anathematis vinculo subjaceat*, si ita interpretanda essent, quemadmodum sonant, forte intelligerentur de pæna anathematis non ipso jure inflicta, sed per sententiam judicis infligenda. Observo in primis ad hanc rem, censuras, ut ajunt, latæ sententiæ parum frequentes illa ætate fuisse, adeo ut extra caussas hæreticorum vix ante sæculum duodecimum demonstrari illorum exempla possint. Observo deinde, in dubio potius ferendæ, quam latæ sententiæ censuram indictam intelligi, ob generalem regulam, quæ suadet, ut in dubio mitiorem semper interpretationem sequamur. Observo insuper, verbum illud *subjaceat* dubium esse posse, cum æque subjacere quis possit anathemati ex juris potestate, atque ex judicis sententia. Observo denique, verbum illud *subjaceat*, et in præcedentium conciliorum canonibus, et ab ipso lateranensi concilio ita in aliis canonibus fuisse usurpatum, ut ad ferendam sententiam referretur. Cum præcedentium sæculorum canones memoro, laudare possum canonem 101, caus. 1, qu. 1, ubi in certis criminibus pœna dicitur in episcopum, ut duobus mensibus *excommunicationi subjaceat*, et in Presbyterum, ut quatuor mensium *excommunicatione plectatur*. Quamobrem liquet, verbum *subjaceat* promiscue sumi cum verbo *plectatur*, quod tamen verbum nomine dubitante ad excommunicationem ferendæ sententiæ refertur: secus dicendum, etiam gravius puniri episcopum, quam presbyterum contra mentem patrum toletanorum, qui episcopi pœnam bimestrem, presbyteri quadrimestrem esse voluerunt. Cum memoro alios canones ejusdem concilii lateranensis, video similem formulam *subjaceat* legi, in can. 47, caus. 12, q. 2, quem tamen passim de excommunicatione ferendæ sententiæ interpretantur. Adjicere possum, hanc formulam de ferendæ sententiæ censura intellexisse Innocentium III, in cap. 4, de crimine

falsi, dum in primis statuit *sub pœna excommunicationis et suspensionis*, ne in impetratione literarum apostolicarum fraudes admitterentur, et contra trasgressores jubet, ut *si laicus fuerit, excommunicationi subjaceat, si clericus, suspensione damnetur*. Verba illa *sub pœna excommunicationis, et suspensionis*, indicant nemine diffitente censuram ferendæ, sententiæ: ne igitur Innocentius videatur sibi contradixisse, de simili pœna intelligenda erunt illa verba *excommunicationi subjaceat*, eo vel magis, quod ista ad laicos referenda respondeant aliis in clericos referendis *suspensione damnetur*, quæ exprimunt censuram ferendæ sententiæ. Itaque et ante concilium lateranense, et in ipso lateranensi concilio, et post lateranense concilium verbum *subjaceat* non indicavit latam juris sententiam. Cur igitur indicavisse concludetur in dicto, can. 29, caus. 17, qu. 4. Scio, quid nonnulli dixerint ad hanc rem. Observaverunt post illa verba *anathematis vinculo subjaceat*, statim prosequi lateranenses antistites; *et nullus episcoporum illud præsumat absolvere*, *etc.* Si, inquiunt, statim lateranenses patres de absolutione cogitaverunt, conjectura est, supposuisse eos, reum criminis jam fuisse censura ligatum. Speciosa est hæc conjectura, non tamen tanti momenti, ut perspicue insinuet de sententia lata sanctionem pænalem fuisse conceptam, cum æque possit reservari pontifici maximo absolutio censuræ ab homine ferendæ ac latæ abs jure. Ad summum dubia videretur in hac parte constitutio; in dubio autem concludi nequit, agi de sententia jure lata. Ceterum hæc disputari quidem possunt in conspectu lateranensis canonis, seposita consuetudine, quæ aliter canonem illum est interpretata. Nimirum post editum illum canonem passim creditum est, et moribus receptum, ut ipso jure violatores legis anathema incurrerent. Postulabat id atrocitas sceleris, præsertim inter adjuncta ubicumque baccantium Arnaldistarum; idque passim subsequentes pontifices suis rescriptis confirmaverunt, quorum magna pars habetur sub tit. de sent. excommun., adeo ut concludere possim, sententiam anathematis in ea parte, qua dictur ipso jure intelligi infligi potius ex interpretatione canonis rescriptis pontificiis confirmata, quam ex vi lateranensis constitutionis; neque enim interest, an certa lex initio aliquid statuat, an statutum interpretatione quadam et auctoritate publica ulterius extendatur, ut liqueat, quid sit, prout res incidit, judicandum. En autem caussam, quare subsequentibus sæculis multæ, uti modo adnotatum est, invectæ sunt exceptiones, ne disciplinæ rigor in interpretatione potius legis, quam in lege ipsa fundamentum habens nimis asper videretur, cessantibus adjunctis, quæ summam suadebant asperitatem, idest cessaute furore Arnaldistarum.

Postrema canonis verba indicant absolutionem ab anathemate pontifici Maximo reservari. Etiam in hoc rigor disciplinæ servandus erat, ubi de Arnaldistis ageretur. Successit interpretatio, qua passim tradebatur, reservationem habere locum, etiamsi qui clericum monachumque percussit, non esset addictus sectæ Arnaldistarum. Et quidem initio opportunum erat ita recipi, et rescriptis pontificiis confirmari, ut unusquisque magis, ac magis averteret se ab Arnaldistis. Ast postquam horum secta prorsus interiit, pontificiis rescriptis multæ exceptiones adjectæ fuerunt, aut immutata disciplina, aut declarationibus factis ad dubia sæpe emergentia dirimenda. Exceptiones istæ duplicis generis sunt, vel perpetuæ, vel temporales. Perpetua exceptio est in impuberibus, in senibus, in mulieribus alienæ potestati subjectis, et in sanctimonialibus, cap. 1, 6, 13, 33 et 60, de sentent. excommunicat., horum enim gratia concessa est episcopis facultas absolvendi ab excommunicatione. Item a Prælatis suis absolvuntur monachi invicem se percutientes, cap. 2 et 51, eodem titulo, quemadmodum et clerici communem vitam agentes, cap. 9, in fine de vita, et honest. cleric. Adde his ostiarium officio suo insistentem, et sub prætextu sui officii malignantem, uti dicitur, in cap. 3, de sentent. excommunic., nisi gravis injuria fuerit; imo et universos, qui levem admodum injuriam intulerint, c. 17, eodem titulo. Temporalis exceptio est, qua interea per episcopum absolutio indulgetur ex emergente necessaria caussa, fide præstita, ut, quum facultas fiat, ad sedem apostolicam confugiatur. Non memoro casum mortis instantis, quem exceptum expresse voluerant patres lateranenses in dicto, can. 29, tunc enim vel unusquisque sacerdos poterit indulgentium sub ea fide impertiri. Tantum dixero, exceptioni locum generaliter fieri, quando tale subest impedimentum, quo quis ad pontificem maximum sine gravi salutis, aut vitæ discrimine accedere nequeat, aut alia simili de caussa, c. 6, 11, 13 et 26, de sentent. excommunicat. De servis nihil adjicio, cum expressum legatur summi pontificis rescriptum, in c. 37, eod. tit.

Ex iis, quæ hucusque de dissimilibus sacrilegorum pœnis tradita fuerunt, facile colligitur, sacrilegium jure a pragmaticis appellari crimen mixti fori, in quo scilicet puniendo et publicorum magistratuum potestas in pœnis publicis infligendis exercetur, et ecclesiastica explicatur jurisdictio, quod ad pœnas canonicas attinet, quin reus post exactas canonum pœnas, et absolutione obtenta, excipere possit adversus publicos magistratus, ne legitimis pœnis apud ipsos coerceatur, quemadmodum expresse tradidit Bonifacius VIII, in cap. ult., § *per hoc quoque* de pœnis.

CAPUT II.

De Simonia.

Huc referendi sunt tituli 1, 4 et libri 5.

Non interiit, utinam autem interiisset, cum auctore suo teterrima illa lues, quæ a Simone Mago nomen accepit, et quam disparem esse a sacrilegio tradidit Gregorius magnus in can. 1, caus. 1, qu. 3. Irrepsit id scelus, ut iterum cum Gregorio loquar in can. 13, caus. 1, qu. 1, de radice pestifera, atque in ipsa origine sua, apostolica fuit detestatione damnatum; cum enim Simon apostolis pecuniam obtulisset, ut facultatem emeret conferendi Spiritum Sanctum, gravissime objurgatus fuit a Petro his verbis: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Actorum, cap. 8. Ecquidem quatuor prioribus ecclesiæ sæculis non adeo frequens fuit occasio viris ecclesiasticis, ex qua illud crimen admitterent, propterea quod ecclesiæ necdum bonis temporalibus abundarent. Quando vero fidelium fuit amplior liberalitas, luxuique, atque avaritiæ locus datus est apud clericos, sæculo præsertim quinto et sexto, simoniæ crimen plurimorum animos occupavit, unde Gregorius magnus sæpe ac sæpius debuit simoniacos reprehendere, uti liquet ex variis illius pontificis monumentis relatis apud Gratianum, præsertim in caussa 1, qu. 1. Detestabilius grassatum fuit vitium illud sæculo decimo et undecimo; inciderunt enim homines tunc in obscura tempora, et ferrea, quibus et germana doctrina, et sincera pietas, ac religio in Deum resque divinas visa fuit ab hominibus exulare. Pontifices maximi, inter ceteros Gregorius VII, Nicolaus II, Alexander II, Innocentius II et Callixtus II, passim in suis epistolis, ac conciliis curaverunt, ut tantis ecclesiarum incommodis remedium adhiberetur, quorum diligentiam sectati fuerunt plures ecclesiarum Antistites, adeo ut sæculo undecimo et duodecimo vix celebratum concilium adpareat, in quo canones editi non fuerint ad damnandam, detestandamque simoniam. Definitur autem simonia, studiosa voluntas emendi, vel vendendi res spirituales, aut spiritualibus adnexas.

Fuerunt qui scriberent, ob atrocitatem criminis simoniam hæreseos nomine fuisse in sacris canonibus appellatam, uti in can. 3, 4, 5, 11, 13, 28, caus. 1, quæst. 1, can. 14, caus. 3, cap. 5, de simonia, atque simoniacos eam ob caussam fuisse inter hæreticos enumeratos ab Isidoro Hispalensi in canon. 39, caus. 24, quæst. 3. Illi meo judicio simonia cum simoniaca hæresi perperam confuderunt. Siquidem quod spectat ad can. 59, caus. 24, quæst. 3, ibidem Isidorus recensuisse videtur simoniacos inter hæreticos, non quod sacra emerent, aut venderent, sed quod dicerent, *creaturam non a Deo, sed a virtute quadam superna creatam.* Quod autem spectat ad ceteros canones, in quibus simoniaca hæresis memoratur, observo, duo distinguenda esse crimina longe dissita inter se, quorum aliud simoniacam hæresim appellare rite quis potest, aliud simplicem simoniam. Siquidem simonia vitium sine hæresi proprie dicemus eum admittere, qui pro certo habet, res sacras emi vendive non posse, interea tamen aliud agit, et res sacras pretio emit, aut vendit, non vitio intellectus, sed voluntatis. At simoniacam hæresim nominabimus, cum quis non tam facit, quam fieri posse putat detestabilem rerum sacrarum, aut sacris cohærentium mercaturam. Id facile intelligit, quicumque considerat, quibus temporibus editi illi canones fuerint, illis videlicet, quibus crimen adeo late serpebat, ut non tam voluntatem simoniacorum, quam mentis judicium infecisse videretur. Et sexto et decimo et undecimo sæculis erant, qui variis effugiis simoniacorum notam evasuri, pallia in simoniam inducebant, quorum magna pars dicebat, se emere, aut vendere non sacramenta, non professionem religiosam, non ecclesiastica ministeria, et officia, non sepulturam, non res quascumque sacras, aut religiosas, sed aut temporales præbendas ministeriis adnexas, aut jura alimentorum in collegiis monachorum, aut clericorum, pensiones annuas in numerata pecunia consistentes, solum in sepultura, cæmenta in ecclesiis, oleum in chrismate, et alia hujus generis, quorum ratione dicebant nullum admitti vitium simoniæ. Ecquis tanquam hæreticas non damnavisset hujusmodi opiniones, quibus admissis disciplina ecclesiastica tota corrumpebatur, et vix erat, qui simoniam admittere probaretur, utut simoniacus esset; quando vix sacra essent, quibus hæc jura accederent?

Quando vero vel ipsi Ethnici piaculum censuerunt res divinas, vel sacras humano commercio obnoxias relinqui, l. 6, 22, 23 et 24, ff. de contrahenda emtione, nemo non potest intelligere insignem criminis turpitudinem, quæ triplicem habet caussam. Primum adparet in eo, quod corporalis res impari sane mensura divinæ rei æquiparetur. Alterum adparet in eo, quod qui potestatam, jusve sacrum pecunia accepta, facturus, concessusve est, dominum se esse credat, quum sit dispensator, qui ex divino mandato audivit: *gratis accepistis, gratis date,* Matthæi, c. 10. Postremum adparet in eo, quod ita in rebus sacris quis putat se posse versari, ac si profana quæque tractaret. Si hæc segula meditatione pensentur, statim liquebit, non omnia

simoniæ crimina esse paria, sed alia aliis graviora; etenim in pluribus concurrunt peræque memoratæ omnes turpitudines, veluti cum res mere sacræ, puta sacramenta, venduntur, emuntur; in aliis inerunt quidem postremæ duæ turpes notæ, non prima, veluti cum venduntur pensiones, jura alimentorum in collegiis, et monasteriis, ac similia.

Multiplex est simoniæ species, sive consideretur illa ex parte personarum res sacras aut dantium, aut accipientium, sive consideretur ex parte rei, quæ pretii locum tenet, sive consideretur ex parte rei spiritualis, quæ pretio æstimatur, sive denique consideretur ex parte legis, quæ simoniam prohibet.

Ex parte personarum res sacra vel dantium, vel accipientium alia mentalis a pragmaticis appellatur, alia realis. Mentalem simoniam dicunt, quando aut adquirere, aut exercere, aut concedere aliis spiritualia quis intendit, præcipue ut temporales obventiones, quæ juri spirituali cohærent, lucretur, quin tamen ulla vel expressa, vel tacita conventio interveniat; consistit autem in abusu quodam sacræ potestatis detorta intentione, ita ut qui res sacras suscipit petractandas, eo animo sit, ut usum earum flectat in commodum temporale. Exempla sunt in iis, qui ad sacros ordines, vel ad beneficia adspirant ea præcipue mente, ut redditus ecclesiasticos percipiant, seu in iis, qui dignitatem sequuntur, ut honoribus perfruantur, can. 3, dist. 59, can. 7, dist. 61, can. 20, caus. 19, quæst. 7, aut in clericis præcipue ob beneficiariorum fructuum perceptionem ecclesiastica officia persolventibus, aut in sacris oratoribus, aut in iis, qui sine pacto temporalia ecclesiæ offerant, non pietatis animo, sed ut spiritualia jura, præcipue ob temporale commodum prædicantibus, etiam temporalia præbendarum commoda consequantur, cap. 34, de simonia, aut, ut alia plura similia omittam, in iis, qui simili spe ducti dona monasteriis conferunt, cap. ult. eod. tit. sunt jura ecclesiarum veluti privilegia quædam honoris, certis de ecclesia optime meritis viris concessa: sunt præbendales fructus, et similes obventiones, veluti alimenta clerico debita ad sustentationem necessitatis, quemadmodum sancti Patres perpetuo locuti sunt. Non sunt tamen, nec esse debent fines, ob quos qui ecclesiæ ministret, aut in ecclesiam liberalis existat, apud eum, qui ordinate vult agere. Quod si quis pacto interveniente spiritualia concedit, ut temporalia consequatur, vel e converso temporalia accipit, ut spiritualia conferat, tunc simoniam realem admisisse dicetur. Quoniam vero in fraudem et divinæ, et ecclesiasticæ legis improbos homines callidas artes avaritia docet, non solum realis simoniæ reos appellabimus illos, qui expressam temporalis lucri pactionem iniverint, sed etiam qui ex conjecturis tacite pactum inivisse deprehendantur. Hinc simonia realis iterum tribuitur in conventionalem expressam, tacitam, et confidentialem. Quid expressæ nomine intelligatur, facile constat. Tacitam dicimus conventionem, quando prælatus, ad quem ex. gr. confirmatio electorum pertinet, ita moratur electos, ut differat electionem confirmare de industria, quousque temporale commodum nanciscatur, uti in specie capituli 33, de simonia. Confidentialem simoniam admittit quicumque non sincero animo ad beneficium præsentat, illudve confert, aut resignat, aut accipit, nec ita, ut in recens præsentato, cessionario, et quomodolibet instituto consistat, atque institutus ipse ecclesiæ deserviat, sed ut alterius gratia beneficium ipsum retrocedatur, aut transferatur, vel beneficiariorum redditTuum portio brevi manu donetur. Finge speciem: patronus præsentat clericum ad beneficium contracta fiducia, ut redditus beneficiarios vel in totum, vel in parte transferat in patronum. Finge aliam speciem: vacat parochiale beneficium: qui ad illud anhelat, conscius virium suarum amicum doctissimum rogat, ut ad concursum accedat, futurum sperans, ut ille ceteris concurrentibus præferatur, contracta fiducia, ut cum idem parochiale beneficium consecutus fuerit, tum illud beneficium roganti resignet. Finge aliam speciem. Patronus vacanti beneficio cupit, ut præficiatur amicus, aut cognatus, qui caussa ætatis adhuc inidoneus est. Præsentat interea extraneum cum eodem contracta fiducia, ut beneficium dimittat, cum amicus aut cognatus animo designatus idoneus esse cœperit. In his omnibus, ac similibus casibus simoniam confidentialem admissam esse deprehenditur. Hanc sane pestiferam confidentialis simoniæ labem recentioribus sæculis subortam detestati fuerunt pontifices maximi, præ ceteris Pius V, in constitutione 85, et quoniam illius veluti clanculum, et inter amicos contractæ difficilis esse solet probatio in judiciis, voluerunt, ejusdem caussa semiplenis etiam probationibus reum posse damnari. Præterea ex parte personarum admitti potest simonia, ut modo rem spiritualem conferentis simul et accipientis sit turpitudo, modo tantum conferentis rem spiritualem, cum ex. gr. ipse quid temporale accepit ab extraneo gratia suscepturi sacrum ordinem, aut beneficium de simonia minime conscii, cap. 50, de elect., cap. 27, de simon., modo tantum suscipientis rem spiritualem, cum ex. gr. rei spiritualis collator nullum lucrum sentit, aut quia pactio fit, ut detur pecunia vel ecclesiæ, vel pauperibus, can. 9, caus. 1, quæst. 3, aut quia ignorante collatore rei spiritualis ejusdem administris aliquid erogatur, cap. 1, de simonia, adeo ut etiam simonia dicatur admitti, cum neque concedens, neque recipiens conscii de simonia

fuerint, veluti siquis extraneus inscio clerico donaret aliquid, aut aliquid promitteret ministris episcopi minime conscii, ut episcopum ad concedendum clerico beneficium adducant. Tunc enim et collatio simoniaca per se foret, et qui aut dederunt, aut promiserunt, aut acceperunt, tanquam simoniaci habendi essent. Utinam hanc in rem ob oculos versaretur terribile exemplum Giezi, de quo mentio fit in can. 11 et 16, caus. 1, qu. 1, ex lib. 4, Regum, c. 1, ubi cum Elisæus salutem leproso restituisset, recusato quocumque munere et Giezi Elisæi puer quidquam oblatum accepisset, lepra divinitus percussus est; indicium enim ibidem est divinæ voluntatis, quibus docemur, ministrantes æque, ac sacrorum dispensatores a simoniæ crimine esse debere penitus alienos.

Ex parte rei, quæ pretii locum tenet, tripliciter simoniam admitti docuerunt et veteres Patres et recentiores pontifices maximi. Primus Hieronymus docuit, dum suæ ætatis jam invalescentes abusus dolebat, ita scribens in can. 6, caus. 8, quæst. 1. *Nunc cernimus plures hanc rem beneficium facere (hanc rem,* idest, tributionem ecclesiasticorum munerum) *ut non quærant eos in ecclesiæ erigere columnas, quos plus cognoscant ecclesiæ prodesse, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus majorum quisquam rogaveris, et, ut deteriora taceam, qui, ut clerici fierent, muneribus impetrarunt.* Sæculo sexto Gregorius magnus intuens simoniæ vitium latius grassari, tradidit, simoniam esse, ubi munus præstitum concessioni sacrarum rerum caussam daret, et conclusit in can. 114, caus. 1, qu. 1, aliud esse *munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus a manu pecunia est, munus a lingua, favor, munus ab obsequio est subjectio* (alii legunt *servitus*) *indebite impensa.* Cur non eadem doctrina confirmanda erat sæculo undecimo, cum primum omne studium renovatum est ad quamcumque simoniæ speciem ab ecclesia eliminandam? Præsertim quod tum temporis ministeria sacra, quæ onera gravissima per se sunt, nescio an dicam utili, an dulci *beneficiorum* nomine appellari cœpissent. Urbanus II, in can. 8, caus. 1, qu. 3, iterum vulgavit doctrinam priscorum sanctorum docens, simoniam admitti dando munera vel manu, vel obsequio, vel lingua. Manu simonia admittitur, cum pecunia intervenit, cujus nomine veniunt quæcumque bona temporalia, canon. 6, c. 1, quæst. 3. Atque id verum est, sive revera pecunia solvatur, sive solvenda promittatur, sive pecunia debita remittatur; quid enim si cui beneficium conferatur pacto intercedente, ut institutus vel debitum conferenti præsentantive remittat, vel majorem ultra debitam pensionem annuam solvat? Ita res erit, ac si pecunia pro beneficio solveretur, cap. 6, de pactis. A simoniæ etiam labe non erit immunis, qui collatori rei spiritualis gratum se fore profiteatur, spondendo ex. gr. se non futurum ingratum, aut se testando virum honestum esse, atque ad honestorum virorum consuetudine non recessurum Sunt enim hæc pallia quædam ad obtegendam simoniam, et sub quorum specie dum simonia admittitur, aperte simonia non profertur. Potiore etiam jure simoniacus erit, qui gratum se et facto et muneribus exhibeat post acceptum spirituale munus, quasi in quandam repensationem beneficii donans, nisi forte et dantis et accipientis qualitas, quantitas muneris, et donationis, tempus omnem simoniæ suspicionem delere videatur, uti in specie capituli 18, de simonia. Neque a simoniæ vitio erit immunis qui collatori rei sacræ promiserit, se certas res daturum vel ecclesiæ, vel pauperibus, quemadmodum aperte definivit Alexander II, in can. 9, caus. 1, quæst. 3, et Innocentius III, in cap. 34 de simonia. Etsi enim in hac specie rem sacram conferens avaritiæ notam evitet, semper tamen res sacras vendere deprehenditur. Quid vero, si non res temporalis pro spirituali, sed spiritualis pro spirituali tradenda in pactum adducatur? Contingit id, cum ex. gr. collaturus beneficium ad conferendum alicui deveniat, ut institutus alterum beneficium a sui collatione vel electione pendens alicui donet. Id simoniacum esse dicitur in cap. 11, de simonia; quamquam enim non adpareat in proposito illa simoniæ turpitudo, qua spiritualia temporalibus pendantur, adhuc tamen altera turpitudo, qua creditur, ita de spiritualibus, sicut de temporalibus mercaturam fieri posse. Quamobrem in permutationibus beneficiorum simoniam etiam admitti arbitrabor, nisi illæ fiant caussa a superiore cognita et probata, eaque, in qua ecclesiæ potius versetur utilitas, non privatum commodum permutantium, cap. 5, de rer. permutat. Obsequio simonia admittitur, cum res sacræ recipiuntur ob servitutem indebite impensam, ut ait Gregorius magnus in dicto can. 114, caus. 1, quæst. 1, uti enim scribit S. Thomas in 2, 2, qu. 100, a 5. *Idem est, quod aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporalis exhibito, vel exibendo, ac si daret pro pecunia data, vel promissa. quia illud obsequium æstimari posset.* Ad rem Petrus Damiani ita non nullos sui temporibus perstringebat, qui a simoniæ labe se immunes jactabant, eo quod nullam talenti summam se daturos pro sumendis honoribus pepigissent, scribens in epist. 1, lib. 2. *Dic mihi, o clerice, quisquis es, si redemto aureo vase vel prædio, distractor exigeret, ut retento apud te vice pretii, hujusmodi sibi sedulitatis impendium exiberes, numquid non postmodum constanter assereres, te, quod acceptum est, justo pretio*

comparasse? Non videlicet, quia pecuniam persolvisti, sed quia servitium præbuisti. Diceres enim, et fortasse non impudenter adstrueres, carius emi, dum tanto me labore vexarem, dum toties facultatum mearum sumtos expenderem, quam si semel præfixæ quantitatis pecuniam numerarem. Nequaquam ergo sibi innocentiam præbeant, et a simoniacæ hæreseos maculis se mundos esse confidant, qui licet metalla vibrantia non appendunt, pretium tamen pro suscipiendis honoribus per subjectionis et obsequii quædam quasi talenta persolvunt. Magna sane in his speciebus cautione opus est, ne facile divina dona obsequiis pendantur. Agitur de simoniæ vitio, quod utpote ex avaritia, aut ex ambitu proficiscens facile invadit mentes hominum: agitur de simoniæ vitio, quod speciosa pallia quærere, et inducere solet. Hanc ob rem vir prudentissimus s. Carolus mediolanensis in Concilio mediolanensi 2, in constitutione adversus simoniacos, num. 13, monuit, atque obtestatus est episcopos, aliosque, quibus jus est beneficia conferendi, ut familiaribus suis certam mercedem constituant, ne illi hoc subsidio destituti beneficia ecclesiastica tanquam suæ operæ ac laboris pretium præcipue sibi proponant. Lingua denique admittitur simonia, cum ad favorem alicujus rogantis, ejusdemque captandam gratiam ad rei spiritualis collationem devenitur; qua in re observatione dignum est, ubi agitur de precibus alicujus gratia factis, tum demum simoniam admitti, cum in concessione juris spiritualis petentis persona, et commendatio attenditur; non vero cum preces ab eo fiunt, qui merita singularia alicujus exhibet prælato, ut eorum intuitu ad spirituale jus concedendum moveatur, quemadmodum animadvertit Gratianus post canonem 122, caus. 1, quæst. 1. Quod si exhibitis meritis prælatus non tam illorum, quam commendantis gratia jus spirituale concedat, saltem mentalis in ea specie simoniæ reus habebitur.

Ex parte rei spiritualis, quæ pretio æstimatur, simoniam admitti contingit, vel cum res sacræ, vel cum res religiosæ, vel cum res neque sacræ, neque religiosæ, sed rebus sacris, aut religiosis adnexæ in commercium deducuntur. Nomine rei sacræ intelligo illa, quæ ex natura sua, vel ex divina, vel ex ecclesiastica institutione Deo, et in Dei cultum dedicata sunt, uti sunt sacramenta, sacramentalia, et alia hujusce generis, quibus proxime accedunt reliquiæ mysteriorum redemptionis nostræ, atque sanctorum. Nomine rei religiosæ intelligo illa, in quibus pietas exercetur sine consecratione, uti sunt sepulturæ, professio monastica, et alia hujus generis. Nomine rei neque sacræ, neque religiosæ, sed rebus sacris aut religiosis adnexæ illam intelligo, aut sine qua res ipsa spiritualis vel religiosa minime subsistit, veluti solum in sepultura, oleum in sacra unctione, et similia; aut quæ a spirituali pendet ex sui institutione, veluti præbendales redditus in beneficio, et similia. Itaque in primis nemo dubitat, res ipsas sacras, vel religiosas in commercium adduci non posse, quod sane, ut superius dictum est, vel ipsi ethnici detestati fuerunt, l. 5, 22, 23 et 24, ff. de contrah. emt. profecto ex jure ecclesiastico sexcenta proferri possent monumenta de rebus sacris; de professione autem religiosa laudare sufficiat canonem 3, caus. 1, quæst. 2, et de sepulturis canonem 12, caus. 13, quæst. 2. Id adeo verum est, ut si res sacra, vel religiosa vendatur, ne venditio quidem valeat, quo casu res illa sacra, vel religiosa cæperit profana fieri, l. 83, § 5, ff. de verb. obligat. At ubi agitur de rebus corporalibus, quæ spiritualibus, vel religiosis cohærent, mirum est, quot simoniacorum suffugia prodierint, qui ab omni simonia se immunes esse finxerunt, quoties quod temporale commodum præstaretur, minime concederetur in pretium rei spiritualis, quæ inæstimabilis est, sed in repensationem rei corporalis adnexæ. Hinc passim nonnulli putarunt, posse vendi non sacrum chrisma, sed oleum, ex quo chrisma confectum est; non templa sacra, sed cæmenta, ac tigna universa, ex quibus erectæ sunt ædes; non sepulturam, sed solum, in quo sepulchrum excavatur; non altaria sacra, sed lapides, non ordines sacros, et sacra ministeria, sed fructus præbendarum, ac beneficiorum, item pensiones, aut saltem commoda pensionum, non monasticam professionem, sed jus alimentorum, a monasteriis percipiendorum, eademque ratione non adscriptionem in ecclesiæ conventuali, sed jus alimentorum ab eadem conventuali ecclesia suppeditandorum. Addiderunt, saltem admittenda esse pacta transactionum, quæ fiunt inter litigantes de beneficio, in quibus uti loquuntur pragmatici, *redimitur vexa*, unde ex. gr. fiat, ut cum plures de beneficio, aut de jure præsentandi contendunt, unus alteri certam rem præstet, ut ipse pacificam beneficii vel juris patronatus possessionem nanciscatur. Adjecerunt aliqui, saltem simoniam non admitti in eo casu, quo quid præstet non caussa juris adquirendi spiritualis, sed caussa adquirendæ possessionis, utpote quæ corporalis est, propterea que pretio æstimabilis. Nunc ego intelligo, quare Innocentius III, in cap. 32, de simonia scribere non dubitaverit, tantam esse *immanitatem hæreseos simoniacæ, ut ad ejus computationem cetera crimina quasi pro nihilo reputentur.* Jure memorat non simoniæ crimen, sed simoniacam hæresim, de qua tot, tantaque prædicaret. His enim insinuare volebat, simoniacam hæresim, idest varia opi-

namenta simoniacorum, quibus avaritiam suam multis palliis tegerent, universos ecclesiasticos ordines, ac ministeria omnia sacra turbare, subvertere, quod scelus immanissimum est, et corpus ecclesiæ inquinat universum. Revera si tot opinionum monstra admittantur, ecquis res quascumque maxime sacras a turpi commercio liberabit? *Si tu incorporeus esses*, ajebat Chrysostomus hom. 83, in Matthæum, *nuda tibi Deus, et incorporea dona tradidisset, sed quoniam corpori adjunctum spiritum habes, in rebus corporeis spiritualia tibi traduntur.* Quicumque ergo spiritualia vendere aut emere voluerit, semper allegare poterit, se non spiritualia ipsa, sed corpus spiritualibus rebus adjectum in commercium adferre. Quid sanctius eucharistia, quæ ipsum continet Deum? In ea tamen venderetur, et emeretur et panis et vinum sacramenti materia, suppellectilium usus, adjuncta quæque sacrificii, quæ certo pretio constant, ipsum etiam sacerdotis ministerium, quod sub operæ corporalis specie veniet ab avaris hominibus æstimandum. Hinc irrita essent omnia ecclesiæ studia, irrita divina mandata, quæ simoniam prohibent, detestantur, horrent, ac puniunt. Quando vero cum iis res agitur, qui definitiones ecclesiæ temnere minime debent, paucis dixero, jam declaratum fuisse ecclesiasticis sanctionibus, hæc omnia esse simoniæ effugia, ac semper in iis omnibus simoniam admitti. In canone 7, caus. 1, q. 3, ita legitur: *Si quis objecerit, non consecrationes emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proveniunt, penitus desipere probatur: nam cum corporalis ecclesia, aut episcopus, aut abbas, aut tale aliquid sine rebus corporalibus in nulla proficiat, sicut nec anima sine corpore corporaliter vivit, quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum delinquit.* Urbanus II. in can. 8, eadem caussa et quæstione postquam adnotavit, neque ipsum simoniacorum parentem Simonem magum voluisse emere *Spiritum Sanctum propter Spiritum Sanctum, sed ideo, quantum in ipso erat, emere voluisse, ut ex venditione signorum, quæ per eundem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur*, manifeste docuit, simoniam admitti quocumque casu ea vendantur emantur, quæ sacra ministeria sequuntur. Erant hæc quorundam judicio probabilia argumenta, quibus utebantur simoniaci sæculi undecimi, ut pallio crimen suum obtegerent. In can. 3, caus. 1, quæst. 2, damnati fuere prætextus simoniacorum, quibus dicebant, aliquid accipere se *pro pallii datione*, pro *traditione chartarum*, et pro *ea, quam nova per ambitionem simulatio invenerat, appellatione pastelli.* In canone 4, ead. caussa et quæstione statutum legimus, ut non solum episcopus cavere debeat, ne manus impositionem vendat, sed etiam ne notarius episcopi, *aut vocem suam venumdet, aut calamum.* Alexander III, in cap. 4 de pactis veluti simoniacum improbavit pactum, seu transactionem, qua litigantes super ecclesia, vel cappella sub certa pecuniæ traditione a lite recederent, Clarius in cap. 7, de transactionibus scribit: *Super eo, quod quæsivisti, utrum de ecclesiastico beneficio in litigium deducto possit fieri transactio, tale damus responsum, quod transigi super re sacra, et litigiosa non potest, etenim res sacræ ut possideantur aliquo dato, vel retento, seu promisso, speciem credimus habere simoniæ. Alias si gratis, et amicabiliter inter se litigantes se componant, sacris canonibus nequaquam dicimus obviare.* Hujus generis transactionem improbavit etiam Innocentius III, in cap. 21, de præbend., quam professus est se toleravisse, quia de viris providis, et honestis agebatur, et de ea compositione, quam non litigantes ipsi, sed delegati jubendo fecerant; ita tamen, ut prestatio pecuniæ in transactionem deducta, personalis esset, non beneficium litigiosum sequeretur. Alexander III, in cap. 19, de simonia ne pro *pastu* quidem voluit aliquid præstari posse monasteriis ab iis, qui religionem essent professuri; quod fere ipsum de admissionibus canonicorum statuit Gregorius IX, in cap. 44, eod. tit. Qui ad redimendam, ut ajunt, vexam putant transigi litem in beneficiis pecunia posse, proferre in medium solent Cælestini III rescriptum in cap. 28, de simonia. Cur vero potius non attenderunt ad rescriptum Lucii III, in cap. 23, eod. tit., ubi talis pacta expresse damnantur? At enim proposita species Cælestini III, longe distat ab hac disputatione In primis describendum erit rescriptum, prout jacet in 2. Collectione decretalium, c. 10, de simonia, aliqua enim menda ex typographorum errato in codicem Gregorianum irrepserunt; deinde germana Cœlestini sententia percipietur. Ita sub nomine Cælestini III, scribentis ad Lincon. episcopum et priorem de Fracto Ponte et archidiaconum de Marin. legitur in 2, collectione: *Dilectus filius noster R præpositus nobis patefecit, quod cum V. F. N. G. Eboracensis archiepiscopus eum multis gravaminibus et variis injuriis afficere non cessaret, promisit ei certam quantitatem pecuniæ se daturum ut ab ipsius desisteret læsione. Verum archiepiscopus post receptionem pecuniæ, eum, sicut promisit, in pace non dimisit, nec super dignitatibus, et beneficiis suis ab ejus molestatione quievit. Ideoque dis. v. per a. s. m., quat. si res ita se habet; archiepiscopum restituere quod accepit, si eum contra promissionem suam venisse constiterit, auctoritate nostra appellat. rem. compellatis, et prohibeatis etiam ipsum archiepiscopum ex parte nostra districtius, ne pendente lite præ-*

positum ipsum, vel suos molestare præsumat, et si forte fecerit, per vestram sollicitudinem corrigatur. In conspectu hujus rescripti liquet, non propositam fuisse Cœlestino quæstionem de lite beneficii inter duos agitata, sed potius de lite inter episcopum et præpositum forte de bonis ad præposituram pertinentibus, in quibus episcopus quædam episcopalis mensæ nomine jura sibi vindicabat. Hæc sane controversia pactionibus, et transactionibus erat obnoxia sine suspicione simoniæ: neque enim in ea re temporalia bona veniebat cedenda, caussa adquirendi juris spiritualis: tantum litigabatur, an quædam bona ecclesiæ temporalia ad episcopum, an potius ad præpositum pertinerent. Quorsum enim ajebat Cœlestinus, lite pendente episcopum non posse *molestare præpositum ipsum vel suos*, nisi de bonis ageretur, quæ vel a præposito, vel ab aliis præpositi nomine possiderentur? Ceterum Cœlestinus III, in cap. 10, de transact. simoniæ vitium esse agnovit, ubi subjectio esset data pecunia redimenda. Dicant nunc, qui contra sentiunt, in illis speciebus temporalia pro temporalibus tradi, vel peti. Ego repono in primis, non in eo tantum consistere turpitudinem simoniæ, quod temporalibus spiritualia appendi non liceat, sed etiam in eo, quod concedens bona ecclesiæ utut temporalia non concedat ea ratione, quæ ab initio constituta fuit ex Christi præcepto de gratis dando, quod gratis acceptum est. Revera non alia fuit aut divina aut ecclesiastica institutio in usu, et administratione jurium utut temporalium ecclesiæ, aut bonorum monasterii, quam ut libere Deo et ecclesiæ serviatur, non ut illa in quodam sint administrorum commercio; quod sane si admitteretur, ecquis, uti jam dictum est, res quascumque etiam maxime sacras ab eodem commercio liberaret? Deinde licet redditus præbendales, per se spirituales non sint, jus tamen eos percipiendi spirituale dicendum est, et divinum, cum ex spirituali et divino officio proficiscatur. Ergo in proposito appendetur jus spirituale proposito temporali pretio, dum pro jure percipiendi redditus temporales quidpiam exigatur. Unum adhuc adjicere olim nonnulli consueverant de ecclesiasticis pensionibus, putantes, has saltem in commercium adduci posse, proptereaquod nihil in ipsis adpareat juris spiritualis adnexum. Verum si observemus in primis, hodie pensiones beneficiis esse æquiparatas, sive in ea parte, quod regulariter clericis tantum conferantur, sive quod pensionariis certa spiritualia officia implenda indicantur; si observemus deinde, pensiones semper concedi consuevisse vel personis de ecclesia benemeritis, ut illis quasi pauperibus ecclesia consulat; agnoscemus statim, in pensionibus conferendis nihil aliud versari, quam administrationem ac dispensationem ecclesiastici peculii, in qua sicut in rebus profanis nemo potest agere, ne forte videantur viri ecclesiastici domini esse potius, quam dispensatores. Neque id tantum verum est, ubi pactum sit de constituenda pensione, sed etiam ubi de extinguenda, quemadmodum contingeret, ubi pensionarius remitteret pensionem beneficiario gravato accepta pecunia. Quid enim interest, an data pecunia clericus pensionem sibi adquirat, an beneficiarius pensionem sibi redimat? Sed novas fraudes avaritia docuit. Passim clerici beneficiarii agnoscentes, sine vitio simoniæ se non posse redimere pensiones, putarunt, se posse saltem redimere dato pretio commoda pensionum, distinguentes commodum pensionis a pensione ipsa, tanquam jura omnino diversa, etenim in commodo pensionis dixerunt nihil contineri, quod sit spirituale, vel spiritualibus adnexum. At enim, licet pragmatici passim his opinamentis adhæreant, et tutissimum dicant esse temperamentum, quis tamen fraudes non detegit, quando illico intuetur, mutatis nominibus, aut formulis idem crimen admitti? Eam ob caussam Pitonius in disceptation. ecclesiasticis parte 1, discept. 11, num. 5, licet id fieri posse profiteatur, non potuit tamen id non appellare *subterfugium*, et n. 7, ita scripsit: *Quinimo si mihi, quod sentiam, libere dicere liceat, dijudicarem, quod melius et honestius foret, prohibere cessionem etiam hujusmodi commoditatum. cum revera id aliud non sit, quam subterfugium excogitatum ad palliandam simoniam, per quod licet stricto jure* (idest, propterea quod istud subterfugium nondum sit expresse in conciliorum canonibus, et in specie damnatum, est enim hoc pallium recentissimis temporibus contextum) *ista locum non habeat, nihilominus negari non valet, quin populo et vulgo subtilitatum hujusmodi ignaro caussam præbeant scandali observando et videndo ire in commercium publicum, et quasi sub hasta circumferri emtiones et venditiones commoditatis pensionum ecclesiasticarum super beneficiis debitarum inter personas etiam laicas lucri caussa eam ementes, perinde ac si ageretur de cambiis, et censibus, aliisque redditibus profanis.* Quod in his verbis dicitur de caussa scandal. respectu vulgi hujusmodi subtilitatum ignari, verius etiam diceretur de caussa scandali in universum, etiam respectu virorum eruditissimorum hujusmodi subtilitatum apprime consciorum; norunt enim isti, nihil aliud in his effugiis esse, quam subtilitatem inanem, simplicitati et candori contrariam, in qua ubi commoda pensionum venduntur. exitu inspecto pensionum ipsæ distrahuntur, quibus in speciebus jure possem vindicare, quod ait jureconsultus in l. 91, § ff. de verb. oblig. *plerumque sub auctoritate juris scientiæ perniciose erratur.*

Nemo mihi succenseat, quasi dum ista traduntur, everti videantur numero plurima ad utilitatem ecclesiæ, et sacrorum, et recepta prudentissime et sapientissime constituta. Ecquidem ego lubens admitto, certos esse casus, in quibus aut res sacris ministeriis adjectæ in commercium adduci possint, vel certa pecunia, dum sacra administrantum, conferatur, vel certas res sacra profanæ adjecta per venditionem rei profanæ in alios transferatur sine crimine simoniæ. Cum vero callidis artibus semper nova quædam effugia moliri consueverint simoniaci, jure ac merito ajo, magna prudentia opus esse, ut actus simoniaci a non simoniacis distinguantur; eamque ob rem semper optasse ecclesiam, ut quibus in casibus suboriri simoniæ suspicio potest, hæc ipsa suspicio, quoad fieri possit, averteretur. Tres ego puto posse constitui generales regulas, quibus certi actus a simonia penitus judicentur immunes. Prima regula est, quæ fundamentum habet in jure romano, quoties res quædam sacra cohæret rebus temporalibus tanquam accessorium principali, non quidem vendi sacram rem posse, sed vendita re temporali, quæ commercio subest, rem ipsam sacram vi accessionis in emtorem transire. Id contingit in universitate bonorum, cui adhæreat juspatronatus in aliquo beneficio, et cui adhæreat jus singularis sepulchri; neque enim universitas, aut pendet ex jure patronatus, vel sepulchri, neque jus patronatus, aut sepulchri ad se universitatem trahit, et reddit quasi sacram, aut quasi divinam, aut quasi ecclesiasticam. Potius jus patronatus aut sepulchri ad universitatem accedit; proindeque distracta universitate eandem universitatem sequi jura patronatus ac sepulchri necesse est. Idipsum dico de ecclesia prædiali, quæ prædio privati cohæreat; sequitur enim etiam ista prædium, et patronum semper habebit quemcumque prædii possessorem, cap. 7 et 13, de jurepatron., juncto argumento, l. 24, ff. de contrahenda emtione, et leg. 62, ff. de adquir. rer. dom. Sed hæc vera tum demum sunt, quoties ratione rei sacræ, vel religiosæ, vel spiritualis, pretium rei temporalis in commercio positæ, ac venditæ non augeatur; tum enim nec res temporalis penditur cum ecclesiastica, religiosa, vel sacra, nec qui venditionem facit, aliquit peragit, quo putare deprehendatur, se dominium rerum sacrarum, aut religiosarum exercere, nec ita in sacris, ac religiosis rebus versatur, ac si profana quæque tractaret; uno verbo nihil admittit, in quo turpitudo simoniaca existat. Altera regula est, quædam esse temporalia bona, quæ quamquam ecclesiasticis administris fuerint concessa, proindeque a clericorum administratione pendeant, ita tamen ex voluntate offerentium, atque ex voluntate ecclesiæ recipientis origine saltem inspecta in commercio permanserunt, ac si temporalia adhuc essent, nec sacris rebus necessario cohærerent. Horum sane bonorum sine simoniæ vitio venditionem fieri non repugnat, tantum cautum est ad servandam ecclesiæ indemnitatem, ne temere seu sine caussa, statisque in jure solemnitatibus alienentur. Id contingit in bonis temporalibus, quæ ecclesiæ donantur, sive ista mobilia sint, sive immobilia. Vendita olim scimus a sanctissimis Antistitibus ad alimenta pauperum, et peregrinorum, ad redemptionem captivorum, ad curandam sacrarum ædium restaurationem. Permutata etiam quandoque scimus ad ecclesiarum utilitatem, prout episcopi id expedire bono publico judicavissent. Deest in hisce casibus quæcumque simoniæ nota; nam in primis non penduntur temporalia spiritualibus; deinde nec videtur, qui alienat, dominium exercere distrahendæ rei, quum potius dispensat ecclesiæ peculium juxta mentem ecclesiæ, eandemque ob rem non ita se gerit in ecclesiasticis bonis, ac si profana quæque tractaret. Hæc ratio est, quare etiam hodie admitteretur venditio, vel ipsorum sacrorum vasorum, ex. grat. calicum, propterea quod etiam olim aurei argenteive calices ita ab ecclesia servarentur, ut data occasione per ecclesiasticos administros alienari valerent, canon. 70, caus. 12, quæst. 2, Novella Justiniani, quæ habetur post canonem 2, caus. 10, qu. 2. Et quemadmodum in his suppellectilibus licet administratori aliam formam dare, contra quam initio data fuisset, ita licet etiam venditione distrahere, ac si consideretur non consecratio, sed massa argenti vel auri, cui consecratio accesserit ex accidenti, et ad usum sacrorum, dummodo tamen in venditione pretium consecrationis intuitu non augeatur. Postrema regula est, simoniam non admitti in iis casibus, quibus dum sacra ministeria obeuntur, clericis obeuntibus certæ oblationes suppeditantur, vel ex liberalitate fidelium, vel ex obligatione per ecclesiam inducta, sive expressa lege, sive ex recepta consuetudine, quæ legem inducat. Id facile percipitur, quoties consideretur, duplicem esse divinam legem, unam præcipientem sacris administris, ut gratis dent, quod gratis acceperunt, alteram jubentem, ut a fidelibus ministri sacrorum alantur. Cum autem utrique legi satisfaciendum sit, neque una lex collidat alteram, dicendum est, ministros ecclesiæ ita de oblationibus esse debere sollicitos, ut non tanquam pretium officii illas percipiant, sed tanquam necessitatem sustentationis, aut tanquam pias eleemosynas in usus pios conferendas juxta ecclesiasticas institutiones; item fideles offerentes ita adduci oportere ad collationem oblationum, ut in hac debitum alendorum ministrorum agnoscant, non pretium sacrorum, quæ sint su-

scepturi Hæc esse debet interna et laicorum, et clericorum animi adfectio, contra quam qui delinqueret, simoniæ saltem mentalis reus diceretur. An vero etiam de reali simonia redarguendus esset, ex pactionibus vel expressis, vel tacitis, item ex singulorum factorum adjunctis judicandum est. En caussam, quare passim de simonia non damnentur voluntariæ oblationes, quæ fiunt a fidelibus gratia sacerdotum in suscipiendis quibusdam sacramentis, aut sacramentalibus, item necessariæ oblationes, quæ vel lege, vel longa consuetudine inductæ fuerint, veluti in sepulturis, et aliis hujusce generis caussis, cap. 10 et 42, de simonia, quamquam tamen in hac re caverint pontifices, ne dum nimia sollicitudo de oblationibus habetur, in simoniæ vitium incidatur, cap. 8, 9, 16 et 29, eod. tit. Hinc aliquando certis suadentibus caussis opportunum fuit quidquam indulgere, ita tamen ut continerentur agentes intra certos fines, ne plus æquo provecti turpi avaritiæ cedant. Remissius agendum visum est gratia illorum administrorum, quibus exhibendis, aut quorum ecclesiis tuendis impares, aut vix pares redditus estent. In his enim locum habet divinum præceptum de alendis administris sacrorum, et de conferendis iis, quæ pertinent ad honorem et decus ecclesiarum. Severius agendum visum fuit cum iis, qui jam redditibus ecclesiasticis affluerent, ve veluti pretium sacrorum oblationes dari viderentur, quæ non tenderent in alendos ministros, et fovendas ecclesias. Huc pertinet, quod prudentissime definivit concilium tridentinum in cap. 1, sess. 21, de reform., ubi postquam statutum est, nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonsuræ, nec pro literis dimissoriis, ac testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de caussa etiam sponte oblatum ab episcopis, et aliis ordinum collatoribus, aut eorum ministris accipiendum esse, cautum legimus, ut notarii in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis, aut testimonialibus, decimam tantum unius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo, nec episcopo ex notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem ordinum collationibus directe, vel indirecte provenire possit. Jamdiu veteres canones prohibuerant, ne ministri episcoporum, ipsi etiam notarii aliquid caperent occasione ordinationis; can. 4, can. 1, qu. 2, cap. 1, de simonia, quod fundamentum habet in sacris literis, in quibus Giezi Elizæi puer lepra percussus est, quod dona accepisset a Naaman Syro ab Elisæo lepra mundato, canon. 11, 14, 16 et 25, can. 1, qu. 1, juxta illud quod legitur in cap. 2, lib. 4, Regum. Ut ergo omnis simonia a viris ecclesiasticis in hoc genere abesset, patres tridentini vetuerunt generaliter, ne quidquam a notariis episcoporum occasione ordinationis acciperetur. Tantum exceptionem adjecerunt, non laudantes sed permittentes, eandemque certis finibus coercentes, ubi notarii episcopales salario destituti essent, forte ex inopia mensarum, uti vocant, episcopalium; his enim cum alimenta ex oblationibus danda essent, visum fuit certa ratione occurrendum. Simile exemplum est in eodem concilio tridentino, sess. 24, de reform., cap. 14, ubi posteaquam tridentini patres detestati sunt nonnullas consuetudines, quibus simoniacæ labis suspicio inerat, quasdam tamen arbitrio episcopi probandas reliquerunt, quæ laudabiles viderentur in admissionibus canonicorum ad præbendas; qualis ex. gr. foret, si moribus receptum probaretur, ut præbendam adeptus aliquid donaret ad ecclesiæ cultum et ornamentum. Habet id speciem potius exercendæ obligationis, quæ beneficiariis imminet ex primigenia institutione beneficiorum, quam simoniacæ præstationis. Cum enim ex redditibus beneficiorum portio quædam impendenda sit in ecclesias sartas tectasque tuendas, non improbabile est, admoneri initio præbendarum adquisitores, ut facto suo addiscere incipiant, redditus præbendarum in ecclesiæ etiam commodum esse convertendos. Scio quidem, nonnullos ex interpretibus extitisse, qui priori memorato tridentino decreto in cap. 1, sess. 21, non obtemperantes graviter quidem delinquere tradiderunt, et reos fieri insignis inobedientiæ, interea tamen simoniacos proprie dici non posse, nec pœnis simoniacorum teneri, quemadmodum etiam tradiderunt, simoniacum non esse episcopum, qui procurationes in pecunia numerata exigat; licet adversus canonum sanctiones delinquere adfirmarent, argumento capituli 1, in fine, et capituli 2, de censibus in 6. Verum siquis consideret verba ipsa tridentini decreti, ubi abusus illi et corruptelæ dicuntur *simoniacæ pravitati faventes*, ubi etiam inobedientes *pœnas a jure inflictas ipso facto incurrere* constituitur, statim intelliget, tamquam simoniacos habendos esse, cum adversus inobedientiæ simplicis reos nulla sit certa in jure inflicta pœna, quæ ipso facto incurratur; siquidem inobedientiæ crimen admodum generale est; et quoniam in omni delictorum genere admittitur, non æquali in omnibus fuit pœna damnandum.

Ex parte legis, quæ simoniam prohibet, tradunt pragmatici, aliam esse simoniæ speciem, quæ divino ipso jure damnatur, quod ajunt evenire in commercio rerum mere sacrarum, ac spiritualium: aliam quæ tantum ecclesiastico jure improbatur, quemadmodum evenire dicunt in pensionibus ecclesiasticis, aut in juribus alimentorum a monasteriis pe-

rendorum ex caussa monasticæ professionis. Ego sane hæc discrimina facile agnovero, quotiescumque nomine juris ecclesiastici illud intelligatur, quod fundamentum habet in jure ipso divino, non vero quoties intelligatur illud, quod mere positivam constitutionem præseferat, et quæ per ecclesiasticas potestates possit eodem modo abrogari, quo fuit constituta. Siquidem censeo, simoniæ omnis prohibitionem, illius etiam, quæ in obtinendis pensionibus, aut monasticis alimentis admittitur, ex jure ipso divino, imo et ex ipsa rerum, de quibus agitur, natura derivare. Quod ut explicetur, observandum est, divina præcepta alia esse adeo perpetua, certa et humano cuicumque actui accommodata, ut nullam interpretationem desiderent; alia vero in genere quidem suo constituta, adhuc tamen late admodum patentia ita, ut sine speciali designatione ecclesiæ, ad quam spectat divina oracula interpretari, tuto definire privatum quisquam nequeat species omnes, ad unam usque, in quibus obligent; cujusmodi indicari potest præceptum jejunii, orationum, et alia bene multa. Itaque venditio rerum mere sacrarum simoniaca semper habebitur divino jure adeo certo, ut nulla ratio subducere quemquam a generali et certissima regula possit. At venditio temporalium rerum, quæ a sacris pendent, sacrisve junguntur, uti sunt pensione; item venditio illorum, quæ a religiosa administratione, vel religioso officio profluunt, uti sunt jura alimentorum in monasteriis, generalibus quidem prohibetur divinis regulis, quæ suadent, neminem ita in re ecclesiastica, aut religiosa posse versari, resque easdem ita tractare, quasi res in vulgari commercio positas; verum interea quis denegabit ecclesiæ, quominus in certis caussarum adjunctis disciplinam paullisper relaxet, seu ex Dei mente non obtinere declaret, non quidem probando factum illorum, qui vellent res religiosas commerciis subjicere, quod idem esset, ac divinas regulas subvertere, sed probando factum illorum, qui certas res temporales occasione rerum religiosarum conferrent caussa quorundam singulorum adjunctorum extra cujuscumque commercii caussam, ita suadente ipsa rerum religiosarum utilitate? Quid enim, ut exempla proferam, si monasterium inops admodum sit, neque alias sanctimonialibus professi occurri posset, quam certarum dotium collatione facta a professuris? Quid si verosimilis capiatur conjectura futurum, ut monasterium, licet sufficientibus redditibus non destitutum, alendis sanctimonialibus aliquando impar evadat, nisi identidem subsidiis augeatur? Sunt hæc prudentissima argumenta, quibus utitur Benedictus XIV, in lib. 11, cap. 6, de synodo dœcesana, ut demonstraret, hodie simoniam non admitti ex dispensatione ecclesiæ in monalium receptione, utut certa dos conferri soleat, adferens in hanc rem doctrinam S. Thomæ in 2, 2, qu. 3 ad 4, ita scribentis: *Pro ingressus monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium; licet tamen si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personam nutriendas, gratis quidem ingressum monasterii exiberet; sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant monasterii opes.* Quod sane tanto facilius in monialibus eisdem ex consuetudine non improbata obtinuit, quanto asperior videtur monialium conditio, utpote quas minime decet e claustris exire suis necessitatibus consulturas; propterea que perraro id receptum scimus in monachis, nunquam in clericis, quia monachi alia ratione occurri potest; clerici autem sacra officia peragentes, si casu quodam bonis destituantur, jure ad primigeniam decimarum oblationumve petitionem devenient, Deo præcipiente fidelibus, ut sacros ipsi administros exbibeant. Hoc ego sensu intelligo ecclesiæ præcepta, modo simoniæ vitio quasdam pactiones notantis, modo ab eodem vitio absolventis, dum nimirum explicat certas rationes, et caussas, in quibus generale divinum jus locum habeat, vel non habeat. Itaque quoties gravis emergat caussa, quæ non ex avaritia oriatur, non ex voluntate commercium agendi de juribus ecclesiasticis, et religiosis, sed ex honestate, ex equitate, ex necessaria providentia, ad superioris ecclesiastici officium pertinebit aliquid de rigore juris remittere, seu quod idem est, declarare, simoniam locum in certis casibus non habere. Finge ex. gr. clericum senio, vel ægrotatione confectum, qui diu parochiale officium exercuerit, et parochiale beneficium possederit, inde sentiens se oneri imparem esse, pactione adjecta de certa pensione sibi solvenda, velit beneficium resignare, auctoritate sedis apostolicæ id eidem indulgetur, et quidem sine vitio simoniæ, quod id ex fide bona procedat, et pensio sit non quasi pretium resignationis, sed quasi necessaria et opportuna sustentatio illius, qui postquam diu de ecclesia optime meruit, sine hac pensione necessariis vitæ subsidiis destitueretur. Ceterum qui pensiones sine caussis hujusce generis emeret, venderet, et in quoddam commercium adduceret, vererer ego, ne dispensationem cujuscumque superioris auctoritate inanem haberet, quasi sine caussa impetratum; quidquid in contrarium nonnulli dicere, et certis argumentis demonstrare contendant, uti notat Fagnanus ad capitulum *Cum pridem* de pactis num. 64 et sequentibus ita subjiciens num. 71. *Hæ sunt rationes, quæ potissimum adferuntur pro dicta opinione, si tamen opinio, et non error, dicenda sit, ut verbis utar Turrecremata.* Fingatur ex. gr. monasterium inops esse, et alen-

dis monachis, vel monialibus impar. Si quædam a professuris ad sublevandas monasterii necessitates conferantur, simonia non erit; actus enim ille non tam ex honestate, quam ex necessaria caussa fit: at si tale sit monasterium, quod par sit alendis monachis, aut sanctimonialibus, simonia sane admittetur, cum nulla indicari possit probabilis largitionis caussa, quam admissio ipsa in monasterium. Neque enim obstat his tantum positiva quædam lex; secus dicendum foret, posse consuetudine hujusmodi dationes, et pacta probari, quod tamen damnavit lateranense concilium in cap. 40, de simonia. Erunt hæc sane a prælatis ecclesiæ apprime consideranda; nam si ex. gr. quo majores sunt monasterii redditus, eo major oblatio reposceretur, quis hanc conventionem a simoniæ crimine liberaret, quam non monasterii necessitas licitam reddere potest, et quam repensationem quandam esse juris alimentorum a professuro in monasterio habendorum nemo non videt? Neque vero mihi placet doctrina illorum, qui tradunt, inspecta professionis natura nullam simoniam admitti, exemplo dotis, quæ sine simoniæ vitio datur in contractu matrimonii, quod Sacramentum est; quod exemplum accommodatissimum esse putant, quia in professione religiosa quoddam spirituale conjugium constituerunt. Si hæc subsistant, cur non æque admittent, solo jure positivo humano prohibitum, ne episcopi, dum ad episcopatum adsumuntur, aliquid conferant etiam inito pacto, quando sciunt in episcopatu quoddam spirituale iniri conjugium juxta doctrinam Innocentii III in cap. 2, de translat. episc.? Cur tanta sollicitudo ecclesiæ in damnandis sanctimonialium collationibus adeo, ut quæcumque etiam consuetudo improbetur, dicto cap. 40, de simonia, quando nunquam ecclesia quidquam constituere potuit, ac debuit, ne dotes a nupturis puellis constituantur? Inest quidem matrimonio sacramenti dignitas, sed hæc contractui sanctificando accedit; propterea que dos nubentis natura sua confertur in onera familiaria, quæ conjugii contractus, non sacramentum induxit. At religiosa professio principalis ipsa est, quæ quoniam professum perpetuo addicit monasterio, ita eumdem securum reddit de alimentis in monasterio percipiendis; atque ob hanc caussam prudentissime statuit tridentinum concilium in ses. 25 de regular. cap. 3, ne plures moniales in cænobiis admittantur, quam ferant monasterii redditus, aut obventiones, quæ sane cautio opportuna videbatur ad avertendos prætextus dotium conferendarum in fraudem legis.

Pœna adversus simoniacos non eædem et omni tempore, et in unaquaque specie indictæ fuerunt. Quum mentalis simonia est, pœnis ecclesiasticis in foro externo nullus est locus quamquam gravissimæ a Deo atrocis criminis vindice sint expectandæ, cap. 34 et ult., de simonia. Quum vero realis simonia est, distinguere oportet, an crimen in occulto delitescat, an in judicium deductum fuerit, ac justa formam judicii comprobatum. Si in occulto delitescat, nihilominus habebunt locum penæ illæ, quæ ipso jure dicuntur indictæ, idest vi ac potestate legis, sine ullo judicis ministerio. Si in judicium deductum fuerit, ac comprobatum, præter penas potestate juris indictas, certæ supersunt agendæ apud judicem partes, quibus juris præceptiones ipse gravi officio suo exequatur. Ex pœnis, que ipso jure infliguntur seu vi ac potestate legis, queque locum habent, sive occultum sit, sive publicum crimen, est in primis, ut gesta simoniaca tanquam irrita habeantur, ex. gr. sacramenti collatio non sortiatur effectum in ea parte, qua spiritualis jurisdictio, ac facultas exercendi ordinis ex sacramento rite collato adquireretur; irrita ex omni parte sit electio, presentatio, institutio in beneficiis, in quibus propterea nullum omnino jus adquirit electus, presentatus, institutus, nec legitimam fructuum beneficiariorum administrationem, can. 1 caus. 8. quæst. 3. Exceptio est in simoniaca religiosa professione, quæ semper professum obligat, ne simoniacus caussa sui criminis onere semel imposito liberetur, tantum simoniaci odio cautum est, ut cum crimen in judicium deductum fuerit, ac probatum, ille sit austeriori disciplinæ in arctiori monasterio subjiciendus, cap. 9. 25. 30. et 40. de simonia. Altera pœna ipso jure inflicta est nota infamiæ, l. 31, in fine cod. de episc. et cler. can. 8. 9, 10, 99, 100, 124, caus. 1, quæst. 1, can. 2, 3, caus. 1, quæst. 3, can. 4, caus. 15, quæst. 3, cap. 17, de simonia. Quamobrem ex canonum disciplina simoniacum irregularem esse statuitur, seu minus idoneum ad suscipiendos quoscumque ordines, beneficia, et officia, can. 5, dist. 24, can. 3, caus. 7, quæst. 1, cap. 2, de statu monach., cap. 21, de accusation., cap. 35 et 37. de simonia. Nemini sane negotium facessat canon 3, caus. 1, quæst. 3, ubi videtur tantum adversus simoniacum statui, ut *ab ecclesiæ officio suspendatur*; etenim hac formula *suspensionis* de irregularitate intelligenda est, ut cum aliis canonibus consonet; præsertim quod apud veteres nondum prodierat adeo aperta ea distinctio censurarum, et pœnarum qualis decimotertio sæculo recipi cepit, quemadmodum in fine hujus tractationis observabitur. Imo potest illa suspensio intelligi de depositione, quæ solet subsequi irregularitatem, quemadmodum apud veteres in usu erat hæc formula, juxta quam qui generaliter suspendi ab ecclesiæ officio dicebatur, is erat ab officio deponendus; ut infra etiam adnotandum erit, ubi agetur de sententia depositionis, argumento canonis 3, caus. 1, quæs. 5, ubi depositio et suspensio promiscue

sumuntur. Grassabatur temporibus Gregorii VII, qui auctor est illius canonis, simoniæ vitium: et quando ob delinquentium numerum simoniaci irregularitatem ipso jure, et ex sententia canonum inflictam contemnebant, voluit prudentissimus pontifex, ut illi sententia judicis ab officiis ecclesiæ segregarentur, in quo nihil aliud statuebatur, quam ut canones irregularitatem indicentes executioni demandarentur. Revera etiam suspendendus erat ab officiis ecclesiæ quicumque esset de simonia accusatus, aut suspectus, licet crimen necdum probatum fuisset, can. 14, caus. 2, quæst. 5, cap. 4 et 5, de simon., nec verosimile est, postea convictum de simonia, aut confessum non ulteriore pœna damnari. Simili modo interpretari oportet capitulum 19 de simonia, ubi abbas, et monachi simoniaci suspendendi dicuntur ab officii executione; neque enim suspensio illa tempore circumscribitur, quando definitur, abbatem simoniacum esse in aliud monasterium transferendum ad agendam pœnitentiam, ac propterea nomine suspensionis in eo rescripto vera et propria depositio intelligitur, quod magis magisque comprobatur ex cap. 30, eod. tit, ubi aperte definitur, in crimine simoniæ per accusationem in judicium deducto canonicæ severitatis exercendam esse ultionem, quamquam si ab inquisitione judicium cœperit, sola sit indicenda suspensio a sacrorum ordinum executione, donec impleta fuerit gravis pœnitentia, idque ex humanitate quadam, et indulgentia singulari ob magnam delinquentium multitudinem. Notatu dignum est, verba illa capituli 19, de simonia *ab offiicii executione suspendens*, non haberi in 2. Collectione decretalium in cap. 1, de simonia, quorum loco ista leguntur *ab officii sacerdotali suspendas*. Fateor tamen, hodie aliud videri pragmaticis, numero pluribus, qui pœnam hanc irregularitatis moribus abolitam esse scripserunt. Ceterum profluxit recens ista traditio ex prava interpretatione extravagantis 2, de simonia int. com., in qua cum pœnæ adversus simoniacos latæ recensentur, de irregularitate factam mentionem expressam non invenerunt. Ego sane nihil novi in hac parte constitutum fuisse video, cum ibidem expresse legatur, veterem canonum censuram confirmari, ac renovari. Tertia pœna ipso jure indicta est, ut simoniacus subjaceat pœnæ excommunicationis, a qua nonnisi a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, absolvi valeat, can. 12, 22, caus. 1, quæst. 1, cap. 38. de simon., dicta extravag. in vers. *Statuentes.* Excipe casum, quo aut capitulum, aut monasterium simoniam admitteret; etenim capitula, aut monasteria pœna, tantum suspensionis coercentur, extravag. 1, de simo. int. com., item casum, quo episcopus clericum ordinaturus sine titulo promiserit, se annuam pensionem quasi tituli loco daturum, et deinde pactus fuerit, non aliter se devenire ad ordinationem velle, quam si pensio ab ordinatio non exigatur, quemadmodum intelligo capitulum 45, de simonia, in qua specie ordinator a collatione, præsentator ab executione ordinum per triennium, et ordinatus ab ordine sic sucepto, donec a sede apostolica dispensatio obtineatur, suspensionem incurrnnt. Quod si in judicium deductum fuerit simoniæ crimen, judicis partes eæ potissimum erunt, ut interea reum de simonia suspectum ab officio, beneficio et ordinis suscepti executione suspendat, cap. 4 et 5, de simonia, convictum autem, aut quomodocumque damnatum a gradu suo deponat, ad restitutionem perceptorum beneficii fructuum adigat, eisque pœnis reum obnoxium esse pronunciet, quas modo diximus ex jure imminere; nam modo dicitur simoniacus carere ecclesiastica dignitate, can. 5, dist. 24, can. 9 et 10, caus. 1, qu. 1, can 4, caus. 15, qu. 3, cap. 20, de simonia, modo subjacere periculo proprii gradus, can. 8, 99, 124, caus. 1, quæst. 1, can. 1, caus. 8, quæst. 3, modo cadere a sacerdotio, canon. 2, caus. 1, qu. 7, modo deponi, canon 100, caus. 1, quæst. 1, canon. 3, 33, caus. 7, quæst. 1, cap. 2, de confessis, cap. 2, 11 et 13, de simonia, modo perpetua multari damnatione, canon. 2, caus. 1, quæst. 3, modo recipientem sacra ad sacros ordines non ascendere, et concedentem suspensione a potestate, seu quod in proposito idem est, depositione mulctari, unde tridentinum concilium in cap. 18, sect. 24, de reform., postquam examinatores synodales aliquid occasione examinis recipientes simoniacos esse declaravit, adjecit, non posse eos a simonia absolvi, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles reddi. Item pro qualitate adjunctorum ulterius procedere judex poterit, jubendo ex gr., ut simoniacus in monasterium detrudatur, canon. 7, caus. 1, quæst. 4, vel ut accepti duplum, aut quadrupulum luat, can. 7, dist. 18, can. 26, caus. 1, quæst. 7, cap. 41, in fine de simonia. Ex his facile intelligitur, quare prælatis, qui aliquando simoniam admiserunt, sacrorum ordinum collatione interdictum fuerit, cum decretum sciamus, effectu suo carere sacram ordinationem, quæ, utut non simoniace, a simoniacis tamen facta fuerit, vix, et ex quadam dispensatione ad officia admissis ordinatis, qui a simoniaco ex ignorantia ordines susceperunt, can. 108 et 109, caus. 1, qu. 1.

Quoniam vero a tribus personarum generibus admitti simonia potest, primum ab eo, qui rem spiritualem tradit, secundo ab eo, qui rem spiritualem accipit, tertio ab extraneis, jure quæritur, an memoratæ pœnæ locum habeant, etiamsi non omnes criminis

conscii fuerint, sed unus ex ipsis ignoraverit. Quid enim, si extraneus quisquam ignorante clerico beneficium suscepturo aliquid donet prælato? Quid si beneficium suscepturus aliquid donet extraneo, ut probum prælatum facilem concedendo beneficio reddat? Distinguere oportet inter pœnam, qua gesta per simoniam irrita fiunt, et alias pœnas, quæ vel vergunt in spirituale animæ detrimentum, vel turpem notam inurunt. Si de pœna queratur, qua quod gestum est per simoniam, irritum fit, ista nihilominus locum inveniet, non quasi pœna adversus ignorantem lata, sed quasi vitium intime adhærens gestis, quod propterea gesta ipsa deturpat, et evertit, can. 3, caus. 1, qu. 5. Hinc innoxius salubre consilium capiet, quo statim ac alienum dolum compertum habuit, beneficium, quod ex aliena simonia suscepit, sponte dimittat, spe concepta futurum, ut nova collatione dimissum beneficium consequatur, can. 1, cau. 1, qu. 3, c. 59, de electione, c. 26, de simonia. Excipe tamen casum, quo pecunia ab extraneo daretur in fraudem beneficiarii, non ad eum finem ut quis beneficium consequeretur, sed potius ut beneficio simoniace adepto non potiretur. Finge speciem. Clericus ad certum beneficium adspirans, cum conjiciat, collatorem beneficii velle beneficium conferre Titio, pecuniam tradit, ut beneficium Titio conferatur, non quidem animo Titio favendi, sed animo proclamandi simoniacam ac propterea irritam collationem, ut deinde ipse beneficium consequatur. Valida tunc erit collatio, quemadmodum definivisse videtur Cœlestinus III, in cap. 27, de simonia, quo etiam pertinet capitulum 33, eod. tit., quo definitur, electum, qui abbatiam ex aliena simonia susceperat, non quidem ex simonia a personis necessitudine conjunctis admissa, sed ab extraneis, quorum respectu fraudis suspicio suboriri poterat, præsertim quod electus expresse prohibuerat, ne quidquam concederetur, rite abbatia potiri. Idipsum evenire puto ea in specie, qua pactio inter duos extraneos inita fuisset, puta inter extraneum, et patronum nominantem, ignorante, aut repugnante eo, qui beneficium a probo episcopo, et simoniæ non conscio suscipit. Etenim hac in specie cum patronus cadat abs jure nominandi saltem pro ea vice, collatio beneficii censetur libere facta ab episcopo gratia clerici ac si simoniaca patroni nominatio minime attendatur. Quod si agatur de pœnis, quæ vergant in spirituale animæ detrimentum, qualis est excommunicatio, aut de pœnis, quæ turpem notam inurunt, qualis est infamia, et irregularitas, istæ non habebunt locum respectu ignorantis, cum nemo innoxius ex alieno facto puniatur.

Ut dispensatio a pœnis, quibus simoniaci subjacent in caussis susceptorum ordinum, et beneficiorum, obtineretur, olim simoniaci consueverant ad sedem apostolicam confugere, can. 1 et 2, caus. 1, quæst. 5, unde paullatim factum est, ut dispensandi facultas ab episcopis auferretur, cap. 27 et 45, de simonia, extravag. 1 et 2, eod. tit. int. com. Hinc hodie et dispensatio ab irregularitate, et dispensatio ab interdicto retinendi beneficii, vel exercendi officii sacri adnexi ordini a sede apostolica petenda est, sive in romana pœnitentiaria, cum occultum est crimen, sive in romana dataria, cum est manifestum. Tantum duæ species a sacris canonibus probantur, in quibus sufficiat episcopi dispensatio. Prima est, cum clericus non prælaturam, sed simplex beneficium ignorans simoniam ab eligentibus, vel patronis admissam obtinuerit, can. 3, caus. 1, qu. 5, cap. 59, de electione. Altera est singularis quoad irregularitatem, quam simoniacus contraxit. Si enim occultum crimen fuerit, poterit ab ea nota episcopus dispensare juxta disciplinam in Concilio tridentino probatam, ses. 24, de reform. cap. 6, non quidem ut beneficia per simoniam obtenta retineat clericus, sed ut ad sacros ordines promoveatur, cum aliud sit, irregularitatis deleri notam, aliud collationem, quæ ab initio irrita fuerit, confirmari. Id tamen intellige, dummodo in neutra specie conscius simoniæ Episcopus ipse fuerit, argumento, c. 5, de clericis conjugatis, et c. 8, de tempor. ordinat.

Nonnulla adhuc observanda supersunt in crimine simoniæ in judicium ducendo, quæ sane singularia criminis odio statuta sunt, non tam ob ejusdem gravitatem, quam ut facilius et pressius damnentur simoniaci, quorum fraudibus fieri solet, ne crimen in jure probetur. Tot tantaque suffugia identidem invenerunt simoniaci, ut vix sperandum esset sacra ministeria gratis suscipi, aut conferri, quemadmodum fuit superius observandum. Atque hoc sensu in can. 27, caus. 1, qu. 7, simoniaci dicuntur *veluti primi, et præcipui hæretici ab omnibus fidelibus respuendi, et omnia crimina ad comparationem simoniacæ hæresis, quasi pro nihilo reputari;* quæ verba licet non legantur inter monumenta Paschalis papæ cui perperam tribuuntur, tamen usurpata fuerunt ab Innocentio III, in c. 32, de simonia. Igitur primum obtinet, ut unusquisque teneatur simoniacos denunciare, extravag. 2 in fine de simon. int. com. Deinde obtinet, ut etiam infames, non tamen hæretici, accusare de eo crimine possint; servi etiam adversus dominum, monachi adversus abbatem, parochiani adversus parochum sine discrimine admittantur nec alia accusato prodesse possit exceptio, nisi quod accusator animo calumniandi ad judicium venerit, cap. 3, 7, 31, de simonia, imo admittatur conscius, et consors criminis ad

denunciandum proposita spe veniæ facilioris, can. 2, dist. 79, dicta extravag. 2, argumento, can. 22, caus. 6, quæst. 1, in fine. Præterea quod de accusatoribus dicitur, idipsum statutum de testibus fuit, omnibus etiam gravium criminum reis admissis, nisi de calumnia suspecti sint, cap 3, 32, de simon., aut nisi ejusdem, de quo testificantur, criminis rei esse probentur, cap. 10, de testibus. Insuper non requiritur, ut probationes liquidæ omnino, ac manifestæ sint, sed sufficiunt certa signa, quæ prudentis judicis animum movere possint, cap. 6 et 13, de simon. Quoniam vero in hoc judicio, quod mere ecclesiasticum est, et civiliter, et criminaliter agi potest, civiliter ad arcendum beneficiarium ab administratione, criminaliter ad simoniacum a beneficio et ordine deponendum, notandum est; hunc juris rigorem habere tantum locum, cum civiliter agitur; nam si criminaliter ad penam depositionis agatur, ob majorem pœnæ asperitatem, ordinariæ servandæ sunt judiciorum regulæ, ac solemnitates, dicto cap. 32, de simonia.

CAPUT III.

De spreto cultu sanctorum.

Huc referendus est titulus 45, libri 3.

Dogma est catholicæ fidei, singulari cultu in ecclesia prosequendos esse, quorum animæ justæ in cœlesti patria cum Christo feliciter regnant, non sane quod in hac parte christiana pietas veterum gentium apotheosim imitata fuerit, cujus vi nonnullis, quos vel semideos, vel Semones, quasi semihomines appellabant, divini honores decernebantur; semper enim ecclesia docuit, et unum esse Deum, et nonnisi unum uti Deum esse colendum; sed quod divinæ gloriæ participes illi sint et possint apud Deum pro nobis adhuc peregrinis et militantibus intercedere, concil. trident., sess. 25, in decreto de invocatione sanctorum. Primis ecclesiæ sæculis apud fideles coli consueverunt post B. Mariam, cui sane tanquam Deiparæ singulare obsequium debebatur, ii omnes, quorum in sacris literis probata vita constantissime fuit, inter ceteros Joannes præcursor; atque iis statim accesserunt, quotquot fuerunt martyrii gloria illustres, ac præ primis apostoli universi, ac viri apostolici, qualis erat protomartyr Stephanus, qui post Christum, ac pro Christo obierunt. Martyrum erant tria veluti genera, quorum alii professores, alii confessores, alii generali nomine martyres appellabantur. Professores vocabantur, qui non interpellati se palam christianos asserebant, sponte sese suppliciis offerentes. Confessorum nomine donabantur ii, qui interpellati christianos se constanti animo dixerant, et mortem pro Christi fide oppetierant. Martyres generali nomine dicebantur ii, qui atroces quidem perpessi fuerant pro Christo cruciatus, a quibus tamen superstites evaserunt, vita deinde functi, dum, pace ecclesia frueretur, atque de hoc martyrum genere frequentissima mentio est apud S. Cyprianum. Præterea martyres cujuscumque generis essent, modo dicebantur *designati*, contra quos scilicet lata fuerat sententia, nondum executioni mandata; modo *consummati*, seu *coronati*, qui gloriose pro Christo occubuerant; modo *vindicati*, quibus decreto ecclesiæ jam martyrum cultus exhibebatur. Paullo recentior fuit cultus in ecclesia præstitus viris justis, qui non martyrio et fidem, et charitatem in Deum, sed insigni virtutum professione ad finem usque vitæ exhibita testati sunt, quos confessores posterior ætas appellavit, cap. un. de reliq. et ven. sanct. Nimirum cultum istum publicum quarto primum sæculo inolevisse, eruditi viri tradiderunt; quo primum tempore orationes aliquot ita concipiebantur, ut earum formula dubia admodum videretur, an pro sanctis illis ecclesia oraret Deum, an potius ecclesia pro fidelibus oraret, interposita eorumdem sanctorum intercessione. Refert Innocentius III, in cap. 6, § ult. de celebrat. missar., *in secreta B. Leonis II*, juxta antiquiores codices ita orari in ecclesia consuevisse: *Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio*, quando in recentibus illius temporibus sacramentariis immutata fuit orandi formula his verbis: *Annue nobis, quæsumus Domine, ut intercessione B. Leonis hæc nobis prosit oblatio.* Imo et subjicit Innocentius, *in plerisque orationibus contineri: prosit, vel proficiat huic sancto, vel illi, talis oblatio ad gloriam et honorem.* Has autem, et similes formulas ita interpretatur, ut *ad hoc prosit oblatio* sanctis, *quod magis, ac magis a fidelibus glorificentur in terris, licet plerique reputent non indignum, sanctorum gloriam usque ad judicium augmentari, et ideo ecclesiam interim sane posse augumentum glorificationis eorum optare*; et concludit, forte hic accommodari posse, quod tradebatur ab Augustino in can. 23, caus. 13, qu. 2.

Duplici modo in hac re gravissime delinqui potest; primo non colendo illos, qui coli ex mandato ecclesiæ debent; secundo colendo illos, quos ecclesiastico judicio, aut probatione colendos esse non constat, can. 57 et 58, caus. 11, quæst. 3. Ecquidem quandoque contigit in aliquibus ecclesiis, ut quidam colerentur, qui nedum colendi non erant, sed etiam damnandi; hinc refert Alexander III, in cap. 1, de reliqu. et ven. sanct., in quadam ecclesia fuisse publice veneratum hominem *in potatione, et ebrietate occisum*: et

Sulpitius Severus in libro de vita S. Martini Turonensis, cap. 8, hoc factum describit: *Erat haud longe ab oppido proximus monasterii locus, quem falsa hominum opinio velut consepultis ibi martyribus sacraverat, nam et altare ibi a superioribus episcopis constitutum habetur. Sed Martinus non temere adhibens incertis fidem, ab his, qui majores natu erant, presbyteris, vel clericis flagitabat, sibi nomen martyris, vel tempora passionis ostendi: grandi se scrupulo permoveri, quod nihil constans sibi majorum memoria tradidisset. Cum aliquandiu ergo a loco illo se abstinuisset, nec derogans religioni, quia incertus erat, nec auctoritatem suam vulgo accommodans, ne superstitio convalesceret, quodam die paucis secum adhibitis fratribus ad locum pergit; deinde super sepulchrum ipsum adstans oravit ad Dominum, ut quis esset, vel cujus meriti sepultus, ostenderet. Tum conversus ad lævam vidit prope assistere umbram sordidam, trucem: imperat nomen meritumque, ut loqueretur: nomen edicit, de crimine confitetur, latronem se fuisse ob scelera percussum, vulgi errore celebratum, sibi nihil cum martyribus esse commune, cum illos gloria, se pœna retineret. Mirum in modum vocem loquentis, qui aderant, audiebant, personam tamen non videbant: tum Martinus quid vidisset exposuit, jussitque ex eo loco altare, quod ibi fuerat, submoveri, atque ita populum superstitionis illius absolvit errore.* Verum ecclesia perpetuo curavit, ut a templis hujus generis monumenta auferrentur, uti constat ex hoc facto S. Martini, item ex can. 26, de consecr. dist. 1, ac denique ex famigerato Gelasii decreto in can. 3, dist. 15, quo plurima apocrypha martyrum acta damnata sunt. Ceterum absit, ut abeundum sit in aliorum excessus, qui et martyrologia latinorum, et menologia græcorum ita generaliter temnunt, ut indiscriminatim martyres prope universos, quorum memoriam ecclesia celebrat, aspernentur. Fuit jam ista temeritas pseudosynodi cordubensis, anni 852, in qua damnatus fuit cultus martyribus numero plurimis debitus, quod decretum a quibusdam episcopis extorserat tyrannus sæviens acerrime in christianos. Ad hunc ausum deinde recentioribus sæculis accessit Onophrius Panvinius, quem alii secuti sunt, clamantes, acta veterum martyrum scatere putidis mendis, et ecclesiam incusantes, quod homines numero plurimos veluti sanctos veneretur prætextu martyrii, qui fuerint pudendis criminibus inquinati, et potius in pœnam scelerum supremo supplicio afflicti, quam ob fidei christianæ professionem. Ajunt ipsi, verosimile non esse, tot martyrum millia primis præsertim ecclesiæ sæculis defunctorum coli posse, sive quod ex multis christianæ fidei cultoribus esse potuerint homines criminum etiam gravissimorum rei, non tam ob christianæ fidei professionem, quam ob corruptos mores ab ethnicis interfecti: addunt deinde, non omnes romanos principes tribus prioribus sæculis infensos adeo christiano nomini fuisse, ut christianos ad necem usque insequerentur, laudantque in eam rem veluti clementissimos, Trajanum, Pium, Hadrianum et Marcum imperatores. Facile est ingenuo prudentique viro his respondere. Etenim fateri quidem possumus, non omnes, quos tamquam martyres ecclesia colat, fuisse publica auctoritate morte damnatos, attamen omnes passim ab ethnicis vexabantur, modo in exilium missi, modo coacti ad latitandum, modo clam a privatis interfecti; hos autem vetusta ætas etiam martyres recte appellabat. Quod autem spectat caussam martyrii, semper sollicita fuit ecclesia, ut pseudomartyres a veris martyribus secerneret; neque flagitiosos christianos homines martyrum fastis adscripsit, etiamsi fuissent ab ethnicis damnati. Tantum in ecclesia tanquam martyres haberi, et coli consueverunt, qui pro Christi fide, non in pœnam scelerum sanguinem effuderunt. Hinc constantissima semper fuit disciplina ecclesiæ, quæ uti cavit, ne vere sanctorum animas non coleremus, ita præcepit, ut a cultu illarum abstineremus, quas in beatorum numero ecclesia ipsa prudenti judicio non adscripsisset. Hæc porro definitio pendebat olim ab episcopali judicio, qui in synodis una cum clericis suis caussam examinabant, ac probabant. Imo et mos erat, ceteroqui singularis, in Africana ecclesia, ut judicio primatis de consilio suffraganeorum pronunciaturi ea definitio reservaretur, uti deducitur ex Augustino in breviculo collationum cum Donatistis collatione 3, cap. 13. Post episcopalem definitionem sanctus quisquam tantum in diœcesi colebatur, tum demum ad alias diœceses, aut provincias cultu traducto, cum per encyclicas aliæ ecclesiæ de judicio episcopi factæ fuissent certiores, judiciumque ipsum probavissent. Præcipua autem habebatur ratio pontificis maximi, ad quem acta episcoporum aliquando referebantur, ut statim ac ab eo etiam probarentur, in universa ecclesia cultus celebraretur. Ex quo liquet, jam tum agnitum fuisse duplex beatorum genus, quorum aliqui tales habebantur in una tantum aut altera ecclesia, nimirum post judicium unius aut alterius episcopi, aliqui tales habebantur ubicumque in ecclesia universa, nimirum post judicium pontificis maximi omnibus ecclesiis propositum, et probatum, paullatim factum est, ut reservaretur pontifici maximo facultas decernendi sacrum cultum, non solum in universis, sed etiam in singularibus ecclesiis, quod jam obtinuisse temporibus Alexandri III, perspicue constat

ex cap. 1, de reliqu. et ven. sanct., quod et confirmavit Innocentius III, in cap. 2, eod. lit. Et quidem pontifices maximi reservationis initio in synodis eas caussas absolvebant, aut extra synodum, convocatis ad id viris dignitate, ac prudentia illustribus, quorum consilio et suffragio definitio fieret. A temporibus Sixti V, instituta, an 1587. Congregatione sacrorum rituum obtinuit, ut in eadem res discuteretur, et summi pontificis auctoritate absolveretur.

Ordinatior exinde profluxit procedendi ratio in caussa decernendi cultus: nimirum justorum hominum quatuor veluti gradus clarius distincti fuerunt, quorum singulis singularia nomina tribuerentur, *servorum Dei*, *venerabilium*, *beatorum*, atque *sanctorum*. Servi Dei proprie ex recente disciplina appellantur, qui cum publica sanctitatis fama obierunt: venerabiles, quorum sanctitatis fama judiciali ratione comprobata est: beati, quorum cultus pontificio decreto, nondum tamen supremo judicio permittitur; ac probatur, certis præstitutis neque excedendis modis, in alia provincia, diœcesi, civitate, aut religiosa familia deferendus; sancti denique, quos supremo papæ judicio in universa ecclesia colendos esse mandatur, unde discreta fuit beatificatio, ut loquuntur nostri, a canonizatione, siquidem beatificatio est actus, quo pontifex maximus beatorum titulo decorat justorum animas, indulgens certis locis, aut collegiis, ut illas cultu beatis debito prosequantur; canonizatio autem est actus pontificis maximi, sententia definitiva pronunciantis, justorum quorundam animas cum Christo regnare, proptereaque jubentis, ut eædem in tota ecclesia cultu sanctis debito colantur, dicta canonizatio, quasi adscriptio in canonem, sive in catalogum sanctorum. Quis non videat in conspectu recentis hujus disciplinæ, veterem illam, quæ ab uso recessit, episcoporum declarationem, ac decreta speciem quandam habuisse beatificationis, quæ tum demum vires canonizationis adsumeret, quum in ecclesia universa, probante, seu consentiente pontifice maximo, reciperetur?

Sive de martyrum, sive de confessorum caussis agatur, regulariter hodie servatur, ut ad decretum vel beatificationis, vel canonizationis non procedatur nisi primum constet, cultum illis a die obitus non fuisse delatum. Quod cum adparuerit, si de confessionibus discussio fiat, de virtutibus defunctorum in gradu heroico, et de finali in illis perseverantia quæritur: item de miraculis, seu signis naturæ ordinem excedentibus, quibus liqueat, divino judicio sanctitatem probari, cap. 52, de testibus; si de martyribus, investigandum est de martyrio, et martyrii caussa, item de miraculis; et quamquam necesse non sit, de virtutibus in gradu heroico exercitis quærere, plurimum tamen juvat ad explendam controversiam, quæstionem istam cum quæstione martyrii et caussæ martyrii cumulare. Quoniam vero jure communi non definitur miraculorum numerus, dicto cap. 52, de testib., ideo receptum est, ut duo sufficiant, argumento, cap. 40, de reg. jur. in 6, et l. 12, ff. de testib., nimirum duo ante beatificationem, ut decretum beatificationis rite feratur, duo item alia post beatificationem, ut rite ad canonizationem procedatur. Porro ne falsa miracula pro veris obtrudantur, prudentissime cavit concilium tridentinum, ne quisquam episcopo inferior eadem publicet, aut probet; sed ut episcopus eadem recognoscat, et adprobet, ad cujus potestatem pertinere decrevit, ut simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium theologis, at aliis piis viris ea faciat, quæ veritati, et pietati consentanea judicaverit, sess. 25, in decreto de invocatione sanctorum in fine. Dixi regulariter; sunt enim casus quidam excepti, quibus aliter ad beatificationem, vel canonizationem proceditur. Id contigit, cum alicui jamdiu vita functo, eo temporis spatio, quod hominum memoriam excedit, cultus publicus delatus est, vel cum docetur, cultum fuisse per aliquod tempus præstitum ex indulto apostolico, aut sacræ congregationis decreto executioni demandato, aut per patrum, virorumque sanctorum scripta; quibus in speciebus ordinarius primum in caussa cognoscere solet, coram quo si cultus ille adprobetur, confirmatur apud apostolicam sedem, et tum demum dicitur quasi æquipollens beatificatio, post quam deinde ad canonizationem ordinaria modo descripti judicii forma apud sedem apostolicam procedi valeet. Post tam grave judicium, præsertim canonizationis, qui debitum vindicatis cultum denegaret, acerrimis puniretur pœnis, quales ex recentioribus, pontificiis constitutionibus sunt suspensio a divinis in clericis, denegatio suffragii seu activi, ut vocant, seu passivi in monachis, præter alias extra ordinem infligendas, quæ et in laicis locum habent pro delicti qualitate. Videatur in hanc rem constitutio 37, quæ incipit *sanctissimus*, et constitutio 132, quæ incipit *Cœlestis*, Urbani VIII.

Nonnulla hoc in loco adjicienda sunt de sanctorum, beatorumve reliquiis, sive quæ spectant ad cultum earum, sive quæ spectant ad earundem translationem. Variæ sunt dubitandi caussæ, ubi agitur de cultu reliquiis exhibendo. In primis enim constare aliquando potest de veritate reliquiæ, non tamen constare, eum esse sanctis, vel beatis adscriptum cujus reliquia est. Deinde constare aliquando e converso potest, aliquem esse sanctum, vel beatum, quin constet, certam reliquiam illius esse. Postremo constare aliquando potest, re-

liquiam esse viri sancti, vel beati, quin tamen constet de sancti, vel beati nomine, patria, et qualitatibus universis in specie. Quoties constat de veritate reliquiæ, nondum tamen sanctorum, vel beatorum fastis adscriptus est is, cujus esse reliquia dignoscitur, nemo audere debet, eam publicere exponere ad cultum, licet forte dicatur esse, aut servorum Dei, aut venerabilium hominum, cap. 2, de reliq. et venerat. sanct., imo etiam licet miracula per illam edita adparuerint, cap. 1, eod. tit. statim ac enim hodie canonizatio, ac beatificatio pontifici maximo reservatur, eidem quoque pontifici maximo reservatur facultas concedendi cultum viris justis. Et quamquam ordinarii locorum, uti notat Fagnanus ad dictum, cap. 2, numero 10, possint recognoscere, et approbare miracula alicujus, qui martyrii fama, vel sanctitatis opinione celebris e vita migravit, tamen ne quid novum, ac inordinatum in re tam gravi committatur, jubentur negotium instructum ad sedem apostolicam transmittere, ejusque responsum expectare. Atque ne singulari cuidam cultui reliquiis hujus generis præstando detur occasio, receptum est, ut cadavera mortuorum semel in tumulo deposita, quasi in perpetuam sedem, nequeant privata cujusquam auctoritate in alium locum transferri, quod jam olim vigebat ex legibus Romanorum, l. 8, ff. de relig. et sum. fun., l. 1 et 10, cod. eod. Hinc si caussa quædam translationis emergat, necessaria erit caussæ cognitio, et episcopale decretum, can. 37, de cons. dist. 1, imo et requiritur auctoritas romani pontificis, si jam apud sedem apostolicam caussa canonizationis, aut beatificationis fuerit instituta, quasi tunc pontifex maximus episcopalem prævenisset jurisdictionem. Quando vero hæc facultas seu ab episcopo, seu a pontifice maximo obtineatur, cavendum semper erit, ut translatio fiat sine strepitu, et pompa, januis ecclesiæ, vel cæmeterii clausis, ne ulla necdum debiti cultus occasio emergat. Quod si constet, aliquem esse sanctum, sive beatum, et novæ inveniantur reliquiæ, de quibus dubitari possit, an sint illius, sancti, vel beati, non erunt istæ colendæ, priusquam constet, illas ipsas esse, quæ revera beato, vel sancto viro adscribi valeant; atque ista caussæ cognitio regulariter ad episcopos pertinet, can. 26, de cons. dist. 1, concilio tridentino in dicto decreto de invocatione sanctorum, sess. 25. Equidem in hoc judicio magna diligentia enitendum est, ne falsæ reliquiæ pro veris obtrudantur, non sane ut adeo scrupulosi simus, ut geometricis tantum, seu evidentibus argumentis utamur, sed ut caute admodum procedetur, et solida sint argumenta, atque apta ad movendum virum gravem, ac prudentem, qualia essent in antiquis etiam ea, quæ maxime verosimilia sint, et urgentissimis conjecturis innitantur, agitur enim de rebus, quæ non aliter, quam humano more custodiri possunt. Subjacent reliquiæ translationibus, mutationibus capsarum, et variis formis, quibus modo hic, modo illic exponuntur. Literarum testimonia, quibus earum veritas probari potest, modo antiquitate delentur, modo ruinis, et incendiis, aut simili fato pereunt. Eam ob rem enitendum est, ut hinc non omittatur prudens sollicitudo, ne falsæ reliquiæ colantur; illinc non denegetur locus humanis probationibus, quæ satis judicis animum instruere, ac movere possunt, ne veris reliquiis cultus debitus subtrahatur. Scio, aliquando reliquiarum identitatem igne probatam fuisse, idest ita, ut qui eas protulisset, per ignem transire teneretur, concilio cæsaraugustano II, anni 592, can. 2. Verum hæc uti erat disciplina quarundam ecclesiarum singularis, nec satis laudanda, ita ab usu recentioribus sæculis ubique exolevit, hodieque probationibus ordinariis fit locus, et tum demum cultus decernitur, cum sunt argumenta saltem moraliter certa. Recognitis sanctorum, beatorumve reliquiis statim debitus cultus iis est exhibendus, servato modo cultus debiti sanctis, et cultus debiti beatis; idest ita, ut sanctorum reliquiæ ubique statutis rationibus venerabiles habeantur, beatorum autem juxta modum in decreto beatificationis expressum, qui sane non est excedendus, atque ubi decretum non adpareret, juxta modum, quem fert vetus consuetudo. Porro si reliquiæ sint insignes, vel integram partem præseferant, in qua passus est martyr, debent in ecclesia adservari, nec licet privatis eas extra ecclesias custodire, nisi agatur de magnis principibus, aut majoribus ecclesiæ prælatis; minus insignes apud privatos pietatis caussa adservari permissum est. Quod si constet, reliquias vere esse sancti alicujus, vel beati, non tamen sciatur sancti, beative nomen, ac patria, atque universæ in specie qualitates, jamdiu obtinuit, ut certum nomen sancto, beatove imponeretur, quos vulgo appellant *sanctos baptizatos*. Nemo in hac re de mendacio ecclesiam incuset, etenim ad mendacii cujuscumque vel levissimam suspicionem avertendam, consuevit ecclesia beatos hujus generis non singulari nomine donare, sed nomine, uti loquuntur grammatici, appellativo. Sic olim dicti fuerunt sancti quatuor *Coronati*, quorum nomen proprium ignorabatur; sic sanctus *Adauctus* dictus est, qui Felicem martyrem secutus est sponte, et in martyrio accessit. Sic etiam hodie aut latinis, aut græcis appellativis nominibus utimur, ad distinguendos veteres sanctos, veluti cum illos, Justum, Felicem, Pium, Fortunatum, Victorem, Theodorum, Theophylum nominamus. Quod denique spectat ad translationem reli-

quiarum, sunt qui putant, insignes sanctorum reliquias in una ecclesia semel collocatas ne episcopi quidem auctoritate posse ne donationis quidem caussa extra illam ecclesiam adsportari, et alio transferri, quasi id vetitum sit in extravag. un. de reb. eccles. non alien. int. com., ideoque episcopus id facientes pœnis in eadem extravagante expressis subjacere. Paullo aliter definire solent prudentissimi viri, quorum judicio improbaretur quidem episcopi factum reliquias de una in alteram ecclesiam transferentis, non enim tantis pignoribus, ac monumentis locupletatæ, ornatæque ecclesiæ spoliandæ sunt; ceterum non damnaretur episcopus, nisi extraordinariis pœnis, judicio superioris definiendis, non pœnis laudatæ extravagantis, utpote quæ ad hanc alienationis speciem nullo modo pertinere videtur. De reliquiis, quæ in ecclesiis non custodiuntur, sed privatorum devotioni concessæ a singulis fidelibus detinentur, libertas unicuique inest, ut in quoscumque transferri a detinentibus possint, dummodo a venditione, aut quocumque commercii, et quæstus genere abstineatur, quemadmodum aperte sacris canonibus definitum est, cap. 2, de reliq. et vener. sanctor., et jam veteres constituerant religiosi imperatores in l. 3, cod. de sacrosanctis ecclesiis.

CAPUT IV.

De spreto cultu sacramentorum.

Mens mihi non est in hoc capite singula persequi, quibus potest in sacramentis seu conferendis, seu suscipiendis peccari. Tantum singularia quædam expendam, quæ in subjectis decretalium titulis improbantur, atque damnantur.

AD TITULOS

De sacramentis non iterandis, lib. 1, *tit.* 16.
De reiterantibus baptisma, lib. 5, *tit.* 9.
Et de presbytero non baptizato, lib. 3, *tit.* 43.

Jamdiu definitum ab ecclesia fuit, sacramenta, quæ characterem imprimunt, Baptisimum, Confirmationem et Ordinationem iterari non posse. De baptismate quidem antiquissimæ fuerunt in Africana ecclesia concertationes, non quod aliqui crederent, baptisma semel rite collatum iterari posse, aut debere, sed potius quod crederent, fidem in baptizante requiri, seu baptizatum ab hæretico vere baptizatum dici non posse. Verum et hæc opinio, quæ sanctos ceteroqui viros aliquando patronos habuit, fuit deinde ab ecclesia damnata, quum cautum est, baptismum valere, quoties aqua ablutus evangelicis verbis regeneratur ministerio ejus, qui intentionem habeat faciendi quod facit ecclesia, quisquis ille sit, qui baptizat, seu impius, seu hæreticus, seu paganus. Hinc jure optimo sacrilegi dicti fuerunt, qui aliquem ausi fuerint rebaptizare, aut qui se rebaptizari permiserint, can. 35, caus. 23, quæst. 5, pœnæque gravissimæ in rebaptizatos inflictæ, qualis est in clericos depositionis a gradu, et generaliter in omnes pœna irregularitatis sine spe indulgentiæ, ac dispensationis, can. 65, dist. 50, can. 3, dist. 98, can. 10 et 21 in fine caus. 1, quæst. 7, quamquam aliquando in crimine occulto, et cum eo quem excusabat ætas, atque intentio fraternæ salutis, mitius actum fuerit, quemadmodum in specie capituli 2, de apostatis; quod adeo verum est, ut locum habeat etiam in infante, aut ignorante adulto. in quibus licet rebaptizatio culpæ adscribi non possit, impedimento tamen est, ne ad ecclesiasticos ordines ascendant, nisi ex ecclesiæ dispensatione indulgentia fiat necessitate emergente, can. 117 et 118, de consuet. dist. 4. Neque obstant canones 3 et 4, caus. 1, quæst. 4, utpote qui non de rebaptizatis, sed de iis, qui apud Donatistas baptisma perceperant, sunt intelligendi. Religiosi quoque imperatores adversus rebaptizantes statuerunt, ut infames fierent, atque ultima supplicio, percellerentur. Infamiæ notam inustam fuisse, liquet ex. l. 3, cod. de apostatis. At de ultimi supplicii pœna perspicua quidem esse lex Honorii et Theodosii, qualis habetur in l. 2, cod. ne sanctum baptisma iteretur, his verbis concepta: *Si quis rebaptizare quemquam de ministris catholicæ sectæ fuerit detectus, una cum eo, qui piaculare crimen commisit (si tamen criminis per ætatem capax sit) et hic cui persuasum sit, ultimo supplicio percellatur;* verum si verba hujus legis exigantur ad fidem Theodosiani codicis, seu ad leg. 6, cod. Theodos. eod. tit., forte nonnulla agnoscentur, ex quibus non satis constet, an pœna adeo severa adversus rebaptizantes ab Honorio et Theodosio indicta fuisset. Verba ejus legis sunt: *Nullus rebaptizandi scelus arripiat, nec eos, qui orthodoxorum ritu fuerint initiati, cœno profanarum religionum, hæreticorumque sordibus polluere moliatur. Quod licet fidem metu severissimæ interminationis a nullo penitus, ex quo interdictum est, fuisse commissum, tamen ut pravæ mentis homines ab illicitis temperent, vel coacti, volumus renovari, ut si quis rebaptizasse, ex quo lex lata est, quempiam de mysteriis catholicæ sectæ fuerit detectus, una cum eo, qui piaculare crimen commisit, si tamen criminis per ætatem capax sit, cui persuasum sit statuti prioris supplicio percellatur.* In conspectu hujus legis adparet, constitutionem ipsam latam esse non contra ministros catho-

licos, qui aliquem rebaptizarent, sed contra hæreticos, forte eunomianos, aut donatistas, qui catholicum, et a catholicis baptizatum rebaptizavissent, ut indicant priora legis verba, et suadeat verba illa sequentia *quemquam de mysteriis catholicæ sectæ*, pro quibus perperam in codice Justinianeo legitur, *quemquam de ministris catholicæ sectæ*. Deinde adparet, non *ultimo supplicio* percelli rebaptizantes, uti legitur in codice Justinianeo, sed *percelli statuti prioris supplicio*, cujus nomine venire non potest pœna mortis, neque enim talis pœna in aliis prioribus imperatorum statutis indicta deprehenditur, sed potius pœna publicationis bonorum, quemadmodum habetur in leg. 4 et 5, cod. Theodos. ne sanctum baptisma iteretur. Quidquid tamen sit de hac theodosiana lege, si ad sua autographa exigatur, postquam tamen generalis adparuit, et veluti de omnibus rebaptizantibus, et rebaptizatis scripta, item postquam adparuit indicere pœnam ultimi supplicii in codice Justinianeo, ex ejusdem codicis Justinianei auctoritate visa fuit, uti scripta ibidem est, executioni mandanda. Ceterum hæc ipsa juris disciplina hodie apud plures dicitur tantum recepta, ut locum habeat adversus Judæos, qui quæstus caussa in pluribus ecclesiis iterum conversiones fingentes baptizari se postulant; quod præter leges ipsas imperiales positum est, et in una tribunalium consuetudine fundamentum habere cœpit, et caussas. At vero pœnæ istæ asperrimæ, seu ecclesiasticæ, seu civiles, meo judicio locum non habent in specie iterati sacramenti confirmationis, aut ordinis, seu quod in laudatis constitutionibus tantum iterati baptismatis, non confirmationis, non ordinis mentio fiat; seu quod gravissimis eisdem pœnis occasionem dederit detestabilis singularis abusus, qui in iterendo baptismate irrepserat, argumento, leg. 1, et sequentium cod. ne sanctum baptisma iteretur, quin negotium facessat can. 8, de consecr. distinct. 5, etenim in concilio cabilonensi II, ex cujus canone 27, ea verba depromta sunt, desiderantur ea, quæ apud Gratianum exhibentur a versiculo *quia bis* usque in finem.

Non tamen censebitur iteratum baptisma, quoties deprehendatur collatum ei, de quo dubitatur, an fuerit baptizatus, can. 110 et sequentibus de consecr. dist. 4. Qua in re ad avertendum pravæ cujuscumque rebaptizationis periculum cautum est, ut in proposita specie baptisma sub conditione conferatur, cap. 2, de baptismo. Quid vero est, quod legitur in canone 59, caus. 2, quæst. 1? *Si quis per ignorantiam ordinatur, antequam baptizetur, debent ab eo baptizati iterum baptizari, et ipse ulterius non ordinetur. Sed romanus pontifex non hominem judicat, qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet paganus sit, qui baptizat.* Difficultatem auget, quod olim ante romanam correctionem legebatur apud Gratianum in can. 50, subsequente his verbis: *Siquis presbyter ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur, et ordinetur iterum, et omnes, quos prius baptizavit;* quamquam hodie postrema ista verba *et omnes, quos prius baptizavit* expuncta fuerint opera correctorum romanorum, quemadmodum etiam omissa fuerunt apud Gregorium IX, in cap. 1, de presbyt. non baptiz. Duo sunt in conspectu horum monumentorum observatione digna. Primum est, quod dicitur, presbyterum necdum baptizatum esse iterum post susceptum baptisma ordinandum; et quidem recte propterea quod irrita omnino fuerit non baptizati ordinatio; de qua re licet visus fuerit dubitare Innocentius III, aut quicumque ex mandato Innocentii III, rescripta ejusdem pontificis digerebat in cap. 3, de presbyt. non baptiz., tamen conclusit in fine, interandam esse ordinationem. Alterum est, quod dicitur, baptizatos a presbytero non baptizato fuisse rebaptizandos. Non est consistendum nobis in codice Gratiani, sed ad antiquiores collectores, quos Gratianus sequebatur, respiciendum. Ivo Carnotensis laudat dictum canonem 59, quasi depromptum *ex dictis Isidori episcopi*, quæ sane inscriptio designat, non Isidorum auctorem canonis esse, sed in canonem aliqua ex Isidoro derivata fuisse. In quodam panormiæ ms. regii taurinensis athenæi hæc habetur inscriptio: *Augustinus ad Fortunatum, ex dictis Isidori episcopi*, et ad marginem alio charatere: *Ex dictis Isidori episcopi.* Hinc facile colligo, auctorem canonis eam composuisse sententiam, qualis recentioribus sæculis obtinuit, eandemque ita compositam veteribus patribus Augustino et Isidoro tribuisse, quod apud Augustinum et Isidorum nonnulla invenirentur, ex quibus ea disciplina ecclesiæ stabiliretur, can. 19, 21 et 36, de cons. dist. 1. Quod ut clarius expedantur, observandum est, veterem controversiam de recipiendo, vel non recipiendo hæreticorum baptismate jam fuisse tertio sæculo definitam. Num vero et ii tanquam vero baptizati haberentur, qui a non baptizatis baptizati fuissent, perspicue nondum fuerat declaratum, argumento canonis 31, de cons. dist. 4. Recentioribus sæculis, prout res incideret, singularibus pontificum Maximorum rescriptis definiri controversia cœpit, lib. 5, capitularium francorum, cap. 6, can. 24, de cons. dist. 4, et in ea definienda iidem pontifices usi fuerunt de more monumentis veterum patrum, præ ceteris Augustini, et Isidori, apud quos non uno in loco sermo ea de re institutus fuerat sub quadam dubitatione, quam deinde pontifices maximi sub-

moverunt. Itaque in principio illius canonis exhibetur dubia mens Augustini et Isidori; in fine vero explicatur germana ecclesiæ sententia, quum definitur, non esse baptizandos eos, quos sacerdos non baptizatus baptizavisset, can. 23, de cons. dist. 4. Quod si aliqua subjicienda sunt de canone 60, caus. 1, qu. 1, prout in veteribus Gratiani codicibus legebatur, item prout legitur apud Burchardum, lib. 4, cap. 74, et apud Ivonem parte 1, cap. 268, notandum est in primis, falso Burchardum primum, deinde Ivonem adscripsisse canonem compendiensi concilio; imo et de auctoritate ejus canonis jam apud veteres dubitatum est; unde apud Ivonem ad marginem ejusdem capitis in editione Frontonis hæc adjecta fuerunt: *Ad marginem codicis regii vetustissima litera adscribitur, hic dubitatur.* Hinc et in prima collectione decretalium, et apud Gregorium IX, in dicto cap. 1, de presbyt. non baptiz. omissa fuerunt verba illa, *et omnes, quos prius baptizavit.* Ut verum fatear, canon iste derivatus videtur ex pœnitentiali Theodori cantuariensis. Observo autem in primis, Theodorum cantuariensem vixisse eo tempore, quo nondum omnino definita fuerat controversia illa, an baptizatus diceretur, qui a non baptizato Sacramentum baptismatis suscepisset; ac propterea debuisse eum canonem in recentioribus collectionibus post definitionem controversiæ reformari: deinde observo, adhuc tentari posse, Theodorum non sermonem instituisse de iterando baptismatis Sacramento, sed potius de iterandis baptismatis ceremoniis, quas rite implere non poterat necdum baptizatus. Id facile suadet scopus Theodori qui agebat in pœnitentiali suo non de Sacramento baptismatis, sed de ratione satisfaciendi Deo per pœnitentiam; nemo autem ignorat, catechumenos ante susceptum baptisma variis expiationibus eo tempore consuevisse purgari. Id præterea suadet contextus verborum; nam in capite 2. Pœnitentiali apud Petitum ita legitur: *Presbyter fornicans, si postquam compertus fuerit, baptizaverit, iterum baptizentur illi, quod baptizavit. Siquis presbyter ordinatus deprehendit se non esse baptizatum, baptizetur et ordinetur iterum, et omnes quos prius baptizavit.* Ex his liquet, Theodorum æque voluisse baptizandos esse eos, qui a non baptizato, ac qui a peccatore baptizati fuissent. Ac aliter non possumus intelligere Theodorum de baptizatis a publico peccatore, quam ut crederet, esse illos novis ceremoniis expiandos, ne videatur Theodorus lapsus in hæresim jamdiu damnatam occasione donatistarum, et anabaptistarum. Igitur eodem modo commode Theodorum interpretabimur, ubi sermonem instituit de baptizatis a non baptizato. Qui plura desiderat, ea inveniet in meis adnotationibus in Gratianum ad laudatos canones 59 et 60, cau. 1, quæst. 1.

AD TITULOS

De celebratione missarum, lib. 3, tit. 41.
Et de custodia eucharistiæ, lib. 3, tit. 44.

In sacrosancto eucharistiæ Sacramento duo singularia deprehendimus. Primum est, quod ceteris Sacramentis præstet dignitate sua, quum non solum gratiam in suscipientibus augeat, sed etiam in se contineat ipsum gratiæ auctorem Christum Dominum sub speciebus panis et vini. Alterum est, quod non in solo usu, uti cetera Sacramenta, consistat, sed permaneat etiam ad fidelium cultum. Ex utroque profectum est, ut certæ singulares regulæ definerentur, quibus maximo cum decore conficeretur, administraretur, custodiretur. Non ego persequor hoc in loco, quæ passim unusquisque in manualibus ecclesiarum inveniet: tantum nonnulla attingam, quæ in sacris canonibus exhibentur.

Prima observatio respicit loca, in quibus sacra eucharistia sit conficienda. Et quidem in primis absit a viro religioso, ut quorundam maleferiatorum hominum dictis, ne convicia dicam, subscribat, qui tradiderunt, Deum locis singularibus ad sacra peragenda designatis minime delectari, atque ubicumque rite offerri sacrificia; quando scimus, erecta in vetere lege ad id fuisse publica templa, celebratas etiam a Christo Domino solemnes dedicationes sive, Encænia sacra, imo et ipsas gentes id in more habuisse, ut cultum suum Deo constructis ad id publicis, et a profano usu secretis ædibus testarentur. Id magis magisque postulavit sacræ eucharistiæ dignitas, in qua cum ipsemet Christus Dominus, et sacerdos, et hostia sit, curandum maximopere est, ut omnia nitidius, et quoad fieri possit elegantius perficiantur. Et quamquam identidem, quum christiana religio ethnicorum vexationibus subjaceret, a templorum magnificentia cessatum est, ubi tamen ecclesia constanti pace potiri cœpit, et cautum generaliter fuit, et perenni neque interrupta disciplina receptum est, ut nonnisi publico in templo auctoritate antistitum vel consecrato, vel, uti loquuntur, benedicto eucharistia conficeretur ad majorem magnæ rei celebritatem. Triplicem habet partem hæc observatio: prior spectat ecclesias publicas, posterior oratoria privata, postrema altaria, quæ sive in publicis ecclesiis, sive privatis oratoriis eriguntur, sive extra ecclesias, et oratoria circumferuntur, quæ vulgo altaria portatilia appellant.

In erectis auctoritate antistitum publicis templis, ut dignius eadem ad cultum eucharistiæ præpararentur, quædam Sacramentalia adhiberi perpetuo consueverunt. Nimirum veteres episcopi dedicabant illa, seu consecrabant statis formulis, parietes etiam sacro chrismate liniendo. Id commode semper factum est, quousque aut unicum, aut pauca admodum essent templa: verum recentioribus sæculis ubi cœperunt divinæ ædes multiplicari non solum in amplis urbibus, sed et in oppidis, vicis, ac pagis, aut minus commodum, aut minus, opportunum visum fuit singula solemniter dedicare. Optandum quidem fuit, ut saltem majora templa, veluti cathedralia, collegialia, parochialia consecrarentur; sed ne in istis quidem consecratio semper fieri potuit; eam ob rem satis consultum est sacris officiis, si templa omnia benedicerentur. Emersit hinc distinctio, nescio quo primum sæculo, inter ecclesias consecratas, et ecclesias benedictas; et quando a consecratione cessatum ideo fuit, quia episcopi, ad quos consecratio pertinet, præsto esse non poterant consecrandis universis, receptum est, ut benedictio ex episcopi mandato a presbyteris fieret. Imo quia benedictio templorum quasi extra ordinem invehi, cœpit, ne singularis quidem benedicendi forma, et ritus constitutus est, sed ille ritus generalis adhibitus, qui in benedictione cujuscumque novæ domus adhibetur, quod fit aquæ benedictæ adspersione sine inunctione chrismatis, et quibusdam orationibus recitatis. Hæc ratio est, quare apud veteres patres multa decreta fuerint de ecclesiis consecratis, vix in canonibus quidquam decretum adpareat de benedictis, nisi eatenus, quatenus æque et consecratæ, et benedictæ ecclesiæ, ita paratæ sint, et instructæ; ut in utriusque digne et decore eucharistia conficiatur. Itaque in solemni dedicatione et cultu templorum symbola quædam ecclesiastici patres constituerunt, videlicet in iis figuram animæ christianæ collocarunt, ut ex nitore et ornatum ædium, in quibus singulari jure divina majestas sedet, colligerent fideles homines, omni labe puros se esse oportere, tamquam in quorum animabus Deus inhabitat. Prædicaverunt insuper dedicationem illam institutam esse exemplo baptismatis, cujus rei caussa et sacro chrismate parietes instar catechumenorum liniverunt, decreveruntque, ut quemadmodum homo baptizatus nunquam rebaptizari potest, et si delinquerit, tantum per pœnitentiam restituitur, ita ecclesia semel consecrata iterum consecrari non posset, quod si pollui eam contingeret, statis formulis reconciliaretur, can. 3, dist. 68, can. 18 et 20, de cons. dist. 1, item quemadmodum ubi dubitatur, an homo baptizatus sit, baptisma conferri satutum est, ita et consecrarentur ecclesiæ de quarum consecratione dubitaretur, cicto cap. 18, de consecrat. dist. 1. Pollutam ecclesiam dixerunt, non quidem cum vel in parte, vel tota corruerit (qua in specie nova consecratio esset facienda tum demum, cum integra, vel major ecclesiæ pars re ædificata fuisset, unde non vetus, sed novum templum dici posset, non vero si tantum aliqua pars restauratione indiguerit, aut motum fuerit altare, cap. 1, de consecr. eccles. vel altar., insuper habita pseudodecretali Hygini papæ, cujus fragmentam extat, in cap. 19, de consecr. dist. 1,) sed tunc pollutam ecclesiam dixerunt, vel cum cultu impio est profanata, vel cum enorme crimen admissum in ea fuerit, quale est inter cetera crimen homicidii, aut non modica effusio sanguinis ex gravi injuria non hominem illata contingens, cap. 4 et ult. de consecr. eccles. vel altar., cap. un. eod. tit. in 6, aut cum vel infidelis, vel excommunicatus denunciatus in ea sepeliatur, cap. 7, de consecr. eccles. vel altar., vel deniqne contra interdicti sententiam fuerit aliqui sepultura concessa, dicto cap. 7. Igitur in æde, quæ nec benedicta, nec consecrata fuerit, aut non reconciliata post pollutione, nemo regulariter potest eucharistiam conficere, gravibus pœnis coercendo, eo qui confecerit, arbitrio episcopi, eo tamen habendo tamquam irregulari, cap. 18, de sent. excomm. in 6.

Hæc generalia sunt. Ceterum ex singulari dispensatione non infrequenter obtinuit, ut in privatis oratoriis, seu cappellis intra privatas ædes constitutis Missæ sacrificium cecelebretur, exceptis tamen majoribus festivitatibus, quibus fideles ad ecclesias publicas convenire, visum semper fuit opportunum, can. 25, de consecrat. dist. 1. Nomine privati oratorii minime veniunt minores quædam ecclesiæ privatorum sumtibus erectæ retento erigentium gratia jurepatronatus, in vicis, in pagis, aut etiam in agris: si enim istæ cappellæ auctoritate antistitum vel consecratæ, vel benedictæ ad usum publicum fuerint, et istæ jure ecclesiarum publicarum censebuntur. Hinc ut publicæ dicantur, usus potius, et commodum publicum spectatur. Qua in re ut publicæ cappellæ a privatis secernantur, solet observari, an cappellæ ostium habeant patens in publica via etiamsi talis via sit, quæ ad publicam eamdem cappellam intermoriatur, argumento, l. 3, ff. de loc. et itin. publ., his enim casibus cappella eadem tanquam publica habebitur, argumento, lib. 6 et 72, § 1, ff. de contr. emt., l. 1, ff. de locis itiner., et l. 2, § 2 et 5, ff. ne quid in loco publico. Imo etiamsi in privato fundo cappella construeretur, nec ante viam publicam; et fundi dominus se obligaret ad viam concedendam in solo privato, ut publice conveniri ad cappellam possit, eadem cappella tanquam publica ha-

beretur. Hoc sensu ad veterum usu respiciens ego tanquam publicas cappellas illas fuisse existimarem, quæ primis ecclesiæ sæculis, cum fideles ab ethnicis dire vexarentur, extruebantur in ædibus privatorum, aut fundis ad celebranda clanculum sacra ad publicum fidelium commodum, quod ex actis apostolorum erui posse videtur, cap. 2, vers. 46, et cap. 20, vers. 7 et 8. Præterea nomen privati oratorii non intelligitur hoc in loco illud, quod quis sibi construat caussa privatæ orationis; id enim construere domi unicuique licet sine ecclesiæ auctoritate, can. 33 de consecrat. dist. 1, sed intelligitur illud, quod domi construitur caussa eucharistici sacrificii. Frequens fuit harum ecclesiolarum usus primis ecclesiæ sæculis, imo et fere necessarius. Sed exstructis quarto sæculo publicis templis vetitum fuit, ne intra domesticos parietes sacra celebrarentur, concilio laodicæno, can. 58, ibi: *Quod non oporteat in domibus fieri oblationem ab episcopis, vel presbyteris;* quod et confirmavit Justinianus in novell., 58 et 131, cap. 7. Ceterum successu temporis cautum est, ut generaliter quidem in privatis ædibus eucharistia non conficeretur, adhuc tamen permitteretur, quoties episcopus indulgeret. Id primum apud græcos constitutum est in trullana synodo, can. 34, de consecr. dist. 1, deinde ad latinos traductum, can. 11, de consecr. dist. 1, capitular. francor. lib. 5. cap. 383, et lib. 6, cap. 102. Passim vero istæ cappellæ in monasteriis instituebantur ad privatum commodum monachorum, item in palatiis principum, in ædibus etiam episcopalibus, et sicubi episcopus ædificandas prudenti arbitrio duxisset. Usu etiam erat, ut reliquiæ martyrum in eisdem cappellis reconderentur quasi in perpetua sede, et quando cappellæ eædem privatæ veluti in perpetuum futuræ construebantur, obtinebat, ut instar publicarum ecclesiarum ab episcopi solemni dedicatione consecrarentur. At recentioribus sæculis cum primum fieri cœpit, ut tantum personarum quarundam gratia hæc privata oratoria fierent, et mortua persona in pristinum statum restituerentur conversa iterum in usus profanos, obtinuit, ut simplici benedictione sanctificarentur, neutiquam consecrari per episcopos possent, propterea quod minime decebat, semel Deo dicatum in humanos usus iterum transferri, cap. 51, de reg. jur. in 6, eo vel magis, quia cum episcopi nequirent omnes ecclesias publicas ob excrescentem illarum numerum consecrare, eo minus consecrare valerent omnia hujus generis oratoria. Adeo excreverat recentioribus sæculis numerus privatarum cappellarum, ut vix domus essent privatæ, in quibus ex indulgentia, ne oscitantiam, et conniventiam dixerim, episcoporum sacra non fierent. Quamobrem concilium trident., in sess. 22, in decreto de observandis, et evitandis, in celebratione Missæ opportunuum duxit, graviter coercere episcopos, *ne patiantur privatis in domibus, et omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem ordinariis designanda, et visitanda sanctum sacrificium a sæcularibus, ut regularibus quibuscumque peragi.* Statim absoluto concilio tridentino S. Carolus mediolanensis in suo concilio provinciali 1 parte, tit. 2, *quæ pertinent ad celebrationem missæ,* nonnisi in caussis gravioribus a generali lege dispensandum ab episcopo voluit. In multis deinde provinciis, præsertim in Italia, ea recepta fuit tridentini concilii interpretatio, qua traderetur, dispensationem a solo pontifice maximo impetrari; quamquam tamen eisdem provinciis non omnino extincta fuerit in hac parte vetus illa episcopalis jurisdictio, quæ olim vigebat, sive quod incolume remanserit privilegium episcopi concessum in cap. ult. de privileg. in 6, ex quo ipsi ubicumque habitant etiam in itinere cappellam, seu altare erigere valeant, sacra celebraturi, vel audituri, sive quod favore seminariorum, et religiosarum ecclesiasticarum ædium, puta hospitalium et monasteriorum virorum simile jus concedere valeant; neque aliud videretur dicendum, ubi necessitas quædam, aut gravis utilitas publica similem dispensationem postularet, quemadmodum evenire solet in oratoriis, quæ in publicis carceribus eriguntur.

Quod ad altaria pertinet, ait Isidorus in lib. 15. Originum, cap. 4. *Altare ab altitudine constat esse nominatum, quasi alta ara.* Est autem duplicis generis, unum scilicet immotum et fixum, quod in templis publicis, aut etiam privatis in oratoriis erigi potest; alterum mobile, quod et gestatorium, vel viaticum, vel itinerarium, vel portatile appellatur, ac potest sive in ecclesiis, sive extra ecclesias collocari. Olim in unaquaque ecclesia unicum erat altare, quemadmodum unus episcopus, uti scribebat S. Ignatius in epist. ad Philadelphicos, illudque ut plurimum fixum, et immotum, eratque integra mensa ad sacrificium præpata columnis suffulta, in qua sanctorum martyrum reliquiæ condebantur, nec non per episcopum sacro chrismate consecrabatur. Id passim obtinuit apud latinos post erecta publice templa. Paullo aliter se gerebant græci, qui mensas in ecclesiis sine ulla consecratione collocabant, supra quas extendere solebant antimensia, sive lintea quædam sacris reliquiis intexta, unguento sacro delibuta, et antistitis benedictione consecrata, unde ex hac antimensiorum impositione consacrari apud illos altaris dicebantur. Altaris materia erat apud veteres modo lignea, modo lapidea, modo etiam in

quibusdam ecclesiis celebrioribus argentea, atque aurea; ita constructa ex insigni principum, vel maximorum pontificum munificentia. Deinde vero usus invaluit, ut tantum ex lapide, et quidem integro, et solido conficerentur, propterea quod mysteriorum observatores passim tradere cœpissent, altare Christi esse figuram, qui unus est, qui lapis angularis in sacris literis appellatur, can. 31, de consecrat. dist. 1. De his altaribus fixis, et immobilibus solida mole constitutis intelligendum est rescriptum Alexandri III et Innocentii III, in cap. 1 et 3, de consecrat. eccles. vel. altar., quo dicitur, non solum consecrationem altaris interire, cum altare confractum fuerit, aut etiam deminutum, sed etiam cum *motum fuerit*. Nomine altaris mobilis, quod et portatile dicitur, et gestatorium, modo etiam viaticum et itinerarium, intelligimus angustiorem quandam quadrangularem mensam ad continendam ambitu suo eucharistiam idoneam, quæ in loco ad confectionem eucharistiæ præparato collocatur, ita tamen, ut ab eodem loco divelli possit. Tribus primis ecclesiæ sæculis frequentissimus esse potuit usus hujus altaris; cum sæpe huc illuc circumire solerent sacerdotes sacra mysteria celebraturi sine ecclesia, aut templo. Ædificatis deinde publicis templis raro altaria mobilia adhiberi cœperunt, cum in ecclesiis immobilia construerentur. Sed postquam ecclesiarum numerus excrevit, imo et excrevit numerus altarium in singulis templis, postquam præsertim episcopi commode non potuerunt ad ecclesias quascumque novas accedere et ecclesias ipsas, et altaria consecraturi; receptus est passim usus etiam in ecclesiis constituendorum altarium portatilium, quæ apud episcopum consecrarentur sacro chrismate, et adpositione reliquiarum, atque ita consecrata super mensas a sacerdote benedictas apposite apteque collocarentur. Exemplo autem altarium fixorum, et hæc mobilia altaria ex lapide facta sunt, item ubi frangantur, aut notabiliter diminuantur, aut sigillum, quo signantur sacræ reliquiæ, amoveatur, dicuntur consecrationem amittere, cap. 1 et 3, de consecration. eccles. vel altar. Alius quoque est usus horum altarium portatilium, in quibus extra sacras ædes, aut oratoria privata celebrari sacrificium potest, quotiescumque quis eo privilegio gaudet, sive ex jure communi, uti in cap. ult. de privileg in 6, sive ex indulgentia singulari pontificis maximi, argumento, cap. 30, de privilegiis; aliquando etiam ex episcopi concessione. Quamquam enim in pluribus provinciis obtinuerit ex recepta concilii tridentini interpretatione juxta decretum supra laudatum, regulariter facultatem in altari portatili extra ecclesiam celebrandi ab uno pontifice maximo impetrari, si tamen gravis necessitas aliquando in iis celebrari postulet, tradunt pragmatici, ab ordinariis eam posse dispensationem obtineri, quemadmodum inter ceteros eventus favore militum in castris constitutorum usuvenit, quorum gratia, si facile ad ecclesiam accedere nequeant, definitum est, ut vel subsidio, vel in tentoriis sacra eucharistia conficiatur, can. 30, de consecrat. dist. 1, quibus tamen in casibus curandum semper est, ut decore sacra mysteria, quoad fieri possit, tractentur, nihilque admittatur, in quo irreverentiæ in tantum sacramentum locus aperiatur, eamque ob rem receptum est, ut in mari navigantibus minime permittatur usus altaris portatilis, in quo in navi posito conficiatur eucharistia, cum evenire aliquando possit, ut ex navis agitatione inter medios fluctus constitutæ, sacer calix effusionis periculo subjiciatur.

Altera observatio respicit tempus, quo sacra eucharistia sit conficienda. Olim in unaquaque ecclesia semel tantum in die missa celebrabatur, uti facile constat ex can. 117, de cons. dist. 2, cujus verba ex Antissiodorensi concilio sæculo sexto celebrato derivata sunt describenda. *Non licet super uno altari in una die duas missas dicere: nec altario, ubi episcopus missas dixerit, ut presbyter in illa die missas dicat.* Hinc præstituta erat hora tertia, sive quod unicuique de populo commodior videretur, sive quod eadem hora aptius recoleretur memoria crucifixionis Domini, can. 48 et 52, de cons. dist. 1, exceptis diebus jejunii, quibus sacra habebant hora nona, canon. 50, dicta dist. 1, item exceptis solemnitatibus nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes, quibus præcedente nocte sacra fieri concedebatur. Hæc disciplina hodie fere exolevit; etenim solemnia noctis Paschatis et Pentecostes ad mane præcedentitium sabbatorum translata sunt; in ceteris hora vel nocturna in die dominicæ nativitatis, vel tertia in ceteris festivitatibus, vel nona in diebus jejunii tantum servatur ad veteris disciplinæ vestigium, ubi agatur de missis publicis seu solemnibus ab episcopis, capitulis, collegiis et parochis celebrandis. Statim ac enim visum fuit commodo christiani populi studere multiplicatis sacerdotum officiis, cautum est, ut a summo mane ad meridiem sacerdotes ceteri celebrarent, ut missa publica et solemnis statis horis, tertia et nona non turbaretur, can. 51, de cons. dist. 1, juncto, cap. 2, de parochiis. Ad rationem quoque temporis pertinet, quod statum legibus. non posse sacerdotes, nisi semel in die, Eucharistiam conficere, excepta solemnitate natalis Domini, qua ter celebrari sacra permittitur, c 3 et 12, de celebrat. missar. can. 53, de consecr. dist. 1. Non est tamen dubitandum, quin certis in locis parocho liceat ex singulari indulgentia pluries ce-

lebrare sacrum, si necesse sit, videlicet si duplicem parochialem ecclesiam regat dissitis in locis, quum uterque populus in unam ecclesiam convenire nequit, alias autem deest alter sacerdos, qui in alterutra celebret: atque ad hanc speciem pertinere verba illa *si necesse fuerit* canonis 53, de consecr. dist. 1 et similia in cap. 3, de celebr. missar. pragmatici docent. Videatur, can. 19, concilii emeritensis, anni 666. Non defuerunt, qui putarent, similem dispensationem habere locum, ubi magna sit in una parochia populi multitudo, quæ non facile eodem tempore convenire possit ad ecclesiam, cui unus tantum sacerdos adscribitur, quia crederent, id definitum fuisse a Leone magno in can. 51, de cons. dist. 1. Id vero mihi placere non potest, observanti, canonem Leonis ad vetustissimam disciplinam referendum esse, juxta quam in una ecclesia semel tantum missæ sacrificium celebrabatur, licet in ea plures existerent sacerdotes, ac propterea ab eodem Leone primum concedi visum fuit, ut pluries sacra fierent, per diversos tamen sacerdotes, ubi populus eodem tempore convenire in ecclesiam non valeret.

Tertia observatio in iis consistit canonibus, quibus definitum est, ut in celebratione missarum nihil amittatur ex iis, quæ Christus instituit, nihil quoque ex iis, quæ ecclesia custodienda esse voluit, ut omnia nitide, decore, et cum tanti sacramenti reverentia fierent. Ad Christi institutionem refertur, ut in pane triticeo corpus Christi consecretur, sive ille azymus sit, sive fermentatus (quamquam in hac re servanda erit singularis uniuscujque ecclesiæ disciplina, nimirum apud Græcos fermentatus, apud Latinos panis azymus in usu habendus sub pœna privationis officii, et beneficii, cap. ult. de celebr. missar.) item ut sanguis Christi in vino simul et aqua consecretur, dummodo non tanta aquæ sit, quanta vini quantitas, juncto, cap. 6, vers *quæsivisti etiam*, et cap. 8, de celebrat. missar. can. 5, 7 et 83, de consecr., dist. 2, præterea ut sacerdos utramque et panis et vini speciem offerat, et de utraque ipse communicet, can. 12, de consecrat. dist. 2. Ex ecclesiæ institutione profectum est, primo ut sacerdos nonnisi jejunus celebret, cap. 5, de celebr. missar., cap. diu enim interiit consuetudo singularis africanæ ecclesiæ, juxta quam semel in anno in die Cœnæ dominicæ sacra misteria a cœnatis fiebant, can. 49, de cons. dist. 1, secundo ut lumina super altari accendantur; tertio, ut non solus sacerdos sit, uno saltem interveniente ministro; quamquam olim duo saltem præsentes esse deberent, can. 61, de consecr., dist. 1, quarto, ut sacra vasa quibus eucharistia continetur, aurea sint, vel argentea, non lignea aut vitrea, quamquam et hæc olim in usu fuissent, can. 44 et 45, de cons. dist. 1, quo alludens S. Hieronymus in epist. 4, ad Rusticum ita scribebat de B. Exuperio tolosano: *Qui vasa sacra vendiderat, ut inde pauperibus opem ferret; illo nemo ditior, qui Corpus Domini in corbe viminea, et sanguinem ejus in poculo vitreo portat;* quinto, ut orationes, et Dei laudes, quæ in missæ celebratione recitantur, diei festo, et officio conveniant; neque enim licet sine caussa ritum ecclesiasticum immutare, cap. 2, de celebrat. missar. Cetera omitto, quæ ad ornatum sacerdotum æque et altarium pertinent juxta ritualium et missalium formam.

Sunt quædam certis in casibus jure præstitutæ pœnæ adversus clericos, qui ritus sacros in eucharistia conficienda minime servarint. In canone 7, de cons. dist. 2, quicumque aliud obtulerint in sacrificio missæ, quam panem et vinum, tamdiu a sacrificando cessare jubentur, quamdiu legitimæ pœnitentiæ satisfactione correcti fuerint. In canone 57, de consecr. dist. 1, suspenditur a corpore et sanguine Christi, quicumque sacerdos aut cum baculo, aut velato capite ad altare sacrificaturus accesserit, aut non integre sacrificium consummaverit. In can. 11, de consecr. dist. 2, per annum suspenduntur clerici a divinis, si tempore sacrificii minime communicaverint. In cap. de celebrat. missar. indicta est pœna suspensionis adversus sacerdotes illos, qui vix quater in anno missæ sacrificium celebrarent. In can. 35, de consecr. dist. 1, statuitur, ut communione priventur clerici, qui in privatis oratoriis certis solemnibus anni festivitatibus ibidem descriptis celebraverint. In can. 9, dist. 23, sacerdos excommunicationi debitæ dicitur subjacere, qui sine sacris ornamentis consecraturus accesserit, quæ in sui ordinatione suscepit. Denique in can. 16, caus. 7, quæst. 1, decernitur, ut excommunicationis sententiam sustineat sacerdos, si quod ipse sacrificium cœpit, alteri mandet perficiendum, nisi ægritudo supervenerit. Equidem fateor, aliquod ex monumentis modo laudatis inter apocrypha recenseri; verum usus obtinuit, ut eorum sanctio reciperetur, præsertim quod in alia germana ecclesiarum statuta translata fuerint. Quod vero nomine communionis sublatæ in aliquibus ex eisdem canonibus intelligatur, num vera excommunicationis censura veniat, num potius censura suspensionis, facile concluderunt ex iis, quæ tradentur inferius, quum de censuris sermo instituetur.

Quarta observatio spectat oblationes, quæ sacerdotibus missæ sacrificium celebraturis conceduntur, quæ missarum eleemosynas, seu honoraria passim appellant. Sunt istæ duplicis generis, manuales scilicet, et perpetuæ. Ut de manualibus primum dicam, harum origo ab antiquissimis ecclesiæ sæculis

est repetenda. Siquidem olim cum unusquisque de fideli populo sacris adstans communicare de eucharistia soleret, can. 10, de conserr. dist. 2, unusquisque etiam panem et vinum sacerdoti consecraturo offerebat, concilio matisconensi II, anni 585, can. 4, quæ ratio fuit, cur Tertullianus in libro de exhortatione castitatis, cap. 7, fideles omnes nomine sacerdotum appellaverit. Atque ex pane et vino oblatis pars detrahebatur ad conficiendam eucharistiam, residuis portionibus in clericorum, et pauperum alimenta collatis. Quandoque etiam una cum pane et vino a populo certis anni temporibus offerebantur spicæ, aut uvæ, non sane in quibus sacrificium fieret, sed quæ benedicerentur, tanquam primitiæ vini, et tritici, in quibus sacramenti materia consistit, ad quam benedictionem pertinere videntur verba illa canonis, quæ etiam hodie recitantur, *Per quem hæc omnia semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, et præstas nobis.* Erat præterea in templo urna quædam, seu gazophylacium, cujus meminit Tertullianus in cap. 39, apologetici, ubi pecunia a fidelibus convenientibus oblata recondebatur ad subsidia pariter clericorum, et pauperum. Recentioribus sæculis, sive octavo, ut nonnulli putant, sive undecimo, ut aliis visum est, ab usu recesserunt oblationes panis et vini, quorum loco successere oblationes pecuniarum; tum vero nummi ad manus sacerdotum porrecti desierunt in arca reponi; et sacerdotes, quibus nummi cedebant, panem ipsi, et vinum ad altare adferebant; imo ut veteris disciplinæ vestigium quoddam remaneret, panem ipsum eucharisticum in denarii figuram exegerunt, quo indicarent panem ipsum ex fidelium oblationibus ad aram allatum, uti observavit Honorius Augustodunensis in gemma animæ, lib. 1, cap. 66. Paullatim factum est, ut extra missarum tempora fierent ejusmodi oblationes, præsertim postquam excrevit sacerdotum numerus, et in una ecclesia pluries sacrificium celebrari cœpit, non *quasi pretium missæ*, ut ait S. Thomas in 4, dist. 25, quæst. 3, art. 2, quæst. 1 et 4, hoc enim esset pudendum simoniæ vitium; ut iterum scribit Angelicus in secunda secundæ quæst. 100, art. 2, ad secundum, sed *quasi sustentamentum vitæ.* At quamvis ita sese res habeat (notat Benedictus XIV, in lib. 5, de sinodo diœcesana, cap. 8, num. 8) nihilominus fatendum est, quorundam improborum sacerdotum sordidam avaritiam dehonestasse, quod celeroquin in se licitum, et sanctum erat; nonnulli quippe visi sunt missas quodammodo venditare, et turpissimum quæstum de illis facere. In primis cum iteratio missæ nondum esset severa lege prohibita, quidam eodem die plures sacra celebrabant, quæstus unius gratia, deinde post vetitum Alexandri II, seu cujusvis alterius, qui auctor dicatur canonis 53, de consecrat. dist. 1, et Innocentii III, in cap. 3, de celebrat. missarum, nequiores artes excogitaverunt, quibus plures eleemosynas unius missæ celebratione lucrarentur, modo tot hostias in eadem missa consecrando, quot illi fuerant, a quibus eleemosynas acceperant, modo plures missas in unam congerendo, ex. gr. legentes missam diei usque ad offertorium, tum aliam incipientes usque ad eundem locum, deinde tertiam, et quartam similiter; postea tot secretas orationes dicentes, quot missas inceperant, denique sub uno canone sacrum perficientes, totidem additis in fine collectis, quot initio recitaverant, quas propterea *bifaciatas*, et *trifaciatas* missas appellabant, aptius dixeris monstra missarum. His ab ecclesia eliminatis, non idcirco improba quorundam cupiditas radicitus fuit evulsa; adhuc enim iidem de majore eleemosynæ quantitate paciscebantur, alias non celebraturi, et similibus artibus ecclesiæ, et fidelium vota fallebant. Concilium tridentinum in sess. 22, in decreto de observandis, et evitandis in celebratione missæ saluberrime cavit, ut episcopi de medio tollerent, quidquid avaritia contra tanti sacrificii reverentiam induxerat, ut et simoniaca labes, et turpis quæstus omnino prohiberetur, ad cujus decreti executionem consueverunt deinceps episcopi aut in synodis, aut extra synodos certam eleemosynæ quantitatem definire, infra quam sacerdotibus pacisci non liceret, ultra quam nihil amplius postulare sacerdotes iidem possent, ubi alias eadem quantitas ex diœcesis consuetudine necdum definita olim fuisset. Hæc eleemosynarum quantitas ita hodie celebranti sacerdoti cedere integra debet, ut ne ab ecclesia quidem, in qua sacrum agitur, retineri quidpiam possit prætextu sacrorum indumentorum, et illorum, quæ sunt ad celebrationem missæ necessaria, quamquam favore ecclesiæ aliquid concedatur, ubi agatur de missis perpetuis ex alicujus fundatione relictis, si ecclesia ipsa alios, et sufficientes redditus non haberet.

Paullo aliter sese habet missarum perpetuarum origo, et paullatim progrediens disciplina. Ecquidem olim sacra fiebant pro defunctis, vel die tertio, vel septimo, vel trigesimo, vel quadragesimo ab eorundem obitu, postulantibus heredibus, aut ita postulante singulari in quosdam fidelium pietate, argumento canonis 23, cau. 13, qu. 2, qui est Ambrosii. Sed hæ missæ perpetuæ non erant, utpote quæ semel celebrabantur. Regulariter istæ pro defunctis institui consueverunt, sive ad anniversaria, sive ad menstrua, sive ad hebdomadaria, sive ad quotidiana suffragia. Et quidem solebant olim anniversaria die oblationes fieri ab heredibus in pauperum

usus, in cultum ecclesiarum, in sustentationem clericorum; deinde ex præscripto testatoris fieri cœpit, ut oblationes eodem tempore clericis fierent, vel missam celebrantibus, vel sacris solemniis adstantibus, quarum mentio fit in cap. un. de cler. non resid. in 6. Porro institutis honorariis missarum privatarum, ad horum exemplum ad certa quoque honoraria redactæ sunt earundem missarum perpetuarum oblationes, sicut et instituta perpetua mistæ celebrandæ obligatio ecclesiasticis constitutionibus confirmata, cap. 11, de præbend. qua tamen in specie licebit sacerdoti gravato alteri celebrationem missæ mandare, dummodo saltem eam eleemosynam mandatario cedat, quæ in usu est in ea provincia, in qua beneficium, seu cappellania est erecta, quin teneatur integram reddituum portionem concedere, quam lucraretur, si ipse per se celebraret, prœsertim si cappellanus seu beneficiarius aliis oneribus vi beneficii seu cappellaniæ gravaretur. Istæ fundationes recentibus sæculis adeo excreverunt, ut aliquando contingeret impleri omnes omnino non posse, sive quod paullatim imminuerentur redditus a fundatore designati; sive quod excrescentibus manualibus eleemosynis par non esset numerus sacerdotum. Hinc saluberrime decrevit concilium tridentinum, sess. 25, cap. 4, de reform. ut facultas esset episcopis in synodo diœcesana, item abbatibus et generalibus ordinum in capitulis generalibus re diligenter perspecta pro sua conscientia in ecclesiis sibi subjectis, quas nova provisione indigere cognoverint, statuendi circa ea, quidquid magis ad Dei honorem et cultum, atque ecclesiarum utilitatem viderint expedire. Hodie in pluribus diœcesibus recepta est disciplina, ut episcopi, aut abbates hac facultate destituantur, sitque opus ad eam rem confugere ad apostolicam sedem, nisi quis singulari privilegio eam facultatem iterum se adquisivisse demonstret.

Quinta denique observatio spectat sacræ eucharistiæ custodiam, in qua duplici de caussa tantum sacramentum obsignatur, primo, ut paratum sit ad administrationem sive ad ecclesiam convenientium, sive absentium infirmorum, secundo ad publicum cultum, et venerationem. Locus ad recondendam eucharistiam debet esse singularis, mundus, et clavi signatus, cap. 10, de celebrat. missar., cap. 1, de custod. euchar., et in ea tantum ecclesia, in qua et ad publicum cultum exponi, et fidelibus ministrari permittitur, sive ex jure communi, qualis est cathedralis et parochialis, sive ex jure singulari, qualis est ecclesia monasterii, et alia quæcumque eo privilegio insignita, argumento Clement. 1, de privileg. Quoniam vero potissima custodiendæ eucharistiæ ratio ex sacramenti administratione proficiscitur, generaliter definitur, ad infirmos non posse illam deferri, nisi a parocho, cum id inter parochialia munera recenseatur, nisi agatur de infirmis privilegio comprehensis, quales sunt monachi intra claustra degentes, ad quos ex ecclesia monasterii eucharistia defertur. Quod si non de infirmis agatur, unicuique sacerdoti, et in quacumque ecclesia, in qua celebrari missæ sacrificium potest, aut etiam in oratorio privato ex episcopi dispensatione, licebit, dum missa peragitur, sacramentum de altari ministrare, quasi una cum sacerdote fideles suscipientes communicent, quod semper ecclesia optaret, concilio tridentino, sess. 22, de sacrificio missæ, cap. 6. At extra missæ celebrationem id fieri non licebit, nisi in ecclesiis, in quibus sacramentum adservari permittitur, dummodo animadvertatur, paschali die ab administratione abstinendum esse in ecclesia privilegiata, quod fideles tunc temporis in parochiali ecclesia eucharistiam suscipere teneantur, cap. 12, de pœnitent. et remission.

AD TITULOS

De eo, qui furtive ordinem suscepit, lib. 5, *tit.* 30.
De clerico per saltum promoto, lib. 5, *tit.* 29.
De clerico non ordinato ministrante, lib. 5, *tit.* 28.
Et de clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante, lib. 5, *tit.* 27.

Quod in sacramento Ordinis dignitas consistat, et potestas maxima ecclesiasticæ hierarchiæ, cavendum sacris canonibus fuit inter cetera, in primis nequis aut furtive, aut per saltum promoveretur; deinde nequis in ordine aliquo ministraret, nisi ordine per sacros Antistites initiatus; item ne ordinati ipsi ad ministrandum accederent, si censura aliqua, excommunicationis, suspensionis, aut interdicti notati fuissent.

Furtive dicitur ordinatus, qui cum ne ad ordines accederet, sive ex generali juris definitione, sive ex singulari antistitis præcepto prohiberetur, nihilominus ad ordinationem accesserit. Mirum profecto est, quam variæ in hac re esse debuerint veterum antistitum curæ, ab iis, quæ a recentioribus suscipiendæ fuerunt. Fugiebant olim ordinandi clerici episcoporum, a quibus vocati fuerant, manus et unusquisque pene ordinabatur invitus, uti testantur imperatores Leo et Anthemius in l. 31, cod. de episc. et cler. adeo impressa erat menti uniuscujusque germana sacræ ordinationis imago, qua crederent, gravissimum munus publicum ab iis suscipi, qui ordinarentur. Sed postquam irrepsit ambitio et avaritia in ecclesiam, et nomen beneficii in-

ditum est ecclesiasticis officiis, non defuerunt, qui etiam non vocati, imo et exclusi, non quærere tantum sacram ordinationem, sed et surripere voluerunt. Hujusmodi fuerunt aut mariti sine consensu uxorum ordinati, vel quod se conjugio obstrictos esse dissimulaverint, vel quod consensum uxorum obtinuisse falso allegaverint, extrav. un. de voto et voti redemt. apud Joannem XXII. Item servi sine consensu domini ordinati, præterea curiales, ac rationibus publicis obnoxii; et denique qui aut non probati et prorsus ignoti tempore sacræ ordinationis inter clericos designatos sese clanculum immittunt ordinem surrepturi, vel qui admissi ad unum ordinem suscipiendum, alterum etiam, utut moniti ne accedant, suscipiunt, can. 5, dist 24, cap. 1 et sequentibus de eo, qui furtive. Ecquidem non est dubitandum, irritam non fore ordinationem illius, qui quomodocumque furtive susceperit ordinem, etiamsi episcopus ordinaturus pœnam excommunicationis indixerit adversus eum, qui ordinationem surriperet. Siquidem cum sacramenta statim rata sint, ac firma, ubi legitimus minister sit, et capax ille, cui ministratur, ubi etiam et materia et forma legitima adhibetur, nihil esse potest, quod in propositis speciebus ordinationem enervet, quando ponatur, episcopum esse qui ordinat, baptizatum esse, qui ordinem suscipit, et rite adhibitam esse materiam et formam. Siquæ dubitatio subesset, ex eo forte emergeret, quod videretur deficere intentio ordinantis, qui non alios generaliter ordinare vult, quam eos, qui legitime accesserint. Verum duplex distinguenda est ordinantis intentio, generalis primum, qua præsumitur nolle ordinare, nisi eos, qui legitime accedant, deinde specialis, qua singulos quosque accedentes ordinare intendit, et ordinat; facile autem est percipere, specialem intentionem generali derogare. Potius dubitatur de viribus ordinationis, cum ordinaturus episcopus publice et generaliter profitetur, se animum non habere ordinandi eum, qui furtim accedat. Hæc plane ordinationis formula viris prudentissimis probari non potest; inter quos memorandus est Benedictus XIV, in lib. 8, de synodo diœcesana, cap. 11, qui ad rei propositæ definitionem optime tradidit, interrogandum episcopum esse, an voluerit ab ea generali intentione ordinationem pendere, an potius id protestatus fuerit terroris incutiendi caussa, ut clam et temere accessuros adjectis minis facilius arceret, in actu deinde ordinationis vere intendens ordinem præsenti et petenti conferre. Quoties enim fateatur episcopus, ab ea generali intentione pependisse ordinum collationem, iteranda erit ordinatio, quemadmodum et iteranda sub conditione, quoties aut episcopus interrogari non amplius posset, aut interrogatus se in incerto versari responderet. Pœna illorum, qui cum abs jure prohiberentur, nihilominus ad ordines suscipiendos accesserint, ut plurimum est irregularitas. Sic maritus irregularis erit, qui sine consensu uxoris ordines susceperit, a qua irregularitatis nota non indulgetur a superiore dispensatio, nisi ordinatus aliquam de religionibus approbatis expresse vel tacite professus fuerit, dicta extrav. un. de voto et voti redemt. De servis sine consensu dominorum, item de curialibus, et obnoxiis publicis rationibus ordinatis sermo erit inferius, ubi agendum erit de nota irregularitatis. Quod si de illis agatur, qui contemto episcopi præcepto ad ordinationem accesserint, quia non probati clanculum se inter clericos designatos immiserint, aut quia admissi ad unum ordinem, alterum etiam furtim susceperunt, adparet quidem, eos, qui ita aliquem ex majoribus ordinibus susceperint, irregulares fieri, cum quibus tum demum dispensari queat, cum indictam pœnitentiam explicaverint, can. 5, d. 24, c. 1 et sequentibus de eo qui furtive, nihilominus tamen si minores tantum susceperint ordines, nihil tale expresse constitutum invenio; quamobrem dicemus, extra ordinem quidem puniendos, non tamen pœnæ irregularitatis obnoxios esse, argumento capituli 2, de eo qui furtive.

Per saltum dicitur ordinatus, quicumque ordines ecclesiasticos non per legitimos gradus susceperit, veluti lector initiatus, qui non erat ostiarius, exorcista necdum lector, acolytus necdum exorcista, subdiaconus necdum acolytus, diaconus necdum subdiaconus, sacerdos necdum diaconus, episcopus necdum sacerdos. Ecquidem olim isti ordines non custodiebantur, quando scimus, S. Ambrosium electum fuisse ac consecratum episcopum, quum adhuc catechumenus esset, exiguo elapso tempore inter baptismum, ac sacerdotium, imo nullo fere tempore elapso inter sacerdotium, et pontificatum, can. 3, dist. 63. Verum recentior ætas hosce gradus ineundos constituit, veluti per inferiores ad superiores via sternatur. Qui temere ita se ordinari curavit, erit quidem valide ordinatus, cum natura unius ordinis, et gradus ab alio sit omnino discreta, nisi agatur de episcopo ordinato, qui necdum fuisset sacerdotio initiatus, utpote quod episcopatus veluti summa sacerdotii sit, et sacerdotalem potestatem in suscipiente necessario prærequirat: interea tamen quicumque per saltum promotus ab ordine per saltum suscepto (non tamen a ceteris antea rite susceptis) suspenditur, donec peracta pœnitentia in eo gradu, quem transilit, initietur, et deinde in superiorem, ad quem pridem ascendit, admittatur, can. 1, d. 52, cap. un. de cler. per salt. prom. Quæri in hanc rem solet, an suspensionis pœna im-

mineat ipso jure, an potius sententia judicis sit inferenda. Abiit, fateor, in vulgarem traditionem, ex qua consuetudo invaluit, ut ipso jure imminere censura dicatur: quamobrem tutius aget, qui ab officio abstinebit, ne irregularitate notetur etiam ante judicis sententiam. Verum quoties ad jus scriptum sententia exigatur, forte in aliam opinionem inclinare oporteret; siquidem in dicto can. 1, dist. 52, et in dicto cap. unic. de cler. per salt. prom., nihil aliud adparet, quam per sententiam episcopi suspendendum esse ordinatum; alias autem verum est, censuras ipso jure latas non præsumi, sed debere de illis expresse constare. Vulgaris traditionis fundamentum passim collocant pragmatici in cap. 14, sess. 23, de reform. in concilio tridentino, in quo tamen ego nihil singulare constitutum invenio. Ajunt tridentini patres: *Cum promotis per saltum, si non ministraverint, episcopus ex legitima caussa possit dispensare.* Num igitur *dispensandi* verbum supponit illatam ipso jure suspensionem? Meo judicio non solum accommodari potest suspensioni ipso jure illatæ, verum etiam illatæ ab homine, ut æque sumatur, ac nomen absolutionis; unde in tridentino concilio, sess. 24, c. 6, de ref. dicitur, licere episcopis in irregularitatibus, et suspensionibus *dispensare.* Eodem fere modo in cap. 8, de tempor. ordinat. dicuntur *consequi restitutionis gratiam*, qui officio judicis erant suspensi. Quod autem addiderunt tridentini antistites in dicto c. 14, non posse episcopum dispensare, quoties clericus ministraverit, pertinet id ad notam irregularitatis, quam ex generali disciplina incurrit clericus, qui sive abs jure, sive ab homine suspensus nihilominus in ordine suo ministrat, uti infra observandum erit, juxta, c. 1, de sentent. et re judic. in 6, et cap, 1, de sent. excom. in 6.

Execrabilis est illorum ausus, qui ordine non initiati officia ordinis exercerent, utpote qui sacram hierarchiam a Christo institutam recta contemnunt, ac violant, adversus istos graves constitutæ sunt pœnæ, ita ut si agatur de sacramentis eucharistiæ, aut pœnitentiæ a non sacerdote administratis, locus fieri possit inquisitioni adversus administrantes, quasi adversus hæreticos, aut saltem de hæresi valde suspectos. Generaliter autem in omnes non ordinatos ordinem exercentes indicta fuit pœna irregularitatis, cap. 1 et 2, de cleric. non ordin. ministr. Nonnulli extiterunt, qui putarent, hanc irregularitatis notam solis clericis in minore gradu constitutis, et majoris ordinis officia exercentibus inuri, non laicis, ex eo quod Gregorii IX titulus *de clerico non ordinato ministrante* inscribatur. Verum ut omittam, in antiquis decretalium collectionibus ante Gregorianam, imo et in aliquibus MSS. codicibus gregorianæ ipsius collectionis legi *de non ordinato ministrante*: ideo forte in vulgatis Gregorii IX, codicibus de clerico specialis fit mentio, quia crimen illud frequentius a clericis, quam a laicis admittitur. Ceterum in cap. 1, eod. tit. generalis est definitio, per vocem *si quis*, quæ æque ad laicos, atque ad clericos refertur; et disciplina ecclesiastica ex verbis potius canonum eruenda est, quam ex inscriptions titulorum. Itaque irregularis erit, quicumque ordinem exercuerit non ordinatus. Qua in re observandum est, aliqua esse divina officia, quæ nonnisi ab ordinatis peragi solent, uti sacræ eucharistiæ confectio a sacerdote, ministerium altaris a diacono, confirmationis et ordinis collatio ab episcopo; aliqua e contrario esse, quæ ab ordinatis ex officio fiunt, ab aliis aut ex dispensatione, aut ex consuetudine quasi in supplementum, et non tanquam ordinis exercitio, uti est ostia ecclesiæ claudere, aperire, sacras literas in ecclesia legere, præparare vasa sacra ad sacrificium, et similia. Item observandum est, aliqua esse officia, quæ quidem ex ordine sacro pendent, veluti ea, quæ sine ordine sacro aut non rite, aut inaniter exercentur; interea tamen, ut rite fiant, aut valide, non sufficit, administrum ordine sacro initiatum esse, sed requiritur præterea, ut administer certa jurisdictione polleat; cujusmodi sunt administratio solemnis sacramenti baptismatis, eucharistiæ ad infirmos delatio, unctio infirmorum, quæ a solis parochis, aut alias curam animarum habentibus fiunt; item absolutio a peccatis extra casum necessitatis, quæ præter ordinem sacerdotalem certam jurisdictionem in ministrante requirit; item sacri ordinis, aut confirmationis collatio, quæ sacramenta ut conferantur, non sufficit, ut episcopus sit, qui ministrat, sed requiritur, ut subditis suis, et in sua diœcesi existentibus episcopus conferat. Pœna irregularitatis tum demum locum habet, cum agitur de iis, quæ a solis ordinatis exerceri possunt, et ab eo exercentur, qui non est ordinatus Hujusmodi est solemnis baptismi collatio ab eo facta, qui nec diaconus est, eucharistiæ, penitentiæ, extremæ unctionis collatio, sicut et benedictio conjugii, et sacramentalis peccatorum absolutio ab eo facta, qui sacerdos non est, diaconicum ministerium ab eo præstitum, qui non est diaconus, aut ministerium minorum ordinum ab eo præstitum tanquam ordinis exercitio, et quasi ab ordinato, qui tamen non sit ordinatus, et denique collatio sacramentorum confirmationis et ordinis ab eo facta, qui non est episcopus, vel in qua parte episcopali privilegio non gaudet. At si agatur de sacerdote nullam jurisdictionem habente, et sacramentaliter absolvente; si de sacerdote non parocho, vel cura animarum destituto, infirmis eucharistiam, vel extremam

unctionum administrante, nuptiis benedicente, vel baptizante solemniter, nullibi inflicta in eum pœna irregularitatis adparet, quamquam gravissime ob abusum sacrorum sit episcoporum arbitrio coercendus. In Clementina 1, de privilegiis adversus religiosos, sacramentum extremæ unctionis, vel viaticum eucharisticum ministrantes, aut nuptiis benedicentes indicta fuit pœna excommunicationis ipso jure incurrendæ, a quo nonnisi ab apostolica sede absolutio speraretur. Quod ad matrimonii benedictionem attinet, aliquid innovavit concilium tridentinum in cap. 1, sess. 24, de reformat. matrim. vers. *Quod si quis*; nimirum voluit, ut sacerdos quicumque sive regularis, sive sæcularis, qui non sit contrahentium parochus, nuptiis benedicens, jamdiu ipso jure suspensus maneat, quamdiu ab ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, non absolvatur. Addo his imminere quoque suspensionis pœnam ipso jure illatam adversus episcopos, qui in aliena diœcesi sine licentia ordinarii pontificalia exercent, aut in sua diœcesi constituti alienos clericos ordinant sine mandato, concilio tridentino, sess. 6, de ref., cap. 5, et sess. 14, cap. 2.

Ut clerici rite ministrent, minime sufficit, eos ordine initiatos esse, sed præterea requiritur, ut nullo censurarum vinculo teneantur; nam si aut excommunicati sint, aut suspensi, aut interdicti, et ministrare nihilominus ausi fuerint, deponendi sunt, atque jure irregularitatem incurrunt, can. 6 et 7, caus. 11, quæst. 3, cap. 8, de dolo et contumacia, cap. 1, 3, 9. De clerico excommunicato ministrare, cap. 1, de sententia et re judicata in 6. Quod de excommunicatis dicitur, intellige non de minore, sed de majore tantum excommunicatione, cap. ult. de cleric. excomm. ministr., item de eo, qui sciens prudens se censura esse notatum nihilominus ministrat, non de ignorante, cap. 9, eod. tit. Cum vero hæc pœna irregularitatis duplici de caussa inducta fuerit, primo, ne censuræ ecclesiasticæ a clericis contemnantur; secundo, ut sacro ordini major cultus accedat, facile intelligitur, non solum illam habere locum, quoties quis actus suscepti ordinis exercet, cum jam sit censura innodatus, sed etiam cum quis ordines suscipit, dum majore excommunicatione tenetur, quod in utraque specie æque censura ecclesiastica violetur, argumento, cap. 32, de sent. excomm., et c. 6, de apostatis. Aliud sane dicendum est de eo, qui, ne ad ordinationem accedat, prohibetur sub pœna excommunicationis utut ipso facto incurrendæ; hic enim contemnere quidem dicitur mandatum ecclesiæ, non tamen contemnere censuram, cui tum primum subjacere incipit, cum ordinatur; quamquam tamen ex alia caussa forte ab irregularitate non sit immunis, nimirum si ordinem furtive susceperit, et quidem in ea specie, qua in furtive ordinatos pœna irregularitatis indicitur, juxta ea quæ superius observavimus.

DISSERTATIO QUARTA.

DE CRIMINIBUS SINGULARIBUS CLERICORUM.

Ad duplex genus referri commode possunt singularia clericorum delicta, cum alia sint, quibus contra officium unicuique mandatum peccatur; alia, quibus violantur disciplinæ ecclesiasticæ leges omnibus clericis generaliter et sine discrimine indictæ ad servandam singularem morum honestatem, quæ deceat Dei ecclesiæque administros. De utroque delictorum genere pauca hic adnotabo; neque omittiam nonnulla subjicere, quæ spectant formam judiciorum criminalium adversus clericos instituendorum.

CAPUT I.

De clericis contra officium sibi mandatum delinquentibus.

Huc referendus est titulus 22, libri 1.

Leges ecclesiasticæ, quæ clericos certis officiis adstringunt, non adeo generales sunt, ut ad singulos eorum gradus sine discrimine æque pertineant; modo enim diversitas suscepti ordinis, modo diversitas muneris, modo diversitas beneficiorum, quibus potissimum fundationum tabulæ formam præbent, diversas obligationes inducunt. Præcipua beneficiariorum onera spectant vel psalmodiam divinam, vel residentiam, vel prædia, et jura, ipsos etiam fructus beneficiorum. Verum nihil est, quod de istis in præsentia sermonem instituam, postquam multa tradiderim in tractatione de beneficiis ecclesiasticis. Tantum dicam, unumquemque ex cleris non tantum vi beneficii, si quod habent, sed etiam vi ordinationis suæ ad residendum in ecclesia, cui adscripti fuerint, teneri; propterea que nemini licere sine caussa ab ordinario probata ab ecclesia diu abesse, etiamsi ageretur de clerico titulo patrimonii ordinato; præsertim postquam in concilio tridentino statutum fuit, neminem etiam titulo patrimonii ordi-

nandum esse, nisi utilitas, vel necessitas ecclesiæ id expostulet, sess. 21, de reform., cap. 2, et sess. 23, de reform. cap. 16, ubi adjectum fuit, ut interdiceretur, sacrorum exercitione, si locum inconsulto episcopo deseruissent. Hinc fit, ut discessuri ab ecclesia sua formatas, sive commendatitias ab ordinario literas obtinere debeant, facilius ceteroqui concedendas ordinatis titulo patrimonii, quam ordinatis titulo beneficii, sine quibus in aliis diœcesibus ad sacramenta administranda eos admitti non liceat, dicto c. 16, in fine, sess. 23. Exempla veterum formatarum extant apud Gratianum in can. 1 et 2, dist. 73, quamquam ibidem perperam tributæ sint nicæno concilio, et Attico episcopo constantinopolitano. Solebant veteres nonnulli græcis literis numeralibus ex alphabetica computatione formatas literas consignare, ne facilis essent imitationis. Atque eam ob rem utebantur septem supra viginti literis, quemadmodum docet Regino in lib. 1, de ecclesiasticis disciplinis, cap. 437, ad designandos numeros usque ad nongentos, hac videlicet ratione.

A α	*designabat numerum*	1
B β		2
Γ γ		3
Δ δ		4
E ε		5
S ς		6
Z ζ		7
H η		8
Θ ϑ θ		9
I ι		10
K κ		20
Λ λ		30
M μ		40
N ν		50
Ξ ξ		60
O ο		70
Π π		80
μ		90
P ρ		100
C Σ σ		200
T τ		300
Υ υ		400
Φ φ		500
X χ		600
Ψ ψ		700
Ω ω		800
7)		900

His positis, observandum est, duplicis generis fuisse numeros in formatis epistolis, qui in computationem veniebant. Alii erant formatis omnibus communes; alii unicuique formatæ singulares, ex quibus una ab altera distingueretur. Communes erant literæ initiales Patris, Filii et S. Spiritus, quæ erant ΠΥΑ, redduntque numeros 80, 400, 1. Adjiciebatur his litera initialis apostoli Petri Π, reddens numerum 80; item adjiciebatur AMHN, idest *amen*, quod reddebat numeros iis literis respondentes 1, 40, 8, 50. Hæc invicem computata conficiunt numerum 660. Erant et numeri singulares depromendi ex literis primum illius, qui scriberet, deinde illius, ad quem scriberetur, tertio, illius, pro quo scriberetur, quarto urbis a qua scriberetur, postremo nectebatur numerus indictionis. Illius, qui scriberet, notabatur prima litera; illius, ad quem scriberetur, secunda; illius, pro quo scriberetur, tertia; urbis, a qua scriberetur, quarta. Duo sunt apud Reginonem exempla loco supra commemorato. Prius exemplum extat Ratbodi Trevirensis ad Rothbertum Metensem pro Gislemaro scribentis. Prior litera R nominis Ratbodi efficiebat numerum 100; secunda litera Rothberti O efficiebat numerum 70, tertia litera Gislemari *S* efficiebat numerum 200, quarta litera Trevirensis civitatis, a qua scribebatur, *U*, quæ a Græcis, notabatur per literam *phi*, efficiebat numerum 500. Addita indictione nona, numeri isti omnes efficiebant numerum 879, qui numerus ejus formatæ singularis additus numero formatis omnibus communi efficiebat integrum numerum 1539. Posterius exemplum extat Dadonis Virdunensis ad Ratbodum Trevirensem, pro Arduino scribensis. Primo litera Dadonis *D* notabat numerum 4, secunda litera Ratbodi *A* reddebat numerum 1; tertia litera Arduini R conficiebat numerum 100, quarta litera urbis Virdunensis *D* reddebat numerum 4. Addito numero indictionis nonæ, conficiebatur numerus singularis 118, qui una cum numeris communibus formatarum conficiebat numerum 778. Hæc ratio est, ad qnam duo etiam exemplaria formatarum exegit auctor canonis 1 et 2, dist. 73 apud Gratianum. Tribuitur primus canon nicænæ synodo, depromtus autem ex Burchardo, l. 2, cap. 227, uti statim liquet ex ejusdem canonis lectione; at Burchardus professus est, se eruisse formulam ex nicæno concilio; non sane quod in nicæno concilio ea formula exarata fuisset; sed quod in eodem concilio canone 15 et 16, statutum fuerat, ne sine consensu, et petita venia sui antistitis quisquam clericus in aliam diœcesim migraret. In fine ejus canonis adnotatur literæ π, υ, α, π, ζ, ε, ζ, ξ, αμην. Potius autem scribendum erat π, υ, α, π, β, α, μ, μ, αμην. Priores quatuor literæ communes sunt formatis omnibus; litera *B* notabat primam literam nominis Burchardi scribentis; litera *A* significabat secundam literam Valteri, ad quem scribebatur; sequentes duæ literæ *μμ* significabant tertiam literam *Ecmanni* (ita legitur apud Burchardum, quamquam Gratianus scripserit *Hermannum*), et quartam

literam urbis Vosmatiensis Quæ omnes literæ junctæ communibus, et numero indictionis, reddere debebant numerum formatæ 735. Quod spectat canonem 2, dist. 73, notandum in primis est, illud monumentum inscribi CCCXVIII Episcopis, quod idem est, ac dicere, referendum esse ad nicenum concilium: atque id ita intelligendum est, non quasi ea formula edita fuerit in nicæno concilio, sed quasi ea formula edita fuerit in executionem decretorum nicæni concilii, quibus cavebatur, ne sine consensu episcopi clericus quisquam ab ecclesia sua secederet, can. 3, dist. 71. Additum deinde fuit Gratiano: *et abbatibus constantinopolitanæ urbis episcopo.* Mendum in hæc verba irrepsisse nemo non videt, ad cujus correctionem romani correctores ita conati sunt substituere: *et ab Attico constantinopolitanæ urbis episcopo*, profitentes, se locum restituisse *ex conjectura, quoniam evidenti ratione innitebatur.* Equidem evidens ratio emendationem suadebat, an vero scribendum esset *ab Attico* per vocem *abbatibus*, conjectura moveri se protestati sunt, quia inter episcopos constantinopolitanos fuit sæculo quinto Atticus Sebastenus. In meis animadversionibus in Gratianum censui, eam formulam tribuendam potius esse Wolseoni episcopo constantiensi, dum hic ad Bernaltum Argentoratensem episcopum scriberet gratia clerici Annonis, cui formatam literam dederat. Revera hoc posito consonat gratianeum monumentum. Etenim præter notas singulis formatis communes, consignanda erat prima litera nominis Wolfeonis Υ, quæ conficiebat numerum 400, et huc pertinet, quod in fine canonis legitur: Υ *græcum in nomine illius primam ponimus, quia græci eam in quibusdam locis pro V consonante ponunt.* Insuper consignanda erat secunda litera Bernalti E, quæ indicat numerum 5, præterea tertia litera Annonis N, quæ conficit numerum 50, item quarta litera urbis constantiensis, S, quæ refert numerum 200, ac denique decima indictio. Hæc singula si conjungantur numeris, qui communes sunt, conficient numerum 1325, quod in aliquibus Gratianeis codicibus legitur. Quod si retinere velis vulgatam Gratiani editionem, et ponere numerum 1215, tunc vice *Annonis* legendum erit nomen *Hermanni*, uti Gratianus scribere voluit, et cum quarta litera hujus nominis sit *M* (non *N*, uti in nomine Annonis) reddatque numerum minorem, idest 40, emerget tunc numerus 1215, nunquam tamen sustineri poterit nomen Attici, cujus prima litera cum referat numerum 1, semper referet numerum longe minorem, nimirum aut 946, si fingas commendatitiam literam concessam fuisse Annoni, aut 906, si fingas concessam Hermanno.

Erat hæc vetusta mediæ ætatis disciplina, a qua deinde recessum est. Verum cum intima ecclesiæ sententia eo spectaret, ut omnis sollicitudo adhiberetur, ne clerici passim admitterentur in extraneis urbibus, quoties ab episcopis suis non petita facultate recederent, in hac sane parte adhuc observari decet mentem ecclesiæ; proindeque graviter acriterque in id incumbi oportet, ut episcopi dimissorias literas non indefinite concedant, sed ad certa tantum loca profecturis, ne alias eveniat, clericos non tantum diœcesibus in alias migrare, sed etiam quasi peregrinantium more vitam in incerta sede traducere. Item maxime decet, ordinarios, in quorum diœcesim clerici se recipiunt, solerter investigare, an formata epistola eos revera habeat auctores antistites, qui designantur, eo maturiore super ea re discussione facta, quo remotior est diœcesis, a qua clericus discessit, argumento c. r. de clericis peregrinis. Ceterum si ageretur de clericis in vicinia constitutis, propterea que notis, aliquando remittebatur formatarum disciplina, uti colligitur ex concilio vasionensi anni 442, in quo definitum fuit, recipi episcopos Galliæ de una in aliam provinciam, dummodo intra Galliam, transeuntes etiam sine formatis.

CAPUT II.

De clericis contra disciplinam ecclesiasticam delinquentibus.

Huc referendi sunt, tit. 1, lib. 1, tit. 14, 24 et 25, lib. 5.

Parum apte adpositeque de clericorum ordine saperet, qui putaret, illos morum integritate supra laicos excellere non oportere, neque alias leges servandas eisdem esse, quam quæ generaliter laicis imminet. Sui sunt singulares ad cleri honestatem et decus præstituti canones, quibus quod addicantur obeundis sacris, et fungendo munere intercessorum apud Deum pro fideli populo, cogantur, ut sicut doctrina, ita et exemplis populum excitent ad divina, item ut apud Deum non tam non delinquant, quam optime mereantur. Non ergo solum ab iis abstinere debent, quæ vel natura sui inhonesta sunt, vel generalibus legibus prohibentur, sed et ab iis, in quibus vel rei minus honestæ potest esse suspicio, vel a sacris officiis distraherentur. Quod ut commodius eveniret, pluries conati sunt prudentissimi ecclesiarum Antistites, ut clericos universos in vitam communem vocarent; ea enim vitæ ratio ire obviam universis periculis videbatur; sive quod a negotiis sæcularibus facilius averterentur, sive quod disciplinæ unitas commodius servaretur, sive demum quod ecclesiarum utilitatibus pressius consuleretur, cap. 9, de vita et honest. cleric. Ve-

rum vinci debuit injuriis temporum ea clericalis vitæ constitutio; proindeque eo saltem appellere animum Antistites debuerunt, ut quoniam loci unitas colligere non potuit clericos, ac continere, unitas saltem, sive similitudo morum, disciplinæ, studiorum, et fere universæ vitæ æquabilitas in omnibus existeret, et palam conspiceretur. Primum et generaliter cautum est, ne sæcularibus negotiis operam darent, can. 26, dist. 86, can. 3, dist. 88, can. 1 et 3, cau. 14, quæst. 4, cap. 15 et 16, de vita et honest. cler., c. 1, et passim ne clerici, vel mon., et alibi pluries, ita ut si forte clerici sint inobedientes episcopi sui præceptis, suspendi primum, deinde deponi ab officio debeant, si contumaces existant. Item cautum est, ut ab inhonestis publicis spectaculis abstinerent, sicut et a locis frequentandis, in quibus lasciviæ, aut ebrietati servitur, eadem indicta pœna, cap. 12, 14 et 15, de vita, et honest. cleric. In iis quoque, quæ ad animi relaxationem pertinent, talem servari moderationem præceptum est, ut hinc clerici ea de causa officio suo non desint, illinc nemini offendiculum præstent.

Vulgaris est in hanc rem quæstio de clericis venatoribus, in qua alii in eam opinionem iverunt, ut clericis quocumque venationum genere interdiceretur, quod generaliter arma deferre non possint, cap. 2, de vita, et honest. cler., et quod venatio ipsa sacris canonibus non probetur natura sui, can. 8, 9, 10, 11, 12 et 13, dist. 86, alii clamorosam, ut ajunt, seu cum strepitu factam venationem tantummodo illicitam clericis adfirmarunt, ad quam scripserunt pertinere capitulum 1 et 2, de clerico venatore, sicut et caput 12, sessionis 24. Tridentinæ de reformat., ubi tantum interdictum est clericis, ne venationibus, et aucupiis *illicitis* intenderent. Ego sane in proposito nonnihil deliberandum puto. Etenim video, canones aliquot ab ingenita suorum auctorum sententia fuisse detortos, quales præ ceteris sunt canones 8 et sequentes dist. 86. Recentiores in eorum conspectu valde hallucinati sunt, quod sub venationis nomine aliam venationis speciem intelligere nesciverunt, quam eam, quæ suis temporibus in usu erat. Venatorum nomen olim significavit illos, qui publicis ludis venationum vocabulo nuncupatis, et in Deorum honorem ethnica superstitione institutis, exercebantur, cum feris bestiis intra certos areæ, seu theatri limites clausis acri contentione pugnantes, qui usus non solum primis tribus ecclesiæ sæculis, sed etiam multo postea viguit, quemadmodum de suis temporibus testatur Cassiodorus, imo et Justinianus imperator in Novell. 105. Hujusmodi erat ætate Severi et Antonini Chrysantianum certamen, de quo agitur in l penul. ff. de annuis legatis; quod ita dictum fuit a Chrysantio quodam ludi institutore, cujus formam si agnoscere velis, statim intelliges apud Gutherium in lib. 3, de jure manium, cap. 27. Idipsum perspicue demonstrant verba legis 6, ff. de administrat. rer. ad civit. pertinent., ubi proponitur species de legato civitati relicto, ut *ex reddilu ejus venatio, aut spectacula edantur*. Item in l. 122, ff. de legat. 1. venatio ludis scenicis, et circensibus admiscetur, eademque dicitur ad honorem civitatis pertinere. De hujusmodi ludis etiam mentio fit in l. 1, § 6, ff. de postulando, ubi fusus est sermo de iis, qui publice cum bestiis pugnarent, qui promiscue dicuntur nunc *depugnare feram*, nunc *feras venari*. Quidquod extat in codice Theodosiano in lib. 15, titulus *de venatione ferarum* medius inter titulos de equis curulibus, et de gladiatoribus, cui et consonat codex Justinianeus, ubi in lib. 11, idem titulus *de venatione ferarum* medius collocatur inter titulum de gladiatoribus et titulum de Majuma, quæ omnia inter publica spectacula recenseri nemo ignorat? Memorat quoque hos ludos Alexander ab Alexandro in lib. 6, genialium dierum, cap. 19, scribens: *Singulis Diis singuli erant dicati ludi, quippe venationes et munera Saturno, scenici Libero, circenses Neptuno, etc.* Perspicuum pariter est Auli Gellii testimonium in lib. 4, noctium atticarum, cap. 14, pulcherrimam historiam de quodam, qui in amphiteatrum cum leonibus, et aliis bestiis pugnaturus processerat, his verbis adgredientis: *In circo maximo venationis amplissimæ pugna dabatur populo etc.* Vopiscus in Aureliano eosdem ludos venationis nomine appellavit, ibi: *Sequentibus diebus datæ sunt populo voluptates ludorum scenicorum, ludorum circensium, venationum, gladiatorum, naumachiæ.* Sed et memoratum Cassiodorum non prætereo, qui in lib. 5, variarum 42, ita scribit de venatoribus suæ ætatis: *Quo munere venator explendus est, qui ut spectantibus placeat, suis mortibus elaborat? Voluptatem præstat sanguine suo, et infelici sorte constrictus festinat populo placere, qui eum non optat evadere. Actus detestabilis, certamen infelix, cum feris velle contendere, quas fortiores se non dubitat invenire.* Duo ex his tanquam certa colliguntur. Primum est, publicas hominum, et bestiarum pugnas apud veteres venationum nomine designatas fuisse. Alterum est, hoc venationum genus displicuisse etiam philosophis ethnicis, propterea quod et inhumanum videretur, venatores illos æmulari, atque induere ferociam belluarum, et parum honestum foret, spectatores ita in amphitheatro adsidere, ut optarent mortem venatoris. Ad rem Seneca de tranquillitate, cap. 11, ita scribebat: *Gladiatores (inquit Cicero) invisos habemus, si omni modo*

vitam impetrare cupiunt; favemus, si contemtum ejus præseferunt. Christiani imperatores veterem hanc venationum consuetudinem initio quidem non omnino aboleverunt; sed sibi quandoque indicendam reservaverunt, l. 1 et 2. Cod. Theodos. de venat. ferar., ex quibus conflata est lex un. cod. Just. eod. tit. nov. 105, cap. 1, imo et quando viris prudentissimis, præsertim Cassiodoro modo laudato, detestabilis visa est, paullatim ab usu recessit. Itaque, quid prohibet, quominus veterum patrum, Hieronymi, Ambrosii (si tamen Hieronymus et Ambrosius sunt auctores canonum 11, 12 et 13, dist. 86) et Augustini sententias in dicta dist. 86, de eadem venationum specie intelligamus, quando apud ipsos legimus, nonnisi per quoddam scelus venationibus operam dari? canones 8, 9 et 10, qui sunt S. Augustini, ita concepti sunt, ut nonnisi de hac venationum, et venatorum specie intelligi possint. In canone 8, ii, qui venatoribus donant, æquiparantur iis, qui donant histrionibus, dicuntur etiam amare in venatoribus illud, in quo nequissimi sunt; et venatio ipsa dicitur nequitia publica exposita oculis omnium. In canone 9, dicitur venatio ars nequissima, cujus caussa non jure fiunt donationes; et in canone 10, improbantur ii, qui delectantur in conspectu venatorum. Quid aliud ista significant, quam publicam venantium pugnam? canon 11, S. Hieronymo tributus Hieronymi non est, quemadmodum demonstravi in meis lucubrationibus in codicem Gratianeum, etenim commentaria in psalmos, ex quibus canon ille depromtus est, scatent undique solecismis, stylo demisso et humili conscripta adparent, allegoricis figuris, sæpe etiam parum aptis adumbrata, quæ sane præseferre non possunt Hieronymi manum. Cuicumque autem canon ille tribuatur auctori, nullum facesset negotium, quoties ad integra autographi exemplaria exigatur. Siquidem auctor sub Hieronymi nomine expendens verba psalmi 90, *ipse liberabit me de laqueo venantium*, ita scribit: *Multi sunt venatores in isto mundo, qui animam nostram venari conantur. Denique Nembrod ille gigas magnus in conspectu Dei venator fuit, et Esau venator erat, quoniam peccator erat; et penitus non invenimus in scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem, piscatores invenimus sanctos.* Nihil adjicio ad canones 12 et 13, quamquam enim tuto adfirmari posset, eos falso Ambrosio fuisse tributos, notatu tamen dignum est, in iis non ipsam venationem improbari, sed tantum objurgari eos, qui oblectationibus indulgent diebus jejuniorum, et quando jejuniorum dies consecrari oportet orationibus, ac meditationibus rerum divinarum, eos potius in sylvaticis vagationibus impendunt. Sententiam Ambrosio tributam interpretatur Ambrosius, qui in homilia 27, ita scribebat: *Quoniam bene autem jejuniorum tempore verbum Dei dixit esse, quod reficit, ut ostenderet, jejunia nostra non debere sæculi actibus occupari, sed sacris literis exerceri?* Post hanc germanam laudatorum canonum interpretationem, evanescit meo judicio turpissima illa venationis imago, quam decisa illa canonum fragmenta exhibebant, et quibus si inhærendum esset, non clericis tantum, sed et laicis universis interdictum esse venationibus demonstraretur. Quamobrem cum nihil aliud in medium proferri possit, quam duo monumenta, quæ in Gregorianum titulum de clerico venatore translata fuerunt ex collectione Gratiani, videlicet ex can. 2 et 3, dist. 34, quorum primum est concilii epaonensis anni 517, alterum concilii francici, seu germanici anni 742, dicam, ibidem clericis, et religiosis viris interdictum fuisse illis venationibus, quæ clericos eosdem ab officio sacro distraherent, quemadmodum indicant verba illa *in hac voluptate sæpius detentus fuerit, et sylvaticas vagationes*; atque ad hanc speciem referri oportere concludemus laudatum concilii tridentini decretum in cap. 12, sess 24 de reformat., ubi statuitur, ne clerici *illicitis* venationibus vacent. Paucis rem colligamus. Sententia canonum est, ne venationi, sicut et cuicumque oblectationum generi, plus æquo clerici indulgeant: sententia canonum est, ut modus in indulgendo servetur. Sententia canonum est, ut decor et honestas clericalis custodiatur. Ubi unum ex his deficiat, ad prælatorum officium pertinebit, attenta qualitate temporum, personarum, locorum, salubria præcepta statuere, a quibus non liceat clericis ullo modo recedere; quin tamen aut venatio ipsa, qualis hodie fieri solet, per se improbata dicatur, aut eo cogamur appellere, ut distinctionem illam clamorosæ, et quietæ venationis sacris canonibus prorsus incognitam, forte etiam a sententia canonum alienam, sequamur, adprobemus.

Quod severius et arctius clericis prohibendum fuit, eo pertinet, ut iidem rixas omnes, et strepitus armorum evitent, cap. 2, de vita, et honest. cleric. eove magis a privatis certaminibus abhorreant; quamobrem non solum irregulares erunt, quotiescumque hominem in duello occiderint, aut mutilaverint, vel occidi, aut mutilari mandaverint, c. 2, de cleric. pugn. in duello, sed etiam deponendi erunt, si duellum obtulerint, aut oblatum susceperint, sive vincant, sive vincantur; quamquam in hac specie episcopi arbitrio relinquatur indulgentiam facere, quoties nec homicidium, nec mutilatio subsequatur, cap. 1, eod. tit. Ut autem a cædibus magis magisque clerici abhorrerent, sub depositionis pœna ipsis indictum fuit, ne militiæ armatæ nomen darent, can. 83, ex apostolis, can. 3,

ceus. 20, qu. 3, c. 9, § ult. de voto, c. 25, de sentent. excom. nisi ageretur de bello, uti vocant, defensivo ad injuriam hostium repellendam, ineundoque ab ipsis cum moderamine inculpatæ tutelæ, cap. 2 et 18 de homicidio; in hac enim specie etiam clericis jure imponitur onus defendendæ civitatis, cap. 2, de immunit. eccles. argumento can. 4, caus. 23, qu. 3. Neque his obstat canon 36, dist. 50, utpote qui ad eos referendus est, qui nullam moderationem belli caussa servaverant. Item ex apostolica Paulli doctrina epist. 1, ad Timotheum, c. 3, sacri Antistites voluerunt, ne clerici quemquam cæderent, aut percuterent, ita ut cædentes, vel percutientes graviter corripiendi sint, et, si non resipuerint, deponendi, can. 1 et sequentibus dist. 45, c. 1, de clerico percussore.

Inquirendum etiam fuit in clericorum studia, et bonas artes, ut ab iis addiscendis temperarent, quæ illorum conditioni minus apta viderentur, et totos se rebus divinis, et sacris addicerent. Ecquidem olim non fuit opus can. sanctionibus aut numero plurimis, aut vi vehementibus, ut clerici de suo munere admonerentur: sponte enim unusquisque suis officiis incumbebat. At postquam deventum est ad obscura, et pene ferrea sæcula, decimum dico, et undecimum, obrutus est clerus universus densissima rerum caligine, seu ignoratione. Primus inter monachos Desiderius Cassinensis abbas, qui inde fuit Victor II, anno 1086, uti liquet ex chronico cassinensi, lib. 3, c. 63, exemplaria quædam edi curavit et novellarum, et institutionum juris Justinianei. Hinc primum emergere cœpit inter monachos studium juris romani, quod facile ad clericos traductum est, præsertim eos, qui vitam regularem monachorum exemplo profitebantur; illi autem, qui inter monachos, aut clericos uberiore juris peritia eminebant, exinde sumebant occasionem, ut extra claustra, vel ecclesias exeuntes negotia sæcularia, modo in foro advocatorum more, curatorumve agitarent, modo judicis suscepto munere definirent, cujuscumque generis negotia forent, sive civilia, sive criminalia. Præterea appulerant eodem tempore Arabes in Italiam, professi physicorum, seu medicorum artes ex Aristotele, Hippocrate et Galeno derivatas; his autem facile fuit omnium pene sibi conciliare admirationem, ne benevolentiam, et gratiam dixerim, utut non satis exculti essent: etenim inter desides et hebetes homines quasi cœlestes virtutes e cœlo delapsæ videbantur. Ipsi soli philosophi audiebant, et medici, quorum imitatione statim quicumque amore bonarum artium tangebantur, et in physicæ, et in medicæ artis studia se conferebant, etiamsi monachi essent, aut clerici, utpote qui sperabant, se professione istarum artium futuros cuicumque acceptissimos. Hinc vel ipsi majores prælati et abbates physicam, seu medicinam profitebantur. Sic Fulbertus carnotensis episcopus, aliique Antistites, ipse etiam Petrus Lombardus magister sententiarum medicam artem professus est, qualem et monachi numero plurimi, præsertim apud principes. Adde c. 7, de ætat. et qual. præf. Itaque dum et juris, et physicarum rerum scientia clericos æque ac monachos detinebat negligebatur cura sacrorum, et monasticæ solitudini vale dicebatur. Primum in Lateranensi concilio Innocentii II, anni 1139. Canon. 9, vetitum monachis, et canonicis regularibus fuit, ne leges sæculares, et medicinam addiscerent, aut exercerent, ut inde totas vires intenderent potius in studia theologiæ, quæ tum primum instaurari cœperant, instituente præ ceteris Petro Lombardo; quem eodem tempore alia ex parte emulatus est monachus Gratianus, renovans studia veterum canonum. Qua in re observatione dignum est, lateranensem canonem fuisse omnino executioni mandatum in ea parte, qua interdicebatur physicæ studiis; in ea autem parte, qua interdicebatur studiis legum, modus adjectus est ex prudenti interpretatione, ut quidem et monachi, et canonici regulares abstinerent a caussarum patrociniis, et judiciis publicis, adhuc tamen studiis legum romanarum eatenus operam dare valerent, quatenus studii juriis romani adjuvari possent studia legum ecclesiasticarum, quod primum facto suo visus est insinuavisse monachus Gratianus, qui dum eo tempore canonum monumenta compilaret, varia legum romanarum monumenta adsuere non dubitavit; deinde visus est comprobavisse Lucius III, dum in c. 1, de novi oper. nunciat. scripsit, *sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvari*. Laudatum canonem lateranensem renovavit Alexander III, in turonensi concilio anni 1163, cap. 3, ne clerici vel monachi, quo cautum est, ne regulares (intellige vel monachos, vel canonicos regulares juxta canonem lateranensem modo laudatum) *ad legendas leges, vel confessiones physicales ponderandas de claustris suis exirent*. Duo erant effugia, quibus regulares disciplinam concilii lateranensis evadere satagebant. Ajebunt primum, se ad academias invitari ad *legendas* leges, vel physicas artes, quasi ipsi præ ceteris eas disciplinas callerent, quas præcipue ipsi olim excoluerant. Ajebant deinde, se ideo medicinæ operam dare, quod forent languentibus in monasterio fratribus opem daturi, aut se operam navare legum studiis, quod forent *fidelius* ecclesiastica negotia tractaturi. Veritus Alexander III, *ne occasione scientiæ spirituales viri mundanis rursus actionibus involverentur*, prætextus illos omnino rejecit. Interea in his canonibus præceptum spectabat tantum monachos, et

canonicos regulares, nondum tamen clericos universos. Quando vero *absurdum clericis erat, imo etiam opprobriosum, si peritos se velint ostendere disceptationum esse forensium*, uti legitur in l. 41, cod. de episc. et cler., cautum deinde fuit in lateranensi concilio Alexandri III, anni 1179, ut generaliter clerici omnes in majoribus ordinibus constituti, imo et in minoribus, si stipendiis ecclesiæ sustentarentur, abstinerent ab officio advocationis in judiciis sæcularibus, nisi propriam caussam, vel ecclesiæ suæ fuerint prosecuti, aut pro miserabilibus forte personis, quæ propria caussas administrare non possunt; item ut abstinerent ab officio judicis laicorum nomine et auctoritate exercendo, cap. 1, de postulando, cap. 4, de clerici vel monachi. Præsertim vero prohibitum est, ne judicium sanguinis exercerent, cap. 5 et 9, eod. tit. Innocentius III, in cap. 2, de postulando declaravit, monachos æque ac canonicos regulares, patrocinium posse suscipere caussarum, in quibus monasterii utilitas versatur. Denique Honorius III, in cap. 10, ne clerici vel monachi statutum lateranensis et turonensis conciliorum Alexandri III, de monachis et canonicis regularibus conceptum ad clericos universos extendit, statuens, ne clerici, aut physicam artem, aut legum disciplinam profiterentur; quod tamen ita intelligendum est, quemadmodum explicati fuerunt Alexandri tertii canones; nimirum ut eatenus juris romani studiis interdicatur, quatenus, et in qua parte non conducant ad adsequendam juris ecclesiastici notitiam, et a sacris officiis distrahant, et a quatenus opus minime sit ad ecclesias defendendas, atque tuendas. Recentioribus sæculis, postquam præsertim theologiæ studia magno, uti decuit, in pretio ac cultu haberi cœperunt, relaxatus est paullisper eorum canonum rigor, qui eo præcipue tendebat, non tam ut averterentur clerici a studiis romanarum legum, quam ut divina studia inirent; propterea que universitatibus studiorum fere omnibus concessa fuerunt privilegia etiam auctoritate pontificum maximorum, quorum vi clerici possent studiis legum navare operam, ac sollicitudinem singularem, propterea que docuit experientia, legum romanarum peritiam clericis perutilem extitisse, ac fore.

De exteriore quoque habitus cultu a clericis tenendo sollicita fuit ecclesia, et quidem primo in ea vestium specie, quæ in sacris celebrandis mysteriis adhiberetur. Recentior sane usus perspicue demonstrat, multo diversa a communibus esse sacra indumenta, imo et disciplinæ hujus argumenta iam adparent sæculo quarto (consulto omitto, tanquam apocryphum, monumentum Stephani papæ in can. 42 de consecr. dist. 1) etenim Hieronymus in caput 44, Ezechielis ita scribebat: *Habet religio divina alterum habitum in ministerio altaris, alterum usu, vitaque communi.* Verum an id aut ab apostolis ipsis præceptum fuerit, aut consuetudine inductum, est prorsus incertum; quemadmodum incerti etiam exitus esset labor illius, qui vellet tempora definire, quibus aut aliquid novi in ea re invectum fuerit, aut unum ornamenti sacri genus in aliud commutatum, aut una vel altera res novam formam et figuram acceperit, quoniam et varii fuerunt provinciarum, et varii temporum, varii etiam personarum mores. Casulas ita dictas, quod instar parvulæ casæ totum hominem tegerent, laicorum etiam aliquando fuisse indumentum, testis est Joannes diaconus in vita Gregorii magni, lib. 4, cap. 83, et Isidorus hispalensis in regula monachorum, cap. 13, ubi dum monachis interdicitur usus sæcularium indumentorum, casulæ mentio habetur. Hanc itidem casulam hodie intuemur veterem amisisse figuram, cum valde decisa fuerit, et decurtata. Quo autem tempore laici æque ac clerici casulis tanquam civili veste utebantur, verosimile admodum est, sacerdotes caussa sacrificii aliam casulam induisse, eamque non solum singulari prece Deo dicatam, sed et sacris figuris ornatam, uti hodie quædam supersunt hujus rei vestigia in lineis ad crucis figuram accommodatis. Alba ad talos usque diffluens, et cingulo collecta vulgare aliquando fuit sacerdotum, dum in publicum prodirent, et iter haberent, indumentum, quamquam sacrorum tempore aliam in diaconico albam induere tenerentur, quemadmodum manifeste probant sinodales duæ admonitiones veteres, quarum prior habetur apud Reginonem initio collectionis n. 66, altera edita a Baluzio ad calcem Reginonis, pag. 603, ibi: *Si absque alba, et cum illa alba, qua in suos usus quotidie utitur, missam cantare præsumat.* Ad hujus albæ similitudinem clericis inferioribus concessa fuit brevior quædam alba, ne si longius difflueret, minus expeditos eos sacris ministeriis redderet. Olim quoque prohibebantur sacerdotes, ne sine stola, quam orarium veteres appellaverunt, etiam per vias incederent, can. 25, cau. 17, qu. 4, quod etiam ornamenti genus in diaconorum ordinationibus adhibebatur, ita ut et stola diaconi in signum oneris sacri suscepti uterentur. Hodie solus pontifex maximus ubique utitur stola, sacerdotes autem, aut diaconi tantum in sacris ministeriis pro munere singulorum. Quid dicam de alio orarii genere, quo primum usus fuit romanus populus in publicis imperatorum acclamationibus, cum unusquisque linteolum sinistra erigens et volutans, publicam lætitiam significaret, uti tradit Vopiscus in Aureliano? similis enim mappula concessa jamdiu fuit sacerdotibus primum, ac diaconis, deinde etiam subdiaconis inter sacra solemnia ad duplicem

usum; primum ad ora tergenda, præsertim dum sacerdotes, aut diaconi publice prædicarent, unde orarii nomen accepit; secundo ad significandum populo vel standi, vel genuflectendi, vel accedendi, vel recedendi tempus atque ejus deinde loco recens manipulus successit. Olim quo tempore casula undique diffluebat, nec colligebatur ad brachia, nisi post factam confessionem, sacerdotes manipulum induebant post collectam casulam, seu post factam confessionem. Hodie hujus consuetudinis vestigium tantum apud episcopos superest. Quid dicam de anaboladio (hodie amictum appellant) apud clericos invecto circa sæculum octavum, ut colli nuda tegeret, primum supra albam imposito, deinde infra albam more romano, aliquandiu supra caput, uti hodie apud monachos adhuc viget, deinde infra caput, postquam parvulorum birrorum usus invaluit ad capitis tegumentum? Hæc omnia sensim inolevere, modo ad majorum, modo ad minorum administrorum usum variis formis accommodata, qua in re nihil aptius proponi potest, quam singularum ecclesiarum receptos ritus sequendos esse.

Quod si de clericorum habitu sermo sit extra sacra officia deferendo, certissimum est, quinque prioribus ecclesiæ sæculis illum non fuisse distinctum ab habitu laicorum, quamquam generaliter tunc decerni soleret, ne in illo singularis decor sollicite quæreretur, can. 8, dist. 41. Evidens hujus rei argumentum deducitur ex epistola Cœlestini I, ad episcopos provinciæ Viennensis et Narbonensis, in qua inter cetera de sacerdotum vestibus ita legitur: *Discernendi a plebe, vel ceteris sumus doctrina, non veste, conversatione non habitu, mentis puritate, non cultu*; item ex epist. 17, Hieronymi, ibi: *Quicumque novissimus fuerit, hic primus putatur, in veste nulla discretio, nulla admiratio: utcumque placuerit incedere, nec detractionis est, nec laudis.* Gliscere cœperat quarto sæculo in Italia nonnullorum consuetudo, qui romanæ togæ pertæsi peregrinos habitus ad morem aliarum gentium compositos induebant; quamobrem imperatores omni sollicitudine curaverunt, ne cives romani seu Romam incolentes, seu civitate donati et alibi residentes, formam habitus veterem immutarent, idest abstinerent a majoribus crinibus, a terrore clamydis, a ragis, et tzangis, seu pellitis quibusdam Gothorum vestibus, servis tantummodo concesso usu birrorum, et cucullarum, l. 1, et sequentibus cod. Theod. de habitu quo uti oportet intra urbem. Eo propterea minus passi fuerunt ecclesiarum Antistites, vestes peregrinas in clerum induci, statuentes, ut prisca albæ togæ supra tunicam pariter albam impositæ consuetudo retineretur, can. 2 et 3, caus. 21, qu. 4. Formam tondendi, non radendi capitis aperte tradidit Gregorius magnus in pastorali, cap. 7, in epist. 25, lib. 1, indictione 9, et in epist. 4, lib. 7, indictione 15, his verbis: *Quia igitur cuncti qui præsunt, habere quidem sollicitudines et exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere, sacerdotes recte, et caput prohibentur radere, et comam nutrire, ut cogitationes carnales de vita subditorum, nec a se funditus amputent, nec rursus ad crescendum similiter relaxent. Ubi, et bene dicitur: tondentes tondeant capita sua, ut scilicet curæ temporalis sollicitudines, et quantum necesse est, prodeant, et tamen recidantur citius, ne immoderatius excrescant.* Non æqualiter tamen adtondebantur capilli, sicut mos erat laicorum apostolica ætate, uti docet Paullus in 1, ad Corinth. cap. 10, sed corona quædam capillorum circa caput prodibat, et superius et inferius attonsis crinibus, quod deducitur ex concilio toletano IV, anni 630, can. 41, ibi: *Omnes clerici, vel lectores, sicut levitæ, et sacerdotes detonso superius toto capite, inferius solam circuli coronam relinquant, non sicut hucusque in Galliciæ partibus facere lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispania hucusque hæreticorum fuit.* Hanc eandem clericæ tonsuræ formam exhibuerunt sæculo septimo 8. Germanus patriarcha constantinopolitanus in theoria rerum sacrarum, Gregorius turonensis de vitis patrum cap. 17, et Beda, lib. 4, historiæ Anglorum, cap. 1. Addere possum Isidorum Mercatorem in can. 21, dist. 23, ad disciplinam septimi sæculi confirmandam. Eisdem etiam sæculis secerni cœperunt in vestibus a laicis clerici, quod probat Gregorius turonensis in lib. 5, histor. franc., cap. 14, concilium trullanum in can. 2, caus. 21, q. 4, concilium germanicum sub Bonifacio, anni 742, can. 7, et concilium romanum Zachariæ, anni 743, in can. 3, caus. 21, quæst. 4, quamquam certo definiri non possit, nec quis esset habitus color, nec qualis esset undecumque figura. Verosimile tamen est, vestes illas neque fulgidas colore fuisse, sed aut albas, aut pullas, seu nigricantes, postquam præsertim pullos, seu nigricantes habitus monachi induerunt, imitantibus hac in re sive monachis, sive clericis veterum philosophorum modestiam, qui hujusmodi indumentis amicti incedere solebant; item verosimile est, modo ad similitudinem togarum veterum vestes clericales fuisse contextas, ne clerici viderentur ab habitu civili recedere, et barbararum gentium novos habitus adamare, modo ad similitudinem palliorum, quibus veteres philosophi simplicioris indumenti caussa utebantur; tunicas propterea, sive casulas appellatas, quas deinde in lateranensi concilio anni 1215, decretum fuit, nec nimia brevitate, nec nimia longitu-

dine esse notandas, imo et adjectum est, indumenta rubri viridisve coloris ab ecclesia improbari, cap. 15, de vita, et honest. clerici concilium tridentinum nihil in hac re singulare constituit. Tantum in sess. 14, cap. 6, de ref. generaliter mandavit, ut habitus clericorum proprio ordini congruere debeat juxta episcoporum ordinationes, et mandata, indicta adversus inobedientes pœna suspensionis, aut privationis beneficiorum officiorumve adversus contumaces, innovata constitutione viennensis concilii in clement. 2, de vita et honestate clericorum; ex quibus omnibus duo veluti consectaria colliguntur. Primum est, semper ecclesiam optavisse, ut clerici etiam in exteriore habitu singularem modestiam præseferrent; alterum est, in determinatione habitus speciali plurimum diœceseon usibus, et ordinariorum antistitum constitutionibus deferri oportere.

CAPUT III.

Singularia quædam expenduntur, quæ spectant judicia criminalia clericorum.

In clericorum caussis illud singulare semper viguit olim, ut semel damnati in pristinum honorem restitui neutiquam possent, eove minus ad majorem gradum promoveri, etiamsi peracta pœnitentia et Deo, et ecclesiæ satisfecissent, can. 1, 2, et passim dist. 50, nisi forte quædam singulares caussæ mitiorem disciplinam postularent, non quidem gratia singulari personarum, sed publica suadente utilitate, quemadmodum in Africa ecclesia cum donatistis actum fuisse probatur, can. 23 et 25, dist. 50, cap. 1, de parochiis. Apertissima erat generalis regulæ ratio: nimirum quamquam verum sit, per pœnitentiam sincere exactum hominem Deo reconciliari, intererat tamen, ne pœnitentes, quorum non integra, sed veluti reparata virtus esset, inter dignitates honoresque sacros locum invenirent. Neque aliud in contrarium probant exempla illa numero plurima, quæ adferuntur in can. 13, dist. 50, præterquamquod enim ibidem sub incerto nomine auctoris multa narrantur ab historica veritate aliena, episcopi illi ferme omnes non fuerunt post lapsum restituti, sed potius ab adversariorum calumniis, quarum caussa injuria dejecti pridem fuerant, renovato judicio vindicati. Qui plura ad explicationem hujus monumenti desiderat, inveniet in meis animadversionibus in Gratianum. Primum vetus illa disciplina aboleri cœpit post invectas Mercatoris decretales, in quibus passim traditum est, clericos post lapsum, et pœnitentiam posse restitui in pristinum gradum, can. 44, 16, 24 et 28, dist. 50. Qui profecto non ignorat, quanti habita fuerit media ecclesiæ ætate horum monumentorum auctoritas, facile percipit, exinde abiisse in vulgarem disciplinam, qua fieret, quemadmodum etiam hodie viget, ut arbitrio judicis remitteretur, vel lapsos pœnitentes in pristinum honorem reducere, vel in perpetuum ab officio excludere.

Si quæratur de judicibus, ad quos spectet in criminalibus clericorum, et ecclesiasticis caussis sententiam pronunciare, non est dubitandum, eam potestatem penes episcopos esse, eosque omnes, qui quasi episcopali jurisdictione funguntur, quotiescumque de clericis inferioribus criminum reis agatur, data damnatis facultate ad provinciale concilium, vel etiam extra concilium ad superiorem judicem provocandi, can. 4, 5, caus. 11, qu. 2, can. 2 et 5, caus. 21, qu. 5. Sed quoties adversus ipsos episcopos judicium sit instituendum, variam fuisse pro varietate temporum disciplinam deprehendo. Olim instituebatur hoc judicium in synodo provinciali, can. 1, 2, 3, 5, caus. 6, quæst. 4, can. 6 et 7, caus. 11, quæst. 3, data tamen facultate, sedem apostolicam, si visum fuerit, appellandi, can. 7, cau. 6, qu. 4. Solent qui contra sentiunt, in medium proferre canonem 8 et 10, caus. 5, qu. 6, juncto can. 3, caus. 2, quæst. 4. At si non cortice tenus ea monumenta consideravisset, facile, arbitror, agnovissent, in can. 8. Leonem magnum redarguisse Anastasium thessalonicensem, quod plus æque potestatem non ordinariam, ad quem præsens disquisitio pertinet, sed apostolici vicariatus, quam dudum obtinuerat, extendisset; neque enim Anastasius eam jurisdictionem inconsulta sede apostolica exercere poterat, quæ mandato, sive literis vicariatus, non continebatur; agnovissent præterea in dicto can. 10 et 3, subjectam tum fuisse Brittonum provinciam variis controversiis, quibus pendentibus non satis de finibus diœceseos, et de metropolitæ persona aperte constabat. Eam ob rem romanus Antistes potius ex quadam prudentia, et rerum gerendarum œconomia, quam ex juris disciplina rescripsit. Non opus est, hoc in loca ea temporum, at locorum adjuncta late describere, quæ jam exhibui in meis animadversionibus in codicem Gratiani. Quid autem mirum, si in iis adjunctis ad apostolicam sedem negotia ejus generis referenda dicerentur? Itaque septem prioribus sæculis constans fuit provincialium synodorum auctoritas, in quibus et damnari, et dejici episcopi poterant, dummodo concors fuisset convenientium Antistitum sententia, can. 1 et 6, caus. 6, qu. 4, cap. 3, de sentent. et re judic., ubi enim in diversas partes dividerentur suffragia, de vicina provincia alter metropolitanus, seu primas accitus controversiam dirimebat, can. 2 et 3, caus. 6, qu. 4, cui jungi potest argumentum capituli 13, de rescriptis. Isidorus Mercator de more suo no-

vam invexit disciplinam, passim tradens, episcopos quidem comprovinciales caussas episcoporum posse discutere, accusationes recipere, exceptione admittere, nunquam tamen pronunciare sententiam, sed hanc a sede apostolica expectari oportere, can. 5, 6, 7, 9 et 11, caus. 3, qu. 6. His decretalibus sensim eo deventum est, ut judicia criminalia episcoporum deinde referrentur omnino ad apostolicam sedem, quod jam Gregorii IV, temporibus viguisse, liquet ex can. 2, dist. 12, quod tandem abiit in ordinariam disciplinam, cap 2, de transl. episc., cap. 16, de hæret. in 6.

Hodierna disciplina aperte edita ac stabilita deprehenditur in concilio tridentino, c. 6, 7, 8, de reform. sess. 13, et cap. 5, de reform. sess. 24. In cap. 6, cautum fuit, nunquam citandum esse episcopum, vel monendum ut personaliter compareat, etiamsi ex officio, aut per inquisitionem, seu denunciationem, vel accusationem, sive alio quovis modo procedatur, nisi ob caussam, ex qua deponendus, sive privandus officio suo veniret; etenim ob leviores caussas æquum non est, episcopum cogi, ut diœcesim derelinquat, et non sine episcopalis honoris deminutione vagetur. In cap. 7, designandæ fuerunt qualitates testium in criminalibus episcoporum caussis admittendorum; debent enim illi contestes esse, bonæ conversationis, existimationis, et famæ, facta facultate judicibus, gravibus pœnis eos mulctandi, si odio, temeritate, aut cupiditate aliquid deposuerint. In cap. 8, decretum, ut caussæ episcoporum, cum pro criminis objecti qualitate comparere episcopi debeant, ad pontificem maximum referantur, ac per ipsum terminentur; quod ipsum renovatum fuit in dicto, cap. 5, ubi additum est, si hujusmodi sit caussa, quæ necessario extra romanam curiam sit committenda, nemini prorsus eam committi, nisi metropolitanis, aut episcopis a pontifice maximo eligendis, quæ commissio et specialis sit, et manu ipsius pontificis maximi signata, nec unquam delegatis plus tribuatur, quam ut solam facti instructionem sumant, processumque conficiant, quem statim ad romanum Antistitem transmittant, reservata illi sententia definitiva. Denique concluditur, minores criminales caussas episcoporum in concilio tantum provinciali cognosci, et terminari debere, vel a deputandis per provinciale concilium, utpote qui concilii nomine et cognoscere, et sententiam dicere intelliguntur.

DISSERTATIO QUINTA.

DE CRIMINIBUS UNICUIQUE SIVE IN CLERO, SIVE EXTRA CLERUM CONSTITUTO COMMUNIBUS.

Quæ, et quanta sub hoc themate sese objiciant discutienda, nemo non videt. Quoniam vero multa ex istis ad civilis, aut publici juris interpretes pertinent, multa forum ecclesiæ internum, seu pœnitentiale respiciunt, contentus ero pauca quædam adnotare, quæ in externa ecclesiæ disciplina consistunt, de criminibus homicidii, falsi, furti, damnive injuria dati, ac denique usurarum, consulto omittens quæ de adulterio, et damnatis ejus generis conjunctionibus disserere hujus esset instituti, quod de iis alias, tanquam in opportuniore loco, abunde dixerim, quum conjugiorum rite celebrandorum jura persequerer.

CAPUT I.

De pœna adversus homicidas canonibus præstituta.

Huc referendi sunt tituli 12, 13 et 15, libri 5.

Charitas illa, quæ homines universos invicem ex ipso naturali jure veluti nexu devincit, unumquemque in officio ita continere debet, ne privata auctoritate alterius vitæ officiat, nedum insidietur, adeo ut ne propriam quidem animam quacumque de caussa in discrimen adducat, etiamsi de tuendo honore, malove evitando ageretur. Hanc rem pertractans Augustinus in lib. 1, de Civitate Dei, cap. 18 et 19, unde depromti sunt canones 3, 4 et 5, caus. 32, quæst. 5, ait, ne apud ipsas quidem gentes ceteroqui feras, et immanes probari potuisse plus æquo religiosos homines, qui juxta Virgilianos versus *sibi lethum insontes peperere manu, lucemque perosi projecere animas,* et quibu sa suprema redire cupientibus *fata obstant, tristique palus innabilis unda alligat,* et concludit: *Neque enim frustra in sanctis cannoicis libris nusquam nobis divinitus præceptum, permissumve reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel ullius carendi, cavendique mali caussa nobismetipsis necem inferamus.* Quibus inhærens vestigiis Clemens III, in cap. 11, de sepultur. ideo

voluit non denegandam sepulturam ecclesiasticam puellæ, utut ex caussa honestissima fugienti, quia non sponte, sed casu quodam in flumen præceps lapsa fuisset. Forte negotium facessere potest Hieronymi auctoritas in can. 11, cau. 23, quæst. 5, scribentis, ne in persecutionibus quidem licere propria perire manu, *absque eo ubi castitas periclitatur*. Siquidem observo in primis, Hieronymum hanc adjecisse exceptionem, non quidem ut eam probaret, sed ut insinuaret, posse id obnoxium esse disputationibus, quibus involvere se recusabat, ne a suscepto proposito longe aberraret, quasi dixisset, excepta ea specie, in qua castitas in periculum adduceretur, de qua disceptatio in utramque partem tunc temporis fiebat, certum esse, et inconcussum in ceteris caussis, neminem posse semetipsum occidere. Revera S. Augustinus, qui tempore Hieronymi vivebat, ex professo eam disputationem suscepit, et laudatis in locis perspicue diremit. Ex quo observari præterea potest, etiamsi Hieronymus in contrariam opinionem abiisset, agnosci statim varias in partes distractos fuisse Hieronymum et Augustinum, in conflictu autem opinionum tantorum virorum licere potius Augustinum, quam Hieronymum sequi; imo et Augustini sententiam hieronymianæ longe præferendam esse, sive quod Augustinus ex professo eam quæstionem tractandam susceperat, Hieronymus occasione data tantum quædam ad controversiam spectantia adjecit, sive quod pontificis rescriptis, præsertim laudati Clementis III, videtur probata Augustini opinio in ecclesia, rejecta Hieronymiana. Non ergo homicidæ notam evadit, qui semetipsum quacumque de caussa occidat. Quod si quis in necem alterius conspiret, non alias excusatur, quam si, aut reipublicæ salus illi vi publicæ potestatis commissa, aut propriæ vitæ defensio cum moderamine, ut ajunt nostri, inculpatæ tutelæ alias curari non possit; ille enim in his caussarum adjunctis non directo hominem interficere velle censetur, sed tranquillitatem publicam, aut privatam sui vitam tueri, can. 43 et 44, caus. 23, quæst. 5, c. 18, de homicid., Clement. un. eod. tit. Quando vero homicidia pœnis publicis ex magistratuum sententia coercentur, sacri canones vigilantiæ prudentiæque Antistitum mandarunt, ut ipsi in homicidas pro criminis adjunctis salutares, et quidem graves pœnitentias indicerent, cap. 2, de homicid. Generaliter præterea indixerunt, ut in omni fere homicidii genere irregularitatis nota reis homicidii inuratur. Qua de pœna opportunius erit sub finem tractationis agere, quum fusius de irregularitate sermo erit instituendus.

Apud Romanos ethnicos olim in usu erant ludi gladiatoriis, sive in Pancratio, quod fiebat cursu etiam, disco, et saltu, sive in pugillatu, quod fiebat telis, seu pugionibus, sive in colluctatione, qua pugnis contendebatur, agitati, in quibus ne actione quidem legis aquiliæ tenebatur, quicumque alium occidisset, quasi opus esset tunc romanæ juventæ virtutem privatis certaminibus assuescere, ut alacrior in hostes evaderet, l. 7, § 4, ff. ad leg. aquil. Verum statim ac imperium tenuerunt christiani principes, ab usu ea disciplina recessit jubente Constantino magno in l. un. cod. de gladiatoribus penitus tollendis, quæ cum eodem anno edita sit, quo absolutum fuit nicœnum concilium, non immerito conjiciunt viri eruditi, suasione nicœnorum antistitum lucubratam fuisse et promulgatam. Recentioribus sæculis ex Longobardorum usibus cum ecclesiasticorum virorum mœrore monomachia recipi visa est, etiam in judiciis, seu, uti appellabant, *mallis* publicis, in quibus accusator adversus testes decertaret, quasi qui victor existeret, meliorem habere caussam existimaretur. Improbavit illam Nicolaus I, in can. 22, cau. 2, q. 5, et post eum concilia numero plurima, et pontifices maximi apud christianos principes sæpe numero intercedentes, ut privata ista certamina penitus abolerentur, c. 1, de torneamentis; nec defuit in hac parte sollicitudo tridentinorum antistitum, quorum constitutio perspicua est, in c. 19, sess. 25, de ref., ubi inter cetera decernitur, eos, qui pugnam commiserint, et eos, qui pugnantium patrini vocantur, excommunicationis pœnam incurrere, et velut homicidas juxta sacros canones puniri debere, et, si in ipso conflictu decesserint, perpetuo carere ecclesiastica sepultura; imo et eos, qui consilium in caussa duelli tam in jure, quam facto dederint, aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneri, non obstante quocumque privilegio, seu prava consuetudine etiam immemorabili.

CAPUT II.

De crimine falsi, et ejus pœna juxta canonum disciplinam.

Huc referendus est titulus 20, libri 5.

Non hic sermo est de singulari specie falsi admissa a sacerdotibus parochis, de qua mentio fit in extrav. 1, de privileg. int. com. vers. *sed videat*, nimirum cum parochi denegant sacramenta publice petentibus, per calumniam affirmantes, petentes illos esse publicos peccatores, aut excommunicatione innodatos, quibus propterea absolutio denegatur, quousque plene non satisfecerint, præterquam in mortis articulo; neque sermo est de falsitate a testibus in judicio prodita, præsertim

ubi jusjurandum testium eorundem accesserit; de hac enim re nonnulla jam superius dicta fuerunt, et perspicua est publicorum disciplina religiosorum principum constitutionibus comprobata; sed potius de ea falsi specie loquor, quam quis admittit, dum aut circumveniendo pontificis maximi animum, aut fingendo obtenta privilegia, quæ revera non obtinuit, disciplinam ecclesiasticam turbare conatur, de qua re præcipue agitur in Gregoriano titulo de crimine falsi.

Itaque qui literas apostolicas mentiuntur, excommunicationem ipso facto incurrunt, si laici sint, si vero clerici, ab officio et beneficio deponuntur, can. 7, dist. 50, cap. 6, de excess. prælat., cap. 27, § ult. de verb. sign., cap. 4 et 7, de crim. falsi. Quibus indiciis rescripti, vel privilegii falsitas agnoscatur, liquido exhibet Innocentius III, in c. 5 et 6, eod. tit., in c. 6, de fide instrum., et Lucius III, in c. 11, de rescriptis. Non tamen tanquam falsum rescriptum, aut privilegium habebitur, quod non fuerit quidem alicujus artem confictum, sed tantum in aliquibus literis concisum, vel abrasum; eamque ob rem in hac specie concidens, vel abradens extra ordinem coercendus est ex jure decretalium, non pœna ordinaria falsi damnandus, rescripto ipso, vel privilegio in ea parte, in qua nullum vitium inest, suas vires habituro, nisi concisa, vel abrasa pars integram pontificis maximi sententiam everteret, cap. ult. de crim. falsi. Quotiescumque verum falsi crimen admittitur, non est eadem ratio illius, qui falsum admisit, et illius, qui falsis literis ab alio confectis utitur. Siquidem qui falsas literas confecit, nunquam doli expers est, proindeque ordinariis falsorum pœnis subjicitur; at qui falsis literis ab alio confectis utitur, modo invincibili ignorantia excusari, modo nonnisi de culpa, seu negligentia redargui potest, quod scilicet non satis investigaverit, aut germanum esset monumentum, quo uteretur. Quamobrem Innocentius III, prudentissime monitos voluit universos pontificiis rescriptis usuros, ut non alias illis utantur, quam si primum diligenter singula consideraverint, arbitrio judicis relinquens, ut pro negligentiæ modo pœnas in utentes falsis rescriptis indicat, cap. 7, eod. titul.

Multo mitior est illorum pœna, qui mentem pontificis maximi circumveniendo aut falsis exhibitis precibus, aut veritate suppressa, rescriptum, quo uterentur, obtinuerunt. Quamquam enim isti graviter delinquant, legibus tamen non alia pœna plectuntur, quam ea, qua fiat, ut jure omni destituantur, quod ex rescripto alias rite obtento nanciscerentur, cap. 2, et passim de rescriptis. Hæc sane pœna indiscriminatim locum habet, quotiescumque vel narrata falsitas, vel suppressa veritas fuerit ex dolo, nisi rescribens expresse profiteatur, velle se omnino, et quocumque posito rei eventu rescriptum executioni mandari, c. 9 et 10, de rescrip. in 6, c. 23, de præb. in 6, clement. 4, eod. tit. propterea quod vim rescripti metimur potius ex voluntate rescribentis, quam adamussim sequi maxime decet, quidquid conatus fuerit in libello supplici, qui rescriptum impetravit, eodem fere modo, quo furtum; minime vocant jureconsulti, quod consentiente domino etiam furtim et clam, imo et animo furis ab aliquo admissum fuerit, l. 46, § 8, ff. de furtis, § 8, instit. de obligat. quæ ex delict. nascunt. Ceterum si ex ignoratione postulantis evenerit, ut vel enarretur falsitas, vel veritas reticeatur, observandum est, an plura capita rescriptum contineat, eaque ita disjuncta, ut unum ab altero minime pendeat; an una tantum sit rescribentis definitio; an denique multiplex quidem, sed ita, ut una ab altera pendeat. Si primum, valebit adhuc rescriptum in ea parte, in qua nec obreptitium, nec subreptitium dici potest: si alterum, ad officium judicis pertinebit investigare, ac definire ex formula rescripti, an idipsum rescripturus pontifex max. fuisset, an minus, quotiescumque de rei veritate pontifici constitisset, et quo casu definiatur, pontificem idipsum fuisse rescripturum rescriptum ipsum executioni mandare: si postremum, investigandum erit, an in parte principali an in ea, quæ a principali pendet vitium subreptionis sit, aut obreptionis. Nimirum si vitium tantum insit in parte, quæ pendet a principali, principalem ipsam partem minime vitiabit, quamquam vitiaretur altera pars, quæ a principali pendet, si vitium inesset in principali, cap. 20, de rescriptis. Illud vero venire in dubitationem minime potest, num delegatus per rescriptum, quod obreptitium, aut subreptitium esse proponitur, possit de vitio rescripti cognoscere. Quamquam enim delegatus interea nequeat ad ulteriora devenire, nisi liqueat, rescriptum omni vitio carere, jure tamen poterit de rescripti viribus judicare, quasi in hoc judicio puram absolutamque sine ulla conditione a rescribente facultatem acceperit; ne alias forte ob hujusmodi exceptiones, quæ contra obtinentes rescripta allegari solent, summi pontificis gratia irrita omnino reddatur. Ceterum in proposito delegatus cognoscet juxta formulas juris communis, insuper habita singulari procedendi formula, siquæ forte rescripto præstitueretur, juxta quam deberet institui caussa et absolvi, dicto c. 20, de rescriptis.

CAPUT III.

De modis, quibus aliquando in occultos fures, vel damnum injuria dantes ecclesia animadvertit.

Huc referendi sunt tituli 18 et 36, lib. 5, et titulus 21, lib. 2.

Ob grave damnum injuria illatum, ob res furto subrepas, ob debita non soluta, si de re gravi agatur, et publice interesse videatur ad terrendos facinorosos homines, posse etiam excommunicari quemquam, quousque rem ablatam restituat, vel damna resarciat, quum restituere et resarcire valeat, nemo dubitare potest in conspectu capituli 3, de solution., capituli 2, de furtis, cap. 7, de jurejur., et cap. 31, de sent. excomm. Imo et incertas reorum personas sub pœna excommunicationis cui etiam ipso facto subjaceant, adigi posse ad res restituendas alienas, aut damna resarcienda generali proposito edicto, perspicue constat ex can. 2, caus. 5, quæst. 1, cap. 2, de offic. jud. ordin., extrav. un. de furtis int. com. Quid vero, si incerta rei persona sit, quam tamen vel certi, vel incerti testes, ad quorum notitiam delictum pervenit, facile demonstrarent? Obtinuit, ut sub commina tione censurarum, qui facti notitiam habent, ad designandum reum, ubi caussa gravis id postulet, adigi valeant, dummodo ex crimine civiliter, non criminaliter, nec ad pœnam corporalem infligendam agendum directo sit, can. 6, caus. 14, qu. 5, c. 1, 2 et ult. de testib. cogend., c. 20, de jurejur., cap. 4, de furtis, dicta extrav. un. eod. tit. extrav. 1, prope finem de simon. int. com. Hæc hodie *monitoria* pragmatici appellant, olim vero appellabant literas *Paullinas* ex eo, quod temporibus Pauli III, frequentiore usu promulgarentur. Generaliter jam probaverat jus romanum, ut quicumque res alienas a non domino accepisset, indicaret eum, a quo acceperat, leg. 5, cod. de furtis; quamquam enim dici nequeat fur, qui furem novit, et non revelat, sed tantum qui furem novit, et celat, l. 48, § 1, ff. de furtis; ubi tamen qui novit legitima judicis auctoritate interrogatur, et non patefacit, quasi celans haberi potest; eamque ob rem laudata monitoria non solum probaverunt modo memoratæ pontificiæ constitutiones, sed etiam concilium tridentinum in sess. 25, de ref., c. 3, his verbis: *Excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmissis, ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis, seu subtractis rebus ferri solent, a nemine prorsus præter quam ab episcopo decernantur, et tunc non alias, quam ex re non vulgari, caussaque diligenter, ac magna maturitate per episcopum examinata, quæ ejus animum moveat, etc.*

Merentur observationem tridentina hæc verba; siquidem eo ipso, quo monitoriorum disciplina non improbatur, interea percipitur, eam esse mentem ecclesiæ, ut quoniam in iis agitur de excommunicatione infligenda, in qua nervus ecclesiasticæ disciplinæ consistit, nonnisi sobrie, et maxima cum circumspectione eo sit deveniendum. Hinc in primis delictum, seu caussa, ob quam monitorio impetrantur, certa esse debet, cap. 3, de testib. cogend. Deinde opus est, ut de re gravi agatur, in qua scilicet non temere indicta dici possit gravissima excommunicationis pœna, cap. 5, eod. tit., dicto cap. 3, in concilio tridentino. Præterea cavendum est, ut tum demum monitoria concedantur, cum alia ratione utilitati illorum, quorum interest, consuli facile nequeat; vulgaris enim est traditio, monitoriorum disciplinam extra ordinem indulgeri, a qua propterea sit abstinendum ubi ordinaria suppetunt juris auxilia, veluti cum legitimi supersunt modi probationum. Aliqua insuper observantur respectu ejus qui petit, et respectu ejus, qui concedit monitoria, unde non adeo frequentia habeantur. Respectu ejus, qui petit, obtinuit, ut non ab alio peti, impetrarique possint, nisi ab eo, qui vel suam, vel suorum prosequitur utilitatem, aut utilitatem publicam, cujus curam qui ex officio gerat; eamque ob rem nec procurator generaliter constitutus eadem obtinere principalis gratia poterit, nisi instructus sit speciali mandato. Respecto ejus, qui concedit, caverunt patres tridentini, ut monitoria a nemine præterquam ab episcopo concedantur, quod ita quidem intelligendum est, ut excludantur prælati episcopo inferiores et episcopo subjecti, non autem ut excludatur, aut vicarius episcopi generalis, aut vicarius capitularis sede episcopali vacante, aut alius quicumque ad id specialiter ab episcopo delegatus, isti enim omnes episcopalem ipsam non propriam, et singularem jurisdictionem exercent. Quæsitum apud nostros fuit, an post tridentinam constitutionem eadem facultas integra remanserit penes prælatos, qui quasi episcopali jurisdictione fruuntur, ab episcopi jurisdictione prorsus exemti, quales inter ceteros sunt abbates, qui dicuntur nullius diœcesis? Ea recepta fuit in pluribus provinciis, ac præsertim in Italia, tridentini concilii interpretatio, ut ii ea facultate destituantur, quamquam in aliquibus provinciis alia vigeat consuetudo, uti pragmatici testantur. Quibus autem in locis abbates nullius diœcesis monitoria concedere nequeunt, usus obtinuit, ut non a viciniore episcopo, sed a sede apostolica monitoria, quoties impetrari expediat, impetrentur. Ex receptis denique diœceseon moribus invaluit, ut ad parochos spectet, monitoria promulgare in singulis parochiis ex ordinarii mandato, diebus festis quibus major

esse solet ad ecclesiam populi frequentia, et quidem pluribus successive diebus, quousque deveniatur ad peremtoriam publicationem, nisi unica pro omnibus fiat quod necessario et palam exprimendum erit, cap. 9, de sent. exc. in 6, ex quo liquet, excommunicationis censuram monitorio inflictam non tam in crimen olim admissum indici, quam in contumaciam illorum, qui moniti ecclesiæ non obtemperant. Quando vero dixi, diebus festis publicationem fieri, id velim ita intelligatur, ut excipiantur dies festivi maxime solemnes, in quibus ob insigne fidelium gaudium a ferendis excommunicationibus abstinendum est, ne tanti dies pœnæ gravissimæ illatione funestentur. Denique respectu caussæ illud, ut dictum est, observandum erit, ut monitoria tantum concedantur ad indemnes servandos eos, qui postulant, non ad finem inferendæ in criminali judicio pœnæ corporalis adversus reos, ne alias videatur ecclesia acriorem de reis judicio publico sumendam vindictam promovere et urgere.

Duæ sunt generales monitoriorum species; alia enim testes ad revelandum, alia reos ipsos ad damnum resarciendum adstringunt. Quæ hucusque dicta sunt, utrique monitorio sunt communia. Commune etiam est, quod frequenter usuvenit, nimirum ut utrumque monitorium sive adversus reos, vel consortes criminis, sive adversus testes, vel notitiam habentes, uno sententiæ contextu jungatur. Commune etiam, in utraque specie lethalis peccati reos fieri, qui monitionem contemnunt, et edicto non parent, nisi legitime impediantur, ne quod monitorio continetur, exequantur, cujusmodi sunt absentes, modo absentia non sit affectata, c. 1, de const. in 6, aut ignorantes, aut qui vel restituere, vel revelare sine vitæ suæ discrimine, vel salutis periculo non possent, argumento c. 60, de reg. jur. in 6. Sunt tamen singularia quædam, in quibus utraque monitoria invicem differunt. Et primo quidem observatur, in monitorio ad finem reparationis damni edito contra reum censuram infligi ob duo delicta, in primis ob damnum injuria datum, deinde ob inobedientiam ab eo admissam, qui monitorio non obsequitur; at in monitorio edito adversus eos, qui notitiam habent, ut facti testimonium ferant, tantum ob inobedientiam censuram inferri. Secundo observatur, monitorium latum in testes non afficere reos ipsus, utpote qui excusantur, si semetipsos minime denuncient, quemadmodum nec regulariter afficere eos, quorum testimonia in caussis criminalibus juxta generales juris regulas non admittuntur, aut non satis probantur: quomodo enim ad testimonium ferendum adjectis pœnarum stimulis adigantur ii, qui neque admitterentur, si sponte accederent? Tertio illud singulare observatur in monitorio contra testes, ut si testimonia ad infamiam tendant, exemplaria judicibus publicis non facile concedantur, sed tantum indicentur nomina testium, quos judex publicus ad forum suum vocet, et ab illis, quod prodituri sunt, ipse accipiat. Præterea in hoc monitorio adversus testes ita proceditur, ut cum testes accedunt, non ore tenus tantum admittantur, ad pandendum quod noverint, sed omnia in scripta redigantur vel per cancellarium, aut notarium curiæ, si testis ad curam episcopalem accesserit, vel per notarium ab episcopo deputatum, et coram parocho, si ad parochum testis accedat, quin tamen testes teneantur, quod pandunt, jurejurando firmare, nisi id in monitorii formula exprimatur. Sunt qui putant, eximi eos a testificando insuper habito monitorio, qui probare, quod pandunt, argumentis nequeunt argumento can. 27, caus. 2, qu. 7, Verum cum hujus canonis sententia ad accusatores, vel denunciatores potius spectet, quorum onus est, quod in judicio deferunt, demonstrare, frustra ad eos trahitur, de quorum tantum testimonio agitur. Quamquam enim ipsi probare nequeant, quod pandunt, judex tamen ex illorum testimoniis, præsertim si numero plures sint, argumenta, aut saltem probabiles conjecturas ex officio deducet unde constet de veritate. Sunt etiam, qui putant, non teneri testes ad pandenda, quæ noverint, quoties delictum sit omnino occultum, idest, unius tantum, vel alterius conscientia tenetur. Abutuntur isti canone 18, caus. 2, qu. 1, ubi tantum statuitur, ne judex occultos delinquentes puniat. Abutuntur præterea capitulo 24, de accusation., ubi onus imponitur judici; ne contra quemquam procedat judicio inquisitionis, nisi publice sit infamatus. Verum in proposito alia res agitur, quando monitoria ad cogendos testes non eo spectant, ut publica de reo vindicta sumatur, sed eo, ut indemnitati petentis prospiciatur. Alias autem monitoriorum disciplina inanis propemodum redderetur ob varias, quæ a testibus prætexerentur excusationes, iis facile allegantibus, necdum constare de infamia reorum, quos sciunt aut furtum admisisse, aut damnum intulisse.

CAPUT IV.

De Usuris.

Huc referendus est titulus 19, libri 5.

Nihil est in hac rerum universitate adeo utile reipublicæ, quod aliquando in reipublicæ ejusdem dispendium detorquere nequiverit humana perfidia, eo etiam perniciosius, quo sub honesti imagine maleficium sæpius prodire curatur. Id potissimum evenit in amplissima commerciorum ratione. Publicam ista

utilitatem fovet, et dum hominum utut loco dissitorum animos arctissimo veluti fœdere jungit, non quidem incultam illam, et rusticam rerum societatem, quam in aureis sæculis poetæ finxerunt, reducit, sed elegantiorem reddit, ac multo nitidiorem. Verum nimius privati peculii amor, et rei familiaris plus æquo amplificandæ studium ita plures infecit, ut alii alios etiam beneficia prætexentes per dolum et fraudem circumveniant. Providi quidem legumlatores pactiones universas, atque contractus ad certas a nemine evitandas regulas exigere moliti sunt. Quis autem adeo acuto ingenio, tantaque prudentia inter homines agere unquam potest, ut occulta callidorum subterfugia perpetuo detegat, turpisque avaritiæ latebras investiget omnes, in quibus vitium perimat; præterea adamussim consulat, jura dando conventionibus singulis, quarum innumeræ formæ sunt, et novæ in dies creantur, complicatæ tortuosis nexibus, inter quos vix scires, ad quæ pactorum genera referri plurima possent, nec nisi divinus abditos et imos nequitiæ recessus perspicuos faceret? Hoc ego velim, tanquam generale principium insidere cuicumque mens est, de usuris, seu de usurariis pactionibus apte adpositeque disserere. Improbatæ illæ sunt naturali, divino, ecclesiastico, ac civili jure, tamquam eæ, quæ humanam evertunt societatem, avaritiam nutriunt divitum, inopes vel indigentes in extremum usque interitum adducunt, quemadmodum perpetuo clamaverunt non solum sacri evangelii præcones, sed et ipsi ethnicorum philosophi. Interea tamen vix eradicari, et stirpitus avelli usurarum cupiditas potuit, quæcumque fuerit sapientum sollicitudo; tantæ enim prodierunt artibus callidiorum hominum confictæ speciosæ honestarum conventionum formæ, quibus illæ tegerentur, ut dum passim vacatur usuris, ab usuris quisque alienus videatur, quasi turpitudo non in usura ipsa, sed in solo usuræ nomine inesset.

Quid plura initio persequor, quando vel in ipsa definienda usura non pauci laboraverunt, quorum aliqui speciosiorem ejus imaginem reddere, aliqui obscuris verborum ambagibus involvere, aliqui tam restricte illius naturam pingere studuerunt, ut multiplices usurarias conventiones usuræ nota purgarent? Ego usuram definio *accessionem sortis debitae ex solo tempore*. Accessionis nomine jam olim usuram appellaverunt imperatores in leg. 12, cod. de usuris, et in leg. ult. in fine cod. de jure dot., ex quo statim colligitur, quam solido jure sub infamiæ pœna constitutum fuerit, nequis usuras usurarum exigeret, leg. 20, cod. ex quib. caus. inf. irrog., leg. 29, ff. de usuris, l. 26, § 1, ff. de condict. indeb., cum regula sit, accessionis nullam esse posse accessionem, l. 15, ff. de usur., l. 9, ff. de magistrat. conven., l. 2, § 5, ff. de adminìst. rer. ad civit. pert., l. 51, § 1, ff. de petit. hered. Dixi *sortis debitae*; quamquam enim apud plures invaluerit opinio, qua tantum in contractu mutui, sive in rebus, quæ numero, pondere, ac mensura consistunt, functionemque recipiunt in genere suo, usuras admitti tradiderunt, alio tamen nos trahere debent innumera, quæ prostant, romani juris monumenta, apertissime demonstrantia, ad universos prope contractus, imo et quasi contractus, dixerim amplius, ad executiones ultimarum voluntatum, sive legatorum, et fideicommissorum morosas præstationes, usuras accedere. Non ecquidem ignoro, ejus opinionis patronos dicere consuevisse, mutuum duplex esse, expressum unum, tacitum alterum, quod virtuale theologi quidam appellaverunt, ac propterea, cum intuerentur in variis hominum actibus usuras revera posse versari, in omnibus tacitum quoddam mutuum, seu virtuale, contractum finxerunt, ubi ex. gr. emtor usuras spopondisset necdum soluti pretii venditori, et similibus in casibus, quasi fingendum sit, pretium fuisse solutum ab emtore, et solutam pecuniam iterum ad emtorem reversam fuisse titulo mutui. Exinde autem nihil aliud meo judicio colligitur, quam de verbis tantum, non de re disputari, ac propterea me simplicius rem explicaturum, dum late usuras per varias contractuum species vagari profitear. At enim admisso tacito, ac virtuali mutuo, obsisteret æqua juris ratio; propterea quod exinde proficiscerentur, ut ex. gr. in damnum venditoris actio ex venditio ad exigendum rei venditæ pretium, quæ est bonæ fidei, pereat, et loco illius condictio certi ex mutuo tacito, seu virtuali nata, quæ nonnisi stricti juris esset, substituatur, et generaliter eveniret, ut simplicitas contractuum, et actionum universarum exinde proficiscentium tot jureconsultorum vigiliis, et laboribus in lucem perspicuam edita, commentitiis figuris offundatur. Postrema definitionis verba *ex solo tempore* turpitudinem usuræ demonstrant in eo consistentem, quod creditor non alia de caussa amplius sibi solvi, et ultra debitum postulet, quam quia tempus aliquod a die contractæ obligationis ad diem solutionis præterlabatur. Quod quicumque considerat, statim intuetur, longe differre usuræ petitionem a petitione illius, quod interest, quemadmodum adnotavit Pomponius in l. 60, ff. pro socio; etenim id, quod interest, non intime sorti cohæret, aut a sorte pendet, sed aliunde obvenit, videlicet ex certis adjunctis, in quibus creditor ipse versatur. Quid enim ex. gr., si venditor rei fructiferæ rem venditam tradat emtori ea lege, ut quousque emptor non solvat pretium, annuam præstet pensionem fructibus respondentem? Quid, si maritus dotis promissæ non datæ

vice dotalium obventionum annuum quid, vel menstruum quantitatem legitimam non excedens postulet? In his, et in similibus casibus nulla usuræ nota inuretur, quod non usuræ, sed ejus, quod interest, persecutio conceditur, cap. 16, de usuris. Eadem ratione Alexander III, ab usuræ nota liberavit eum, qui certas merces carius vendidit ob dilatam solutionem in illud tempus, quo pretium rei augeri solet, alias eo tempore non contracturus, dummodo fides bona interveniat, cap. 6, eod. tit. Præterea qui verba illa definitionis considerat, facile intelliget, sub usuræ nomine non venire certas pœnas abs jure præstitutas, quamquam alias quandam usuræ speciem præseferre videantur, eamque ob rem improprie usuræ appellari soleant. Species proponitur in tutore, qui pupillarem pecuniam in suos usus convertit, aut in administratore pecuniæ publicæ, quam suam faciat, siquidem aut pupilli, aut reipublicæ nomine præter pecuniam debitam aliquid amplius petitur instar usurarum, quod tamen proprie usura non est, sed pœna perfidiæ a lege imposita, l. 38, ff. de negot. gest., l. 7, § 8, l. 46, § 3, ff. de administ. et peric. tut., l. 9, § ult. ff. admin. rer. ad civit. pertin., l. 5, cod. arbitrium tutelæ, l. 1, et sequentibus cod. de usuris pupillaribus, quemadmodum qui furtum passus est, civiliter agens adversus furem ex disciplina juris justinianei sine usuræ vitio duplum, vel quadruplum præter rem furtivam pœnæ nomine consequitur, l. 50, ff. de furtis, jungi etiam possunt §§ 23, 24, 25, 26 et 27, instit. de actionibus. Eadem ratione nullam usuræ turpitudinem invenio in specie legis 3, § ult., ff. de annuis legatis, cum testator certam quantitatem legaverit, et quoad præstetur, in singulos annos certum aliquid; id enim non usuras, sed *velut usuras,* Ulpianus recte nominat, quod partim ex liberalitate testatoris in legatarium, partim ex pœna a testatore indicta adversus gravatum tardius contra mentem testatoris solventem, recta profluit, non ex una temporis tarditate, quod etiam post Justiniani constitutionem in l. un. cod. de his quæ pœnæ nomine valeret in legato relicto pœnæ nomine. Uno verbo inter hanc, et præcedentes species nihil aliud interesse videtur, quam in prioribus pœnam exhiberi legibus propositam, in posteriore pœnam adparere indictam a testatore.

Sic explicata germana usuræ natura, jure concluditur, illam et naturali, et divino, et ecclesiastico, et civile jure improbari. Ut demonstrarent, jus naturale ab usuris abhorrere, nonnulli tradiderunt, maxime repugnare, ex pecunia suapte natura infructifera fructum percipi; item repugnare, fructus capi ex re aliena, qualis est pecunia credita, cujus dominium non creditoris est, sed debitoris. Sunt ista nimis subtilia argumenta, in quorum adspectu tantum liquet, eos, qui usuras oppugnarunt, nihil omisisse studii, ut easdem insectarentur. Interea tamen illa facili negotio diluuntur, et primum quidem, si dicatur, fructus naturales maxime distingui oportere a civilibus, et pecuniam talem quidem esse, quæ natura fructum non pariat, civili tamen ratione et ipsam fructum edere, si exerceatur; alterum, si dicatur, usuras a creditore peti non tanquam fructus rei creditæ in alium translatæ, sed tanquam præmium dilatæ solutionis, sive tanquam præmium creditoris, patientis per certum tempus se pecunia sua carere, quæ sane a patronis usurarum passim adferri in hanc rem solent. Itaque aptiora, ac solidiora producenda sunt argumenta. Et quidem in primis observo, per usuras æquitatem, quæ contractibus omnibus inesse debet, lædi, dum pro minore credita quantitate sine caussa major in debitum venit, l. 206, ff. de regul. jur. Et quando officia inter homines natura ipsa ciet ita, ut quod nobis non obest, alteri gratiose præstemus, officia eadem hujus generis incivile est certo pretio æstimari. Deinde observo, receptis usuris fraudem fieri commerciis utilibus inter homines ineundis, sive quod divites usurarum spe illecti ceteris contractibus, et proficuis artibus vale dicerent, soli mutuo ad patrimonium amplificandum intenti, sive quod inopes ad usurarum præstationem obstricti brevi facultatum jacturam facerent universarum, exinde autem proficisci, ut humana societas evertatur, et, solis demptis exactoribus usurarum, ceteri ad extremam egestatem redigantur. Observo denique, naturam ipsam ab hominibus in societate positis postulare, ut industria sua, non otio, non desidia, nec sola inerti expectatione temporis rebus suis, atque utilitati familiari consulant, unde romani nunquam passi fuerunt, ex solo tempore obligationem induci, aut jus adquiri. Ecquis porro non videat, ita a natura comparata esse prædia, ut diligenti cultura fructus domino pariant, ita naturam acuisse hominum ingenia, ut editione rerum novarum sua omnia promoveant, ne alias per otiosam vitam vitia quæque foveantur, et latissime serpant? Hæc reipublicæ incommoda ex usurario fœnore veluti e radice derivant, quando scilicet qui certas pecuniæ summas nacti sunt, eas credendo sub usuris dum otio torpent, ab iis, qui laborant, fructus percipiunt, non de alia re solliciti, quam de exigendo, et quidem eam pecuniæ quantitatem, quæ, sicut ab initio pactum est, certa perpetuo manet, sine ulla diminutione, ut sine ullo sortis periculo. Istæ rationes fuerunt, quibus experientia accedente didicerunt et philosophi, et legumlatores tantam luem detestari, et, quoad fieri posset, e republica eliminare, uti deduci po-

test ex novella Justiniani 82, in principio, ex Julio Cæsare, lib. 3, de bello civili, ex Plutarcho in quæstionibus rerum græcarum, et in Lucullo, ex Aristotele in lib. 4, ethicorum, cap. 1, atque, ut alios bene multos omittam, ex Seneca in lib. 7, de beneficiis ita scribente: *Quid fœnus, et calendarium, et usura, nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina?* Divino præterea jure seu veteris, seu novi testamenti proihibitas usuras esse testatur Alexander III, in cap. 4, de usuris, qui sane respexit ad caput 25, Levitici vers. 36, ad caput 23, Deuteronomii vers. 19, ad psalmum 14, vers. 5, ad psalmum 54, vers. 12, ad psalm. 71, vers. 14, ad caput. 18, Ezechielis, vers. 13, ad c. 5, lib. 2, Esdræ vers. 7, et ad caput 6, Lucæ vers. 32 et sequentibus. Quid adjiciam juris ecclesiastici monumenta perenni sanctorum patrum in unam eandemque semper sententiam coeuntium traditione firmata, ut demonstrem, usuras eodem jure damnari? Vel unus liber Ambrosii de Tobia quæstionem universam conficeret. Plura quoque extant apud Gratianum in caus. 14, quæst. 3, et in toto titulo de usuris apud Gregorium IX, apud Bonifacium VIII, et recentiorum collectionum auctores. Nomine civilis juris non solum intelligo saluberrimas recentioribus sæculis editas a Christianis principibus leges, quales apud nos habentur in lib. 4, tit. 34, cap. 14, regiarum constitutionum, aut quales continentur in capitularibus Francorum, quibus media ætas regebatur, et quæ passim fœneratitias pactiones detestantur; sed ipsum vetus jus romanorum quale apud nos superest ex justinianea collectione, in quo nihil extat, quod usurariam præstationem probaverit.

In hoc sane romano jure passim judicatum est, ut multum laboris, et industriæ impenderetur, siquidem patroni usurarum in eodem putaverunt invenire se posse tutum opinionis suæ præsidium. Qui adversus usuras pugnant in conspectum legum romanarum, in varias partes distracti sunt. Fuerunt quidam, qui adnotarunt, in jure romano, si non omnino ob improbitatem avarorum hominum deleri usuræ potuerunt, omnes tamen conatus adhibitos adparere, ut intra certos terminos coercerentur, quos nemo transgrederetur, quasi Quirites contenti fuissent graviora damnare, insuper habitis levioribus, eadem fere ratione, qua generaliter cautum est, in emtione, venditione æquali pretio rem venditam appendi oportere, alias autem contractus illos damnari, pœnis legitimis subjici non expedire judicatum est, in quibus non gravis esset justæ æstimationis excessus, l. 8, cod. de rescind. vendit. Mihi sane, ut verum fatear, ad has incitas redigi argumentum minime placet, ut usuræ permissæ, non probate romano jure dicantur, exemplo pretii, quod rei venditæ æstimationem paullisper excedat; etenim in pretio rerum utpote admodum vago, nec satis certe definiendo, non eadem lance uti quisquam posset, qua uteretur in restitutione certæ quantitatis in obligationem deductæ, cujus definitio liquida est, et nullius est arbitrio obnoxia. Eo minus mihi placere potest injuriæ plena illorum opinio, qui scribere non dubitaverunt, usuras Quiritium jure probari, insuper autem habendum esse jus illud, quod in hac parte divino, et ecclesiastico (addere potuissent, naturali) juri adversetur. Non id est æqui boni facere sollicitudinem illam non mediocrem, qua curaverunt romanarum legum conditores, ut, quoad fieri posset, usuraria cupiditas coerceretur. Quidquod enim sæpe ac sæpius rescripserunt illi, usuras utut minusculas et legitimam quantitatem non excedentes, nonnisi post moram deberi, imo nec aliquando sufficere quamcumque moram, sed tum demum, cum secuta fuisset judicialis interpellatio? Quidquod in contractibus stricti juris usuras utut minusculas non deberi, pluries decretum est, nisi pactum, aut stipulatio contractui adjecta fuisset, quamquam in contractibus bonæ fidei arbitrio judicis ad resarciendum probabile creditoris damnum rigor juris relaxaretur? Secernatur id, quod interest, ab usura, et quoties romanæ leges a creditore peti tantum posse, quod ejus intersit, stabilivisse dicantur, romanas ipsas leges a quacumque iniquitatis nota vindicabimus. Quis dubitat, creditorem persequi posse sine usuræ vitio, quod sua interest, quod interea caruerit ea quantitate, quæ sibi debetur, et quam si habuisset, aut damnum evitasset, aut lucrum percepisset? At vero quod interest, quis facile definivisset generali regula ob multiplices negotiorum, personarum, ac temporum qualitates? Quod si locus in singulis quibusque caussis dandus fuisset probationibus in judicio edendis, inhumanum, aut incivile saltem videretur, creditorem illis obnoxium facere, quæ in hac parte admodum arduæ forent, et quibus nemo experiretur, nisi pandendo secreta domus, et rei universæ familiaris; inhumanum alia ex parte videretur contra debitorem ex versutia creditoris id, quod interest, adeo late extendi, ut miserum in modum debitor obrueretur ex sola allegatione creditoris, quemadmodum deduci potest ex l. un. cod. de sententiis quæ pro eo quod interest. Non salubrius profecto consilium in his rerum humanarum adjunctis capere decuit prudentissimos legumlatores, quam ut certa annua quantitas sub usuræ legitimæ nomine definiretur, ad id, quod interest, determinandum, quasi tantundem, nec amplius, interesse creditoris ut plurimum præsumeretur. Æquissimas legum

sanctiones sequi debuerunt; publici magistratus, conscientiæ creditorum relinquentes, ut, si revera nihil ipsorum interesset, a petendo indebito abstinerent, quemadmodum revera abstinere jusserunt eos, qui usuras per longum tempus non petentes, facto nihil sua interesse demonstraverunt, l. 17, § 1, ff. de usuris. Hæc romanarum legum interpretatio primum ex eo probabilior redditur, quod, uti prænotatum est, in contractibus bonæ fidei facilius, quam in contractibus stricti juris, usuris locus concederetur, quod videlicet in prioris generis contractibus frequentius interesse soleat creditoris, non differri solutionem; secundo ex eo, quod modo centesimam usuram, quæ erat omnium maxima, modo centesimæ usuræ trientem, modo quincuncem, modo semissem singulis mensibus solvi potuisse, vel debuisse sciamus, quod non alia de caussa variis vicissitudinibus obnoxium esse decuit, nisi quod variæ essent temporum et commerciorum vices, ita ut modo magis, modo minus interesse potuerit creditorum, sortem sibi debitam consequi.

In conspectu saltem divinorum præceptorum, et perennis patrum ecclesiæ traditionis, nemo ex iis, qui christiani nomen sibi vindicaturus sit, tantum audere posse videtur, ut usurarios quæstus non doceat evitandos. Verum græci schismatici primum docuere, quodcumque lucrum ex caussa etiam mutui jure percipi posse. Eos secutus Calvinus ad cap. 18. Ezechielis tradidit, ex mutuo usuras, peti posse, dummodo non agatur de usuris immodicis, nec ab inope exigendis. Carolus Molinæus in tractatu de usuris postquam usurarium fœnus non contra justitiam, sed contra charitatem exerceri statuerit, tres hominum mutuo accipientium gradus distinxit; videlicet pauperum emendicata stipe viventium, quibus non mutuum, sed elemosyna danda sit; indigentium, quibus cum facultas sit certo tempore restituendi, concedatur mutuum sine usuris: et divitum, præsertim mercatorum, qui ex acceptione mutui facile patrimonium suum amplificant, a quibus usuræ recte petantur. Usurarium hoc systema, quo tota usuræ improbitas consideratur respectu illorum, quibus pecunia creditur, nulla habita ratione credentium, plurimi ex hæreticis, scriptoribus patrocinati sunt, inter ceteros Claudius Salmasius in libro de usuris, et in libro de trapezitico fœnore, utinam autem eisdem nemo ex catholicis subscripsisset. Istorum omnium argumenta speciosiora paucis expendamus. Ajunt in primis, ex datione mutui mercatoribus facta sub usuris publicam commerciorum utilitatem augeri, quatenus divites mercatores acceptis mutuis ingentiorem mercium copiam adferunt, quos æquissimum sit, trientem ex. gr. usurarium solvere, dum ipsi ultra centesimam lucrari commode possunt; ac propterea nonnisi temere improbari contractum, qui et publicæ rei, et utrique ex contrahentibus emolumentum adferat. Insuper addunt, permisso usurarum lucro, occasionem locupletibus exhiberi, ne otiosam pecuniam, et thesauri instar delitescentem possideant, unde avaritia foveatur. Usum quoque pecuniæ pretio æstimari debere tradunt, cujus rei argumento utilem esse ususfructus in numerata pecunia constitutionem ex romanis legibus demonstrant. Sunt præterea, qui dicunt, in mutuo dominium non transferri, eamque ob rem non repugnare, ut creditor e re sua fructus percipiat, quasi sub nomine mutui videatur quædam contracta pecuniæ locatio; alii autem, licet fateantur, transferri dominium rei mutuo concessæ in debitorem, eo ipso concludunt, quasi emtionem venditionem emergere, ita ut creditor jus emisse videatur certam quantitatem statuto tempore exigendi, et interea certas usuras. Quod si æqualitas dati et accepti semper esset servanda, observant ipsi, actum esse de commercio, et de mercatura inter homines, cum nullus sit negotiator, qui tanti vendere rem venalem expositam velit, quanti ipse emerit. Quid plura? Nec sacrarum ipse literarum monumentis, nec patrum ecclesiasticorum doctrinis parcunt. Proferunt in medium caput 23, Deuteronomii, in quo, licet vetitum Judæis fuerit, ne fratribus pecuniam ad usuram darent ob singularem, et mutuam inter judæos, quasi in eadem familia arctissima necessitudine junctos, exercendam charitatem, permissum tamen adparet, ut ab alienis, sive ab extraneis usura peteretur. Proferunt parabolam evangelicam Matthæi, cap. 15, Lucæ cap. 19, in qua objurgatus est servus a domino, quod pecuniam usuræ caussa nummulariis non concessisset. Explicant verba Christi Domini, Lucæ, cap. 6, *Mutuum date, nihil inde sperantes*, quasi consilium exhibeant ad perfectionem, non præceptum ad necessitatem salutis. Denique sanctorum patrum dicta appellant populares declamationes, sive homilias ad abusus suorum temporum accommodatas, quibus avocarentur avari homines ab exigendis usuris gravissimis, aut a pauperibus, et indigentibus, quasi sancti illi viri plus dixissent in æstu concionis, minus ab audientibus intelligi voluissent.

Prolixa nimis, et propemodum infinita disceptatio fieret, si aggrederer in præsentia singula hæc avarorum effugia, eademque accuratissima oratione refutarem. Opus esset in hanc rem integra tractatione, qualis tamen meo proposito minime congruit. Sunt eximii viri, qui hoc opus aggressi id egregie perfecerunt, quorum operam huc traducere supervacaneum est. Ne vero id tacitus omnino præterire videar, dum generaliter dicam: primum est, nullum esse ex modo objectis,

quod sancti ecclesiæ patres et apertissime, et validissime non confecerint. Cur igitur post confutatas a viris sapientissimis ratiunculas istæ iterum in medium proferantur? Id eo tutius observari oportet, ubi agitur de sacrarum literarum interpretatione; cum enim Verbum Dei scriptum ubi in obscuro adhuc delitescere videatur, illustrari debeat ex traditionibus patrum, quæ passim appellantur. Verbum Dei traditum, quid conari quisquam possit eam interpretationem affingere divinis literis, quæ interpretationibus patrum adversetur? Alterum est, nullum esse ex modo objectis, quod eadem ratione non commonstret, aut immodicas, aut ab indigentibus exigi usuras posse, quando tamen ex adversantium sententia et modicas, et a divitibus præsertim ex mercaturæ exercitione usuras exigi posse probatur, quemadmodum facile unicuique consideranti patebit. Quæ objiciuntur de retentione dominii in mutuo, de facta quadam pecuniæ locatione, et conductione, vel de emtione annuæ pensionis, de usu pecuniæ pretio æstimabili, de utilitate, et mutuantis, et mutuatarii, æque locum obtinent, sive usuræ intra modicam quantitatem contineantur, sive istam excedant, sive usuræ a divitibus, sive ab indigentibus exigantur. Paucis etiam adjicio, primo falsum esse, usurarias pactiones cum mercatoribus initas utrique contrahenti utiles esse: licet enim forte ex prospero quodam eventu id quandoque contingat, fere semper tamen debitor in periculo est, quando creditor de lucro certus exultat; neque patitur æquitas, contractum celebrari, ex quo quis lucrum certo sit reportaturus, alter tantummodo damnum, ita ut etiam quo casu damnum in sorte contingit, semper ex parte unius ex contrahentibus lucrum esse debeat; secundo, alias esse rationes præter mutuum usurarium, quibus occurratur avaritiæ hominum, ne otiosam pecuniam in arca retineant, quales essent emtionum, et societatum contractus æquissimi, quos sane, utut valde utiles reipublicæ de commerciis sollicitæ, abolere student, quicumque probant usuras in mutuo; etenim homines anteferunt certum lucrum incerto, ubi præsertim nihil operæ, nihil laboris sit impendendum. Caveant autem qui ita ratiocinantur, ne dum horrent otiosam pecuniam, otium provehant personarum; nemo enim magis otio torpet, quam qui sub usuris ingentem pecuniarum sortem alicui credidit, securus perennium fructuum, etiamsi nullam prorsus industriam adhibeat; tertio usum pecuniæ aliquando quidem pretio æstimari posse, id tamen proficisci ex extrinsecis adjunctis vel lucri cessantis, vel damni emergentis, uti pragmatici loquuntur, non ex mera pecuniæ detentione, quæ una propterea usurarias pactiones licitas minime reddit, aut excusat; quarto non esse ferendam opinionem, qua tradatur, in mutuo non transferri dominium, quæ sane opinio formam contractus et gentium et romano jure exhibitam vitiaret; frustra autem venditionis emtionis speciem fingi posse, cum inter unum, alterumque contractum plurimum discriminis intercedat; quod in præsentia solertius investigare, nihil aliud esset, quam jurisconsultorum egregiorum commentaria in hunc locum adferre, qui hanc rem elegantissime æque ac solide demonstrarunt. Quid inde sunt ista, quam quædam pudenda ad elegantiam picta fraudis, et avaritiæ simulacra? Quinto, plurimum differre inter varias negotiationum species, et pecuniam creditam; neque enim quod inter illas plus exigere liceat venditori, quam emerit, licebit, etiam mutuanti plus exigere, quam mutuo dederit. Utar in hanc rem verbis Chrysostomi in homil. 38, ad cap. 21. Matthæi ibi: *Mercator dat rem, ut jam illam non repetat; iste autem, postquam fœneravit, et sua iterum repetit, et aliena tollit cum suis.* Tradit deinde Chrysostomus idem, abuti usurarum patronos exemplo locationis conductionis ita prosecutus: *Adhuc dicit aliquis, qui agrum locat, ut agrariam recipiat, aut domum, ut pensiones recipiat, non est similis ei, qui pecuniam dat ad usuram? Absit. Primum quidem, quoniam pecunia non ad aliquem usum disposita est, sicut ager, vel domus, sed ad pretium emendi, vel vendendi; secundo, quoniam qui agrum habet, arat eum et fructum accipit ex eo, similiter et qui domum habet, usum mansionis capiat ex ea. Ideo qui locat agrum, vel domum, usum dare videtur, et pecuniam accipere, et quodammodo quasi commutare videtur lucrum cum lucro; pecuniam autem si repositam in sæculo teneas apud te, nullum usum capis ex ea; tertio ager, vel domus utendo veterascit, pecunia autem cum fuerit mutuata, nec minuitur, nec veterascit.* Quod denique pertinet ad opposita sacrarum scripturarum testimonia, nihil aliud ego repono, quam eam adhibendam esse interpretationem, quam sancti ecclesiæ patres tradiderunt; isti enim sunt sequendi divini juris interpretes. Porro cum in Deuteronomio dicitur, usuram ab alienigenis peti potuisse, id eodem jure statutum est, quo licebat judæis in alienigenas bellum inferre, et alienigenarum bona occupare ex Dei rerum omnium supremi Domini mandato. Hæc interpretatio est Ambrosii in libro de Tobia cap. 15, ita scribentis: *Ubi jus belli, ibi etiam jus usuræ*; nec omittendum est, quod ait S. Thomas in 2, 2, q. 78, art. 1, ad 2, ita de judæis scribens: *Quod autem ab extraneis usuram acciperent, non fuit eis concessum, quasi licitum, sed permissum ad majus malum vitandum, ne scilicet a judæis Deum colentibus usuras acciperent propter avaritiam, cui dediti erant.* Præterea non sa-

tis aptum argumentum est, quod ex evangelica parabola deducitur, præsertim quod ibi qui usuras exegisset, *homo austerus* dicatur, *tollens, quod non posuit*, *et metens*, *quod non seminavit*. Quid aliud autem significare voluit Christus, quam se puniturum eos, qui otiosas animi dotes, et sine spirituali fructu inertes reliquissent? Item in illa evangelica institutione *mutuum date*, *nihil inde sperantes*, postquam evangelicum præceptum agnovere universi ecclesiastici patres, quos secutus est Urbanus III, in cap. 10, de usuris, locus minime superest aliis interpretationibus. Quod si sancti iidem patres vividius contra enormes usuras, aut contra usuras a pauperibus exigendas declamaverunt, non inde colligitur, usuras leviores, et exigendas a divitibus probavisse, quando passim demonstrantur universas detestati.

Hæc omnia generalia sunt, demonstrantia, omni jure improbari quodcumque lucrum supra sortem ex uno tardæ solutionis tempore exigendum. Ex quibus constat, lucrum supra sortem alia de caussa, quæ extrinsecus obvenit, accedens, nec usuræ nomine contineri, nec usurarum pœnæ subjacere, cum aliud sit, usuras, aliud id, quod ex quacumque caussa interest, persequi. Plane id, quod interest, ad duplicem caussam refertur, primo ad lucrum, quod amittimus, secundo ad damnum, quod patimur, leg. 2, § 8, in fine ff. de eo, quod certo loco, leg. 13, ff. rem ratam haberi, leg. un. cod. de sentent. quæ pro eo quod interest, dummodo de iis saltem ex gravibus conjecturis constet, quæ animum prudentis judicis movere facile possint, et debitor de eisdem certior fiat, quo tempore id, quod interest, in pactionem deducitur, ne debitori denegetur facultas prævertendi omne creditoris damnum festinata sortis solutione, mora quacumque sublata. Quæritur apud nostros, an usurarius censeatur contractus, quo aliquid ultra sortem exigitur ratione periculi sortis a creditore suscepti, quemadmodum usuvenit in pecunia trajectitia, leg. 1, et passim ff. et cod. de nautico fœnore. Videretur hæc quæstio definita a Gregorio IX, in cap. ult. de usuris, ubi tanquam usurarius ejusmodi creditor judicatur. Verum recentiores interpretes exinde contrarium potius deduxerunt, quod textum emendandum esse dixerint ita, ut pro illis verbis *usurarius est censendus*, legerint *usurarius non est censendus*; quam emendationem eo vel maxime probaverunt, quod ea posita aptius jungantur cum præcedentibus verba illa subsequentia: *ille quoque etc.* cum particula *quoque* idem dicendum fuisse in priore, quod dictum est in posteriore rescripti parte, suadere videatur. Si de fine, et caussa emendationis quæramus, forte æquissimam inveniemus; non enim videtur usurarius, qui aliquid ultra sortem stipuletur, quando sortis ejusdem periculo subjaceat. Verum nunquam ego eo adduci possum, ut temere, et contra omnium codicum fidem negativam particulam ex levissimis conjecturis adjicientes laudem, ac sequar, præsertim ubi commoda ratione possum gregorianum rescriptum interpretari. Optarem ecquidem, ut integra Gregorii epistola ad nos usque pervenisset, quæ tamen cum perierit injuria temporum, vix remanente ejusdem simili fragmento, nec facile jungendo, in cap. ult. de eo qui duxit, enitendum est, ut alia, nec adeo obscura via quæratur. Unum ego vidi MSS. vetustum codicem (extat in bibliotheca regii Taurinensis athenæi) in quo pro illis vulgatæ editionis verbis, *ultra sortem*, legitur *contra sortem*. Hæc similitudo vocabulorum errandi occasionem præbere potuit amanuensibus vel typographis, præsertim cum particula illa *contra* breviatis characteribus ita scribi soleret apud veteres *otra*, unde fieri potuit, ut litera c flecteretur in literam *u*, et lineola adjecta literæ c, quæ legendum suadebat *con*, præsertim quod lineola illa in oblongam figuram producebatur, flecteretur in literam *l*, et legeretur *ultra*. Si hæc lectio non contemnendo codice exhibita recipiatur, video, me difficultatem omnem evasurum. Susceperat quidem in se creditor periculum trajectitiæ pecuniæ, eaque de caussa fuerat stipulatus usuras, non tamen in eo constitit; nam quo casu pecunia periisset, non quidem tantundem in numerata pecunia, sed certam rem æqualis forte pretii sibi tradendam pecuniæ loco pepigerat, quemadmodum ego intelligo illa verba *contra sortem*. Quid sane mirum, si is usurarius censendus esset, quoniam verba tenus periculum pecuniæ se suscipere professus est, non revera suscepit, cum non abesse videatur ab eo pecunia, qui loco pecuniæ rem nos imparem sit adepturus? Quod si adhuc vulgatæ editioni insistere aliquis malit, non erit sine spe alterius commodæ interpretationis. Videlicet dicere poterit, tum demum habere locum ita conceptam Gregorii sententiam, quum creditor usuras generaliter stipulatus fuerit, etiam eo finito tempore, quo pecunia credita nulli amplius periculo fuisset obnoxia, ea ipsa in specie, in qua romani veteres locum amplius nautico fœnori non superesse scripserunt l. 3, ff. de naut. fœn. leg. 1, cod. eod. tit. Nauticum sane fœnus non debetur, nisi ratione periculi; quousque autem non subest periculum, veluti navi adhuc in litore consistente; aut cum periculum cessavit, veluti navi ad littus jam reversa, cessat fœnus: atque eam ob rem si creditor occasione quidem periculi usuras stipulatus est, sed voluit etiam sibi præstari respectu temporis, quo periculum aut necdum subiit, aut jam emensus fuit, usurarius est censendus. Fa-

teor, nihil adparere Gregoriano rescripto, ex quo hæc pactionis adjuncta colligantur: sed fatendum etiam est, nihil obesse, quominus hæc interpretatio affingatur; novum autem non est interpretibus ita in interpretatione fragmentorum consistere, ut, quando monumentum integrum non extat, et fragmentum videtur parum congruere regulis generalibus, ea fingatur species, cui juxta generalia juris dogmata sententia cohæreat.

Quum vero certos titulos contractui mutui extrinsecos non improbemus, quorum caussa aliquid supra sortem recipi licite possit, una necesse est monere, cavendum esse quam maxime, ne tituli ejusmodi aut commentitii sint, vel speciosa imagine sui ad illudendum legibus, aut judicibus ab avaro creditore accommodati; neque enim audiendus esset pecuniæ creditor, si diceret, se pecuniam in emtionem rei frugiferæ impensurum, se societatem cum extraneo initurum, et similia, quando revera nihil tale in animo haberet; quemadmodum nec audiendus esset, si diceret, se non mutuum sub usuris, sed venditiones, vel societates pactionibus adjectis cum debitore contrahere, quando revera nihil aliud versaret animo, quam effugia, quibus usuras tituli quomodocumque protegeret. Hujusmodi sunt, qui non mutuam pecuniam tradere se profitentur, sed emere sibi annuam pensionem solvendam, donec restituta pecunia redimatur: Hujusmodi sunt, qui vendunt aliqui rem certam certo pretio, adjecto pacto, ut vel statim, vel post certum tempus minore pretio venditoribus retrovendatur, qui contractus *Moatra* solet a moralis theologiæ cultoribus appellari. Hujusmodi denique, ut alios omittam, sunt, qui pecuniam societatis caussa conferunt, et negotiatori tradunt, duobus pactis adjectis, primo ut pecuniam exercens in se periculum sortis recipiat, concessa ipsi interea sperati lucri portione; secundo, ut idem pecuniam exercens pro incerto majore lucro, quo ex negotiatione speratur, certum annuum lucrum minoris quantitatis daturum se spondeat creditori, quam speciem theologi appellaverunt *contractum trinum*, quasi contractu societatis, et duabus contractui adjectis pactionibus coalescentem. Qui enim in his omnibus, aut similibus, facile non intelligat, simulato omnia geri, et revera nihil aliud agi, quam contractum mutui sub usuris.

Huc referendæ essent variæ illæ, quæ de censibus agi solent, disputationes. Quoniam vero earum definitiones, utut valde utiles, non ubique, et generaliter proferri commode possent ob diversa pontificum maximorum rescripta, diversos quoque provinciarum mores, diversa denique rerum judicatarum præjudicia, satis erit, si summa hujus materiæ capita attingam ad exhibendam quandam censuum imaginem, non ad singula exprimenda illorum veluti delineamenta, quæ potius apud pragmaticos consuetudinum testes unusquisque poterit investigare. Nomen census apud veteres varias habuit significationes; sed in proposito ad demonstrandas certas contractuum formas usurpari a recentioribus jureconsultis debuit, et quidem adeo multiplices, ut quæ conventiones sub eo vocabulo veniunt, non specie tantum longe differre, sed etiam genere videantur. Revera alium appellant censum reservativum, alium consignativum, et hunc modo realem, modo personalem. Reservativum vocant, quoties aliquo titulo ad dominium transferendum idoneo res quæcumque pleno jure conceditur, reservata vel concedentis, vel extranei gratia, certa in menses, vel in annos singulos præstationes. Hujus sane contractus disciplina non incognita veteribus fuit, quamquam non haberet ille speciale nomen, proindeque actione præscriptis verbis statuta pensio in jure postularetur, l. ult. cod. de rer. permut., juncta, l. 8, cod. de condict. ob caus. dat., neque alias ecclesiasticis constitutionibus improbata dici potest in conspectu, cap. 6, de religios. domib., etiamsi forte ageretur de re nec natura, nec civiliter fructifera, qualis esset pecunia numerata, dummodo in hac specie omnis obligatio certo tempore intereat, quemadmodum usuvenire solet in censibus ad vitam seu debitoris, seu creditoris constitutis, neque enim ulla in eo videtur esse usuræ suspicio, cum nulla fingi possit sortis debitæ accessio, ubi sors nulla debetur; quamquam non inficias iverim, damnari posse contractum quoties annua præstatio modum excederet, non quidem quod tunc usurarius esset, sed quod non servaretur æquitas, qualis omnia contractuum genera regere debet, ac moderari; quemadmodum nec inficias iverim, etiam damnari posse tanquam usurarium contractum, quoties pactum adjiceretur de sorte quandoque restituenda; quid enim aliud tunc esset in hoc pacto, quam simulatio quædam mutui sub specie emtionis venditionis? Alia indoles est census, ut ajunt, consignativi, qui non ex re a creditore concessa proficiscitur, sed modo ex debitoris persona, modo ex debitoris re constituitur, unde aut personalis, aut realis vocatur. Sane hujus contractus origo admodum recens est, et romani juris institutoribus prorsus incognita, argumento legis ult. § 1, ff. de contrah. emt. census personalis dicitur jus ex certa pactione proficiscens, cujus vi qui sortem accepit, personalem omnino obligationem contrahit in heredes etiam transferendam, in annos vel menses singulos certam præstationem solvendi, vel ad certum tempus, quo elapso sors restituatur, vel ad tempus indefinitum, quousque nimirum sors minime restituitur. Hanc census speciem, utut nonnulli putent impro-

batam tantum ex pontificiis recentioribus constitutionibus, proptereaque adhuc recipi posse in iis provinciis, in quibus eædem constitutiones promulgatæ non fuerunt, ego tamen arbitror, natura sua ab usuræ nota non esse alienam, proindeque, sicut ante constitutiones pontificias, ita et post illas etiam in provinciis, in quibus promulgatæ non sunt licitam haberi nullo modo posse; etenim sub ea contractus specie verum mutuum cum pactione usurarum celebratum esse perspicue intelligitur; quod adeo verum censeo, ut idem dicendum sit in censu, quem pragmatici vocant mixtum, seu partim personali, partim reali, quando nimirum censui personali accessit ad majorem contractæ obligationis firmitatem singularis alicujus rei hypotheca; siquidem ista accessio non immutat naturam personalis census, quemadmodum nec pactum hypothecæ bonorum contractui mutui adjectum naturam mutui, et personalem ex mutuo profectam obligationem personalem transformaret. Census consignativus realis definitur jus percipiendi certum annuum reditum super rebus alienis. Hujus contractus forma incognita etiam fuisse videtur romanis jureconsultis, nisi dixeris, eam quandoque apud illos adumbratam sub quadam specie usufructus, aut annui legati, l. 12, ff. de annuis legatis, l. 52, § 7, ff. de usu et usufr. leg. jungere etiam possum leg. 35, § 1, cod. de donation. Quum autem primum frequentari cœpit iste contractus, disputationes acres emerserunt inter jurisperitos, num omnino ab usuræ nota dicendum esset immunis. Sed post varias Martini V, Calisti III, Nicolai V, et Pii V, constitutiones dubitatio omnis evanuit, receptumque est, ut usuræ nota in contrahentes non inuratur; dummodo fraus omnis absit, et omnia ex bona fide gerantur. Quod ut eveniat, præ ceteris laudatus Pius V, anno 1568, 14, calend. februarii edita famigerata constitutione certas præstituit regulas, quæ tamen non in omnibus provinciis recepta fuit, imo neque in iis regionibus, in quibus observantur paratam in singulis articulis executionem invenit. Quicumque eam receperunt, his veluti fundamentis consignativi realis census materiam ponendam scripsere, nimirum tradentes, non aliter censum contrahi posse, nisi primo interveniat sincera pretii numeratio ab emtore facienda tempore contractus; neque enim sufficere visum est, novationem præcedentis alterius obligationis fieri, ne alias simulationibus locus aperiatur, et verbo tenus numerata pecunia dicatur, non revera numeretur; adeo ut si vel minima quantitatis in pactum deductæ portio desit, ob individuam rei gestæ naturam totus contractus irritetur, quod ipsum dicendum est, si integra pecunia soluta dicatur, sed monetæ numeratæ amplius pensæ fuerint, quam vulgo pendi consueverint: secundo, nisi census onus super re immobili, vel saltem quæ velut immobilis a legibus habeatur, quæque natura sua fructus, annuosve reditus, sive naturales, sive civiles possessori pariat, imponatur. Tertio, nisi bona censui supposita certis finibus circumscribantur, non generaliter designentur, eove minus obligentur universa alicujus bona, ita ut emtor annui census periculo subjacere debeat vel extinctionis, vel imminutionis annui ejusdem census, prout res supposita aut integra perit, aut imminuitur. Quarto, nisi liberum sit venditori quandocumque voluerit censum redimere restituta pecunia, et rem suppositam liberam facere, non e converso liberum aliquando sit emtori datam pecuniam repetere. Quoniam vero in laudata Pii V, constitutione mentio facta non fuit annuæ quantitatis, hanc moderari consueverunt singulares regionum mores, ac statuta; alicubi enim besses, ita dixerim, usuræ permittuntur; alicubi tantum semisses, quas excedere minime liceat quocumque prætextu, puta, quia emtor instrumenta contractus edi voluerit sumtibus unius venditoris, aut quia emtor stipulatus fuerit, annuam pecuniam repræsentari, aut quia emtor certa alia onera venditori imposuerit, quando tamen alias omnium hujusmodi onerum nulla habita ratio, aut compensatio fuerit in ipsa census constitutione. Non est omittendum, sicut gratia venditoris receptum est, ut res censui supposita possit libere vendi sine solutione laudemii, vel alterius quantitatis; item ut nequeat annuus census augeri ex caussa non soluti annui canonis, ne eo quidem prætextu, quod canones non soluti datæ ab initio sorti adcreverint, ita gratia emtoris receptum esse, ut cum res censui supposita venditur, emtor census habeat prærogativam, ut ceteris rem suppositam emturis præferatur, dummodo intra mensem ipse deliberet, et ad emtionem deveniat. Istæ autem censum leges non omnes vim æqualem perpetuo habent, cum plurimæ dicantur ad substantiam census pertinere, aliquot inter accidentia recenseantur, contra quas propterea si pactiones fiant, contractus, pactionibus tantum detractis, consistat, nisi rescindatur auctoritate judicis certis in casibus, in quibus graviores usurariæ voluntatis conjecturæ concurrant, præsertim cum pactiones non ex intervallo, sed ab initio adjectæ fuerint, aut cum jam fuerint executioni mandatæ. Frustra generali regula singula a singulis secernere laborarem, etenim forma contractus, uti superius adnotabam, plurimum pendet hodie ex variis moribus provinciarum, et in ea præcipuas partes habet prudens judicis officium, æstimaturi pro varietate adjunctorum: quid magis publicæ rei expediat, et cui semper illud præ oculis habendum est, ut juxta divinas, et ecclesia-

stitas leges obviam fraudibus usurariorum eatur.

Damnata etiam est usuraria fraus in fictis quibusdam permutationibus, aut translationibus pecuniarum, quæ *cambia sicca* pragmatici appellant. *Cambium* vulgo definitur permutatio pecuniæ cum moderato lucro Camsoris. Fit autem duobus modis, primo permutando pecuniam unius cum pecunia alterius speciei: secundo numerando in uno loco pecuniam, in altero loco restituendam: minutum illud vocatur, et manuale, istud locale, et per literas. Quamquam autem in utroque *cambii* genere camsori liceat intra certum modum aliquid exinde lucrari, non tamen id licebit, si contractus simulate geratur, quando ex. gr. qui pecuniam concedit, vere animum mutui contrahendi sub usuris haberet, quemadmodum nec in specie cambii obliqui, quam exhibet cardinalis de Luca, lib. 2, titul. de cambiis in summa parte 2, num. 16, et ex eo Benedictus XIV, in lib. 10, de synodo diœcesana, cap. 5, num. 8, hoc proposito exemplo: Titius indigens mille aureis, mutuo eos petit a Cajo, qui cum consueverit negotiari, et negotiatione pecuniam suam augere, renuit indulgere petitioni Titii, a quo ratione mutui nihil potest exigere: quia vero Titius Cajus urgere non cessat, res inter eos in hunc modum componitur: Titius mutuos accipit a Cajo prædictos mille aureos, neque, mutui caussa, quidquam se Cajo, ultra sortem, soluturum promittit: ut tamen Cajo damnum rependat, quod ex dato mutuo subit, dat ei facultatem, æquivalentem pecuniæ summam, sive a seipso, sive ab alio per cambii contractum accipiendi, eamque ad negotiationem destinandi, simulque Titius se obligat, ad solvendum Cajo, donec ei mutuum restituat, quidquid ratione cambii impendit, aut impendere deberet, si prædictos mille aureos a camsore accepisset. Quandoque etiam ipsemet Titius mutuatarius assumit sibi onus, cambiis negotiandi tantam pecuniæ summam, quantam mutuam accepit a Cajo, in commodum tamen, et utilitatem ejusdem Caji, cui quotannis solvit, quantum ex cambiis lucratur, aut lucrari posset, donec ei mutuum restituat. Sunt istæ ut plurimum usurariorum fraudes, quibus contractus mutui pallio quodam obducitur, ut honestum adpareat, quod inhonestum est, et ex turpi avaritia proficiscitur.

Ut pauperum hominum inopiæ opportunius consuleretur, neve alias illi ab avaritias mutuantium premerentur, pluribus in locis recentioribus sæculis erecti sunt *Montes*, ut vocant, *Pietatis*, quos inter loca pia jure recensuit concilium tridentinum sess. 22, c. 8, de reform., ex quorum institutione factum est, ut indigentibus pecunia crederetur, datis pignoribus, sub ea lege, qua si post certum tempus pecunia non restitueretur, venderentur pignora, ex quorum pretio pio loco satisfieret, residuum debitoribus concederetur. Quemadmodum vero laude dignissimi sunt horum Montium institutores, atque custodes, quoties debitores, nullam aliam contrahunt, quam restituendæ sortis obligationem, ita statim et sine discrimine damnandi erunt, qui ea lege in creditum iri ab indigentibus voluerunt, ut quousque non restituant, in annos, vel in menses singulos aliquid ultra sortem tribuant, nisi nihil esset, aut insufficiens, quod in alendos loci pii administros foret conferendum. Ceterum in hac re maxima opus est prudentia, ne forte contingat, quod probrum esset, sub pietatis specie usuris vacari. Hinc in multis provinciis receptum est, ut ne prætextu quidem administrorum alendorum aliquid ultra sortem exigatur inconsulta apostolica sede, quemadmodum refert idem Benedictus XIV, in dicto lib. 10, de synodo diœcesana cap. 5, num. 2.

PARS SECUNDA.

DE MODIS QUIBUS AB ECCLESIA REI CRIMINUM COERCENTUR.

DISSERTATIO PRIMA, ET PROOEMIALIS.

GENERALIA PRÆCEPTA TRADUNTUR DE MODIS, QUIBUS ECCLESIA UTITUR IN REIS CRIMINUM COERCENDIS.

Quos in officio minime continet virtutis amor, aut timor divinæ vindictæ, arcere juvat a maleficiis, propositis ab homine pœnis, quemadmodum ajebant patres aquisgranensis concilii anni 816, cap. 13. Provida mater ecclesia, quæ sicut solvendi, ita et ligandi facultatem a Christo accepit, tribus modi consuevit in malos animadvertere, primo pœnitentiis, secundo censuris, tertio pœnis, per quas, quasi per diversos, alios aliis terribiliores coercitionum gradus Deo simul, et christianæ reipublicæ satisfieret. Uti enim tres sunt delinquentium conditiones, quorum alii sincero dolore correpti sponte confitentur admissum, ad legitimam peccatorum expiationem sine fraude parati; alii contumaces corripienti ecclesiæ interea obsistentes, de quibus tamen necdum deposita est probabilis spes futurum brevi, ut resipiscant; alii denique pertinacissimi et pugnaces in crimine perseverantes, sublata probabili spe conversionis: diversæ similiter sunt eorundem coercendorum rationes. Adversus primos pœnitentiis, adversus posteriores censuris, adversus postremos pœnis regulariter ecclesia animadvertit. Dico regulariter: etenim aliquando, aut ubi horror gravissimorum quorundam criminum, aut ubi exterior politia rerum optime gerendarum asperiorem disciplinam postulare videtur, statim admissum crimen non pœnitentia solum, sed et censura, imo nec censura solum, sed etiam pœna persequitur, quamquam tunc pro bona pœnitentis adfectione, ad absolvendum deinde, vel dispensandum faciliorem se ac leniorem exhibeat.

Gradus isti fere ignoti fuerunt publicorum judiciorum, et meri imperii exercitoribus. Cum enim civiles magistratus ad regendam rempublicam præfecti, primum ratione delictorum non in levia quæcumque peccata, sed tantum in atrociora crimina animadvertere, legibus jussi sint; deinde ratione delinquentium personarum non tam corrigere reos, aut emendare, quam vindictam de admissis sumere ad satisfaciendum læsæ reipublicæ, et reparandam injuriam in rempublicam illatam, imo et ad occasiones avertendas, ne in posterum injuriæ similes in eamdem rempublicam inferrentur, ex officio debeant; satis est ipsis, si pœnas inferant, servato pœnarum modo pro scelerum, et adjunctorum qualitate, quin de ceteris solliciti sint. At ecclesiastica potestas, quæ homines dirigit ad Deum, eaque propter et notat leviora ipsa delicta, et erga conscios delictorum ita se gerit, ut expiet, quoad fieri possit, eorum animas, solvat laqueos, quibus illi intricantur, et eos emendet, atque sanctificet; debuit sane gradus illos universos ita constituere, ut non primum regulariter deveniretur ad pœnas, quam desperata esset emendatio, non primum deveniretur regulariter ad censuras, quam difficilis esset emendatio, imo et sæpe emendatio ipsa aut relinqueretur arbitrio reorum pœnitentiis sponte suspiciendis, aut auctoritate sacra indiceretur per pœnitentias a reis imploratas, tunc enim utilius videntur peccatores emendari, et vere eo animo, cum libentius peccata aut in se ipsi puniunt, aut flagitant, ut pie puniantur.

Id adeo verum est, ut quoties ecclesia, ita postulante regimine suo, hanc novam corrigendorum delinquentium formam exercere cœpit, ex vulgato loquendi usu non potuerit excerpere vocabula propria, et singularia, ac propterea debuerit certa nomina invenire, atque usurpare præter ingenitam eorundem significationem, ad designandos illos gradus, pœnitentiæ, censuræ, ac pœnæ. Siquidem pœnitentiæ nomen vi sua nihil aliud significabat, quam intimum mœrorem rei de crimine admisso, ecclesia autem hoc nomen recepit, ut indicaret varios peccatoris actus, quibus ipse

admissum in se puniat, atque castiget. Item censuræ nomen vi sua nihil alud significabat, quam publicam notam in personas, in res, in libros, derivato vocabulo a vetere romanorum censorum officio, qui in mores populi inquirebant, ecclesia autem hoc nomen recepit, ut indicaret quoddam ultionis publicæ initium adversus eum, qui contumax est ut emendari incipiat, crimen confiteatur, et expiet. Denique pœnæ nomen, quod significat quamcumque vindictam publicam, ecclesia usurpavit, ut indicaret eam vindictæ speciem, quæ suprema sit, et quæ tum demum inferatur, aut cum quis sit pugnacissimus, de cujus conversione vix spes supersit, aut cum adeo enormia scelera sint, ut in puniendo reo expediat horrere ceteros, vehementerque terreri. Hinc profecto intelligitur, quare identidem videmus pro his alia nomina usurpata. Pœnitentiam non semper pœnitentiam appellaverunt; aliquando enim dixerunt satisfactionem, can. 3, de pœnit. dist. 3, Gratianus in principio dist. 1, de pœnit., aliquando redemtionem peccatorum, can. 76, de pœnit. dist. 1, modo, dolentis vindictam, can. 4, de pœnit. dist. 3, modo reconciliationem, canon. 10, de pœnit. dist. 3, expiationem, secundum baptisma, vel secundum post naufragium tabulam, conversionem, confessionem peccatorum, spiritum lenitatis, et similia, canon. 34, 41, 46, 58 et 72, de pœnit. dist. 1, can. 12, de pœnit. dist. 3. Censuram non semper censuram dixerunt, sed modo canonicam districtionem, modo canonicam ultionem, modo nervum ecclesiasticæ disciplinæ, modo felicem mucronem, modo medicinam, et similia, quemadmodum inferius suo in loco demonstrabitur. Pœnam non semper pœnam nominaverunt, sed modo districtam ultionem, modo gladium spiritualem, modo ferrum putridas carnes secans, et similia, sicut inferius tradendum erit. Insuper ex positis principiis intelligitur, quare identidem nomina pœnitentiæ, censuræ, et pœnæ promisque usurpentur, ac modo pœnitentia dicatur, quæ est censura, vel pœna; modo censura, quæ est pœnitentia, vel censura. Etenim improprie et late pœna dicitur, quodcumque spiritum angit, et cruciat, et certis bonis privat, quod de pœnitentia etiam ac censura dici potest; pœnitentia improprie dicitur de eo, quem pœna tenet, derivata hac significatione ex notatione nominis, juxta canonem 4, de pœnitent. dist. 3, quod et censuræ et pœnæ facile accomodatur, censura dicitur de eo, qui alicujus coercentis jurisdictioni subest notandus, argumento canonis 10, caus. 2, quæst. 1, quod de pœnitentia a sacerdotibus imposita, ac de pœna dici æque potest can. 17, caus. 12, qu. 2. Revera in cap. 2, de maledicis, quæ proprie pœnitentia est, pœna etiam nominatur; apud Augustinum in can. 81. de pœnitent. dist. 1, in can. 4 et 7, de pœnit. dist. 3 et apud toletanos patres in can. 27, caus. 27, quæst. 1, pœnitentia appellatur pœna, imo et toletani patres in can. 13, dist. 12, pœnitentiam nominant censuram. Quidquod Gratianus initio quæstionis 6, caus. 26, pœnitentiam sacerdotali auctoritate indictam excommunicationem appellare non dubitavit, seu, quod idem est, pœnitentes dixit excommunicatos, quando tamen excommunicatio inter censuras recensetur? Quidquod in canon. 32, de pœnitent. dist. 1, pænitentia ultro suscepta dicitur *voluntariæ excommunicatio*? Quidquod in cap. 9, de celebrat. missar., et in cap. 1, de sentent. excommun. in 6, ut alia multa juris monumenta prætercam, suspensio, quæ sane censura est, pœnæ vocabulo nuncupatur?

Si quæratur, quid caussæ fuerit, cur hæc nomina identidem confunderentur, dicam libere, pœnitentias, censuras, et pœnas gradu potius, quam specie differre, eamque ob rem idem coercitionis actus modo pœnitentia esse potest, modo censura, modo etiam pœna. Si proprie loqui velimus, pœnitentia sita est in certis piis operibus a peccatore aut sponte susceptis, aut voluntarie ab ecclesia impetratis, can. 85 et 86, de pœnitent. distint. 1, puta jejunio, eleemosyna, certis orationibus, peregrinationibus, abstentione a certis, iisque nobilioribus christianæ communionis juribus, aliisque similibus. Quis inficias iverit, in his etiam posse censuram, pœnamve consistere? Quoties ex. gr. quis jubetur abstinere ab eucharistica communione usque in finem vitæ, erit pœna, ut in can. 12, dist. 28, can. 10, dist. 50, quamquam si ad certum tempus abstinere debeat, pœnitentia esse possit, aut censura, prout aut in contumacem fertur, aut volenti et acceptanti indicitur, can. 55, de pœnitent. dist. 1. Item proprie loquendo censura dicitur excommunicatio, suspensio, et interdictum. Quis inficias iverit, etiam in his aliquando esse posse pœnam, vel pœnitentiam? Quid enim, si quis excommunicetur, aut suspendatur ad tempus determinatum uti in can. 2, dist. 34, can. 9, dist. 35, nonne tunc aut pœnitentiæ pars erit, aut forte etiam pœna? Quid, si quis excommunicetur post mortem? Nemo tunc dubitare potest, quin hæc excommunicatio proprie pœna sit, quando non ideo ferri potest, ut excommunicatus terreatur, et demisse ad unitatem ecclesiæ revertatur. Hæc ratio est, quare passim apud nostros Scriptores, sive canonum interpretes, sive pragmaticos legimus, ferri quandoque censuras per modum pœnæ, vel pœnitentiæ, certaque discrimina adsignari inter censuram proprie dictam, et censuram, quæ vix habeat censuræ speciem, et revera sit pœna, vel pœnitentia. Ita evenire passim solet, ubi vocabula propria, et singularia unicuique rei explicandæ inventa non sunt, eaque usurpata

quæ analogiam quandam haberent, et quæ loquendi usu coerceri debuerunt ad certas rerum species, licet per se multis convenire possent, atque accommodari. Exinde ego puto, emersisse gravissimas illas difficultates, in quas incidere consueverunt, quicumque de censuris scripsere, imo et hodie passim incidunt, quicumque hanc materiam versant in conspectu canonum, propterea quod grave admodum est, et laboris improbi plenam, præsertim in antiquis canonibus, secernere species a speciebus, pœnamque a pœnitentia, et censuram ab utraque distinguere, ob promiscuam, quæ identidem occurrit, nominum usurpationem.

Interest sane hanc rem, quoad fieri potest initio perspicuam facere, ut plana via sternatur ad intelligenda ea omnia, quæ sive de pœnitentiis, sive de censuris, sive de pœnis in sequentibus dissertationibus tractabuntur. Id non aptius, et meliore methodo fieri posse censeo, quam si duo observentur generalia quorum primum est investigare, in quo invicem conveniant pœnitentia, censura, et pœna; alterum est inquirere, in quo invicem distinguuntur. Itaque seu pœnitentia, seu censura, seu pœna, in eo conveniunt singulæ, in primis, quod omnes supponant delictum admissum; secundo, quod omnium absolutio, remissio, vel dispensatio potest esse reservata superiori prælato, vel non reservata, quemadmodum in singulis suo loco demonstrabitur; tertio, quod æque pœnitentiæ, censuræ, et pœnæ in personas privatorum, ac in universitates, et collegia inferri possint. Quædam etiam sunt, in quibus pœnitentia, et censura conveniunt invicem, et distinguuntur a pœna; item censura, et pœna conveniunt invicem, et distinguuntur a pœnitentia: denique pœnitentia, et pœna conveniunt invicem et distinguntur a censura. Conveniunt invicem pœnitentia et censura, et distinguntur a pœna in eo, quod pœnitentia, et censura indicitur, ut facilius reus convertatur, vitiaque declinet, pœna vero locum habere soleat, ubi vix ea spes subsit, nisi agatur de pœna inflicta ob gravissimi cujusdam criminis atrocitatem ad terrendos facinorosos homines, ne similia moliantur. Item conveniunt pœnitentia et censura, et distinguuntur a pœna in eo, quod cum per pœnitentiam, aut censuram certis juribus ecclesiasticis reo interdicatur, eadem jura non penitus evellantur, tantum impediatur exercitio: aliud contingit in pœna inflicta, qua si certa jura sacra auferentur, eadem funditus, atque, ita dixerim, radicitus extirpantur, dummodo talia sint, quæ evelli possint. Adjicio hanc exceptionem, ut indicem, depositionis, seu degradationis pœnam ideo non auferre sacerdotalem ipsum ordinem, quia character semel in anima impressus nec unquam amitti, nec quacumque hominis auctoritate deleri valet. Conveniunt invicem censura et pœna, et distinguntur a pœnitentia, quod censura, et pœna ut plurimum ferantur in contumaces, nisi atrocitas gravioris alicujus criminis postulet, ut non perfecta contumacia quis statim censura, aut pœna notetur; pœnitentia autem inducitur volenti, et ad obtemperandum parato; imo et censura ipsa vel pœna ubi in volentem, et paratum ad obtemperandum infertur, aut etiam ubi lata sit in invitum, qui deinde libenter eam sustineat in expiationem admissi, censuræ, pœnæve nomen et qualitatem amittit; et verius pœnitentia appellatur. Hujus rei argumento est, quod anathema proprie inter pœnas recenseri debet, et tamen siquis demisso animo illud sustineat, veniamque imploret, absolutione quasi esset censura deletur, quando si tanquam pœna etiam in hac specie haberetur, non absolutione, sed dispensatione aboleri deberet. Neque in contrarium dicas, depositionem pœnam esse, et tamen etiam in eo, qui demisso animo depositionem ferat, dispensationem, sive restitutionem esse necessariam: Siquidem repono, dispensationem, seu restitutionem non esse necessariam in ea parte, in qua depositio pœna est, sed in ea, qua notam irregularitatis induxit, quæ sane non amplius pœna dicitur, sed juris impedimentum, cujus natura est, ut nonnisi dispensatione deleatur. Insuper in eo conveniunt censura et pœna, quod istæ indicuntur adversus reluctantes, eamque ob rem modo indicuntur ex juris potestate, modo ex sententia judicis, cum in illis indicendis vera jurisdictio exerceatur, idest adversus invitos; et distinguuntur a pœnitentia, quod hæc aut a reo sponte suscipitur, aut reo demisso animo acceptanti infertur, ac propterea potissimum ex facto hominis pendet, non juris potestate imponitur; et quamquam ipso jure statui, et potuerint aliquando, et possint certæ regulæ, ad quas exigat, et judex sententiam suam, et reus suam satisfaciendi voluntatem, istæ tamen non adeo certæ erunt, ut pendenti modo judicis, modo rei arbitrio non relinquatur. Præterea conveniunt invicem censura, et pœna, ac distinguuntur a pœnitentia in eo, quod censura ac pœna etiam in illos inferri possint, qui non sunt in ecclesia, dummodo observes, id habere locum in censura, quod attinet tantum ad civiles effectus, juxta capitulum 14, de Judæis, et capitulum 12 de usuris; pœnitentiæ vero capaces non sunt, nisi qui sunt in ecclesia, aut proximi sunt, ut ecclesiæ adscribantur, quemadmodum adparet in catechumenis, qui olim per varias pœnitentias ad sacramentum baptismatis præparabantur. Denique conveniunt censura, et pœna, et distinguuntur a pœnitentia in eo, quod pœnitentia etiam peragi possit pro delictis internis; at nonnisi pro externis

indici possit censura, vel pœna. Conveniunt invicem pœna et pœnitentia, ac distinguuntur a censura in eo, quod et pœna et pœnitentia explet crimen admissum in eo, una etiam satisfaciat christianæ reipublicæ ex admisso crimine læsæ, at censura præcipue feratur ad correctionem delinquentis, cujus rei argumento est, quod si censura notatus supplex ad ecclesiam accedit, et absolutionem implorat, et pœnitentiis adhuc expiandus sit, et quandoque certis pœnis mulctari valeat ad satisfaciendum christianæ reipublicæ, et ad scandalum auferendum. Item in eo conveniunt pœnitentia et pœna, quod modo ad tempus determinatum, modo ad tempus indeterminatum ferantur, modo etiam in perpetuum, contra quam vigeat in censura, cujus natura postulat, ut semper in tempus indefinitum conferatur. Differunt omnino invicem pœnitentia, censura et pœna, quod in ecclesia alii sint administri, qui possunt tantum pœnitentias indicere, non censuras, aut pœnas; alii, qui censura notare possunt non pœnam infligere, alii denique, qui etiam pœnam possunt inferre. Item differunt omnino invicem in eo, quod pœnitentia imposita aut pœnitentis satisfactione, aut judicis indulgentia; censura nonnisi absolutione, seu restitutione in pristinum statum: et pœna, nonnisi dispensatione aboleatur; proindeque neque est par in hac parte potestas administrorum in ecclesia, quum alii sint, qui possunt reconciliare pœnitentes, alii, qui et possunt a censuris absolvere, alii, qui præterea possunt pœnarum dispensationem facere.

Ne vero nimis subtiles, forte etiam inanes alicui videantur hujusmodi observationes, nonnulla adhuc subjicio, ut demonstrem, eas aut necessarias esse, aut certe maxime opportunas ad adsequendam canonum præsertim veterum mentem, in quibus cum passim aut pœnitentiæ, aut censuræ, aut pœnæ nomina promiscue sumantur, uti superius adnotatum est, certa sunt præjacenda principia, quibus positis unusquisque valeat distinguere, quibus in casibus proprie illa nomina usurpata fuerint, a quorum propterea stricta significatione non sit recedendum; et quibus in casibus improprie adposita, quorum propterea significatio latius accipiatur, atque ex. gr. non censura intelligatur, quæ censura appellata est, sed pœnitentia, vel pœna; non pœna intelligatur, quæ pœna appellata est, sed pœnitentia vel censura; quando verum est, canonum auctores non semper verborum proprietati adhæsisse, sed potius de sententiis, et de rerum, quas exprimebant, natura fuisse sollicitos. Exemplis rem claram faciam. Definit Augustinus in can. 81, de pœn. dist. 1, pœnitentiam *bonorum, et humilium fidelium pœnam quotidianam etc.* Si pœnam vocat, improprie vocat, propterea quod ait, a bonis et humilibus fidelibus excipi, qui proprius pœnitentiæ character est. Idipsum ex Augustino liquet in can. 4 et 7, de pœn. dist. 3, ubi pœnitentia pœna dicitur, cum tamen ita pœna appelletur, ut reus *in se puniat, quod dolet commisisse*, item ut *delineatur vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ*, liquet, pœnæ nomen nonnisi latissime usurpari. Toletani Antistites censuræ nomine utuntur in can. 13, dist. 12, sed prætterquamquod non absolute *censuram* dicunt, sed *pœnitentiæ censuram*, subjiciunt talem esse censuram, qua *lacrymis præteritæ transgressionis culpa diluatur, et necessaria officiorum doctrina studiose addiscatur*, eamque ob rem indicium est, censuræ nomine non proprie censuram, sed pœnitentiam intelligi. In canone 11 et 12, dist. 28, fit mentio excommunicationis, diversa tamen est utrobique significatio; nam in can. 11, excommunicatio vere significat censuram, quia fertur in contumaces, uti indicant verba illa, *si in criminis intentione perstiterint*, quæ pœnitentibus minime congruunt; at in can. 12, vere significat pœnitentiam, aut pœnam, quia fertur in perpetuum, aut usque ad mortem, uti indicant verba illa, *nunquam communicet, morienti tamen ei sacramenta subveniant*, quæ verba proprie censuræ convenire non possunt. In canone 10, dist. 50, quæ excommunicatio dicitur, appellatur etiam pœnitentia, et quidem improprie excommunicatio, proprie pœnitentia, quia perpetuo ibidem interdicitur reo communio, quod pœnitentiæ congruere potest, nullo modo excommunicationis censuræ. In canone 2, dist. 34, suspenduntur clerici et diaconi venatores; at suspensionis nomen aliter in episcopo, aliter in diacono intelligitur. In diacono vera censura est, quia absolute is dicitur ab omni officio et communione suspendi; in episcopo pœnitentia, vel pœna est, quia trium mensium spatium definitur, intra quod ille a communione suspendi jubetur; propterea nimirum quod indefinita suspensio vere censura est pœnitentia autem, vel pœna, quæ certo tempore circumscribitur. Quis excommunicationem triginta dierum spatio circumscriptam simili ratione non censuram, sed pœnitentiam non nominaret, de qua mentio fit in can. 9, dist. 35 forte etiam pœnam, quando ibidem subjicitur, clericum ebriosum aut esse communione privandum, aut corporali subdendum supplicio? Quis excommunicationem, de qua agitur in can. 10, cau. 1, qu. 1, non intelligat, non esse censuram, sed potius pœnam, quia e certo tempore concluditur, et fertur etiam in invitum? Similia observari possunt in conspectu canonis 24, dist. 86, in can. 6, dist. 8[?] et in can. 7, vers. *Hi vero* cau. 2, qu. 1 Multa alia non persequor, ex quibus adhu[c]

clarius liqueret, quam utile sit, laudatas regulas præstituisse ad interpretationem veterum canonum, in quibus pœnitentiæ, censuræ, et pœnæ nomina promiscue identidem usurpantur, quamquam plurimum inter se distent; siquidem in subsequentibus dissertationibus erunt adhuc plura recensenda, quæ hanc ipsam rem in luce apertissima collocabunt.

DISSERTATIO SECUNDA

DE REIS PER POENITENTIAS EXPIANDIS.

Huc referendus est titulus 38, lib. 5.

CAPUT I.

De Pœnitentiæ disciplina, ejusque natura.

Pœnitentia definitur ab Augustino in can. 4, de pœnit. dist. 3, *quædam dolentis vindicta, puniens in se, quod dolet commisisse,* cujus natura non eo tantum respicit, ut Deo satisfiat, sed etiam ut peccatorum caussæ radicitus evellantur, ut tradit idem sanctus Antistes in can. 3, ead. dist. peccati quidem macula sacerdotali absolutione deletur, qua homo in divinam gratiam restituitur, sed manet inde obligatio satisfaciendi, nisi satisfactio absolutionem præcesserit, quemadmodum et definiverunt, et elegantissime explicaverunt Tridentini Antistites in sess. 14, cap. 8, quod adeo verum est, ut in quocumque admisso peccatorum, utut levissimorum, genere obtineat. Ad instituendos sacerdotes modum peragendæ pœnitentiæ reis criminum designaturos, editi olim fuerunt libri, quos pœnitentiales vocabant, eosque addiscere sacerdotes jubebantur, quibus pro opportunitate uterentur, can. 5, dist. 38. Sane priscis ecclesiæ sæculis, cum ecclesia diris vexationibus quatiebatur, pœnitentium rationibus dirigendis satis et undique consuli non potuit. Hinc ubi delinquentes essent reconciliandi Deo, et ecclesiæ, ex uniuscujusque sacerdotis, vel episcopi reconciliantis arbitrio pendebat ita singula moderari, ut quod quisque prudenter judicavisset, id pro lege a pœnitentibus haberetur. Pacatis ecclesiæ rebus, cum quorundam sacerdotum aut nimia austeritas pœnitentes fere in disperationem adduceret, aut nimia indulgentia illorum utilitati parum consuleret, operæ pretium duxerunt prudentissimi quidam Antistites, generales quasdam regulas ad disciplinam pœnitentium stabiliendam elucubrare, easdemque palam proponere, a quibus sacerdotes non deflecterent. Primum apud Græcos prodierunt, auctoribus Basilio in epistolis canonicis ad Amphilochium, Athanasio in epistola ad Rufinianum, Gregorio Thaumaturgo in epistola de pœnitentia, Gregorio Nissæno in epistola ad Lætojum, Cyrillo Alexandrino in epistolis canonicis, Joanne constantinopolitano in libello pœnitentiali, aliisque numero plurimis. Apud occidentales memoria superest, Cyprianum librum pœnitentialem condidisse, quem in epistolis suis ipse commemorat, hunc tamen neque inter opera Cypriani reperiri, neque in aliqua ecclesia diu receptum fuisse scimus. Primus pœnitentiales libros a Græcis derivatos evulgavit in occidentali ecclesia Theodorus Cantuariensis in disciplina græcorum olim instructus, quos in diœcesi sua tanquam regulam a sacerdotibus suis servandam proposuit. Non placere latinis non potuit ea ratio, quorum alii pœnitentiale Theodori in suas diœceses traducere, alii nova pœnitentialia ad illius exemplum condere studuerunt. Hinc plures ejus nominis libri evulgati, quorum celebratissimi fuerunt, præter pœnitentiale Theodori, pœnitentiale Bedæ, pœnitentiale Rhabani, pœnitentiale romanum, sive ad illud respicias, quod edidit Halitgarius, sive ad illud, quod edidit Antonius Augustinus, ut omittam pœnitentiale, quod in sua collectione inseruit Burchardus Wormaciensis episcopus, et illud, quod ad calcem Gratianei codicis, recentioris sane et obscuri auctoris opus, adjectum est. Jam Reginonis Prumiensis ætate singulis sacerdotibus præstitutum erat, ut unum ex illis pœnitentialibus, quo tanquam regula uterentur, quemadmodum adnotavit idem Regino in lib. 1, de ecclesiasticis disciplinis interrogatione 95. Utinam vero viri tantum doctrina, prudentiaque spectabiles edendis pœnitentialibus libris manum admovissent! At incredibile propemodum dictu est, quot emerserint numero hujusmodi codices, quorum aliqui non solum nullam utilitatem in ecclesias adduxere, sed potius plurimum adtulerunt detrimenti. Vetus in hanc rem fuit querela proposita in concilio cabilonensi II, anni 813, in quo visum fuit optimis antistitibus, pœnitentialium librorum auctoritatem elevare, statuentibus idcirco in can. 38, ut penitus abolerentur, his verbis: *Modus autem pœnitentiæ peccata sua confitentibus aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum scripturarum auctoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem, sicut su-*

perius dictum est, imponi debet, repudiatis, ac penitus eliminatis libellis, quos pœnitentiales vocant, quorum sunt certi errores. incerti auctores, de quibus recta dici potest: mortificabant animas, quæ non moriuntur, et vivificabant animas, quæ non vivebant. Qui dum pro peccatis gravibus leves quosdam et inusitatos imponunt pœnitentiæ modos, consuunt pulvillos secundum propheticum sermonem sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. Post Cabilonensem hunc canonem duo statim derivaverunt. Primum est, exinde non tanti fieri cœpisse, quanti olim fiebant, pœnitentiales libros, et paullatim eo devenisse rem, ut pœnitentialium memoria pene tota interiret; quamobrem hodie vix aliqui supersunt celebriores, qualis est Theodori, Bedæ, Romanus, aut aliqui alii pauci, quos ego verius appellarem pœnitentialium centones, et fragmenta: neque enim quotquot editi circumspiciuntur, integri omnino videntur, et quales a suis olim auctoribus editi prodierint. Alterum est, post parvifactos pœnitentiales libros, pristinam restitutam fuisse disciplinam, juxta quam a vetustis sæculis obtinebat, et nunc iterum usu receptum est, ut satisfactionis opera pœnitentibus injungenda ex prudentis sacerdotis arbitrio pendeant, quemadmodum explicaverunt patres tridentini in sess. 14, cap 8. Ceterum observandum est, distingui maxime oportere inter abolitam pœnitentialium librorum disciplinam, et inter constantem perennemque disciplinam ecclesiæ optantis æque ac præcipientis, ut etiam hodie sacerdotes in imponenda salutari pœnitentia eum modum servent, qui et delictorum qualitati, et affectioni pœnitentis respondeat. Ecquidem imprudens esset illius sacerdotis consilium, qui vellet adamussim disciplinam pœnitentialium veterum privato judicio renovare: plurimum tamen prodesset ad illa, saltem celebriora, et antiquiora respicere, ut ex collatione singulorum deprehendatur, quænam esse consueverit mens ecclesiæ in expiationibus criminum præstituendis, et ne in iis, quæ hodie ex sacerdotum arbitrio pendent, a generalibus saltem principiis recedatur; *debent enim sacerdotes Domini* (sequor tridentinos patres in cap. 8, sess. 14) *quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et pœnitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Opportunum fuit libros pœnitentiales avocare, proptereaquod incomti essent, inordinati, depravati, corrupti, et quod magis erat, ita digesti, ut obscuri eorundem auctores nimium indulserint arbitrio suo, et leviora gravibus, graviora crimina levibus identidem pœnitentiis insecuti fuerint. Hanc ipsam ob rationem diligentissimi esse sacerdotes debent in imponendis hodie pœnitentiis ut plurimum arbitrio suo relictis, ne censura illata in pœnitentialium auctores simili jure in illos detorqueatur. Revera pœnitentia, quæ dicitur ab ecclesiasticis patribus secunda post naufragium tabula, dicitur quoque laboriosus quidam baptismus, eademque non regenerat, sed reparat, ac veluti in vulnus cicatrices obducit. Quicumque considerat, quanta sit peccati præsertim lethalis a personis singularibus admissi colluvies, qua personæ ipsæ misere infirmantur, facile percipiet, ita per istud personam quamque labefactari, sicut per peccatum originis, quod naturam hominum universam infecit, depravata fuit universa natura; si insuper considerat, augeri in dies eam infirmitatem personalem ex peccatis, ut vocant, actualibus, pro majore istorum numero, et consuetudine delinquendi, hinc plane deducet, quantus debeat esse in pœnitentia labor, ad reparandam infirmitatem etiam post sacramentalem absolutionem, et receptam divinam gratiam, si magnus esse debet etiam post baptismalem regenerationem, ne improbæ affectiones depravatæ naturæ iterum obruant animam, utut in baptismate signatam charactere Christi, in divinam amicitiam revocatam, et multiplici virtutum divinarum habitu confirmatam.

CAPUT II.

De variis penitentiæ partitionibus ac gradibus.

Triplex est pœnitentiæ ratio, alia enim sponte ab unoquoque suscipitur, alia est sacramentalis a ministris ecclesiæ in foro interno jurisdictionem nactis pendens, alia ad bonum publicum ecclesiæ ordinata, et indicta ab iis, qui jurisdictione in ecclesia fruuntur etiam in externo foro. Vix opus est aliqua attingere de prima pœnitentiæ specie: tantum dico, eam liberæ uniuscujusque voluntati relinqui, nimirum ut quicumque sibi conscius est admissorum delictorum, orationibus, jejuniis, eleemosynis, atque aliis piis operibus Deo satisfaciat, et delictorum reliquias expiet. Id fit sine ullo delictorum, personarumque discrimine, immo etiamsi quis integrum vitæ purumque sceleris se esse sentiret valeret sane piis hisce penitentium operibus cum fructu vacare, quo tutius pietati, religioni adhæreret, et perseverantiæ habitum a Deo impetraret.

Nomine pœnitentiæ sacramentalis venit aut sacramentum ipsum pœnitentiæ a sacerdotibus in Ecclesia administratum, aut pars illa ejusdem sacramenti, quæ in satisfactione con-

sistit. Dogma fidei est, in ecclesia esse clavium potestatem a Christo Domino apostolis concessam, et per apostolos in successores antistites derivatam, qua fit, ut peccatores in judicio sacerdotali constituti aut ligentur, aut solvantur quemadmodum aperte ex evangelio liquet. Consistit hoc sacramentum in actibus pœnitentis, scilicet in dolore anteactæ improbæ vitæ, illiusque innovandæ proposito, in confessione delictorum integra apud sacerdotem facta, et in proposito satisfaciendi per penitentias salutares, delictorum qualitati, et numero accommodatas ex prudenti sacerdotis arbitrio; item consistit in actibus absolventis sacerdotis, ad quem spectat caussa in secreto foro cognita absolvere, et satisfactionem indicere. Meum non est de hac re solemnem disputationem aggredi, cum hæc sit Theologorum provincia, in quam jam multi egregia studia contulerunt, ut solidis argumentis vindicarent, definitionem tridentini concilii in tota fere sessione 14, sive quot attinet ad materiam et formam, sive quot attinet ad ministrum, sive quot attinet ad necessitatem hujus sacramenti. Quædam tantum ego adjiciam, quod a meo proposito minime distat, ad interpretationem canonis 90. de penit. dist. 1, et canonis 1, de pœnit. dist. 6, qui sane canones et canonum et theoligiæ studiosis nonnihil negotii facessere solent. In canone 90, sub nomine Theodori Cantuariensis exhibetur græcæ ecclesie disciplina, quasi a disciplina latinæ ecclesiæ, aliena quod greci dicantur soli Deo, latini etiam sacerdotibus peccata confiteri. Profecto apud Theodorum nihil tale reperio. Tantum invenio in capitulis Theodori Cantuariensis apud Dacherium c. 51 et 133, hæc verba: *Confessio Deo soli, si necesse sit, agi licet.* Hoc fragmentum plurimum distat a monumento Gratiani, siquidem verba illa, *si necesse sit*, ita rem explicant, ut tum demum sufficiat ad reconciliationem et veniam obtinendam confessio facta soli Deo, quum sacerdoti fieri nequeat propter contingenten aliquem casum quod quidem definitionibus ecclesiæ non repugnat. Verba Gratiani potius referenda sunt ad capitulare Theodulphi Aurelianensis cap. 30, unde puto, mendum apud Gratianum irrepsisse, qui pro nomine Theodulphi scripserit nomen Theodori. Theodolphus Aurelianensis collectorem agens, canonem excerpsit ex capitularibus francicis; capitularium autem francorum collector deprompsit ex concilio Cabilonensi II, anni 813, c. 33, corrupta sane monumenti editione, quemadmodum demonstravi in meis lucubrationibus in Gratianum; siquidem in canone Cabilonensi ea verba desiderantur *ut ... ut tota fere sancta ecclesia.* At ita restituto canone, quid aliud exinde colligitur, quam in sancta ecclesia et Deo, et sacerdotibus confessionem fieri peccatorum? Quod sane verissimum est, cum sacerdotes, confessionem excipientes, Dei vice fungantur, c. 2, de offic. judic. ordinar. Legimus quidem sub nomine Augustini in can. 1, de pœnit. dist. 6, confessionem peccatorum fieri etiam apud laicos homines posse. Sed in primis quis hodie ex eruditis in mentem sibi facile inducat, sententiam illam, sive integram homiliam esse Augustini? Paucis jam ego attigi in meis lucubrationibus in Gratianum. Deinde quem latet, viros gravissimos jamdiu interpretatos fuisse verba illa recta ratione de confessione non sacramentali, sed ex demissione animi facta ab eo, cui fato quodam defuerit officium sacerdotis? Laudanda profecto religio, et pietas, qua quis non sacramentum sibi conferri putat sed qua quis testatur, inhiare se avidissime ad sacramentalem confessionem, cui et temporis, et caussarum adjuncta impedimento fuerunt. Pertinent hæc ad pœnitentiam illam, quæ sacramentum novæ legis est ex Christi beneficentissima institutione. Quod si nomine pœnitentiæ intelligimus eam sacramenti partem, quæ in satisfactione consistit, inhærens concilii tridentini definitionibus, et perpetuæ Patrum traditioni, ajo, pertinere ad sacramenti substantiam satisfaciendi propositum, et satisfactione juxta sententiam sacerdotis sine caussa non impleta, sacramenti non haberi integritatem, sive perfectionem, ac plenitudinem, concilio tridentino, sess. 6 de justificatione, can. 30, sess. 14, cap. 3 et 8, item can. 4, 12, 13, 14 et 15, dist. 3, juncto can. 63, 65, 68 et 76, dist. 1. de pœnit., hoc enim est, quod ajebant iidem tridentini patres in cap. 2, ejusdem sessionis 14, merito pœnitentiam laboriosum quendam baptismum fuisse a sanctis patribus appellatam; atque in hoc explicatur illa ligandi atque solvendi potestas a Deo sacerdotibus tradita, qua fit, ut pœnitentes ex æquo satisfacere detrectantes jure criminum absolutione frustentur, quemadmodum superius observabam. Quid vero est, quod sub nomine Ambrosii legitur in can. 1, de pœnit. dist. 1, ubi sanctus antistes notabat, se *invenisse, quod Petrus apostolus fleverit, non quid dixerit, lacrymas ejus se legisse, non satisfactionem legisse*? Subjiciebat autem: *Sed quod defendi non potest, ablui potest: lavent lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri*, quæ postrema verba habentur in canone 2, ejusdem distinctionis. Liquet sane, Ambrosium totum fuisse in eo loco, ut clamaret, potissimum in pœnitentia sincera esse observandum, ut conscius criminis vehementer, atque etiam lacrymis doleat, quid eam satisfactionem edat, quæ in excusatione ac defensione consistat. De alio satisfactionis genere, quo dolor admissi pressius et efficacius explicatur, altum ibidem silentium est. Notatu quoque dignum videtur,

commentaria Ambrosii in Lucam, ex quo depromptus est canon, sublimia subtiliaque fuisse de quibus jamdiu notavit Sixtus senensis secutus Accam episcopum cantabrigiensem, nonnisi a doctoribus intelligi facile posse, eamque ob rem sobrie et accurate et legenda esse, et explicanda.

Alia est pœnitentia non secreto indicta, et occasione sacramenti, sed ad bonum publicum ecclesiæ ordinata, et indicta ab iis, qui jurisdictione in ecclesia etiam in foro externo fruntur. Ista autem est vel generalis, vel singularis, vel ordinaria, vel extra ordinem. Generalis est, quæ fit ab omnibus in communi, veluti cum jejunia generalia celebrantur, generaliter in populo eleemosynis vacatur, aliisque piis operibus. Singularis est, quæ singularibus personis indicitur, veluti cum quis inter penitentium gradus judicio pubblico extra forum sacramentale constituitur ob singularia quædam crimina, quorum caussa sit ecclesiæ, ac reipublicæ satisfaciendum. Ordinariam dico, quæ statis diebus in ecclesia fieri solet, veluti cum tempora consueta jejuniorum, vigiliarum, certarumque feriarum id postulant, item cum quis certa admisit crimina, adversus quæ definita fuerit abs jure certa pœnitentia. Extra ordinem dico pœtentiam illam, quæ occasione alicujus gravis incommodi indicitur, ut divinam clementiam populus penitens sibi conciliet.

Emergit hinc vulgaris alia pœnitentiæ partitio, juxta quam aliæ dicuntur penitentiæ publicæ, aliæ privatæ: nimirum publicæ illæ sunt, quæ palam fiunt, et in publico fidelis populi cætu; privatæ illæ sunt, quæ clam, et secreto aut indicantur, aut suscipiuntur. Erant olim in ecclesia variæ pœnitentium stationes et gradus ad quos peragendos ex sententia prælatorum adstringebantur, qui crimina publica admisissent. Primus gradus dicebatur flentium, sive lugentium, qui ad limina ecclesiæ, et in atrio induti luctuosis vestibus, et variis pœnitentiæ demonstrandæ congruis habitibus, rogabant quodquod ecclesiam ingrederentur ut Dei clementiam pro se implorarent, interea remoti a quacumque participatione rerum sacrarum. Secundus gradus dicebatur audientium, qui ultra ecclesiæ atrium progressi admittebantur in eum locum, in quo catechumeni consistebant, ideo audientes dicti, quia poterant audire prædicationem divinorum mysteriorum, qualis fiebat in conspectu catechumenorum, interea tamen remoti a certis divinæ communionis juribus, nimirum a participatione sacrorum, quæ in ecclesia fiebant. Tertius gradus erat substratorum, qui ecclesiam quidem ingrediebantur, sed usque ad ambonem; in eo autem loco sternebantur demissis vultibus mærentes, et certis missarum temporibus in audientium locum remittebantur. Quartus gradus erat consistentium, quibus nimirum concedebatur inter ceteros fideles in ecclesia consistere, denegabatur tamen Eucharistiæ sacramentum, tantum imponebantur identidem manus ad argumentum reconciliationis. Quicumque in his gradibus versabantur, abstinentiæ vacabant, jejuniis, eleemosynis, aliisque piis operibus, arcebantur a conjugiis celebrandis, et ab usu conjugiorum antea contractorum, cujus rei argumento est quod aliquando statutum legamus, conjugis nonnisi ex consensu alterius conjugis indictam fuisse publicam pœnitentiam, can. 13, cau. 13, qu. 1. Qualis fuerit ratio harum stationum, in quibus per plures annos gradatim merebant pœnitentes, poterit facile unusquisque colligere, non solum ex libris vetustis pœnitentialibus, sed etiam ex epistola canonica Gregorii neocæsariensis can. 2, et ult. can. 63, et 64, dist. 50, can. dist. 82, can. 109, cau. 11, qu. 3, can. 32, cau. 13, qu. 2, can. 41, cau. 24, q. 1, can 27, cau. 27, qu, 1, can. 15, vau. 33, qu. 2, et ex cap. 2, de maledicis. Atque fiebat, ut publici pœnitentes aliquando extra communionem positi, sive excommunicati appellarentur, nec integræ omnino famæ in ecclesia haberentur, unde nec ad sacros ordines promoveri poterant, can. 5, dist. 82. Hodie istæ publicæ pœnitentiæ fere exoleverunt; etenim vix aliquando intuemur, fideles ob occulta delicta publicam pœnitentiam sponte suscipere. quod olim frequens observabatur; non amplius supersunt variæ memoratæ pœnitentium stationes, certique gradus, per quos olim ad perfectam cum ecclesia reconciliationem poenitentes adducebantur, etquidem nonnisi per diuturna et determinata curricula temporum; quamobrem ego puto in præsentia non amplius vigere antiquam regulam, quæ postulabat, ut nonnisi semel poenitentia illa solemnis indiceretur, can. 62, dist. 50, can. 2, de pœnit. dist. 3, proindeque toties, indici pœnitentiam publicam posse, quoties quis pubblice delinquat. Ceterum generalia publicae poenitentiæ præcepta, quæ etiamnum obtinent, a vetustissimis non sunt regulis aliena. Siquidem in primis, sicut olim, ita et hodie observatur, nemo ob privata crimina ad publicam suscipiendam pœnitentiam obstringatur et viceversa ut cogi ad pœnitentiam publicam possit, qui publica et graviora crimina admiserit, can. 17, 45, can. 19, cau. 2, q. 1, c. 1, de pœnit. et remission. concilio tridentino sess. 24, de ref. c. 8. Deinde sicut olim, ita et hodie observatur, ut clerici, etiamsi gravissime deliquerint, publice nunquam pœnitentiæ addicantur, can. 65 et 66, dist. 50, adversus quos visum fuit sufficere, si de gradu dejiciantur, can. 5. dist. 82, eadem ratione, qua etiamnum laici semel publice pœnitentia functi nunquam ad dignitates, et officia ecclesiastica promoventur nisi aliud

ecclesiarum necessitas, vel utilitas postulet, can. 25, 55, 56, 58, 59 et 60, dist. 50, c. 1 de bigam. non ordin. vixe-t, cur alia subjiciam de pœnitentia privata. Ista vel sponte ab unoquoque suscipitur, vel pœnitentiali foro mandatur. Quoties ex sacerdotis potestate pendet, illud obtinet, quod superius tradebam, ut qualitati criminum, et pœnitentium apprime respondeat.

CAPUT III.

Quorum auctoritate pœnitentiæ indicantur.

Non agitur hoc in loco de pœnitentia sponte suscepta, utpote quæ uniuscujusque arbitrio relicta est: tantum de pœnitentia ex mandato ecclesiæ peragenda; qua in re distinguere oportet inter pœnitentiam privatam, sive in foro secreto et pœnitentiali indicendam, et inter pœnitentiam publicam, sive publice in cœtu fidelium exequendam. Auctoritas indicendæ pœnitentiæ privatæ in foro sacramentali penes illos inest universos quibus competit auctoritas absolvendi a peccatis, quales sunt, episcopi, parochi, iique omnes prelati episcopis inferiores, qui abs jure in interno foro jurisdictionem nacti fuerint, imo et sacerdotes universi, quibus ab episcopo, vel prælato jurisdictionem habente quasi episcopalem, facta facultas fuerit, nisi extrema necessitas urgeat, qua in specie quicumque sunt in sacerdotali ordine constituti, uti sacramentalem absolutionem, ita congruam satisfactionem indicere poterunt, can. 51, de pœnit. dist. 1. Concilio tridentino sess. 14, c. 7. Regula est in hac parte, qua traditur, duplicem potestatem requiri, ordinis nimirum et jurisdictionis, ordinis scilicet sacerdotalis, et jurisdictionis a prælato concessæ, alterutram autem non sufficere. Neque obstat, quod legitur in cap. 2 de furtis, sive, quod idem est, in can. 31, caus. 13, quæst. 2, ubi mentio fit de confessione, *quæ presbytero*, *vel diacono* facta fuerit. Passim torquentur interpretes in conspectu hujus canonis, cui ut commodam interpretationem assignant, dicere solent, ibidem agi de confessione publice facta et in foro externo, caussa obtinendæ reconciliationis apud ecclesiam, non de confessione sacramentali. Me non pœnitet pridem observationis in meis lucubrationibus in Gratianum, ubi ad hunc canonem adnotavi, in canone triburiensi mentionem fieri de confessione, quæ fiat *presbytero*, *vel Deo*, et contigisse ex oscitantia amanuensis, ut pro illis verbis *vel Deo*, legeretur *vel diacono*. Observandum est in hac re, et pontificem maximum, et episcopos jurisdictioni suæ reservare posse certorum graviorum criminum sacerdotale judicium, concilio tridentino dicto cap. 7, sess. 14, quod adeo verum est, ut etiamsi episcopus facultatem alicui fecerit generaliter sibi eligendi confessarium, tacite non censeatur electo delegata facultas in reservatis, cap. 2, de pœnitent. in 6. A prælatis, eorumque delegatis, seu a parochis, in quorum parochia quisque invenitur, est petenda absolutio, et satisfactionis modus, nisi alias, qui præest diœcesi, fecerit facultatem, ita ut qui eam potestatem in una diœcesi obtinuit, eandem inconsulto ordinario in alterius episcopi diœcesi explicare non possit. Rigidior erat in hac parte veterum disciplina, juxta quam unusquisque ita suberat parochis et episcopis diœcesanis, ut extra parochiam alteri parocho, vel sacerdoti, vel extra diœcesim alteri episcopo nemo subjicere se valeret sine probabili caussa, c. 2, cau. 9, q. 2, can. ult. de pœnit. dist. 6. Paullatim factum est, ut dummodo semel in anno quis proprio sacerdoti confiteretur, suo muneri satisfecisse crederetur, cap. 12, de pœnit. et remiss., quod ita interpretabantur, ut nomine proprii sacerdotis aut parochus aut episcopus intelligeretur. Denique ex generali ecclesiarum consuetudine factum est, ut valeat peccatorum confessio cuicumque sacerdoti facta, dummodo talis sacerdos sit, qui aut ex jure communi, aut ex singulari episcopi delegationem jurisdictionem in foro interno obtinuerit. Quando vero mentio habita est laudati capituli 12, non debeo præterire, integram adhuc hodie manere constitutionem istam lateranensis concilii in ceteris partibus, nimirum in primis singulos fideles teneri semel saltem in anno ad sacramentum pœnitentiæ accedere, cum ad annos discretionis pervenerint, alias viventes ab ecclesiæ ingressu arceri, et morientes christiana carere sepultura; cui decreto inhærentes tridentini patres usum salutarem fidelium probaverunt, quo sacro et maxime acceptabili quadragesimæ tempore ad sacramentum accedatur, dicta sess. 14, cap. 5, in fine; secundo sacerdotem confessionem excipientem nulla ratione peccatorem prodere posse, indicta adversus prudentem depositionis, et perpetuæ in arctum monasterium detrusionis pœna, can. 2 de pœnit. dist. 6. Gravissimæ quoque pœnæ adversus sacerdotes constitutæ sunt in famigeratis constitutionibus tum Gregorii XV, tum Benedicti XIV, qui nefariis artibus abusi sint sacramentali confessione et pœnitentes, sive ad tribunal pœnitentiæ accedentes, ad turpia sollicitaverint. Perspicuæ sunt constitutiones eædem, quæ sane nulli omnino controversiæ locum relinquere videntur. Vetus fuit quæstio de episcopis, aliisve prælatis episcopo superioribus, item de prelatis episcopo inferioribus, sed ab episcopi jurisdictione exemtis, a quonam et sacramentalem absolutionem, et exigendæ pœnitentiæ modos impetrare deberent? Ipsi sane in se nullam jurisdictionem exercere possunt; sese subjicere subditis suis, eorumque pote-

stati, qua potiuntur in foro interno, non videbatur satis tutum, cum enim tota jurisdictio clericorum inferiorum ex episcopi concessione dimanet, quid aliud esset, prælatos subditorum se potestati supponere, quam supponere se potestati suæ alteri demandatæ? Hæc in disputationem veniebant sub finem sæculi duodecimi, et sub initium decimitertii, qua ætate ut plurimum tradebatur, servandas esse generales judiciorum regulas, nimirum ut episcopus ab archiepiscopo, archiepiscopus a primate vel patriarcha, primas vel patriarcha a pontifice maximo in foro pœnitentiali penderet. Videatur in hanc rem opusculum quoddam de pœnitentia, Joannis de Deo doctoris decretalium, quod editum est a Petito ad calcem pœnitentialis Theodori Cantuariensis tomo 2, ubi multa hujus generis inquiruntur, ac disputantur. Nemo non videt, disciplinam ita traditam parum opportunam episcopis, ceterisque prælatis extitisse, qui ut plurimum nonnisi cum gravi et personarum, et officiorum suorum incommodo ad superiorem pœnitentiæ caussa accedere poterant. Quamobrem saluberrima fuit Gregorii IX. Constitutio in cap. ult. de pœnit. ita concepta: *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus episcopis, et aliis superioribus, nec non minoribus prælatis exemtis, ut etiam præter sui superioris licentiam providum et discretum sibi possint eligere confessorem.*

Quod ad pœnitentiam publicam spectat, certum est, nemini præter episcopos, aut prælatos quasi episcopalem jurisdictionem exercentes, aut eos, quibus singulari titulo hæc facultas prælatorum auctoritate specialiter concessa fuerit, vel licuisse aliquando, vel licere, publicam pœnitentiam indicere; neque enim publicæ satisfactionis rigor sacramentale forum tantummodo respicit, sed etiam externam quandam ecclesiæ politiam, in qua moderanda ejus officium est, qui in externo foro jurisdictione potitur: hinc regula est, prælatos etiam sacerdotio non insignitos posse hanc pœnitentiam indicere, eodem modo, quo possunt censuras inferre, propterea quod tota ista facultas abs jurisdictione in foro externo pendeat. Quamobrem patres concilii trident. in c. 8, sess. 24 de refor. sicuti definiverunt, ab episcopis indici pœnitentiam publicam posse, ita statuerunt, ab eorumdem arbitrio pendere, ut pro caussarum adjunctis certum pœnitentiæ publicæ genus valeant in aliud genus privatæ pœnitentiæ commutare; quod ita intellige, ut casus excipiatur, quo a dataria, in caussis puta matrimonialibus, publica quædam ante dispensationem implenda pœnitentia injungatur; hæc enim satisfactio, uti pragmatici loquuntur, potius cujusdam compositionis, quam veræ, propriæque pœnitentiæ locum tenet.

CAPUT IV.

De indulgentiis, quæ pœnitentibus conceduntur.

Habet pœnitentia, sive privata sit, sive publica, triplicem finem; primum nimirum, ut satisfiat Deo, qui remittendo crimen non semper omnem admissi criminis pœnam abolet; secundum, ut satisfiat ecclesiæ, quæ pravis delinquentium exemplis dolet alios facilius in malum induci; tertium, ut reus ipse piis exercitationibus imas, quoad fieri possit, peccati radices, si non evellat, saltem contundat. Hinc proficiscitur, homines utut divina gratia justificatos pro peccatis antea admissis satisfacere opportere, imo et mortuos pœnitentes ante absolutam satisfactionem pœnis adhuc teneri, quas purgatorias ecclesia appellat, quibus scilicet piæ justificatorem animæ detinentur, ne patriam attingant, quousque sint penitus expiatæ. Ceterum inest ecclesiæ ex Christi clementia divina quædam facultas, qua ante satisfactionem etiam apud Deum valeat illas pœnas aut in parte, aut omnino remittere, quod nostri vocant indulgentiarum concessionem, quæ et viventibus fidelibus, et mortuorum animabus per modum, ut ajunt, suffragii prosunt. Propria est ista pœnæ abolitio; quamquam enim qui indulgentia utitur, personalem non exibeat satisfactionem, alienis tamen meritis, ut vere satisfaciat, auctoritate ecclesiæ adjuvatur. Revera cum ecclesia juxta phrasim apostoli Pauli corpori adsimiletur, cujus caput est Christus et membra fideles, alia aliis nobiliora ac præstantiora, fit ex conjunctione vel membrorum inter se, vel membrorum cum Christo capite, ut unius merita ad alterum potestate præsidum adplicentur, et quod redundat in uno, defectum suppleat aliorum, quæ est illa sanctorum communio, quam apostoli in suo symbolo prædicaverunt. Super cetera eminent Christi merita infinita: accesserunt illis, semper tamen ex Christi ejusdem virtute ac gratia, merita insignia Beatæ Mariæ, atque sanctorum; ex omnibus autem coaluit, ita dixerim, nunquam exhauriendus thesaurus, cujus dispensationem sibi commissam esse ad fidelium utilitatem ecclesia jure optimo gloriatur, si quem dum ecclesiastici antistites pro modo potestatis pandunt, unusquisque sibi proprium facit pro modo charitatis, quo cum Christo conjungitur, ut Deo celerius satisfaciat, extrav. 2, de pœn. et rem. int. com., concilio trid. in decreto de indulgentiis sub finem sessionis 25

Porro indulgentiarum alias plenarias, alias temporales dicimus; plenarias, quibus omnis satisfactionis gratia fit; temporales, quibus tantum pars satisfactionis remittitur, atque

hæ modo ampliores sunt, modo contractiores uti vulgaris ecclesiæ disciplina demonstrat, juxta quam scimus, modo annorum, modo dierum gratiam fieri, ut intelligamus ex. gr. septem annorum, vel quadraginta dierum indulgentiam obtineri, quum pœnitentis ea ratio habetur, ac si per septem annos, aut per quadraginta dies intra pœnitentium gradus juxta veterum ordinem constitisset, ac piis exercitationibus satisfecisset. Non tamen putandum est, gratiarum hujusmodi dispensationem adeo liberam prælatis inesse, ut etiam sine caussa exerceatur, quando Christus Dominus, a quo omnis potestas derivatur, dispensandorum quidem, non dissipandorum thesaurorum auctoritatem concessit. Hinc vel ipsi pontifices max. nonnisi raro ea potestate uti solent, et servata ratione, modo caussarum, quæ publicæ et graves emergant, modo temporum, uti contingit in anno Jubilaico, cujus exemplum Deus idem in vetere testamento exhibuit, dicta extrav. 2, de pœnit. et remiss. int. commodo locorum, ut insignium sanctuariorum cultus augeatur, modo celebriorum quarundam solemnitatum, quibus populi frequentia, et ardentior in Deum charitas divinam clementiam singulari devotione sibi conciliare videtur. Hinc præterea profectæ sunt, quæ jamdiu invaluerunt, indulgentiarum aut concedendarum rationes, aut promulgandarum modi, quibus dispensatio nonnisi cautissime fiat, atque executioni mandetur. Quamobrem quamquam antiquis ecclesiæ sæculis ordinarii quicumque in suis diœcesibus plenariam etiam possent indulgentiam impertiri, cum tamen multi facta potestate abuterentur, cavendum fuit in lateranensi concilio sub Innocentio III, ne episcopi ampliores, quam unius anni in dedicationibus ecclesiarum, et quam quadraginta dierum in anniversariis dedicationum indulgentias concederent; c. 14, de pœnit. et remiss. quod etiam de archiepiscopis intelligendum voluit Honorius III, in c. 15, eod. tit. et renovavit Bonifacius VIII, in c. ult. eod. tit. in 6. Eo præterea magis occurrendum fuit adversus illos, qui jurisdictione ecclesiastica non gaudentes, monachi scilicet, et quæstores, temere indulgentias pontificias promulgabant, aut nusquam, aut obreptione, vel subreptione impetratas; etenim salubriter constitutum est, ut nemo audeat pontificias promulgare indulgentias episcopo inconsulto, ad cujus officium hodie spectat nosse, an quæ promulgandæ sunt indulgentiæ, genuinæ sint, nulloque obreptionis, vel subreptionis vitio laborent; imo et quæstores omnes, quorum officium ex improbitate plurimorum in quandam indulgentiarum detestabilem mercaturam detorquebatur, tandem aliquando sublati fuerunt, Clement. 1, vers. *aut etiam* de privilegiis, clement. 2 de pœnit. et remiss., concilio trid. sess. 5, de ref. c. 2 in fine, sess. 21, de ref. c. 9, sess. 22, de ref. c. 5 et in dicto decreto de indulgentiis sub finem sessionis 25.

DISSERTATIO TERTIA

DE REIS PER CENSURAS COERCENDIS.

Huc referendus est titulus 39, lib. 5.

CAPUT I.

De censuræ nomine, et natura.

Si in pœnitentiis indicendis lenem et voluntariam, ita dixerim, jurisdictionem tanquam in volentes, et sponte sese subjicientes, ecclesia exercet, longe profecto rigidior est pars altera potestatis, qua rei contumaces coercendi sunt, non quidem ita, ut in extremum, et irreparabilem, sublata spe æternæ salutis, interitum adducantur, sed ut asperitate perterrefacti ad suscipiendam pœnitentiam non tam invitentur, quam fere adigantur. Contingit id infligendo censuras, quæ medium quemdam locum tenent inter pœnitentias, et pœnas, proindeque aliquando latiore significatione pœnæ appellantur, propterea quod proxime ad pœnas accedant, atque in pluribus pœnarum naturam exerant, et qualitates, cap. 9, de celebrat. missar., c. 1, de sent. excom. in 6, dixeris aptissime pœnas salutares; pœnas inquam ex eo, quod animum angunt, et cruciant, ex eo insuper, quod certis ecclesiasticis juribus privant; salutares ex eo, quod ad terrendum potius, et commovendum indicuntur, quam ad puniendum. Veteres latini scriptores censuram generaliter appellaverunt quamcumque notam, qua aut persona, aut gestum, aut scriptum aliquod afficeretur, derivato nomine ab eo, quod Romæ olim constitutum fuerat, censoris officio. Ecclesiastici viri recentioribus præsertim sæculis latissimam vocabuli significationem contraxerunt, ut eo designarent aut excommunicationem, aut suspensionem, aut interdictum, cap. 20, de verbor. signific. Et quidem censuræ nomen

ad hæc significanda nonnisi recentioribus sæculis, sive circa tempora Gregorii IX, adhiberi consuevit; etenim olim per varias periphrases illa explicabantur, nimirum dicebantur canonica districtio, can. 23, dist. 86, can. 21, caus. 12, q. 2, can. 2, cau. 15, q. 7, districta ultio, can. 19, caus. 24, q. 5, canonica pœna, cap. 29, de simonia, gladius spiritualis, can. 2, caus. 15, q. 6, juncto cap. 6, de senten. excom. in 6, pœna spiritualis, can. 1, caus. 24, quæst. 3, nervus ecclesiasticæ disciplinæ, cap. 5, de consuetudine, quod et usurpatum est in tridentino concilio sess. 25, de refor. cap. 3, felix mucro, can. 1. in fine, caus. 16, quæst. 2, quod et usurpatum est in lugdunensi concilio cap. 6, de sent. excom. in 6, ferrum putridas carnes secans, cau. 18, caus. 24, qu. 3, separatio morbidarum ovium a sanis, can. 17, caus. 24, q. 3, et pœna medicinalis, can. 28, caus. 2, qu. 1, quod et legimus in lugdunensi laudato concilio in cap. 1 de sentent. excommun. in 6. Ut plurimum autem quæcumque censura appellabatur communi et generali nomine excommunicatio. Quemadmodum enim excommunicationis vocabulum ex sui natura significat exclusionem a communione, ita facile usurpari potuit ad demonstrandum quemcumque modum, quo quis vel omnino a communione ecclesiæ, vel a certa communionis specie removeretur. Porro communio sacrorum tot in species distinguitur, quot sunt species jurium ac donorum, quæ sunt in ecclesia. Igitur sive clericis interdicetur, ne officia suo ordini competentia obirent, neve de ecclesiastico peculio participarent, sive laicis interdiceretur, ne ecclesiam ingrederentur, ne divinis interessent in conventu populi, excommunicatio dicebatur. In canone ultimo, caus. 2, quæst. 1, ubi a sacerdotali officio clericos cxeommunicatos legimus, nomine excommunicationis aut suspensionem, aut etiam depositionem intelligimus, quemadmodum etiam occurrit in can. 9, dist. 28, in can. 6, dist. 32, in can. 21, dist. 50, in can. 29, caus. 7, qu. 1, et in can. 2, caus. 24, quæst. 5. Memoratur insuper excommunicatio in can. 10, dist. 70, ubi tamen non proprie quidem interdictum, sed quædam interdicti species, ac similitudo deprehenditur. Id adeo verum est, ut Gregorius IX et sequentes decretalium collectores sub titulo de sententia excommunicationis multa congesserint non solum de vera, et specialiter dicta excommunicatione, sed etiam de suspensione, et de interdicto, imo et de depositione, quasi hæc omnia sub nomine generali excommunicationis tunc comprehenderentur. His adjicitur, adeo verum fuisse, excommunicationem illa ætate complecti consuevisse et suspensionem, et interdictum, ut Bonifacius VIII, in cap. 13, de sent. excom. in 6, minime dubitaverit asserere, ea, quæ de excommunicatione olim statuta fuerunt, intelligi etiam statuta de suspensione, et de interdicto oportere.

Primum igitur nomen censuræ sub finem duodecimi, aut sub initium decimitertii sæculi usurpari proprie cœpit, nimirum temporibus Innocentii III, qua ætate tamen adhuc dubitabatur de vocabuli significatione, eamque ob rem singulari rescripto ejusdem pontificis definiendum fuit, censuræ nomine significari, aut excommunicationem, aut suspensionem, aut interdictum, cap. 20, de verb. signif. Equidem non ignoro, in vetustioribus, et jampridem editis canonibus censuræ nomen occurrere, uti in can. 13, dist. 12, in can. 7. dist. 56, in can. 10, caus. 2, quæs. 1, in can. 17 et 38, caus. 12, quæs. 2, et in can. 118, de consecr. dist. 4. Sed in conspectu horum monumentorum statim liquet, ibidem censuræ vocabulum non id significare, quod hodie intelligimus, sed potius indicare sententiam prælati, qua alicujus gesta notentur, et generaliter corrigantur inordinata subditorum opera, quicumque tandem esset modus correctionis. Sic in dicto can. 13, dist. 12, dicitur fuisse quosdam corrigendos *sub pœnitentiæ censura;* in dicto can. 7, dist. 56, legitur, esse *contra ecclesiasticam censuram*, idest contra disciplinam canonum, si forte quis innocens damnetur; in dicto can. 10, caus. 2, qu. 1, statuitur, ut rei episcopali *censura cleri emendatione* corrigerentur, in dicto can. 17, caus. 12, qu. 1, fertur episcopus Burdegalensis *censuram pontificiæ institutionis* poposcisse, ex qua regulam sumeret animadvertendi in reum graviorum delictorum; in dicto can. 38, caus. 12, qu. 2, *censura* dicitur constitutio ipsa in ilerdensi concilio edita, sancita et promulgata; et in dicto canone 118, de consecr., dist. 4, cujuscumque sit auctoris, et auctoritatis, dicitur, pueros delinquentes non esse ordinaria pœna puniendos, propterea quod *censura,* idest providentia legum, eos excipit a coercitione. Hoc etiam sensu censuræ nomen usurpavit Justinianus imperator in I, 45, cod. de episc. et cler. ubi referens, clericos majores ecclesiasticis legibus a nuptiis arceri, leges ipsa ecclesiasticas *sacerdotalem censuram* nominavit.

Itaque censura, prout hodie accipitur, definiri belle potest *nota quædam, ut plurimum personalis, aliquando vero localis, autoritate ecclesiæ inflicta, qua fit, ut certis personis in criminum consuetudine pervicacibus interea interdicatur usu quorundam jurium ecclesiasticorum, modo plurium, modo pauciorum, ut corrigantur, et ad demissam agendam poenitentiam, et satisfactionem exhibendam, de qua adhuc ecclesia spem non mediocrem habet, quasi adjectis vehementibus stimulis adducantur.* Dicitur in primis *nota quædam, ut plurimum personalis, aliquando*

vero localis, ut distinguatur duplex censurarum genus, ex quibus omnes in personas ferri possunt, nimirum et excommunicatio, et suspensio, et interdictum, una vero solum nimirum interdictum, in loca infertur. Dicitur *auctoritate ecclesiæ inflicta*, ut indicetur necessarium esse actum quemdam ecclesiasticæ potestatis, ut censura inferatur, qualis est aut lex pubblica ecclesiæ, aut sententia, vel præceptum ecclesiastici superioris jurisdictionem in foro ecclesiæ externo exercentis. Hanc ob rem siquis sponte, vel ob privatam conscientiam criminis, vel ex animi devotione, et reverentia in res sacras a sacramentis abstineat, censura non erit; quemadmodum nec censura est peccatum ipsum, quod legitimam sacramentorum plurium susceptionem, aut ministerium impedit, proptereaquod nemo in his casibus specialis ecclesiastica auctoritate ab eorundem sacramentorum susceptione, ministeriove repellitur. Quod si sacerdotes sacramenti penitentiæ administri, pœnitentes quandoque jubeant ne ad eucharistiam accedant, removeant etiam a sacramentali absolutione, non ideo hæc censura dicetur, sive quod hæc censura dicetur, sive quod hæc mandata ad internum tantum forum pertineant, sive quod in hac parte, non proprie jussio, et imperium ecclesiæ sit, sed tantum proponant ecclesiastici administri certas conditiones, quibus demum impletis juxta divinas institutiones sacramenta rite percipiantur, aut administrentur. Aliud autem est, quosdam edito absoluto præcepto, jussu, imperio repelli a sacramentis, quod fit per censuram, aliud declarare, ex jure divino non licere quibusdam accedere ad sacramenta, nisi certis conditionibus, quemadmodum aliud est irregularitatis impedimentum, quo quis auctoritate ecclesiæ a recipiendis ordinibus arcetur, aliud præceptum ecclesiæ alicui factum, nec insuper habitis certis conditionibus ad ordines suscipiendos accedat.

Clarius adhuc explicari res potest. Sunt in communione sacra duplicis generis jura, alia, quæ non subsunt omnino ecclesiasticæ potestati, sed Deo reservantur, alia quæ a Deo institutore ecclesiæ libere eidem ecclesiæ concessa sunt ita, ut pro ecclesiæ ipsius arbitrio disponantur. Primi generis sunt intima conjunctio animæ cum Deo, quæ fit per gratiam, habitus fidei, spei, et charitatis, character sacramentalis, præordinatio ad æternam vitam, et in eamdem æternam vitam admissio, atque his similia, quæ sane non alia sicut dari, ita nec tolli potestate possunt, quam divina, quamquam enim ecclesia identidem sit administra divinæ virtutis; quod contingit in sacramentis per ecclesiasticos administros collatis, in quibus et gratia sanctificans, et multa alia divina dona conferuntur, et character imprimitur ecclesiæ ministerio, non tamen hæc omnia adeo pendent ab ecclesiastica potestate, ut semper effectus sequatur operante Ecclesia, aut ecclesia non operante effectus nullus obtineatur, aut deleatur auctoritate ecclesiæ, quod semel factum est. Quidquod enim sæpe, ac sapius divina gratia prævenit quodcumque sacerdotis officium, immo non amittitur, aut restituitur, sacerdote etiam invito, ac reluctante? Quidquod character semel impressus in collatione sacramentorum indelebilis omnino dicitur? Secundi generis sunt externa communio sanctorum, in ecclesiam admissio, publicæ preces, ac suffragia, sepulturæ concessio, participatio beneficiorum, et alia hujusmodi bene multa, quæ sane omnino relicta sunt ecclesiasticæ potestati. Itaque censura illa dicitur, quæ privat bonis secundi generis, quamquam non spoliet aut omnibus, aut etiam nullo ex bonis primi generis. Quæ cum ita sint, intelligimus facile, quid sit, censuram inferri oportere ab ecclesiastica potestate, respectu scilicet eorum jurium, ac bonorum, quæ libere relicta sunt ecclesiasticorum administrorum prudenti arbitrio, ac facultati. Hinc fit, non sufficere ad censuram, quemquam lethali peccato detineri, immo nec sufficere, quemquam gehennæ pœnis affligi ex divina sententia; bonum enim gratiæ, quo privat hominem lethale peccatum, et bonum vitæ æternæ, quo privat hominem divina sententia, liberæ dispositioni ecclesiæ relicta non sunt.

Dicitur insuper censura inferri, ut *quibusdam personis etc.*, quamquam enim duplex censura sit, personalis, et localis, censura tamen localis, utut ratione loci indicta fuerit, præcipue refertur ad personas, quibus interdicitur, ne in certo loco certa jura sacra, aut certis modis exerceant. Dicitur personas censura notari, *quæ sint in criminum consuetudine pervicaces*, ut indicetur, ordinariam censurarum caussam in contumacia esse positam; si enim delinquens statim dolore percitus, veniam apud Deum, et apud Ecclesiam postulet, non censuris notari solet, sed pœnitentiis expiari. Quod si extra ordinem adhuc censura notari quandoque videantur atrocioris cujusdam sceleris rei, etiamsi de illorum contumacia non satis constet, ad magis magisque terrendos eos, qui enormia crimina admittunt, qui dum sentiunt secum agi, ac si ageretur cum contumacibus, facilius adducuntur ad petendam admissi veniam, et acerbius dolent de admisso, aliisque etiam in hoc exemplo sunt, ut ejus generis scelera detestabilius abhorreant; tunc istam saltem in hac parte non proprie censuram dicemus, sed pœnam; neque enim repugnat, ea jura, quibus aliquis spoliari ad tempus etiam incertum potest per censuram, ita suspendi posse, ut id in pœnam flectatur. Dicitur præterea censura notatis *interea interdici usu quorundam jurium*

ecclesiasticorum, modo plurium, modo pauciorum. In primis *interea interdici*, ut intelligatur, censuras non esse perpetuas, sed eo usque permanere, donec quis emendetur, et corrigatur. Quod si identidem dicatur quis per certum determinatumque tempus quadam excommunicatione, aut suspensione notari, excommunicationes istæ, aut suspensiones proprie censuræ non sunt, sed vel pœnitentiæ, vel pœnæ. Additur secundo *usu*, ut indicetur, censuram jura, quibus privat, non omnino de medio tollere, sed tantum, ne exerceantur, impedire. Sic patronus excommunicatus non amittit juspatronatus, tantum non illud exercet, ubi interea beneficium vacet, quousque censura non sit absolutus. Sic clericus suspensus a beneficio non amittit beneficium, tantum redditus interea non facit suos, quales faceret non suspensus. Subjicitur tertio, *quorundam jurium ecclesiasticorum*, ut explicetur, non omnia juria sacra, censura posse deleri, sed tantum illa, quæ liberæ dispositionis ecclesiæ relicta sunt, uti modo observabam. Ubi additum est *modo plurium, modo pauciorum*, indicandum fuit, censuras non omnes esse pares, cum excommunicatio ex. gr. omnibus juribus ab ecclesia pendentibus privet, non suspensio, aut interdictum. Et revera post suspensionis censuram, inferri adhuc tanquam gravior potest censura excommunicationis, cap. 10, de judiciis, cap. 8, de dolo et contum., cap. 13, de vita, et hon. cler., cap. 4, de jurepatron., cap. 1, 2, 3 et 4, de cler. excomm. min., quod sane fieri nequiret, si omnia juria ecclesiastica essent suspensione sublata. Postrema definitionis verba *ut corrigantur etc.* designant finem censurarum, quæ non ad perdendum inferuntur, uti inferuntur pœnæ, sed ad corrigendum, qua in re observatur, ob eandem caussam censuras in eos infligi, de quibus spes bona possit futurum, ut corrigantur, quæ spes si non esset, non censura, sed pœna inferretur.

CAPUT II.

De iis, qui possunt censuras inferre.

Non esse potestatem ordinis, sed jurisdictionis sacræ, eam, quæ exercetur in inferendis censuris, facile demonstrari potest ex principiis generalibus a me alias positis in tractatione de potioribus ecclesiæ dignitatibus et officiis. Cum enim ibidem statuissem, eam dici potestatem jurisdictionis sacræ, quæ abs jure gentium omnibus ubique sacerdotibus concessa fuit apud omnes nationes, sacerdotibus autem judæorum divina auctoritate tributa, ac tandem in evangelio a Deo translata in apostolos, et apostolorum successores, satis erit indicare, censuras non apud cristianos tantum, sed et apud judæos, immo et apud alias gentes in usu fuisse, ut liqueat, veram et proprie dictam jurisdictionem in censuris infligendis exerceri. Apud gentes censurarum quasdam species extitisse, belle probat testimonium Cæsaris in lib. 6, de bello Gallico cap. 4, scribentis hunc morem fuisse apud Germanos, et Gallos *Siquis aut privatus, aut populus, eorum* (idest Sacerdotum) *decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum, ii numero impiorum, et sceleratorum habentur: ab iis omnes decedunt, aditum eorum, sermonemque defugiunt, nequid ex contagione incommodi accipiant; neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. His autem omnibus druidibus præest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem etc.* Apud judæos extitisse quosdam infligendarum censurarum modos, probat caput 23. Deuteronomii, item Joannes in evangelio, dum refert in cap. 9, vers. 22. *Judæos conspiravisse; ut siquis* Jesum *confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret*, et in cap. 16 vers. 2, Christum Dominum prædixisse ea, quæ ex judæorum odio apostolis essent eventura, inter cetera, *absque synagogis facient vos*, ut indicaret, apostolos a consortio judæorum repulsum iri, quæ sane species erant excommunicationis. Dum vero Christus Dominus ecclesiæ fundamenta jecit, eam voluit esse in ecclesia potestatem, Matthæi cap. 18, vers. 17, ubi mandavit, habendum esse tanquam ethnicum, et publicanum, qui ecclesiam non audivisset. Hac ipsa facultate non semel usus fuit Paulus apostolus, dum incestuosum Corinthium satanæ tradidit, prima ad corinth. cap. 5, vers. 5, dum anathema esse voluit, qui Dominum Jesum non amaret, eadem epistola cap. 16, vers. 22, dum anathema esse jussit eum, qui aliud, quam Christi evangelium, prædicaret, ad galatas cap. 1, vers. 8, dum eum, qui apostolicis præceptis non obtemperaret, notandum esse clamavit, velut eum, cum quo nemo commisceretur, secunda ad thessalonicens, cap. 3, vers. 14. Hinc sane fit, ut licet censura ex justitia inflicta liget homines etiam apud Deum, et in foro, ut ajunt, conscientiæ, can. 6, can. 24, qu. 1, a nemine tamen indici, infligive possit, quam ab eo, qui externam in ecclesia jurisdictionem exerceat, cap. 2 de his, quæ fiunt a major. part. capit. Quamquam enim parochi et sacerdotes forum pœnitentiale nacti in eodem foro denegare peccatoribus aliquando valeant jus ad sacramenta accedendi, ea tamen censura non dicitur, sive quod neminem in foro externo devincit, unde vulgaris traditio prodiit, peccatorem, cui absolutio in foro secreto, et pænitentiali denegatur, non habere quidem jus sacramenta petendi, habere tamen jus, si nihil aliud obsit; ut sibi publice petenti sacramenta non

denegentur; sive quod hæc proprie censura non est, uti in capite præcedente observabam, et tantum in hac specie proponitur a sacerdote, quid ex divinis mandatis agendum sit a peccatore; ut rite, et cum fructu accedat ad sacramenta. Quod si in medium proferas canonem 6, cau. 16, quæst. 1, ubi Hieronymus clericis universis facultatem videtur asserere eradicandi ab ecclesia, imo et satanæ tradendi juxta monumentum Pauli apostoli in 1, ad cor. cap. 12, intima agnoscenda est hieronymiani fragmenti sententia. Ibidem sanctus vir non sermonem instituit de singulis clericorum gradibus ad distinguendas singulorum clericorum potestates, sed comparat clericalem cum monastica vita, et cum facultatem excommunicandi monachis denegat, tum eam clericis tribuit; unde colligitur, tradidisse quidem Hieronymum, in clero consistere excommunicandi facultatem, exclusis aliis qui clero adscripti non essent, non tamen eam asseruisse singulis clericis etiam jurisdictione ecclesiastica destitutis. Facile erat respicere tunc temporis ad universum clericorum collegium, quo coeunte sub episcopo ex synodi totius sententia ut plurimum censuræ inferebantur. Quod si opponatur canon. 11, caus. 2, qu. 1, seu Novella Justiniani 123, cap. 11, confirmata in concilio parisiensi, can. 6, quæst. 3, ubi presbyteris æque ac episcopis facultas excommunicandi conceditur, cum legitima subsit excommunicandi caussa, facile intelligetur de presbyteris aut sententiam episcopalem promulgantibus, aut etiam consilium suffragiumque ferentibus excommunicanti episcopo, aut denique de presbyteris eam jurisdictionem singulari jure nactis, veluti cum sede episcopali vacante iis jurisdictio episcopalis adquiritur. Si insuper objiciatur Gratiani auctoritas initio quæstionis 6, caus. 26, tradentis, excommunicatum ab episcopo, eo inconsulto ab alio reconciliari non posse, nisi a metropolitano, vel a pontifice Maximo, quod ex eo probat, quia presbyteri potestatem excommunicandi, vel reconciliandi ab episcopo accipiunt; dicendum erit, ibidem non asseri presbyteris ordinario jure facultatem excommunicandi, sed tum demum, cum extra ordinem fuerit presbyteris ab episcopo demandata. Si præterea adferatur in contrarium capitulum 17, de restit. spoliat., ex quo liquet probatum fuisse jus parochiale ex potestate inferendæ censuræ, statim ibidem deprehenditur, de episcopo sermonem institui, qui et jus parochiale simul, et episcopale sibi in certa ecclesia vindicabat. Denique si in cap. 2 et 3, de offic. indic. ordin. sacerdotibus quibusdam, aut plebanis dicitur competere facultas ferendæ excommunicationis, vel interdicti, de iis sacerdotibus intelligenda sunt, qui singulari titulo hujusmodi facultatem adquisivissent; neque enim repugnat, potestatem jurisdictionis, quæ in episcopis ordinaria est, competere extra ordinem aliquando clericis inferioribus, puta vel consuetudine, vel præscriptione, vel privilegio, argum. cap. 13, de foro competente.

Itaque ad jurisdictionem ecclesiasticam pertinet censuras inferre, ex quo duo principia stabilienda sunt, quorum primum est, eam facultatem adquiri a laicis nullo modo posse, idest ab iis, qui omnino sunt extra clerum; alterum est, ad eandem facultatem exercendam non requiri certum ordinem, aut episcopalem, aut sacerdotalem. Primum facile constat generaliter ex c. 2, de judiciis, specialiter autem ex can. 1, vers. *maximus* d. 96 et ex c. 10, de judiciis. Suffragatur recta ratio, etenim uti censura privat bonis spiritualibus ecclesiasticis, ita ab eo tantum indici potest, cui bonorum eorundem spiritualium administratio divino jure commissa est, quales sunt clerici in consortium administrationis sacrorum vocati. Neque opponas capitulum 12, de major. et obed. ubi species proponitur de abbatissa, quæ certos clericos suspendit; siquidem quæ ibidem suspensio commemoratur, proprie censura non est, tantum est præceptum abbatissæ denegantis, in ecclesia monasterii officium a sacerdotibus peragi, aut sacerdotes fructus beneficii a monasterio exigendos percipere. Quidquod enim proponitur, clericos illos voluisse abbatissæ obtemperare, ex eo, quod ab abbatissa excommunicari non poterant? Argumentum id est, quo concluditur, ab abbatissa censuram inferri nequivisse; quod magis ex eo confirmatur, quod adversus clericos eosdem inobedientes jubeatur ordinarius inferre censuram si contemnere abbatissæ monita perrexissent. Profecto supervacua fuisse ulterior ordinarii censura, si jam vera censura coerciti clerici fuissent abbatissæ auctoritate. Ceterum generaliter verum est, hos aut similes conatus abbatissarum quarundam sibi certas adrogantium ecclesiasticæ jurisdictionis species fuisse sacris canonibus improbatos, argomento capituli 10 de pœnit. et remiss. Alterum principium, quo definitur, ad ferendas censuras non requiri ordinem episcopalem, facile constat ex cap. 15, de election. ubi statuitur, utut necdum consecratum clericos censura notare. Constat insuper ex cap. 13, de offic. ordin. ubi non denegatur capitulis cathedralium ecclesiarum facultas ferendi censuras, ubi hanc legitimo titulo acquisivissent. Constat etiam ex cap. 1 11 et 29, de offic. et pot. jud. deleg. ex cap. 7, de offic. legati, et ex cap. 10, de major. et obed. in quibus apparet, delegatos, vel legatos pontificios indiscriminatim, etiamsi episcopali ordine non sint insigniti, posse censuras infligere, propterea quod a pontifice maximo mandatam jurisdictionem valeant exercere. Nonne in dicto cap. 10, de major. et

obed. Priori quidam asseritur facultas inferendi censuras in canonicos ecclesiæ suæ? Nonne in cap. 11, eod. tit. cardinalibus in ecclesia sui tituli generaliter ea potestas conceditur? Nonne in cap. 2 et 3, de offic. judic. ordinar. eadem potestas competere jure dicitur sacerdoti, aut plebano, qui sane singulari titulo eum adquisiverat? Neque aliam ob caussam puto, hujusmodi facultatem denegatam canonicis, de quibus agitur in cap. 2, de his, quæ fiunt a majori parte capit. nisi quod nullo singulari jure canonici illi eam sibi competere ostendissent.

Positis his generalibus regulis, multa fluunt consectaria. Et primo colligimus, attento jure decretalium episcopos ante consecrationem confirmata electione posse censuras inferre cap. 15, de elect. Dico attento jure decretalium, quia aliud obtinuit post extravagantem 1, de elect. tit. com. quibus in provinciis ea recepta est. Secundo colligimus, in neminem posse eam potestatem exerceri, nisi qui jurisdictioni subjiciatur, ejusdem jurisdictionis modo servato, cap. 11 et 29, de offic. et potest. jud. deleg. cap. 7, de offic. legati, c. 10 et 11, de major. et obed. c. 21, de sentent. excomm. Tertio, vicarios generales a prælatis eam facultatem habentibus constitutos, etsi sacerdotio minime initiatos, item cardinales, atque abbates, non presbyteros, seu seculares, seu regulares in ecclesiis, in quibus episcopalem jurisdictionem exercent, censuras jure inferre. Quarto colligimus, nihil repugnare, quominus superior jurisdictione, licet ordine minor sit, notet eum censura, qui minor sit jurisdictione, et ordine major, quemadmodum contingit in vicario generali archiepiscopi jnrisdictionem exercente in episcopos suffraganeos, argumento canonis 1, dist 34, can. 3, caus. 6, quæst. 4, et cap. 52, de sentent. excommunic. quamquam tamen fatendum sit, magis decorum et honestum existere, si in eo caussarum genere archiepiscopi per se sententiam ferant, argumento canonis 4, 5, 6, 7, 8 et 9, dist. 21, eamque ob rem pontifices maximi aliquando quibusdam suffraganeis indulserunt, ut ab officialibus metropolitanorum censura notari non possent, cap. 1, in fine de offic. judicis ordinar. in 6. Quinto, censuram extra territorium etiam in subditos latam nullum effectum habere, cap. 2, de const. in 6, licet censura personalis in territorio lata subditos semel notatus deinde quocumque abeuntes afficere pergat, can. 24, caus. 7, quæst. 1, cap. 1, de raptor, cap. 16, de sentent. excom. in 6. Exceptio est in eo, qui a diœcesi abest adversus residentiæ leges; etenim in caussa ipse violatæ residentiæ, licet absens, censura notari poterit, cum inspiciatur tunc non locus, in quo persona invenitur, sed locus delicti, sive deserti contra leges officii, cap. 11, de cler. non resid. Eo autem minus poterit quis alienum subditum censura notare, argumento canonis 1 et 2, cau. 6 quæst. 3, nisi iste deliquerit in illius diœcesi, can. 4 et 5, cau. 6, quæst. 3, vel nisi diœcesanus consentiat, can 6, cau. 9, quæst. 3, colligitur, episcopos, sicut nec certa ecclesiæ suæ graviora negotia gerere, ita et hanc censuras inferendi potestatem non posse exercere sine consensu sui capituli, ubi viget adhuc jus decretalium, cap. 1, de excess. Prælator, ac proinde mortuo episcopo, eam potestatem ad capitulum devolvi. Septimo, sicut archiepiscopus regulariter nequid jurisdictionem exercere in subditos suffraganeorum, nisi in caussa appellationis, ita eundem non posse, nisi in caussa appellationis in subditos suffraganeorum censuras infligere, cap. 5. de sentent. excommunic. in 6, cap. 1, § ult. de foro compet. in 6. Octavo, non posse episcopos in officiales vel nuncios apostolicæ sedis, quasi privilegio singulari sui muneris exemtos, censuræ sententiam pronunciare, quamquam valeant de eorum gravioribus admissis pontificem maximum certiorum facere, ut idem pontifex caussa cognita illos animadvertat, extravag. 3, de hæreticis int. com. Nono, quamquam olim etiam in hac parte monachi episcopis subjacerent, can. 6, 9 et 17, cau. 16, quæst. 1, ob recentiores tamen exemtiones, et privilegia, monachos ab episcopis censura notari non posse. Exceptio vetus fuit, si monachi extra claustra vagentur, isti enim privilegio cœnobii sui uti nequeunt cap. 21. de privileg. Aliam exceptionem adjecerunt patres tridentini gratia ordinariorum, qua scilicet, non obstantibus monachorum exemtionibus, episcopi promulgent etiam in ecclesiis monasteriorum censuras a se legitime latas, sess. 25, de regular. cap. 12. Generalis quoque est exceptio in iis omnibus caussis, in quibus concilium tridentinum voluit, monachos episcopis iterum esse subjectos, aut abrogatis in ea parte privilegiis atque exemtionibus, aut constitutis episcopis tanquam sedis apostolicæ delegatis; frustra enim concilium tridentinum excitavisset episcopalem jurisdictionem in iis speciebus, nisi et in eisdem facultatem fecisset coercendi censuris obsistentes, ac contumaces. Olim quæstio erat, an monasteria exempta dicerentur ex eo, quod in protectionem sedis apostolicæ recepta fuissent; et in ea definitum fuit, sedis apostolicæ protectionem in caussa esse, ut monachi ab ordinariis locorum neque excommunicari, neque interdici possent, in ceteris autem obnoxii manerent, cap. 18, de privileg. c. 1, de verbor. significat. in 6. Aliquando præter monachos plurimi extiterunt, qui simili privilegio gaudebant, c. 16, de privileg. Sed deinde hæc privilegia abrogata fuerunt, integris tamen manentibus iis, quæ regibus

regumque familiis competerent, et quæ gratia seu cœnobiorum, seu collegiorum concessa fuissent, cap. 5, eodem titulo in 6. Decimo denique colligitur, delegatos ad certam caussam facultatem eo ipso nancisci, inobedientes litigantes censura notandi, etiamsi expressa in mandato non fuerit, ne alias jurisdictio irrita sit, et inanis, c. 5, 7, 11 et 29, de off. et pot. jud. deleg.

Duo adhuc observanda sunt, quorum primum respicit ordinarios jurisdictionem in certa diœcesi habentes, alterum respicit eos, qui singulari titulo facultatem ferendarum censurarum nacti fuerint. Ad ordinarios spectat, quod tradi solet, tum demum eos posse censuram inferre, cum censura ipsi irretiti non sint. Si tamen et ipsi censura tenentur, distinguendum est inter censuras et censuras. Sunt enim ex censuris aliquæ, quæ jurisdictione privant, aliæ, quæ hunc effectum non habent. Privant jurisdictione excommunicatio major, et suspensio ab officio; non privant autem aut excommunicatio minor, aut suspensio, quæ sit tantum ab ordine, vel beneficio, integra manente officii administratione, quemadmodum nec privat interdictum. Igitur irrita erit censura, quotiescumque feratur a Prælato, vel excommunicato excommunicatione majore, vel suspenso ab officio; rata e contrario erit, etiamsi feratur ab excommunicato excommunicatione minore, aut ab interdicto, aut a suspenso ab ordine tantum, vel beneficio integra manente officii administratione. Perspicuum id fit perpendenti facultatem ferendarum censurarum jurisdictioni cohærere; propterea non amitti, nisi quibus in casibus jurisdictio auferatur. Ad eos, qui singulari titulo facultatem adquisiverunt censurarum inferendarum, spectat ipsos non semper censuras omnes inferre. Quamquam enim, si privilegium generale demonstrent, aut alium singularem titulum potestatis censurarum in universum ferendarum, nulla dubitatio sit, quin ampla habeatur eorum potestas, et ad omnes censurarum species referatur; quid tamen, si excommunicandi tantum, aut suspendi tantum, aut interdicendi tantum quæsivisse potestatem demonstrent? Num quod de una censuræ specie edocetur, ad alias extendetur? Plane si quis demonstret, adquisivisse se facultatem excommunicandi, satis erit ut probatum etiam sit, eo ipso illi competere facultatem, et suspendendi et interdicendi; etenim excommunicatio in se, et suspensionem, et interdictum complectitur, quo referri possunt tres illæ juris regulæ; prior: *Plus semper in se continet, quod est minus*; posterior: *Cui licet plus, licet etiam, quod est minus*; postrema: *In toto partem non est dubium contineri*, cap. 35, 53 et 80, de regul. jur. in 6. Non tamen e contrario qui demonstrat, se adquisivisse facultatem interdicendi, eo ipso et tacite demonstravit, se etiam adquisivisse facultatem excommunicandi, aut suspendendi, quemadmodum nec qui demonstrat, se adquisivisse facultatem suspendendi, tacite et eo ipso demonstravit, se etiam adquisivisse facultatem excommunicandi, aut interdicendi, argumento capituli 12, de major. et obed. Neque enim in interdicto suspensio, in suspensione interdictum, in alterultra, aut in utraque censura, excommunicatio continetur.

CAPUT III.

De iis, qui possunt censuris coerceri.

Tria observanda sunt ratione habita personarum, quæ censuris notari possunt. In primis enim aliqui sunt, qui omnino nequeunt censuris coerceri. Deinde sunt aliqui, qui certis quidem censurarum speciebus, non tamen omnibus obnoxii sunt. Denique sunt aliqui, qui, quamquam omnibus censuris subjicii queant non tamen subjacent, aut ratione habita certorum prælatorum censuras inferentium, aut ratione habita eorum, quibuscum commorantur, aut ratione habita legis generalis, in qua comprehensi non intelliguntur, nisi de ipsis specialis mentio fiat. Duæ priores observationes in hoc principio collocatum fundamentum habent: nimirum cum censuræ ita inferantur, ut interdicatur certis ecclesiæ bonis, aut juribus; nullo modo injici censura potest in eos, qui eisdem juribus gaudere minime possunt, nec propterea possunt spoliari. Postrema observatio altero principio innititur, quod certæ personæ sint, aut dignitate spectabiles, aut privilegiis specialibus insignitæ, quas lege generali censuram inferente comprehendi vel dignitas ipsa, vel privilegium minime patitur.

Itaque in primis aliqui sunt, qui censuris omnino coerceri nequeunt. Quod ut perspicue explicetur, ponendum initio est generale principium, quo statuatur, eos omnes posse censura notari, qui sunt in ecclesia, can. 10, dist. 96, e contrario neminem ex iis notari posse, qui extra ecclesiam consistunt. Cum enim ii dumtaxat, qui in ecclesia sunt, juribus, et bonis illis potiantur, quibus censura interdicitur; quomodo censura notabuntur illi, qui nunquam in ecclesia extiterunt? Hinc Paulus apostolus ab Augustino laudatus in can. 18, caus. 2, qu. 1, ajebat: *Quid enim mihi de his, qui foris sunt judicare?* In conspectu hujus traditionis forte aliquibus difficultatem ingeret, aut capitulum 13 et 14, de judæis, aut capitulum 12 et 18, de usuris, ex quibus adparet, aliquando judæos fuisse excommunicatione coercitos. Ego in his speciebus agnosco quandam excommunicationis imaginem, non veram, proprieque dictam excommunicationem. Est imago quædam excom-

municationis in eo, quod feratur ea sententia ad contundendam contumaciam judæorum; quod tempus habet indefinitum, eo usque provecta, quo judæi a temere factis resipiscant; quod certis juribus, quorum illi capaces sunt interdicatur. At proprie censura excommunicationis non est, sive quod quæ abs judæis communio aufertur, non est communio sacra, sed civilis in commerciis consistens, sive quod ea pena non directe fertur ab ecclesiæ auctoritate, sed potius principium patrocinio etiam implorato, dicto cap. 18, de usuris vers. *Principibus*, sive denique quod non directo fertur in judæos, sed potius christianis mandatur, ut ab judæorum commercio prorsus abstineant, uti liquet ex omnibus laudatis monumentis. Ut paucis dicam, quoties judæi in certo loco consistunt, iis civilia negotia permittuntur, in quibus communionem habent cum Christianis. Interest aliquando in judæorum pœnam hac communione interdicere, qua judæi fruuntur; verum hæc proprie excommunicatio dici nequit, sed quoddam veluti excommunicationis simulacrum, eadem fere ratione, qua in cap. 11 de constitut. instar censuræ dici potest privatio cujusdam officii minime sacri, quæ tamen censura non est, et tantum habet censuræ imaginem, quod eadem forma illata fuit, qua solent inferri censuræ. Erit ergo potius pœna quedam civilis, et temporalis ad emendationem illata, quæ ideo confertur in tempus indefinitum.

Secundo aliqui sunt, qui quibusdam quidem censurarum speciebus non tamen omnibus obnoxii habentur. Quamobrem distinguenda sunt varia hominum genera, status, aut rationes, ut dignoscatur, quæ species censuram singulis conveniant. Imprimis observandum est, constare hominem ex anima, et corpore: hinc quædam censuræ et animam, et corpus afficiunt, quædam in animam tantum feruntur. Sic major excommunicatio, et interdictum tenet etiam corpus post mortem, ita ut cadaver excommunicati, et interdicti nequeat ecclesiastica sepultura donari, quin tamen aut excommunicatio minor, aut suspensio corpus afficere valeat. Insuper observandum, hominum alios viventes esse, alios defunctos. Viventes quidem censuris omnibus notari possunt; at defuncti notari quidem possunt excommunicatione majore, aut interdicto, minime vero excommunicatione minore, aut suspensione, etenim defuncti incapaces sunt illorum jurium, quibus privant aut excommunicatio minor, aut sospesio, capa ces autem sunt jurium, quibus privat interdictum, veluti sepultura ecclesiastica, aut quibus privat excommunicatio major, veluti publicæ preces, et orationes, quæ fiunt pro defunctis, et ecclesiastica sepultura. Id tamen ita intelligitur, ut excommunicatio major, vel interdictum non proprie censura sit, sed potius pœna, propterea quod non ad corrigendum, et emendandum, sed ad puniendum infligitur. His proximum est suspensionem, et excommunicationem minorem vi ipsa morte notati interire; excommunicationis autem majoris, et interdicti censuras in viventes latas etiam post mortem durare, quousque absolutione deleantur, quæ eatenus post mortem censuræ dici possunt, quatenus verum fuit, ad corrigendum, et emendandum ab initio fuisse inflictas, can. 1, 2 et 3, caus 4, quæst. 2, cap 28, de sentent. excommun. cap. 12 et 14, de sepult. Notatu dignum est hac in re, communionem sacrorum duplicis generis esse, aliam juris, quæ scilicet alicui jure competit, veluti fidelibus innoxiis, aut graviorum criminum minime reis; aliam tantum facti, qua gaudent qui graviorum criminum conscii sunt, et censura digni, quamquam censura necdum in ipsos publicata fuerit, quiaforte crimen adhuc occultum est, nec perspicue probatum. Sane ubi quis et jure, et facto communione gaudebat, eadem post mortem privari nequit; secus, si facto tantum gaudebat, non jure, poterit censura notari, can. 6, caus. 24, quæst. 2. Quandoque vero contingit, ut qui in communione ecclesiæ decessit, revera in communione non sit, et e contrario, propterea quod in rebus facti ecclesia modo humano procedit, et eum credere potest in communione existere, qui non existit, et e contrario eum a communione repellere, qui adhuc in communione consistit, quemadmodum scribebat Innocentius III. in cap. 28, de sent. excom.

Præterea observandum est, duplicem hominum rationem existere, prout homines, vel singuli atque in propria persona considerantur in communi tanquam universitatem, vel collegium componentes. Hinc quamquam censuræ omnes ferri in singulorum personas possint, nimirum et excommunicatio, et suspensio, et interdictum, non tamen omnes, sed aliquæ tantum ferri possunt in corpora, idest collegia, atque universitates. Sic neque universitas, neque collegium excommunicari potest, can. 1, caus. 24, quæst. 3, cap. 5, vers. *in universitatem* de sent. excom. in 6, quamquam suspendi valeat, aut interdici cap. 11, de sponsal., cap. 13 de privileg. cap. 16, de sent. excom. in 6. Regulæ hujus ratio est, quia excommunicatio animam penitius afficit, quam in discrimen æternæ salutis adducit, cujus sane periculi capacia collegia non sunt, et universitates; alias autem non decet, excommunicari singulos de collegio aut universitate ob delictum collegii aut universitatis, uti recte notabat Bonifacius VIII. in dicto cap. 5, de sent. excom. in 6, inhærens s. Agustini vestigiis; qui in dicto can. 1, caus. 24, quest. 3, improbaverat factum episcopi integram familiam excommunicantis. Et revera delicta universitatum, collegiorum, ac fami-

liarum dicuntur. quæ admissa sint a majore parte, sive ex majoris partis consentione etiamsi aliqui non coluerint; est autem absurdum, aliquem in discrimen salutis æternæ adduci, qui innoxius est, neque potuit multitudini obsistere. Verum enim vero adhuc deliberandum est in conspectu capituli 22, de præbend., et capituli 11, de exception. in quibus species proponi videtur collegii canonicorum excommunicatione notati. Sunt qui putant, ante Bonifacium VIII viguisse ut capitula possent excommunicari, quasi primum id vetitum fuerit ab eodem Bonifacio in dicto cap. 5. Mihi hæc opinio non placet; etenim ratio a Bonifacio adjecta in dicto cap. 5, perpetua est, nec modum ullum temporalis disciplinæ recipere potest; cum enim ait ipse, ex excommunicatione collegiorum emergere gravissimum animarum detrimentum, proptereaquod in collegiis innoxii quidam sæpe sint, quorum animas excommunicatione ligare absonum est, indicat numquam id recipi potuisse: atque ante Bonifacium jamdiu id tradiderit laudatus Augustinus in dicto can. 1, caus. 24, quæst. 3, verosimilius est dicere, in dicto capite 22. de præbend. non agi de capitulo excommunicato, sed de excommunicatis singularibus canonicorum personis, qui mandato apostolico contradixissent, uti verba rescripti demonstrant; aliud autem est, collegium, aliud, personas singulares de collegio, illas nimirum, quæ gravis inobedientiæ reæ sint, excommunicari. Item verosimilius esset dicere, in dicto capite 11 de exception. nomine excommunicationis non intelligi veram, et proprie dictam excommunicationem, sed potius suspensionis censuram. Et quidem veteres aliquando suspensionem appellaverunt nomine excommunicationis, ex eo, quod suspensio certa communionis ecclesiasticæ jura auferrent, et generale excommunicationis nomen sæpe, ac sæpius ad alies singulares censuras referretur, uti superius observatum est, et inferius adhuc demonstrabitur. Nil igitur mirum, si suspensa capitula quasi excommunicatione notata aliquando pontifices Maximi appellaverint. Neque hæc interpretatio repugnat verbis laudati rescripti. Quod enim dicitur in dicto cap. 11, contra collegium canonicorum propositam fuisse exceptionem excommunicationis, ne in judicio appellationis, ageret, commode intelligi potest de suspensione ab administratione reddituum capitularium, de qua dubitari poterat, an capitulum ab agendo rejiceret. Clarius adhuc dicam, excommunicationis plures effectus esse; in primis enim ii sunt, qui et suspensioni, et interdicto communes habentur; item est etiam denegatio communis orationis, precum pubblicarum et salutationis officiosæ; est denique damnatio animarum. Priores quidem effectu omnes potest in collegiis exerere excommunicatio, non postremum. Proindeque concludi potest, valuisse olim indici in collegia excommunicationem quod attinet ad priores effectus, non quod spectat damnationem animarum, hæc enim non collegium ipsum, sed singulares potius personas afficeret. At excommunicatio prioribus effectibus tenus, quid aliud esset, quam suspensio a capitularibus officiis in communi exercendis? Quod si excommunicatio appellata est id tribuendum ætati illi, qua omnes censuræ sub excommunicationis nomine pronunciabantur. Simile hujus rei argomentum habetur apud s. Augustinum in can. 8, caus. 17, quæst. 4, ubi ob delicta patrisfamilias ipsam familiam excommunicavit; et quamquam alibi, nimirum in dicto can. 1, caus. 24, quæst. 3, monuit, ne tota familia ex delicto patris excommunicaretur, illic tamen, seu in dicto can. 8, quod attinet ad certos effectus, idest ad effectum non recipiendarum oblationum, ad universam familiam excommunicationem patris extendit. Quod de collegio dictum est, idipsum dicas de officio, vel munere pubblico: suspendi quidem, aut interdici officia possunt; at si de excommunicatione agatur, hac tantum notari poterit persona officium exercens, si in officio deliquerit, et successorem in officio excommunicatio non afficiet. Tantum excommunicari etiam poterit successor in officio, quo casu intra certum tempus non satisfacerit ecclesiæ, aliisve læsis ex administratione prædecessoris, caput 7, de immun. eccles.

Observandum itidem est, duplicem esse fidelium ordinem, quorum aliqui clerici sunt, vel prope ad clericos accedentes religiosi, quales sunt monachi, sanctimoniales, et qui administrationem hospitalium gerunt parabolani, aliqui extra clerum, et religiosum singulare officium constituti, quos laicos passim appellamus. Hinc quædam censuræ sunt, quibus uterque ordo notari potest, nimirum excommunicatio et interdictum. Est e converso censura suspensionis, qua tantum notatur ordo clericorum, aut religiosorum, hoc inter clericos et religiosos intercedente discrimine, quod clerici et ab ordine, et ab officio, et a beneficio suspendi possint, religiosi autem suspendantur tantum ab officio, seu ab administratione, item ab jure electionis, siquod habeant, item a beneficio, cujus forte jure potiantur, qualia sunt regularia beneficia; addere potes a præstimoniis, et pensionibus; nunquam autem ab ordine, nisi agatur de monachis, qui utramque vitam et clericalem et monasticam profitentur. Profluunt hæ regulæ ex ipsa rei natura, quæ suadet, quemquam ab iis tantum juribus repelli, quibus fruitur, aut frui potest. Denique observandum est, diversam haberi oportere rationem locorum, et personarum; quamquam enim personæ possint omni censura notari, nimirum excom-

municatione, suspensione, et interdicto, loca tamen non alia censurarum specie notari possunt, quam interdicto.

Tertio aliqui sunt, qui quamquam omnibus censuris obnoxii esse valeant, non tamen subjacent aut ratione habita certorum prælatorum censuras inferentium, aut ratione habita eorum, quibuscum commorantur, aut ratione habita legis generalis, in qua comprehensi non intelliguntur, nisi de ipsis specialis mentio fiat. Ratione habita prælatorum censuras inferentium, non subjacent censuris, primo, qui privilegio singulari id obtinuerunt, ut vel nulla, vel non omni censura a certo prælato notari queant, cap. 9, 16, 21, de privileg., cap. 5, eod. tit in 6, qua in re privilegiati etiam intelliguntur, qui in specialem protectionem pontificis maximi recepti sunt, cap. 1. de verb. sign. in 6, quamquam tamen privilegiati, si in censuras ipso jure latas incurrerint, possint sententia ordinarii, ut censura notati, non obstante privilegio, declarari, Clement. 1, princip. de privileg. Et quidem ubi privilegium certis personis competat, ne censura notari ab ordinario queant, ne indirecte quidem censura ferri ab ordinario poterit, ex gr. prohibendo subditis, ne cum exemtis communicent, cap. 26, de privileg. Quid enim interest, an quis directo a communione repellatur, an, omissis directis verbis in aliquem, prohibeantur ceteri, nec cum eo communicent? Tantum hæc excommunicandi ratio recipi potuit, uti superius dictum est, adversus judæos, qui directo excommunicari nequeunt, quorum nulla esse debet gratia; at vero si reciperetur adversus privilegiatos, res eo referretur, ac si isti nullum privilegium obtinuissent. Insuper definitum est, minime expedire ut vicarii generales archiepiscoporum censura notare valeant episcopos suffraganeos, quibus cum censura immineat, ea ferenda erit ab archiepiscopis ipsis, cap 52, de sentent. excomm. cap. 1, in fine de offic. ordinar. in 6, præterquamquod id postulat dignitatis episcopalis et honoris in episcopos deferendi ratio, deduci id ipsum potest ex germana veterum canonum disciplina. Etenim olim hæc facultas metropolitanis competebat tantum in provinciali concilio, canon. 1, dist 34 cau. 1, 2, 3, 5, cau 6, quæst. 4, can. 6 et 7 cau. 11, quæst. 3, et quamquam recentioribus sæculis, quibus minus frequentia fuere provincialia concilia; ita postulante necessitate vel utilitate ecclesiarum, pœnes unum metropolitanum ea facultas solida remanserit, non decuit tamen, ut facile in officialem archiepiscopi transferretur. Receptum præterea est, ut quemadmodum archiepiscopus, nisi in caussa appellationis, censura notare non potest subditos suffraganeorum, ita nec episcopus subditos suos post appellationem ad metropolitanum factam censura notet respectu caussæ, in qua fuerit appellatum, c. 14, de sent. excomm. in 6, c. 37 et 40, de appellation. quamquam etiam post appellationem episcopus possit publice denunciare notatum, ubi crimen publicum sit, appellatione post latam censuram interposita non obstante, c. 13 et 53, § 1, de appellationibus.

Ratione habita eorum, quibuscum commorantur, aliqui sunt, qui latis censuris minime subjacent. Quod ut explicetur, observandum est censuram modo valere tam respectu notati, quam respectu aliorum; modo respectu aliorum tantum, quin aliquis censura notatus dicatur; modo respectu notati dumtaxat, quin alii eandem censuram observare teneantur. Tam respectu notati, quam aliorum, censura effectum habet in vere notatis, et publice denunciatis. Respectu aliorum tantum, quin aliquis notatus adpareat, effectum habet censura, ubi fideles prohibentur, ne communicent cum certa persona, quæ censura notari nequit, veluti cum interdicitur christianis ne cum judæis commercia ineant, juxta capitulum 13, 14, de judæis, capitulum 12 et 18 de usuris. Respectu notati tantum, non aliorum, valet censura, quotiens qui censuram incurrit, nondum tamen denuntiatus est: siquidem quomodo censuram observare poterunt alii, qui inustam censuræ notam ignorant? c. 28, de sententia excommunicationis.

Ratione habita legis generalis, in qua quidam comprehensi non intelligantur, nisi de ipsis specialis mentio fiat, statuit lugdunense concilium in cap. de sent. excom. in 6, quod et probavit Bonifacius VIII in cap. 37, vers. *porro* de elect. in 6, episcopos non subesse aut suspensioni, aut interdicto ipso jure inflicto in reos quorumdam criminum, nisi specialiter lata lege fuerint designati, ne forte contingat, ut ob ecclesiarum administrationem, quæ eisdem competit, graviora incommoda ob suspensiones illas, et interdicta, in ecclesias inferantur. An de excommunicatione idipsum dicendum sit, adfirmare non audeo, cum expressa constitutione destituamur. Forte autem lugdunense concilium in dicto cap. 4, mentionem non fecit de excommunicatione, quia excommunicatio ob graviora crimina infligitur, quorum si rei episcopi forent, opportunum esset, et ipsos generalis legis sanctionem non evadere.

CAPUT IV.

De criminibus, quorum caussa censuræ inferuntur.

Quamquam pœnitentiis peccata quæcumque etiam levissima expientur, et quæcumque delinquentium affectiones, non tamen sine di-

scrimine peccata omnia, et delinquentes universi censuris coercentur. Duæ sunt in hoc proposito generales observationes. Prima spectat peccata ipsa, secunda respicit delinquentium personas. Si in primis delicta ipsa consideramus, non aliter censuris occasionem, et caussam præbent, quam si vere lethalia sint, can. 8 4i 42, can. 11, quæst. 3, can. 7, dist. 36 est enim censura, uti de excommunicat. ajebant tridentini patres in c. 3, sess. 25, de reform. quidam veluti nervus ecclesiasticæ disciplinæ ad continendos in officio populos valde salubris, ac propterea sobrie, magnaque cum circumspectione exercendus, cum experientia doceat, si temere, aut levibus de caussis incutiatur, magis contemni, quam formidari, et perniciem potius parere, quam salutem. Exceptionem nonnulli adjiciuntur respectu excommunicationis minoris, quam ajunt incurrere etiam eum, qui cum excommunicato communicat ex ignorantia utut ex levi culpa proficiscente. Verum hoc mihi placere non potest; neque enim puto, excommunicatione minore notari, nisi qui communicet cum excommunicato scienter, ut statuitur in can. 16 et 17, caus. 11, quæst. 3, aut nisi communicet ignoranter quidem, sed crassa et supina ignoratione, qua si legem ignoranter violaret, nihilominus gravis peccati reus haberetur, et quamquam in canon. 18, caus. 11, quæst. 3, omittatur verbum *scienter*, quod legitur in præcedentibus canonibus, notandum est, in dicto canon. sermonem institui de excommunicatione monachorum, uti canonis inscriptio docet, in quo excommunicationis genere frustra ignorantia a monachis allegari potuisset, cum in eorundem cœto excommunicatio sodalis pubblicari soleret. Quod si quandoque contingat, ut communicans ignoranter cum excommunicato, utut culpæ gravi ignoratio non adscribatur, credatur minorem excommunicationem incurrisse, id tantum habere locum poterit in externo foro, in quo quis præsumitur non ignoravisse excommunicationem, statim ac fuit sufficienter promulgata. Aliam exceptionem nonnulli adjiciunt respectu quarundam excommunicationum minorum, quæ erant in usu apud veteres, et quarum exemplum indicant in can. 62 et 63, de consecr. dist., 4, cum similibus. Sed neque id placere potest, consideranti, in illis canonibus plecti eas inobedientias quæ attentis quibusdam singularibus adjunctis graves tunc temporis esse poterant.

Debet præterea peccatum esse sensibile; nam peccata interna, et tantum in mentem concepta non subjacent censuris, quia censura est pœna potissimum externi fori, cum privet præcipue bonis ecclesiæ exterioribus: et communibus, et ecclesia in externo foro minime judicet de internis, can. 11, distint. 32, can. 20, caus. 2, quæst. 5, cap. 2 de offic. judic. ordin. c. 33 et 34, de simonia. Notanda sane sunt in hac re discrimina, quæ intercedunt inter censuras ipso jure inflictas, atque ut vocant, latæ sententiæ, et censuras sententiæ abs judice ferendæ. In primis observo, censuras latæ sententiæ veluti ceteris atrociores, inferri debere pro criminibus longe gravioribus, quam si agatur de censuris ferendæ sententiæ, nisi forte durum aliquid statuendum sit de certo crimine, quod frequens sit, et quo interest quamcitissime ecclesiam purgare, aut nisi similia adjuncta postulent majorem quandam disciplinæ severitatem. Deinde observo, censuras ferendæ sententiæ, ut plurimum paratas esse ad corrigenda peccata habitudinis, neglectus diuturni disciplinæ ecclesiasticæ, et contumaciæ ad comparendum, adeo ut peccata ipsa gravia quidem sint, sed adhuc graviora videantur caussa consuetudinis, vel contumaciæ. Cum enim censuræ acerbam speciem præseferant, æquitas suadet, ut reus primum monitis corripiatur, juxta Christi mandatum cap. 18, Matthæi, et lenioribus primum remediis, quoad fieri possit, ad emendationem, ac pœnitentiam adducatur. Præterea observo id obtinere in censuris latæ sententiæ, ut in eas incurrat quicumque crimen occultum admiserit, dummodo externum, nec tantum mente conceptum, etiamsi crimen non sit certis argumentis probatum; qua tamen in specie probari adhuc crimen debebit, ubi judex deventurus sit ad sententiam declaratoriam pronunciandam: quamobrem ante delicti probationem, si occultum fuerit, afficiet quidem censura reum ipsum quin tamen ceteri ea servare teneantur, quæ ex censura pendent juxta canonum definitiones. Aliter viget in censuris ferendæ sententiæ, ad quas nunquam judex devenire potest, nisi crimen certum sit, manifestum, ac probatum, can. 12, caus. 2, qu. 1, can. 41, caus. 11, quæst. 3, quin sufficiat, esse notum delictum in foro interno, can. 2 et 3, caus. 6, quæst. 2, cap. 2, de offic. judic. ordinar. Ratio discriminis in eo posita est, quod aliud sit officium judicis, aliud potestas legislatoris. Judex nonnisi ex allegatis, et probatis sententiam pronunciat; non ita legislator; qui omnes hominum actus potest lege sua antevertere, eodem fere modo, quo etiam privati possunt sibi certam legem conventionibus dicere, qua statim obligentur, quamquam, si de judicali obligatione agatur, judex eam imponere nequeat nisi in judicio constet de certa caussa, et lege probata. Tum vero manifestum certumque in judicio crimen esse dicetur, cum reus in judicio vel confessus est, vel convictus, can. 1, 12, caus. 2, quæst. 1, can. 2 et 3, caus. 6, quæst. 2, can. 2, caus. 15, quæst. 5, can. 2, caus. 15, quæst. 7, cap. 14, de appellation., cap. 7, de cohabit. cleric. et mulier. Denique observo, singulare esse in censuris latæ sen-

tentiæ, ut non aliter vires suas exerant, quam si crimen sit consummatum, etenim verba pœnalium legum, et stricte interpretanda sunt, et cum effectu accipienda, cap. 4, de cleric. non resid. Nihil tamen prohibet, quominus legislator potuerit crimen etiam non perfectum censuræ subjicere, quæ propterea locum habebit, si expresse in lege cautum deprehendatur, ut qui crimen cœperit, censuræ subsit, quemadmodum contingit in specie capituli 1, vers. *sacri* de homicidio in 6. Opponi solet in hanc rem capitulum 27 de simonia, ex quo constat, simoniacos haberi etiam illos, qui tantum promiserunt se pecuniam daturos, etiamsi cum effectu non dederint. At reponi in primis potest, simoniam revera admitti eatenus, quatenus actus per simoniam admissus in irritum cadat, non tamen ita, ut etiam censuræ adversus simoniacos indictæ locum inveniant, et revera in extravag. 2, de simonia, ubi censurarum fit mentio, dantes tantum et accipientes commemorantur. Quod si adhuc in eam opinionem ire velles, ut crederes, ipso facto etiam censuram imminere illis, qui tantum pecuniam promiserunt, dici potest, nomen simoniæ proprie etiam accommodari valere illis, qui beneficia, aut res sacras promissa pecunia contulerint, quasi etiam ante pecuniæ dationem, et receptionem simonia sit consummata, propterea quod et revera beneficium, aut res sacra intuitu pecuniæ concessa fuerint.

Pertinent hæc ad crimina ipsa per se considerata. At si considerentur ratione delinquentium personarum, plura sunt observatione digna. Et primo quidem generalis regula est, neminem posse censura notari, nisi sit criminis conscius, sive crimini caussam dederit, ac consenserit; hinc qui tantum dedit delinquendi occasionem, censuræ notam evadit, argumento canonis 5, cau. 1, qu. 4 Secundo quæri solet, an quoties in certa crimina, sive in certorum criminum reos infligitur in jure censura, censeatur etiam inflicta in eos, cui participes criminis sint, etiamsi de istis expressa mentio non fiat. De eo sane, qui crimen ex alicujus mandato exequitur, vel de eo, qui mandaverit, ut crimen admitteretur, vel de eo, qui socius criminis est, nulla esse dubitatio potest, can. 4, caus. 15, qu. 3, cap. 6; vers. *illi vero*, et cap. 29, vers. *in primo* de sent. excom. De iis disputari solet, qui consilium dederunt, aut qui auxilium præbuerunt sine societate, seu animi consensione, aut qui cum impedire possent, minime impediverunt. Generalis regula est, hos non contineri lege censuram inferente, nisi expresse etiam de iis lex concipiatur, ita suadente recta interpretatione pœnalium constitutionum, quæ angustis semper finibus coercendæ sunt, nec ultra extendendæ, quam verbis demonstretur. Neque obstat regula, quæ legitur in fine canonis 10, caus. 2, q. 1, his verbis expressa: *facientem, et consentientem par pœna constringit*; etenim id pertinet singulari jure ad speciem judicis, qui detrectet restituere in pristinum statum eum, qui injuste dejectus erat. Revera ibidem Nicolaus papa suadebat judici, ut inique dejectum restitueret, subjiciens, facientem, et consentientem pari pœna puniri, idest pari crimine involvere se judicem detrectantem restituere ex officio, quo se involvit, qui dejecit. Simili ratione interpretari oportet capitulum 47, de sent. excom. ubi quod dicitur, eum, qui desinit obviare, cum possit, subjacere excommunicationi, verum est tantum in eo, qui publica potestate pollet, aut quodam officio tenetur, qui sane cum non obviet, sed permittat, connivere, imo et consentire censetur, argument. cap. 6, vers. *et quidem* de sentent. excom. in 6. Addi potest, in his canonibus, sive in dicto can. 10, caus. 2, qu. 1, et in dicto cap. 47 de sent. excom. non perspicue tradi, censura etiam coerceri non impedientes, sed tantum gravis culpæ reos esse, et talis, ut censuram incurrere mererentur, argumento canonis 5, c. 17, qu. 4, et capituli 6, vers. *qui vero* de homicidio. Dixi, aliud contingere, ubi qui consilium, aut auxilium præbent, qui non impediunt, aut fovent, expresse in lege continentur. Hujusmodi sunt in primis, qui hæreticis favent; etenim si isti hæresi alienæ adhæserunt, eo ipso hæretici fiunt, et crimen et crimen hæresis in ipsis plene consummatur, propterea quod hæresis crimen tale est, quod sola mente perficiatur, et externo ecclesiæ foro subjicitur, statim ac sese exterius etiam verbo tenus prodit; si vero hæreticosum personis patrocinantur, de istis mentio expressa sit in cap. 13, vers. *credentes* de hæreticis. Hujusmodi etiam sunt, qui simoniæ crimen adjuvaverunt, vel quod *mediatores extiterint*, vel quod ut admitteretur, *procuraverint*, istos enim simili excommunicationi, qua simoniaci tenentur, obnoxios reddi, expresse definivit Paullus II, in extravag. 2, de simonia int. com. Hujusmodi sunt, qui clericos, ac præsertim episcopos, vexaverunt, cap. 6, vers. *illi vero*, et cap. 47, de sentent. excom. cap. 5, de pœnis in 6. Clement. 1, eod. tit. Hujusmodi sunt, qui beneficiarios spoliaverunt, ac gravaverunt, cap. 12, de elect. in 6. Hujusmodi sunt, qui consilium præbuerunt incendiariis ecclesiarum, can. 32, caus. 23, qu. 8. Hujusmodi sunt, qui consilium, vel favorem præstiterunt illius delicti caussa, contra quod pronunciata fuerit localis interdicti sententia, cap. 24, de sent. excom. in 6. Hujusmodi sunt, qui operam vel favorem porrexerunt, vel ut puella raperetur, vel ut puella per vim monasticam professionem emitteret, vel, ne emitteret, con-

retur, concilio tridentino sess. 24, de reform. matrim. cap. 5, et sess. 25, de regul. c. 18. Hujusmodi denique sunt, qui monomachiam, sive duellum, quomodolibet adjuvarunt, aut qui monomachiam ineuntes foverunt, concilio tridentino, sess. 25, de refor. cap. 19.

Insuper in censuris latæ sententiæ observatur, ut siquis ignorantia invincibili laboret, is sit a censura generaliter indicta prorsus immunis, can. 5, can. 9, qu. 1, can. 117, de consecr. dist. 4, cap. 9, de cleric. excom. ministr., cap. 4, de sentent. excom. cap. 2, de constitut. in 6. Imo etsi talis sit ignorantia, aut animi affectio, ut excuset a gravitate criminis, excusabit etiam a censura, utpote quæ non tam in crimen ipsum, quam in criminis gravitatem inflicta creditur, can. 8, can. 11, q. 3. Quod autem dici solet, ignorantiam juris nemini prodesse, in civilibus tantum, non in criminalibus negotiis locum habet, præsertim vero ubi de pœnis agitur, quæ crimen expiant, et emendant, cum crimen dici non possit, quod admittitur ab eo, qui legem ignorat. Atque id adeo verum puto, ut etiamsi quis conscius sit legis crimen prohibentis, ignoret tamen invincibiliter legem, quæ censuram generaliter infert, nihilominus ignoratio legis censuram inferentis non quidem a crimine, sed a censura reddat immunem; etenim aliud est delinquere in legem, quæ crimen prohibet, aliud delinquere in legem, quæ censuram infert. Qui delinquit in legem quæ crimen prohibet, inobediens quidem est, nondum tamen contumax, qualis tum demum appellatur, cum delinquit in legem, quæ censuram indicit; at censuræ plerumque feruntur in eos tantum, qui contumaces existunt. Hinc facile colligitur, non sufficere ad evadendam censuram allegare aut metum utcumque gravem, aut minus deliberatum animi motum, aut oscitantiam veri doli expertem, aut supinam præcepti oblivionem, quæ a gravi negligentia non distinguitur; hæc enim omnia quibus omnibus in casibus non absolvunt a lege peccatum prohibente, et peccati lethalis adhuc reum faciunt, in illis universis neque absolvunt a lege censuram inferente, can. 16, dist. 37, cap. 5, de his, quæ vi metusve caussa fiunt, cap. 4, de sent. excom. Exceptio est in iis, qui delinquunt ex naturali infirmitate judicii, quales sunt impuberes, quorum ætati fere ignoscitur in hac parte. Dixi *fere* ignosci, ut adnotarem, aliud receptum esse in percussione clericorum ab impubere dolo facta, cujus caussa etiam impuberes excommunicationi subjacere declarati sunt, cap. 58, de sentent. excom. quamquam in hac specie etiam adparet, pueros mitius puniri, etenim cum duplex sit pars Lateranensis canonis in can. 29, cau. 17, qu. 4, prima censuram excommunicationis indicat, altera absolutionem excommunicationis pontifici maximo reservet, impuberes excommunicatione quidem incurrunt, sed ab ordinario possunt absolutionem impetrare, argumento capituli 1, de delict. pueror. cap. 1 et ult. de sent. exc. Denique observandum est, neminem posse censura notari ob certum crimen, qui jam ob idem admissum notatus fuerit alia censuræ specie, can. 12, dist. 81, licet pro diversis criminibus id fieri valeat, cap. 27, de sentent. excom.

CAPUT V.

Expendantur variæ generales censurarum partitiones.

Tot generales recenseri possunt censurarum partitiones, quot modi sunt, quibus possunt censuræ spectari. Et primo quidem dividuntur censuræ ratione habita ferentis, secundo ratione eorum, qui censura notantur; tertio ratione actus, qui censuræ caussam præbet; quarto ratione temporis, in quod censuræ indictæ fuerint; quinto ratione ecclesiastici administri, ad quem absolutio pertinet; sexto denique ratione bonorum, et jurium, quibus censuræ privant.

Et quidem in primis ratione habita ferentis, aliæ dicuntur censuræ abs jure generali, aliæ ex præcepto singulari superioris, aliæ ex sententia judicis inflictæ, cap. un. de major. et obed. in 6 cap. 22, de sent. excom. in 6. Abs jure inflictæ dicuntur, cum lex certum opus agendum generaliter omnibus indicit, vel prohibet ita, ut qui legi non paret, censuram incurrat. Nomine legis intelligimus quamcumque constitutionem, sive in generali, sive in particulari concilio, sive extra concilium a pontifice maximo, vel ab episcopo editam, non tamen singulare rescriptum, licet forte inde in corpus juris redactum, uti in specie canonis 52, can. 16, qu. 1, extravag. 5, de præbendis, et extrav. 3, de sent. excom. int. comm. Ex præcepto superioris dicuntur inflictæ censuræ, quando prælatus personæ, vel collegio sibi subjecto aliquid agendum, vel cavendum mandat, censura proposita in non obtemperantem. Sententia judicis dicuntur indici censuræ, cum judex ecclesiasticus pro certis admissis, atque ut plurimum ob certam contumaciam, censuram infligit. Censura, quæ indicitur ex sententia judicis, in eo generaliter distat a censuris latis abs jure, vel latis ex præcepto superioris, quod illa respicere possit æque ad casus præteritos, ac præsentes, cum ea sit natura sententiæ, ut præteritis æque, ac præsentibus consulere possit, præteritis, inquam, in universum, præsentibus, si agatur de coercendis contumacibus; at istæ spectant casus futuros, quia hæc est natura legis, ut tantum in futurum conferatur, cap. 2 et 13, de constitut. et quam-

quam leges aliquando casus præteritos respicere in pœnis possint, cum nimirum id expressum est, aliud tamen in censuris observatur, propterea quod fundamentum censurarum est contumacia rei, vel vera, vel ficta, sive præsumta. Eadem etiam est natura præcepti, quod in hac parte legem imitatur, veluti si episcopus mandet clerico, ut certa officia gerat, vel a certis rebus abstineat sub pœna suspensionis, can. 24, dist 63, can. 52, caus. 16, quæst. 1, extrav. 5, de præbend. int. com. extravag. 3, de sent. excomm. int. com. distat tamen ita censura præcepto a censura lege indicta, quemadmodum distat præceptum a lege. Sic cum præceptum in singularem personam, vel certum collegium dirigatur, lex in universitatem, cum præceptum postulet, ut is, cui præcipitur, sit subditus tempore præcepti, lex autem etiam tendat in eos, qui futuri sunt subditi; cum præceptum morte præcipientis expiret, non ita lex morte legislatoris, censura præcepto indicta singularem personam, vel certum collegium non egredietur, censura lege indicta omnes in universitate consistentes afficiet, item censura præcepto lata non eos tenebit, qui non erant subditi tempore præcepti, quamquam postea subditi esse cœperint, et censura lata lege omnes notabit, qui aut tempore legis, aut post latam legem subditi sint; denique indictio censuræ præcepto latæ morte præcipientis expirabit, quin expiret morte legislatoris indictio censuræ facta per legem.

Quæ censuræ abs jure indicuntur (quæ dicuntur de censuris abs jure, idipsum in hac parte intelligatur de censuris præcepto latis, cum in hoc proposito præceptum a lege non distet) iterum distinguuntur in censuras latæ, et censuras ferendæ sententiæ. Latæ sententiæ censuras appellaverunt, cum statim admisso crimine reus ipse censura notatus habetur; et si aliquando opus esse videtur sententia, judicis partes non alia de caussa intercedunt, quam ut declaretur factum, non ut censura infligatur, cap. 26 et 58, de sent. excom. Sententiæ ferendæ censuras appellaverunt, cum statim admisso crimine ex præscripto legis imminet judici onus aut obligatio, ut in reum censuram infligat. Scio quidem, nonnullis parum placuisse censurarum latæ sententiæ disciplinam, quod in primis istam admodum recentem inveniat, nec putent Gregorii IX decretalibus antiquiorem; quod deinde non satis naturæ censurarum accomodatam deprehendant, quum censuræ nonnisi in contumaces, et præviis admonitionibus, tanquam supremum ecclesiæ remedium, sint adhibendæ. Verum doctrinam canonum jam vindicavit in parte Bonifacius VIII, proposito civilis prudentiæ exemplo, quod perspicue probat, asperiorem quandoque puniendorum graviorum criminum rationem publicæ utilitati congruere, pœnis etiam indictis, quibus rei nulla posita judicis pronunciatione subjaceant, cap. 19, de hæreticis in 6. Dicunt illi, recentem esse disciplinam. Si de formulis quibusdam quæratur, quales sunt, *eo ipso*, *ipso jure*; *ipso facto etc.* et ego fateor, istas ante Gregorii IX, collectionem nullibi extare; forte etiam primum adparere in sexto, in Clementinis, in extravagantibus, unde apud recentiores magis frequentari cœperunt. Pudeat vero, non de re, sed de verborum cortice cum viris eruditis contendere. Formulæ istæ recentiores prodire debuerunt ad rem clarius explicandam ideo, quod vulgares emersissent pragmaticorum disputationes ad distinguendas censuras latæ a censuris ferendæ sententiæ. Ceterum censurarum latæ sententiæ exempla difficile non est apud veteres invenire. Adparent statim in universis fere Gangrensis concilii canonibus, qui sane antiquissimi sunt, et describuntur apud Gratianum a canone 1, usque ad 15, dist. 30, item in canone 24, cau. 7, qu. 1, qui est concilii antiocheni eodem sæculo celebrati; quam censurarum rationem videntur sancti patres ex ipso evangelio derivavisse, Matthæi c. 18, ubi qui monitus non audiverit ecclesiam, ita statim facto suo damnatur, ut tanquam ethnicus a fideli populo segregatus haberi debeat. Quod si recentiore ætate frequentiores hujus generis censuræ videntur, quam antea forent, non aliunde profluxit, quam ex eo, quod ecclesiasticorum plurium judicum oscitantia nimium indulgentiam in reos gravissimorum quorumcumque criminum, etiam ubi ex juris præscripto censuris animadvertendum erat, exhiberet, præsertim quod ecclesiastici judices suo arbitrio commissum noverant inferre censuras, vel non inferre, cap. 11, de accusation. ac propterea visum fuit opportunum, ut juris ipsius sententia officia judicum anteverteret. Urgent illi clamantes, censuras nonnisi in contumaces esse ferendas. Verum quis dubitet, et contumacem habendum esse illum, qui cum noverit, crimen non solum a lege prohiberi, sed etiam ipso facto censura damnari, nihilominus illud admittere non veretur? Siquidem cum lex in proposito duplicem habeat partem, priorem, qua factum improbatur, posteriorem, qua factum censura plectitur; qui priorem violat, inobedientiam, qui posteriorem violat, contumaciam admittit, quemadmodum in prætoris romanorum edictis contumax simul, et inobediens dicebatur, qui primo edicto non paruisset, quando primo edicto adjecta erat clausula, qua exprimeretur, illud pro peremtorio haberi, l. 72, ff. de judiciis, l. 53, § 1, ff. de re judicata. Ad summum ex eo quis colligere poterit, censuras ipso facto nonnisi ex gravioribus et urgentioribus caussis infligendas esse, ut certus coercendorum reorum modus servetur,

et atrocitati sceleris atrocitas coercitionis respondeat.

Ut autem percipiatur, quibus in casibus legislator censuram latæ sententiæ indixerit, aliquot erunt observandæ regulæ. In primis certissimum est, ejusmodi censuras esse, quum in constitutione exprimitur formula *eo ipso, ipso jure, ipso facto*, et similes. Deinde idipsum dicetur, si censuræ nota in præteritum tempus conferatur, ex. gr. si dicatur: *Sciat, vel noverit se esse excommunicatum, debet pro excommunicato haberi, sit anathematizatus*, seu quod idem sonat, *sit anathema*, aut *tamdiu sit excommunicatus, quamdiu etc.* ut in can. 21, cau. 24, qu. 3, quemadmodum e converso semper erit censura ferendæ sententiæ, si in futurum verba concipiantur, ex. gr. *excommunicatione damnabitur, suspensioni subjacebit, jus communionis non habebit, anathematizandus erit*, aut etiam *tamdiu reddi debet communionis expers, quamdiu etc.*, uti in cap. 8, de tempor. ordinat. Similes erunt formulæ, *dignitate carebunt, a clero cessabunt, communionem vel locum amittent*, uti in can. 5, dist. 24, can. 1, dist. 48, c. 43, cau. 1, qu. 1. Quod si præsens tempus formula denotet, distinguere oportet inter indicativum, ut grammatici loquuntur, subjunctivum, et infinitum: nam si indicativo modo formula concipitur, non dubito, quin latæ sententiæ censura dicatur, veluti cum ita exprimitur, *hac lege excommunicatur, suspenditur etc.* At si subjunctivum tempus, vel infinitum formula denotet, receptum est apud omnes, censuram esse ferendæ sententiæ, quoties formula eadem ad factum superioris ecclesiastici referatur, uti cum dicitur, debet *damnari, plecti, excommunicari, suspendi*, sive *damnetur, plectatur, excommunicetur, suspendatur.* Dubietas meo judicio emergit, quoties formula non referatur ad factum ecclesiastici superioris, sed in reum dirigatur, veluti cum dicitur *reus excommunicationi subjaceat, excommunicationem incurrat, locum suum amittat*, vel sancimus, reum *excommunicationi subjacere, excommunicationem incurrere, locum suum amittere etc.*, uti in can. 42 et 43, caus. 11, qu. 1, et in c. 1, de ætate et qualit. præfic. Numero plurimi sunt, qui arbitrantur, hujusmodi censuras esse latæ sententiæ quasi lex ita concepta nihil amplius agendum judici reliquerit. At quicumque sepositis scriptorum præjudiciis in eas formulas intendere velit, non adeo tutus erit de hac opinione. Siquidem illæ formulæ æque indicare possunt, et judicis facto aliquem censuræ subjacere, censuram incurrere, locum amittere, ac vi legis et potestate. Et quamquam per istas loquendi formulas res in dubio collocata videretur, lenior esset adhibenda interpretatio, cap. 30 et 49, de reg. jur. in 6, et potius credendum, eas censuras ferendæ esse, quam jure latæ sententiæ. Mihi, ut candide loquar, placeret, ut media quædam via iniretur, et penitius investigarentur singula adjuncta, nimirum ætatum, locorum, consuetudinum loquendi, integri contextus, caussæ inferendæ censuræ, et receptæ interpretationis subsequentibus constitutionibus confirmatæ. Proinde ea censura videretur generaliter ferendæ sententiæ, nisi quo casu memorata adjuncta aliud postulent. Id ut exemplis commonstrem, observandum putarem, an censura illata esset ob crimen atrocissimum, quod statim interesset graviore pœna punire; tum vero facilius reciperetur, eam censuram esse latæ sententiæ; at si censura illata esset caussa contumaciæ, eam censuram dicerem abs judice ferri oportere, argumento canonis 20, cau. 23, quæst. 4. Proferatur inter cetera in medium canon. 29, caus. 17, quæst. 4, in illis verbis: *excommunicationi subjaceat.* Sane continet ea constitutio excommunicationem latæ sententiæ, non in vim illius formulæ sed vel quia in eodem canone statim subjicitur: *et nullus episcoporum præsumat absolvere etc.*, quæ verba sicut indicant, statim post crimen de absolutione cogitandum esse, ita demonstrant, reum jam esse censura notatum; vel quia consuetudo subsequens, et explicatio recentiorum pontificum clarius id expressit, cap. 5 et 9, et passim de sent. excommun. Ceterum si ista, vel similia adjuncta non urgerent, in aliam forte opinione eundum esset, quemadmodum facile probari potest ex can. 101, caus. 1, qu. 1, et ex cap. 4, de crimine falsi. In canone 101, de episcopo simoniaco statuitur, *ut duobus mensibus excommunicationi subjaceat*, deinde subditur, ut presbyter ejusdem criminis reus *quatuor mentium excommunicatione plectatur.* Si vero nemo dubitat, verbum illud *plectatur* indicare censuram ferendæ sententiæ, quis ire potest inficias, verbum illud *subjaceat* de simili censura intelligi, præsertim cum sit observandum, gravius ibi puniri presbyterum, quam episcopum, cum ille per quatuor, iste per duos menses excommunicationi subdatur; alias autem lenior esset pœna presbyteri, quam episcopi, si contra presbyterum ferenda, contra episcopum lata sententia diceretur? In cap. 4, de crimine falsi, ejusdem criminis caussa præcipitur, ut laicus *excommunicationi subjaceat*, clericus *officii et beneficii suspensione damnetur.* Utraque sane formula eundem effectum habere debet, ac propterea si verbum *damnetur* ferendæ sententiæ censuram denotat, uti omnes interpretantur, verbum *subjaceat* aliam habere non debet significationem; secus diceretur, multo gravius in ecclesjastico crimine animadverti in laicos, quam in clericos, præsertim cum jam laicis immineat pœna excommunicationis, quæ jam per se est acerbior pœna suspensionis. Adde his, in principio

sive totalis esset, sive partialis, can. 5, 12 et 17, dist 18, can. 9, dist. 23, can. 1, dist. 54, can. 9, dist. 35, can. 2, dist. 58. can 5 et 24, dist. 63, can. 4, dist. 71, can. 35 et 40, de cons. dist. 4, can 8, ex apostolicis, can. 101, caus. 1, qu 1, can. 35, caus. 2, quæst. 6, cap. 1, caus. 4. quæst. 5, can. 3, caus. 6, quæst. 2, can, 29, caus. 7, quæst. 1, can. 7, 8 et 109, caus. 11, quæst. 3, et can. 17, cau. 12, quæst. 2, can. 2, cau. 21, quæst. 4, cap. 1, de cleric. venat, cap. 2 et 3, de cohabib. et mulier. Excommunicatio quoque dicebatur reductio clericorum in communionem laicam, vel peregrinam, can. 12 et 14, ex apostolicis, can. 9, dist. 28, can. 7, 8, 10 et 21, dist. 50, can. 13, dist. 55, can. 118, de cons. dist. 4, can. 19, caus. 11, quæst. 3, can. 18 et 38, caus. 12, quæst. 2. Excommunicatio itidem erat, quotiescumque laicis certa communionis specie interdiceretur, can. 23, caus. 32, quæst. 5, veluti communione sacræ eucharistiæ, can. 10, dist. 50, can. 6, caus. 5, qu. 6, can. 2, caus. 15, quæst. 8, can. 7, can. 22, qu. 5, can. 14, 17 et 25, cau. 27, quæst. 1, can. 12 et 15, caus. 33, qu. 2.

Ecquidem video, exinde offundi veteres canones obscuritate quadam, qua posita multos excommunicatos scimus variorum criminum reos, qua tamen excommunicationis specie notati forent, propemodum simus ignoraturi. Qui hæc apprime, uti decebat, non distinxerunt, errarunt illi gravissime, et multis similem errandi occasionem præbuerunt, propterea quod ubicumque ob oculos occurrit excommunicationis nomen non aliam excommunicationem intellexerunt, quam quæ recentiore ætate excommunicatio dicitur, censura et a suspensione, et ab interdicto distincta, et suspensione et interdicto longe gravior. Curabo ego in præsentia, ut, quoad meæ vires fuerunt, certas regulas præstituam, quarum ope veteres illæ excommunicationum species distinguantur.

Itaque prima regula est: quoties evenit, ut excommunicationis nomen conjunctum adpareat cum nomine pœnitentiæ, videbitur non indicta censura excommunicationis, sed denegata communio illorum, quæ competunt fidelibus minime dejectis in pœnitentium, gradus. Id occurrit in can. 13, vers. *quisquis autem* dist. 12, in can. 9, dist. 28, in can. 42, 44, dist. 50, in can. 7, caus. 2, qu. 1, in can. 17, caus. 12, qu. 2, in can. 15, caus. 33, qu. 2, et initio caussæ 26, qu. 6.

Secunda regula est: quoties aliquis dicitur exclusus, non generaliter a communione, sed a communione *sacra*, intelligetur non proprie excommunicatus, sed tantum a suscipiendo eucharistiæ sacramento remotus. Exempla sunt in can. 10, dist. 50, in can. 40, caus. 7, qu. 1, can. 24, cau. 12, quæst. 2, can. 2, caus. 15, qu. 8, can. 14, 17, 18, cau. 27, qu. 1, can. 12, caus. 33, qu. 2, quibus addi potest canon 21, de cons. dist 1.

Tertia regula est: ubi excommunicatio ad certum tempus indicta deprehendatur erit potius species pœnitentiæ, vel pœnæ. Exempla pœnitentiæ sunt in can. 23, ex apostolicis, can. 13, dist. 12, can. 15, 17, dist. 18, can 2, dist. 34, can. 9, dist. 35, can. 24, dist. 86, can. 101, caus. 1, qu. 1, cau. 3, caus. 5, qu. 4, can. 2, caus. 21, qu. 4, et can. 1, cau. 31, qu. 3. Exempla pœnæ extant in can. 40, de cons. dist. 1, et in c. 1, de clerico venatore.

Quarta regula est: si excommunicatio dicatur inflicta in perpetuum, multum interest, an in clericos indicta fuerit, an in laicos. Clerici ea ratione excommunicati, potius intelligentur e gradu suo depositi uti in can. 7, 8, 10, dist. 50, can. 118, de consecr. dist. 4, cap. 3, de cohabit, cleric. et mulier. Laici ea ratione excommunicati potius censebuntur interdicti ab eucharistiæ perceptione, uti in can 6, caus. 5, qu. 6, can. 25, caus. 27, quæst. 1, can. 84, de pœnit. dist. 1. Id facile probatur ex eo, quod aliquando ob gravissima scelera apud veteres toto vitæ tempore, atque in ipso mortis articulo eucharistia denegaretur, concilio eliberitano can. 1, 2, 3, 7, 8, 12, 18, 47, 64 et 75, can. 2, caus. 3, qu. 10, can. 7, caus 22, quæst. 5, cap. 2, de electione, atque id species quædam erat perpetuæ detrusionis in gradus pœnitentium, argumento can. 13 et 25, caus. 27, quæst. 1 at vero quæ christiana communio dicebatur, proindeque necessaria, nunquam morientibus denegata est, can 12, dist. 28, can. 6, caus. 5, quæst. 6, can. 30, 31, caus. 13, quæst. 2, can. 30, caus. 23, quæst. 8, can. 11, caus. 27, quæst. 1. Revera in canon 19, caus. 22, quæst. 5, distinguitur communio ab eucharistia, et cum statuitur, in fine vitæ dandum esse *communionem cum eucharistia*, facile adparet, communionem ipsam ex necessitate conferri, ministrari autem eucharistiam ex benignitate, et indulgentia. Simile argumentum deduci potest ex can. 2, in fine caus. 5, qu. 1. Sunt etiam quædam singularia jura, quæ præter eucharistiam aliquando denegata fuere reis donec viverent, illa scilicet, quæ nobiliora essent, et non penitus ad salutem necessaria Atque ad hæc referri etiam potest excommunicatio in perpetuum inflicta. De istis intelligi debet canon 8 et 44, dist. 50, canon 26 caus. 27, quæst. 1, canon 8, caus. 32, qu. 7, et canon 118, de consecr. dist. 4.

Quinta regula est: Si talis sit excommunicatio, quæ feratur in clericos, et dicatur inflicta, donec sententia pronuncietur erit potius suspensio, quam excommunicatio, adeo tamen ut illa suspensio ne censura quidem sit, sed singularis providentia, qua sacrorum

dignitati, et decori consulatur, uti in can. 15, dist. 18, in cap. 2, de cohabit. cleric. et mulier. Hinc si forte episcopus alteri suspectus de quodam gravissimo crimine videretur, ex. gr. hæreseos aut schismatis, multi se sponte olim ab ejusdem communione subducebant, eaque propter eatenus excommunicare illum dicebantur, quatenus epistolas salutatorias, paschales, entronisticas, et similes ad eum non mitterent, aut ab eo missas non exciperent, quemadmodum se gessit Epiphanius cum Joanne Hierosolymitano, epist. 60, inter Hieronymianas. Similia, servata potestatis proportione, dici possunt de presbyteris, et minoribus administris constitutis in clero, c. 9, dist. 23, can. 3, juncto 2, caus. 21, quæst. 4, cap. 2 et 3, juncto 4, de cohabit. cleric. et mulier. Cur non et similia dicamus etiam de laicis, si forte ante sententiam, seu ante probatum crimen et ob solam criminis suspicionem excommunicati dicantur? Erunt ipsi hoc sensu excommunicati, ut arceantur interea ab eucharistia, vel a quibusdam nobilibus christianæ communionis juribus, ad quæ non admittuntur non solum qui rei sunt, sed etiam qui non sunt undecumque digni, ac probati; propterea quod in hac parte consistat decor quidam debitus dignitati sacrorum. Exemplum est in can. 23, caus. 32, qu. 5.

Sexta regula est: quotiescumque clerici dicuntur excommunicari, deinde contempta excommunicatione dicuntur dejici de gradu suo, nomen illud excommunicationis de suspensione intelligitur, uti in can. 1, dist. 31. Etenim in coercitionibus suus ordo, gradusque servatur, ac de minore in majorem proceditur, et quemadmodum in clericis depositio gravior est surpensione, ita vera excommunicatio gravior est depositione.

Septima regula, et quidem superiori proxima est: si agatur de excommunicatione indicta in clericos, vel episcopos distinguendum erit, an sit lata post suspensionem a sacris rebus; tum vero talis erit, ac si indicta esset in laicos, an sit indicta ante suspensionem; tum vero erit suspensio, uti in can. 8, ex apostolicis, can. 29, caus. 7, quæst 1, can. 109, caus. 11, qu. 3, can. 24, caus. 12, qu. 2, can. 35 et 40, de consecr. dist. 1. Facilius id demonstrari potest ex can. 9, dist. 23, ubi clericus dicitur subjacere excommunicationi *debitæ*, quasi excommunicatio debita clerico sit suspensio. Mirifice etiam id ostenditur ex can. 24, dist. 63, et can. 7, caus. quæst. 3, ubi clericus excommunicatus dicitur non posse facere oblationem, et similia, qui sane sunt characteres veræ, proprieque dictæ suspensionis. Exceptio est in hanc rem, quoties agitur de crimine hæreseos, utpote quod natura sui quemcumque reum excludit a tota communione christiana, et in quo excommunicatio in tota sui amplitudine indicitur, can. ult. dist. 30. Hoc tamen in loco, uti in similibus, gravis difficultas emergit, quando adhuc inquirendum superest, quodnam genus suspensionis veniat nomine istius excommunicationis, propterea quod varii esse possunt suspensionis gradus. Inquirendum erit in caussam criminis, contra quod excommunicatio inflicta est. Si de episcopo agatur, videndum, an delictum situm sit in negligentia rerum provincialium; et tunc suspensio erit in ea parte, qua episcopus et metropolitanum, et suffraganeos juvaret in gerendis provinciæ negotiis, uti legimus in can. 10, 12, 13, 14, dist. 18, cau. 1, dist. 34, can. 2, dist. 58, can. 5, dist. 63, can. 3, caus. 6, quæst. 2, can. 8, caus. 11, quæst. 3, eodem modo, quo in Africa si clerici africani negligebant servare disciplinam, quæ singularis erat in Africa, partiali communione privabantur in Africa tantum quod nec reciperentur hospitio, neque uti clerici haberentur, canon. 35, caus. 2, qu. 6, an delictum situm sit in negligentia diœcesana, tum vero suspensio erat in ea re, in qua negligentia erat admissa, uti in can. 4, dist. 74. Quod si clerici essent inferiores, et deliquissent in administrandis rebus ecclesiæ, veniebat communio peregrina; erat enim æquum, ut in eo plecterentur, in quo deliquissent. Deliquerunt in administratione bonorum: puniebantur in eo, quod rejicerentur ab eadem administratione, quasi segregati a participatione bonorum ecclesiæ in communi; atque hoc idem erat, ac habere peregrinam communionem, can. 21, dist. 50, can. 18 et 38, caus. 12, quæst. 2, ubi communio peregrina dicitur etiam *anathema*. Si denique crimen personale sit, nec pertineat ad administrationem bonorum ecclesiæ, sive de reo episcopo, sive de reo quocumque inferiore clerico ageretur, tunc nomine excommunicationis veniebat suspensio totalis, sive reductio in laicam communionem, uti in can. 1, caus. 4, quæst. 5.

Octava regula est: si agatur de canonibus recentioribus, qui confirment veteres canones in ferenda excommunicatione, et non constet de novo indicto coercitionis genere, interpretandi ii sunt de ea ipsa excommunicationis specie, de qua vetusti canones intelliguntur. Sic canon 3, caus. 21, qu. 4, de suspensione intelligitur, propterea quod et de suspensione conceptus est vetus canon, cujus disciplina renovabatur, nimirum canon 2, cau. 21, q. 4.

Nona regula est: si agatur de excommunicatione indicta in delicta quædam leviora, nomine excommunicationis non alia excommunicatio venit, quam una ex levioribus, veluti exclusio ex certi juribus nobilioribus, et quidem juxta arbitrium judicis, can. 9, ex apostolicis, can. 9, dist. 23.

Decima regula est: ubi excommunicatio indicitur, et contra violatores excommunicationis illius nova indicitur excommunicatio,

sive totalis esset, sive partialis, can. 5, 12 et 17, dist 18, can. 9, dist. 23, can. 1, dist. 34, can. 9, dist. 35, can. 2, dist. 58, can. 5 et 24, dist. 63, can. 4, dist. 71, can. 35 et 40, de cons. dist. 1, can. 8, ex apostolicis, can. 101, caus. 1, qu 1, can. 35, caus. 2, quæst. 6, cap. 1, caus. 4, quæst. 5, can. 3, caus. 6, quæst. 2, can, 29, caus. 7, quæst. 1, can. 7, 8 et 109, caus. 11, quæst. 3, et can. 17, cau. 12, quæst. 2, can. 2, cau. 21, quæst. 4, cap. 1, de cleric. venat, cap. 2 et 3, de cohabib. et mulier. Excommunicatio quoque dicebatur reductio clericorum in communionem laicam, vel peregrinam, can. 12 et 14, ex apostolicis, can. 9, dist. 28, can. 7, 8, 10 et 21, dist. 50, can. 13, dist. 55, can. 118, de cons. dist. 4, can. 19, caus. 11, quæst, 3, can. 18 et 38, caus. 42, quæst. 2. Excommunicatio itidem erat, quotiescumque laicis certa communionis specie interdiceretur, can. 23, caus. 32, quæst. 5, veluti communione sacræ eucharistiæ, can. 10, dist. 50, can. 6, caus. 5, qu. 6, can. 2, caus. 15, quæst. 8, can. 7, cau. 22, qu. 5, can. 14, 17 et 25, cau. 27, quæst. 1, can. 12 et 15, caus. 33, qu. 2.

Ecquidem video, exinde offundi veteres canones obscuritate quadam, qua posita multos excommunicatos scimus variorum criminum reos, qua tamen excommunicationis specie notati forent, propemodum simus ignoraturi. Qui hæc apprime, uti decebat, non distinxerunt, erraruut illi gravissime, et multis similem errandi occasionem præbuerunt, propterea quod ubicumque ob oculos occurrit excommunicationis nomen non aliam excommunicationem intellexerunt, quam quæ recentiore ætate excommunicatio dicitur, censura et a suspensione, et ab interdicto distincta, et suspensione et interdicto longe gravior. Curabo ego in præsentia, ut, quoad meæ vires fuerunt, certas regulas præstituam, quarum ope veteres illæ excommunicationum species distinguantur.

Itaque prima regula est: quoties evenit, ut excommunicationis nomen conjunctum adpareat cum nomine pœnitentiæ, videbitur non indicta censura excommunicationis, sed denegata communio illorum, quæ competunt fidelibus minime dejectis in pœnitentium, gradus. Id occurrit in can. 13, vers. *quisquis autem* dist. 12, in can. 9, dist. 28, in can. 42, 44, dist. 50, in can. 7, caus. 2, qu. 1, in can. 17, caus. 12, qu. 2, in can. 15, caus. 33, qu. 2, et initio caussæ 26, qu. 6.

Secunda regula est: quoties aliquis dicitur exclusus, non generaliter a communione, sed a communione *sacra*, intelligetur non proprie excommunicatus, sed tantum a suscipiendo eucharistiæ sacramento remotus. Exempla sunt in can. 10, dist. 50, in can. 40, caus. 7, qu. 1, can. 24, cau. 12, quæst. 2, can. 2, caus. 15, qu. 8, can. 14, 17, 18, cau. 27, qu. 1, can. 12, caus. 33, qu. 2, quibus addi potest canon 21, de cons. dist 1.

Tertia regula est: ubi excommunicatio ad certum tempus indicta deprehendatur erit potius species pœnitentiæ, vel pœnæ. Exempla pœnitentiæ sunt in can. 23, ex apostolicis, can. 13, dist. 12, can. 15, 17, dist. 18, can 2, dist. 34, can. 9, dist. 35, can. 24, dist. 86, can. 101, caus. 1, qu. 1, cau. 3, caus. 5, qu. 4, can. 2, caus. 21, qu. 4, et can. 1, cau. 31, qu. 3. Exempla pœnæ extant in can. 40, de cons. dist. 1, et in c. 1, de clerico venatore.

Quarta regula est: si excommunicatio dicatur inflicta in perpetuum, multum interest, an in clericos indicta fuerit, an in laicos. Clerici ea ratione excommunicati, potius intelligentur e gradu suo depositi uti in can. 7, 8, 10, dist. 50, can. 118, de consecr. dist. 4, cap. 3, de cohabit, cleric. et mulier. Laici ea ratione excommunicati potius censebuntur interdicti ab eucharistiæ perceptione, uti in can 6, caus. 5, qu. 6, can. 25, caus. 27, quæst. 1, can. 84, de pœnit. dist. 1. Id facile probatur ex eo, quod aliquando ob gravissima scelera apud veteres toto vitæ tempore, atque in ipso mortis articulo eucharistia denegaretur, concilio eliberitano can. 1, 2, 3, 7, 8, 12, 18, 47, 64 et 75, can. 2, caus. 3, qu. 10, can. 7, caus 22, quæst. 5, cap. 2, de electione, atque id species quædam erat perpetuæ detrusionis in gradus pœnitentium, argumento can. 13 et 25, caus. 27, quæst. 1, at vero quæ christiana communio dicebatur, proindeque necessaria, nunquam morientibus denegata est, can 12, dist. 28, can. 6, caus. 5, quæst. 6, can. 30, 31, caus. 13, quæst. 2, can. 30, caus. 23, quæst. 8, can. 11, caus. 27, quæst. 1. Revera in canon 19, caus. 22, quæst. 5, distinguitur communio ab eucharistia, et cum statuitur, in fine vitæ dandum esse *communionem cum eucharistia*, facile adparet, communionem ipsam ex necessitate conferri, ministrari autem eucharistiam ex benignitate, et indulgentia. Simile argumentum deduci potest ex can. 2, in fine caus. 5, qu. 1. Sunt etiam quædam singularia jura, quæ præter eucharistiam aliquando denegata fuere reis, donec viverent, illa scilicet, quæ nobiliora essent, et non penitus ad salutem necessaria. Atque ad hæc referri etiam potest excommunicatio in perpetuum inflicta. De istis intelligi debet canon 8 et 44, dist. 50, canon 26, caus. 27, quæst. 1, canon 8, caus. 32, qu. 7, et canon 118, de consecr. dist. 4.

Quinta regula est: Si talis sit excommunicatio, quæ feratur in clericos, et dicatur inflicta, donec sententia pronuncietur erit potius suspensio, quam excommunicatio, adeo tamen ut illa suspensio ne censura quidem sit, sed singularis providentia, qua sacrorum

dignitati, et decori consulatur, uti in can. 15, dist. 18, in cap. 2, de cohabit. cleric. et mulier. Hinc si forte episcopus alteri suspectus de quodam gravissimo crimine videretur, ex. gr. hæreseos aut schismatis, multi se sponte olim ab ejusdem communione subducebant, eaque propter eatenus excommunicare illum dicebantur, quatenus epistolas salutatorias, paschales, entronisticas, et similes ad eum non mitterent, aut ab eo missas non exciperent, quemadmodum se gessit Epiphanius cum Joanne Hierosolymitano, epist. 60, inter Hieronymianas. Similia, servata potestatis proportione, dici possunt de presbyteris, et minoribus administris constitutis in clero, c. 9, dist. 23, can. 3, juncto 2, caus. 21, quæst. 4, cap. 2 et 3, juncto 4, de cohabit. cleric. et mulier. Cur non et similia dicamus etiam de laicis, si forte ante sententiam, seu ante probatum crimen et ob solam criminis suspicionem excommunicati dicantur? Erunt ipsi hoc sensu excommunicati, ut arceantur interea ab eucharistia, vel a quibusdam nobilibus christianæ communionis juribus, ad quæ non admittuntur non solum qui rei sunt, sed etiam qui non sunt undecumque digni, ac probati; propterea quod in hac parte consistat decor quidam debitus dignitati sacrorum. Exemplum est in can. 23, caus. 32, qu. 5.

Sexta regula est: quotiescumque clerici dicuntur excommunicari, deinde contempta excommunicatione dicuntur dejici de gradu suo, nomen illud excommunicationis de suspensione intelligitur, uti in can. 1, dist. 31. Etenim in coercitionibus suus ordo, gradusque servatur, ac de minore in majorem proceditur, et quemadmodum in clericis depositio gravior est surpensione, ita vera excommunicatio gravior est depositione.

Septima regula, et quidem superiori proxima est: si agatur de excommunicatione indicta in clericos, vel episcopos distinguendum erit, an sit lata post suspensionem a sacris rebus; tum vero talis erit, ac si indicta esset in laicos, an sit indicta ante suspensionem; tum vero erit suspensio, uti in can. 8, ex apostolicis, can. 29, caus. 7, quæst 1, can. 109, caus. 11, qu. 3, can. 24, caus. 12, qu. 2, can. 35 et 40, de consecr. dist. 1. Facilius id demonstrari potest ex can. 9, dist. 23, ubi clericus dicitur subjacere excommunicationi *debitæ*, quasi excommunicatio debita clerico sit suspensio. Mirifice etiam id ostenditur ex can. 24, dist. 63, et can. 7, caus. quæst. 3, ubi clericus excommunicatus dicitur non posse facere oblationem, et similia, qui sane sunt characteres veræ, proprieque dictæ suspensionis. Exceptio est in hanc rem, quoties agitur de crimine hæreseos, utpote quod natura sui quemcumque reum excludit a tota communione christiana, et in quo excommunicatio in tota sui amplitudine indicitur, can. ult. dist. 30. Hoc tamen in loco, uti in similibus, gravis difficultas emergit, quando adhuc inquirendum superest, quodnam genus suspensionis veniat nomine istius excommunicationis, propterea quod varii esse possunt suspensionis gradus. Inquirendum erit in caussam criminis, contra quod excommunicatio inflicta est. Si de episcopo agatur, videndum, an delictum situm sit in negligentia rerum provincialium; et tunc suspensio erit in ea parte, qua episcopus et metropolitanum, et suffraganeos juvaret in gerendis provinciæ negotiis, uti legimus in can. 10, 12, 13, 14, dist. 18, cau. 1, dist. 34, can. 2, dist. 58, can. 5, dist. 63, can. 3, caus. 6, quæst. 2, can. 8, caus. 11, quæst. 3, eodem modo, quo in Africa si clerici africani negligebant servare disciplinam, quæ singularis erat in Africa, partiali communione privabantur in Africa tantum quod nec reciperentur hospitio, neque uti clerici haberentur, canon. 35, caus. 2, qu. 6, an delictum situm sit in negligentia diœcesana, tum vero suspensio erat in ea re, in qua negligentia erat admissa, uti in can. 4, dist. 71. Quod si clerici essent inferiores, et deliquissent in administrandis rebus ecclesiæ, veniebat communio peregrina; erat enim æquum, ut in eo plecterentur, in quo deliquissent. Deliquerunt in administratione bonorum: puniebantur in eo, quod rejicerentur ab eadem administratione, quasi segregati a participatione bonorum ecclesiæ in communi; atque hoc idem erat, ac habere peregrinam communionem, can. 21, dist. 50, can. 18 et 38, caus. 12, quæst. 2, ubi communio peregrina dicitur etiam *anathema*. Si denique crimen personale sit, nec pertineat ad administrationem bonorum ecclesiæ, sive de reo episcopo, sive de reo quocumque inferiore clerico ageretur, tunc nomine excommunicationis veniebat suspensio totalis, sive reductio in laicam communionem, uti in can. 1, caus. 4, quæst. 5.

Octava regula est: si agatur de canonibus recentioribus, qui confirment veteres canones in ferenda excommunicatione, et non constet de novo indicto coercitionis genere, interpretandi ii sunt de ea ipsa excommunicationis specie, de qua vetusti canones intelliguntur. Sic canon 3, caus. 21, qu. 4, de suspensione intelligitur, propterea quod et de suspensione conceptus est vetus canon, cujus disciplina renovabatur, nimirum canon 2, cau. 21, q. 4.

Nona regula est: si agatur de excommunicatione indicta in delicta quædam leviora, nomine excommunicationis non alia excommunicatio venit, quam una ex levioribus, veluti exclusio ex certi juribus nobilioribus, et quidem juxta arbitrium judicis, can. 9, ex apostolicis, can. 9, dist. 23.

Decima regula est: ubi excommunicatio indicitur, et contra violatores excommunicationis illius nova indicitur excommunicatio,

prior excommunicatio est una ex levioribus, non excommunicatio major, uti liquet ex can. 42, ex apostolicis, et can. 7, cau. 27, quæst. 1.

Undecima regula est: ubi excommunicatio est a certo loco, erat privatio quidem alicujus communionis, non propria excommunicatio, cum excommunicatio propria a tota ecclesia, et ab omnibus juribus communionis abscindat, can. 35, cau. 2, qu. 6, can. 34, cau. 11, qu 3.

Duodecima, et postrema regula est: tum demum excommunicatio proprie intelligitur, cum dicitur quis excommunicari *ab omni communione*, uti in can. 12, dist. 90, can. 26, caus 23, qu. 5, can. 47, cau. 27, qu. 2, can. 5, de pœnit. dist. 5, item cum dicitur quis excommunicari *a communione sanctæ ecclesiæ* can 6, in fine, dist. 32, can. 8. dist. 81, aut cum dicitur excommunicari *a communione christiana*, cap 10, de censibus, denique cum dicitur *Satanæ tradi*, can. 17, caus. 2. qu.

Ex his omnibus, quæ observari necessario debuerunt, ad indicandum, in veteribus canonibus nomine excommunicationis censuras universas venisse, facilius intelligitur quare quæ olim de excommunicatione statuta fuerant, ad celeras censuras, veluti suspensionem et interdictum, extenderentur, uti declaravit Bonifacius VIII, in cap. 13, de sent. excom. in 6. Sic quæ in cap 1, eod. tit. in 6, decreta sunt de excommunicatione, etiam hodie recta interpretatione protenduntur ad censuras ceteras, uti pragmatici ipsi testantur. Sic quæ dicuntur in cap. 1, de verb. sign. in 6, de excommunicatione, et de suspensione tacite dicta intelligentur, licet de ista mentio ibidem expresse non fiat. Sic quod statuitur de excommunicatione reservata, a qua episcopus certis in casibus absolvit, in cap. 11, 26 et 58, de sent excom., facile etiam in suspensione, et interdicto recipietur. Sic denique quod dicitur de reincidentia post absolutionem ab excommunicatione, juxta capitulum 8, de offic. jud. ordin., et cap. 22, de sent. excom. in 6, in suspensione etiam, atque interdicto obtinebit. Ceterum ea usurpatio nominis excommunicationis, qua generaliter censuræ universæ designarentur, eo usque facta est, donec clarius definitæ fuerunt censurarum species, et ita enumerari cœperunt, ut tres distinguerentur, excommunicatio nimirum, suspensio, et interdictum quod factum primum est ab Innocentio III, in cap. 20, de verb. signif. adeo ut tunc etiam definitum fuerit, prudentis judicis arbitrio relinqui, quam maluerit infligere, si generaliter canones præceperint, ut censura infligatur, nec satis constet, de qua censuræ specie concepta constitutio sit, dicto cap. 20, eadem ratione, qua olim cum sub nomine excommunicationis censuræ universæ venirent, erat, ut puto, in arbitrio judicis, eam censuræ speciem inferre, quæ placuisset, si non satis aperte constaret, quam excommunicationis speciem canones indixissent. Itaque hodie tres superfuerunt species censurarum, excommunicatio, suspensio, et interdictum, sublatis pene ceteris, quæ olim infligebantur. Caussa abolendæ, vel reformandæ disciplinæ fuit, quod in ecclesia sublata primum fuit communio peregrina, unde cessare debuit censura, qua quis in eam communionem deduceretur. Cessarunt deinde apud laicos variæ stationes pœnitentium, unde et cessaverunt censuræ, quæ variis eisdem stationibus respondebant. Cessarunt insuper plures communionis species inter viros ecclesiasticos, puta episcoporum in negotiis provincialibus una cum metropolitano peragendis, clericorum in administratione bonorum temporalium ecclesiæ, aut participatione communium obventionum, uti erat olim, præsertim ante instituta beneficia. Cur non cessare exinde debuerunt censuræ his respondentes? Quæ jura publica in ecclesia remansere communia, suspendi possunt memoratis tribus censuris, quæ speciale nomen, et singularem naturam obtinuerit, excommunicatione, suspensione, et interdicto, nisi dixeris, aliquod adhuc vestigium veterum excommunicationum partialium remansisse in ea excommunicatione, quam adhuc hodie minorem appellant. Sed juvat de singulis hisce tribus censuris, prout hodie intelliguntur, sigillatim disserere, ut magis in aperto edatur hodierna disciplina.

CAPUT VI.

De excommunicationis censura, prout hodie accipitur.

Etsi nomen excommunicationis olim ad censuras universas etiam minores significandas usurparetur, quemadmodum in præcedente capite demonstratum est, sæculo tamen duodecimo, aut decimotertio contractum fuit, ut significaret censuram singularem a suspensione, et ab interdicto distinctam; nimirum excommunicatio omnibus christianæ communionis juribus privat, non suspensio, non interdictum. Non tamen interea adeo singularem indere potuerunt huic censuræ naturam ut non amplius in varias species, veluti genus tribueretur. Recipi partitio debuit in minorem, et majorem excommunicationem. Minorem excommunicationem dixerunt censuram, qua qui notatur, interdicitur, ne sacramenta suscipiat, ne sacramenta administret, quamquam si hæc administrentur, adhuc valida erunt, uti scholæ loquuntur, c. 10, de clerico excom. min., item ne ad dignitates,

et beneficia ecclesiastica eligi valeat, non sane quod electio sit ipso jure nulla; sed quod sit superioris, ad quem confirmatio pertinet, officio irritanda, dicto, cap. 10, de cler. excom. min. Hujus rei ratio est, quia excommunicatio minor directo privat et ministerio, et susceptione sacramentorum, c. 2, de except, nonnisi tamen indirecto electione, ut ajunt, passiva, proptereaquod qui eligitur ideo eligitur, ut sacramenta ministret, dicto, c. 10, c. 49, de sent. excom. Retinentur tamen ab excommunicato cetera christianæ vel clericæ communionis jura, qualis est jurisdictio seu externi, seu interni fori, et eligendi facultas. Neque enim negotium ullum facessit capitulum 39, de elect., cum quod ibidem traditur, pertineat ab obtinendam solidiorem electionis firmitatem, non ad designandum certum minoris, excom. effectum. Tantum deduci ex eo capitulo potest, temporibus Innocentii III, dubitatum fuisse de vi illius excommunicationis, uti enim tunc nova de censuris disciplina proponebatur, unde abrogatis vetustis excommunicationibus quædam tantum species inventis singularibus hominibus retinerentur, ita res illa certis adhuc principiis undecumque consistere non valebat. Majorem excommun. dixerunt, qua quis interdicitur omni jure christianæ communionis. Olim hæc distinctio erat ignota, quia non ad duas tantum species referebatur excommunicatio, sed ad totidem, quot erant jura communionis. Abolitis gradibus pœnitentium, cœpit disciplina novam formam induere, et duo veluti constituta generalia jura christianæ communionis, altera sacratiora, uti erat administratio et receptio sacramentorum, quibus cohærebat electio, uti vocant, passiva, utpote quæ ad sacra ministranda refertur; altera minus sacra, uti erat jurisdictio, atque eligendi potestas. Facilius interdicebatur alicui juribus sacratioribus: unde qui ab istis, non a ceteris excludebatur, minorem, qui præterea et a minus sacris ejiciebatur, majorem excommunicationem incurrere dicebatur; immo initio non *minor*, sed *simplex* excommunicatio appellari cepit, c. 39, de electione. Nomen excommunicationis *majoris*, non invenitur in ecclesiasticis canonibus usurpatum ante sæculum nonum, quamquam nec statim, ubi usurpari cepit, eam, quam nunc habet, significationem obtinuit. Hinc depositio a gradu sacerdotali dicta aliquando fuit excommunicatio major, prout scilicet opponebatur suspensioni, can. 5, dist. 19. Tum primum major excommunicatio appellari cœpit juxta recentem significationem, cum excommunicatio minor accepit singularem naturam sejunctam a natura minorem excommunicationum, quas veteres in usu habebant, c. 10, de cler. excomm. min., c. 59, de sent. excomm., c. 3, eod. tit. in 6.

Post invectam hanc disciplinam minoris, et majoris excommunicationis, dubitari cœpit, an cum canones simpliciter et absolute de excommunicatione mentionem facerent ad majorem forent, an ad minorem referendi. Primum id definitum fuit a Gregorio XI, in cap. 59, de sentent. excommunicat. quo declaratum est, ut major excommunicatio intelligatur, et quidem jure optimo, quia, uti inferius tradetur, excommunicatio minor nunquam abs judice fertur, et si abs jure illata proponatur, nunquam infligitur, nisi in eum, qui communicet cum excommunicato excommunicatione majore, juxta canonem 10, ex vulgo apostolicis, can. 19, caus. 11, qu. 3, cap. 2, de exception.

Itaque decretum est, et communicatio minor tantum locum habeat in ea specie, qua quis cum excommunicato non minore, sed majore excommunicatione communicat. Verum enim vero in hac re distinguenda est communio in crimine, ob quod excommunicatio major lata fuerit, a communione in divinis, et a communione in ceteris caussis. Si communicetur in crimine, in quo adhuc excommunicatus pertinax perseveret, certissimum est, excommunicationem saltem minorem incurri, quandoque etiam majorem, videlicet cum canones certam excommunicationem inferentes, eam etiam in participes intulerunt, uti exemplum est in canon. 3, caus. 11, quæst. 3, in cap. 29, 30, 38 et 55, de sentent. excommun. Si communicetur in divinis, non tantum excommunicationi minori se obnoxium reddit communicans, sed auctoritate superioris modo excommunicatione majore, modo suspensione, modo interdicto plectitur pro modo criminis, et ejusdem adjunctis, canon. 6, 7, 19, caus. 11, quæst. 3, cap. 2, de cler. excommunic. minist., cap. 8, de privileg., in 6, clem. 1, de sepulturis. Si communicetur in aliis caussis, regula generalis est, excommunicationem minorem incurri, canon. 103, caus. 11, quæst. 3, c. 30, de sentent. excomm. Adjecta est pœna gravior adversus illos, qui scientes excommunicato beneficium contulerint, nimirum cautum fuit, ut suspenderentur a collatione beneficiorum, cap. 7, de clerico excom. min., ex quo clarius adhuc explicari potest capitulum 10, eod. tit. jam superius laudatum, ubi cum dicatur, irritandam esse electionem excommunicati excommunicatione etiam minore, si excommunicatus scienter electus fuerit, significatur, irritandam esse ita, ut eligentes excommunicationis conscii jure eligendi priventur. Aliquando etiam proceditur adversus communicantem cum excommunicato ad excommunicationem majorem, quum scilicet quis admonitus adhuc communicare pergat, can. 26, caus. 11, quæst. 3, cap. 10, de cler. excomm., cap. 3 et 13, de sentent.

excomm. in 6. Scimus insuper, quandoque indictam similem majorem excommunicationem, quibus in temporum adjunctis multi spernebant ecclesiæ mandata, et cum excommunicatis passim communicabant, can. 103, caus. 11, quæst. 3, can. 5, de pœnit. dist. 5, cap. 18, de sent. excom., quod tamen extra ordinem fiebat; etenim constat, quandoque non excommunicationem fuisse propositam, sed interdictum, cap. 8, de privileg., in 6, quandoque depositionis pœnam, can. 10 et 19, caus. 11, quæst. 3. Neque dicas, generalem ecclesiæ disciplinam olim fuisse, ut similis excommunicatio communicantem cum excommunicato teneret, quasi hoc constitutum adpareat in can. 18, caus. 11, quæst. 3. Referendus est iste canon, non quidem ad octavam Synodum, cujus nomine perperam inscribitur, sed potius ad regulas monachorum, atque inter cetera ad canonem 18, eadem caussa et quæstione: tum vero adparebit, ibi sermonem institui, non de excommunicato excommunicatione, majore, sed de monacho ex abbatis ufficio e cœtu monachorum caussa pœnitentiæ segregato ad quandam excommunicationis similitudinem, qua in ispecie cum interdiceretur monachis, ne quandam cum segregato communionem inirent, si forte monachus quidam temneret superioris mandatum, et cum segregato communicaret, simili sane pœnitentiæ subjiciebatur.

Pertinent hæc ad regulam generalem. Ceterum plurimi extant singulares casus, quibus ille qui cum excommunicato majore excommunicatione communicat, non solum jure excusatur, sed et quandoque laude dignus existit. Istos casus Pragmatici designaverunt hoc versiculo: *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse. Utile* dixerunt, habita eorum ratione, qui regimen animarum habent, quorum sane munus est excommunicatum monere, hortari, excitareque, ut demisso animo veniam ab ecclesia petat, ac satisfaciat, can. 105, caussæ 11, quæst. 3, cap. 54, de sentent. excomm., quamobrem laudabile semper fuit, etiam excommunicatos ipsos ad divini verbi prædicationem vocare, et excipere, cap. 43, de sent. excom. *Legem* dixerunt habita ratione conjugum. Scilicet quamquam alteruter ex ipsis sit excommunicatione ligatus, sanctissimum tamen conjugii vinculum, et individua vitæ consuetudo minime dissolvitur, can. 103, caus. 11, quæst. 3. *Humili* designaverunt servorum, sive obsequiis præstandis addictorum officia, quæ dominis utut excommunicatis adhuc sunt exhibenda, dicto, can. 103, cap. 31, de sent. excomm. Quos *res ignorata* excusare dicatur, nemo statim non intelligit, dicto can. 103, c. 29, de sent. excomm., quemadmodum et intelligitur, quos excusat *necesse*, nimirum si utilitas non levis vel privata, vel publica postulat, ut certo in negotio cum excommunicato quis colloquatur, aut agat, can. 105, caus. 11, quæst. 3, c. 34, de sent. excom., unde et illud proficiscitur, etiam adversus excommunicatum actionem edi libere in judicio posse, cap. 7, de judiciis, cap. 8 et 10, de exception.

Hæc sane perspicua sunt, ubi quis publice sit excommunicatus speciali antistitis sententia, et palam denunciatus juxta formam capituli, 1 de sent. excomm. in 6. Quid tamen, si de excommunicatione juris, quam latæ sent. appellant, disputemus? Olim ubi nota publice, et perfecta ex excommunicatio fuisset, idipsum et in hac excommunicationis specie observabatur, ut qui cum excommunicato communicaret, eo ipso minorem excommunicationem incurreret. Sed cum de notorii qualitate crebræ disceptationes haberentur, et faciles essent nonnulli in deneganda aliquibus de crimine aut consciis, aut suspectis communione, recentioribus sæculis alia invaluit, et fere ubique recepta disciplina. Nimirum Martinus V, decreto suo, quod sub nomine concilii constantiensis edidit s. Antoninus in summa parte 3, tit. 25, cap. 3, ita cavit: *Ad evitanda scandala, et multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, quod nemo deinceps a communione alicujus in sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, vel extra, prætextu cujuscumque sententiæ, aut censura ecclesiasticæ, suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel a jure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare aut interdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura hujusmodi fuerit in, vel contra personam, collegium, universitatem, ecclesiam, aut locum certum a judice publicata, vel denunciata specialiter, et expresse. Salvo siquem pro sacrilega manuum injectione in clericum in sententiam latam a canone adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, neque ullo suffragio excusari. Nam a communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abstineri juxta canonicas sanctiones.* Integram describendam volui constitutionem, ut illico quisque et regulæ vim, et vim exceptionis intelligat; his enim consistit hodierna disciplina, ex qua novum profluxit excommunicatorum discrimen, quorum alii excommunicati tantum vocantur, alii excommunicati vitandi.

Quædam singularia occurrunt in excommunicatione minore. Primum est, olim ita quandoque proditam fuisse, ut intra cujusdam moniti fines contineretur, non instar præcepti ferretur, argumento canonis 25, causs. 11, quæst 3, proindeque tunc tempo-

ris non tanquam censura considerabatur, sed veluti animadversio quædam, qua declararetur, aliquem excommunicato communicantem contra præcepta ecclesiæ, indignum esse, qui accederet ad sacramenta, et qui sacra ministraret. In aliquibus provinciis vigebat, ut censura quidem esset, sed tum demum, cum sententia judiciis pronunciaretur, uti liquet ex can. 5, de pœnit. dist. 5. At paullatim factum est, ut generaliter veluti censura haberetur, et nunquam sententia judicis inferretur; tantum ipso jure in eam incurreret, qui cum excommunicato communicaret, cap. 39, de electione, cap. 5, de his, quæ vi met. caus. cap. 2, de exception. cap. 29, de sentent. excomm. Præterea observatur, eum, qui est excommunicatus excommunicatione minore, si sacerdos sit jurisdictione in foro interno potius, non licite quidem, sed valide a peccatis, modo nulla obstet reservatio, absolvere, imo etiam licite, si agatur de absolutione a censuris extra forum pœnitentiale, propterea quod, ut diximus, ex ea censura jurisdictio non amittatur, cap. 56, de sentent. excomm., argumento, cap. 10, de clerico excomm. ministr. Insuper obtinet, ut hæc minor excommunicatio nunquam fuerit reservata, et proinde a quocumque sacerdote habente facultatem absolvendi a peccatis absolvi posset minore excommunicatione innodatus, cap. 29, de sent. excomm. Quod et tradidit s. Thomas in supplemento 3, parte, art. 1, quæst. 4. Imo non constat, aliquando absolutionem ab hac censura explicatam fuisse in foro externo, propterea quod in externo foro vix videatur aliquem effectum habere; quamobrem de absolutione in foro interno interpretari debemus laudatum capitulum 56, de sent. excomm. Denique in hac censura obtinet, ut cum excommunicatus absolvitur, non opus sit, ut promittat absolvendus, et jurejurando caveat, se satisfacturum, quemadmodum contingere solet in absolutione ab excommunicatione majore, cap. 29, de sententia excommunicationis.

Altera excommunicatio, quæ et major dicitur, et longe gravior est, ejicit excommunicatos ab ecclesia, ita ut excommunicatis denegentur, quæ fidelibus tantum in ecclesia consistentibus conceduntur, can. 5, dist. 19, cap. 10, de cler. excom., cap 30, de sent. excom., cap. 3, eod. tit. in 6. Hujusmodi sunt administratio, et susceptio sacramentorum, celebratio divinorum officiorum, sacrorumque conventuum, dicto cap. 5, distinct. 19, cap. 31, de præbend., oblatio, et recitatio nominis inter publicas orationes, cap. 13, vers. *credentes* de hæret., cap. 28 et 38, de sentent. excom., spiritualis jurisdictio sive in interno, sive in externo foro, can. 31, 36, 37, caus. 24, quæst. 1, cap. 24, de sentent. et re judic., cap. 1, de suppl. neglig. in 6, facultas aut eligendi, aut progrediendi ad beneficia, vel dignitates ecclesiasticas, cap. 23, 53, de appellat., cap. 8, de cler. excommunit., cap. un. ne sede vac. in 6, adeo ut episcopus excommunicato beneficium conferens a beneficiorum collatione suspendatur, cap. 7, de cleric. excomm., item potestas utendi rescripto a sede apostolica impetrato extra caussam excommunicationis, vel appellationis ab excommunicationis sententia, cap. 1, de rescript. in 6, et denique ecclesiastica sepultura, can. 37, caus. 11, quæst. 3, cap. 12, de sepultur., cap. 5, de raptor., cap. 5, de privileg. sunt et alia, quæ excommunicatis denegantur humana officia ex disciplina canonum, quæ universa recentiores interpretes memoriæ juvandæ gratia hoc versiculo perstrinxerunt: *Os, orare, vale, communio, mensa negatur.* Nimirum *os*, idest conversatio, vel verbo, vel scripto, can. 16, 27, c. 11, quæst. 3, *orare*, idest recitatio nominis, uti diximus, inter publicas preces. can. 19, c. 11, qu. 3, cap. 28, de sentent. excomm., *vale*, id est signa urbanitatis, sive verbo fiant, sive nutu, sive epistola, can. 17, caus. 11, qu. 3, *communio*, idest cohabitatio, vel societas, can. 29, 38, caus. 11, quæst. 3, cap. 59, de sentent. excomm., *mensa*, idest communes epulæ, ac convivia, can. 17, 26, caus. 11, quæst 3, can 17, caus. 22, qu. 1, can. 27, caus. 27, quæst. 1. Qui tamen, si in his communicent, excusentur, nuper adnotabam, cum de excommunicatione minore agerem Si de caussis in judicium deferendis sermo sit, certum quoque est, excommunicatos non posse aut tanquam actores, aut tanquam accusatores, aut tanquam advocatos, procuratores, vel testes in judicium accedere, cap. 7, de probation., cap. 38, de testib., cap. 5, 8, de exception., cap. 1, eod. tit. in 6, cap. 2 et 8, de sentent. excom in 6. Sunt tamen quædam, et quidem paucæ ad has generales regulas exceptiones. Prima inducta est gratia ipsius excommunicati, ne spiritualibus omnino subsidiis destituatur; ipsi siquidem permittitur, uti ad evangelicam prædicationem etiam publice et in ecclesia accedat, cap. 34, de sentent. excomm. Sunt enim excommunicati in ea conditione, de qua nondum ecclesiam spem abjicit, futurum, ut resipiscant; atque hanc ob caussam permittitur unicuique fideli, ut pro excommunicatis orationes apud Deum fundat, dummodo non sint publicæ, seu a publica recitatione nominum abstineatur. Altera exceptio est gratia reipublicæ, quæ viget, ubi mortuo pontifice maximo, sit ad successoris electionem deveniendum. Si enim forte inter cardinales, ad quos spectat electio, aliquis sit excommunicatione innodatus, adhuc valet suffragium ferre, quod ad avertendas quascumque seditiones et schismata

indulsit Clemens V, in cap. 2, vers. *ceterum* de electione. Tertia exceptio est favore non excommunicati, sed extranei, ex qua obtinet, ut siquis adversus excommunicatum actionem habeat, eam in judicio proponere possit, et eundem excommunicatum convenire; qua in specie excommunicatum ad excipiendam persequendamque controversiam in judicio admitti oportebit, ne alias lucrum potius ob inanes redditas creditoris actiones ex pœna referat, cap. 7, de judiciis, cap. 5, 8 et 18, de exception., atque hoc in casu ad servandam judiciorum æqualitatem concedetur excommunicato, ut se defendere valeat, propositis, quæ sibi competunt, exceptionibus; imo et quia appellatio naturalis defensionis species est, neque denegabitur excommunicato appellandi facultas, cap. 10, 11 et 14, de exception. Quicumque hæc omnia accurate perpendat, eam sibi formabit excommunicationis imaginem, qua illico tanquam coercitio inter spirituales omnium gravissima videatur, quod et demonstrant veteres seu excommunicandi, seu ab excommunicatione absolvendi formulæ, quales exhibentur in can. 106, 208, caus. 11, quæst. 2, et cap. 28, in fine de sentent. excomm., licet istæ hodie ab usu recesserint, aliis substitutis juxta recentiores manualium, aut pontificalium regulas. Quamobrem nemo inficiari potest, hanc censuræ speciem nonnisi perquam cautissime esse infligendam. Infinitus propemodum essem, si sanctissimorum patrum prudentia in hanc rem dicta adferre in medium vellem. Non prætermittam tamen indicare S. Augustini sententiam, quam perspicue editam unusquisque invenire potest apud Gratianum in can. 32 et 33, cau. 11, quæst. 3

Nondum rem hanc confectam censeo, nisi quædam adhuc subjiciam necessario observanda de discrimine, quod intercedit inter excommunicationem, et anathema; quamquam enim identidem in ecclesiasticis canonibus promiscue hæc usurpata inveniamus, plurimum tamen, si proprie ea vocabula sumantur, distinguuntur inter se, atque ad diversos coercitionum modos referuntur. Recte scribebat Bonifacius VIII, in caput 1, de sent. excomm. 6, excommunicationem esse *medicinalem et disciplinantem non eradicantem*: anathema vero ajebat Augustinus in can. 18, caus. 2, quæst. 1, esse *mortale*, quod etiam legitur in can. 41, caus. 11, quæst. 3, ubi dicitur *æternæ mortis damnatio.* Et quidem utriusque ratio, et effectus valide dissimiles sunt. Etenim in primis anathema infligitur adversus eos, qui maxime pugnaces ecclesiæ obsistunt, et quorum nulla probabilis spes est futurum, ut resipiscant, quo sensu in dicto can. 41, caus. 11, qu. 3, statutum fuit, *anathema nonnisi pro mortali imponi crimine*, nimirum pro eo crimine, in quo quis usque ad mortem perseverat, uti explicant illa subjecta verba, *et illi, qui aliter non potuerit corrigi.* Hujusmodi sunt hæretici, qui non tantum charitatis et gratiæ, verum et vinculum fidei, quo ad unitatem ecclesiæ colligabantur, resciderunt, item rei gravissimorum scelerum, qui postquam excommunicatione majore notati fuerunt, in sua manent perfidia pervicaces, ac propterea quod spernant omnino ecclesiæ potestatem, tanquam hæretici existimantur, cap. ult. de pœnis. Hos pragmatici appellant *insordescentes in excommunicatione.* Hinc fit, ut anathema pœna potius sit, quam censura, sit insuper longe gravius excommunicatione, cujus rei argumento est, quod aliquando obtinuit, ut episcopus neminem posset anathemate damnare sine conscientia archiepiscopi vel coepiscoporum, can. 41, caus. 11, quæst. 3, quamquam hodie infligere illud possit, quicumque censurarum inferendarum potestatem habet. Deinde quod ad effectus attinet, sunt quidem utrique, nimirum seu tantum excommunicati, seu etiam anathematizati extra ecclesiam, non tamen eodem modo. Siquidem anathematizati jura omnia ecclesiastica radicitus ita dixerim avulsa amisisse censentur, instar deportatorum, qui a civitate quasi mortui amandantur, extinctis omnino juribus universis. At excommunicati necdum insordescentes, utut extra ecclesiam dejecti, et nihil cum fidelibus ceteris commune exercere valentes, aliqua tamen jura in radice, ita dixerim, servant, fere instar relegatorum, quibus extra civitatem constitutis nihil est, quod agere commune cum civibus in urbe valeant, summum tamen jus civitatis adhuc adhæret, dixerim paucis, non facto ipsi, sed nudo jure sunt cives. Ad rem Ovidius in lib. 2, fastorum ita clementiam Cæsaris commemorabat: *Adde quod edictum, quamvis immite, minaxque, attamen in pœnæ nomine mite fuit, quippe relegatus, non exul dicor ab urbe.* Revera nonne ante insordescentiam jura quædam ecclesiastica in excommunicatis adparent, quæ post insordescentiam extinguuntur? Exempla sunt in canon. 36 et 37, caus. 11, quæst. 3. Nonne in cap. 13, vers *qui autem* de hæreticis, in cap. 7, eod. tit. in 6, et in concilio tridentino fess. 25, de ref. cap. 2, in fine, excommunicati tum demum, cum fuerint insordescentes, comparantur hæreticis, seu, quod idem est, iis, qui ecclesiastica jura penitus amiserunt? Nonne Alexander III, in cap. 3, 4, 5, de cler. excomm. ministr. clericum excommunicationem, cui subjacebat, negligentem, deponi debere constituit, quod sane fieri nullo modo posset, nisi quidquam juris superesset, a quo deponatur? Excommunicationem ita distinxit ab anathemate Joannes VIII, in can. 12,

caus. 3, quæst. 4, Symmachus in can. 3, caus. 3, quæst. 5, Nicolaus in can. 2, caus. 4, quæst. 1, et Cœlestinus III, in cap. 10, de judiciis. Hoc ponere excommunicatorum discrimen oportet. Ceterum si factum consideremus, sive jurium exercitionem, æque omnes esse extra ecclesiam dicimus; et quod anathemate ejectis, illud etiam convenire excommunicatione notatis, nisi illud observetur, opus esse cum anathematizatis dispensatione tanquam a pœna, cum excommunicatis absolutione tanquam a censura, quo casu isti ad ecclesiam revertantur; quamquam tamen etiam absolutio concedatur anathematizatis, quia anathema etiam excommunicationem sub se complectitur, immo et in excommunicationem flectitur, quoties reus spem de se bonam præbet futurum, ut resipiscat.

Ecquidem novi, aliquando in sacris canonibus anathema improprie sumi, et mitius, ut significet excommunicationis censuram. Evenit in hac re, quod in præcedente capite observabam evenisse in nomine excommunicationis, quod aliquando etiam ad significandas pœnitentias quasdam, et pœnas, immo et suspensionis censuram usurpatum est. Quamobrem juvabit statuere certas regulas, ex quibus dignoscatur, quibus in casibus proprie anathema sumitur, quibus e contrario sub ejus nomine censura venit excommunicationis. Prima regula est: Quibus in canonibus nomen anathematis nomini excommunicationis opponitur, atque ita de anathemate mentio fit, ut gravius excommunicatione videatur, tunc anathema proprie dicitur. Exempla sunt in can. 12, cau. 3, quæst. 4, in cap. 10, de judiciis. Secunda regula est: si dicatur, de anathematizato omnem spem penitus abjici, eumdemque in extrema deduci, non excommunicationis censura erit, sed anathematis pœna, uti in can. 1, dist. 23, quemadmodum et si dicatur anathema perpetuum esse, c. 5, dist. 79 Tertia regula est: Quoties de hæreticis, aut de insordescentibus in excommunicatione anathema pronunciatur, tunc istud proprie sumi facile constat ex iis, quæ modo de natura anathematis observabam. Quarta regula est: si agatur de nova lege, quæ veterem confirmet, et in nova lege anathematis sententia proferatur ad normam legis veteris, in vetere autem lege anathema proprie usurpetur, non erit dubitandum, quin in nova etiam lege anathematis nomen idem significet. Exemplum est in can. 1, dist. 23, juncto can. 5 et 6, dist. 79. Quinta regula est: si anathema ad certum, vel incertum tempus expresse in sententia adjectum inferatur, erit potius excommunicatio, vel major, vel minor, juxta regulas a me alibi positas judicanda, uti in can. 38, 38, caus. 12, qu. 2. Sexta regula est: si usurpetur nomen anathematis promiscue cum nomine excommunicationis in eodem canone, neque dubito canonem esse potius de excommunicationis censura, quam de anathematis pœna intelligendum, uti in cap. 21, § 1, de jurepatron., in cap. 7, de immunit., et in cap. 13, vers. *Qui autem* de hæreticis. Huic proxima regula est, qua tradi potest, quo in casu censura excommunicationis infertur, et ad majorem sententiæ solemnitatem, quam *fulminationem* pragmatici appellant, graviores quædam formulæ adhibentur, adjecto etiam anathematis nomine ad terrorem concitandum, nihil ulterius pronunciatum intelligi, quam excommunicationis censuram, uti in can. 2, caus 5, quæst. 1. Septima regula est: si adpareat, post anathema inflictum, adhuc procedi posse ad pœnas ulterioras, ex gr. ad depositionem clerici, qui anathematizatus dicatur, potius erit excommunicatio, can. 5, ex apostolicis. Postrema regula est: si dicatur anathema infligi in pœnam violatæ excommunicationis, distinguendum erit: vel enim violata est vera, et proprie dicta excommunicatio, quam majorem recentiores appellaverunt, tum vero proprie dicetur anathema, uti in can. 2, caus. 5, quæst. 2, in can. 3, caus. 3, qu. 5, et in cap. 10, de judiciis. Vel violata est excommunicatio, quam *minorem* appellant, aut si de veterum canonum interpretatione sermo sit, excommunicatio quædam ex levioribus, quæ non esset dejectio ab universa ecclesiæ communione; tum vero proprie dicetur excommunicationis censura, uti in c. 2, caus. 5, quæst. 1.

CAPUT VII.

De suspensionis censura.

Quemadmodum sæpe apud veteres sub generali excommunicationis nomine, uti superius observatum est, veniebat etiam suspensio ad certum, vel incertum, tempus indicta, aut perpetua depositio a sacris religiosisve officiis, can. 5, ex apostolicis, can. 13, dist. 12, can. 17, dist. 18, can. 9, dist. 23, can. 9, dist. 35, can ultim, caus. 2, quæst 1, can. 16, caus. 7, quæst. 1, can. 2, caus. 24, qu. 3, can. 35 et 57, de cons. dist. 1, c. 11, cons. dist. 2, ita et aliquando contigit, ut excommunicati, ii scilicet qui censura excommunicationis, non pœna anathematis plectebantur, suspensi a communione dicerentur, etiamsi de laicis ageretur, cau. 7, caus. 27, quæst 1, can. 5, de pœnit dist. 5, et in can. 11. Concilii Arelatensis II, anni 452, ubi statuitur, laicos metu persecutionum a fide recedentes per certum tempus haberi *a communione suspensus*, quod potiore jure de clericis dicebatur, ubi communione tantum clericali arcebantur, uti in can. 2, dist. 34, can. 12, caus. 3, quæst. 1, can. 1, caus. 4,

quæst 5, can. 2, caus. 15, quæst. 8, can. 2, caus. 21, quæst. 4 Hodie proprie suspensio appellatur censura, qua clerico, vel monacho, vel etiam clericorum monachorumve collegio interdicitur, ne ordine suo officiove fungatur neve fructus beneficii sui percipiat, jure beneficii, officiive retento. Speciale hoc suspensionis nomen ad hanc censuram designandam a recentioribus usurpari consuevit, postquam censurarum discrimina clarius a pragmaticis, et interpretibus tradi cœperunt, juxta capitulum 20, de verb. signif, cap. 8, de consuet., cap. 7, in fine, cap. 16, de election., cap. 8, de ætate qualit. et ord. præf. cap. 18, de excess. prælat. Neque vero negotium facessit capitulum 2, de cler. excom., quod est concilii antiocheni quarto sæculo celebrati; siquidem quod ibidem occurrit *suspensi* clerici nomen, recentioris interpretis manu adjectum deprehenditur, quemadmodum liquet ex collatione dicti capituli cum can. 6 et 7, caus. 11, qu. 3. Non memoro canonem 5, caus. 26, quæst. 5, utpote in quem mendum irrepsisse, et pro voce *suspensus* in toletano concilio legi *depositus* jam observaverunt romani correctores. Similia etiam menda occurrunt in canon. 2, caus. 21, quæst. 4, et, uti multis placet, in dicto can. 2, distinct. 34, seu, quod idem est, in cap 1, de clerico venatore. Cum autem, uti dictum est, apud veteres aliquando nomen suspensionis indicabat depositionem, id verum erat, ubi suspensio in perpetuum indicebatur, can. 5, caus. 26, qu. 5, quemadmodum et e converso non semel qui depositi, et damnati generaliter dicebantur, proprie suspensi tantum erant, quoties in certum, vel in incertum tempus depositio conferretur, quemadmodum interpretari possumus canonem 13 et sequ. usque ad 29, dist. 50. Hinc regula præstitui potest, ut siquis in veteribus canonibus dicatur deponi, aut carere dignitate, dejici a clero, intelligeretur suspensio, nisi adpareret, adjectam fuisse clausulam *sine spe restitutionis*, vel aliam similem, quæ pœnam perpetuam designaret, quemadmodum intelligo canonem 13, distinct. 23, can. 5 et 7, dist. 24, can. 1, distinct. 48, can. 22, 25, 29, 32, 33, 55 et 58, distinct. 50, can. 1 et 5, distinct. 51, can. 2 et passim dist. 54, c. 1 et 2, dist. 70, can. 1, 3, 4 et passim distinct. 71, con. 4. dist. 77, can. 4, caus. 1, quæst. 7, et can. 7, caus. 2, quæst. 3. Quod si quandoque in vetustis canonibus talis concepta fuisset formula, quæ æque commode, et ad suspensionem, et ad depositionem referri valeret, ego censeo, positum fuisse in episcoporum arbitrio, ut quam pro arbitrio judicarent, seu suspensionis, seu depositionis pro qualitate criminis, et adjunctis sententiam proferrent.

Itaque proprie dicta suspensio in primis appellatur censura, non sane quod omnis suspensio, quæ in canonibus memoratur, censura sit, sed illa tantum, quæ infertur ad coercendos reos criminum, donec ipsi ecclesiæ satisfaciant. Hinc multiplex suspensio esse potest, alia nimirum, quæ pœnitentiæ, vel pœnæ locum tenet; alia quæ neque pœnitentia, neque pœna, neque censura est, sed potius salutaris quædam providentia, qua episcopus ex certis factorum adjunctis consulit decori sacrorum, sive sacramentorum honori; alia denique, quæ est proprie censura. Qua in re observatione dignum est, non omnia, quæ passim statuta, ac recepta sunt de censura suspensionis, ceteris suspensionum speciebus convenire. Sita est aliquando suspensio in pœnitentia, vel pœna, veluti cum quis ad certum, et determinatum tempus, puta ad annum, jubetur a sacris officiis abstinere, uti in can. 13, distinct. 12, can. 17, distinct. 18, can. 9, distinct. 35, can. 36, distinct. 50, can. 2, distinct. 55, canon. 29, caus. 7, qu. 1, can. 2, caus. 21, qu. 4, can. 32, caus. 23, quæst. 8, cap. 1, de custod. euchar., cap. 7, de elect., cap. 1, § *adjicientes*, cap. 16, § *celerum*, cap. 37, § *porro*, cap. 44, eod. titul. in 6, cap. 2 et 4, de tempor. ord. in 6, cap. 1, de sentent. et re judic. in 6, cap. 2, de reb. eccles. non alien. in 6, c. 1, de sentent. excom. in 6, Clem. 1, § *verum*, de hæret., concilio tridentino, sess. 23, cap. 8 et 10, de reformat. consistit deinde aliquando suspensio in eo, quod episcopali providentia quis arcetur a ministerio sacro, non sane quod qui suspenditur, criminis reus sit, aut de crimine convictus, aut crimen confessus, sed quod non deceat sancta tractari ab eo, contra quem fama publica aliquid minus honestum refert, vel jam criminis publici accusatio, vel inquisitio fuerit instituta, ita postulante politiæ ecclesiasticæ ratione, quæ non patitur ad exercitionem sacrorum admitti nisi eos, qui integræ vitæ, et existimationis sint apud homines, ut honesta undecumque sit, et decora sacramentorum administratio. Hæc suspensio nec per sententiam fit, nec ex juris dispositione, sed per mandatum prælati. Exempla autem sunt in can. 13 et 14, cau. 2, quæst. 5, in cap. 26, de accusation., in cap. 10, de purgat. canon., in cap. 4, 5, 10 et 31, de simonia. Hinc fluit, ut quamquam nemo excommunicari possit, aut interdici nisi ob certum crimen, imo ut plurimum caussa excommunicationis, aut interdicti esse soleat contumacia; aliud tamen observetur in suspensione, quæ etiam ad cautelam adhibetur, qua in specie nunquam censura dici potest. Hinc etiam fluit, ut suspensio infligi possit ob peccata præterita, quæ quis forte jam pœnitentia deleverit, aut etiam ex sola suspicione peccati, quemadmodum et

rite indiceretur ex defectu corporis temporali, quod potius in honorem fit sacri ordinis, quam ad privationem jurium spiritualium caussa clerici emendandi. Porro in hoc suspensionis genere obtinet, ut suspensus non statim, ac purgatus, absolutusque abs judicio fuerit, absolvendus sit a suspensione, et ad sacra ministeria obeunda admittendus, sed debeat adhuc expectari, donec rumor publicus, ac scandalum evanuerit, secus ac vigeat in suspensione a beneficio, quod statim reddendum est, cap. 30, de purgat. canon. Hinc præterea fluit, suspensionem, quæ fit ad cautelam, seu ad honorem sacrorum ministeriorum, esse partialem, nimirum tantum ab exercitione ordinis, non a beneficiis; etenim in eo, quo quis beneficii redditibus utatur, non est, quod detrahatur venerationi sacrorum ministeriorum; unde in cap. 10, de purgat. canon. Innocentius III, adprobavit quidem sententiam suspensionis a muneribus ordinis latam adversus suspectum, non tamen eodem modo adprobavit sententiam suspensionis a beneficio, quam tantum professus est, se *nolle improbare*, factum superioris excusans, propterea quod de *immanitate criminis*, in quo severioris disciplinæ extra ordinem usus esse poterat, ageretur. Hinc denique fluit, aliquando esse posse aliquem suspensum ratione sui, non aliorum, ut contingit in crimine occulto, cui immineat ipso facto suspensionis censura; aliquando posse aliquem suspendi ratione aliorum, non sui, veluti ab exercitione sacrorum ex simplici suspicione criminis, qua in specie nonnihil relinquitur arbitrio prælati, ut coerceat suspensionis mandatum ad sacra publice gerenda, et permittere valeat, pro suspicionis modo, clerico suspecto exercitionem ordinis privatim habendam; et aliquando posse aliquem esse suspensum et ratione sui, et aliorum, ubi crimen verum sit, et publicum, idest judicio publico probatum.

Proprie censura suspensionis est, cum ad tempus indeterminatum infligitur ad reum emendandum, et in hoc a depositione perpetua distinguitur. Refertur autem ad functiones universas, sive clericales, sive monasticas, sive illæ sint ordinis, sive administrationis; et in hoc distinguitur ab excommunicationes, quæ refertur ad bona fidelibus universis communia, eamque ob caussam ita definita est, ut per eam clericis, aut monachis interdicatur, ne ordine suo, officiove fungantur, neve fructus beneficiorum percipiant, non solum jure ordinationis, sed et jure officii, beneficiique retento. Igitur inferri potest censura suspensionis in clericos æque, ac in monachos, aut sanctimoniales, immo et in clericorum, monachorum, aut sanctimonialium collegia. Siquidem hærent iis omnibus jura, circa quæ suspensio versatur. Respectu capitulorum sunt, quæ fiunt in communi, puta jus eligendi, jus celebrandorum officiorum, jus suffragii in negotiis capitularibus, et similia. De suspensione abs jure eligendi fit mentio in cap. 7, § ultim. de election. De suspensione ab officiis mentio fit in cap. 40, de election. in 6, et in concilio tridentino, sess. 23, cap. 10, de reformat. notandum autem est, ubi capitula dicuntur suspendi a divinis, intelligi suspensa a divinis, quæ fiunt in communi, non autem ab iis, quæ singuli de capitulo obirent, cum multum distet suspensio collegiorum a suspensione singularium personarum, utut istæ collegium componant. Respectu singularium personarum suspensio refertur ad omnia jura, quæ singularibus eisdem personis competunt. Specialis est de episcopis constituta disciplina, item de prælatis quibuscumque episcopo majoribus, ut ii non subjaceant generalibus suspensionibus ex juris auctoritate indictis, nisi in lege suspensionem indicente facta fuerit de eisdem episcopis, et prælatis expressa mentio, cap. 37, de election. in 6, cap. 4, de sent. excomm. in 6. Sunt qui putant, hoc episcopale privilegium, utpote primum competens ex providentia concilii lugdunensis, spectare tantum suspensiones generaliter indictas ab iis legibus, quæ editæ fuerint post lugdunense concilium, non vero respicere canones præcedentes, sive editos olim usque ad annum 1145, propterea quod regula sit, leges futuris tantum, non præteritis casibus prospicere, argumento capituli 13, de constitut. Mihi hæc opinio placere non potest, observanti in primis, lugdunensem canonem in dicto cap. 4, de sentent. excom. in 6, non exprimi verbis directis in leges quæ sententiam suspensionis intulerunt, sed in episcopos, qui exempti declarantur a suspensione a quacumque constitutione indicta, uti perspicue probant verba illa, *nullius constitutionis occasione*; observanti deinde, rationem lugdunensis concilii generalem esse, et æque ad futuras, atque ad præteritas leges referri, quomodo enim satis prospectum esset juxta mentem lugdunensium patrum periculis ecclesiarum, si adhuc episcopi subjacere pergerent suspensionibus antea indictis? observanti denique, nihil in contrarium probari ex generali regula capituli 13, de constit. quamquam enim verum sit, leges plerumque non respicere casus præteritos, in proposito tamen lugdunense privilegium prospicere futuris casibus. Esto, legem proponi latam ante lugdunense concilium; factum tamen, ex quo episcopus suspensioni subjaceret, lugdunensi concilio successit; eamque ob rem in hac specie adhuc constitutio lugdunensis ad futuros tantum casus referretur. Episcoporum mentio specialis fit in ea specie, qua damnandi sint, qui apostolicæ sedis

præcepta contemnunt, can 2, dist. 12, secundo in ea specie, qua plectuntur clerici venatores, can. 2, dist. 34, c. 1, de clerico venat. tertio in ea specie, qua episcopi consentiant clericis incontinentibus can. 10. d. 32. et can. 1, dist. 83, quarto, quoties episcopi mutuis sese non adjuverint officiis ad pacem populorum conciliandam, can. 11, dist. 90, quinto, si episcopi parochias alienas invadant, vel concitent seditiones, can. 6, dist. 92, sexto, si pecuniam pro sacro oleo, aut balsamo episcopi acceperint, can. 102, caus. 1, qu. 1, septimo, si episcopus alienum diœcesanum censura notaverit, can. 7, caus. 9, qu. 3, octavo, si episcopus temere res ecclesiasticas alienaverit, can. 8, caus. 10, qu. 2, nono, si episcopus præter superioris consensum a sua diœcesi absit, can. 26, 27, c. 23, qu. 8, decimo, si episcopus conniventiam in depopulatores agrorum, et incendiarios exhibuerit, can. 32, caus. 23, qu. 8, undecimo, si episcopus decimas et oblationes laicis concesserit, cap. 17, de decimis; duodecimo, si concilium provinciale statutis temporibus non celebraverit, cap. 25, de accusat. decimotertio, si episcopus non eam sollicitudinem adhibuerit, quæ indicitur in cap. 9, de hæreticis in integra decretali; decimoquarto in specie, c. 10, de excess. prælator. ubi episcopus contra canones adversus fures judicium institui curaverat, graviterque deliquerat; denique si episcopus ordinaverit invitum, can. 1, dist. 74.

Duplex est suspensionis censura, nimirum totalis, et partialis, uti pragmatici loquuntur. Totalis universa jura afficit, seu quæ ab officio, seu quæ a beneficio, seu quæ ab ordine pendent, uti in can. 5, 6, 10, 11, dist. 32. Partialis aliqua tantum jura elevat, vel ea nimirum, quæ sunt officii, vel quæ beneficii, vel quæ ordinis, uti in cap. 2, de cler. non ordin. min. cap. 7, § ult., cap. 26, 45, de elect., cap. 1, in fine cap 13, 37, de elect. in 6, cap. 1, de sent. et re judic. in 6, Imo et ipsa partialis suspensio adhuc in minores partes subdividitur, sic. ex. gr. potest ita quis suspendi ab ordine, ut unius careat ordinis ministerio, alterius ministerium retineat, can. 17, dist 34, can. 39, dist. 50, cap. 13, 14, 16, de temporib. ordin. cap. 4, eod. in 6, cap. un. de cler. per salt. prom. cap. 2 et 3, de eo qui furtive. Sic ex. gr. potest per suspensionem alicui denegari jus unius beneficii, alterius reservari, cap. 37, de elect. in 6. Multa sane sunt in proposito observanda. Et primo quidem, siquis generaliter sit suspensus, idest ita aut lege, aut sententia judicis notetur, ut absolute suspendatur, intelligetur suspensus ab omnibus juribus seu ordinis, seu officii, seu beneficii, argumento canonis 2, caus. 21, qu. 3. Secundo, licet suspensio a minore ordine, officio, vel beneficio in caussa sit, ut majori, et præstantiori ut plurimum interdicatur; non tamen e converso suspenso a majore, et præstantiore interdictum intelligetur, ne in minore ministret, cap. 4, 17, de tempor. ordin. Hanc ob rem suspensus ab ordine recepto, vi ejusdem suspensionis interea impeditur, ne ad majores ordines ascendat. Tertio, quod attinet ad suspensionem ab ordine, qui ab hoc tantum suspensus est, poterit nihilominus exercere jurisdictionem in foro externo. Quarto, quod attinet ad suspensionem ab officio, qui ab hoc suspensus est, neque eligere, neque eligi potest, neque suffragium ullum ferre, cap. 8, de consuet, cap. 26, de elect. cap. 8, de æt. et qual. præfi. cap. 10, de cler. excom. minist., cap. 18, de excess. prælator., neque ulla ratione potest exercere jurisdictionem sive fori interni sit, sive fori externi, ita ut actus jurisdictionis editi irriti penitus habeantur. Quinto, quod attinet ad suspensionem a beneficio, observatur, olim hanc perquam raro indictam fuisse, propterea quod beneficia non habebant eam formam, quam in præsentia exhibent. Nimirum beneficia clericorum ex communi disciplina in eo consistebant, quod clericus ex redditibus ecclesiarum necessaria alimenta perciperet, sive in communi, sive certas obventiones sibi præcipuas faciens. Potius in hoc censuræ species erat, quod clerici cogerentur alimenta capere segregati a ceteris, quod dicebatur deduci in peregrinam communionem. Recentioribus sæculis, postquam beneficia in aliam formam redacta sunt, et clerici sibi blanditi fuerunt, arbitrati se in illis majus quoddam jus habere, frequentior esse cœpit hæc suspensio, ut in iis rei gravius punirentur, in quibus quoddam sibi delicium constituerunt. Itaque siquis suspenditur a beneficio tantum, non censebitur suspensus ab officio, vel ordinis ministerio, can. 32, 39, dist. 50, cap. 1, de cler. non ord. min. ideoque adhuc eligere poterit, immo et beneficium resignare, ac permutare, propterea quod suspensio a beneficio non privet ipso beneficii jure, sed tantum a commodis beneficii temporalibus arceat, c. 7, de elect. Tantum prohibetur suspensus, ne fructus percipiat, ne bona et jura beneficii administret, neve bonorum beneficiariorum caussa in judicio agat, aut excipiat, cap. 8, de dolo et cont. cap. 9, de except. dato interea auctoritate prælati curatore beneficio eidem, ut sit, qui fructus colligat, et jura beneficii tueatur. Quod siquis suspensus tantum a beneficio proponatur sui superioris auctoritate, ea suspensio tantum afficiet beneficium, quod possidetur in ecclesia, quam suspensus offendit, non cetera beneficia, cap. 37, 44, de elect. in 6, nisi aliud in sententia exprimatur, cap. 40, eod. in 6. Ex his omnibus nemo non intelligit caussam, quare suspen-

sio, magis quam ceteræ censuræ, hodie in usu esse soleat, atque observari. Afficit ipsa tantum personas ecclesiasticas, easque, quæ ecclesiasticarum numero recensentur, proindeque ecclesiastici prelati pressius et expeditius curare valent, ut hujus generis sententia executione mandetur.

CAPUT VIII.

De interdicti censura.

Late admodum patet apud latinos scriptores generale interdicti nomen, quod tamen ecclesiastico jure singularem jamdiu significationem obtinuit, ad certam censuræ speciem significandam. Definitur autem censura, qua aliquo in loco, vel aliquibus personis, aut corporibus usus et administratio quarundam rerum divinarum prohibetur, c. 5, de consuet., cap. 1, de postul. prælat. cap. 11, de sponsal., cap. 57, de sent. excomm., c. 20, de verb. signif. Triplex hodie agnoscitur interdicti species, personalis, localis et mixti. Personale personas afficit; locale loca, idest civitates, oppida, templa; mixtum refertur et ad personas et ad loca. Personale interdictum recentiorem quidem formam accepit ex disciplina interdicti localis, attamen origine inspecta est antiquius locali. Siquidem personale interdictum facile referri potest ad quasdam leviores excommunicationes, quæ olim erant in usu, uti sæpe superius dicendum fuit, eas, inquam, excommunicationes, quibus aliquis non ab universis, sed a quibusdam tantum christianæ communionis juribus arcebatur. Imago quædam personalis interdicti erat in primo pœnitentium gradu, qui arcebantur a cœtu ecclesiæ. De sepultura ecclesiastica aliquibus denegata vetus est sanctio, in can. 12, caus. 23, quæst. 5. Qua in re observatur, non eandem perpetuo fuisse rationem denegandæ sepulturæ, modo enim denegabatur ita, ut quis, ne sepeliretur quidem in loco sacro, modo ut sepeliretur quidem in loco sacro, sed sine celebritate, et omissa inter cetera psalmodia. Sepulturam in loco sacro absolute prohibitam fuisse patet, in can. 32, causs. 23, qu. 8, in cap. 11, 12, de sepultur., c. 2, 4, de statu monach., c. 3, 5, de usuris, c. 12, de pœnit et remiss., cap. 7, de consecrat. eccles., cap. 12, de privileg, cap. 1, de torneamentis, cap. 20, de sent. excom., in 6, concilio tridentino, sess. 23, de ref., cap. 19. Hæc communia sunt et excommunicationi et interdicto: aliquando vero concessam fuisse scimus sepulturam in loco sacro, sed sine solemnitatibus, cap. 11, de pœnit. et remiss., cap. 2, de raptor. atque hoc tantum interdicto congruere potest, prout a veteribus cum pœnitentia, vel leviore quadam excommunicatione confundebatur, adeo ut etiam sepultura denegata, quandoque fuerit iis, quibus morientibus denegata non fuerant sacramenta, non enim, uti sacramenta, ita sepultura ecclesiastica necessaria videri poterat, can. 16 et 17, causs. 13, quæst. 2. Sed hæc vera olim erant, deinde tamen invecta disciplina interdicti localis, factum est, ut interdictum personale singularem naturam indueret ad similitudinem localis, et a censura excommunicationis omnino distingueretur. Illud adhuc remansit ad vestigium antiquæ disciplinæ, ut interdictum personale exemplo excommunicationis sequatur personam, quocumque abierit, cap. 31, de præbendis, cap 16, in fine de sent. excomm., in 6, cap. 3, vers. *excommunicatos* de privilegiis, ubi interdicti junguntur excommunicatis, licet aliud vigeat in interdicto locali, quod locum interdictum minime egreditur, dicto cap. 16, in medio de sent. excomm., in 6. Itaque interdictum personale illud dicitur, quod certas personas afficit, vel certum personarum genus, qua in specie traditur, in primis non facile de uno personarum genere in aliud genus extendi; neque enim ex. gr. interdicto clero intelligetur interdictus populus, aut e converso, cap. 16, de sent. excomm., in 6, deinde personas interdicto notatas, uti dictum est, ita teneri interdicto ubicumque inveniantur, ut etiamsi interdictus esset populus, non singulares personæ, tamen unusquisque de populo interdicto subjaceat, quocumque perrexerit. Ecquidem verum est, universitatem a singulis de universitate distingui, id tamen in interdicto minime attenditur, ne sententia effectu careat, cum, ut ait Bonifacius VIII, in cap. 16, de sent. excomm., in 6, divinorum auditio, et sacramentorum perceptio populo ut universis minime competat.

Localis interdicti sunt qui antiquissimam disciplinam, sive usum, putant tamquam jam vigentem temporibus Basilii Magni, quod colligunt ex ejus epistola 144, ubi traditur, villam, quæ receperit raptorem et raptam, suspensam fieri a precibus, et oratione communione. Optima quidem argumentatio, si nomine villæ certus locus intelligeretur, non sola consciorum, et in crimine raptus communicantium familia, quemadmodum aliqui ex interpretibus nostris intellexerunt, una observantes, agi ibidem de quadam excommunicationis specie, non de interdicti censura, atque ita etiam interpretantur canonem 8, caus. 17, qu. 4, verbo *interdico*. Verosimilius est, sexto primum sæculo ejus censuræ usum invaluisse in iis caussis, in quibus ecclesiæ intererat ad avertenda publica scandala, et contentiones, rerum divinarum celebratione populo in certis sacris ædibus interdicere. Revera non invenio in tota ecclesiastica, antiquitate exemplum vetustius, quam quod pro-

fert Gregorius turonensis in lib. 8, historiæ francorum, cap. 31, de sacris rothomagensis ecclesiæ ædibus prope finem sexti sæculi clausis ob trucidatum clandestinis insidiis S. Prætextatum episcopum rothomagensem, cum solemni paschatis die sacra faceret, in cujus sceleris suspicionem universus, propemodum populus venerat. Idipsum deinde in more fuit sæculo nono, et sequenti, cum patroni ecclesiarum inter se dissiderent, et designatis numero pluribus administris occasionem turbandis ecclesiasticis officiis præberent, uti legimus, in can. 36, caus. 16, qu. 7, cap. 1 et 2, de jurepatron. Sæculis autem undecimo et duodecimo frequentiora cœperunt esse interdicta ob frequentiora, quæ emergebant in ecclesia schismata, uti liquet ex sess. 2 Concilii lemovicensis II, anni 1031, et ex pluribus epistolis Ivonis carnotensis, inter ceteras, ep. 94, 111, 120 et 121, in decretalibus Gregorii IX, mentio interdicti localis est, in cap. 11, de sponsal., in cap. 3, de privilegiis, et in cap. 1, de postulat. Prælat. Itaque locale interdictum dici cœpit, cum certa loca censuræ supponerentur ita, ut personæ in iis locis sacra non facerent, certis rationibus et modis adjectis, unde hæc censura directo in loca, indirecto in personas ferri videbatur, ac proinde personæ locum egressæ minime tenebantur. Est autem duplex, vel generale, cum scilicet universæ ecclesiæ civitatis, aut oppidi interdicuntur, vel particolare, cum una tantum, aut altera ecclesia interdicitur, non ceteræ in eodem oppido, aut civitate constructæ, c. 11, de sponsal., cap. 17, de verb. signif. animadvertendum est in hac re, interdictis generaliter ecclesiis alicujus urbis, censeri quoque interdictas sacras ædes, quæ sitæ sunt in vicis suburbanis, seu locis adjacentibus, cap. 17, de sent. excomm., in 6, imo et eas, quæ in urbe sunt a diœcesani jurisdictione exemptæ, clement. 1, de sent. excommunic.

Ceterum ea ipsa ætate, qua frequentiora localia interdicta esse cœperunt, non statim apprime constituit, quinam essent horum interdictorum effectus. Ex eo id evenit, quod olim sub excommunicationis nomine quæcumque interdicta, sicuti et censuræ ceteræ, veniebant, et plurimum pendebat ex arbitrio prælati in infligendis censuris modo unum, modo alterum, modo plura ex juribus christianæ communionis auferre. At deinde in certam formam ac methodum redactis censurarum rationibus, discretisque censuris in tres veluti species, excommunicationem, suspensionem, et interdictum, c. 20, de verb. signif. certi effectus designandi erant, qui interdicto convenirent; et quando censura interdicti localis aut gravior erat, aut sæculo undecimo, et duobus sequentibus frequentior, censura interdicti personalis, certa primum forma indi cœpit locali interdicto, non quidem statim integra, sed paullatim, et sensim, prout res incideret, et ecclesiarum utilitas postularet. Regula generalis erat, ut in locis, sive ecclesiis interdictis nulla sacramenta conficerentur, aut administrarentur. Tantum initio exceptio erat in sacramento baptismatis, quod parvulis, et in sacramento pœnitentiæ, quod in vitæ discrimine constitutis concedebatur, c. 11, de spon. Deinde cum perpenderent, sacramentum confirmationis esse quandam baptismatis veluti perfectionem, ac complementum, permissum est, ut exemplo sacramenti baptismatis etiam sacramentum confirmationis administraretur, cap. 43, de sent. excomm. juncto, can. 3, de consecr. dist. 5, quamobrem etiam permittendum fuit, ut sacrum chrisma conficeretur, cap. 19, de sent. excomm. in 6. Insuper, statuit Innocentius III, ut morituri sacro Eucharistiæ viatico refici possent, c. 11, de pœnit. et remiss. Adjecit Bonifacius VIII, ut sacramentum baptismatis etiam adultis petentibus non denegaretur, cap. 19, de sent. excomm. in 6, imo et pœnitentiæ sacramentum etiam extra casum necessitatis, cap. ult., eod. tit. quod sane olim tantum indulgebatur aut iis, qui singulare privilegium obtinuissent, vel in locum interdictum ex alia ecclesia advenissent, cap. 11, in fine de pœnit. et remiss. Quod attinet ad ecclesiastica, et religiosa officia, ea omnia interdicta fuerunt, nisi singularis ratio, aut expressa constitutio quædam exciperet. Singularis ratio postulavit, ut non obstante interdicto divini evangelii prædicatio fieret, utpote a qua ne excommunicati quidem arcentur, uti diximus superius. Singularis constitutio permisit, ut sepultura in loco sacro concederetur clericis, qui tamen interdictum non violavissent, dummodo sine ulla solemnitate cadavera tumulentur, cap. 11, de pœnit. et rem. juncto. can. 12, causs 23, qu. 5, respectu laicorum antiquo jure servato, juxta capitulum 3 vers. *quod si* de privilegiis. Permissum quoque fuit, ut divina officia fierent, demissa tamen voce, et januis clausis, quod olim regularibus tantum, aut collegialibus ecclesiis, aut episcopis indulserat Innocentius III, in dicto, cap. 11 et cap. 25, de privileg. deinde ad ecclesias omnes extendit Bonifacius VIII in dicto c. ult, de sent. excomm. qui et ibidem addidit, in diebus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes et Assumtionis B. Mariæ, et officia solemniter celebrari posse et sacra dispensari. Martinus V et Eugenius IV, idipsum servandum esse voluerunt in festo, et per totam octavam Corporis Christi juxta institutionem Clementis V, in cap. un. de reliq. et vener. sanct. Fuerunt, etiam aliquando, qui et sedis apostolicæ privilegio

poterant occasionem præbere, ut, cum ad locum interdictum accederent, sacra solemnia semel celebrarentur, cap. 24 de privileg. quemadmodum et gratia episcoporum inductum fuit, ut non obstante interdicto privatum altare habere possint, in quo sacra faciant, vel sacris adsint, cap. ult., de privileg. in 6. Liquet ex his, memoratas exceptiones ex necessitate quadam fuisse concessas, aut saltem ex utilitate gravissima fidelium, ne forte omissis universis divinis officiis, aut ministeriis in aliqua urbe vel oppido divinarum rerum cultus et veneratio penitus cesset, et tepescat fidelium religio, aut penitus extinguatur. Quamobrem minime dubito, laudatas exceptiones tantum locum habere, ubi universæ ecclesiæ civitatis, aut oppidi interdicto suppositæ fuerint; non vero ubi una, vel altera tantum ecclesia, quia hac in specie aliæ ecclesiæ supersunt, in quibus divinis vacetur, cap. 11, de privileg. atque ob hanc ipsam caussam constitutum puto, in cap. 10, de sent. excomm. in 6, absolutionem ad cautelam in generali interdicto non prodesse, propterea quod in generali interdicto adhuc ea fieri possunt; quæ aut necessitatis sunt, aut gravis utilitatis.

Post constitutam disciplinam interdictorum localium, eidemque certam inditam formam, clarius adparere cœpit, quinam effectus essent interdicti personalis, aut mixti. Ubi est personale interdictum, qui interdictus est, excluditur a divinis, et sacris juribns, exemplo illorum apud veteres excommunicatorum, qui interdicti ab ingressu ecclesiæ dicebantur, quasi in primo pœnitentium gradu collocati, can. 8, caus. 5, quæst. 6, can. 11, caus. 13, quæst. 2, can. 10, 11, caus. 17, qu. 1, can. 19, caus. 17, qu. 4. Hinc ab ingressu ecclesiæ arceri interdicti dicuntur, et sepultura ecclesiastica morientes privari, cap. 12 et 13, de pœnit. et remiss., cap. 6, § ult. in fin de homicid., cap. 31, de præbend. Et quamquam nonnullæ exceptiones receptæ paullatim fuerint in interdicto locali, eæ tamen in interdicto personali locum non habent, propterea quod in interdicto locali multæ personæ sunt innoxiæ, et quæ interdicto caussam non præbuerunt, quarum singularis habenda ratio erat, ut certa privilegia concederentur. Tantum interdicti admittuntur ad evangelicam prædicationem, quæ nec denegatur excommunicatis; admittuntur insuper ad orationes in ecclesia faciendas, quo tempore publicus ad eas non sit fidelis populi conventus; tum demum autem admittuntur ad sacramentum pœnitentiæ, cum ecclesiæ satisfecerint, aut de satisfaciendo jurejurando caverint, cap. ult., de sentent excomm., in 6, juncto, cap. 3, vers. *excommunicatos* de privileg. Non prohibentur tamen interdicti agere in jure, cap. 23, de verb. significatif. in integra decretali. Quod si agatur de interdicto mixto, eo scilicet, quo certa loca sunt interdicto supposita et nominatim aliquæ personæ interdictæ, obtinuit, ut ratione locorum ea omnia observentur, quæ superius diximus in interdicto locali; personæ autem nominatim interdictæ habentur, ac si respectu ipsarum personalis fuerit censura. Tantum ex dicto cap. ult., de sent. excomm., in 6, viget, ut cum quandoque in loco interdicto sacra fieri conceditur, excludantur quidem interdicti ab eisdem sacris generaliter, admittantur tamen in certis majoribus solemnitatibus ibidem designatis, dummodo tunc ii *sacro altari nullatenus appropinquent*. Quod si privilegium alicui concedatur, ut tempore interdicti localis ab interdicto in aliquibus dispensetur, hæc dispensatio minime proderit illis, qui occasionem, aut caussam interdicto dederint, cap. 11, de privilegiis, et cum absolutio indulgenda sit ab interdicto locali, hæc minime proderit personis nominatim interdictis, nisi istæ specialiter satisfecerint, aut de satisfaciendo præstiterint cautionem, dicto cap. ult., de sententia excommunicationis, in 6.

Ii omnes possunt interdictum ferre, qui generaliter queunt censuras infligere; atque ideo interdictum modo abs jure infertur, modo ex sententia judicis. Exempla interdicti localis abs jure inflicti sunt, in cap. 3, in fine de privilegii, et in cap. 1, de sepult., in 6. Exempla interdicti personalis juris potestate inflicti sunt, iu cap. 9, de offic. ordin., in 6, et in cap. 8, de privileg., in 6 Ex sententia judicis infertur ab eo, qui jurisdictione pollet, atque ob hanc caussam improbatum fuit factum quorundam canonicorum, qui sine consensu episcopi sententiam interdicti protulerant, cap. 2, de his, quæ fiunt a maj. part. capituli. Singulare illud obtinet in localibus interdictis, ut ob alienum crimen etiam innoxii una cum reis censuræ subjacere possint, cap. 5, de jurejur, cap. 11, de sponsal., cap. ult., de sentent. excom., in 6, extravag. 2, eod. tit. int. com. quod sane sicut in causa fuit, quare mitius, atque indulgentius cum iis agi soleat juxta constitutiones modo laudatas, ita continere antistites debet, ne faciles sint in ea censura inferenda, ac præsertim ne interdictum inferant ex caussa pecuniaria; licet enim aliquando id fieret, dicto cap. 9, ne jurejur. dicto cap. 2, de his, quæ fiunt a maj. part. Capituli, hodie tamen irritum foret, dicta extravag. 2, de sent. excom. int. com. Denique observatione dignum est, interdictum quidem personale iis omnibus modis deleri, quibus censuræ universæ deleantur; at si agatur de interdicto locali, receptum esse, ut, si favore quorundam interdictum latum fuerit, et illi, quo-

rum gratia latum est, censuram minime servem, tacite abolitum censeatur, cap. 20, de Privileg.

Ad censuram interdicti proxime accedit, quæ a nostris appellatur cessatio a divinis, de qua ait Panormitanus intelligendum esse capitulum 11, de sponsal falso tamen, cum ex veteribus collectionibus liquido constet, ibidem agi de vera interdicti censura. Hæc cessatio a divis sane distincta ab interdicti censura nihil aliud est, quam non factum quoddam, consistens in mera abstinentia a rerum sacrarum ministerio, ed divinis officiis. Fit autem aut ex juris potestate, quod contingit, ubi ecclesia dicitur polluta, vel auctoritate ecclesiastici superioris, sive concilium provinciale, aut diœcesanum sit, sive episcopus, sive etiam ex conventione canonicorum, aut clericorum, ubi id receptum moribus, aut privilegio fuerit, ad repensandam injuriam ecclesiæ factam, c. 35, de appellation., c. 13, de offic. ordin, c 2, 8, eod. tit. in 6, Clement. 1 de sent. excomm. Differt a censura interdicti, quod in primis cessatio a divinis nullibi censuræ nomine appellatur; secundo quod non ex positiva sententia proficiscatur aliquid positivum jubente, sed tantum ex mera detrectatione peragendi ecclesiastica ministeria, eadem ratione, qua aliud esset, judicem pronunciata sententia aliquem damnare, aliud, nolle in alicujus caussa sententiam pronunciare; tertio, quod ea cessatio revocatur etiam sine ulla absolutione, et sola satisfactione; quarto, quod interdictum locale generale certas habet juris relaxationes, ut superius adnotatum est, contra quam contingat in cessatione a divinis; neminem faciat irregularem. Ut paucis dicam interdicti censura magis in jure, cessatio a divinis magis in facto consistit.

CAPUT IX.

De solemnitatibus, et modis in ferenda censura observandis.

In ferendis censuris multa præ oculis habenda sunt. Potissimum autem nullus alius esse debet finis ecclesiasticis antistitibus, quam Dei gloria, fidelium salus, expiatio peccati, emendatio rei, et scandali reparatio; quamobrem abuteretur potestate sua, qui ad privatæ injuriæ vindictam in reum animadverteret, nisi illatam injuriam in dignitatem, quæ in Christum ipsum, et in ecclesiam inferri videtur, vindicaret, can. 27, 28 et 30, caus. 23, quæst. 4. Quod ad solemnitates attinet in ferendis censuris observandas, multum interest, an agatur de censura latæ sententiæ, quæ nimirum ex legis potestate infligitur, an agatur de censura ferendæ sententiæ, quæ nimirum pendet ex judicis facto. Si sermo sit de censura latæ sententiæ, eas requirit solemnitates, et modos, qui requiruntur in edendis quibuscumque legibus; hinc esse debet justa et æqua, ab eo lata, qui legum ferendarum facultatem habet, et modis legitimis promulgata. Singulare est in hac censurarum specie, ut speciali monitione opus non sit: instar enim monitionis est lex ipsa, quæ censuram infligit ipso facto inurendam, uti superius demonstratum est, cap. 2, de sentent. excom, in 1, collectione. In censuris ferendæ sententiæ observatur, istas triplicis generis esse; vel enim sponte a Prælatis inferuntur pro prudenti arbitrio ex iis, quæ incidunt, quæque censura expedit emendari, vel ideo feruntur ab ordinario, quia abs jure communi certis in casibus ordinario eidem præcipitur, ut ad infligendas censuras deveniat; vel denique eatenus pronunciantur ab ordinario, quatenus ipse declarat, aliquem incurrisse censuram inflictam abs juris potestate Ut plurimum solemnitates illæ, quæ in jure præstituuntur in ferendis censuris, spectant censuras illas, quæ dicuntur ferendæ sententiæ, quod quemadmodum obtineat, perspicue, quoad fieri possit, explicandum est.

Quædam communia sunt, sive inferatur censura ex libera prælati voluntate, sive ex juris præscripto, sive eatenus tantum, ut declaretur, quemquam incurrisse censuram. Debet in primis id fieri in scriptis, et coram testibus, cum expressione caussæ, concessione exemplaris intra mensem, si requiratur ab eo, qui censura notatus est, can. 9, causs. 2, quæst. 1, cap. 1, de sent. excomm. in 6. Deinde censura notatorum nomina debent publice promulgari, ut unusquisque intelligat, qua ratione sit cum notatis agendum, can. 20 et 106, causs. 11, quæst. 3, cap. 3, de exception., quamobrem olim etiam vicini episcopi conscii de eadem censura per epistolas reddebantur, ne notatos contra modum censuræ reciperent, dicto can. 106, causs. 11, quæst. 3. Hodie si delictum sit publice denunciatio, cap. 15, de appellat., cap. 24, de regular., immo et potest eadem denunciatio iterari, ubi id postulat vel publica, vel privata notati utilitas, dicto c. 24, de regular., Clement. 1, de pœnis. Modus denunciandi arbitrio ordinarii relictus est, ut autem ut plurimum ad valvas ecclesiæ, aliquando etiam in gravioribus caussis, cum affixione sententiæ in pluribus locis. Generaliter autem remissa necessitate denunciandi in pluribus locis, præsertim vero pandendi nomina eorum, qui censura notati sunt, vicinis episcopis, sufficit, publicari censuram illis, quorum interest, can. 7, dist. 18, cap. 25, de accusation., concilio tridentino, sess. 24, de reformat., cap. 1, et si censura notatus non sit diœcesanus, manifestari de-

bebit datis literis censuræ illatio episcopo diœcesano, cap. 1. de raptoribus. Nulla tamen est singularis forma pronunciandæ censuræ, et ideo quibuscumque verbis, dummodo rem liquido explicantibus, concipi potest, cap. 15, de verbor. signif. Commune quoque est censuris universis, quod censura notandus, reus saltem sit maximæ negligentiæ, quæ dolo proxima sit, et spreti gravis ecclesiastici præcepti, cap. 3, de raptor. Denique debet excommunicationis sententia esse non conditionalis, sed certa, et ob factum præteritum; nimirum si agatur de censura ferendæ sententiæ, quæcumque ista sit, perspicuum est, crimen antea esse debere admissum, si agatur de censura, quam quis incurrerit ex juris potestate, judex non primum sententia sua id declarabit, quam constet, crimen admissum fuisse.

Quædam singularia sunt, ubi tantum proceditur ad declarationem inflictæ censuræ ex juris potestate. Hujusmodi est citatio rei, probatio delicti, et quo casu apertæ non sint criminis probationes, sed tantum urgeant conjecturæ, aut suboriantur præsumptiones, non erit reo deneganda purgatio, cap. 4, de sent. excommunicat.

Quædam singularia sunt, ubi lex indicit ordinario, ut caussa quorundam criminum ordinarius deveniat ad inferendam censuram. In primis si canones designaverint expresse censuræ speciem, quæ sit infligenda, satis erit, judicem pronunciare generalibus verbis, reum censuræ abs jure indictæ subjici. Quod si jus generaliter constituerit, quemquam reum esse censura notandum, ad judicis arbitrium pertinebit pro arbitrio suo censuræ speciem definire. Neque forte dicas, in dubio decernendam necessario esse censuram omnium mitissimam, quasi in pœnis inferendis lenior semper debeat esse sententia. Etenim in proposito non versaretur judex in dubio juris, sed certam omnino juris sententiam sequeretur. Tantum videretur jus indefinitum in censuræ specie, sed cum id ideo factum præsumatur, quod leges voluerint, judicem ad criminis adjuncta respicere, et juxta ea modo leviorem, modo graviorem censuram inferre, sententiam ipsam juris sequetur judex, si etiam unam ex gravioribus censuris inferat, ubi caussa ita postulaverit, argumento capituli 1, de sortileg. in 1, collectione. Præterea multum discriminis intercedet, an judicium ab accusatione, an a denunciatione, vel inquisitione cœperit. Si cœpit judicium ab accusatione, quoniam judex tenetur sequi legis præscripta, tenebitur servare judicii formam, idest necessaria erit citatio, et delicti probatio, immo et debebit damnare reum omissis quibuscumque monitionibus, utut non sit pervicax in crimine; nisi censura in jure proposita sit contumaciæ caussa. Quod si judicium cœperit a denunciatione, vel ab inquisitione, quia tunc pœna criminis modum accipere potest ab arbitrio judicis, cap. 21, de accusat., ita moderari singula poterit, aut debebit, quemadmodum ageret in inferenda censura sponte, et ex prudenti arbitrio.

Plura sane singularia sunt, ubi censura sponte sit ab ordinario inferenda præter legum sanctionem. Qua in re distinguendum est, an censura inferenda sit per modum præcepti, an per modum sententiæ. Si inferenda sit per modum præcepti, debent eæ omnes solemnitates servari, quæ servantur in lege, proportione habita: nimirum quemadmodum lex communitati promulgatur, ita præceptum notum esse debet privato, can. 17, dist. 18, cap. 25, de accusat. concilio tridentino, sess. 24, de reformat., cap. 1, postquam vero quis præceptum violaverit, et censuram incurrerit, cum adhuc supersit declaratoria sententia, respectu hujus sententiæ ea omnia observanda sunt, quæ observanda esse modo dicebam in declaratione censuræ, quam quis ex potestate generalis legis incurrit. Si censura inferenda sit per modum sententiæ, iterum distinguendum erit, an inferenda sit caussa perpetrati criminis, quin ratio habeatur futuræ vitæ, quam reus emendatiorem polliceatur, an ideo, ut reus contumax et in crimine pervicax in posterum abstineat. Si inferenda sit ex caussa perpetrati delicti, tunc opus est citatione, post quam reo comparente delictum in judicio probetur: et quidem citatio personalis rei requiritur, si de censura personali sit sermo, can. 12, cau. 2, quæst. 1, can. 2, caus. 15, quæst. 5, cap. 3, de appellat., Clem. 1, de privileg. Hinc allegari poterunt a reo, et probari debebunt aut exceptiones, aut excusationes, siquas habet, et nonnisi probato crimine censura infligetur. Quod si sermo sit de censura locali, citandæ erunt personæ loci, in quo crimen admissum est, ut inde constet de caussa pronunciandi. In notoriis aliud observandum videretur, cum ista probatione non indigeant, sed quando multa notoria dici solent, quæ vere talia non sunt, cap. 14, de appellation., ideo cautius procedendum videtur, ut nunquam censura inflicta dicatur, nisi certo constet de crimine. Hæc vera sunt, aut cum in jure expresse mandatur ordinario, ut in pœnam admissi statim ad censuram deveniat, aut cum delictum adeo enorme est, ut ordinarius prudenter extra ordinem arbitretur statim censuram infligere ad terrorem ceterorum, can. 30, ex apostolicis, can. 18 et 20, caus. 2, quæst. 1, can. 21, caus. 12, quæst. 2, can. 5, caus. 16, quæst. 7, cap. 26, de appellat., cap. 3, de instit., cap. 1 et 13, de sentent. excomm. in 6, concilio tridentino, sess. 25, de reformat., cap. 14, § *Episcopi*. Quod si censura

infligatur caussa emendationis rei, sive ideo ut reus in futurum abstineat, tunc opus est non citatione, sed monitione etiam in scriptis facienda, can. 22, dist. 81, can. 21, caus. 12. quæst. 2, cap. 16, de foro compet., c. 24, de regular., cap. 3, de cleric. excomm., et quidem trina monitione, can. 30 et 31, ex apostolicis, can. 20, caus. 2, quæst. 1, c. 5 et 9, de sentent. excomm. in 6, adsignato certo termino, inde regula est, hujus generis censuras tantum ferri in contumaces, can. 22, dist. 81, can. 5, caus. 16, quæst. 7, cap. 2, 3, 4 et 6, de cohab. cler. et mul., can. 8, 9, 14 et 16, de vita et honest. cleric., quod fundamentum habet vel ipso in evangelio, cap. 18, vers. 15 et 16. Matthæi. Fateor tamen, aliquando pro tribus monitionibus unam tantum peremptoriam fieri potuisse, cap. 6, de sent. excomm. in 6, exemplo edicti peremtori apud Romanos veteres, de quo in l. 68, 69, 70 et 72, ff. de judiciis, juncta, l. 53, § 1, ff. de re judicata. Sed hic disciplinæ rigor modum accepit ex sanctione tridentini concilii in sess. 25, de reform. cap. 3, ubi statutum est, ut duæ saltem monitiones præcedere debeant, quod tamen locum habere tantum videtur in sententia excommunicationis, de qua tantum conceptum est tridentinum decretum.

Itaque quandoque contingit, ut censuræ etiam sine monitione inferantur, quod non solum verum est, ubi quis ipso jure in illas incurrit, sed etiam ubi sint abs judice infligendæ, cap. 1, de fidejuss., cap. 17, de decim., cap. 9, de celebrat. missar., cap. 2, de statu monach., cap. 16, § *ceterum* de elect. in 6. Singulare quoque est in ea suspensionis specie, quæ censura non est, sed providentia quædam, quæ consulitur decori sacrorum, uti superius est observatum in cap. 7, ut eo casu neque citatione opus sit, neque monitione, argumento capituli 4 et 5, de simonia. Ceterum in ferendis censuris ex sola probatione delicti admissi, omissa monitione, maxima semper opus est circumspectione, nec ad eas deveniendum, nisi gravissimæ urgeant caussæ. Neque enim episcopus excusaretur, si tantum allegaretur generalem legem, qua cavetur, ut certis in casibus censura inferatur; siquidem censuræ ferendæ sententiæ a lege indictæ habere plerumque solent tacitam conditionem, si reus non se emendet, si reus non satisfaciat, si caussa gravis urgeat, c. 7, cau. 33, quæst. 4. Immo et aliquando prudentius aget, qui prorsus a censuris abstineat, ubi ex censuræ illatione grave potius detrimentum, veluti schisma, evenire posse conjiceretur, can. 19 et 32, caus. 23, qu. 4. Ex eodem principio fluit, ut cum censurarum illatio ab arbitrio ordinarii pendet, nisi de atrocissimis criminibus agatur, gradatim sit procedendum, et primo minores, deinde crescente contumacia majores censuræ inferantur, can. 5, dist. 48, can. 4, dist. 81, can. 2, dist. 34, cap. 8, de dolo et contumac., præsertim vero si ageretur de censuris adversus prælatos ecclesiæ inferendis, cap. 2, de offic. jud. de leg. in 6, concilio tridentino sess. 13, de reformat., cap. 1, vers. *sin autem*. Quamquam vero non repugnet, eandem personam posse notari pluribus censuris ejusdem speciei, quarum diversi effectus sint, seu ob plura delicta, sive ob unum delictum sæpius admissum, can. 24, ex apostolicis, cap. 27 et 42, de sentent. excomm., cap. 11, eod. tit. in 6, Clement. eod., extrav. unic. de schism., juncto cap. un. eod. tit. in 6, nemo tamen debet statim omnibus censuris notaris, sed successive, incipiendo a minore, donec ad majores deveniatur, can. 6 et 7, caus. 11, quæst. 3, cap. 10, de judic., cap. 12, de cler. excommun. ministr. neque obstat extravagans 3, de privileg. int. com., ubi simul, et semel, et excommunicatio, et suspensio, et interdictum infligitur, siquidem ibidem inflicta excommunicatio major censetur, adjecta autem fuere nomina, et suspensionis, et interdicti, ut pressius significarentur excommunicationis majoris effectus, cum suspensio, et interdictum, etiamsi expressa de iis mentio facta non fuisset, tacite in excommunicationis majoris censura contineantur.

Spectant hæc omnia censuras universas. Singulares quædam sunt solemnitates in majore excommunicatione observandæ. Olim hæc excommunicationis sententia ab episcopo una cum duodecim presbyteris pronunciari solebat, can. 106, cau. 11, qu. 3. Hodie tamen aut solus episcopus, aut etiam unus sacerdos ex episcopi mandato eam profert. Item recepta est duplex ratio excommunicandi, videlicet simplex, quæ nullam habet certam determinatumque formulam, et solemnis, quæ fit cum magna celebritate, cum maledictis, et execrationibus, et *fulminatio* a pragmaticis appellatur. In hac viget, ut excommunicans cereum præ manibus teneat una cum adstantibus clericis, illumque pronunciata sententia in terram projiciat, strepitus etiam fiat campanarum, ac si mortuum esse illum significetur, qui excommunicatur. Videantur in hanc rem, præter recentiora pontificalia, can. 64, dict. 50, can. 106, cau. 11, qu. 3, cap. 12, de sent. excomm. in 1 collectione.

Gravis nunc sequitur disputatio, cum quærendum sit, quibus in casibus, ubi omissæ fuerint inferendarum censurarum solemnitates et modi, censura injusta sit, quibus a casibus irrita; quamquam enim omnis censura irrita sit injusta, non tamen e converso omnis censura injusta irrita est, can. 5, caus. 1, quæst. 4, can. 11, caus. 2, 2, quæst. 1, can. 46 et 47, caus. 2, quæst. 3. Tres ego censeo caussas esse, ob quas cen-

sura irrita sit; primo ex defectu jurisdictionis; secundo ex defectu animi; tertio ex defectu formæ abs jure præstitutæ, sive solemnitatum, quæ essentiales a pragmatici appellantur. Irrita est ex defectu jurisdictionis, quotiescumque pronunciatur ab eo, qui vel nullam omnino habet jurisdictionem, vel non habet ullam jurisdictionem respectu ejus, qui censura notatur, vel desiit habere jurisdictionem in certa caussa, uti contingit in judice, a cujus sententia appellatio interposita est, atque apud superiorem introducta. Hæc omnia facile probantur, ex can. 4, 5, 6 et 7, dist. 21, ex tota fere quæstione 2, cau. 9, ex cap. 2, de offic. legati, ex cap. 15 et 38, in fine de offic. deleg., cap. 12, de privilegiis, cap. 37, de appellation., et c. 2, de constit. in 6. Ex defectu animi irritam dico censuram, quæ lata fuerit ab amente, a metu vel vi adacto, similique ratione a percito calore iracundiæ, aut ab ebrio, argumento, can. 89, caus. 11, quæst. 3, cap. 4, de his quæ vi metusq. caus., cap. 17, de convers. conjug. aut etiam ab eo, qui errat in persona, putans ex. gr. notare Cajum, cum Titium notat. Si de defectu formæ, seu solemnitatum quæratur, tota quæstio reducitur aut ad defectum citationis, aut ad defectum monitionis. Qua in re distinguendæ sunt censuræ a censuris; uti enim superius notandum fuit, aliæ neque citationem, neque monitionem requirunt, aliæ citationem, non monitionem, aliæ monitionem, non citationem. Quibus in casibus neque monitio, neque citatio necessaria est, frustra diceretur vitiosam esse censuram, quæ utraque destitueretur. At quibus in casibus necessaria citatio est, adeo verum censeo censuram irritam esse, si citatio omittatur, uti verum est, sententiam quamcumque judicialem ex pari defectu irritam dici, ac similiter concludendum erit, ubi citatio quidem facta fuerit, sed illegitime, cum citatio illegitima nunquam vera citatio dicatur, cap. 8, de major. et obed. In iis autem casibus, in quibus monitio necessaria est, si forte hæc omittatur, irrita sententia habebitur. Ecquidem olim ante concilium lateranense Innocentii III, id venire in dubium potuisset; siquidem deficiente monitione non posset reus criminis dici contumax, proindeque deesset caussa excommunicandi, quæ in proposito non alia esse posset, quam contumacia. Verum lateranense concilium aliter statuit in cap. 48, in princip. de sent. excommun., ubi prohibetur, nequis excommunicetur monitione non præmissa, et contra excommunicantem certæ pœnæ indicuntur, *etiamsi justa fuerit excommunicationis sententia*. Hæc verba lateranensis concilii perspicue indicant, justam dici posse adhuc excommunicationem, utut monitio fuerit: igitur cum alias decernatur, monitionem necessariam esse, monitionis omissio non injustam, sed irritam sententiam faciet. Id magis magisque explicatum est a concilio lugdunensi in cap. 5, de sentent. excomm. in 6, ubi præcipitur, ut non alias ad inferendam excommunicationem deveniatur, quam ubi præcesserit monitio, et subjicitur: *Aliter autem excommunicatio prolata non teneat*. Ecquidem fateor, in hisce decretalibus tantum de excommunicatione agi: at observandum est, quæ de excommunicatione statuta sunt, facile trahi posse ad ceteras censuras, sive quod olim sub excommunicationis nomine ceteræ censuræ veniebant, sive quod ita statutum est in cap. 1, de sentent. excomm. in 6. Neque in contrarium dicas, in dicto cap. 48, de sent. excom. sententiam irritam minime adparere, cum ibidem præcipiatur, excommunicatum remittendum esse, ut a censura absolvatur; facile enim reponitur, hanc clausulam pertinere ad alteram canonis partem, qua cavetur, nequis sine caussa excommunicetur, non ad primam partem, qua statuitur, monitionem præmitti oportere, uti ex toto canonis contextu intelligitur. Deficiet quoque censuræ sententia in forma sive solemnitate, si non proferatur in scriptis, si caussa non exprimatur, et si exemplar scripturæ non tradatur intra mensem, quoties fuerit requisitum, ac proinde tunc etiam irrita erit dicta censuræ sententia, quod primum statuit lugdunense concilium in cap. 1, de sentent. excomm. in 6, ubi non dicitur absolvendus, qui contra hanc formam fuerit censura notatus, sed statuitur, eandem sententiam sine difficultate esse auctoritate superioris relaxandam. Extra hos omnes casus censura nunquam irrita est, sed poterit esse injusta, veluti cum aut sine caussa illata fuerit, aut cum caussa quidem, sed minime gravi, non legitima, nec sufficiente, aut ex errore juris, vel facti, can. 11, caus. 2, qu. 1, can. 32, 33, 35, 41, 42, 43, 46, 50 et 51, caus. 11, quæst. 3, can. 4, caus. 24, quæst. 1, c. 3, de restit. spol., cap. 7, § *sane*, § *potest*, et § *similiter* de sent. excommun. in 6, extravag. 2, eod. tit. exceptio est singularis in extravag. 2, de sentent. excommunic. tit. in extravag. 2, de sentent. excommun. int. comm. cujus vi interdicta quædam localia ob pecuniarias caussas inflicta nullo omnino momento consistunt. Potest etiam aliquando censura injusta esse ex parte notantis, quin sit injusta ex parte notati, quod contingit, cum prælatus justam habens excommunicandi caussam, non ex ista censuram inferret, sed quodam motus privato odio, quam affectionem nonnisi a pravo judice in sententiis exerceri, jamdiu notabat Seneca in lib. 1, de ira, c. 9 et 10. At de hac injustitia in foro externo ecclesiæ non quæritur, et divino judicio relinquitur, ubi alias justa sententia videretur.

Si censura sit prorsus irrita, seu tanquam irrita a notato allegetur, nihilominus servari a damnato debebit, quousque irrita declaretur auctoritate superioris, ex quo fit, ut dum hoc judicium pendet, adhuc ad cautelam possit absolutio indulgeri, cap. 7, vers. *Sed si ex caussa* de sentent. excomm. in 6. Exceptio est, nisi ita perspicuum sit, censuram esse irritam, ut nulla ne levissima quidem dubitatio esse possit, veluti cum quis censura notatur ab eo, cujus jurisdictioni nullo modo subest. Si sit injusta censura, apud homines quidem servanda est, donec sententia superioris cassetur, vel revocetur a ferente, c. 1 et 27, caus. 11, quæst. 3, can 11, caus. 2, quæst. 1, can. 2 et 6, caus. 24, quæst. 3, interea tamen qui eam devoto animo patitur, occasionem habet merendi apud Deum, neque intime dolere debet, propterea quod apud Deum ex iniqua sententia judicis non ligetur, can. 46, 47, 49, 50, 51, 54, 89 et 90, caus. 11, quæst. 3, can. 4 et 7, caus. 24, quæst. 3 Hæc ratio est, quare Innocentius III in cap. de restitut. spoliat. definiverit, satius esse excommunicationem humiliter pati, quam parere iniquo superioris errantis præcepto, quemadmodum et definivit in cap. 44, de sent. excom. Qui injusta censura notatus est, dum apud superiorem proposita appellatione quæritur, petere potest, ut injuria illata reparetur, et sibi satisfiat, et quidem contra eum, qui censuram intulit, duobus in casibus; primo, si ex officio processerit, nemine postulante; secundo, si processerit ad utenda jura sua, cap. 48, de sentent. excomm., c. 6 et 7 de sent. excom. in 6. At si judex ecclesiasticus altero accusante, vel denuntiante ad eam censuræ sententiam devenerit, contra accusantem, vel denunciantem postulanda erit injuriæ reparatio, immo et pro facti adjunctis peti poterit, ut ille pœna arbitrio judicis coerceatur. Regula est, qua traditur, eum, qui abutitur potestate ferendarum censurarum, ea facultate privari deberi, can. 60, 63, caus. 11, quæst. 3, cap. 8, 23, de offic ordinar., cap. 7, de sentent. excommunic., immo et si bis monitus abuti pergat, poterit et ipse censura notari, can. 11, caus. 2, qu. 1, canon. 6, caus. 24, quæst. 2, cap. 1, de excess. prælat., aliquando etiam statim, et ipso jure subjacet per mensem sententiæ interdicti, quo casu servata non fuerit forma præstituta in cap. 48, de sentent. excomm., et. cap. 1, eod. tit. in 6.

CAPUT X.

De censurarum effectu.

Multiplices designari possunt censurarum effectus, quorum rationes ut in certam methodum redigantur, distinguendi initio sunt effectus illi, qui generaliter censuris omnibus communes sunt, ab iis, qui sunt censuris singulis speciales. Deinde distinguendi effectus censurarum ferendæ sententiæ, ab iis, qui pendent ex censura ex juris potestate inflicta. Denique secernendi sunt effectus censurarum eo ipso, quo censuræ feruntur, ab effectibus censurarum, postquam istæ illatæ fuerint et contemnantur.

In primis generaliter observatur in censuris universis, ut appellatione interposita post sententiam censuræ, devolvatur quidem ad superiorem caussæ cognitio, non tamen sententiæ executio suspendatur, seu, uti scribunt pragmaticis, habeat appellatio effectum devolutivum, non suspensivum, cap. 13, 14, 37, de appellation., cap. 8, de offic. jud. ord., cap. 20, de sentent. excomm. in 6, concilio tridentino, sess. 22, de reform. cap. 1, quod ex eo proficisci arbitror, quia in hac specie spiritualium jurium, executio sententiæ ab ipsa sententia non distinguitur, nec post sententiam ullo intervallo temporibus prorogatur. Exceptio est in præcepto conditionali censuræ, si ex. gr. decreverit prælatus, ut quis ab aliqua re abstineat, et si non abstinuerit, censuram incurrat; tunc enim si appellatio ab eo præcepto, et censuræ comminatione interponatur, nullum effectum inde exeret censura, dummodo conditio, sub qua censura illata est, non evenerit ante appellationem, cap. 40, de appellation. Deinde in universis censuris generaliter verum est, ut ligent etiam apud Deum, dummodo justæ sint, can. 6, caus. 24, quæst. 1. Præterea in omnibus censuris obtinet, ut qui in una diœcesi est censura notatus, habeatur notatus in ecclesia universa, cap. 8, de offic. jud. ordin. Siquidem censuræ privant bonis ecclesiæ non uti particularis, sed uti universæ. De censura excommunicationis ita expresse canones docuerunt, canon. 82, caus. 1, quæst. 1, can. 7, caus. 7, quæst. 1, can. 2, 4, 26, 73, caus. 11, qu. 3. De censura suspensionis concepit etiam sunt canones 11 et 12, ex apostolicis, canon. 26, caus. 11, quæst. 3, juncto cap. 1 et 2, de cler. excomm. minist., et can. 24, caus. 7, quæst. De censura interdicti personalis idipsum verum est, quamquam exceptio sit in interdicto locali, utpote quod natura sua certo loco circumscribitur, cap. 16, ver. *ceterum* de sentent. excomm. in 6. Exinde plane profluxit, quod in more apud veteres erat, ut nomina illorum, qui censura notati essent, præsertim excommunicatorum, nota fierent episcopis, aut fere omnibus, aut saltem vicinis, aut certe illis, quorum magis interesse poterat, can. 206, cau. 11, quæst. 3, cap. 1, de raptoribus. Insuper commune est censuris ut quicumque cum eo, qui censura notatus est, communicat in iis, quæ censura prohibentur, et quidem post publice factam de-

nunciationem, mereatur et ipse simili censura notari, si suæ conditioni conveniat, alias alterius speciei censura, can. 14, caus. 16, qu. 7. Plures in hanc rem edidit canones Burchardus in libr 11, cap. 32, 34, 35 et 38. Observandum denique est, nullam censuram iis privare, quæ sunt ad animæ salutem, aut ad hominis vitam necessaria, can. 103, caus. 11, quæst. 3, nullam censuram, ne ipsam quidem majorem excommunicationem, privare jure excipiendi in judicio, c. 8, 10, de exception. et nullam censuram privare charactere sacramentali, qui indelebilis est, atque ideo potestatem ordinis adimere, quamquam adimere possit ordinum exercitationem, quemadmodum explicari debet canones 2, 3, 4 et 5, caus. 9, quæst. 1.

Quid modo commemorem speciales singularum censurarum effectus? Omnes jam recensui superius, ubi de singulis censuris, excommunicatione, sive majore sive minore suspensione, interdicto actum fuit. Paucis tantum dicam, excommunicationem majorem privare universis juribus christianæ communionis, imo et pluribus juribus alias in societate exercendis. Adjicio, ex necessitate gravissima salutis animarum receptum esse, ut sacerdos excommunicatus (potiore jure aut suspensus, aut interdictus) non valide tantum, sed etiam licite, ubi alius sacerdos desit, absolvat eum, qui est in mortis articulo constitutus, argumento canonis 52, caus. 16, quæst. 1, concilio tridentino, sess. 15, de pœnitentia c. 7. Notaverunt quidam, tanto olim fuisse in odio excommunicatos, ut qui eos occidisset, tanquam homicida in romana ecclesia non haberetur, can. 47, caus. 23, quæst. 5. At si accurate iste canon expendatur, adparebit quidem, cum eo interfectore mitius actum esse, non eum ab homicidii crimine liberatum, quasi ordinaria homicidii pœna eximeretur, attamen extra ordinem certæ adhuc pœnitentiæ subjiceretur. Effectus excommunicationis minoris sunt privatio et ministerii, et susceptionis sacramentorum. Effectus suspensionis varii sunt pro diversis suspensionum speciebus, ita ut cum suspensio sit ab officio, privet jurisdictione in utroque foro, cum ab ordine, privet ejusdem ordinis exercitione, cum a beneficio, privet perceptione fructuum beneficii, imo et quacumque ejusdem beneficii administratione. Non memoro varios interdicti effectus, perspicue enim jam superius enumerati fuerunt.

Observandum quoque est discrimen, quod intercedit inter censuras, quas appellant latæ abs jure sententiæ, seu quæ ipso facto inferuntur, et censuras, quæ demum ex sententia judicis infliguntur. In iis, quæ demum sententia judicis infliguntur, etiamsi ex juris definitione infligendæ mandentur, nullus est effectus ante sententiæ pronunciationem, immo ante ejus publicationem; etenim usque ad publicationem imperfecta sententia est. Qua in re distinguenda est publicatio sententiæ, quæ fit tantum, ut reo sit nota, a publicatione solemni, quæ fit, ut unusquisque sit conscius latæ censuræ. Si tantum sententia publicata fuerit reo, nondum tamen ad omnium notitiam pervenerit, effectus censuræ habebunt tantum locum respectu notati, non respectu ceterorum, quod vigere cœpit post extravagantem *Ad evitanda* editam in constantiensi concilio. Id recipi debuit exemplo censuræ, quæ ipso jure infligitur, et dicitur latæ sententiæ: nimirum ubi quis hanc censuram incurrerit, statim se gerere debet pro censura notato: nihilominus tamen ceteri excusantur, si necdum censura publicata fuerit, quoties cum censura notato communicent, etiam in iis, quibus notato interdictum est. Quamobrem clericus excommunicatus, nondum tamen denunciatus, illicite quidem, sed valide sacramenta quæcumque administrabit, quasi in conspectu ecclesiæ pro non excommunicato habeatur.

Superest nunc, ut singulares effectus persequar, qui non ex censura proficiscuntur, sed ex violatione censuræ, quum ex. gr. excommunicatus adhuc ea peragit, quæ sibi interdicta sint; quum suspensus ea gerit, a quibus est suspensione remotus; quum interdictus interdicti censuram minime servat. Delinquitur in hac re tribus modis. Primo, quum is, qui censura tenetur, per longum tempus in ea contumax perseverat, quin devoto animo ab ecclesia veniam petat; secundo, quum post censuram inflictam adhuc in crimine perseverat, ob quod fuit censura innodatus; tertio quum ea peraguntur, quæ censura prohibentur. Itaque in primis, qui per annum contumax in censura persistit, non fruitur beneficio absolutionis, quæ in rescriptis pontificiis indulgeri solet rescripta pontificia obtinentibus, juxta regulam 66 cancellariæ. Item si de excommunicatione agatur, dicitur *insordescens*, qui proinde aut tanquam hæreticus, aut certe tanquam de hæresi suspectus judicatur, cap. 13, vers. *credentes* de hæret., concilio tridentino sess. 25, cap. de reform. Sunt qui putant, tridentinum hoc caput non ad excommunicationem tantum, sed et ad ceteras censuras referri ob illa verba *censuris adnexus*. Verum ex toto contextu liquet, tantum ibidem sermonem institutum fuisse de excommunicatione majore, ad quam eadem verba coercenda recta interpretatione sunt. Si de aliis censuris agatur, non desunt modi, quibus antistites contumaciam puniant, procedendo ad graviores censuras, aut pœnas, argumento canonis 2, dist. 55, capituli 2, de cler. excomm., et cap. 8, de ætate qualit. et ordin. præfic. Neque dicas, in dicto cap. 8, clericos gravius fuisse coercitos, qui non per

annum tantum, sed per triennium in censura mansissent, quod enim triennium ibidem memoratur, ad factum pertinet, non ad jus, et quamquam nonnisi post triennium ad pœnas deventum sit, deveniri tamen ad eas poterat statim post annum. Secundo, quicumque post censuram ita delinquit, ut in eo crimine, ob quod notatus est, pervicax perseveret, graviore adhuc censura plectendus est, aut si jam gravissima illata fuerit, ad pœnas deveniendum pro prudenti superioris arbitrio, ac si actus prohibitos elicuisset, ut modo erit adnotandum. Tertio, si ita delinquatur, ut ii actus fiant, quibus vi censuræ interdicitur, obtinet, ut quæcumque fiunt in censuræ contemptum, in irritum penitus cadant, uti contingit in eo, qui interdicti censuram negligit, ac contemnit, cap. 18, de privileg. præterea, quicumque violat censuram alienam, idest communicat in vetitis cum eo, qui censura tenetur, et ipse aliqua censura coercetur pro modo admissi, cap. 3, de usuris, cap. 2, de raptor., cap. 2, de hæret. in 6, clement. 1, de sepult. Insuper si violetur non aliena, sed vel propria censura personalis, vel censura localis, imminet ipso jure violanti pœna irregularitatis, cap. 6, 7, caus. 11, qu. 3, cap. 1, de postul., cad. 12, 14, 18, de homicid., cap. 1, 5, 6, 9, de cleric. excomm. minor., cap. 47, de sentent. excom., c. 1, in fine, cap. 18, § 1, cap. 20, eod. tit. in 6, cap. 1, de sent. et re judic. in 6. Atque id in censura personali adeo verum est, ut locum habeat, etiamsi notatus non sit publice denunciatus, propterea quod ob non factas publicas denunciationes excusantur quidem ceteri, si cum notato communicent, non excusatur ipse notatur, qui conscius est censuræ, qua tenetur. Dixi aliud vigere, siquis non omnino servet alienam censuram personalem, veluti si sacerdos divina celebraverit excommunicato præsente; siquidem nullam in hac specie imminere irregularitatem declaravit Bonifacius VIII, in cap. 18, princip. de sent. excommunic. in 6. Sed de hac re uberius agendum erit inferius, ubi de irregularitatis pœna disserendum. Sunt et aliæ coercitiones, et pœnæ adversus eos, qui violant propriam personalem, aut localem censuram: videlicet laici excommunicatione etiam plectentur, quo casu interdictum violaverint, aut anathemate, quo casu excommunicationem non servaverint, argumento capituli 11, de privileg., et clement. 2, de sentent. excom., quod si de clericis agatur, qui et suspensioni obnoxii esse possunt, pro qualitate violatæ censuræ, majoribus censuris subjiciuntur, aut etiam pœnis, cap. 13, § *quia vero* de hæreticis. Hinc aliquando excommunicantur, can. 2, dist. 55, cap. 2, de cler. excomm. min., clement. 3, de sent. excomm., quandoque beneficio privantur, uti in specie capituli 8 de ætat. qualit. et ord. præfic., ubi notandum est, ideo clericum beneficio spoliari, non tam quod per longum tempus in censura perstiterit, quam quod dum censura teneretur, aliud beneficium adipisci conatus est. Addi potest capitulum 4, de cohabit. cler. et mulier., cap. ult. de excess. prælat., et capitulum 16, vers. *celerum* de elect. in 6. Quandoque etiam a gradu suo dejiciuntur, cap. 8, de dolo, et contum., cap. 13, de vita et honest. cler., cap. et. 4, de cler. excomm. ministr. Quod si clerici censura notati turbas concitent, et seditione facta adversus ecclesiasticam potestatem irruant, exuuntur clericali privilegio, et traduntur curiæ sæculari juxta qualitatem sceleris puniendi, can. 7, caus. 11, quæst. 3, argumento capituli 10, de judiciis. Sunt denique certi effectus violatæ censuræ, ratione ecclesiæ, seu loci sacri, in quo violatio admissa est. Nimirum polluitur ecclesia, si in ea excommunicati, vel interdicti cadaver fuerit tumulatum, cap. 7, de consecr. eccles. vel altar., et amittit ecclesia jus sepulchri, quo casu in ea aut hæreticorum, aut hæreticis faventium cadavera sepeliantur, c. 2, princip. de hæreticis in 6.

CAPUT XI.

De modis, quibus censura deletur.

Quemadmodum ubi certum est, censuræ notam inustam fuisse, curandum imminet notato, ut quantocius auferatur, ita nulla opus est sollicitudine, ut quis ab ea se purget, quam certo scit non incurrisse. Quid tamen, si de censura dubitetur? Secernere oportet duplicis generis dubitationem, priorem, quæ consistit in jure, posteriorem, quæ consistit in facto. Si dubitatio in jure versetur, ac dubitetur, an certis in casibus legis ecclesiasticæ censuram inflixerint, item an sententia abs judice prolata censuram in sua formula comprehendat, nunquam pro censuræ illatione adfirmandum est, nullaque sollicitudo adhibenda, ut quis solvatur ab eo vinculo, quo innodatus fuisse non videtur, argumento, c. 18, de sentent. excomm., in 6, neque enim credendum est, aut legislatorem aut judicem obscuris verbis voluisse censuræ illatione involvere, argumento, cap. 30 et 39, de reg. jur., in 6. At si constet de censura aut abs jure, aut ab homine lata ob certas caussas, et dubitatio tantum versetur in eo, an quis in eam censuram inciderit, hic locum habet prudens juris regula, quæ suadet, in dubio tutiorem partem esse eligendam, quam in proposito recipiendam voluit Innocentius III, in cap. 5, de cler. excomm. ministr., proindeque curandum, ut saltem ad cautelam censuræ abolitio petatur. Delentur autem censuræ septem modis, abrogatione, revoca-

tione, cassatione, morte ferentis, morte notati, lapsu temporis, et absolutione. Singulare illud est in censura suspensionis, ut aliquando etiam finiatur dispensatione, ut in cap. 2, de cler. non ordin. ministr., in c. 2 et 3 de eo qui furtive, in cap. 52, de sentent. excommun., et in cap. 2, de tempor. ordin., in 6. Verum in ex eo profluit, quod aliquando suspensio quosdam habet irregularitatis effectus, et quodammodo induit speciem irregularitatis. Siquidem qui suspensius est a certo ordine, impedimentum contrahit, ne interea ad majores ordines promoveatur; quemadmodum vero irregularitas nonnisi dispensatione deletur, ita receptum est, ut in ea suspensionis specie adhuc quædam fieri posse dispensatio videatur. Abrogatio censuræ locum tantum habet in censuris, quæ abs jure indicuntur, et fit, cum lex nova revocat legem veterem, quæ censuram tulerat, aut cum lex eadem vetus consuetudine aboletur, quod fit iis omnibus modis, quibus solent lege abrogari. Nemo inde non coligit, abrogationis effectum non eum esse, ut qui jam facto suo incidit in censuram a lege indictam, statim incipiat esse a censura solutas, sed tantum ut qui post abrogatam legem quidquam in eandem legem admiserit, non amplius censuræ subjaceat. Revocatio habet tantum locum in censura aut lata per præceptum, si forte præceptum suum superior revocaverit, exemplo abrogationis legis generalis, aut lata per sententiam, quam judex veluti irritam caussa melius perspecta retractat., cap. 48, de sentent. excommunic., cap. 10, de appellat., in 6. Aliud sane vigeret, si sententia non irrita, sed tantum injusta fuerit, qua in ispecie licet singulari jure receptum sit in censuris, ut eam revocare valeat, qui eandem tulit, nihilominus tamen præter revocationem erit necessaria absolutio, præsertim si publica denunciatio secuta fuisset, cap. 48, de sentent. excommunic. Cassatio habet tantum locum in censura per præceptum, aut per sententiam lata, atque in eo distinguitur a revocatione, quod cassatio fiat auctoritate superioris proposita appellatione, vel querela, cap. 1, de sentent. excomm., in 6, qua in specie si superior irritam censuram fuisse pronunciet, satis id erit, ut omnis censuræ species evanescat; at si superior pronunciet censuram tantum fuisse injustam, opus erit absolutione. Morte ferentis finem potius habet censuræ indicto per præceptum, quam ipsa censura. Etenim si fingamus, prælatum sub censura alicui indixisse, et abstineat a certa re, et nunquam violato præcepto prælatus obierit, subditus post prælati mortem, utut rem agat præcepto prohibitam, nullam censuram incurret. At si vivente prælato subditus præceptum violaverit, et censuræ obnoxius esse cœpit, non interit inde censura ex obitu prælati, sed erit absolutione, aut alia ratione delenda, can. 34, ex apostolicis, can. 4, caus. 11, quæst. 3, can. 5, 8, caus. 35, quæst. 9, et cap. 21, de sentent. excomm. Morte notati finitur tantum suspensio, et excommunicatio minor, non excommunicatio major, nec interdictum; propterea quod post mortem notati remanent adhuc effectus quidam excommunicationis majoris, et interdicti, nulli amplius effectus supersunt suspensionis, aut excommunicationis minoris, uti superius, in cap. 3, demonstratum est. Lapsus temporis locum habet in censuris ad certum tempus definitis, uti in cap. 1, de clerico venat., et similibus, quæ tamen, ut sæpe notatum est, proprie censuræ non sunt, sed aut pœnitentiæ, aut pœnæ. Id tamen perpetuum non est, cum aliquando non ad necessitatem, sed ad exhibendam quandam reconciliationis speciem absolutio requiratur, propterea quod olim publicis pœnitentibus ad certum tempus damnatis et absolutio quædam publica indulgeretur elapso tempore, atque excommunicationis hujus generis pœnitentiæ publicæ locum teneant. Singulare quoque erat in excommunicationibus ad certum tempus dictis adversus absentes, qui si deinde se coram superiore stitissent, caussas, absentiæ allegantes, cognitis eisdem caussis absolvi dicebantur, can. 12, dist. 18. Absolutio quoque conceditur, quoties censura ideo illata sit ad certum tempus, non ut finito tempore intereat, sed ut indicetur, antequam elabatur certum tempus, non esse reum admittendum ad absolutionem, argument. Clement. 1, de decimis. Non multum ab hisce censuris distant censuræ latæ, donec certa conditio impleatur, siquidem et istæ suapte natura finiuntur impleta conditione, cap. 4, de cohabit. cleric. et mul., cap. 3, de usuris, nisi adpareat, non censuram ipsam, sed absolutionem fuisse in certam conditionem collatam.

Quæ potissimum observanda sunt, spectant ad postremum delendarum censurarum modum, qualis est absolutio, quæ fit cum censura vera censura est, et jam rite, inflicta, ac damnatur devoto animo ad ecclesiam confugit pœnitentiæ signa exhibens, atque ad satisfaciendum paratus. Locum habet absolutio in universis censuris personalibus; at in interdicto locali non proprie absolutio, sed relaxatio dicitur caussa cognita, cap. 10, de sentent. excomm. in 6. Ceterum nihil singulare in hac relaxatione observandam occurrit, cum eidem fere omnia convenient, quæ traduntur de absolutione a censuris personalibus. Quamobrem satis erit de absolutione dicere, ut quæ de ea tradentur, servata proportione relaxioni ac-

commodentur, nisi quædam identidem occurrant singulari ratione relaxationi localis interdicti accomodanda. Itaque plura sunt distinguenda, ut ordinata sit de absolutione a censuris disputatio Primum spectat ad eos, qui potestatem habent absolvendi a censuris; secundum ad eos, qui possunt a censuris absolvi; tertium ad eas censurarum species, quæ indigent absolutione; quartum ad formam absolvendi: quintum ad onera, quæ vel absolvendis, vel absolutis imponuntur.

Quod primum ad eos attinet, qui potestatem labent absolvendi a censuris, generaliter statui potest, eos, qui possunt censuras ferre, posse etiam a censuris absolvere, non tamen e converso omnes, qui nequeunt ferre censuras absolvere non posse. Item generaliter verum est, quoscumque sacerdotes facultatem habere absolvendi a quibuscumque censuris, cum censura notatus in extremo mortis periculo est constitutus argumento, cap. 25, de appellation., cap. 11, § 1, de offic. jud. ordin., concilio tridentino, sess. 14, de pœnitentia, cap. 7. Imo etiam, ubi deesset copia sacerdotis, et quis censura notatus moreretur, facti pœnitens, eoque animo, quo paratus esset ad satisfaciendum ecclesiæ, absolutus coram Deo decederet, utut apud ecclesiam adhuc tanquam censuræ obnoxius haberetur, cap. 28, de sentent. excomm. Præterea generaliter dici potest, eum, qui potestate absolvendi destitutus nihilominus absolvit, nihil penitus agere, cap. 11, de privileg., quin obstet, quod ibidem legitur, absolutos *reduci* debere in censuram: etenim reductio illa non in jure consistit, sed in facto, quasi dictum fuerit, eos in eadem censura permanere debere, a qua cum se revocatos rediderint, tanquam solutos se gesserunt. Ut vero propius ad rem accedamus, dixero, non omnes posse a censuris absolvere. Nimirum distinguendum in primis est inter censuras latas ab homine, et censuras latas abs jure. Si latæ ab homine proponantur, is tantum, qui eas tulit, non inferior, ne in tertio quidem foro, ab ipsis absolvet, cap. 11, de privileg., eoque defuncto ad successorem in dignitate absolutio pertinebit, cap. 11, § 1, de offic. judic. ordinar., ex quo deducitur, etiam capitulum sede vacante esse notatos ab episcopo absolutorum, cap. un. de major. et obed. in 6. Quod si de superiore agatur, distinguendum est inter episcopum absoluturum eos, qui notati sunt ab inferiore prælato in diœcesi episcopi constituto, et inter metropolitanum, seu alium episcopi superiorem, qui absoluturus est notatum ab episcopo. Si de episcopo agitur, nulla dubitatio est, quin absolvere indiscriminatim possit notatum a prælato inferiore constituto in diœcesi; neque enim egreditur tunc episcopus ordinari qualitatem, dummodo prælatum inferiorem certiorem reddat, et curet, ut absolutus inferiori prælato satisfaciat, cap. 3, de offic jud ordin. Si agatur de metropolitano, vel alio quocumque episcopi superiore, is tum demum absolvere poterit a censura inflicta ab episcopo, cum caussa per appellationem, aut querelam ad suum tribunal deducta fuerit, cap. 8, 9, de offic. ordin, cap. 1, eod. tit, in 6, cap. 40, 48, de sent. excomm., cap. 1 et 7, 1, eod. tit. in 6, cap. 3, vers. *sententias* de appell:, in 6, quamquam olim id fieri in concilio provinciali soleret, can. 2, 4, 5, 30, 34, causs. 11. quæst 3, quo tamen casu metropolitanus debet concessæ a se absolutionis conscium episcopum reddere, dicto, cap. 3, de offic. jud. ordin. Nihil autem prohibet, quominus etiam pendente appellatione episcopus valeat absolvere, cap. 8, de offic. jud. ordin. cap. 10, de appellat., in 6, imo metropolitanus, aut alius superior tenetur appellantem ad episcopum remittere absolvendum, quo casu juste fuisset censura notatus, cap. 40, in fine de sentent. excomm., cap. 7, eod. tit., in 6. Quod si censura notatus apud superiorem conqueratur in caussa appellationis irritam fuisse censuram ab ordinario latam, tunc erit etiam sine absolutione audiendus, ne alias contingat, probata nullitate absolutionem vacuam reddi, nisi eligat metropolitanus absolvere ad cautelam, quæ absolutio semper concedi solet, ubi quis appellatione proposita de injustitia censuræ conqueritur, dicto cap. 48, et dicto cap. 7, cap. 36, de offic. jud. deleg. Ceterum non obstante appellatione apud superiorem introducta, atque absolutione ab eodem superiore concessa, poterit adhuc episcopus iterum censuram inferre, si reus in crimine previcax perseverat, cap. 6, de offic. judic. ordinar. Quæ de episcopis, et de prælatis superioribus dicta sunt, facile etiam accommodantur sedis apostolicæ delegatis. Etenim si delegatus censuram intulerit, ad eum tantum absolutio spectat, vel ad delegantem, aut ad successorem in eadem delegatione, cap 11, § 1, de offic. jud. ordin., cap. 26, de offic. jud. deleg, ex quo liquet, intra annum tantummodo hanc absolvendi facultatem in delegato perdurare. Item delegatus potest absolvere a censura, de qua quæstio est apud eum, vel quæ impediret certam personam, ne delegatus in caussa procederet, cap. 21, § *sexta* de offic. judic. delegat. Imo et delegatus nunquam denegare poterit absolutionem, quæ petatur ad cautelam, nisi adversarius opponat, aliquem esse censura notatum ob crimen manifestum, et probet intra terminum competentem, dicto cap. 21, idest intra octo dies, cap. 2 et 7, de sentent. excom., in 6, quamquam hodie obtinue-

rit, ut indiscriminatim absolutio ad cautelam concedatur, dummodo cautiones de satisfaciendo præstentur. Hæc vera sunt si caussa censuræ in judicium delegationis veniat: nam si forte quis censura notatus fuerit ob aliam caussam, quæ apud delegatum non fuerit instituta, censura notatus ad suum ordinarium erit remittendus, dicto cap. 21, de offic. judic. deleg. Porro illud quoque in hac re verissimum est, eos omnes, qui ordinario jure absolvere possunt, posse alteri absolvendi facultatem mandare, argumento, cap. 4, de offic. legati; est enim hæc potestas jurisdictionis, quæ suapte natura alteri committi valet.

Quod si agatur de censura inflicta ex juris potestate, quam latæ sententiæ appellant, multum interest, an sit censura improprie dicta, quæ scilicet ad determinatum tempus illata sit, et vices habeat pœnitentiæ, vel pœnæ, an censura proprie sit, et in tempus indefinitum concepta. Si de censura impropria agatur, is tantum delere censuram poterit, qui valet abs jure dispensare, quandoquidem censuræ illius solutio, dispensatio potius legis est, quam vera absolutio. Si de censura proprie dicta sermo sit, multum iterum interest, an sententia declaratoria fuerit abs judice pronunciata, an minus. Si sententia jam pronunciata fuerit, ad eum absolutio pertinet, qui sententiam declaratoriam pronunciavit, nisi specialis obsit observatio gratia prælati superioris; idem enim observatur in proposito, quod viget, ubi censura abs judice ipso lata fuisset, qua judex sententia sua alterius cujuscumque jurisdictionem censuram publicando, sive palam denunciando prævenerit. Quod si nulla facta est denunciatio, quod ut plurimum in occultis criminibus evenit, ego puto, unumquemque sacerdotem, qui sit facultate præditus absolvendi a peccatis, posse etiam a censuris absolvere, nisi obsit specialis reservatio. Revera præterquamquod id demonstrat quotidiana ecclesiæ praxis, qua constat, sacerdotes, antequam absolvant a peccatis, absolvere ab omnibus censuris, perspicuum deducitur argumentum ex capitulo 29, de sentent. excomm. ex quo discimus, conditorem canonis eo ipso concessisse videri aliis relaxandi facultatem, statim ac eam sibi specialiter non reservavit. Sentio quidem, multa objici posse. Primum est, censuras ad forum externum pertinere, quum nonnisi ab eo indicantur, qui externi fori jurisdictione fruitur: quomodo ergo, quispiam dicet, ab iis absolvet, qui tantum nactus sit fori interni jurisdictionem? Observet tamen, rogo illum, censuras per se quidem ad forum externum spectare, non ita vero, ut forum internum minime afficiant; siquidem statim, ac quis censura notatur, in foro etiam interno impedimentum contrahit, ne jura ecclesiastica valeat exercere. Plane inanis pene foret sacerdotum jurisdictio in foro interno, si non possent ipsi impedimenta evellere, quæ in foro interno objiciuntur, juxta generalem regulam in utroque jure receptam, quæ postulat, ut concessa jurisdictione ad aliquem actum, ea etiam concessa intelligantur, sine quibus frustra explicaretur, cap. 20, vers. *explorari* de offic. et potest. jud. deleg. Ex quo ego concludo, tum demum non licere confessario a censura absolvere, cum tantum a censura vellet, non a peccatis absolvere, quasi tunc meram externam, non internam jurisdictionem exercerent. Instabis, inquiens: qui in foro interno jurisdictionem habet, censuras inferre nequit; ergo nec poterit easdem auferre. Verum ut omittam, hac in re potissimum inspici facultatem abs jure factam, quo in genere non licet a non facta potestate ad aliam factæ potestatis speciem argumentari, dicto c. 29, de sent. excom. si bene ea, quæ modo tradidi, considerentur, nihil negotii istud argumentum facesset. Nimirum cum sacerdos, qui foro interno præsidet, non directo vi suæ potestatis a censuris absolvat, sed veluti per consequentiam, ut viam sibi paret ad absolutionem a peccatis, frustra a potestate inferendi censuras ad potestatem absolvendi similitudo deducitur. Et quoniam a simili pugnatur, non deest par probabile argumentum. Siquidem certum est, censuras latas ab eo, qui in foro tantum externo jurisdictionem habet, qualis esset vicarius generalis non sacerdos, aut abbas eo privilegio gaudens, etiam obligare in foro interno. Eccur non poterit e converso solvi etiam respectu externi fori, qui solvitur in eterno? Nemo adhuc in medium proferat vulgatissimum adagium, quo fertur, in dissolvendis spiritualibus juribus præstantiorem, quam in construendis, potestatem requiri, cap. 2, de translat. Episc. etenim statim repono, absolutionem non tam esse dissolutionem jurium, quam jurium censura dissolutorum restitutionem: alias autem verum, ac solidum est juris principium, facilem admodum esse uniuscujusque rei ad sua principia regressum. Nonnullis gravior videbitur difficultas, si interroget, quid juris erit, si in foro pœnitentiali a censura absolutus, deinde in foro externo denuncietur? Ego contra interrogarem, quid agendum foret absoluto a censura pontifici Maximo reservata in pœnitentiaria romana, seu quod idem est, in foro interno, si in foro externo convertiretur? Et cum respondebunt, in foro externo sese gerere debere tamquam censura notatum, licet deleta fuerit in animo censuræ nota, tum et similem a me responsionem accipient. Videlicet in foro externo humano more se gerit ecclesia, et eum non habet pro absoluto, nisi de cujus abso-

lutione constat. Non constat autem de absolutione in foro sacramentali, utpote privata, atque omnino secreta; ac propterea nil mirum, si qui censura purgatus est, adhuc tanquam censura notatus exterius habeatur, donec et in foro externo fuerit absolutus. Nondum tamen confecta res est, nisi et cum alio adversantium genere disputetur. Sunt enim, qui mecum sentiunt, si de excommunicatione minore, si de suspensione, si de interdicto sit sermo, attamen putant, excommunicationis majoris absolutionem semper esse episcopis reservatam. Ajunt ipsi, formam absolutionem in ritualibus præstitutam confessariis ad majorem excommunicationem non referri. Addunt, in dicto cap. 29, de sentent. excommunicat. non majoris, sed minoris excommunicationis fieri mentionem. Postremo proferunt tanquam suæ opinionis achillem extravagantem 1, de privileg. int. com. Ego vero non video in primis, quomodo formulam confessoriis propositam generaliter de excommunicatione conceptam, velint ad unam minorem excommunicationem contrahere, quando certa est juris regula, quæ docet, nomine excommunicationis absolute prolato, non tantum minorem, sed etiam majorem venire, cap. 59: de sent. excomm. ubi si cum excommunicatio inciditur, tum censetur indicta major, potiore jure cum excommunicatio deletur, tum censenda erit etiam delata major, ab eo, qui debet juxta juris regulas leniorem capere in absolvendo, quam in damnando interpretationem. Deinde quod spectat ad dictum capitulum 29, quamvis Innocentius III, de minore excommunicatione interrogatus deprehendatur, generalem tamen rationem subjecit, quæ majori etiam excommunicationi accomodatur. Miror autem, adversarios ita stricte interpretari Innocentii rescriptum, ut illud contrahant intra propositam speciem; et statim non inficiari, idem obtinere in suspensione, et interdicto, licet ibidem et de suspensione, et de interdicto altum sit silentium. Quod si ab excommunicatione minore ad interdictum, et suspensionem argumentum ducere ipsi non dubitant, quid, amabo, prohibebit, quominus ad excommunicationem majorem idem argumentum ducamus, quando excommunicatio et minor et major sub eodem censuræ genere continentur, quod de interdicto, et de suspensione dici nequit? Denique quod spectat ad extravag. 1, de privileg. ista singularis est, seu tantum afficit religiosos quosdam viros, qui sub apostolicorum tunc obtentorum privilegiorum specie excommunicatos ab episcopis absolvebat, episcopis eisdem ignorantibus, aut invitis: declaravit autem Benedictum XI, nunquam eam fuisse sedis apostolicæ sententiam in iis privilegiis concedendis. Addere possum, agi ibidem de absolutione a censuris sententia episcoporum indictis, sive ex juris præscripto, prout res incideret; aut si forte velis intelligere etiam excommunicationem juris et latæ sententiæ, nihil prohibet, quominus interpretamur de ea, quæ solemnis jam reddita fuerit per publicam episcopi denunciationem, cujus propterea absolutionem, nuper ajebam episcopo denuncianti, tanquam illi, qui in caussa prævenerit, reservari. Ceterum laudatæ extravaganti Benedicti XI, modus quidam adjectus est ex constitutione Clementis V, qui Benedicto successit, in Clement. 2, de sepulturis, ex qua major vis accessit privilegiis quorundam regularium, quæ a Benedicto coercita fuerant.

Hæc vera sunt, nisi censuræ absolutio fuerit specialiter reservata; siquidem reservatio dicitur inferioris potestatem intra certos limites coercere, cap. 13, de vita et hon. cleric., cap 29, de sent. excom. Finis reservationis triplex esse solet, primus scilicet, ut canonum disciplina magis in tuto collocetur, cap. 29, de præbend., alter, ut certis episcopalibus, eisve majoribus sedibus honor servetur, dicto cap. 29, de præbend. postremus, ut facilius populus corrigatur, extravag. 3, de pœnit. et remiss. int. com., concilio tridentino, sess. 14, cap. 7. Observandum est hac in re, omnem reservationem generaliter cessare in mortis articulo, dicto cap. 7, in concilio tridentino; item natura sua cessare reservatione, ubi censura cessaverit, cap. 3, de immonit. in 6, quamquam possit adhuc consistere censura cessante reservatione. Ut paucis dicam, cessat quoque reservatio iis omnibus modis, quibus cessat indictio censuræ, sive ex lege, sive ex præcepto, sive per sententiam facta, can. 52, caus. 16, quæst. 1. Causa autem reservationis debet esse gravissima, sed gravior illa, quæ occasionem præbere potest ferendæ censuræ, propterea quod reservatio censuram adhuc reddat asperiorem. Quod ad potestatem reservandi attinet, verum est in primis, eam inesse penes unumquemque, qui possit censuras inferre, cap. 20, de sentent. excomm., concilio tridentino, sess. 14, cap. 7. Quamobrem cum aut ab homine, aut abs jure censuræ ferantur, et ab homine, et abs jure fieri posse reservationes intelligimus, quin habeatur ratio, an censura, sit latæ, an ferendæ sententiæ, cap. 8, de tempor. ordin. Nomine juris non solum venit jus commune, sed etiam particulares constitutiones aut in synodis, aut extra Synodus editæ. In jure communi nulla adparet reservatio, nisi edita aut a concilii aut pontifice Maximo, quamquam constet de facultate reservandi, qua episcopi gaudent, dicto cap. 29, de sent. excom., dicto, cap. 7, tridentino. Insuper non repugnat, etiam sola consuetudine reservationem induci, ut liquet

ex extrav. 1, vers. *incendiarios* de privileg., cap. 8, de sentent. excomm., in 2, collectione verbo *consueverunt*; habet enim vim legis legitima consuetudo, uti nemo ignorat, præsertim in definiendis ministrorum ecclesiasticorum potestatibus, quæ non ordinis sunt, sed jurisdictionis.

Fit reservatio ita, ut absolutio censuræ petenda sit vel tantum a pontefice maximo, vel a patriarchis, vel ab episcopis, vel ab aliis prælatis seu sæcularibus, seu regularibus quasi episcopali jurisdictione gaudentibus, minime ab inferioribus. Qua in specie aliquot sunt adnotanda absolventium prælatorum discrimina. Primum est, in iis, quæ sunt reservata episcopis, aut prælatis episcopali jurisdictione præditis, etiam pontificem maximum posse absolvere, non e converso. Alterum est, multos esse casus, in quibus episcopi tantum absolvere possunt a censuris papæ reservatis in foro interno, reservata absolutione in foro externo pontifici maximo, quod contingit, ubi gravia impedimenta sunt, ne quis ad romanum pontificem accedere possit, cap. 11, 29, in fine, cap. 58, de sentent. excomm., cap. 3, eod. tit. in 3, collectione. Tertium est, pontificem maximum non solum per se, sed etiam per legatos, delegatosve absolvere posse, quod adeo verum est, ut etiamsi legatus habeat generale mandatum, in eo tamen contineatur potestas absolvendi a censuris, eidem pontifici reservatis, dummodo tales censuræ sint, quarum absolutionem pontifex mandare consueverit, cap. 4, de offic. legati, cap. 13, de sent., excomm. At si quandoque episcopo concedatur absolutio, non est perpetuum, ut episcopus possit eam facultatem alteri mandare, unde receptum est, ut in crimine hæresos possit episcopus per se tantum absolvere, concilio tridentino, sess. 24, de ref., cap. 6. Quartum est, minus juris habere presbyteros in censuris reservatis, quam episcopos in reservatis superiori; nam Presbyteri tantum absolvere possunt in mortis articulo, uti superius traditum est; episcopi, quandocumque gravis necessitas. Postremum est, quibus in casibus inferior absolvere potest a reservatis, regulariter exigendum esse ab absolutio, ut cum fieri poterit, se sistat coram eo, cui reservatio facta fuisset, ut apud eum satisfaciat, cap. 11, 29, in fine, et cap. 58, de set. excom.

Jam vero enumeremus censuras illas, quarum absolutio est pontifici maximo reservata. Contentus ero hoc in loco frequentiores recensere, et quæ aut in jure communi, aut in concilio tridentino constitutæ fuerunt. Reservatæ pontifici maximo aut excommunicationes sunt, aut suspensiones; utræquæ autem vel ferendæ sunt, vel latæ sententiæ. Non memoro reservationes singulares, quæ ex speciali præcepto papæ certis in caussis fiunt; hæ enim, utut in corpore canonum contineantur, jus commune non faciunt. Harum exempla sunt in can. 52, cau. 16, qu. 1, et in extrav. 5, de præbend. int. com. excommunicationes ferendæ sententiæ duæ sunt pontifici maximo reservatæ. Prima est, quæ adversus incendiarios infligitur; siquidem tum demum reservatur absolutio, cum incendiarii fuerint episcopali sententia denunciati, c. 19, de sent. excom. Altera erat quæ indicta fuit in eos, qui falsas apostolicæ sedis literas habuerint, nisi intra viginti dies resignavissent, aut destruxissent, uti legitur in cap. 4, in fine de crimine falsi. Sed hodie post editas recentiores pontificum constitutiones hæc excommunicatio est latæ sententiæ. Frequentius adparent reservatæ excommunicationes, ubi istæ ipso jure infliguntur. Extat in codice Gratiani reservatio in ea specie, qua quis in clericum aut monachum violentas manus intulerit, can. 29, caus. 17, qu. 4. Apud Gregorium IX, extat reservatio excommunicationis indictæ in clericos, qui scienter et sponte participaverint excommunicatis a sede apostolica, atque istos in officiis receperint, cap. 48, de sent. excom, item reservatio excommunicationis, qua notantur, qui sacras ædes infringunt, ac spoliant, cap. 22, eod. tit. Apud Bonifacium VIII, apparent reservationes, tum in cap. 17, de elect. in 6, adversus eos, qui in electione romanarum dignitatum inscio pontifice maximo se ingerunt; tum in cap. 3, de immun. in 6 adversus eos, qui a personis, et rebus ecclesiasticis certas exigunt pensitationes, cui tamen decreto certus modus adjectus est in Clem. un. de immunit., et extrav. un. eod. tit. int. com., item adparent in cap. 11, de sent. excom. in 6, adversus eos, qui prælatos ecclesiæ impedierint, ne censurarum ferendarum potestate utantur. In clementinis reservatur excommunicatio lata adversus eos qui negligentes fuerint in puniendis hæreticis, si sint episcopis inferiores, Clem. 1, § *verum* de hæret., excommunicatio lata adversus regulares, qui certa sacramenta parochis reservate ministraverint, Clement. 1, de privileg., excommunicatio lata adversus eos, qui induxerint aliquem ad vovendum, jurandum, vel promittendum, ut sepulturam in eorundem ecclesiis eligant, vel electam non immutent, Clem. 3, in fine de pœnis, et excommunicatio lata adversus eos, qui prohibent, ne censura rite inflicta observetur Clem. 2, de sent. excom. In extravagantibus communibus apparet reservatio in certa processus judicialis specie, uti legitur in extrav. 1, de tregua et pace vers. *et si forsan*, item in specie extrav. 1, de sepultur. adversus eos, qui mortuorum cadavera extumulant, in specie extrav. 1 et 2, de regular. adversus mendicantes ad religio-

nem non mendicantium transeuntes, et adversus regulares quoscumque, qui non obtenta venia ultra mare perrexerint; in specie extrav. 2, de reliqu. et ven. sanct. adversus eos, qui detestati fuerint venerantes B. Mariam sine labe conceptam, in specie extrav. 1 et 2, de simonia adversus quoscumque simoniacos, in specie extrav. 1, de judæis adversus eos, qui infideles militaribus instrumentis, aut subsidiis contra christianos juvaverint; in specie extrav. 3, de privilegiis adversus prælatos, qui puniunt subditos suos quod Romam confugiant: in specie extrav. 1, de sent. excom. adversus eos, qui aliquid dederint, vel promiserint gratia obtinendi rescripti a sede apostolica. Multæ aliæ reservationes extant in extrav. 3 et 5, de pœnit. et remission. In concilio tridentino nullæ extant hujus generis reservationes. Tantum notari potest, duas excommunicationes in ea sinodo latas, scilicet in caussa violationis clausuræ monialium, sess. 25, de regular., cap 5, et in caussa monomachiæ, sive duelli, sess. 25, de ref., cap. 19, fuisse deinde recentioribus pontificum constitutionibus sedi Apostolicæ reservatas, quamquam pontificie istæ constitutiones non sint ubique receptæ. Vix ego reperio in corpore juris suspensiones ferendæ sententiæ pontifici maximo reservatas. Adparet quidem reservatio quædam in cap. 8 et 13, de tempor. ordin., item in cap. 33, in fine de testibus. Verum forte ibidem agitur de suspensionibus illatis ex singulari præcepto, et certis incidentibus factis accomodatis, quæ jus commune minime constituunt. Quædam tantum extant suspensiones inflictæ ipso jure, quæ pontifici maximo reservantur, quemadmodum in specie capituli 45, de simonia, ubi quis ita ordinatur, ut promittat, se adversus ordinantem nullam molestiam illaturum, aut in specie collegiorum, vel capitulorum suspensionem ipso jure incurrentium, cum simoniam admiserint, extrav. 1, de simonia, aut in specie extrav. 1, de elect. adversus eos, qui prælatos recipiunt sine literis apostolicæ sedis, aut denique in specie capituli 1, de tempor. ordin. in 6, de ordinatis e remotis partibus venientibus. Non adjicio reservationes alias, quæ in pontificiis recentioribus constitutionibus continentur: siquidem non ubique eas receptas fuisse constat, multas etiam contraria consuetudine quibusdam in locis abrogatas.

Gratia patriarcharum nullam aliam in jure factam reservationem invenio, quam eam, quæ adparet in cap. 29, de præbendis, nimirum in specie episcoporum, qui suspensi fuerint a provinciali concilio a collatione beneficiorum, propterea quod ab ecclesiasticis regulis in conferendis beneficiis deflexissent. Est autem ea suspensio ferendæ sententiæ. Gratia episcoporum, certum generaliter est, censuras omnes, quæ eorum sententia inferuntur, reservatas ipsis esse uti suo loco dictum est. At si agatur de censuris latæ sententiæ, nulla adparet reservatio in codice Gratiani; in collectione Gregorii IX, reservationes adparent in cap. 9, de vita et honest. cleric., cap. 11, 13, 17 et 33, de sent. excommunic., de iis scilicet, qui injuriam in clericos intulerunt, et quibus certis in casibus venia conceditur, ne ad sedem apostolicam confugere teneantur; item in cap. 19 et 22, de sent. excommunic. de incendiariis, et expilatoribus ecclesiarum, quousque non sunt publice denunciati. In recentioribus collectionibus nullæ reservationes adparent. Quod enim nonnulli tradiderunt ex extravagante 1, de privileg. int. com. generaliter excommunicationis majoris absolutionem episcopis reservari, jam superius confectum est, cum illa constitutio singularis sit, et pertineat potius ad privilegia religiosis quibusdam viris concessa intra certos fines coercenda, quam ad inducendam generalem reservationem. In concilio tridentino, sess. 24, cap. 6, de ref., non tam in vim reservationis, quam in vim indulgentiæ singularis cautum est, ut episcopi a suspensionibus et irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare, et in quibuscumque casibus occultis, licet sedi apostolicæ reservatis, etiam in crimine hæreseos, delinquentes quoscumque sibi subditos in diœcesi sua in foro conscientiæ absolvere possint. Nomine *occultorum* casuum, seu censurarum ex *occulto* delicto provenientium intelligi debent, quæ occulta sunt jure, licet forte facto sint publica. Si enim publicus quidam rumor emergat, et crimen palam sit notum, nihilominus occultum dicendum erit, sive quod in hac specie vulgus facile errori subjaceat, et multa nota dicantur ex fama publica, quæ talia non sunt, sive quod hæc distinctio notorum, et occultorum non primum invaluit in tridentino concilio, sed olim jam certis in criminibus recepta erat, et hanc habebat interpretationem. Sic ex. gr. habemus ex cap. 19 et 22, crimen expilationis ecclesiarum, et incendii esse reservatum episcopis post publicam factam denunciationem. Constiterunt nonnulli in interpretatione tridentini decreti, et tradiderunt, facultatem episcopis ibi concessam pertinere tantum ad censuras, notasque universas ante tridentinum concilium reservatas, minime vero ad reservationes, quæ factæ post concilium deprehenduntur. Si res hæc ad mera juris principia referenda esset, forte in contrariam opinionem abeundum, exceptis tantum iis casibus, quibus expresse in recentibus constitutionibus facultati in tridentino factæ derogaretur, sive quod receptum fere

sit, nunquam derogatum censeri tridentinis decretis, nisi expressa sanctione: sive quod jus tridentinum tamquam jus commune consideretur, ex quo interpretationem accipere solent singulares quæcumque constitutiones. Verum prævaluit apud pragmaticos ea opinio ex tribunalium definitionibus derivata, hinc hodie ubi istæ definitiones receptæ sunt, non licebit episcopo simoniacos etiam occultos idoneos ad obtinenda in posterum beneficia reddere: hæreticos, et clausuræ monasticæ violatores utut occultos absolvere. Porro quibus in casibus potest episcopus absolvere, poterit quoque facultatem absolvendi alteri mandare, non tamen sufficiet ad eum finem generale mandatum, quo constitui solet vicarii generales, cap. 2, de offic. vic. in 6, immo ubi adhuc obtinet disciplina concilii tridentini in dicto cap. 6, si agatur de absolvendo occulto hæretico, ita episcopo ea absolutio reservatur, ut ab episcopo eodem nequeat alteri demandari.

Gratia prælatorum aut sæcularium diœcesim separatam habentium, aut regularium habentium jurisdictionem quasi episcopalem, nulla alia singularis reservatio adparet, quam in specie capituli 2, 13 et 33, de sent. excommunic. de clericis, vel monachis, qui invicem se lædant. Nunquam autem prælatis istis competit ea facultas, quæ episcopis concessa fuit ex singulari tridentino decreto in dicto cap. 6, sess. 24, ob singularia decreti verba de episcopis concepta, quorum sane peculiaris ratio habita est. Ceterum cum de prelatis hujus generis agitur, opus semper erit, ubi quæstio emergat, ad singularia eorum jura, ac privilegia respicere, neque enim omnes pari gaudere solent jurisdictione ac potestate, clementina 1, de privilegiis.

Succedit secunda observatio, quæ eos spectat, qui absolvi possunt. Quicumque viventes sunt, ab omni censurarum specie absolvuntur. Non ita qui jam ab hac vita decesserunt. Absolvuntur quidem isti ab excommunicatione majore et ab interdicto: frustra tamen absolutio concederetur aut ab excommunicatione minore, aut a suspensione, eodem modo, quo quis post mortem adhuc declarari potest aut interdictus, aut excommunicatione majore immodatus, nunquam suspendi, aut minore excommunicatione notari, quandoquidem aut suspensionis, aut minoris excommunicationis nulli sunt post mortem effectus. Quando vero in vita functos proprie non exercetur ecclesiastica jurisdictio, absolutio, quæ fit post mortem, non vera ac propria absolutio est, sed tantum declaratio, qua proponitur, aliquem decessisse coram Deo absolutum, proindeque in communionem restituitur, can. 1, 2, 3 et 4 caus. 24, qu. 2, cap. 28, de sentent. excomm. pertinet autem hæc absolvendi facultas ad eum prælatum, qui potuisset viventem absolvere, adeo ut iis, quæ adhuc observari recte valeant, eodem modo absolutio indulgenda sit, ac si vivens absolveretur, et quibus in casibus satisfactio sit injungenda, heredi sub censuræ comminatione injungitur, cap. 5, de raptor., cap. 14, de sepultur., c. 18, de sent. excomm., c. 1, eod. titul. in 4, collectione. Regula quoque est, qua traditur, neminem posse a censura semetipsum absolvere, quamquam qui potestate generali absolvendi potitur, alteri mandare valeat, ut ipse absolvatur, eodem modo, qui observatur in absolutione a peccatis, cap. ult. de pœnitent. et remiss. Item exemplo absolutionis a peccatis, unusquisque a censuris absolvi potest, ubicumque reperiatur, dummodo censuræ non sint reservatæ. Nihil autem interest, an notatus censura per se, an per procuratorem, vel verbis, vel scripto absolutionem obtineat, can. 8, cau. 2, qu. 5. Illud erit necessario observandum, ut nemo admittatur ad absolutionem, nisi primum eum vere pœniteat culpæ, propter quam censura fuit obstrictus, can. 108, cau. 11, quæst. 3, utut aliorum criminum, quæ censuræ caussam non dederunt, minime doleat, cap. 23, de verb. signific. Quod si tantum exteriora pœnitentiæ signa ediderit, nihilominus in conspectu ecclesiæ absolutionem a censura obtinuisse videbitur eatenus, quatenus in externo foro ad jura communionis restituatur.

Quod attinet ad species censurarum, quæ indigent absolutione, observandum est primo, non semper opus esse absolutione a censuris universis, sed concedi posse eam tantum ab aliquibus, voluti cum quis accedit ad sacramentum pœnitentiæ, in quo potest quis absolvi ab excommunicatione majore, quin absolvatur a certis suspensionibus, quæ privant aliis bonis, non perceptione sacramentorum. Hinc absolutio a censuris modo generalis est a censuris omnibus, modo particularis, et ab una tantum, cap. 27, de sentent. excommunic., neque enim eadem est censurarum conditio, quæ criminum, quorum absolutionem nonnisi generalem ecclesia impertitur, cum gratia Dei, qua delentur crimina, individua sit, sejungi autem possint jura ecclesiæ, ita ut aliqua concedantur, alia denegentur. Immo et potest quis absolvi a censuris, quin absolvatur a peccatis, cap. 23, de verbor. signif. ceterum subreptitia esset absolutio particularis ab una censura tantum, siquis silentio præteriret, se alia censura esse innodatum, cap. 42, de sentent. excommunic., juncto, cap. 20, de rescriptis. Observandum est secundo, esse aliquas censuras, quarum absolutio necessaria dicitur, alias, quarum absolutio tantum conceditur ad cautelam. Necessaria absolutio petitur, ubi certa, et non irrita est censuræ nota, etiamsi forte injusta proponatur, aut ubi quis putat se censura

esse notatum, quamquam erret, nisi errorem deposuerit, argumento capituli 35, de simonia. Absolutio ad cautelam jam videtur adhibita fuisse sub Alexandro III, cap. 16, de appellat, juncto cap. 40, de sentent. excommunic. Sed formula illa *ad cautelam* primum usurpata videtur apud Clementem III, in cap. 15, de senteat. excommunic. Certa sane res est, petendam esse absolutionem saltem ad cautelam, quotiescumque quis in dubio versatur, an censuram incurrerit; quamquam enim in dubio juris credendum sit, nullam esse censuram, in dubio tamen facti petenda absolutio, propterea quod in facto, et in absolutione, quid tutius est, spectatur, cap. 5, de cleric. excomm., dicto c. 15, et cap. 52, de sentent excommunic Juxta morem romanum etiam obtinuit, ut ubicumque vel levis dubitatio esse potest, absolutio ad cautelam facile indulgeatur majoris securitatis caussa, etiamsi censura inusta irrita videatur, cap. 16, de appellation, aut valida quidem putetur, sed ex inani fundamento, cap. 16, de sentent. excomm., cap. 6, eod. tit. in 6. Tantum prohibetur absolutio ad cautelam, cum injuria, ob quam quis est censura notatus, est manifesta, cap. vers. *Porro* de sentent. excomm. in 6. Immo et jam diuturno usu obtinuit, utquicumque accedit ad pœnitentiæ sacramentum, absolvatur a censuris a sacerdote, item ut quicumque rescriptum, beneficium, vel privilegium impetret a sede apostolica, similem obtineat absolutionem, utut censuræ minime conscius sibi sit, quæ sane nonnisi absolutiones ad cautelam appellari possunt.

Quod spectat ad formam absolvendi, sunt qui putant, aliquando sufficere tacitam quandam absolutionem, quin expressa requiratur. Id quidem ego reciperem in ea specie censuræ impropriæ, ex qua ex. gr. alicui vetitum fuisset a suo prælato, ne sacra mysteria obiret, donec prælato visum fuerit, siquidem quamquam hæc suspensio videatur, cum tamen non conferatur in emendationem suspensi, sed potius in voluntatem prælati, præceptum quoddam potius est, quam censura, ideoque prælato etiam tacite permittente clericum sacra ministeria obire, in irritum ea suspensio etiam sine absolutione evanescet, cap. 2, de cleric. non ordin. ministr., concilio tridentino, sess. 7, cap. 10, sess. 14, cap 2, sess. 23, cap. 8, de reform., et sess. 24, cap. 1, de reform. matrimon. Verum generaliter, ubi de propria censura agitur, tacite nunquam quis absolutus censebitur. Gravissimum hujus rei argumentum deducitur ex cap. 41, de sentent. excomm., et ex clement. ult. eod. tit., ubi dicitur, censura notatum non censeri absolutum ex eo, quod communionem habuerit cum pontifice max., et ab isto cum honore exceptus fuerit, nisi constet de absolutione. Id adeo verum est, ut etiamsi quis absolutus fuerit apud Deum, quod pœnitentiæ, et obedientiæ signa erga ecclesiam ostenderit, et ante obtentam absolutionem obierit, adhuc censura teneatur, non quidem in interno sed in externo foro, sitque propterea per ecclesiam absolvendus, can. 1, 2, 3 et 4, caus. 24, qu. 2, c. 28, de sent. excomm. Itaque debet absolutio fieri juxta formam ecclesiæ, c. 15 et 28, de sent. excomm. Quamquam enim jure communi certa præstituta verba non sint, quibus generaliter uti debeant quicumque absoluturi sint censura notatos, argumento, c. 15, de verb. signif. certi tamen ritus, aut in vetustis canonibus, aut in recentioribus pontificalibus, ac manualibus sunt designati, ex quibus de absolutione constet, dicto c. 41, de sent. excomm. Olim recepta erat formula deprecatoria, uti liquet ex can 108, caus. 11, qu. 3, ex reginone, lib. 2, de eccles. discipl. c. 4 et 14, ex Burchardo, lib. 2, c. 8, quod usque ad decimumtertium sæculum viguisse probari posset ex c. 28, de sent. excomm. Sed re centiore ætate adhiberi cœpit formula indicativa. Duplex autem est absolutio, solemnis, et minus solemnis. Olim solemnis erat formula tantum recepta in excommunicatione, cujus absolutio fiebat ab episcopo intervenientibus duodecim presbyteris, recitatione facta septem psalmorum pœnitentialium, et virga percusso excommunicato; erat enim ista species reconciliationis publicæ, quæ si erga eos solemnis erat, et episcopo reservata, qui publicam pœnitentiam exegerant, potiore jure reservabatur episcopis, quoties de excomm. ageretur, c. 52, dist. 50, can. 108, caus. 11, qu. 3, can. 4, de pœnit. dist. 5. Quænam hodie observentur, constat ex pontificali romano sub titulo *Ordo excommunicandi et absolvendi*. Minus solemnis simplicibus verbis exprimitur, quibus aliquem absolvi a censuris significetur. Porro ut indicetur, quandonam alterutra absolutio concedi soleat, observandum in primis est, an absolutio partialis sit, an totalis. Ubi est absolutio partialis ad certum tantum effectum concessa, puta cum conceditur a sum. pontifice, ut quis obtineat beneficium, rescriptum, privilegium, aut cum ab alio prælato conceditur, ut quisquam possit in judicio persequi jus suum, vel ut quisquam eligere, vel præsentare valeat, vel ad securitatem conscientiæ, aut cum conceditur a sacerdote ad finem obtinendæ absolutionis a peccatis, minus solemnis adhibetur absolvendi formula. At si totalis absolutio est, iterum distinguendum erit, an absolutio concedatur in externo, an in interno foro. Si absolutio conceditur in externo foro, veluti cum quis est palam denunciatus, opus erit absolutione solemni, ita ut in excommunicatione adhibeatur formula superius memorata; in ceteris autem censu-

ris, etiam in scriptis absolutio concedatur, ut palam possit de ea constare, can. 9, cau. 2, qu. 1, c. 41, de sent. excom. Si in foro interno indulgeatur, tres memorantur casus. Primus est, cum quis a sacerdote absolvitur eodem tempore, quo absolvendus est a peccatis. Aliter est, cum quis est constitutus in mortis articulo. In his duobus casibus minus solemnis absolutio conceditur. Postremus casus est, cum quis absolvitur a censuris occultis ab episcopo, juxta facultatem factam episcopis in trid. concilio sess. 24, c. 6, de refor., tum vero licet privatim facienda absolutio sit, adhibenda tamen est solemnis absolvendi formula. Quomodocumque vero absolutio concedatur, debet illa has conditiones habere. Prima est, ut libere fiat, non vi, non metu extorqueatur, cap. un. de his, quæ vi met. caus. in 6. Secunda est, ut sincero animo impetretur, non obreptione, aut subreptione, quod contingeret, si quis a pluribus prælatis multiplici censura notatus veniam ab uno peteret, qui notum faceret absolventi, se alia censura teneri, c. 5, de offic. jud. ord., cap. 27 et 42, de sent. excomm., junctu c. 20, de rescriptis. Tertia est, ut nemo absolvatur invitus. Quarta est, ut justa sit absolvendi caussa, qualis est cessatio delicti, ob quod quis fuit censura notatus, dolor admissi criminis, et satisfactio, can. 108, caus. 11, qu. 3, can. 13, caus. 17, qu. 4, can. 32, caus. 23, qu. 8, c. 5, de offic. jud. ord., cap. 27, de sent. excom. Postrema est, ut non dato pretio, sed gratis, et sine ullo simoniæ vitio absolutio concedatur, c. 6, de sent. excomm. in 4 collectione.

Quod denique attinet ad certa onera, quæ absolvendis imponuntur, observandum est, neminem a censura absolvi oportere, nisi læsis satisfaciat, c. 52, de sent. excom., quod verum est, si reus manifestam injuriam intulerit, secus, si de injuria non satis constet, debet absolvendus promittere, se pariturum mandatis ecclesiæ, aut si censura lata ob contumaciam fuerit, spondere, se coram superiore stiturum, cum vocabitur, c. 23, de verbor. signif., c. 20, 21 et 25, de appellat., cap. 15, de sent. excom., can. 32, caus. 23, qu. 8, et quidem hæc satisfactio absolutionem præcedere debet, cum injuria est manifesta, can. 23, caus. 17, qu. 4, cap. 29, de offic. deleg., c. 23, de verbor. signific. Exceptio est in eo, qui in extremo vitæ discrimine constitutus est, hic enim cavere jurato debebit, se satisfacturum cum primum poterit. Exceptio item est in eo, qui absolvitur tantum in foro interno, quocumque casu hæc absolutio indulgeri potest, et nondum est reus publice denunciatus, hic enim cavere jurato debet, se pariturum mandatis ecclesiæ, quotiescumque vocatus fuerit, argumento, c. 12, 51 et 58, de sent. excomm. Simili ratione qui pluribus censuris a diversis prælatis inflictis tenetur, dum ab uno absolvitur, jurato cavere debebit, se alteri prælato satisfacturum, c. 42, de sent. excomm. Quando vero conditiones hujusmodi, et cautiones adjiciuntur, non ipsæ suspendunt absolutionis effectum, c. 22, de sent. excom. in 6, sed tantum obligationem designant necessario implendam. Apud veteres non satis constat, quibusnam pœnis afficiendus esset ille, qui post obtentam absolutionem neglecta sponsione sua minime satisfecisset. Primum Innocentius III, in c. 8, de offic. judic. ordin. statuit, ut is, qui statuto tempore non satisfecisset, iterum in pristinam censuram reduceretur. Inde liquet, novam fuisse censuram, quæ esset pronuncianda, proindeque ab eo tantum indicendam fuisse, qui facultatem haberet indicendi censuram. Frustra igitur sacerdotes tantum habentes jurisdictionem in foro interno decernere poterant, ut quis iterum censuræ subjaceret. Inde etiam liquet, post reincidentiam, ut ajunt, in censuram, opus fuisse nova denunciatione illius, qui censura notatus esset, uno verbo, opus fuisse iis omnibus, quæ necessaria sunt, ut censura inferatur juxta regulas superius præstitutas. Hodie vero post constitutionem Bonifacii VIII, in c. 22, de sent. excomm. in 6, qui non satisfecit, et fidem datam de satisfaciendo fefellit, jure ipso in censuram reincidit; eaque adamussim observanda supersunt, quæ observari solent in censuris ipso jure inflictis, quemadmodum superius dicendum fuit.

DISSERTATIO QUARTA

DE REIS PER POENAS PUNIENDIS.

Huc referendi sunt tituli 27 et 37, libri 5.

Pœnarum ecclesiasticarum nomine proprie ego intelligo, vel anathema, quo quis omnino extra ecclesiam abjicitur, vel depositionem de clericali gradu, ad cujus exemplum recentioribus sæculis etiam inducta fuit apud monachos depositio a monastico officio, vel de-

nique irregularitatem. De anathemate nihil est, quod in præsentia adjiciam; de eo enim jam superius agendum fuit, cum traderetur, quid inter anathema, et inter excomm. censuram discriminis intercederet. Superest igitur, ut de depositione, et de irregularitate sermonem instituamus. Et quamquam irregularitas non semper pœna sit, quia tamen sæpe numero talis habetur, non erit abs re universa hoc in loco recensere, quæ ratione ejusdem notæ fuerunt sacris canonibus constituta.

CAPUT I.

De depositione.

Jamdiu quidem in ecclesia, et a primis sæculis, indici consuevit adversus reos gravissimorum criminum pœna depositionis, sed depositionis nomen, quoad ego noverim, sexto primum sæculo in canonibus usurpatum adparet, apud patres agathenses in can. 35, caus. 12, qu. 2, apud Dionysium Exiguum in versione can. apostolicorum, can. 3, 25, 31, 32 et 47, item in versione can. 1. Neocæsariensis; apud Martinum Bracharensem in can. 17, d. 30, apud Gregorium Mag. in can. 7, caus. qu. 1, et can. 44, caus. 2, qu. 7. Si in contrarium objiciatur canon 10, caus. 22, qu. 1, qui Pio papæ tribuitur, observandum sane erit, falso illud monumentum adscriptum eidem pontifici fuisse, quemadmodum alio in loco mihi ostendendum fuit. Insuper falso adscriptum fuit toletano I concilio anni 400, quod de depositione legitur in can. 6, dist. 54, seu, quod idem est, in cap. 2, de serv. non ordin., siquidem canon ille referri potius debet ad capitularia Francorum, ut ostendendum mihi fuit in meis adnotationibus in Gratianum. Quod si objiciatur can. 19, cau. 11, qu. 3, depromptus ex concilio carthaginensi IV, sub finem quarti sæculi celebrato, omnis difficultas evanescit, quoties cum romanis correctoribus observetur, pro illis verbis, *si laicus est, excommunicetur, si clericus deponatur*, ita legendum esse, *sive clericus, sive laicus excommunicetur.* Nihil adjicio ad canonem 9, d. 28, qui est concilii neocœsariensis, ubi quod verbum depositionis occurrit, usurpatum fuit a Dionysio Exiguo græci textus recentiore interprete; et revera in codice, qui dicitur ecclesiæ universæ, pro illis verbis *ab ordine deponatur*, legitur *ordine suo moveatur.* Similiter adnotandum est ad can. 1, dist. 47, ubi pro verbo *deponatur*, alii interpretes legerunt *damnetur.* Erant ergo quædam vetustæ formulæ, quæ olim usurpabantur ad idem significandum, sive ad demonstrandum, clerico ab officio sacro dejici, quæ sane identidem etiam a recentioribus retentæ fuerunt. Ut plurimum istæ erant, ab officio, vel a clero, vel a ministerio *abjici*, aut *dejici*, aut *retrahi*, aut *cadere*, aut *cessare*, aut *moveri*, aut *præcipitari*, aut *revocari*, can. 7, dist. 24, c. 1, dist. 34, can. 7, dist. 45, can. 6, dist. 46, can. 1, dist. 48, c. 19 et 41, cau. 12, qu. 2, can. 1 Concilii neocæsariensis in codice ecclesiæ universæ. Item *non perseverare in clero*, can. 2, dist. 58, vel *degradari*, can. 5, dist. 46, can. 5, dist. 47, *carere*, aut *privari* loco, seu dignitate, seu officio, can. 5, dist. 24, can. 2, dist. 28, can. 10, dist. 50, c 5, ne cler. vel monachi; denique, ut alias omittam numero plures similes formulas, *alienos fieri a ministeriis*, vel *a regula*, can. 5, dist. 19, can. 2, dist. 47.

Vel ex ipsis nuper commemoratis veteribus formulis, vel ex recentiore depositionis nomine, facile intelligitur, nihil aliud esse depositionem, quam de gradu, officio et beneficio dejectionem; unde liquet, circa eadem versari pœnam depositionis, circa quæ versatur censura suspensionis. Id adeo verum est, ut in canonibus ecclesiasticis identidem eædem formulæ adhibitæ fuerint ad significandam, aut suspensionis censuram, aut depositionis pœnam. Contigit in has re, quod contigit in pœna anathematis, et censura excommunicationis, quæ licet multum invicem distent, quandoque tamen nomina anathematis, et excommunicationis promiscue usurpata scimus. Supervacaneum est in præsentia regulas tradere, quibus ostendam, quomodo in canonibus distinguendæ sint istæ formulæ, et quando ad suspensionem, quandonam ad depositionem referendæ. Sufficit respicere ad regulas a me positas, dum anathema ab excommunicatione superius secernebam; eædem enim proportione servata, et depositioni accommodabantur. Sic, ut exemplum proferam, ubi quis dicitur ad tempus dejici, erit suspensio, non depositio, uti in can. 16, dist. 81, depositio vero, non suspensio, cum absolute, aut in perpetuum pronunciatur, uti in can. 5, dist. 24, can. 1, dist. 48, can. 43, caus. 1, quæst. 1, et can. 3, caus. 26, quæst. 5.

Id ut magis perspicue intelligatur, notare juvat in primis, in quibusnam suspensio cum depositione conveniat, deinde in quibus suspensio a depositione distinguatur. Conveniunt primo in eo, quod utraque solis clericis vel religiosis hominibus immineat; secundo in eo, quod utraque aut totalis esse potest, uti pragmatici loquuntur, aut partialis: totalem dicunt, cum fit ab ordine, et ab officio, et a beneficio; partialem, cum quis ab aliquo jure cadere jussus, cetera adhuc retinere permittitur: tertio in eo, quod ubi depositionem contemnit, et ea exercet, a quibus depositus est, æque irregularitatem contrahit, ac si suspensionem violavisset, c. 2, de cler. excomm.

min., quarto in eo, quod is, qui communicat in eo, a quo facta est depositio, excommunicatione notetur æque ac si cum suspenso communicaret, dicto c. 2, de cler. excomm, quinto in eo, quod æque depositio, ac suspensio et ipso jure et sententia judicis indici possit, can. 6, caus. 9, quæst. 2, cap. 1, et de homicid. in 6, cap. 5, de pœn. in 6. Ex his omnibus factum puto, ut ob affinitatem, quam depositio habet cum suspensionis censura, minime dubitaverit Paullus II recensere eam pœnam, ut improprie, inter censuras, extrav. 2, de simonia. Ceterum in eo primum differunt; quod suspensio ad tempus, depositio in perpetuum infligitur, cap. 4, cler. excomm. min., secundo in eo, quod suspensio ab ordine non semper sit censura, sed aliquando, uti suo loco observandum fuit, prudens quædam œconomia, qua certis in caussarum adjunctis sacrorum decori consulatur; et depositio semper est pœna, quæ crimen certum ac probatum sequitur, can. 7, dist. 56, can. 2, dist. 47, atque ideo semper requirit, aut citationem, aut monitionem; citationem, cum infligitur ob enorme flagitium, monitionem cum infligitur ob pervicaciam, aut diuturnam delinquendi consuetudinem, cap. 3, de cler. excomm. min. Tertio differunt in eo, quod quamquam depositio, uti suspensio, aut totalis sit, aut partialis, in hac tamen parte observatur, eum, qui absolute et simpliciter deponitur, quin exprimatur a quibus juribus cadat, non eo ipso ab universis juribus, sed dumtaxat ab ordine depositum intelligi, contra quam vigeat in suspensione, qua absolute pronunciata censetur quis ab omni jure suspensus, uti superius animadvertere debui. Siquidem obtinuit, depositionis nomen per se dejectionem ab ordine specialiter significare, non ab officio et beneficio, nisi id specialiter exprimatur, can. 16, dist. 28, cap. 13, de vita et hon. cler., cap. 24, de accus. cap. 2, de cler. pugn. in duel. Quarto denique differunt in eo, quod singularis aliquando sit depositionis formula, et magis solemnis, quam suspensionis. Etenim duplex depositionis species agnoscitur, prior simplex et verbalis appellata, quæ nudis verbis fit sive oretenus prolatis, sive scripto editis, posterior realis, seu actualis, et proprio nomine degradatio, quæ fit publice et solemniter, clerico insignibus ordinis palam spoliato, quemadmodum adparet ex c. 2, de pœnis in 6, et uberius ex pontificali romano.

Generalis regula est, eum solum posse deponere, qui jurisdictionem habet in foro externo; hinc qui jam ab honore suo et dignitate depositus est, alium deponere nequit, argumento, can. 35, 36 et 37, caus. 24, quæst. 1. Ceterum non omnes e converso qui jurisdictione pollent, indiscriminatim deponere valent. In primis, quidquid olim vigeret, hodie certum est, episcopos, nonnisi auctoritate pontificis maximi posse deponi, concilio tridentino, sess. 13, de ref. cap 8, et sess. 24, de ref. cap. 5. Presbyteri autem et diaconi olim ab episcopo solo deponi non poterant, sed tantum vel auctoritate concilii provincialis, vel convenientibus aliquibus provinciæ episcopis, can 1 et ult. caus. 15, quæst. 7, cap 2, de translat. episc., cap. 3, de sent. et re judic, cap. 2, de pœnis in 6, ita ut in depositione presbyteri sex, in depositione diaconi tres episcopos convenire oportet, can. 1, 3, 4, 5, caus. 15, quæst. 7. Neque opponatur capitulum 9, de hæret. in fine, et capitulum 1, de cappel. monach., ubi traditur, sicut ordinare et instituere sacerdotes ad episcopum pertinet, ita posse episcopum eosdem de gradu dejicere; siquidem non eadem ibi tribuitur episcopo potestas, quasi per se solum ipse ea uti posset, sed ne sacerdotes ab alio inferiore extra episcopi conscientiam deponerentur; quod ego adeo verum puto, ut prælati episcopo inferiores, et quasi episcopali jurisdictione, dignitate, ac diœcesi non gaudentes, etiamsi collationem beneficii singulari titulo adquisiverint, nequeant collato beneficio clericos spoliare, nisi et deponendi jurisdictionem singulari etiam titulo se adquisivisse demonstrent. Quod de diaconis dictum est, ad subdiaconus deinde protractum fuit, postquam subdiaconatus in sacrorum ordinum numerum relatus est. In minoribus constitutos poterat deponere episcopus ea non servata celebritate, dicto capit. 2, de pœnis in 6. Immutata fuit hæc disciplina a concilio tridentino in capit. 4, sess 13, de ref., ubi cautum legimus, ut episcopo per se, seu illius vicario in spiritualibus generali contra clericum in sacro etiam presbyteratus ordine constitutum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depositionem, et per se ipsum etiam ad actualem atque solemnem degradationem ab ipsis ordinibus et gradibus ecclesiasticis, in casibus, in quibus aliorum episcoporum præsentia in numero a canonibus definito requiritur, etiam absque illis procedere liceat, adhibitis tamen et in hoc sibi adsistentibus totidem abbatibus usum mitræ, et baculi ex privilegio apostolico habentibus, si in civitate, aut diœcesi reperiri, et commode interesse possint; alioquin aliis personis, quæ ætate graves, ac juris scientia commendabiles existant. Sed hæc vera sunt in depositione ab ordinibus, non a beneficiis, in qua solus episcopus sententiam dicere potest, quod facile dignoscitur ex pontificali romano sub titulo: *Degradationis forma.* Exceptio item est in depositione hæreticorum, ad quam unus episcopus procedere potest, cap. 1, de hæret. in 6.

Non debet autem, nisi ex justa caussa, imo et gravissima, ad depositionis sententiam

deveniri, can. 7, dist. 55, can. 5, dist. 74, cap. 3, de sentent. et re judic., ita ut adhuc gravior requiratur ad actualem, quam ad verbalem et simplicem depositionem. Regula generalis est, qua tradi potest, omnia crimina, adversus quæ publica accusatio instituitur, caussam præbere posse, ut quis deponatur, can. 1, dist. 48, can. 7, dist. 50, quamquam exitu inspecto non semper ex istis ad depositionem deveniatur. Item receptum erat apud veteres, ut quæ crimina inducebant irregularitatem, ea etiam obnoxium clericum redderent depositioni, qua in specie depositio nihil aliud erat, quam irregularitatis executio, dicto can. 1, dist. 48. Non tamen e converso quæcumque crimina, ob quæ quis deponi poterat, irregularitatem inducebant. Præterea veteres canonum auctores sæpe eo respiciebant, ut quibus ex criminibus excommunicatione majore, aut anathemate laicos plecterent, ex iisdem adversus clericos depositionem indicerent, can. 30, ex apostolicis, can. 7, 8, caus. 1, quæst. 1, can. 10, caus. 22, quæst. 1, can. 15, caus. 26, quæst. 7, cap. 8, de vita et honest. cleric., non tamen a converso, cap. 7, de crimine falsi. Insuper non omnia crimina, quibus olim imminebat pœna depositionis, clericum depositum pœnitentiæ publicæ subjiciebant, at e converso quæ etiam in clericis singulari disciplina publica pœnitentia erant expianda, occasionem præbebant depositioni. Evidens hujus rei argumentum colligitur ex can. 9, dist. 28, ubi statuitur, presbyteros matrimonium contrahentes tantum ab ordine suo deponi debere, tum vero præter depositionem etiam publicæ pœnitentiæ subjici, cum fornicati fuissent, vel adulterium admisissent. Aliud sane servabatur, si pœnitentia fuisset privata, de qua intelligendus et canon 5, dist. 82, aut si non fuisset omnino publica, veluti cum clericus pœnitentiæ caussa aut in monasteria, aut in diaconica detrudebatur. Item regula erat, qua tradebatur, multa crimina subjicere clericos depositioni, si publica forent, non si privata, sive occulta, can. 33, dist. 50, can. 10, caus. 30, quæst. 1, cap. 4, de tempor. ordin., cap. 20, de simonia, cap 7, de crimin. falsi. Porro universæ graves caussæ, ex quibus ad depositionem ex canonum disciplina proceditur, ad tria summa commode referuntur. Primum caput est, cum clericus ea perpetraverit, quæ ecclesiasticæ conditioni adversantur. Alterum, cum clericus habuerit longam delinquendi consuetudinem, et, licet pluries monitus, non resipuerit; postremum est, cum agitur de flagitiis enormibus, quæ puniri oportere gravissimis suppliciis publica postulat disciplina. Quoties postremum caput depositioni locum facit, canones ecclesiastici depositionem absolute indicunt, can. 7, distinct. 50, can. 6, distinct. 92, can, 3, quæst. 5. At si ex primo, vel secundo capite depositio indicatur, fere obtinuit, ut sub conditione sacri Antistites jubeantur ad depositionem devenire, nimirum si clericus non cessaverit, si se non emendaverit, can. 3, distinct. 44, can. 5, dist. 46, can. 9, dist. 92, c. 8, de vita, et honest. cleric., cap. 5, ne cleric. vel monach., cap. 1, de cleric. percuss., et ideo in his speciebus monitione opus est, antequam ad depositionis sent. deveniatur, can. 30, ex apostolicis, can. 24, caus. 12, quæst. 2, cap. 3, de cleric. excomm. ministr.

Jamvero enumeremus plurimus ecclesiasticas leges, ex quibus certis in casibus indicta fuit pœna depositionis. Dixi in primis, depositionem esse definitam adversus clericos ea admittentes, quæ conditioni clericali adversantur. Id verum est, cum illi judicium sanguinis exercuerint, can. 29, 30, cau. 23, quæst. 8, cap. 5, ne cler. vel monach., cum pugnaverint in bello, can. 6, caus. 23, qu. 8, cap. 5, de pœnis, cum percutiendo, ac cædendo terrorem incusserint, can. 7, dist. 45, cap. 1, de cleric. percus., qui judicia ecclesiæ temserint, et in ecclesiasticis caussis publica potius judicia postulaverint, can. 11, 44, caus. 11, quæst. 1, qui uxores, vel concubinas habuerint, can. 2, distinct. 28, can. 10, 14, distinct. 32, can. 16, 17, 18, 19, 20, 29, distinct. 81, can. 2, 3, 4, distinct. 82, can. 4, distinct. 84, qui viduam, vel ab alio dimissam duxerit, can. 8, dist. 50, simoniaci, can. 3, caus. 7, qu. 1, res ecclesiæ pro effræni lubitu dispergentes, can. 13, 19, 20, 35, 41, caus. 12, qu. 2, can. 1, caus. 17, quæst. 4, can. 5, caus. 19, qu. 3, beneficia obtinentes sine consensu episcopi, cap. 4 et 21, de jurepatron., et denique negligentes in divinis officiis, et ecclesiasticis ministeriis, can. 2, 3, 4, distinct. 91, can. 9, distinct. 92. Singulares etiam caussæ sunt, quibus pœna depositionis episcopis ex eodem capite immineret, videlicet qui consecraverint episcopum non legitime electum, item qui non præcedente electione fuerint consecrati, c. 3, distinct. 62, qui transierint ad alias occupandas ecclesias, canon. 6, caus. 9, quæst. 2, qui ordinaverint extra legitima tempora, cap. 2, de tempor. ordin., qui susceperint, et ordinaverint clericum alienum invito vel ignorante ejus episcopo, can. 1, caus. 21, quæst. 2, qui ordinaverint invitos, can. 7, distinct. 74, vel imperitos, can. 2, dist. 36, vel neophytos, can. 1, distinct. 48, vel alias irregulares, can. 1, 5, 51, can. 3, dist. 81. Singularis quoque depositionis caussa est respectu sacerdotis, qui se conjunxisset turpiter cum ea, quam baptizavisset, can. 8, caus. 30, quæst. 1, item respectu sacerdotum confessiones fidelium excipientium, si se cum pœnitente polluerint, can. 9, 10, caus. 30,

quæst. 1, si delicta non celaverint fidei suæ in sacramentali confessione commissa, can. 2, de pœn. dist. 6, cap. 12, de pœnit. et rem., si raptoribus impœnitentibus, et restituere decrectantibus absolutionem concesserint, cap 2, de raptor., si alienum parochianum pœnitentiæ caussa susceperint, cau. 3, de pœnit. dist 6. Respectu diaconorum scimus, depositionem fuisse indictam, quoties modum suum non agnovissent, can. 14, dist. 93. Denique respectu clericorum omnium infra episcopos constitutorum erat aliquando indicta deposito, si aliud altare erexerint extra episcopi sui consensum, can. 25, de consecr. distinct. 1, si obedientiam episcopo debitam denegaverint, cap. 15, de exces. prælat. si interdictum, aut excommunicationem a superiore indictam non servaverint, cap. 3, de cleric. excomm. min., si noluerint obtemperare episcopo volenti eos ad superiores ordines promovere, can. 3, 4, distinct. 74, si ab episcopo suo discesserint, ut ab alio ordinarentur, a quo revera ordinati fuerint, canon. 1, caus. 21, qu. 1, si illegitimis modis ordinati fuerint, veluti extra tempora, c. 2, de tempor. ordin., aut alias irregulares, can. 1, dist. 48, can. 1, 5, distinct. 51.

Dixi secundo loco, depositionem esse definitam a sacris canonibus, cum clericus habuerit diuturnam delinquendi consuetudinem, et licet pluries monitus, non resipuerit. Hujusmodi sunt, qui ebrietati, aut aleæ serviunt, can. 1, dist. 35, qui tabernas frequentant, can. 3, dist. 44, maledici, can. 3, dist. 46, scurrilitati dediti, can. 6, dist. 46, qui sanctimonialium monasteriis assidui cum sacris virginibus otiantur, c. 8, de vita et honest. cleric. qui male versantur in rebus ecclesiæ, can. 24, caus. 12, quæst. 2, qui ecclesiastica patrocinia acceptis muneribus vendunt, can. 1, caus. 15, quæst. 2, et qui usuris et similibus turpis lucri cupiditatibus incumbunt, can. 1, 2, 5, distinct. 47, c. 2, 3, distinct. 88, can. 4, distinct. 91, can. 3, 4, caus. 14, qu. 4, can. 3, caus. 21, qu. 2, c. 4, ne clerici vel monachi, cap. 1, de usuris.

Tertio loco dictum est, eos depositioni subjacere, qui gravissima et enormia flagitia admittunt. Hujusmodi sunt apostatæ, aut hæretici, can. 32, dist. 50, can. 10, 21, caus. 1, qu. 7, c. 9, de hæreticis, eamque ob caussam depositos apud veteres scimus illos, qui certa jejunia peregissent, aut a certis cibis abstinuissent, adhærentes in hac parte deliriis manichæorum, can. 17, dist. 30. Hujusmodi sunt cum judæis habitantes, et azyma cum ipsis celebrantes, can. 13, caus. 28, qu. 1. Hujusmodi sunt adulatores et proditores illi, de quibus mentio est in can. 3, distinct. 46, qui videlicet, dum christiani ab ethnicis vexarentur, christianos prodebant apud ethnicos magistratus, ut istorum gratiam sibi captarent. Hujusmodi sunt blasphemi et perjuri, can. caus. 22, q. 1, can. 19, caus. 23, qu. 5, et qui aruspices et magos consuluerint, can. 5, 13, caus. 26, qu. 5. Hujusmodi sunt, qui insidias adversus suos episcopos moliuntur, can. 8, caus. 3, qu. 4, can. 3, cau. 3, qu. 5, præsertim vero si seditiones concitaverint, can. 18, 21, 22, 23, 24, 25 et 31, caus. 11, quæst. 1, can 5, caus. 14, quæst. 3, can. 42, 43, 44, caus. 21, quæst. 5, cap. 15, de excess. prælat. Hujusmodi sunt, qui duellum obtulerint, aut oblatum susceperint, sive victi fuerint, sive victores evaserint, c. 1, de cler. pugn. in duello. Hujusmodi sunt homicidæ, cap. 6, in sine, cap. 7, et passim de homicid., item qui graviter quemquam cæciderit, ex. gr. oculum avulserit, uti in can. 13, dist. 55, aut semetipsum absciderit, can. 4 et 9, dist. 55. Hujusmodi sunt calumniatores et falsi testes in judicio criminali et publico, can. 7, distinct. 50, can. 3, caus. 5, qu. 6, cap. 7, de crim. falsi; falsas edentes aut principum, aut pontificum maximorum epistolas, can. 7, distinct. 50, cap. 3 et 7, de crim. Hujusmodi sunt contra naturam cœuntes, cap. 4, de excess. prælat. et qui consentiunt raptoribus puellarum, can. 1, caus. 36, q. 2, cap. 4, de purgat. can. Denique hujusmodi sunt, qui eleemosynas, quasi in prædæ participationem a raptoribus acceperint, vel sepulturæ raptorum interfuerint ante eorundem absolutionem, cap. 2, de raptoribus.

Admodum late per varia crimina, ut liquet, vagati fuere ecclesiastici canones, quum depositionis pœnam indixerunt. Non adeo tamen gravem episcopis obligationem imposuerunt, ut sine discrimine ad eam inferendam pœnam devenirent, sed nonnihil prudenti eorundem arbitrio reliquerunt. Sic ubi multitudo peccatum aliquid de rigore juris remittendum esse suadebat, a depositione abstinendum esse definitum est, can. 35, dist. 50, cap. 4, de cleric. excommunic. min. temperanda quoque fuit austeritas canonum, quo casu qui delinqueret, non dolo, et plena consensione delinqueret, sed infirmo animi consilio, veluti cui ignoratio caussam dederit, cap. 7, de crim. falsi. Atque hoc in sensu recipi potest, quod legitur sub nomine Augustini in can. 1, in fine de pœnit. dist. 6, *non semper pontificem justum atque discretum cogi sacerdotes suos abjicere.* Ex hoc factum puto, ut depositionis pœna plurimis in casibus a canonibus præstituta infrequens admodum sit, et nonnisi in gravioribus infligi soleat; statim ac enim canones rem universam in prudens episcopi arbitrium contulerunt, humanitas, et indulgentia sæpe locum sibi vindicavit. Atque hæc ipsa moderatio nec fuit a sacris canonibus improbata; siquidem re-

centiores canones multis in casibus abrogaverunt veterem depositionis ferendæ legem, et pro depositionis pœna opportunius sanxerunt, ut censura suspensionis infligeretur. Ut exempla proferam, cautum erat apud veteres, ut deponerentur clerici percussores, can. 7, distinct. 45, cap. 1. de cleric. percuss. Inde vero satis visum fuit, si suspenderentur, cap. 3, eod. tit. Olim deponebantur clerici usurarii, cap. 1, de usur.. inde indicta suspensio, cap. 7, eod. tit. Deponebant veteres eos, qui non ordinati fuissent statutis temporibus, cap 1, de tempor. ordin. recentiores suspenderunt, cap. 7, eod. tit. contra ordinatos sine titulo statuta quoque olim erat depositio in can. 1, dist. 80, quæ disciplina abrogata inde fuit in cap. 16, de præbend. Denique qui ordinabantur in alia ecclesia, et a non proprio episcopo, depositioni subjiciebantur; suspensionem deinde illatam fuisse constat ex cap. 2, de tempor. ordin. in 6. Multa alia non memoro. Tantum generaliter dicam, ubi nota irregularitatis inusta fuit adversus certorum criminum reos, sæpe visum fuisse supervacaneum, ut ulterius ex judicis sententia deveniretur ad depositionem; ubi vero nulla irregularitas imminet, arbitrio episcopi relictum fuisse, ut pro facti atrocitate ad depositionem usque progrediatur.

Quando vero duplex est depositio, verbalis et realis, sive actualis, verbalis, quæ depositio in specie dicitur, cujus in jure nulla statuta est formula, quæ locum habere potest et in officio, et in beneficio, et in ordine; actualis, seu realis, quæ degradatio proprie appellatur, et quæ clericum etiam a foro ecclesiastico ejicit, et cujus certa constituta fuit formula, ac solemnitas, uti liquet ex can. 65, caus. 11, qu. 3, cap. 1, de pœnis in 6, et in pontificali romano sub titulo *Ordo suspensionis etc.* disputatio est elegantissima, dum quæritur, quid inter utramque discriminis intercedat, et quibusnam in casibus episcopus devenire ad degradationem possit, per quam fieri solet, ut clericus reus a fori privilegio cadat, et sæculari curiæ tradatur. Multa in proposito sunt observatione digna. Certum in primis est, apud veteres nomina depositionis, et degradationis promiscue usurpata fuisse, argumento canonis 1, dist. 47, juncto can. 5, ejusd. dist. et can. 1, caus. 13, qu. 2, argumento, can. 35, juncto 41. caus. 12, qu. 2, quod adeo verum est, ut temporibus Bonifacii VIII, adhuc nullum discrimen inter hæc vocabula agnosceretur, uti liquet ex cap. 2, de pœnis in 6. Tantum obtinuit recentissimis sæculis, ut quæ pœna clericos a privilegio fori excluderet, ea degradatio appellaretur, quæ non excluderet, depositio. Quidquid tamen fuerit de vocabulis, quorum non magna debet esse sollicitudo, re inspecta posset inter utramque adsignari discrimen, vel ratione habita effectus, vel ratione habita formulæ, sive solemnitatis; quæ discrimina an veteribus agnita fuerint, non est apprime exploratum, propterea quod nulla in medium proferri possent monumenta decimotertio sæculo antiquiora. Nimirum si effectus consideremus, et in degradatione agnoscamus, clericum fori privilegio privari, novi equidem Alexandrum III, id tradidisse in c. 4, § 1, de jud., et paullo postea Innocentium III. in c. 27, de verb. sign. nequeo tamen illis adhærere, qui id colligunt ex Cœlestino III. (forte ex Clemente III) in cap. 10, de judiciis. Recensentur in hoc capitulo quasi per gradus pœnæ ab ecclesiastica potestate infligendæ, depositio primum, deinde excommunicatio, tertio anathema, postremo concluditur, reum esse a sæculari potestate coercendum, cum ecclesia non habet ultra quod faciat. Putaverunt quidam, depositionem, quæ primo loco ibidem memoratur, depositionem esse verbalem, quum vero subjicitur, reum a sæculari comprimendum esse potestate, depositionem actualem, sive solemnem intelligi. Verum penitius rescriptum pontificis consideranti nihil tale occurrit: tantum dicitur, tres esse pœnas ab ecclesiastica potestate infligendas, depositionem, excommunicationem, et anathema, aliam sane alia graviorem, post quas excitari oportere, forte etiam sponte, atque ex officio publicos magistratus, ut pœnis civilibus reos contumaces plectant. Revera pœna depositionis, quæ ibidem prima est, reum arcet a communione clericali; excommunicationis censura secundo loco commemorata reo interdicit communione christiana generali; anathematis pœna, quæ tertia est, reum penitus ab ecclesia eliminat, juxta naturam anathematis jam a me superius explicatam. Quæ cum ita sint, quis sibi persuadere facile possit, ut post anathema adhuc supersit inferenda adversus clericum degradatio, qua reus fori privilegium etiam amittat, nisi putet, anathema non esse eam asperrimam pœnam, et eradicantem, qualem perpetuo sacri canones exhibuerunt, nisi insuper putet, jus ecclesiastici fori, quod privilegiarium est, difficilius, et nonnisi supremo loco posse interire? Aptius ego dixerim insistens in generalibus principiis superius positis, duplicis generis depositionem esse, totalem, ut vocant, quæ omnibus omnino juribus privat, et partialem, quæ aliquibus tantum, modo pluribus, modo paucioribus, non tamen universis. Jura autem clericorum ad quatuor summa capita reducuntur. Primum est exercitio ordinum; alterum dignitas, jurisdictio, vel officium; tertium beneficium; postremum privilegia sive canonis, ut ajunt, sive fori. Prioribus quinque sæculis non alia esse depositio poterat, quam ab exercitione ordinis, dignitatis, jurisdictionis, officii,

et beneficii. Quamquam enim beneficiorum origo recentior videatur, aliqua tamen ratione depositus a beneficio clericus olim videbatur, qui excluderetur a participatione redditnum ecclesiasticorum, quibus in communi uti poterat. At sexto sæculo explicata apud viros ecclesiasticos exemtione fori publici, cœpit ad hoc jus depositio extendi, ac deinde sæculo duodecimo extensa etiam fuit ad privilegium canon., utpote quod primum concessum fuit a concilio lateran. Innocentii II, in can. 29, cau. 17, qu. 4. Hinc orta est, atque huc referri commode potest memorata distinctio inter depositionem verbalem, et degradationem solemnem, seu actualem, ita ut depositio verbalis esse cœperit partialis minime excludens clericum a privilegiis fori, et canonis, et degradatio actualis esset vere totalis depositio, privans etiam privilegiis memoratis.

Si ad formam respicimus, ex qua discrimen agnoscatur inter depositionem et degradationem, distinguendæ sunt solemnitates illæ, quæ postulabant certum numerum prælatorum, uti superius dictum est, a formulis verborum, quæ adhibendæ erant. Quod spectat prælatorum numerum, jam in nicæno concilio, can. 5, statutum fuerat, ut depositio fieret in provinciali concilio, deinde chartaginensia concilia decreverunt, ut etiam extra provinciale concilium fieri valeret, dummodo plures episcopi convenirent; can. 3, 4, caus. 15, qu. 7, quod et ab aliis provinciis extra Africam receptum est, can. 1, 7, caus. 15, quæst. 7, et tandem abiit in generalem disciplinam, cap. 2, de translat. episc., cap. 3, de sent. et re jud, cap. 2, de pœnis, in 6 Primus Bonifacius VIII excepit ab hac solemnitate depositionem ex caussa hæreseos, ut liquet ex cap. 1, de hæret., in 6, insuper declaravit, non esse opus ea solemnitate in clericis minoribus deponendis, dicto cap. 2, de pœnis in 6. Denique quod statuerat Bonifacius in crimine hæreseos, concilium tridentinum, in cap. 4, sess. 13, de ref. ad omnia crimina extendit, quorum caussa clerici essent deponendi. Quicumque has omnes constitutiones apprime perpendit, nullum in iis discrimen agnoscit hac in parte inter depositionem et degradationem. Siquidem veteres canones ex codice Gratiani laudati antevertunt omnes tempora explicati privilegii fori clericalis et canonis; et recentiora decreta, aut ex Gregorii decretalibus, aut ex Sexto edita, referentur ad antiqua, atque ex antiquis interpretationem recipiunt. Immo Bonifacius VIII, in dicto c. 2, de pœnis harum solemnitatum mentionem faciens, æque in verbali, ac in solemni degradatione eas admittit, quod etiam fit in laudato tridentino decreto Quamobrem statui potest, nullum derivari posse ex sacris canonibus discrimen in hac solemnitatum specie inter utramque depositionem.

Forma quoque deponendi per symbola, quibus sacris indumentis deponendus exuatur, adhibitis verborum formulis, quæ formulis ordinationis opponuntur, et antiquissima, uti colligitur ex toletano concilio, anni 633, cujus est canon 65, cau. 11, qu. 3, ubi dum decernitur, in restitutione inique depositi reddenda esse symbola sacræ ordinationis, liquet, eadem fuisse ablata in depositione. Neque verum primum id inductum est ex hoc toletano canone, quandoquidem ita exhibetur eadem disciplina, ut jamdudum recepta fuisse videatur, unde liquet, eam formulam probabiliter privilegio fori, et certe privilegio canonis fuisse longe antiquiorem, atque ideo adhiberi consuevisse vel in una depositione ab exercitatione ordinis, quod etiam ex eo constat, quod formulæ istius natura aptius accommodetur interdicendis sacris ministeriis, quam privationi privilegiorum, cum qua nihil habet, quod convenire ullo modo possit. In subsequentibus statutis ecclesiæ legibus usque ad Bonifacium VIII, nulla adparet disciplinæ immutatio. Primum Bonifacius, in dicto cap. 2, de pœnis expresse cavit, ut ea formula in degradatione actuali non omitteretur, quid illud ipsum statueret peragendum in depositione verbali. Indiget id singulari animadversione. Receptum quidem erat apud veteres, ut in depositione, sive partiali ab ordinis exercitione, sive totali abs juribus universis, sacra symbola auferrentur; non tamen episcopi semper ea auferebant, propterea quod id non adpareret expressa lege præceptum. Editis in lucem falsis Decretabilibus Mercatoris, obtinere cœpit, ut clerici depositi certis in casibus post pœnitentiam restitui in pristinum gradum episcopali auctoritate valerent, uti liquet ex quibusdam canonibus relatis apud Gratianum dist. 50. In his speciebus omittebant episcopi privationem symbolorum, ne iterum symbola redderentur, dum pœnitentes clericos essent restituturi. Hoc delictorum discrimen indicatur in cap. 4, de judiciis ibi: *Sunt talia crimina, propter quæ clerici sunt ab altaris ministerio perpetuo removendi.* Notanda sane est particula illa *perpetuo*, qua significatur, adimi spem omnem restitutionis. Subsequitur Alexander III et ait: *De adulteris vero, et aliis criminibus, quæ sunt minora, potest episcopus cum clericis post peractam pœnitentiam dispensare.* Et delicta, depositione quidem digna, sed spe facta restitutionis, et in quibus a privatione symbolorum abstinebatur tempore depositionis. Qui cum usus esset sæculi duodecimi et decimitertii, ut pro diversitate delictorum diversa quoque adhiberetur deponendi formula, Biterrensis episcopus consuluit Bonifacium VIII, qua ratione ad degradationem procederetur; Bonifacius autem rescripsit, distinguendam esse actua-

lem degradationem a verbali depositione in dicto cap. 2, ita ut dum actualis degradatio fieret, qua clericus in perpetuum removebatur a ministerio, et tradebatur curiæ sæculari, sacra symbola auferrentur; quin opus esset symbolorum privatione, quoties clericus non esset tradendus curiæ sæculari, sed adhuc disciplinæ ecclesiasticæ obnoxius pœnitentiæ subjiceretur, donec forte restitutionem impetraret.

Ex his omnibus plura fluunt consectaria. Primum est, post epistolas Isidori Mercatoris variam fuisse deponendi formulam, adeo ut Bonifacii VIII, temporibus incerti episcopi essent, qua formula uterentur. Secundum est, degradationem actualem, prout a fori privilegio excludit, fuisse incognitam prioribus sæculis usque ad tempora Justiniani imperatoris, argumento Novel. 83, atque a temporibus Justiniani non aliter distinctam fuisse a depositione simplici, nisi quod illa totalis esset, hæc partialis. Tertium est, ratione habita editorum canonum nullum interesse discrimen inter utramque depositionem in numero convenientium prælatorum. Quartum est, hoc tantum interesse discrimen inter utramque depositionem in auferendis sacris symbolis, quod in degradatione actuali necessario sint auferenda symbola ex constitutione Bonifacii VIII in dicto cap. 2, et ex præscripto pontificalis; in depositione autem simplici id relictum sit episcoporum arbitrio. Quod si ex dicto cap. 2, quis ita argumentaretur: Bonifacius symbola sacra auferenda constituit in actualis ergo auferri vetuit in verbali depositione, ego contra reponerem: Bonifacius præcepit, ut in actuali auferrentur, ergo ut auferrentur symbola in verbali depositione non præcepit, ergo prudenti episcoporum arbitrio reservavit.

Quæ superius generaliter dicta sunt de auctoritate episcoporum in deponendis clericis quibuscumque sibi subjectis, æque ad degradationem actualem, ac ad simplicem depositionem referuntur. Sufficeret ad id demonstrandum, dicere, nullam apparere de actuali degradatione reservationem. Sed adhuc adjicere possum, sollicitudinem ipsam sacrorum canonum in præstituendis cautionibus, quibus ad eam degradationem procedatur, satis evincere, eandem prudenti antistitum arbitrio committi. Immo et generaliter auctor canonis 1, de pœnit. dist. 6, in fine agnoscit in episcopo arbitrariam quandam facultatem, qua antistes ex prudentiam sententiam moderetur, non exequatur tantum sententiam canonum, ibi *pontifex justus atque discretus non cogitur sacerdotes suos semper abjicere.* Addi potest capitulum 1, de cappel. monach. Nullibi indicari potest in hac re mutatio veteris disciplinæ, nec in dicto cap. 2, de pœnis in 6, nec in dicto cap. 4, sess. 23, de ref. in concilio tridentino; quando reservanda fuit romano pontifici depositio episcoporum, id expressum fuit in eodem concilio sess. 13, cap 8, et sess. 24, cap. 5, de reform. Equidem verum est, in multis canonibus Episcopo mandari, ut certis in casibus sententiam proferat degradationis; at siquis exinde inferret, in ceteris casibus similem non competere facultatem, inferre etiam deberet, actum esse de episcopali arbitrio in inferendis quibuscumque censuris, quandoquidem multis in casibus mandatum in jure episcopis fuit, ut censuras infligant. Sacri canones quandocumque inferendam voluerunt aut depositionis, aut degradationis pœnam, regulas quasdam constituunt generales, ut episcopis indicent, quibus in adjunctis graviorum criminum suum arbitrium moderentur et regnant, non vero intra certos casus episcopalem coercent potestatem; alias actum esset de vulgata eaque optima distinctione criminum quorum alia dicuntur ordinaria, alia extraordinaria, in quibus libera est coercendi etiam pœnis quibuscumque gravioribus auctoritas, quæ sane distinctio maxime decet publicam in quocumque regimine utilitatem. Ceterum nonnulli crediderunt, non posse episcopos ad actualem degradationem devenire, præterquam in casibus, in quibus id in jure expresse constitutum adpareat. Duplici in errore versati deprehendantur, qui ita senserunt. Prior est, quod ita tradiderint sine caussa, et ne probabile quidem argumentum proferentes. Posterior est, quod cum ita definivissent, non alios indicare sciverunt canones degradationem actualem indicentes, quam eos, in quibus expresse diceretur, spoliandos esse clericos privilegio fori, quin rationem haberent aliorum canonum numero plurium, qui formula æquipollente id ipsum decrevissent.

Et primum quidem inane ipsi jecere fundamentum, dum tradiderunt, tantum in casibus in jure definitis episcopum posse ad actualem degradationem venire. Ajunt ipsi, pœnales leges de casu ad casum minime extendi, ergo, concludunt, statim ac certis casibus ea facultas episcopo conceditur, in ceteris denegatur. At si ita res sese habet, eccur episcopi in censuris inferendis nunquam agnoverunt coercitam potestatem suam, licet in certis casibus censuræ expresse in jure indicuntur? Dicam candide: episcopi in reos etiam depositionis sententiam prolaturi, non auctoritatem suam repetunt ex singolaribus constitutionibus supra laudatis, sed ex generalibus ecclesiasticis regulis, quæ nunquam facultatem illam in gravissimis delictis sustulerunt: Secus contingeret, ut quanto, qui contra scripserunt, anteriorem constitutionem quæ eam facultatem episcopis faciat, minime laudant, quam Cœlestini III et Innocenti III, nunquam veteres episcopi eam potestatem

habuissent: non est autem tertiumdecimum, aut sequentia sæcula, quibus adaugeri potuerit potestas episcoporum, variis potius reservationibus imminuta. Profecto neque Cœlestinus III, neque Innocentius III, aut novam certis in casibus auctoritatem episcopis concesserunt in suis rescriptis, aut veterem competentem amplissimam intra certos limites concluserunt. Innocentius III, cum in cap. 7, de crim. falsi mandaret, ut clericus curiæ sæculari traderetur, non ait, se facultatem episcopo concedere singularem, sed se ita *statuere*, seu, quod idem est, juxta proposita facti adjuncta, episcopum ad degradationem adstringere. Hanc fuisse Innocentii III, mentem, ex eodem Innocentio constat, qui post indictam degradationis actualis, ut vocant, pœnam in eos, qui falsas apostolicæ sedis literas ediderant in dicto cap. 7, docere perrexit in cap. 27, de verb. sign., degradationem etiam a privilegio fori locum habere non solum in dicto crimine falsi, sed etiam quoties admissum esset, *aliud flagitium grave non solum damnabile, sed damnosum*, qua in re se *canonibus antiquis* adhærere professus est. Quid apud Gregorius X, in concilio lugdunensi constituturus pœnam degradationis actualis in bigamos non ait, se id episcopis speciali concessione mandare, sed *antiquam altercationem* definire? Altercatio hæc erat illorum, qui disputabant, an bigamia tale crimen esset, quod ex prudentia episcoporum arbitrio degradationis actualis pœna plecti valeret, capitulo un. de bigamis in 6. Ego sane non percipio, qua ratione uti possint, qui contra senserunt, capitulo 5, de pœnis in 6. Ajunt ipsi, ne in specie quidem cardinalium interfectorum definiri ibidem depositionis pœnam in interficientes. At quid si ego reponam, ideo non definitam qui ex ordinaria judicis ecclesiastici auctoritate inferri potuisset? Non est profecto ibidem interdictum, ne ad eam inferendam pœnam deveniretur. Immo et si verba capituli considerentur, liquebit facile indici pœnas gravissimas, quibus nullus modus præstituatur ac propterea sub generalibus pœnis ibidem memoratis etiam degradationem actualem comprehendi.

Ut vero intime res investigetur, et, quoad fieri possit, eruantur ex vetustatis tenebris regulæ quædam, ut monumenta mediæ ætatis, quæ adferri solent, commodam interpretationem accipiant, distinguenda necessario sunt duo delictorum genera quorum alia ecclesiastica sunt, alia publica, quod notavit jamdiu Justinianus in nov. 83, in fine principii, et cap. 1, relata apud Gratianum in can. 45, caus. 11, qu. 1. In delictis ecclesiasticis universas pendebant ex episcopi arbitrio nisi ubi canonum expressa sanctio episcopale arbitrium conclusisset. Hinc clerici eclesiasticis regulis inobedientes modo minore, modo majore, ad depositionem usque totalem pœna puniebantur, et si forte depositus privabatur privilegio fori, non quidem exinde tradebatur magistratibus publicis puniendos, cum nulla pœna publico civili jure immineret in delictis ecclesiasticis ut plurimum, sed ita habebatur, ac si laicus esset, quo sensu in aliquibus veterum monumentis legitur, clericum *tradi curiæ servitutum*, can. 8, cau. 5, qu. 4, can. 18 et 31, caus. 11, qu. 1, quomodo enim curiæ servire posse intelligitur clericus, qui a foro episcopali minime cecidit? Idem ego censeo, ubi de delictis non ecclesiasticis, sed communibus, et minoribus ageretur, adversus quæ pœna publica in jure non præstituitur, uti est intemperantia, scurrilitas, ac similia, in quibus pervicaces clerici deponi jubebantur, can. 5, 6, dist. 46. Ubi vero delicta essent publica et gravia, adversus quæ legibus publicis capitali pœna animadvertebatur, prioribus sæculis, cum primum episcopale forum explicatum est etiam in civilibus caussis clericorum, postulante magistratu publico, reus clericus de gradu suo dejectus, et fori privilegio spoliatus, plectendus pœna legitima magistratibus tradendus erat, dicta nov. 83, princip., et § 1. Viguit hæc disciplina usque ad pseudodecretales epistolas Mercatoris, in quibus clerici pœnitentes in pluribus gravibus criminibus, non tamen in omnibus, deponebantur cum spe restitutionis, uti legitur in can. 14 et 16, dist. 50, quibus jungi potest epistola ad Massanum falso tributa Isidoro hispalensi in can. 28, ead. dist., et ideo deponebantur ab officio, quin tamen plectendi pœnis publicis traderentur magistratibus. Hinc cœperunt esse minus frequentes depositiones, quæ totales essent, seu quæ clericum etiam a foro privilegiario ejicerent propterea quod clerici rei, aut vere pœnitentes, aut pœnitentiam simulantes, præsertim in collegiis et monasteriis, spem ultro exhibitam habebant futuræ restitutionis. Recentioribus sæculis, potissimum duodecimo, cum ad germanam canonum disciplinam respiceretur, ad eam instaurandam adversus abusus, qui gravissimi irrepserant in clero, statuendum fuit, ut difficilius clerici atrocium criminum rei restituerentur, utut post exactam pœnitentiam. Pontifices maximi eapropter inducendam voluerunt in certis criminibus perpetuam degradationem sublata quacumque spe restitutionis, et talem, qua depositi sæculari curiæ puniendi traderentur. Modus tamen quidam adjectus est, nimirum ut Mercatoris disciplinæ in concedenda indulgentia, ac dispensatione adhuc adhæreretur in delictis quidem gravibus, sed communibus, et ordinariis, ea immutata in enormibus, et extra ordinem majore severitate puniendis. Hujus moderationis vestigia supersunt in cap. 21, de accusation., et in cap. ult. de tempor. ordin. Hinc in aperto

collocatur videtur scopus pontificum maximorum in monumentis illis, in quibus degradatio indicitur aut retento, aut non retento fori privilegio, ac specialiter in dicto cap. ult. de tempor. ordin., et cap. 27, de verb. sign. Videlicet statutum est, ut in delictis minoribus utut publicis adhuc indulgentiæ locus esset, dicto cap. 4, § 1, de judiciis, in majoribus nulla dispensatio concederetur, et reus sæculari judicio obnoxius fieret, quin tamen definirentur singula atrocia crimina, ut prudenti antistitis arbitrio locus relinqueretur. Quod si adhuc generalis regula statui posset, ita concipienda videretur, ut valeat episcopus pro arbitrio devenire ad degradationem actualem, quibus in publicis criminibus statutum non est, ut ab ea debeat abstinere, cujusmodi sunt adulteria, et alia minora incontinentiæ delicta, cap. 4, in fine de judic., cap. 4, de excess. prælat. perjurium, homicidium, falsum testimonium, cap. ult. de tempor. ordin., et furtum, cap. 6, de pœnis, ubi verba illa, *et aliis magnis sceleribus* intelligenda sunt de criminibus publicis, non tamen gravioribus, et extraordinaria pœna acriore puniendis. Revera certum est, ante Isidorum Mercatorem omnia crimina publica puniri consuevisse degradatione et traditione rei curiæ sæculari, dicta nov. 83. Primus Isidorus conclusit regulam adjectis quibusdam exceptionibus delictorum, quæ pœnitentia expiarentur, et in quibus spes esset dispensationis, quod in multis casibus receptum est. Igitur suadet recta interpretandi regula, non esse coercitam episcoporum auctoritatem, nisi quibus in casibus expresse circumscribitur. Atque si contra opinantibus ita licuit argumentari; quibusdam in casibus expresse definitum est, licere episcopis devenire ad degradationem actualem, ergo in ceteris minime licet; validior erit mea hæc opposita argumentatio: quibusdam in casibus expresse definitum est, non debere episcopos devenire ad degradationem actualem, ergo in ceteris expressa lege non comprehensis, omnino licebit.

Alterum pragmaticorum numero plurimum erratum in eo situm est, quod cum placuerit definire, episcopos non posse degradare, et privilegii foro privare, nisi quibus in casibus expresse in jure definitur, expressos tantum casus numeraverunt, in quibus specialiter invenerunt definitum, ut rei curiæ sæculari puniendi tradantur, minime animadvertentes, varias esse posse canonum æquipollentes formulas, quibus idem omnino definiatur. Inde factum est, ut passim tradatur, tantum in his casibus degradationi actuali locum fieri, primo in caussa hæreseos, vel apostasiæ, cap. 9 et 13, vers. *damnati* de hæreticis, c. 1 et 4, eod. tit. in 6, secundo in caussa illorum, qui falsas ediderint apostolicas literas, cap. 7, de crim. falsi, c. 27, de verb. signif., tertio in caussa, ut vocant, *assassini*, can. 1, de homicid. in 6, quarto in caussa contumaciæ post inflictas omnes ecclesiasticas pœnas, quod deduci arbitrantur ex cap. 10, de judiciis. Adjiciunt his alias plures caussas ex recentioribus pontificum maximorum constitutionibus, veluti sodomiæ crimen, procurationem abortus, sollicitationem, celebrationem missarum, et exceptionem confessionis sacramentalis ab eo factam, qui non sit sacerdotio initiatus, furtum sacrarum pixidum, et sacræ eucharistiæ, crimen adulterinæ, tonsæve monetæ, sortilegium morte alicujus inde secuta, et polygamiam simultaneam. Addiderunt aliqui insidias, calumnias et conspirationes adversus proprium episcopum, quod invenerint ita definitum in can. 18, 22 et 31, caus. 11, qu. 1, quibus veluti apocryphis ego sufficerem canones 23 et 24, eadem causs. et quæst., quamquam alii postremum hoc crimen in eundem censum minime referant. Videatur cap. 6, lib. 9, de synodo diœces. Benedicti XIV. An in his casibus universis locum habeat actualis degradatio, juxta istorum pragmaticorum principia pertinet ad facti disputationem, quæ ab laudatorum monumentorum interpretatione penderet. Jam superius ego tradidi, nihil de degradatione actuali ex caussa pervicaciæ expressum intelligi posse in dicto cap. 10, de judiciis. Adnotavit quoque Benedictus XIV, loco citato num. 8, nullibi mentionem fieri degradationis actualis ex caussa sortilegii, imo et observavit, in pontificiis, quas passim laudant constitutionibus, nec mentionem fieri degradationis ex crimine bigamiæ (verius forte id repeteretur ex cap. 1, de bigamis in 6): adeo verum est, pragmaticos in suis ipsis jaciendis principiis, gravissime in re facti erravisse. Ceterum etiamsi reciperetur pragmaticorum generalis opinio, dum tradunt, non licere episcopo ad degradationem actualem devenire, nisi quibus in casibus in jure expressum est, certæ statuendæ forent regulæ, ut etiam ratio habeatur æquipollentium formularum.

Quoties hæc opinio recipienda foret, statui posset veluti generalis regula, qua tradatur, quibus in casibus præcipitur simpliciter et absolute, ut clericus deponatur, abjiciatur, de gradu cadat, aut similibus verbis concepta formula adhibetur, verbalem tantum depositionem intelligi, idest eam tantum, quæ sit ab ordine. Reddi ratio posset ex eo, quod exercitio sacrorum ordinum est jus in clero dignissimum, a quo in infligendis pœnis initium sumebatur, ut ab eo primum clericus arceretur, can. 16, dist. 28, can. 65, cau. 11, qu. 3, cap. 2, de cler. pugnant. in duel., si certa temporum adjuncta excipias, quibus cum clerici ob avaritiam magis vererentur,

ne a beneficiis caderent, primum debuerunt a beneficio excludi can. 2, dist. 28, cap. 24, de accusation. exempla depositionis simpliciter indictæ multa apud veteres extant, uti in can. 2, dist. 36, can. 3, dist. 44, can 7, dist. 45, can. 3, 5 et 6, dist. 46, can. 15, dist. 51, can. 4, dist. 91, can. 11 et 44, caus. 11, qu. 1, can. 13, 19, 20, 35 et 41, can. 12, qu. 2, can. 1, caus. 15, qu. 2, can. 1, caus. 21, qu. 2, can. 19, cau. 22, qu. 5, can. 29, cau. 23, qu. 8, can. 13, cau. 28, qu. 1, can. 3, de pœnit. dist. 6, can. 25, de consecr. dist. 1, cap. 8, de vita et honest. cler., cap. 4, de jurepatr., cap. 5, ne cler. vel monach., cap. 5, de cler. percuss., et cap. 3, de cler. excomm. ministr. Sane locum habet hæc regula, quoties expresse definiatur, clericum a majore ordine deponi retento minore, uti in cap. 8, de homicidio aut retento, receptove beneficio, cap. 2, de cler. pugn. in duell., siquidem nemo rite in quocumque ordine ministrat, aut beneficium tenet, nisi clero sit adscriptus. Idem dicendum est ratione habita clericorum, qui olim post depositionem peregrina communione donabantur, cum in hac adhuc agnosceretur, participatio quædam obventionum ecclesiasticarum, ad quandam imaginem recentium beneficiorum. Postquam autem exolevit communio peregrina, et in hujus locum suffecta est statio pœnitentiæ in collegiis clericorum, aut monachorum, dici etiam potest, clericum ita depositum, ut intra septa clericalis collegii et monasterii claudatur, adhuc in clero consistere, cum in hac specie adhuc remaneat sub cura et custodia cleri, can. 8 et 10, cau. 40, qu. 1, cap. 6, in fine de homic., cap. 12, de pœnit. et remiss., cap. 6, de pœnis, cap. 4 et 27, in fine de excess. prælatorum. Post editas pseudodecretales ab Isidoro cum fuerit inductum, ut post pœnitentiam depositis clericis indulgentia, et restitutio concederetur in certis criminibus, obtinere etiam debuit, ut in eisdem delictis indicta depositio, tantum ab ordine, et officio indicta intelligeretur, veluti in criminibus incontinentiæ, uti liquet ex can. 15, dist. 81, qui est Gregorii VII, ex can. 16, dist. 81, qui est Alexandri II, ex can 5, dist. 82, incerti quidem, sed non antiqui auctoris, quæ monumenta sunt recentiora Isidoro Mercatore, et ex quibus derogatum est veteribus canonibus, quibus omnimodo depositio indicebatur, can. 13, dist. 81. Obiter hoc in loco notari potest, ex his omnibus caussis factum esse, ut quamquam suspensionis censura in iis juribus versetur, in quibus versatur depositio, nunquam tamen suspensionem inflictam fuisse a privilegio fori, propterea quod suspensus adhuc retineat jura ipsa ecclesiastica, a quibus suspensus est, tantum exercitione interdicatur, spe facta, ut, cum se emendaverit, aut purgaverit, absolvatur.

E contrario cum veteres canones pœnam depositionis inferentes tali formula concipiebantur, quæ non simpliciter et absolute depositionem exprimeret, sed idoneis verbis ad significandam saltem ex æquipollenti depositionem ab omni jure, tum sane non verbalis indicta depositio, sed actualis degradatio videbatur. Hujusmodi erant illi in primis, quibus decernebatur, ut quis *penitus* ejiceretur, ut in can. 23, caus. 3, qu. 1, et in can. 3, caus. 3, qu. 5, vel ut quis *omnino* caderet de gradu, ut in can. 21, cau. 11, quæst. 1, quomodo enim *penitus*, aut *omnino* deponeretur, qui fori privilegium adhuc retinuisset? Hujusmodi erat secundo, quoties depositus dicebatur *curiæ tradendus*, uti legitur in can. 8, cau. 3, qu. 4, can. 18 et 31, cau. 11, qu. 1, et quamquam proprie apud veteres tradere aliquem curiæ, significabat, non tradere aliquem magistratibus publicis puniendum, sed aliquem humilibus curiarum officiis addicere, nihilotamen minus istud ipsum a foro ecclesiæ clericum depositum dejiciebat. Agitur in laudatis canonibus de delicto gravi ecclesiastico, contra quod pœnæ publicæ civilibus legibus statutæ non fuerant, atque ecclesiasticæ disciplinæ rigor postulabat, ut reus penitus a clero, idest etiam a clericali foro, ejiceretur. Fateor quidem, istos canones e penu Mercatoris fuisse depromptos; verum fundamentum habent in genuinis antiquis constitutionibus, editis eo tempore, quo hæ formulæ congruebant. Laudo inter ceteras legem 39, lib. 16, tit. 2, cod. theodosiano, ubi ita legitur: *Quemcumque clericum indignum officio suo episcopus judicaverit, ab ecclesiæ ministerio segregaverit, aut si qui professum sacræ religionis sponte dereliquerit, continuo sibi cum curia vindicet.* Tertio etiam censeo, fori privilegio exutum fuisse clericum ita depositum, ut diceretur anathemati etiam subjici, quemadmodum legitur in can. 5, caus. 11, qu. 3, id enim significat nomen anathematis, quod execratio erat, et clericum penitus a ceterorum consortio eradicabat. Non absimilis species est, si omisso anathematis nomine, similis formula, aut etiam gravior adhibita deprehendatur, veluti cum decretum est, ut reus clericus *tanquam membrum putridum ab ecclesia abscindatur*, quemadmodum legimus in cap. 15, de excess. prælat., qua enim ratione potest adhuc privilegii foro gaudere, qui veluti putridum membrum a clericorum corpore decisus est? Idem dicendum est, cum dicitur, clericum *modis omnibus excommunicandum esse*: etenim hæc formula significat, nihil omnino remanere juris clericæ communionis, quod evidenter ostenditur ex cap. 2, de cler. exc.

ministr., ubi statuitur, ut *modis omnibus excommunicetur*, clericus, qui post depositionem contumax fuerit. Quarto præterea puto, indictam esse depositionem totalem etiam a privilegio fori, quoties deposito clerico pœnitentia indicitur, non quidem implenda in conventu clericorum, aut monachorum, sed inter laicos, quod præsertim verum est, si de canonibus antiquis, et editis ante Mercatoris epistolas agatur: siquidem quid juris, aut privilegii clericalis superest clerico, qui ne dum a cleri communione eliminatur, sed et a generali communione laicorum excluditur, et jubetur esse contentus ea communione, quæ laicis pœnitentibus conceditur? Id perspicue colligitur ex can. 9, dist. 28, ubi postquam mandatum est, ut deponatur sacerdos matrimonium contrahens, amplius jubetur, ut sacerdos adulterium, aut fornicationem admittens et deponatur, et pœnitentiæ publicæ inter laicos subjiciatur, tanquam reus delicti gravioris. Consonat his can. 3, dist 81. Idem præterea dici potest, quoties clerico indiceretur pœnitentia in monasterio peragenda, ita tamen ut reus in eodem monasterio laicorum tantum more recipiatur, uti in can 7 et 10, dist. 50, atque in can. 30, caus. 23, qu. 8. Quinto, quoties in canonibus talis formula adhibetur, qua significatur, ecclesiasticum ordinem nulla ratione pati clericum certi criminis reum, minime dubitarem, quin clericus jubeatur a quocumque etiam fori privilegio cadere. Exemplum esse potest in can. 1, dist. 48, ubi hæc formula legitur: *præcitabitur de statu cleri.* Denique nec dubito, sermonem fieri de degradatione denegato etiam privilegio fori, quoties præter depositionem clerico infamia irrogatur. Non laudo in hanc rem, aut canonem 22 et 34, caus. 11, qu. 1, aut canonem 2, de pœnit. dist. 6, veluti apocryphos, sed potius capitulum 3, de crimine falsi, ubi deposito clerico inuritur singularis infamiæ nota. Revera fori privilegium honoris caussa clericali conditioni concessum fuit. Quænam vero honoris superesse potest ratio, ubi nota infamiæ inusta est? argumento l. 3, cod. de re militari.

Jamvero ad persequenda generalia depositionum præcepta revertamur. Pronunciata depositionis sententia, si totalis sit depositio, reus non fruetur amplius temporalibus ecclesiæ bonis, et quæ inde forte perceperit, omnino restituet, can. 44, cau. 2, qu. 7, item privilegio clericali exuetur in iis speciebus, quibus superius dictum est, atque impedietur, ne ad superiores ordines ascendat, quousque cum ipso ex clementia non dispensetur, can. 2, in fine de pœnis in 6. Non tamen onere, aut recitationis divini officii, aut continentiæ, quam professus est, servandæ erit immunis, argumento capituli 61, de reg. jur. in 6. Præterea deposito gravis imponi solet pœnitentia, aliquando etiam pro admissi qualitate perpetua; ita ut modo ad certum tempus, modo usque ad finem vitæ ab eucharistiæ sacramento arceatur, can 7, 13, 14 et 19, dist. 81, can. 7, cau. 1, qu. 1, can. 9, cau. 30, quæst. 1, can. 2, de pœn. dist. 6, cap. 6, de pœnis, cap. 12, de pœnit. et remiss., nisi quædam adjuncta paulle mitius cum reo agendum postulent, argumento canonis 13, dist. 55, et can. 10, cau. 11, qu. 3. Hæc ratio est, quare cum depositis vario ratione actum fuisse, ex canonibus etiam vetustis deprehendatur, can. 24, ex apostolicis, tota fere dist. 81, apud Gratianum, can. 10, cau. 11, qu. 3, can. 9, cau. 30, qu. 1, can. 2, de pœnit. dist. 6, cap. 4, de excess. prælat., cap. 10, de purgat. canon., cap. 12, de pænit. et remiss. Quandocumque vero depositus pertinax sit, et in crimine perseveret, excommunicatione, aut etiam anathemate plecti potest, can. 10, dist. 50, canon. 7, cau. 1, qu. 1, canon. 5, cau 11, quæst. 3, cap. 10, de judiciis, cap. 1 et 2, de cleric. excomm. ministr.

Quod si damnatus conqueratur, aut irritam, aut injustam depositionem fuisse, in jure demonstret, erit omnino restituendus, can 65, cau. 15, qu. 5, can. 52, cau. 16, qu. 1, adhibito etiam solemni ritu sacrorum symbolorum, si in depositione ablata fuissent, can. 65, can. 11, qu. 3, quemadmodum etiam legitur in pontificali. Non opus est hac in re, ut regulas explicem ad distinguendos casus, quibus modo irrita, modo injusta depositio dicatur. Dixero generaliter, eas ipsas regulas custodiri oportere, quas superius expendi in distinguendis censuris injustis, a censuris irritis, exceptione tantum adjecta in ea parte, qua censuræ irritæ etiam dicuntur, ubi omissæ fuerint solemnitates præstitutæ in cap. 1, de sent. excomm. in 6. Cum enim hoc decretum singulare sit, et tantum de censuris editum, non extenditur ad depositionem, quæ sub censuræ nomine non comprehenditur, cap. 20, de verb. signif. Porro ergo non dubito, eum ipsum episcopum, qui ad irritam vel iniquam depositionem devenit, aut sponte facti errore cognito, aut mandato superioris, ad quem devoluta caussa fuerit, damnatum restituere posse et debere; pertinet enim ea restitutio ad cœpti judicii integritatem, cujus postrema executio ordinariorum auctoritati maxime congruit, cap. 8, de crimin. falsi. Ita habetur in pontificali sub titulo: *ordo suspensionis et restitutionis.*

Quid vero, si justa depositio fuerit, et depositus demisso animo post emendationem, exactamque pœnitentiam petat, ut ex dispensatione in gradum pristinum restituatur? Certum est, sola pœnitentia pœnam depositionis irritam non fieri, can. 2, caus. 15, quæst. 5,

can. 1, § *licet* de pœnit. dist. 6, sed totum pendere ex gratia, atque indulgentia, seu di spensatione pontificali. Sacri canones antiquissimi vetuerunt, ne clerici post depositionem restituerentur, ne peracta quidem pœnitentia, can. 3, dist. 62, can. 6, 7, cau. 11, qu. 3, cap. 8, de dolo et contum., cap. 7, de raptor, can. 29, immo et multis canonibus, qui habentur in dist. 50, apud Gratianum, dummodo insuper habeas quædam monumenta, quæ deprompta sunt ex collectione Isidori Mercatoris, aut ex aliis obscuris auctoribus. Erat hæc generalis juris disciplina, a qua episcopi, quibus ea potestas cxpresse sublata erat, dispensare non poterant, atque ideo ab uno pontifice maximo dispensatio erat impetranda. Verum aliter obtinere cœpit post decretales Mercatoris, non quidem generaliter, sed in quibusdam tantum criminibus, quæ utut gravia, in conspectu tamen graviorum *minora* appellata fuerunt ab Alexandro III, in cap. 4, de judiciis. Duæ in hac re statui regulæ possunt. Prima est, integram mansisse veterem disciplinam, ubi ageretur de irregularitatis nota ex eo crimine inusta, ex quo quis depositus fuerit. Etenim irregularitas erat juris impedimentum, quo potestas episcopi in ordinatione ministrorum legibus coercebatur. Frustra enim latæ fuissent irregularitatis leges, si eas potuisset episcopus pro arbitrio dissolvere. Altera regula est, depositum ex crimine mere ecclesiastico potuisse ab episcopo restitui, ubi non omnino depositus esset, sed retinuisset certa jura, veluti fori privilegium, si vero depositus esset ex crimine publico, et aut tradendus esset clericus, aut traditus jam esset curiæ sæculari puniendus, dispensationem episcopi locum habere non potuisse, uti in criminibus maxime atrocibus; e contrario posse episcopum dispensare, ubi crimina non essent atrocissima. Quandonam hæc vera forent, jam superius diserte expendi in tradendo discrimine inter depositionem, uti vocant, verbalem, atque actualem degradationem. Siquis disputationis caussa opponeret canonem 22, dist. 50, ad demonstrandum, apud veteres locum etiam fuisse dispensationi episcopali, observet ille, agi ibidem de eo, qui non depositus fuerat, sed deponi ob admissum delictum potuisset, qua in re dispensatio episcopi eo potius pertinebat, ut non deponeretur clericus, quam ut semel depositus pristinum gradum recuperaret. Immo et siquis de hoc genere dispensationis interpretari mallet alios canones etiam Mercatore recentiores, minime repugnarem, qualis est canon 5, dist. 82, canon 13, caus. 26, quæst. 5, capitulum 4, vers. *de adulteriis vero* de judiciis, et capitulum 1, de cleric. pugnant. in duello. Si iterum opponeretur can. 10, vers. *quem quidem* dist. 50, observandum foret, ibidem agi non de deposito, sed de suspenso clerico, licet enim dicatur clericus *ordine privatus*, hæc tamen formula suspensionem indicare potest, cum opponatur alteri sequenti formulæ *irrevocabiliter depositi*, quæ veram depositionem significat.

Caussæ, ex quibus necessario debet restitutio fieri, sunt, cum depositio irrita est, vel injusta, can. 13, dist. 50. Caussæ e converso, ex quibus is, ad quem pertinet, facilius dispensationem indulget, non tamen indulgere tenetur, can. 1, vers. *licet* de pœn. dist. 6, sunt in primis voluntaria criminis confessio, can. 5, dist. 82, deinde emendatio, can. 2, caus. 21, quæst. 2, item pœnitentia, aut satisfactio, can. 10 et 28, dist. 50, aut etiam utilitas publica, pro ut singularia vel temporum, vel locorum adjuncta postulant, uti liquet ex tota fere dist. 50. Difficilius dispensatio indulgetur in criminibus qualis est hæresis, can. 1, 2, 3, 12, dist. 50, can. 39, caus. 24, qu. 1, crimen eorum, qui magos, aruspices, et incantatores sequuntur, can. 5, caus. 26, quæst. 5, crimen falsi regii, c. 3, de crim. falsi, crimen raptus, cap. 2, de raptor. verbo *irreparabiliter*, violatio depositionis, cum clericus non obstante depositionis sententia ministraverit, can. 6, dist. 50, can. 6, 7, caus. 11, quæst. 3, frequens incontinentia, can. 9, dist. 50, oppositio criminis ordini clericali, quod ut plurimum irregularitatem inurit, can. 4, 5, 6, dist. 50, et generaliter gravis contumacia, et pervicacia in crimine, cap. 8, de dolo et contumacia in illis *sine spe restitutionis*. Adjici his possunt facilitas delinquendi, canon. 1, et can. 30, dist. 50, ac timor, ne pœnitentia sit ficta, canon. 23 et 25, dist. 50

CAPUT II.

De irregularitate, et primum de hujus notæ natura.

Sunt pro universis sacramentis constitutæ leges, quibus fiat ut non omnes ad eadem suscipienda rite admittantur. Plures autem numero sunt præ ceteris sacramentis, quæ dictæ fuerunt aut pro suscipiendo ordine, aut pro celebrando conjugio, propterea quod hæc duo sacramenta non tam privatum, quam publicum bonum spectant, quamobrem conferri invicem aliquando potuerunt, cap. 2 et 4, de translat. episc. impedimenta illa plurima, quibus quis arcetur ab ecclesiæ ministeriis et ordinibus, appellantur generali nomine irregularitatis, quasi contra regulas ordo conferatur illis, qui eisdem impedimentis detinentur. Ecquidem si de nomine irregularitatis sermo sit, non est istud sæculo duodecimo antiquius, siquidem nullibi legitur præcedentibus sæculis usurpatum. Primum adpa-

ret apud Innocentium III, in cap. 10, vers. *non tamen* de renunciat., in cap. 6, de renunciat., in cap. 6, de bigam. non ordin., et in cap. 33, de testib. et attestat. Ceterum irregularitas ipsa, sive impedimenta ordinum vetustissima sunt, atque ab ipsa apostolica ætate constituta, quando scimus, apostolum Paullum in epist. 1, ad Thimoth., cap. 3, et in epist. ad Titum, cap. 1, varias recensuisse conditiones, quibus qui præditus non foret, ad clerum minime admitteretur. Exemplum apostoli secuti fuerunt successores Antistites, qui prout utilitas ecclesiarum postularet, plura adhuc ordinum suscipiendorum impedimenta induxerunt. Veteres illi patres hisce, aut similibus fere formulis designare solebant irregularitatem, videlicet statuentes ex. gr., aliquem clericum esse non posse, can. 1, dist. 33, can. 8, 13, 14, dist. 34, can. 13, dist. 55, non promoveri ad ordines, can. 2, 4, dist. 33, can. 9, 10, dist. 34, cap. 1, 2, de cler. non ordin. min., non ministrare altari, can 3, 7, dist. 33, can. 11, 12, dist. 34, cap. 24, de homicid., cap. 3, de eo, qui furtive, aut statuentes, ut perpetuo alicui interdiceretur officiis ordinum, aut ab eisdem officiis removeretur, can. 5, d. 33, cap. 10, de homicid., aut statuentes, ut quis nonnisi ex gratia, ex indulgentia, ex dispensatione ad sacros ordines admitteretur, hæc enim formula supponebat, generali jure ordinationem impediri, can. 7, 18, dist. 34, cap. 12, 19, de homicid, cap. 2, de cler. pugnant. in duel., cap. un. de cler. per salt. prom., cap. 2, de eo qui furtive, cap. 2, de cler. non ordin. ministr. Fateor quidem, nonnullas ex his formulis et depositioni, et suspensioni aliquando fuisse communes, sed aut ex canonum contextu, aut aliorum, qui invicem conferri poterant, canonum formulis clarior emergebat interpretatio, qua irregularitas a depositionis, et suspensionis sententia secerneretur, quod cum ad naturam irregularitatis attendatus, tum facili negotio percipietur.

Itaque irregularitatem definire possumus impedimentum quoddam legitimum, quo quis neque ad ordines, officiave ecclesiastica admitti potest, neque in susceptis ordinibus, atque officiis ministrare. Dixi in primis impedimentum, ut statim intelligeretur, irregularitatem multum distingui a censuris, immo nec proprie per se esse pœnam, quandoquidem irregularis esse potest etiam qui nullum omnino crimen admisit, quamquam pœnæ loco revera sit irregularitas, quam ob crimen indicitur. Si qua esse potest in hac re dubitatio, tota eo spectat, ut designentur discrimina, quæ intercedunt inter irregularitatem, atque inter vel censuram suspensionis, vel pœnam depositionis; siquidem cum ceteris censuris, aut pœnis vix aliquid esse potest irregularitati commune. At enim distinguitur a censura suspensionis irregularitas in eo, quod censura suspensionis tempore circumscribatur, atque absolutione deleatur, irregularitas vero perpetua sit, et nonnisi dispensatione tollatur. Multa quoque sunt, quorum caussa distat irregularitas, et a censura suspensionis, et a pœna depositionis. Et primo certum est, seu suspensionis censuram, seu depositionis pœnam ex crimine tantum indici, irregularitatem autem etiam sine crimine pluribus in casibus contrahi. Deinde etiamsi irregularitatis species illas perpendamus, quæ ex crimine proficiscuntur, et proprie pœnæ sunt, adhuc tamen inveniemus et a censura suspensionis, et a depositionis pœna distinctas. Si caussas consideremus, longe plura crimina sunt, quibus aut censura suspensionis, aut pœna depositionis imminet, quorum multa arbitraria sunt, id est arbitrio judicis ea censura, vel pœna plectenda; pauciora sunt, et abs jure definita illa crimina, quibus imminet irregularitas. Immo observatur adhuc, a censura suspensionis, et a pœna depositionis jure indicta ignorantiam excusare, aut similes caussas, modo inanes non sint, aut affectatæ, contra quam vigeat in irregularitate, a qua neque invincibilis ignorantia excusat. Item, ut depositio inferiatur, ut plurimum crimen esse publicum debet, et probatum in judicio, irregularitas autem etiam ex occulto crimine contrahitur, cujus rei argumento est, quod depositio fere semper requirat sententiam judicis, non irregularitas, quam semper juris potestate inuri nemo ignorat; unde fluit, sicut suspensionem, ita et depositionem aliquando esse posse, aut irritam, aut injustam, quod nunquam contingit in irregularitate. Si effectum inspiciamus, constat, aliquando cum deponi, qui jam erat irregularis, cap. 6 in fine, cap. 7, de homicid., cap. 1, de cler. pugn. in duel., cap. 8, de dolo, et contum., cap. 13, de vita et honest. cleric., juncto, cap. 1, de sentent. et re judic. in 6, et c. 1, de sentent. excomm. in 6, qua in specie depositio nihil aliud est, quam sententia quædam judicis clarius executioni mandans, quod in jure statutum est, atque exprimens effectus irregularitatis. Quod si pergamus comparare invicem cum irregularitate et suspensionem, et depositionem, varii statim occurrent, et suspensionis, et depositionis gradus, ex quibus fit, ut clericus modo in universum ab omnibus ministeriis, abjiciatur, modo tantum ab aliquibus; at irregularitas individua est, et ab omni jure sive adepto, sive adipiscendo excludit. Quando vero dicitur, irregularitatem partialem in jure indictam non reperiri, singulares quædam observandæ sunt regulæ exceptiones. Nimirum non inde repugnat, quominus ex dispensatione caussa necessitatis, vel utilitatis ecclesiarum; aut etiam

clementiæ in certos clericos exhibendæ, quandoque clerici ad certos suscipiendos ordines, aut ad certorum ordinum susceptorum exercenda officia admittantur, quin ad sublimiores ordines ascendere permittantur, aut etiam admittantur ad beneficia alicujus generis, ex. gr. minora obtinenda, aut retinenda ex quadam indulgentia, non vero admittantur ad consequenda beneficia majora, sive dignitates, aut prælaturas, aut novis donari nequeant beneficiis. Exempla prostant in can. 4, dist. 33, can. 17, dist. 24, can. 68, dist. 50, can. 4, 5, dist. 51, can. 1, caus. 1, quæst. 5, cap. 59, de elect., cap. 1, 2, 3, 4, de fil. presbyt., cap. 1, eod. tit. in 6, cap. 2, qui cler. vel vov., cap. 4, de corp. vitior., c. 2, de cleric. ægr., cap. 4, de cleric. percuss., cap. 12, de homicid. Sunt istæ singulares dispensationes, utut a generali jure profluentes, quæ rei naturam minime immutant, quemadmodum nec immutata dicitur individua irregularitatis natura, cum traditur aliquando prælatum unius ecclesiæ, aut monasterii non posse juxta regulas generales ad aliud monasterium, vel ecclesiam administrandum eligi, canon. 39, caus. 16, quæst. 1, aut eum traditur, non esse ordinandos extraneos, ubi digni diœcesani præsto sunt, nec esse ordinandum prælatum invito populo, canon. 12 et 13, distinct. 61, aut cum traditur, nunquam obtineri posse beneficium illud, quod quis ex hæreticorum precibus impetravisset, cap. 2, vers. *ad hæc* de hæret. in 6, aut cum traditur, aliqua esse beneficia, quæ certis tantummodo personis de certo genere, certave patria concedi possunt, aut a quibus certis clerici excluduntur, argumento cap. 37, de præbend, dicto c. 1 et seq. fil. presbyter., cap. 32, de præb. in 6, cap. 12, de pœnis, Clement. 1, eod. tit., Clement. 2, de vita et honest. cleric., extravag. 1, de postul prælat., et extravag. 4, de præb. int. com., non enim hæc profluunt ex vi cujusdam irregularitatis, sed potius ex certa beneficiorum quorundam natura indita a singularibus statutis fundationum, aut moribus, aut etiam ex singulari lege. Adjicitur his, aliquando evenire, ut quis a certo officio ecclesiastico excludatur, non quod sit irregularis, sed quod non deceat, eum cum illa, qua tenetur, adfectione ad officium accedere, quemadmodum contingit, cum qui labe pecti maculatus est, aut censura notatus; iste enim aut peccati, aut censuræ caussa non arcetur ab ordine, prout ordo est; sed prout est res sacra, vel certa rei spiritualis communio, quemadmodum arceretur ab aliis sacramentis; alias autem irregularitas dicitur, cum quis ab ordine, uti ordine arcetur. Denique, ut omnia paucis complectar, ita distat depositus vel suspensus ab irregulari, quemadmodum remotus tanquam indignus differt ab eo, qui penitus incapax quacumque de caussa declaratur. Revera irregularitas non tam indicitur aut ob pœnam, aut odio illius, qui irregularis dicitur, quam ob conciliandum decus rebus sacris, quas minime convenit tractari ab omnibus sine discrimine; at suspensionis censura, item pœna depositionis tota potissimum eo spectat, ut reus coerceatur, puniatur. Eam ob rem dum suspensio, aut depositio indicenda sit, tota hæc puniendi ratio in arbitrium episcopi collata est, et quidquid vetitum lege est, totum refertur ad personam suspensi, aut depositi; et dum indicitur irregularitas, non tam prohibetur irregularis, ne ad sacra ministeria accedat, quam prohibeatur superior, sive prælatus, ne irregularem sacris officiis per ordinationem addicat; unde fluit, ut a suspensione facilius absolutio, et a depositione restitutio in integrum concedatur episcopi auctoritate, quam concedatur dispensatio ab irregularitate, neque enim venia facilis concedenda est prælatis dispensandi ab eo jure, quo intra certos fines circumscripta fuit eorum auctoritas, ne irritum sit legum interdictum.

Dixi secundo loco, irregularitatem esse impedimentum legitimum, ut indicarem, non nisi lege, aut ea forma, quæ legis vices gerit, induci posse. Hinc receptum est, ex interpretatione capituli 18, de sent. excom. in 6, ut non alias irregularitatis nota inuratur, quam sanctione generalis juris, quod sive a pontifice maximo, sive a generali concilio editum, sive etiam quod generali totius ecclesiæ consuetudine inductum fuerit, argumento Clement. 3, de ætate et qualit. præficiendorum. Eam ob rem hodie insuper habetur, quod olim de singulari alicujus provinciæ consuetudine tradebatur in cap. 6, de cleric. conjug. et in cap. 2, de filiis presbyter. in 2, collectione. Hinc concludi potest, pœnam irregularitatis indictam in vetustis canonibus editis in conciliis minime generalibus, quorum plurimi extant in decreto Gratiani, hodie non vigere, nisi tales canones proponantur, qui sint in universa ecclesia recepti; quod demonstrari posset, aut ex moribus, aut ex rebus judicatis, aut ex obtentis dispensationibus. Et quidem recens hæc disciplina, quæ fundamentum habere cœpit in dicto cap 18, de sentent. excommunic. in 6, certa ratione non destituitur; uti enim caussa irregularitatis indicendæ est cultus in sacrum ordinem deferendus, non aliud jus, quam commune, attendendum erit, ubi est caussa toti ecclesiæ communis: interest præterea in hac parte, uniformem esse ecclesiæ disciplinam, et parum decet, eum in una diœcesi, vel provincia irregularem esse, qui in alia ad sacros ordines facile admittitur. Quod si irregularitas est juris impedimentum, nomen juris rectius tribuitur disciplinæ a generali

ecclesia probatæ, quam singularibus unius, aut alterius diœcesis, vel provinciæ statutis.

Postrema definitionis verba indicant irregularitatis effectus: videlicet is, qui irregularis est, ab officiis sacris sive susceptis, sive suscipiendis arcetur. Quod cum ita sit, frustra indiceretur irregularitas in feminas, aut in masculos necdum baptizatos, utpote qui jam divino jure ab ecclesiasticis muneribus semoti sunt. Atque eadem ratione concludi potest, eum, qui irregularis est, sicut ab ordinibus, ita et a prima tonsura excludi, cum ipsa ad tonsuram admissio supponat eum, de quo spes concipiatur brevi futurum, ut ad ordines promoveatur. At vero de effectibus irregularitatis fusius et clarius in sequenti capite disserendum.

CAPUT III.

De generalibus irregularitatis caussis, et effectibus.

Sunt potius præcepta ecclesiasticæ disciplinæ, quam morum, ea, quæ irregularitatem induxerunt. Quamquam enim verissimum sit, doctrinam morum postulare, ut ii apud Deum intercessorum officio fungantur, sive, quod idem est, sacra obeant ministeria, qui puri sint ab omni labe; dum tamen generale hoc principium certis modis, et rationibus ad singulares species accommodatur, disciplinam sapit; unde fit, ut neque omne crimen, neque omnis labes, neque omnis defectus irregularem faciat, sed tantum crimen illud, labes, vel defectus, cujus caussa canonibus irregularitas indicta fuerit; unde præterea fit, ut tota hæc res vicissitudinibus, seu mutationibus subjacere possit, et quæ caussa aliquando irregularem fecisset, alio tempore irregularem non faciat. Itaque disciplina ecclesiastici juris duas caussas recensuit, ob quas quis a sacris ministeriis rejiceretur, videlicet aut crimen, aut defectum, cap. 14, de purgat. can. crimen, veluti rebaptizationis, defectum, veluti servilem conditionem, vel etiam utrumque, veluti in eo, qui dolo homicidium admisit, quem irregularem facit et crimen ipsum homicidii, et defectus, ut vocant, lenitatis, qui in homicida deprehenditur. Fateor quidem, cum primum in corpore canonum nomen irregularitatis usurpari cœpit, dici potius consuevisse de defectu, quam de delicto. Etenim antiquiora monumenta, in quibus nomen irregularitatis occurrit, sunt, capitulum 10, vers *non tamen* de renunciat. capitulum 6, de bigam. non ordin., et capitulum 33, de testib. atque in dicto cap. 10, agitur de defectu natalium, quemadmodum in dicto cap. 6 et 33, de defectu sacramenti. Verum si non de nomine quæstio fiat, sed de ipso irregularitatis impedimento, adparebit, non eos tantum qui certo defectu laborant, sed et eos, qui certorum criminum rei sunt, ex sanctione veterum canonum exclusos a divinis ministeriis fuisse, quemadmodum inferius per singularia exempla demonstrabitur. Differunt invicem duæ istæ irregularitatis caussæ, primo, quod defectus etiam involuntarius irregularem faciat, quod de crimine dici non potest: secundo, quod est primo proximum, quod nihil excuset ab irregularitate ex defectu, in irregularitate autem ex delicto quædam esse possint excusationes, illæ nimirum, quæ immunem a culpa reddunt: tertio, quod ubi irregularitas ex defectu proficiscitur, non pœna sit, sed impedimentum, at quæ ex delicto nascitur, et impedimentum sit, et pœna: quarto, quod omnis irregularitas ex delicto tantum finem habeat dispensatione, et irregularitas ex defectu finem habere possit etiam ex aliis caussis, siquidem cessante defectu, etiam cessat ut plurimum irregularitas. Dixi utplurimum, ut indicarem, exceptionem adjiciendam ad regulam, quæ exceptio locum habet, ubi defectus ex voluntate proficiscatur, qualis est defectus lenitatis in eo, qui justo homicidio caussam præbuit, et defectus sacramenti in eo, qui vel viduam uxorem duxit, vel secundas nuptias contraxit.

Quoties irregularitas ex delicto nascitur, regula est, tale delictum esse debere, quod sit grave, sensibile et consummatum, nisi in jure aliter cautum adpareat. Debet esse in primis grave, can. 1, dist. 81, cum irregularitas, quæ in pœnam delicti indicitur, gravis pœna sit, proindeque nunquam pro levi delicto inferenda. Deinde debet esse sensibile, propterea quod ad internos actus, qui sola mente concipiuntur, tenenturque, externa ecclesiæ judicia minime pertinent. Denique debet esse consummatum, quia cum leges pœnæ in crimina dicunt, de criminibus perfectis et absolutis intelligendæ sunt, nisi legum earundem sententia aliud exprimatur, ut mitior, quoad fieri possit, in pœnalibus caussis interpretatio adhibeatur, argumento canonis 4, dist. 51, necnon capituli 5 et 21, de homicidio. An delictum publicum esse oporteat, sive aut publice notum, aut in judicium jam deductum, disputari solet. Sane olim certum erat, in iis criminibus, adversus quæ constituta fuerat irregularitatis pœna, nihil interfuisse, an crimen occultum esset, an publicum, an præterea in judicium deductum: fuit enim semper irregularitas impedimentum juris, quod etiam sine judicis sententia oberat. Non opus est multis ad id demonstrandum, quando viri eruditissimi jam id confecerunt, inter quos Van-Espen in parte 2, juris eccles. univ. tit. 10, cap. 6. Sed a temporibus Isidori Mercatoris, qui, uti dictum superius est, quum de pœna de-

positionis ageretur, clericis utcumque graviorum criminum reis nonnihil indulsit, cœpit hæc disciplina immutari ratione quorumdam criminum, non tamen universorum; siquidem verebatur Mercator, ne si in omnibus criminibus veterem disciplinam immutaret, difficilis admodum executio esset novarum, quas ipse vulgabat, traditionum. Itaque modestius ipse tradidit, posse episcopum in quibusdam criminibus indulgentiam facere, sed reliquit locum disputationibus, in quibusdam criminibus juris relaxatio admittenda foret. Paullatim et sensim scholastici sibi blanditi fuerunt, eo usque ut sæculo duodecimo, quo disputationes scholasticæ aut iniri primum, aut alacrius fervere cœperunt, diversi diversa sentirent, uti legitur in can. 23, dist. 50, atque eamdem ob caussam puto, etiam sacerdoti homicidæ parcere voluisse episcopum illum, quem acriter objurgavit Joannes VIII, in can. 4, dist. 50. Tandem post diuturnas concertationes, opinionumque conflictus receptum est, ut insuper habitis veterum canonum sanctionibus utplurimum permitteretur reis criminum graviorum, si occulta forent, obire sacra officia, dummodo pœnitentiam agerent, cap. 4 et ult. de tempor. ordin. cap. 7, de cohabit. cler. et mulier. ceterum et eo ipso tempore, quo hæc juris relaxatio admitti visa est, in primis exceptio adjecta est in crimine homicidii, quod etiam esset occultum, reum penitus a sacris officiis excludere perrexit, cap. ult. de tempor. ord. concil. trid. sess. 14, cap 7, de ref. quod et ego puto servatum in crimine simoniæ juxta ea, quæ superius suo loco tradita sunt: deinde consilium præbebatur reis criminum occultorum, ne ad sacra ministeria accederent, cap. 6, de tempor. ordin. quamquam præcepto arceri non possent, uti in eodem capitulo legitur. Insuper facultas fieri cepit prælatis regularibus, ut dissentire possent ordinationi suorum subditorum, si forte isti noverint, istos indignos esse sacra ordinatione caussa gravioris alicujus occulti criminis, cap. 5, de tempor. ordin. denique hæc ipsa facultas regularibus prælatis concessa a Lucio III, in dicto cap. 5, fuit similibus fere verbis protracta ad episcopos universos respectu clericorum omnium in concilio tridentino sess. 14, de ref. cap. 1.

Effectus irregularitatis ad duo generalia, et summa capita facile exiguuntur. Primum est, ut irregularis impediatur, ne ad sacra ministeria admittatur; alterum est, ut qui semel rite admissus fuit ad eadem sacra ministeria, ab iis repellatur, quum in irregularitatem inciderit. Multas habet partes hæc observatio; siquidem cum quis arcetur, aut ne sacra ministeria, officiaque suscipiat, aut ne suscepta exequi pergat, et de ordinibus quæri potest, et de beneficiis, quorum non eadem esse ratio videtur, postquam præsertim collatio beneficiorum a collatione ordinum sejuncta fuit. Certum in primis est, non irritam ideo esse ordinationem, quod ordinatus ille fuerit, qui erat irregularis, cap. 10, vers. *personæ* de renunciat. vis enim eorum, quæ jure divine formam acceperunt, qualis est sacra ordinatio, ecclesiastico jure evacuari non potest. Deinde certum est, ordinationem illius, qui ex censura canonum irregularis est, illicitam prorsus esse, adeo ut irregularis ne prima quidem tonsura initiari possit; propterea quod tonsura actus ecclesiæ sit, quo quis proxime ad ordines præparetur; inane autem sit præparari eum, quem sacri canones ab ordinibus arcent. Hinc fit, ut irregularis ordinatus nec jure, nec rite possit in adepti ordinis officio ministrare, pœnis gravibus coercendus, si forte ministrare ausus fuerit, cap. 1, et passim de cler. excom. ministr. excipe tamen extremæ necessitatis casum; nam irregulari sacerdoti licebit baptismatis sacramentum, non tamen solemniter, tunc ministrare, qua in specie non tanquam sacerdos, sed tanquam laicus baptizans habebetur; item licebit sacramentalem absolutionem, ubi alterius sacerdotis copia desit, impertiri, argumento, cap. 7, sess. 14, in concilio tridentino. Atque hæc, quæ de exercitione ordinum dicta sunt, locum etiam habent universa, quoties irregularitas post ordinationem supervenerit. Quod si agatur de beneficiis, quæ concedantur irregulari, distinguendum est inter beneficia jurisdictionem adnexam habentia, atque inter ea, quibus nulla cohæret jurisdictio. Quotiescumque nulla beneficii cohæreat jurisdictio, irrita omnino erit, et sine ullo prorsus effectus beneficii collatio, adeo ut institutus nullum in fructus beneficii jus nanciscatur, imo nec admittatur ad resignandum beneficium in gratiam alterius, propterea quod jure eligendi etiam destituatur, cap. 18, in fine de sent. excom. in cap. 6, de corpore vitiatis. Hinc deducitur, irregularem, qui beneficium contra canones sit adeptus, ne præsentare quidem posse, si forte beneficio ecclesiasticum juspatronatus cohæreat, c. ult. de excess. prælat., quamquam aliud servetur in jurepatronatus laico, utpote quod a sacro ordine minime pendeat. At si beneficiis jurisdictio cohæreat, certum est, etiam licite eam jurisdictionem exerceri, quoties urgens sit jurisdictionis exercendæ necessitas, uti modo traditum est sacramentali absolutione. Quando vero urgens necessitas non sit, illicite exerceri jurisdictionem certissimum est, dicto, cap 6, de corp. vitiat., cap. 20 et 22, de elect. concil. trident. sess. 14, de ref., cap. 7. Tantum dubitari posset, an nulla omnino jurisdictio sit, ac propterea actus inde proficiscentes omni effectu careant. Ego non puto, jurisdictionis

actus irritos reddi, nisi crimen esset publice notum, ne alias occasio detur fidelibus dubitandi de vi sacramentorum a sacerdotibus occulte criminum reis perceptorum, quod sane probatur apertissimis canonum monumentis, cap 22, de electione, c. 7, de cohabit. cler. et mulier., cap. 10, de cler. excom minist Quod si clerico ordinato irregularitas superveniat, clericum eundem ab officiis sacris abstinere oportere certum est; non tamen semper abstinere oportebit a commodo beneficii. Vel enim quis irregularis est ex uno defectu, cui nulla culpa, aut dolus caussam dederit, vel irregularis est ex culpa, vel dolo. Si primum, adhuc admittetur clericus ad fructus beneficii dato coadjutore, qui munera sacra obeat, quasi beneficium illud non tanquam verum beneficium, sed tanquam præstimonium ad relevandas clerici necessitates habeatur, cap 1, et toto tit. de cler. ægrot., cap. un. eod., tit. in 6. Si alterum, regula generalis est, clericum ab omni jure beneficii cadere, cap. 10, de excess. prælat ita ut beneficium illius tanquam vacans ab alio impetrari queat. Non tamen diffiteor, quin quandoque ex dispensatione reis permittatur, ut beneficio, aut in totum, aut in parte, fruantur, præsertim si eos pœniteat, iidemque veniam ab ecclesia mereantur, uti liquet in conspectu capituli 3, ne clerici vel monachi, cap. 2, in fine de cler. pugn. in duel, cap. 2, de cler. non ord. ministr. Quæri adhuc potest, utrum irregularitas eum pariat effectum, ut clericus omni clericali privilegio exuatur. Nullibi id reperitur generaliter cautum proindeque concludendum erit, clericum irregularem factum a sacro quidem officio, aliquando etiam a beneficio cadere, non vero a privilegio seu fori, seu canonis. Exceptio est perspicua in cap. un. de bigamis in 6, in ea irregularitatis specie, quæ oritur ex bigamia, cujus caussa clericus et a foro cadit, et a privilegio canonis, ob verba illa generalia concilii lugdunensis *omni privilegio clericali decernimus esse nudatos, et coercitioni fori sæcularis addictos.* Similem quoque exceptionem adjecisse videtur Alexander III, in clerico, qui incidit in apostasiam, sive qui relicto ordine clericali et habitu suo tanquam laicus conversatur, cap. 1, de apostatis. Verum ego vereor, ne ista quidem pœna sit apostatæ clerici, attamen ab irregularitatis pœna sejuncta, cum nullibi appareat, clericos militiæ ecclesiasticæ desertores fieri eam unam ob caussam irregulares. Idipsum dicendum est in conspectu capituli 23 et 25, de sent. excom. ubi privilegio canonis declarantur exuti post tertiam monitionem, qui habitu ecclesiastico derelicto arma militaria tractavissent, siquidem hæc quoque pœna esse debet apostasiæ, non tamen exinde colligitur, clericos ibidem memoratos irregulares extitisse, dummodo ponatur, clericos illos neminem occidisse, aut mutilasse.

CAPUT IV.

De specialibus irregularitatis caussis, ubi ex defectu proficiscitur.

Huc referendi sunt tituli 14, 17, 18, 19, 20 et 21, lib. 1.

Multiplex a nostris memorari solet defectus, ob quem quis efficitur irregularis. Ut plurimum hisce formulis designari solent universi; vel enim defectus est natalium, vel libertatis, vel corporis, vel animi, vel famæ, vel denique sacramenti.

Defectus natalium olim de iis dicebatur, qui nati essent servi, can. 21, dist. 54, sed hodie proprie dicitur de iis, qui nati sunt ex damnato quocumque coitu, variis nominibus appellati in cap. 10, vers *unde patet* de renunciat., vel *nothi* ex adultera, vel *manzeres* ex prostituta, vel *naturales* ex concubina, vel generali vocabulo *spurii* stupro, incestu, sacrilegio, aliave nefaria conjunctione suscepti. Hæc irregularitatis species ante sæculum undecimum saltem in genere suo fuit incognita. Ecquidem verum est, in toletana provincia singulare illud viguisse, ut filii spurisacerdotum paternæ hereditatis spe omni sublata addicerentur perpetuæ servituti gratia ecclesiarum, can. 3, caus. 15, quæst. 8, sed hoc si singulare fuit in ea provincia, et non diu viguit, et siquæ esse potuit irregularitas, ex servili potius conditione proficiscebatur, quam ex illegitima nativitate. Verum pariter est, in meldensi concilio anni 845, aliquid singulare constitutum fuisse de filiis ex raptu genitis, can. 17, caus. 1, qu. 7, id tamen neque ad ceteros illegitime natos spectabat, neque in ea ipsa raptus specie, esecutioni mandatum fuisse videtur. Jam ego observavi in meis adnotationibus in codicem Gratiani parte 1, cap. 50, meldenses canones paratam executionem non invenisse, quorum nonnulli aut rejecti deinde fuerunt, aut certis conditionibus recepti. Quod si de dicto canone 17, sermo sit, receptus quidem fuit in ea parte, in qua decernebatur pœnitentia raptorum, non vero in ea, in qua filii ex raptu geniti dicti fuerunt irregulares. Revera prior pars confirmata reperitur in capitulari Caroli Calvi anni 846, uti liquet ex cap 67, ejusdem capitularis, omissa posteriore parte, quamquam posteriorem hanc partem in sua electione deinde inseruerit Regino Prumiensis, lib. 1, cap. 415 et 416, quem deinde sequi non dubitaverunt recentiores canonum collectores. Primum ea irregularitatis species obtinuit sub finem sæculi undecimi in filiis sacerdotum ex definitionibus concilii pictaviensis,

Urbani II et Alexandri II, can. 1 et 12, dist. 56, cap. 1, de filiis presbyt., deinde paullatim ad omnes traducta, qui ex improbata conjunctione nascerentur, etiamsi de iis ageretur, qui nati essent ex justis nuptiis, eo tamen tempore geniti, quo dissociati conjuges fuissent post solemnis continentiæ voti professionem, cap. 4 et 48, eod. tit., cap. 7, 20 et 25, de elect., dicto cap. 10, de renunciat. Nihil autem refert, an illegitima nativitas occulta sit, an publica; tantum si occulta fuerit, singulare est, ut facilius dispensatio obtineatur, præsertim si qui eo impedimento detinetur, jam fuerit ordinatus, can. 14, dist. 56, dicto cap. 10, de renunciat. Non una fuit novæ hujus inducendæ irregularitatis ratio; in primis enim decebat, in ordine ecclesiastico servari decus, quod non parum labefactari videbatur, si ad illum promiscue admitterentur, quorum origo foret obscura æque ac vitiosa; deinde decebat, ea ratione parentum libidinem magis magisque damnari: præterea videbatur magis consultum ecclesiarum utilitati, quum excluderentur a sacris officiis ii, de quibus suspicio suboriebatur facile futurum, ut paterna exempla sequerentur, argumento canonis 50, dist. 56. His accessit singularis ratio de filiis sacerdotum, ne ecclesiæ, et beneficia hereditaria censerentur, dum de parentibus in filios transferentur, ex quibus omnibus rationibus factum est, ut difficilius in sacerdotum filiis, quam in ceteris, difficilius in spuriis, quam in naturalibus, difficilius in iis, qui paterni sceleris imitatores videntur, quam in aliis, difficilius denique ad obtinenda paterna, quam alia beneficia, seu ad ministrandum in ea ecclesia, in qua parentes ministrant, quam in alia dispensetur, in cap. 10, vers. *non tamen* de renunciat. cap. 13, qui fil. sint legit., cap. 14, 15, 16, 17, de fil. presbyt., cap. 2, de corp. vitiat., concilio tridentino, sess. 25, de reform., cap. 15. Inde tria veluti principia posita sunt. Primum est, omnes illegitime natos irregulares esse ob suspicionem imitationis paternæ incontinentiæ, quod vitium a ministris suis perpetuo avertendum ecclesia optimo jure curavit. Alterum est, exemplo hujus criminis similem jurisprudentiam etiam observatam fuisse in quibusdam aliis, veluti in filiis hæreticorum, cap. 15, de hæret. in 6, et in filiis eorum, qui vexaverint cardinales, cap. 5, de pœnis in 6, et in filiis patronorum, qui beneficiarium clericum occiderint, cap. 12, de pœnis, etiamsi legitimi sint. Aliqui adjiciunt filios judæorum, argumento canonis 31, caus. 17, quæst. 4, falso tamen; etenim ibi sermo est de judæis necdum baptizatis, item de officiis publicis non gerendis abs judæo, quorum officiorum nomine minime veniunt in eo canone sacri ordines, ac divina ministeria. Postremum est, si agatur de filio sacerdotis etiam legitimo, hunc nullo modo immediata successione obtinere posse beneficium defuncto patre, quod pater ipse dudum obtinuisset, propterea quod minime deceat, beneficia ecclesiastica quoquo modo fieri hereditaria, can. 7, caus. 8, quæst. 1, cap. 7, 10, de fil. presbyter., cap. 3, de sentent. et re judic. in 2, collectione; atque ob eandem caussam non posse, aut pensiones obtinere ex paternis beneficiis luendas, aut ex paterna renunciatione beneficium adquirere, ne alias fraus fiat collationibus beneficiorum, concilio tridentino, cap. 5, sess. 25, de reform. in fine. An vero filius obtinere possit beneficium distinctum a beneficio paterno in eadem ecclesia, quæstio est distinctione adhibita dirimenda. Siquidem alia legitimorum liberorum est ratio, alia illegitimorum. Legitimi liberi poterunt in eadem ecclesia sine injuria canonum ministrare, cap. 12, de fil. presbyt., non item illegitimi, concilio tridentino, sess. 25, de reform., cap. 5, ne forte præsentia filii illegitimi una cum patre in eadem ecclesia ministrante, videatur paternum crimen assidue pandere.

Defectum libertatis non solum intelligimus esse in iis, qui servi dicuntur, sed et in iis, qui aut curiæ, aut militiæ addicti sunt, aut rationibus reddendis obnoxii, aut conjugii vinculo detinentur. De servis non ordinandis sine consensu domini vetustissimi canones extant, can. 81, inter apostolicos, can. 1, et passim dist. 54, quibus consonant recentiores definitiones, cap. 1, et toto titulo de servis non ordinandis, qua in re accuratissima fuit ecclesia, quæ aliquando in consecratione episcoporum, voluit eosdem specialiter monendos his verbis: *Vide, ne quemlibet servilis conditionis ad ordines promovere præsumas*, cap. 5, de serv. non ordin. Hujus irregularitatis indicendæ caussa primum ea fuit, ne minus honeste videretur inter ecclesiasticos administros adscribi humilis servi persona, can. 6 et 21, dist. 54, cujus rei argumento est, quod dicitur in cap. 3, de serv. non ordin. *ex necessitate temporis quandoque fieri*, ut servi etiam post libertatem datam ordinentur. Altera caussa fuit, ne ecclesia videretur dominis fraudem facere, can. 5, 7, 9, 10, dist. 54, atque ideo quoties dominus vel expresse, vel tacite consensisset, eove magis quoties servum manumisisset, ordinatio rata habebatur, can. 1, 2, 4, 5, 6 et sequentibus 54, cap. 2, 3, 4, de serv. non ordin. Dominis sane consentientibus licuit certas, honestas tamen, conditiones adjicere, scilicet ut defunctis eisdem ordinatis domini ipsi extra ecclesiastici peculii caussam succederent, vel ut ordinati tenerentur ecclesiastica quædam officia dominorum gratia gerere, can. 8, 10, dist. 54, cap. 3 et 4, de serv. non ordin., nusquam vero episcopis licuit fraudem

dominis facere. et eisdem invitis servos ordinare. Quod si episcopus servum invito domino ordinavisset, non eadem ubique, et perpetuo disciplina viguit. Siquidem in Italia temporibus Gelasii papæ discrimen erat inter servum sacerdotio insignitum, et servum in ordinem diaconorum allectum, et servum in inferioribus ordinibus initiatum. Si de sacerdotio ageretur, restituebatur peculium domino, retento servo inter clericos, sive in collegio clericorum, tanquam persona semel Deo dicata; si de diaconatu, præter peculium domino dari debebat vicarius, atque hoc deficiente diaconus ipse restitui; si de inferioribus ordinibus, rejecto ordinato a clericali cœtu, incolumia erant dominis jura universa, can. 9, 10 et 11, dist. 54. In Gallia ordinato servo aut in presbyterorum, aut in diaconorum gradu, duplum domino luebatur ab ordinante, quoties ordinans conscius fuisset conditionis ordinati; secus duplum pendebatur domino ab iis, qui servum ab episcopo ordinari petiisset, can. 19, dist. 54, quamquam deinde in capitulari Ludovici Pii anni 816, can. 6, statutum fuerit, ut ordinati suis dominis restituerentur, quod legimus in capitularium libro 1, cap. 82, et lib. 5, cap. 210, et sub nomine concilii toletani in can. 6, dist. 54, et in cap. 2, de servis non ordinandis. Ubi viguit jus justinianeum, quod præsertim usuveniebat apud græcos, recipiebatur in primis, ut si servus sciente et non contradicente domino ordinaretur, eo ipso et libertatem et ingenuitatem adquireret, recasurus tamen in potestatem domini, si ecclesiastica ministeria deseruisset, et ad vitam sæcularem transiisset; deinde ut servus ignorante domino ordinatus repeti posset a domino, dummodo hic intra annum servilem ordinati conditionem, suamque dominicam in ordinatum potestatem demonstraret; item ut si non de servis, sed de adscriptitiis ageretur, possent quidem isti etiam præter voluntatem domini ordinari, dummodo agriculturam sibi a domino impositam adhuc implerent, nov. 123, cap. 17, denique ut si de servis ageretur ad episcopatum promotis, tunc ordinati eo ipso ab omni dominica potestate eximerentur, eadem ratione, qua filiusfamilias ordinatus episcopus patriam potestatem evadit, novel. 81, cap. 3, et novel. 123, cap. 4. Has constitutiones imperatorias retulit Gratianus in can. 20, dist. 54, ubi tamen quædam adjecit de servis, qui monasticam professionem emiserint, quæ sane exigenda sunt ad integrum textum, qualis habetur in novel. 5, cap. 2. Relatæ etiam sunt constitutiones illæ in codicem justinianeum, auth. *sed episcopalis*, auth. *adscriptitios*, auth. *si servus*, auth. *episcopalis*, et auth. *verum* de episcopis et cleric., sed authenticarum auctor nonnulla ibidem adjecit, quæ in novellis desiderantur, uti liquet in conspectu dictæ authenticæ *adscriptitios*, quæ quidem consonat cum novella justinianea in ea parte, qua dicitur, clericos ex adscriptitiis ordinatos debere agriculturam implere, non temen consonat in altera parte, qua subjicitur, *subrogato aliquo, quem maluerint.* In decretalibus Gregorii IX, quæ generalem sæculi decimitertii disciplinam stabilivisse videntur, res ita definita est, ut perpetuo quidem prohiberetur episcopis, ne servos invitis, aut insciis dominis ordinarent, cap. 1, 5 et 8, de serv. non ordin., quoties vero ageretur de servis contra canones ordinatis, vel restituendis, vel non restituendis, distingueretur, an ageretur de ordinibus majoribus, et sacris, an de minoribus, et minus sacris, adeo ut in prima specie non restituerentur dominis, restituerentur in altera, c. 13, vers. *præterea* qui filii sint legit. Hinc cum temporibus Innocentii III, ordo subdjaconorum inter sacros receptus esset, rescriptum est, servum in subdiaconorum gradus adlectum non debere domino suo restitui. Sic definiendum erat ab iis, qui in proposita disquisitione opportunius ducebant sequi doctrinam Gelasii papæ in dicto can. 9, 10 et 11, distinct. 54, insuper habitis ceteris modo commemoratis. An vero qui ordinati in sacris restitui non debebant, ita reciperentur in clericorum cœtum, ut sacris officiis juxta ordinem susceptum ministrarent, quasi irregulares non essent, non liquet definitum expresse fuisse. Quid ergo? Quando recentioribus pontificibus visum est Gelasii papæ doctrinam sequi, ex mente ejusdem Gelasii repetenda est hujus quæstionis definitio. At vero Gelasius, qui in can. 9 et 10, distinct. 54, voluit, sacerdotes, et diaconos iterum redigi non debere in servitutem, voluit in canone 11, ejusdem distinctionis, diaconos ordinatos a sacris officiis repelli oportere. Ergo voluit haberi tanquam irregulares. Porro aliud erat sacerdotes et diaconos non restitui in servitutem pristinam, quod fuisset dedecori ordini sacerdotali, ac diaconali, aliud erat sacerdotes et diaconos in sacerdotali et diaconali ministerio suscipi, quod mali exempli fuisset, ex quo improbe, et contra canones facta ordinatio suum omnino effectum consequeretur. At dices: quid de his servis ordinatis? fateor non constare. Conjicio tamen, aut auguror, eos forte in communionem peregrinam adductos, spe concepta futurum aliquando, ut domini ordinationem ratam haberent, et bonis conditionibus libertatem donarent, quo casu impedimentum omne cessabat. Quod si quæratur, an, ubi servus consentiente, vel ratam ordinationem habente domino fuerit ordinatus, adhuc subjaceret jurispatronatus, ego respondeo, vel ipsos sacros canones permisisse quandam jurispatronatus speciem, veluti eam, aut

qua dominus uni potius, quam alteri ecclesiæ ordinatum ab episcopo addicendum postularet, a designata ecclesia invito domino non avocandum, can. 40, in fine distinct. 54, cap. 6, de serv. non ordin., aut qua dominus clericalia quædam officia ab ordinato exigeret, qualia erant, de quibus sermo fit in cap. 4, de serv. non ordin. Non memoro, quod supra dictum est, temporibus Justiniani imperatoris, etiam adscriptitios ordinatos conditioni suæ adhuc morem gerere debuisse, juxta dictam novellam 123, cap. 17, propterea quod aliud tulit recentior disciplina, cui se accommodavit laudatus editor authenticarum, dum in dicta auth. *adscriptitios* adjecit illa verba *subrogato aliquo, quem maluerint.* Quod autem dico de jurepatronatus, intellige de eo casu, quo certæ conditiones adjectæ fuerint a domino tempore ordinationis, vel quo ignorante domino servus ordinatus proponeretur, non quoties dominus tempore ordinationis nulla reservatione facta servum aut expresse, aut tacite manumisisset, dicto c. 6, de serv. non ordin., etenim antiqua lex est, qua servus consentiente domino ordinatus non tam libertatem, quam ingenuitatem adquirat, nov. 123, cap. 17, quid autem est adquirere ingenuitatem, quam haberi, ac si nunquam quis in servitute fuisset? Sed hæc hodie exoleverunt, post abolitas servitutes inter christianos, quamobrem post Gregorii IX collectionem vix indicari sanctiones canonum possent, in quibus aliqua constituta deprehendantur de ordinatione servorum.

Verum quoque fuit canonum disciplina, qua curiales a clericali ordinatione arcebantur, can. 1, 2 et 3, distinct. 51. Duplex hujus irregularitatis caussa fuit. Prima erat, propterea quod curiales non omnino liberi a curis publicis viderentur, atque ad peragenda divina officia expediti, dum a loco curiæ, cui caussa vel originis, vel domicilii, vel possessionum adscribebantur, recedere minime possent, et recedentes nihilominus avocarentur, canon. 2, distinct. 51. Altera erat, propterea quod curiales quibusdam ludis publicis præponi solebant, qui sane aut clericum, aut eum, qui clericus futurus erat, penitus dedecebant, can. 1 et 3, distinct. 51. Ex quo fit ut is, qui a curia dimissus esset, nihilominus adhuc a clero arceretur, si ludis publicis olim præfuisset, quasi manente adhuc nota quadam, quæ clerici personæ non conveniret. Hæc porro caussa est, quare licet episcopatus liberaret a fortuna servili, non ita liberaretur a conditione curiali episcopus ordinatus; ut enim ait Justinianus, ex tali fortuna sacerdotio fieret injuria, novel. 123, cap. 4 et 15, authent. *Sed neque curialem* authentica *episcopalis ordo* eod. de episc. et cler., can. 20, dist. 54. Adhuc sexto seculo id in usu fuisse, satis constat ex monumentis modo laudatis, at hodie cum abierit in desuetudinem curialium census, inter antiquitatis reliquias hæc disciplina recensetur.

Minus quoque liberi sunt ad ordines ecclesiasticos adipiscendos, qui militiæ nomen dederunt; uti enim isti publico munere detinentur ex principis designatione, non debent sine consensu principis ordinari. Qua in re plura distinguenda sunt ne facile quisquam hallucinetur, et unam cum altera disputatione confundat. Nimirum aliud est quærere, an militia suapte natura quemquam irregularem efficiat, ita ut etiam post militiæ officia exacta, et post honestam missionem irregularitas perseveret; aliud quærere, an qui ordini militari adscripti sunt, ideo sint irregulares, quia non deceat quemquam auctoritate antistitum a publico officio avocari. Sunt canones numero plurimi, qui facile ex oscitantia interpretum huc illuc flectuntur. Sunt etiam diversæ caussæ, propter quas modo pro irregularitate, modo adversus irregularitatem est pronunciandum. Quid enim ex. gr., siquis non tantum militiæ nomen dederit, sed etiam in congressu pugnaverit, hostemque fregerit, occiderit, aut clade, cœde, vulnere affecerit? Evenire profecto poterit, ut quis irregularis vel cœdis, vel vulneris illati caussa dicatur, quin sola militiæ professio irregularem effecisse credatur. Quid si militia, quam quis inivit, indigna viro christiano penitus sit, veluti cum christianus ethnicorum exercitui sese junxerit, ut armis vexaret christianos? Potuit sane hoc militiæ genus irregularitatem inducere ex præscripto canonum, quin generaliter verum sit, militarem professionem per se irregularem militem facere. Itaque antiquissimum, qui adparet, canon, est octuagesimussecundus inter apostolicos, in quo decernitur, ut deponatur episcopus, presbyter, aut diaconus, qui militiæ vacaverit, et simul utrumque officium, ecclesiasticum scilicet, et militare, retinere voluerit. Hinc profecto minime colligitur, milites irregulares existere; tantum deponi præcipitur eum, qui militiam cum sacro ordine junxerit: at depositio ab irregularitate distinguitur: et depositio non indicitur caussa militiæ, sed ex caussa utriusque suscepti, exercitique officii sacri et militaris. Imo et exinde tacite insinuatur, non esse deponendos episcopos, sacerdotes, et diaconos, si post depositum militare cingulum uni sacro ministerio vacent, quod indicium est nullius præstitutæ in milites irregularitatis. Quod in sacris canon. definitum est in hac parte de militum irregularitate, ad duos casus pertinet. Primus casus est, cum de milite agitur adhuc in numeris consistente, quem ordinari non sinit ecclesiastica disciplina, ne ad ecclesiastica ministeria transferantur, qui publicis adhuc

officiis detinentur, argumento, can 1, dist. 55, ne alias a præfectis suis iterum in militiam reducantur, argumento, can. 3, dist 51. Et revera Gregorius Magnus morem gessit in hac re imperatori Mauritio, dum legem promulgavit, ne militiæ adscripti in clericorum cœtum adsciscerentur, can. un. distinct. 53. In hac specie nulla dubitatio est, quin milites, ab ordine suo dimissi promoveri ad ordines valeant, uti luculenter adparet ex can. 15, dist. 63. Alter casus est, cum de milite agitur, qui in prælio fuerit, et quemquam etiam jure vel occiderit, vel mutilaverit. Verum cum liquet, hunc irregularem existere, irregularitas non tam ex professione militiæ, quam ex illata cœde vel mutilatione derivat, atque hæc irregularitas dicitur potius ex defectu lenitatis, de qua sermo inferius instituetur, et perseverat etiam post missionem ab ordine militari. Ad hunc casum spectat, canon 1, dist. 51, ubi de militibus sermo fit, qui *sæva*, vel, uti alii legunt, *severa sunt præcepta executi*. Extra hosce duos casus nulla videtur in milites indicta irregularitas. Videatur elegans notificatio 101, in secundo tomo notificat. Cardinalis Lambertini, inde Benedicti XIV, qui hanc materiam absolvisse videtur. Non debeo tamen omittere nonnullorum canonum interpretationem, nimirum Innocentii I, in can. 2, dist. 51, et concilii toletani seu I, seu IV, in can. 4 et 5, distinct. 54, et in can. 5, caus. 23, quæst. 8, qui negotium quoddam facessere deprehenduntur. Tradidit Innocentius I, in dicto can. 2, dist. 51, non rite ad ordines ecclesiasticos assumi, *siquis fidelis militaverit*, idest siquis fide data, et sacramento obstricta militiam profiteretur. Pertinet ergo ea dispositio ad eos non ordinandos, qui adhuc in militia consisterent. Si dubites de hac interpretatione, præ oculis habeas velim, Innocentium initio epistolæ profiteri, se nihil novi statuere, sed indicare tantum quid postulent generales canonum regulæ: at enim generalis canonum dispositio ea ætate suadebat, ne qui adhuc officiis publicis detinerentur, in clericorum ordinem adlegerentur. Quod statutum est in concilio toletano I, si legendum esset, uti legitur apud Gratianum, in dicto can. 4, dist. 51, adjecta illa particula *ad necandos fideles* videretur statim non generaliter de militia conceptum, sed de ea, quæ odio christianæ fidei susciperetur. At ea particula in actis concilii desideratur. Eam ob rem dicendum, sanctionem illius canonis et singularem fuisse in toletana provincia, et fuisse singularibus illius ætatis adjunctis accommodatam. Etenim cum illa ætate in Hispania conquererentur episcopi de lapsa clericali disciplina, cui occasionem dederant improvidæ electiones clericorum, præsertim illorum, qui jamdiu armis, propter eaque etiam seditionibus adsueverant, atque occasionem præbentibus Gothis et Vandali universa pene cædibus, et cladibus impleverant, paullo rigidior disciplina invecta fuit, non facile ad alias provincias traducenda, neque ad ulteriora tempora proroganda. Potius ad generalem canonum disciplinam referendus est canon concilii toletani IV, in dicto can. 5, distinct. 51, ubi cum ab ordine ecclesiastico exluduntur *qui militia sæculari dediti sunt*, intelliguntur exclusi ii omnes qui actu militiæ serviunt, eodem modo, quo etiam excluduntur, ibidem, *qui sunt obnoxii servili conditioni*, futuri sane idonei ad sacram ordinationem statim ac libertatem fuerint consecuti. Denique quod spectat canonem 5, caus. 23, quæst. 8, non de militia conceptum est, sed de clerici arma sumentibus facta seditione, neque constat, clericos hujusmodi irregulares fuisse habitos, sed potius in perpetuum depositum iri, indicta pœnitentia in monasteriis peragenda.

Insuper administratores bonorum alienorum, quousque essent rationibus reddendis obnoxii, ab ecclesiasticis ordinibus olim fuisse remotos certum est, quasi non omnino libertate potitos; cujusmodi erant actores, et executores rerum, et jurium publicorum, tutores pupillorum, et curatores minorum, ac similium personarum, can. 2, dist. 54, can. 3, dist. 54, can. 1 et sequentibus, caus. 22, qu. 3, c. 1, de obligat. ad ratiocin, cap. 1, et toto titulo ne cler. vel mon. Optima sane disciplina, ideo inducta, quod non deceret, clericos reddendis inde rationibus detineri, ne forte, si inde eorum administratio suspecta adpareret, infamia in clericorum ordinem redundaret, et qui rationes redditurus esset clericus, ad fora publica traheretur, culpæ vel doli, prout res postularet, pœnam daturus. Hujus tamen regulæ duæ erant exceptiones. Prima locum habebant in iis, qui legis necessitate ad suscipiendam administrationem adigerentur. Si enim vel ipsi clerici minime ab onere legitimæ tutelæ eximebantur, excusabilis erat laicus, quoties tutelam hujus generis administrans clero adscribi postularet, can. 1, cau. 21, qu. 3. Altera locum habebat in iis caussis, quæ aut clericis committi ex canonum censura debent, cujusmodi est administratio rerum ad ecclesiam, vel monasterium pertinentium; aut clericis committi maxime convenit, cujusmodi est administratio bonorum pauperum, viduarum, et hujusmodi miserabilium personarum, dicto cap. 1. Hinc liquet, hanc irregularitatis speciem non perpetuam fuisse, sed certo tempore circumscriptam tamdiu nimirum imminentem, quamdiu non essent redditæ rationes, can. 3, dist. 54, can. un., dist. 53, cap. 1, de obligat. ad ratiocin. Hodie testantur pragma-

tici, hanc irregularitatem ex usu recepto vigere tantum duobus in casibus. Primus est, si publicis rationibus quis adstringatur. Alter est, quum privatarum quidem rerum quis gessit administrationem, sed jam in judicio conventus fuit ob dolum.

Denique conjugio obstricti, quasi ex defectu libertatis, irregulares habentur, nisi uxor consentiendo datam sibi fidem relaxet, can. 6, distinct. 77, cap. 1, et passim de convers. conjugat. Id olim potissimum vigebat in majoribus ordinibus. Verum cum recentiore ætate minores ordines non tam veluti singularia gerenda officia, quam veluti media ad majores ordines consequendos haberi cœperunt, obtinere necessario debuit, ut irregularitas eadem ad minores etiam ordines extenderetur; immo, et ad universa etiam beneficia, adeo ut hæc nequeant impetrari, argumento, capituli 1 et 2 de cleric. conjug. Nihil amplius ad hanc rem adjicio, cum jam plura alibi a me tradita fuerint in tractatione de juribus conjugiorum.

Defectum corporis, ex quo irregularis aliquis dicitur, hoc in loco intelligimus, cum quis ea corporis adfectione laborat sine culpa, factove suo, quæ ne in sacris officiis honeste, ac decore ministret, impediatur. Et quidem hoc in mosaica divina lege fundamentum habet, levitici, cap. 21, deinde legibus ecclesiasticis fuit expresse constitutum ac confirmatum, can. 5, dist. 33. can. 1, distinct. 36, can. 1, 3, dist. 55. Difficile sane fuit singulas species definire, quibus impedimenta singulorum ordinum et officiorum designarentur; quamobrem verba canonum generalia sunt, quibus corpore vitiati ab ordinibus excluduntur, dicto can. 5, dist. 33, can. 1, dist. 36, can. 1, dist. 55, verum hanc interpretationem recipiunt, ne quis ad ordines admittatur, qui tale corporis vitium contraxerit quo aut non absolute potest, aut non facile, aut non decore sacra officia gerere, c. 10, de renunciat, cap. 1, ult. de corp. vitiatis, cap. 2, 3 et 4 de cler, ægr., can. 2, cau. 7, quæst. 2. Hinc est, quod occultum quodcumque corporis vitium, quod neque impedit sacrorum officiorum administrationem, neque alias horrorem quendam, et aversionem in popolo ingenerat, neminem reddit irregularem. argum., cap, 3, de corp. vit., can. 4, 5, 7, 8, 9, 11, dist.. 55, Nemo igitur non videt, ubi de singularibus, pro ut res incidit, speciebus agatur, facti potius, quam juris esse quæstiones, quarum aliquæ dumtaxat rescriptis definitæ fuerunt, a quibus deinde ad similia prudens judex possit argumentari. Definitum deprehendimus, irregularem dici oculo orbatum, aut qui maculam gravem in oculo contraxit, can. 13, dist. 55, cap. 2, de corpore vitiat., et quidem sine ullo discrimine, seu dexter sit, seu sinister, quod enim dici solet de *oculo canonis*, sive sinistro, eo spectat, ut, quoties in eo vitium sit, difficilius obtineatur dispensatio, et nonnisi immutato ritu in celebratione missarum, videlicet permittendo, ut læsus sacerdos tabellam canonis legat in medio altaris collocatam. Definitum deprehendimus, irregularem dici aut pede læsum ita, ut sine baculo sustineri non possit, can. 57, de cons. dist. 1, aut manu mutilatum, cap. 6, de corp. vitiat., aut destitutum digito ad eucharistiæ ministerium necessario, cap. 1 et 7, eod, aut etiam destitutum ungula pollicis in dextera, ita ut nequeat facile sacram hostiam frangere, cap. ult., eod, aut destitutum duobus digitis, medio, et quarto, cap. 2, de cler. ægrot. Adde his leprosos, epilepticos, paralyticos, aut tali morbo laborantes, quo mens fere alienetur, can. 3, dist. 33, can. 14, 15, caus. 7, qu. 1, can. 2, caus. 7, qu. 2, c. 3, 4, 5, 6, de cler. ægrot. Quis non dixerit, idipsum dicendum fore, ubi de muto ageretur, de surdo, de cœco aut alias monstruoso, quamquam nihil tale expressum specialiter in canonibus inveniatur? Quod si dubitatio quædam emergat, ad episcopum pertinebit definire, an species talis sit, in qua irregularitatem sacri canones indicendam voluerint, can. 3, dist. 33, cap. 2, de corp. vit. Contingit quandoque dubitari, an quis certo morbo laboret, qui sacris ministeriis impedimento sit. Hac in ispecie ad episcopum pertinebit, indicta interea suspensione ab ordine, si expedire pro adjunctis judicetur, certa tempora præfinire, intra quæ liquere de vitio possit, can. 2, causs. 7, quæst. 2, ubi licet dicatur, designatos fuisse triginta dies, non inde tamen deducitur, hoc tempus singulis in casibus designandum esse, cum potius id referatur ad speciem facti singularem propositam, eo vel magis, quia non constans est omnium codicum fides, in quorum aliquibus pro voce *triginta* legitur *octuaginta*, quemadmodum jam observaverunt romani correctores. Quid vero, si de vitio constiterit, eamque ob rem vitiosus clericus jussus fuerit a sacris ministeriis abstinere, deinde clericus alleget, se sanitatem pristinam recuperavisse? Perspicua est constitutio toletani concilii anni 675, can. 15, relata a Gratiano sub nomine Pii papæ in can. 3, dist. 33, qua præstituitur, annum esse expectandum, intra quem liqueat clericum revera a morbo liberatum existere. In hac irregularitatis specie observatur, ut quidem defectus in caussa sit, nequis ordines, aut beneficia suscipiat; non vero defectus subsequens in caussa sit, ut ab adeptis beneficii commodis repellatur, quamquam ab ordinis exercitione sit excludendus, can. 1, dist. 36, can. 12, dist. 55, can. 1, cau. 7, qu. 1, cap. 2 3, 4, 5, 6, 7, de cler. ægrot., cap. un. eod. in 6. Idem observa-

tur, posse aliquem irregularem esse ratione unius ordinis, et non ratione alterius, ejus scilicet cujus commode obire officium possit.

Defectus animi irregularem etiam facit, hujusmodi in primis est amentia, et furor, et quæ proxima furori est, energumenorum conditio, can. 2, 3, 4, 5, dist. 33, can. 14, caus. 7, quæst. 1, eo saltem usque, quo infirmitas animi perseverat, can. 1, caus. 7, quæst. 2, can. 1, 2, 3, 4, 14, caus. 7, quæst. 1, cap. ult. de cler. ægrot. in 6. Hinc non facile permittuntur aut ordinis collatio, aut executio suscepti ordinis illi, quem verosimile est recasurum in amentiam, aut furorem, et siquid simile esse potest, etiamsi proponat ipse, se consilium animi adeptum fuisse, annali tempore præfinito, intra quod constet de veritate, can. 3, dist. 33, can. 14, caus. 7, quæst. 1, can. 1, caus. 7, quæst. 2, quamquam si beneficium jam adeptus olim fuerit, beneficio non privetur, sed dandus sit coadjutor, can. 1, 2, 3, 4, 14, caus. 7, qu. 1, cap. un. de cler. ægrot. in 6. Hujusmodi præterea est infirmum ætatis judicium: qua in re observandum est, olim quidem nullum discrimen intercessisse inter ætatem ordinibus, et ætatem beneficiis præstitutam, quum collatio beneficiorum minime distingueretur a collatione ordinum; hodie tamen, uno demto episcopali ordine et beneficio, quæ adhuc indivulsa manent, diversis regulis inniti collationem ordinum et beneficiorum. Itaque ut de ordinibus primum loquar, statutum scimus, ut ne prima quidem tonsura infans, seu septennio minor initietur, cap. 4, de tempor. ordin. in 6. Addidit concilium tridentinum, tonsura initiandos confirmatos esse oportere, et in fidei rudimentis edoctos, ac tales, ut legeres saltem et scribere valeant, ita ut episcopus eos a Deo vocatos esse ad clericalem militiam conjiciat, cap. 4, sess. 23, de reform. In constitutis ultra infantiam nulla est in jure determinata ætas, qua demum conferri minores ordines possit; quamquam enim aliquando constitutum fuisse sciamus, neminem decem et octo annis minorem potuisse inter lectores adnumerari, can. 2, dist. 78, id tamen ab usu recessit. Tantum hodie adhæremus disciplinæ tridentini concilii, in quo cautum est, minores ordines iis esse conferendos, qui saltem latinam linguam intelligant, atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum, et doctrina major accrescat, sess. 23, de ref. cap. 11. Si de majoribus ordinibus sermo sit, quidquid olim vigeret, can. 3, 4, 5, 6, 7, dist. 77, can. 1, 2, 4, 5, dist. 78, Clement. 3, de ætate præficiend., hodie ex concilio tridentino observatur, ut nemo ad subdiaconatum ante annum 22, ad diaconatum ante 23, ad presbyteratum ante 25, ætatis annum promoveatur, dicta sess. 23, cap 12, quibus tamen in speciebus sufficiet annum incæptum fuisse. De episcopatu nihil adjecerunt tridentini antistites; quamobrem integra manet vetus disciplina, juxta quam nemo eligi potest, nisi qui jam trigesimum ætatis annum exegerit, cap. 7, de elect., nemo etiam postulari, nisi qui vigesimum septimum ætatis annum attigerit, extrav. 1, de postulat. prælat. int. com. Si deinde de ætate loquar, quæ requiritur ad impetranda beneficia, primum producitur perspicua tridentini concilii constitutio in cap. 6, sess. 23, de reform., ubi cavetur, ut nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in inferioribus ordinibus constitutus ante decimumquartum annum possit beneficium obtinere; quod decretum intelligas nolim de iis beneficiis, quæ singularis et expressa fundatorum voluntas etiam ætate minoribus concedi posse constituerit. Non inde tamen colligitur, omnia beneficia concedi posse illis, qui vix conciliarem illam ætatem attigerint; sunt enim numero plurima, quæ provectiorem adhuc ætatem desiderant. Sic ad beneficia curam animarum adnexam habentia nemo admittitur, nisi 25 annum attigerit, cap. 7, vers. *inferiora* de electione, cap. 14, eod. tit. in 6, concilio tridentino, sess. 24, de reform., cap. 12. Sic ad dignitates et personatus, quibus nulla cohæret cura animarum, non minores annis 22, admittuntur, dicto cap. 12, tridentino. Sic ad canonicatus, prœbendas, et præstimonia requiritur ea ætas, qua institutus possit intra tempus abs jure definitum ea ordine insigniri, quem canonicatus ipsi, præstimonia, et præbendæ requiri. In omnibus vero cathedralibus ecclesiis cautum est, ut omnes canonicatus, et præstimonia habeant adnexum ordinem presbyteratus, vel diaconatus, vel subdiaconatus, prout episcopus de consilio capituli designaverit, dicto cap. 12, tridentino. Cum ergo in ceteris beneficiis nihil singulare statutum adpareat, sufficiet ætas annorum 14, juxta dictum caput 6, sess. 23, nisi major ætas fundationum tabulis præstituta fuerit, aut nisi præstitutus fuerit eisdem fundationum tabulis certus ordo, qui majorem ætatem desideret, aut nisi agatur de beneficiis regularibus, quæ cum tantum professis, aut brevi professuris concedi valeant, eam ætatem desiderant, qua aut quis profiteri possit, aut proxime sit, ut rite profiteatur. Adjicitur, in abbatis et prioratibus conventualibus ætatem requiri annorum 25, cæptorum; quamquam celeri prioratus exigant saltem annum vigesimum completum, juxta Clementinam 1, vers. *ceterum* de statu monach. Quicumque autem ante ætatem canonibus designatam beneficium consecutus fuit, habetur ac si nunquam illud consecutus fuisset, quasi collatio ipso jure in irritum cadat, cap. 7 et 20, de elect., cap. 2 et 3, de ætate, et qualit. præ-

fic., cap. 14 et 35, de elect. in 6, concil. trid., sess. 7, de refor. cap. 3.

Animi quoque defectus in eo dignoscitur, qui ea doctrinæ supellectile non est instructus, quam ordinis, vel beneficii qualitas postulat, can. 1, dist. 36, can. 3, dist. 38, can. 2, dist. 49, can. 5, dist. 51, can. 1, 3, dist. 55, can. 15, caus. 1, quæst. 1, c. 14, 15, de ætate et qualit. præfic., cap. 7, de elect., cap. 14, eod. in 6, cap. 4, de tempor. ordin. in 6. Hanc in rem editæ sunt variæ canonum sanctiones, quibus vel generaliter proponitur, clericos scientia idoneos esse oportere, vel etiam singularis doctrina, imo et aliquando certa partæ doctrinæ specimina requiruntur, nimirum in quibusdam officiis majoribus. Generali sanctione statutum est, ut clerici abstinentes a figmentis poetarum, can. 2, 15, dist. 37, can. 8, dist. 86, a libris ethnicorum, atque hæreticorum, can. 1, dist. 37, et a vana dialectica, can. 3, 4, 6, dist. 37, temperantes insuper ab inani, et plus æquo curiosa physicarum rerum cura, dicto can 3, dist. 37, nec non ab impenso studio civilis juris, cap. 28, de privileg., nisi eatenus, quatenus ea opera necessaria sit, et ad res sacras attingendas opportuna, can. 8, 9, 10, 11, 13, 14, dist. 37, concilio tridentino sess. 23, de reform, cap. 18, totos se in rerum sacrarum notitiam conferant, quales aut in sacris literis, aut in canonibus, aut in sanctorum patrum codicibus exhibentur, can. 5, dist. 24, can. 1, 6, 8, 10, dist. 38, can. 4, 14, dist. 37, concil. trident. sess. 5, de reform., cap. 1, et dicto cap. 18, sess. 23, uno verbo ad ea contendat, in quibus sita est scientia religionis, ac pietatis, can. 10, d. 37. Item generales adparent sanctiones, quibus definitur, in cathedralibus, et collegialis ecclesiis præceptores institui, quibus excolantur ingenia adolescentium ad ordines provehendorum, can. 12, dist. 37, cap. 1, 2, 4, 5, 7, de magistr., cap. 4, ætat, et qualit. præfic., concil. trident., sess. 5, de reform., cap. 1, Generales quoque sanctiones sunt, quibus aut facilius quædam privilegia literatis clericis conceduntur, cap. 28, in fine de præbend., aut facultates extra ordinem conceduntur iis, qui velint in literis proficere, cap. 34, de elect. in 6, aut non mediocris ratio habetur gratiarum generalibus studiis tributarum, uti in concilio tridentino, sess. 25, de reform., cap. 9. Singularia præterea multa statuta fuerunt pro modo cujusque ordinis. Primum de episcopis in veteribus canonibus legebatur, eosdem debere præ ceteris excellere sapientia, ac doctrina, can. 3, dist. 36, can. 6, dist. 38, cap. 7, de elect., cap. 10, de renunc. Pressius tridentinum concilium in c. 2, sess. 22. de reform. mandavit, ut electus in universitate studiorum magister, sive doctor; aut licentiatus in sacra theologia, vel jure canonico merito sit salutatus, aut publico alicujus academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur; quod si regularis fuerit, a superioribus suæ religionis similem fidem habeat. Deinde in dignitatibus, aut officiis, quæ scholasteriam adnexam habent, mandavit idem concilium in cap. 18, vers. *de cetero*, sess. 23, de reform., ut conferantur nonnisi doctoribus, vel magistris, aut licentiatis in sacra pagina, aut in jure canonico, et aliis personis idoneis, et qui per se ipsos id munus expleant. Insuper idem concilium in sess. 24, de reform. cap. 12, vers. *archidiaconi* mandavit, ut archidiaconi in omnibus ecclesiis, ubi fieri poterit, sint magistri in theologia, seu doctores, aut licentiati in jure canonico. De parochis antiquæ canonum definitiones, quibus docetur, eos in sacris literis eruditos esse debere, psalterium nosse, et canones pœnitentiales, item ea, quæ ad sacramenta, ad ritus, atque ad sacramentalia pertinent, can. 1, 2, 5, dist. 38, cap. 4, de ætate et qualit. præfic., atque ad executionem expeditionem istorum canonum collineaverunt tridentini patres, cum formam concursus in collatione ecclesiarum parochialium instituerunt. Presbyteri tanta pollere scientia debent, quanta requiritur ad docendum populum, concil. trident., sess. 25, de reform. cap. 14: diaconi et subdiaconi ita exculti esse debent, ut ea, quæ sunt suo muneri necessaria, non ignorent, concil. trident. sess. 23, de reform. cap. 13, ac præsertim divini officii recitationem, cap. 9, de celebrat. missar.: minores ordines consecuturos latinam saltem linguam callere oportet, ita ut in dies ob doctrinæ incrementum de gradu in gradum promoveri mereantur, concil. trident. sess. 23, de reform. cap. 11, denique tonsura initiandi ex sanctione tridentina in cap. 4, sess. 23, de reform., juncto, cap. ult. de tempor. ordin. in 6, saltem legere et scribere noverint, eruntque in fidei rudimentis edocti. Si quæratur, an collatio beneficii facta minus idoneo irrita censeatur, et ordinatus minus idoneus sit deponendus, distinguere oportet inter casum, quo statutum est, aliquem certo gradu academico insignitum esse oportere, et casum, quo idoneus demonstrandus sit ex scientia. In prima specie, cum de episcopo agatur, puniendus quidem est extra ordinem, non tamen irrita habebitur episcopalis inauguratio, dicto, cap. 2, sessionis 22 tridentinæ. Neque similis pœna irritæ habendæ electionis imminet, ubi agitur de archidiacono, præsertim quod concilium tridentinum in dicto cap. 12, sess. 25, non adeo absolute academicum gradum in archidiaconis postulaverit, sed adjecta clausula *ubi fieri poterit*. Ubi vero agitur de scholasteria, aperta sunt concilii verba in dicto cap. 18, sess. 23, in quo legitur, irritam esse collationem beneficii, si

concedatur illi, qui nec doctor sit, nec licentiatus in theologia, vel jure canonico, aut talis non sit, qui idoneus habeatur, et munus impositum valeat per se ipsum implere. In posteriore specie, certum est, scientia minus idoneum deponendum esse. can. 5, dist. 51, can. 3, dist. 55, cap. 15, de ætat. qual. et ord. præf., cap. 7, 17, 20 et 53, de elect., immo et aliquando ipso jure irritam esse beneficii collationem, uti exemplum est in collatione præbendæ theologalis, juxta concilium tridentinum in cap. 1, vers. *de cetero*, sess. 5, de reform.

Ex eo, quod mites animo esse clerici debeant, irregulares sunt, qui ea qualitate juxta normam canonum destituuntur. Defectum lenitatis nostri appellaverunt, cujus caussa inuritur nota irregularitatis, quoties homicidium, vel mutilatio fiat, non quidem dolo, aut culpa, quæ dolo proxima sit, tunc enim non ex defectu, sed ex crimine irregularitas immineret, verum quoties fiat vi voluntarie facta, ubi justa sit occidendi, vel mutilandi caussa, canon. 1, dist. 51, cap. 14, de homicid. Itaque in proposito triplex homicidium esse potest, (quod dicitur de homicidio, idem intelligatur velim de mutilatione) casuale, necessarium et voluntarium. Casuale illud est, quod fortuito contigit, nec potuit præviderí; necessarium, quod admittitur vim vi repellendo, ubi quis aliter evadere nequit aggressorem; voluntarium, quod fit deliberata animi voluntate, immo ut plurimum etiam præcedente consilio. Quoties homicidium casuale sit, aut necessarium, nulla imminet irregularitas; nisi homicida non servaverit modum in se defendendo, omisso, uti nostri ajunt, moderamine inculpatæ tutelæ, aut non omnem diligentiam adhibuerit, ne homicidium sequeretur, veluti si casum culpa præcesserit, cap. 13, 18, de homicid., Clem. 1, eod. tit., concil. trident., sess. 14, de reform. cap. 7. Hinc solet in his speciebus dispensatio impetrari, quod ut plurimum emergat dubitatio facti de modo servato, vel adhibita omni diligentia. At ex homicidio, vel mutilatione voluntaria, utut justa ut plurimum indici solet irregularitas. Tria sunt exempla in hoc proposito, nimirum in militari professione, in caussis judiciariis criminalibus, atque in chirurgicæ, vel etiam medicæ artis professione.

Ut de militibus primum dicam, regula generalis est, milites, qui in conflictu mortem in adversarios intulerunt, aut hostem mutilarunt, irregulares existere, non solum si clerici sint, qui nomen militiæ dederint, can. 5, dist. 50, can. 1, 2, 3, 5, 6, 19, 20, caus. 23, quæst. 8, cap. 5, de pœnis, sed etiam si laici extiterint, can. 8, dist. 50, can. 1 et sequentibus, dist. 51. Verum hæc regula suas habet exceptiones. Quid enim in primis, si clericus principatum temporalem gerat dignitati ecclesiasticæ adnexum, et jure belli inferendi potiatur? Militiam ipse jure instruet, et quamquam militaria gesta eidem tamquam principi tribuantur, ab irregularitate tamen erit immunis, argumento cap. ult. ne cler. vel monach. in 6. Quid deinde, si clericus principem roget, ut arma inferat in hostes fidei, religionis, ecclesiæ, eosdemque perdat? Exempla commendabilia sanctorum ecclesiasticorumque patrum indicant, nullam in ea specie irregularitatem imminere, canon. 7, 10, 17, caus. 23, quæst. 8. Quid item, si pugnetur bello, uti vocant, defensivo, non aggressivo? Cum teneantur etiam clerici caussa tuendæ civitatis vel provinciæ, in qua degunt, vigilias et excubias facere, et commune civium omnium onus ferre necessario debeant; si hostem perimant, iis æquiparantur, qui necessarium homicidium suæ defensionis caussa committunt, proindeque erunt sine ulla formidine irregularitatis, argumento capituli 2, immunit. eccles. Hinc in cap. 24, de homicid. ideo clerici declarati sunt irregulares, quia præsidia egressi non tam se ac præsidia tueri, quam hostes aggredi visi sunt. Si cui difficultatem faciat canon 4, dist. 50, is dicere poterit, eum, qui se defendendo paganum occiderit, aut meræ defensionis limites excessisse, aut paganum adgrediendo prævenisse. Ut enim Nicolai I, ætate frequentes erant paganorum excursiones, facile christiani obviam occurrebant, ut illos perderent, cujus rei argumentum est, quod operæ pretium fuerit in capitulari Caroli Magni anni 762, cap. 2, ita decernere: *Ut sacerdotes neque christianorum, neque paganorum sanguinem fundant*, lib. 7, capitular., cap. 124. Neminem profecto turbare debet canon 8, dist. 50, ubi legitur, irregularem fieri homicidii conscium sive consilio, sive præcepto sive *defensione*. Etenim vox illa *defensione* corrupta esse videtur, et legendum potius *assensione*, quemadmodum in pluribus codicibus habetur. Revera id consonat cum canone 20, ex Ancyranis, quem Martinus Bracharensis in eo monumento exhibebat. Canon Ancyranus his verbis conceptus est: *Qui volentes homicidium fecerunt ad pœnitentiam quidem jugiter se submittant, circa autem exitum vitæ communione digni habeantur.* Gravior difficultas occurrit in conspectu canonis 36, dist. 50. Verum adhuc dici potest, disciplinam ilerdensis concilii occasione frequentissimarum vandalicarum persecutionum in Hispania constitutam, fuisse potius ad continendos in officio clericos accommodatam, ne clerici nimis excederent, et defensionis necessitatem prætexentes, arma tractarent ad hostium cœdes et clades. Revertamur in viam. Quid si milites una cum exercitu perrexerint, et in conflictu socios quidem habuerunt perimentes, ipsi autem neminem peremerunt, nec socios ipsos ad perimendum con-

citaverunt? Belli justitia, uti adnotavit cardinalis Lambertinus in notificatione 101, tom. 2, notif., in caussa erit, cur facta sociorum ipsis non imputentur caussa contrahendæ irregularitatis, cap. 3 et 4, de clerico percuss., juncto, cap. 5, de pœnis. Potiore sane ratione ne clerici quidem irregularitatem incurrunt ex sola armorum delatione, dummodo neminem occiderent, aut mutilaverint, cap. 2, de cler. percuss., quamquam aliis pœnis, vel censuris clerici arma gerentes plectantur, cap. 2, de vita et honest. clericorum.

Eadem fere, quæ de militibus dicta sunt, obtinent in illis, qui in caussis criminalibus necem reorum jure curaverunt. Distinguendi sunt in hac re judices, accusatores, vel denunciatores, ac testes. Judices si sententia sua reum morte, vel mutilatione damnaverint, non quidem statim post sententiam, sed post sententiæ executionem fiunt irregulares, quia tum primum verum est, eos caussam morti, vel mutilationi dedisse. De clericis perspicuæ sunt canonum constitutiones in can. 29, caus. 23, quæst. 8, cap. 9, de cler, vel mon., cap. de raptor. De laicis etiam idipsum statutum videtur in can. 8, dist. 50, et in can. 1, 2, 4, dist. 51. Hæc tamen regula suas habet exceptiones primum in viro ecclesiastico, qui temporali jurisdictione cum mero imperio conjuncta, et dignitati suæ adnexa gaudeat, dummodo criminales suæ jurisdictionis caussas alteri deleget, cap. 3, ne cler. vel mon. in 6, juncto, cap. 10, de excess. prælat. Secundo in cardinalibus et episcopis solio pontificio adsistentibus ob singularia eorundem jura concessa a Paullo IV, anno 1557 die 29 aprilis. Tertio in inquisitoribus fidei, eorumque officialibus ex constitutione Pii V, quibus in locis merum imperium publice exercent. Quarto in iis prælatis, qui reum pœna ecclesiastica damnatum sæculari magistratui puniendum remittunt, cap. 10, de judic., cap. 2, de cler. excomm. Irregulares quoque sunt ex eadem caussa, qui consilium magistratui præbent, aut sententiam scribunt in caussa criminali, qua de capite agitur, aut qui executores sententiæ capitalis adjuvant, vel stipant, uno verbo ii omnes, qui cooperantur, can. 36, dist. 50, can. 19, 29, caus. 23, quæst. 8, cap. 5 et 9, ne cler. vel mon. Accusatores etiam, vel denunciatores secuta morte vel mutilatione accusati, aut denunciati sunt irregulares, nisi agatur de iis denunciatoribus, qui, quod sua interest, consecuturi, querelam de reo apud judicem proponunt, protestatione adjecta, qua afferant, se in rei mortem, aut mutilationem non intendere, quamquam inde judex ex officio supremum supplicium inferat, cap. 2, de homicid. in 6. Testes autem non fiunt irregulares, si auctoritate judicis vocati fuerint, et quæ noverint, palam fecerint, c. 10, vers. *ad ultimum* de homicidio.

Ex quo homicidium, aut mutilatio etiam justa pluribus in casibus modo enumeratis irregularitati caussam præbeat, ex defectu, uti nostri ajunt, lenitatis, disputatio fieri solet, quid de iis sentiendum sit, qui vel medicam, vel chirurgicam artem profitentur, sive exercent, vel quia, si de utrisque sermo sit, aliquando evenire possit, ut seu ignoratione, seu oscitantia morti alicujus præbeant occasionem, vel quia, si tantum de chirurgis agatur, sæpe ac sæpius nonnisi secando, urendo, feriendo juxta regulas utilissimæ artis curare possint, ut ægrotantes in salutem, et valetudinis firmitatem restituantur. Multa sane in proposito sunt argumenta; aliud enim est quærere de iis, qui jam in clero constituti artes illas exercent, num aut in susceptis ordinibus ministrare, aut ad majores gradus adscendere possint; aliud quærere de laicis, qui postquam easdem artes exercuerint, in clerum promoveri desiderant. Aliæ præterea regulæ constituendæ videntur de medicis, aliæ de chirurgis; aliæ de iis, cui culpa omni immunes fuerunt in artibus exercendis; aliæ denique de iis, qui culpæ cujusdam admissæ conscii sibi sunt, aut certo adfirmare non possunt, se omnem omnino diligentiam perpetuo impendisse. Si de iis primum disputandum sit, qui jam clericæ militiæ adscripsit fuerint, nulla dubitatio esse potest, quin irregulares habendi sint, quotiescumque chirurgicam artem professi fuerint, quum ecclesiastici canones ea professione clericis expresse interdixerint, c. 9, ne cler. vel mon. non sane quod irregularitas semper immineat iis, qui canonum disciplinam minime servant, sed quod mutilatio, vel adustio, vel incisio, unde irregularitas profluit, sine culpa esse non possit in iis, qui dum mutilant, vel adurunt, vel incidunt, legum præceptionibus adversantur, can. 7, dist. 55, cap. 19, 23 et 25 de homicid. eadem ratione irregulares esse dicemus monachos, utut necdum sacris ordinibus initiatos, quod constitutio concilii lateranensis, qua clericis interdicitur chirurgicæ artis exercitione, ad monachos etiam pertineat, utpote in qua de monachis æque ac de clericis expressa mentio habetur, cap. 3 et 9, ne clerici vel mon. dicto cap. 19, de homicid. Quid vero, si magna necessitas emergat, ut alias ægrotanti occurri non possit, quam ministerio clerici, vel monachi in ea arte periti, ex. gr. quia laicus chirurgus præsto non sit, et ex mora grave salutis discrimen ægrotanti immineret? Ad hanc speciem cum nullo modo pertinere videatur laudatum lateranense decretum, ne alias dicamus, sublatam fuisse clericis facultatem proximis in extremo etiam laborantibus consulendi, neque propterea extendetur irregularitas. Hæc profecto obtinent

in ea chirurgiæ parte, quam qui profitetur, incidat, inurat, aut secet, non idem tamen dicendum videtur, siquis leniorem alteram chirurgiæ partem, quæ nec in incisione, nec in ustione, nec in mutilatione versatur, exerceat. Præterquamquod enim nullibi adpareat constitutum, hujus ratione quemquam fieri irregularem, hanc suo decreto non comprehenderunt lateranenses antistites, quando expressam tantum mentionem fecerunt de ea chirurgiæ parte, *quæ adustionem, vel incisionem inducit*. Quamquam in hoc proposito adhuc dicendum est, artem istam esse a clericorum, monachorumve institutis alienam, eosque a culpa non excusare, nisi singularia in sodales officia, quæ non lucri spes, sed una sincera charitas concitaverit, aliud postulet; immo et tum sive clericos, sive monachos irregulares dicemus, quando ex ejusdem artis, utut in parte mitissima, exercitione ob negligentiam exercentis, vel homo mortuus fuerit, vel in aliqua parte corporis contabuerit, etiamsi de admissa leviore negligentia ageretur; etenim culpa utut levior, ubi non in omittendo, sed in committendo consistat, a lata culpa minime distinguitur, cap. 23, de homicid., juncta leg. 6, § 7, ff. de offic. præsid. His positis stratam viam habemus ad aliam dirimendam disputationem, ubi quæratur de clericis, aut monachis artem medicam exercentibus; quæ enim de leniore chirurgiæ parte tradidimus, eadem ipsa tradere possumus de mitiore ista disciplina. Quamobrem licet delinquere videatur clericus, aut monachus medicam artem exercens, nisi illum officia charitatis in sodales sine spe temporalis lucri præstanda excusent, quod a clericalis, vel monasticæ vitæ ratione ea professio sit aliena; non tamen qui exercet, ideo fiet irregularis, quia nullam in hac specie pœnam irregularitatis ex juris definitione imminere deprehendimus, argumento, cap. 7, de ætat. et qualit. præficiendorum. De laicis, qui postquam aut chirurgicam, aut medicam artem exercuerint, in clerum cooptari desiderant, minus aspera disciplina stabilienda videtur. Etiamsi enim profitentibus illas artes nonnihil lenitatis deesse videri aliquibus possit, unde irregularitas, de qua quæritur, irregularitas ex defectu lenitatis a pragmaticis passim appellatur, quis tamen ignorat, majorem esse illam lenitatem, quam ecclesia a clericis postulat, quam sit lenitas laicorum? canon 37, distinct. 50, cap. 2, 6, 8, 9, de homicid., cap 1 et 2, de clericor. percuss. Quamobrem si forte medicus laicus in clero adscribi se postulet, non ex eo irregularis dici poterit, quod medicam artem exercuerit, nisi tamen ejus negligentia evenerit, ut ægrotans in mortis discrimen adduceretur. Atque in hac re nihil est, quod difficultatem ingerere valeat, quum habeamus expressam Clementis III definitionem in dicto cap. 7, de æt. qual. præficiend. Neque ulla dubitatio esse potest de chirurgis, quoties eam tantum artis partem professi fuerint, quam mitiorem superius appellavi, sive quæ nec in urendo, nec in secando, nec in incidendo consistat, nisi tamen qui eam exercuerit, negligens adeo fuisse proponatur, ut exinde ægrotans aut moreretur, aut in aliqua corporis parte tabem insanabilem contraxisset. Difficilius est definire alteram quæstionem, quæ in altera minime leni chirurgiæ parte versatur. Etenim vulgus interpretum, ac pragmaticorum in eam opinionem passim devenisse deprehendo, ut concluderent, eam chirurgiæ partem profitentem, utut de minima negligentia redargui minime possit, fieri irregularem. Si valida invenissem, aut saltem probabilia vulgatæ hujus opinionis fundamenta, et ego facile subscriberem; neque enim is sum, cui aliena, ac præsertim ea, quæ communibus fere suffragiis recepta sunt, displicere soleant. Verum ad canonum sanctiones, quod maxime in hac juris parte decet, respiciens, neque ullum inter ipsas monumentum inveniens, in quo non dixerim irregularitatis notam præstitui in laicos artem chirurgicam exercentes, sed nec levi aliqua conjectura eliciatur, ex qua irregulares artem chirurgicam exercentes fieri deducatur, necessario cogor, ut aliud concludam, quando certissime scio, irregularitatem ex sanctione juris, non ex privatis interpretum placitis proficisci. Dicunt nunc, qui contra sentiunt, eam chirurgiæ partem exercentes lenitate deficere. Quid, si ego id admittam. Probandum ipsis erit, talem esse defectum lenitatis, contra quem nota fuerit irregularitatis indicta: neque enim quicumque lenis animi defectum habent, statim irregulares esse intelliguntur, nisi aut constet de generali canonum sanctione, qua qui lenes omnino non sunt, ad cleri officia promoveri non possint, aut constet de singulari canonum definitione, qua in proposita defectus lenitatis specie indicta fuerit irregularitas. Provocent forte ad varia exempla, quibus qui cædunt, aut mutilant, utut justa ac legitima de caussa, fiunt irregulares. Singularia ista omnia sunt, de quibus expressæ prodierunt legumlatorum antistitum definitiones. Quis autem ignorat, in materie irregularitatis argumentum a similibus petitum minime valere? quemadmodum apertissime docuit Bonifacius VIII, qui interrogatus, an is irregularis evaderet, qui sacra mysteria in polluta ecclesia celebraret, quasi is non longe distaret ab eo, qui celebraret in ecclesia interdicta, respondit, nullam imminere in proposito irregularitatem, *cum id non sit expressum in jure*, cap. 18, de sent. excom. in 6. Ceterum licet ita mihi respondendum videatur, quando ad jus tota quæstio revocaretur, si tamen in facti quæstione versa-

ret, tanquam saluberrimum consilium capiendum proponerem, ut saltem ad cautelam dispensatio ab eo, ad quem pertinet, peteretur, non quod credam, dispensationem petendam ob dubiam juris sententiam; etenim non ignoro, in dubio juris nunquam esse pro irregularitate pronunciandum; sed quod gravis esse facti dubitatio posset, quod scilicet, qui chirurgicæ artis quamcumque partem exercuit, non omnem omnino, et universis in casibus diligentiam impenderit, ne ægrotans in quoddam aut vitæ, aut incolumitatis discrimen adduceretur; neque autem ignoro, in facti dubitationibus tutius esse, dispensationem, uti vocant ad cautelam postulare, c. 12, 18 et 24, de homic.

Defectus famæ etiam irregularem facit. Si enim clerici dum ordinandi sunt, bonum habere populi testimonium debent. Actuum apostolicorum, cap. 6, epist. ver. ad Timoth., cap. 3, can. 5, dist. 51, cap. 11, de excess. præl., cap. 87, de reg. jur. in 6, jure optimo arcendi ab ordinibus erant, qui boni nominis, et famæ jacturam fecissent. Duplex est infamia, popularis scilicet, ac legalis. Popularis ex quodam incerto delicti admissi rumore dependet, ut in cap. ult. de furtis, cap. 10, de renunciat. atque hæc quidem operari potest, ut donec infamiam quis contraxerit, nec purgetur, aut ad suscipiendos ordines non admittatur, aut, ne in susceptis ordinibus ministret, interdicatur, non tamen ut omnino sit irregularis. Legalis infamia oritur, sive ex lege publica, quæ a civilibus muneribus quemquam arceat, sive ex lege ecclesiastica, quæ ecclesiasticis honoribus quemquam privet, atque ista proprie irregularitatem parit, can. 1, 2, caus. 3, quæst. 7, can. 2, 17, caus. 6, qu. 1, c. 5, de pœnis in 6. Porro hæc legalis infamia triplicem habet caussam; modo enim ex professione oritur, modo ex qualitate criminis, modo ex qualitate pœnæ in reum inflictæ. Ex professione infames dicuntur, quotquot ludicram, aut comicam artem exercent, can. 2, dist. 33, l. 2, § 5, ff. de his qui not. infam. Sunt qui adjiciunt *carnifices, seu macellarios, aut tabernarios*, in conspectu clementinæ 1, de vita et honest. cler. Alium vero fuisse scopum Clementis V, vel ex ipsa constitutionis lectione liquido constat. Ex crimine dicuntur infames, quicumque tale crimen admiserint, cujus rei civili jure infamia notantur, can. 2, 17, caus. 6, qu. 1, quamobrem colligiturex levi delicto neminem irregularem fieri, imo nec ex quocumque gravi crimine, sed ex eo tantum, quod publicum sit, et infamia jure notatum, can. 33, 34, dist. 50, can. 3, caus. 6, qu. 1, cap. 54, de testib. Horum criminum characteres isti sunt, nimirum si capitalia sint, can. 17, caus. 6, quæst. 1, cap. 13, vers. *credentes* de hæreticis, cap. 5, de pœnis in 6, si ab accusando, vel a testimonio in judicio ferendo quemquam repellant, can. 9, caus. 3, quæst. 5, can. 2, caus. 6, quæst. 1, cap. 54, 56, de testibus; denique si talia sint, quæ publico judicio publicis pœnis damnari soleant, cap. 9, de purgat. canon. argumento legis 1 et 2, ff. de publ. judic. Addere debemus ea crimina, quæ jure ecclesiastico excommunicationis pœna ipso facto puniuntur, dicto cap. 13, de hæret., can. 3, caus. 6, quæst. 1, item ea omnia crimina, quæ memorantur in can. 9, can. 3, qu. 5, can. et 17, caus. 6, qu. 1. Ex pœna dicuntur irregulares, non sane qui in numerata pecunia condemnantur caussa injuriæ compensandæ, cap. 23, de sentent. et re judic. sed qui pœnæ capitali, aut corporali, qualis esset fustium, triremium, exilii, deportationis subjiciuntur; item qui anathemati obnoxii fuerunt, vel degradati, vel etiam depositi etiam depositione verbali. Non est omittendum hoc in loco, olim etiam irregulares fuisse, qui semel pœnitentiæ publicæ in ecclesia addicti fuissent, quasi non integra essent illorum existimatio, siva pœnitentia publica indicta fuisset auctoritate ecclesiæ, sive sponte quisquam ex demissione animi publicam pœnitentiam suscepisset, can. 55, 56, 58, 60 et 68, dist. 50, can. 1, 2, 3, d. 55, can. 3, dist. 61, can. 4, 5, dist. 81, c. 1, de bigam. non ordin. quamquam necessitate cogente ad minora officia ex quadam dispensatione admitterentur, dicto can. 68, dist. 50. Ex eo vero, quod quis ægrotatione pressus pœnitentiam publicam se initurum vovisset, non inde evadebat irregularis, si non fuisset pœnitentium stationes ingressus, can. 57, dist. 50. At enim hæc post pœne sublatam publicarum pœnitentiarum disciplinam penitus exoleverunt.

Ex defectu sacramenti dici solent irregulares tres hominum conditiones, nimirum clynici, neophyti et bigami. Clynici in primis, qui distulerunt sacramenti baptismatis susceptiones in tempus suæ infirmitatis; de his enim gravis oboritur suscipio, ne firma omnino voluntate ad sacramentum accesserint, can. un. dist. 57, deinde neophyti, seu recens baptizati, utpote qui minus et fide, et moribus probati videntur, can. 1, dist. 48, can. 9, dist 61, can. 3, 9, dist. 77, quorum exemplo neque admittuntur ad majora ecclesiæ officia, qui recens ex laicis in clerum admissi fuerunt, can 2, dist. 48, can 1 et sequentibus, dist. 61 et difficilius dispensatur cum iis, qui recens ab hæreticis reversi sunt, aut publicorum pœnitentium stationes recens exegerunt, can. 3, dist. 61. Hæc ex apostolica Paulli doctrina derivata sunt, atque in canone traducta, can. 1, dist. 48, triplicem ob caussam, primo nequis ambitu moveatur, deinde ut per gradus ad majora ecclesiæ officia ascendatur,

postremo ut certus inter promovendos ordo servetur, et minor provectioribus minime præferatur. De bigamis non ordinandis vetustissima est disciplina, quæ vel ipsum Paullum apostolorum habet auctorem, 1, ad Timoth., c. 3, ad Titum, c 1. ad Ephesios, c. 5, unde etiam recentiores pontifices sequentes veterum patrum vestigia, ubi de hac re ageretur ad apostolicum præceptum semper provocaverunt, c. 2 et 3, de bigam. non ordin Simplex initio erat hæc doctrina; sed Scholastici mediæ ætatis, simbolis, ac figuris plura adumbrantes, et res valde dissitas ad studiosorum commoditatem jungentes, triplex bigamiæ genus dixerunt, quos deinde pragmatici secuti sunt. Primam bigamiam veram, et propriam, alteram interpretativam, postremam similitudinariam vocaverunt. Propriam, et veram esse dixerunt, de qua locutus est laudatus apostolus, et quam ab antiquissima ætate sacri canones irregularitate notaverunt, cum quis vel simul, vel successive duabus conjugibus est copulatus Hac in re vetus fuit quæstio, num bigamus censeretur, qui unam ante baptismum, alteram post baptismum duxisset uxorem. Vel ipsi sancti patres, inter ceteros Augustinus et Hieronymus, invicem disputaverunt, can. 1 et 2, dist. 26. Sed prævaluit Augustini sententia, recepta statim ac fuit auctoritate Innocentii I, probata, in can. 3, distinct. 26, quo definitum est, adhuc bigamum illum censeri. Hoc disputationis genus totum tunc temporis exigebatur ad præceptum apostoli Paulli, qui ordinari volebat eum, qui unius dumtaxat uxoris vir fuisset; uxor autem que dicebatur, sive quæ ante baptismum, sive quæ post baptismum ducta fuisset. Tantum allegabant, qui contra sentiebant, per baptismum fieri novum hominem, et quæ præcessissent, penitus aboleri, quod solidis argumentis Innocentius I, refutavit in dicto can. 3. Prisca illa ætate non opus erat disputare, an etiam irregulare essent, qui non uxores, sed concubinas plures sibi junxissent, aut qui cum pluribus extra conjugium turpiter conjuncti fuissent, quasi isti eodem jure, imo et deteriore censerentur. Concubinari, et rei adulterii, vel stupri ex alia caussa irregulares tunc habebantur, nimirum ex crimine, can 1, dist. 28, can. 1 et 7, dist. 33, can 33, 34. distinct. 50, atque non satis decebat, hos æquiparare illis qui duplex successive conjugium contraxissent. Verum cum primum post receptas Isidori Mercatoris decretales eum reis criminum, præsertim pœnitentibus, mitius agi cœpit, et ob frequentes dispensationes ordinaretur passim graviorum etiam criminum rei, visa est humanior disciplina erga adulteros, et fornicatores, quam erga bigamos: ac tum primum tradi cœpit, in bigamis impedimento esse, ne ordinentur, quendam sacramenti defectum, qualis non agnoscebatur in iis, qui turpem, aut minus castam vitam duxissent. His principiis regebatur ecclesiastica disciplina sæculo 12 et 13, unde cum disputari cœpisset, an arcendus esset quasi bigamus a sacra ordinatione, qui plures habuissent concubinas, rescriptum est, non esse arcendum, cap. 6, de bigam. non ordin. Difficilior visa est definitio alterius quæstionis, num tanquam bigamus irregularis habendus esset, qui duplex non jure, sed facto, matrimonium contraxissent, quia scilicet alterutrum conjugium ex legum censura non subsisteret. Innocentius III, post prodita in utramque partem de more scholasticorum illius ætatis argumenta, observavit quidem generale principium, quod tunc temporis firmum erat, bigamiam ex eo irregularitatem inducere, quod in ea defectus quidam sacramenti agnosceretur; atque inde conclusit, eum, de quo quærebatur, proprie bigamum dici non posse; attamen ad animum potius conjugium contrahentes exterius proditum *cum opere subsecuto*, intendens, quam ad conjugii veritatem, noluit, eum ad sacros ordines posse promoveri, cap. 4 et ult. de bigam. non ordin. ex quibus aperte dignoscitur caussa, quare idem Innocentius aliud rescripserit in ea specie, qua quis plures concubinas habuisset, aut cum pluribus esset fornicatus, dicto cap 6, de bigam. non ordin. Interpretativam bigamiam dixerunt, cum quis uxorem viduam duceret. Et quidem vetusti canones sunt, quibus viduarum mariti ab ordinibus arcebantur, can. 9, 10, 15, 18, distinct. 34, sed plurimum vereor, ne hæc irregularitas ex caussa bigamiæ cujusdam invecta non fuerit, potius vel ex quadam infamiæ nota, quæ recens viduis mulieribus etiam ex romanarum legum disciplina imminebat, vel ex censura veterum patrum, qui satis non probant secundas mulierum nuptias. At recentiores etiam in hoc conjugio quendam sacramenti defectum agnoverunt. Disputari inde cœpit, an bigamus etiam diceretur, qui duxisset eam, quæ alteri fuisset tantummodo desponsata, aut quidem post matrimonium ratum in domum ducta, non cognita atque Innocentius III, quadam variorum symbolorum inductione definivit, nullam irregularitatem imminere, c. 5, de bigam. non ordin. Sane eum, qui duxisset uxorem ab altero repudiatam, irregularem fuisset, nescio an dicam ex defectu sacramenti, an potius ex caussa criminis, veteres canones definiverunt, can. 17, ex apostolicis, can. 25, dist. 34, cap. 1, de bigam. non ordin. At cum de eo quæritur, qui duxerit meretricem, vel ancillam, vel scenicam, vel qui cum uxore adultera sciens prudens conjugio usus fuerit; et constat, eum esse irregularem, can. 17, ex. apostolicis,

can 11, 12, 15, 1 dist. 34, pro certo habeo, hanc irregularitatem non esse referendam ad defectum sacramenti, sed potius ad quandam infamiæ notam, quæ marito in iis speciebus inurebatur. Similitudinariam bigamiam dixerunt, cum quis post solemnem continentiæ professionem matrimonium contraxit, can. 24, caus. 27, qu. 1, cap. ult. de bigam. non ordin., cap. 4, de cler. conjug. Certa quidem est censura canonum, qua in proposito imminet irregularitas; meo tamen judicio eadem potius inflicta est, veluti criminis pœna, non in argumentum defectus alicujus sacramenti. Ex quibus observationibus colligitur, tria hæc bigamiæ genera non eodem jure censeri; quamobrem siquæ sunt canonum definitiones, quibus certæ pœnæ adversus bigamorum ordinationes statutæ sunt, eas propria ad bigamos primi generis pertinere, parcius referri ad bigamos secundi generis, ad bigamos tertii generis nullo modo. Statuit Lucius III, vix dispensari posse cum bigamis ordinandis, ne dispensatio fiat adversus præceptum apostoli, cap. 2, de bigam. non ordin. Cur non de bigamia tantum primi generis id erit intelligendum? Statuit arelatense concilium, in can. 2, dist. 55, ordinatores eorum, qui bigami essent, vel viduarum mariti, per annum a Missæ sacrificio abstinere oportere. Cur non coerceatur hæc sanctio ad bigamos primi et secundi generis, quin locum habeat in bigamis tertii? Statuit iterum Lucius III, in dicto cap. 2, de bigamus, ordinatores bigamorum contra præceptum apostoli, protestate ordinandi privari. Cur non id de bigamis tantum primi generis est intelligendum? sive quod temporibus Lucii III, nomine bigamorum veniebant tantum bigami primi generis, sive quod Lucius III, sese referat ad bigamos, quales apostolus declaravit, qui non sunt unius uxoris viri. Denique statuit Gregorius X, bigamos clericos esse omni privilegio clericali nudatos, cap. un. de bigamis, in 6. Quis non intelligat, hac constitutione non comprehendi bigamos tertii generis, propterea quod hujus generis bigami nonnisi improprie bigami nominantur, cap. 1 et 2, qui cleric. vel vov. cap. 4, de cleric. conjug. et vix comprehendi in eadem constitutione bigamos secundi generis, quia temporibus Gregorii X, viduarum mariti generali bigamorum vocabulo venire cœperunt, argumento capituli ult. de bigam. non ordinandis.

CAPUT V.

De specialiter irregularitatis caussis, ubi est pœna criminis.

Huc referendi specialiter sunt tituli 8, 9, 12, 14, 25 et 27, libri 5.

Definiri generaliter potest, nullum crimen irregularitatem parere, nisi quod expressa lege irregularitate punitur, argumento, c. 18 de sent. excom., in 6, juncto, can. 1, distinct. 81. Deinde adjiciendum est, hanc pœnam duabus ex caussis indici consuevisse, primo caussa criminum, quæ vel mortis pœna publica lege plectuntur, can. 23, dist. 51, vel infamem jure publico reddunt, aut quemquam ex jure ecclesiastico pœnitentiæ publicæ addicunt, quemadmodum facile ex dictis in capite præcedente colligitur, secundo caussa criminum, quæ recta opponi administrationi sacrorum videntur, uti contingit in crimine hæreseos, quod evangelicæ prædicationis officio, in reiteratione baptismi, quæ canonicæ ejusdem sacramenti administrationi, in crimine homicidii, aut mutilationis, quod incruento eucharistici sacrificii ministerio, aut in quibusdam ordinis vel illicite suscepti, vel illicite exerciti speciebus, item simoniacis quibusdam gestis, conjugiisve a clericis in majoribus ordinibus celebratis, quæ omnia legitimo ordinis sacri ministerio, e diametro, et maxime adversantur. Multum autem interest hodie, an tale crimen sit, quod ex caussa capitalis pœnæ, vel infamiæ, an tale, quod ex oppositione cum recta ordinis administratione reddat irregularem. Si capitalis pœnæ, vel infamiæ caussa irregularitas crimen sequitur, quidquid olim vigeret, hodie fere octinuit ut non aliter ea crimina irregularem reddant, quam si publica sint et in judicium deducta, non si occulta, et omnino secreta uti exempla sunt in crimine adulterii, fornicationis, concubinatus, perjurii, furti, falsi et similibus, can. 18, distinct. 61, can. 1, distinct. 81, cap 4 et ult. de tempor. ordinat., cap. 4 de judic., concilio tridentino, sess. 25, de reform, cap. 14, juncto, can, 1, distinc. 33. At si altera de caussa indicitur irregularitas, imminet pœna, etiamsi crimen occultum fuerit. Neque obstat dictum capitulum ult. de tempor. ordinat., ubi solum homicidii crimen excipitur, quasi ex eo uno etiam occultu irregularitas immineat. Etenim observandum est, eo contineri rescriptum singulari speciei propositæ accommodatum. Interrogatus fuerat Gregorius IX, de irregularitate, quæ imminebat adulteris, perjuris, homicidis et falsis testibus. Respondit, ex criminibus illis occultis quemquam non fieri irregularem *præter reos homicidii.* Pertinebat interrogatio ad crimina lege publica vel capituli pœna, vel certe infamia damnata. De criminibus, quæ directo pugnant sacris ministeriis, altum silentium. Qui ergo homicidium a regula excepit, tantum regulam statuit de criminibus pœna capitali, vel infamia damnatis, non de ceteris, quæ alia de caussa irregularitatem inducunt.

Itaque olim erant multa crimina, quæ cum essent aut pœna mortis, aut pœna infamiæ

publicis legibus damnata, pœna quoque irregularitatis sacris canonibus puniebantur. Hujusmodi fuerunt adulteria, stupra, et qui prope ad has turpes conjunctiones accedunt, concubinatus, pejuria, crimen falsi, et similia. De quibuscumque nefariis conjunctionibus, habemus expressum Gregorii Magni præceptum, in can. 9, dist. 50, præter alios canones innumeros, quibus eximia integritas, et castimonia in promovendis desideratur. At posterior ætas mitius egit, et primum in clericos concubinarios severitas disciplinæ adhibita est, cum fuerint pervicaces, cap 3, 4, 6, de cohab. cler. et mul., deinde cum malum in deterius vergeret, concilium tridentinum, in sess. 25, de reform., cap. 17, statuit, ut beneficiarii jure beneficii pro contumaciæ modo privarentur, et pugnaces declararentur inhabiles ad quoscumque honores, officia, et beneficia, ii vero, qui nullum beneficium haberent; pro modo contumaciæ etiam inidonei ad officia ecclesiastica redderentur. Adulteros ceterosque immundos arcendos esse a sacris ordinibus, docuit Augustinus, in can. 1, dist. 81, quem secutus est Alexander II, in can. 17 et 18, ead. dist., ut omittam canonem 24, dist 50. Verum et posterior ætas quidquam remisit, arcens ab officiis pervicaces tantum, quemadmodum habetur in cap. 4, de cohabitat. cleric. et mulier, cap. 13 de vita et honest. cleric., cap. 17, de tempor. ordinat., cap. 4, in fine de judiciis. Idipsum obtinuit in perjuris et falsis testibus; quamquam enim vetustis canonibus irregularitas immineret, can. 7, distinct. 50, can. 1, dist. 81, coercita tamen est ea disciplina ad casum, quo delictum sit in jure probatum, dicto cap. 17, de tempor. ordinat., cap. 4, eod. tit., cap, 4, de excess. prælat. Quamquam vero disciplinæ veteris rigor inflexus fuerit, non tamen inane est ad illam respicere, veluti ad regulam, qua uti debent juxta intimum ecclesiæ spiritum ecclesiarum antistites, dum clericos sunt ordinaturi.

Sunt, ut ajebam alia crimina, quæ directo pugnant sacræ ordinationi. et quæ ex ordinatione pendent, ministeriis, et quibus ex juris sanctione imminet irregularitas. Hujusmodi sunt hæresis, simonia, reiteratio baptismatis temere facta, illicitæ quædam aut recepti, aut exerciti ordinis species, denique homicidium, aut mutilatio. De hæresi multa jam tradidi suo in loco, sive hæreticos ipsos, sive hæreticorum filios, sive hæreticorum fautores spectantia. Addere iis possum, eos simili quoque irregularitatis pœna puniri qui beneficia precibus hæreticorum impetrant, hos enim omnes constat esse irregulares, can. 32, dist. 50, can. 5, dist. 51, can. 21, caus. 1, quæst. 7, can. 29, 30, 31, 32, caus. 24, qu. 3, c. 9, de hæretic., c. 2. vers. *hæretici*, et vers. *ad hæc*, cap. 15, eod. in 6, concil. trident., sess. 24, de reform. cap. 6. Neque opponas dictum capitulum 15, de hæret. in 5, ubi videntur pœna irregularitatis filii hæreticorum affici tum demum, cum parentes illorum mortui in hæresi fuisse probentur; etenim deductio criminis in judicium ibi requiritur, quia non solum de irregularitate agebatur, sed etiam de ceteris hæreticorum pœnis, quibus, locus esse non potest, nisi palam de admisso crimine constet. Deinde forte admittendum erit nonnihil singulare in hæreticorum filiis minime hæreticis, utpote qui ex facto alieno irregulares fiunt: facti autem alieni non præsumuntur conscii, nisi quando in judicium deductum fuerit.

Nihil est præterea, quod hoc in loco adjiciam de simonia, quando superius suo in loco ostendi, ejus criminis reis imminere ex censura canonum irregularitatem, cap. 21, de accusation., cap. 37, de simonia, cum similibus, una observans, quam infirmum argumentum sit, quod ad ostendendam disciplinæ relaxationem deducunt passim pragmatici ex extravag. 2, de simon. Optandum sane est, conandumque, ut ea disciplina perseveret ad retundendum clericorum ambitum, qui muneribus, officiis, et precibus beneficia, atque ordines petunt, ne alias sit in ecclesia invidendum sollicitudini veterum romanorum, qui gravissimas pœnas in reos ambitus intulerunt, l. unica ff. ad leg. Jul. ambit, l. un. cod. eod. tit.

De reiteratione baptismatis etiam superius actum est, traditumque, imminere huic crimini pœnam irregularitatis. Heic adjiciam tum demum huic pœnæ locum fieri, cum dolo fiat, vel culpa, quæ dolo sit proxima can. 1, caus, 1, quæst. 4, can. 117, de cons. dist. 4. Ut clarius sanctiones canonum explicentur, de tribus personis quæri potest, primum de baptizante, secundo de clerico, qui baptizanti ministrat, tertio de baptizato. Difficile est canones producere, quibus rebaptizantes declarentur irregulares. Quando vero in cap. 2, de apostatis definitum est, ipsum etiam acolythum rebaptizanti administrantem irregularem fieri, quid prohibet, quominus in ipso rebaptizante similis indicta pœna agnoscatur? quando non tam plus, quam præcipue delinquit, qui rebaptizat, præ eo, qui rebaptizantem officio adjuvat. Neque verendum est, admitti in hac specie prorogationem irregularitatis de casu expresso ad non exspressum; siquidem agitur de eodem facto in quo vix prorogatio fit de persona ad personam; imo ex quo acolythus irregularis declaratur, supponere juvat, auctores canonum voluisse lege sua rebaptizantem comprehendere, quod ideo forte non expresserunt, quia non alii rebaptizare consueverunt, quam hæretici, quos propterea vel ipsa hæresis ir-

regulares effecerat. Forte notabis, in dicto can. 2, de apostatis, acolythum irregularem dici, *si publicum erat, quod proponebatur*, quasi in hac irregularitatis specie illud ipsum observetur, quod in pluribus aliis delictis quæ si occulta sunt, irregularem non efficiunt ex jure decretalium. Ego potius observarem, Alexandrum III, in proposita specie, quæ nova erat, et canonibus minime definita, de juniore nimirum acolytho, qui simplex ministerium rebaptizanti, vel rebaptizato gratiose exhibuerat, et qua valde jam austera tradebatur disciplina, cum pro irregularitate rescriberet, mitius inde quinquam adjecisse, ut mediam quandam viam eligeret, et non adeo severe puniret, uti puniendus esset rebaptizans, vel rebaptizatus. Porro de rebaptizatis apertissima est censura canonum, qua fiunt irregulares, can. 65, dist. 50, can. 3, dist. 98, can. 10, cau. 1, qu. 7, can. 108, 117, 118, de cons., dist. 4. Quod traditum est de baptismate, jam alias adnotavi ad eos extendi non posse, qui sacramentum confirmationis iteraverunt, cum canones in hac parte deficiant, neque ad eos, qui reordinaverunt, aut reordinati sunt, nisi de eo ageretur, qui hæreticus fieret, et ab hæretico episcopo iterum ordinaretur, cap. ult. de apostatis.

De illicita ordinis susceptione dico, non semper occasione ipsius, irregularitatem inferri, sed in iis tantum speciebus, in quibus jure definitum est. Hinc, quia juris sanctio deficit, non erit irregularis, qui ordines per saltum suscepit, uti superius tradidi ad titulum de clerico per saltum promoto. Eandem ob caussam non erit irregularis, qui suscepit ordines ab episcopo, qui renunciavit episcopatui; quamquam enim, in cap. 1, de ordinat. ab episc. qui renunciat. episc. dispensationis fiat mentio, exinde tamen non sequitur, clericum fuisse irregularem, propterea quod sicut restitutionis, ita et dispensationis nomen significare etiam potest absolutionem a censura, qualis est suspensio, quam incurrit ita ordinatus, argumento capituli 8, de tempor. ordin., concilio tridentino, sess. 24, de ref., cap. 6. Item quamquam interea ex defectu ætatis quodammodo irregularis dici possit, qui ante legitimos annos suscepit ordinem, proindeque ab officio suspendatur, cap. 14, de tempor. ordinat., cap. 2, de æt. et qual. præfic., non tamen proprie dicetur irregularis, atque ita, ut deinde legitimo tempore promoveri auctoritate episcopi nequeat, cum juris sanctio desideretur. Similiter nec erit irregularis, sed tantum ab officio suspensus, qui ordinem suscepit ab episcopo non suo, can. 1 et 3, distinct. 71, can. 1 et 6, cau. 9, qu. 2, junctis decretis tridentini concilii, cap. 5, sess. 6, cap. 2 et 3, sess 14, cap. 8, sess. 23, de ref, cap. 1 et 2, de tempor. ordinat., in 6, ubi tamen quod dici videtur, absolutionem dispensationis pontifici maximo reservari, abrogatum est a concilio tridentino, dicto c. 2 et 3, sess. 14, dicto cap. 8, sess. 23. Item deponuntur quidem, aut suspenduntur, non tamen fiunt irregulares, qui extra legitima tempora sunt ordinati, c. 2, 8 et 16, de tempor. ordinat. Pœna irregularitatis locum habet, cum quis sciens prudens a simoniaco episcopo etiam non simoniace ordinatur, can. 107, 108 et 109, caus. 1, qu. 1, vel cum quis ordinatur ab episcopo excommunicato, can. 4, cau. 9. quæst 1, ex quo interpretationem accipit, cap. 2, de ordin. ab episcop. qui renunciavit, in quo dispensationis nomen occurrit, atque intelligendum id est de dispensatione ab irregularitate, ut dicto canoni 4, cohæreat, vel cum quis ordinatur ab episcopo schismatico, cap. 1 et 2, de schismastic. aut cum quis in apostasia sacrum ordinem suscipit, cap. ult. de apostatis, aut cum quis minoribus ordinibus eodem die una cum subdiaconatu insignitur, cap, 2, de eo, qui furtive, non tamen siquis majores ordines uno die susceperit, cum tantum pœna suspensionis indicatur, c. 13 et 15, de tempor. ordinat., item irregularis esse videtur, qui bipartita, ita dixerim, sacræ ordinationis administratione ordines susceperit, quemadmodum in specie canonis 13 et 14, dist. 23, itidem maritus sine consensu uxoris ordinatus, can. 4, cau. 9, q. 1, extravag. un. de voto apud Johannem XXII. Olim quoque irregulares habebantur, qui sine titulo ordinarentur, can. 1 et 2, dist. 80, hodie vero ab ea disciplina recessum est; tantum enim imponitur onus ordinatoribus, ut certæ ecclesiæ ordinandum adscribant, cap. 16, de præbendis. An etiam irregularis fiat, qui excommunicatione innodatus ordines suscipit, non satis liquet. Si producatur in medium capitulum 6 de apostatis, illud statim singulare adparet de clericis in apostasia ordinatis. Si producatur capitulum 32, de sentent. excommunicat., agitur quidem in eo de depositione a suscepto ordine, non vero de irregularitate. Si producatur capitulum 1 et 3, de eo qui furtive, non de excommunicatis ibidem agitur, sed de iis, qui communicatione anathematis vetiti ab episcopo fuissent, ne ad ordines accederent, imo et istos con expresse definitur esse irregulares. Denique si producatur capitulum 3 et 4 de cler. excommun. minist., non pertinent ista ad speciem excommunicati, qui ordinetur, sed excommunicati ordinati, qui nihilominus ecclesiastica officia exequatur.

Cum de illicita ordinis exercitione agitur, iterum eadem regula præstituenda est, qua tradatur, non quamcumque illicitam ordinis exercitationem irregularem facere, sed eam tantum, quæ ex sanctione juris irregularitate puniatur. In primis verum est, irregula-

rem illum esse, qui non susceptum ordinem audet exercere, quod quibus in casibus contingat, jam superius tradidi ad tit. de clerico non ordinato ministrante. Deinde generaliter verum est, clericum, qui, dum censura tenetur, administrat, fieri irregularem, can. 6 et 7, cau. 11, qu. 3, cap. 1 et passim de cler. excomm. ministr., cap. 1, de sent. et re judic. in 6, cap. 1, 18 et 20, de sent. excomm. in 6, etiamsi non fuerit denunciatus, cap, 12, 14 et 15, de homicid., dummodo qui ordinem exercet, sciat, aut non dubitet, se esse censura innodatum, cap. 1, de postul. prælator, cap. 5 et 9, de cler. excomm. ministr. Verum adhuc in hac re quædam sunt observanda, ne tanquam generalis disciplina casibus accommodetur, quæ suos fines habet, intra quos circumscribitur. In primis irregularem tantum puto esse eum, qui veram censuram violat. Quamquam enim siquis proponeretur excommunicatus, aut suspensus ad certum tempus, et determinatum, quo casu excommunicatio vel suspensio non proprie censura dicitur, sed certum pœnæ, vel pœnitentiæ genus, nihilominus hæc violatio pœnæ, quæ proxime ad censuram accedit, subjacet irregularitati, quia in cap 1, de sent. et re jud., in 6, id fuit expresse definitum; quid tamen si suspensio nullo modo censura esset, aut non proxime ad censuram accederet, sed providentia quædam, quia prælatus suspendus decori sacrorum prospiciat, veluti cum sacerdotem consilio et mente vacillantem ad indefinitum tempus arceat, aut cum clericum de crimine suspectum interea suspendat, donec de veritate in judicio constet? Ad hanc speciem irregularitas non extendetur; quod ego arbitror perspicue demonstrari posse ex can. 9, caus. 2, quæst. 5. Pendebat caussa Maximi de simoniæ vitio accusati; interea Maximus suspensus erat (ita enim interpretor vocem, quæ ibidem legitur *excommunicatus*, juxta morem veterum, qui nomine excommunicationis aliquando suspensionem designabant); nihilominus tamen idem Maximum suspensionem contemnens, animo se purgandi a crimine objecto, cujus se conscium esse negabat, missarum solemnia celebravit. Debuit quidem ob hoc, uti in eo canone legitur, pœnitentiæ subjici, non tamen irregularitate notari. Secundo certum est, laicos censuram excommunicationis, aut interdicti violantes non fieri irregulares, cum irregularitas tantum indicta sit ministerio sacrorum censuræ tempore peracto, cujus tantum clerici conscii esse possunt. Tertio etiamsi de clericis agatur, tantum irregulares erunt, cum ipsi per se, dum censura notarentur, divina officia celebraverint, non vero cum alteri censura notato celebranda mandaverint; quamquam enim et qui mandat, reus criminis sit, et pœna coercendus, sanctio tamen juris pœnam irregularitatis indixit iis tantum, qui præsumserint celebrare divina officia, vel se celebrationi ingesserint divinorum, cap. 5, in fine de cler. excomm. ministr. Quarto generale canonum sanctiones, quibus adversus *clericos* hæc irregularitas indicitur in toto tit. de cler. excomm. min., nobis insinuant, irregularitatem non solum clericis majoribus imminere, dum ordines suo gradui convenientes exercent, sed etiam clericis minoribus, qui ordine suo utantur. Quinto certum est, violationem solius excommunicationis minoris non inducere irregularitatem, cap 10, de cler. excom. ministr. Sexto si de suspensionis censura loquamur, violatio ejusdem tum demum reddit irregularem, cum suspensus ab ordine, vel officio, exercet ordinem, vel divinum officium celebrat, non tamen cum suspensus a beneficio res beneficiaris administrat, quia de sola ordinis exercitione, vel de divinorum officiorum celebratione tantum canones concepti sunt, can. 7, caus. 2, quæst. 3, toto tit. de cler. non ordin. ministr., cap. 1, de sent. et re jud., in 6, cap. 1, de sent. excommun., in 6. Eadem ratione si de excommunicationis majoris censura agatur, non ille fiet irregularis, qui quoquo modo excommunicationem violat, sed qui violat in ea parte, qua excommunicatio major sub se continet suspensionem ab ordine et divinis officiis. Similiter et irregularis erit, qui violaverit interdictum, seu locale, seu personale, divina celebrando, non alia quavis ratione, cap, 1, de postulat. Prælat., cap. 3 et 4, de cler. excomm. ministr., cap. 18 et 28, de sent. excommun., in 6. Non tamen erit irregularis, qui celebrat in ecclesia polluta, cum ibidem nulla sit violatio censuræ, dicto cap. 18, de sentent. excommunic., in 6, neque erunt irregulares episcopi, qui in loco interdicto altare sibi erigant Missæ sacrificium celebraturi, ob expressam ipsis concessam a sacris canonibus facultatem, in cap. ult. de privileg., in 6.

Irregularitatis ex crimine homicidii proficiscentis fundamenta nonnulli invenerunt, in cap. 21 Exodi in illis verbis: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* Verius meo judicio hæc verba eo pertinent, ut statuatur, homicidam nullo loco juvari, ne sacris quidem ædibus et altaribus, quominus mortis pœna plectatur. Potius fundamentum invenitur in doctrina Pauli apostoli, qui in epist. 1, ad Timoth. cap. 3, neminem percussorem veluti ad ecclesiasticos ordines promoveri, clarius Paulum secuti sancti patres declaraverunt, homicidas inidoneos esse ad sacros ordines, dist. 45, per totam, can, 2, caus, 1, qu. 9, cap 1, et passim de homicidio, cap. ult. de tempor. ordinat., cap. 12, de pœnis. Irregularitas au-

tem in proposito pœna criminis dicitur. cum homicidium injustum fuerit, idest sine auctoritate, et legitima caussa, can. 33, caus. 23, quæst. 8, concilio tridentino sess. 24, de reform. cap. 6. Quoties enim aut caussa, aut auctoritas subest, ea servanda erunt, quæ superius tradita sunt, cum de irregularitate ageretur, quæ proficiscitur ex defectu, uti vocant, lenitatis. Debet autem homicidium revera esse secutum, cap. 1, de cleric. pugn. in duello, cap. 24, de homicid. sive facto illius, de quo quæritur, sive auxilio, sive mandato, nisi mandatum revocatum fuerit, antequam homicidium sequeretur, cap. 23, de sent. excomm., in 6, sive etiam ratihabitione, quam vel mandatum, vel consilium præcessisset, aut quam præcessisset privata ratum habentis vindicta animo concepta, ubi nomine ipsius homicidium peractum est, dicto c. 23 de sent. excomm. in 6, can. 8, distinct. 50, can 34, caus. 23, qu. 8, cap. 2, de cler. pugn. in duello, cap. 4, de cler. percuss., cap. 6 et 18, de homic., cap. 5, de pœnis, quia refert, an homicidium occultum sit, an manifestum, atque in judicio probatum, can. 3, 5, 6, 33, 34 et 59, dist. 95, cap. ult. de tempor. ordin., concilio tridentino, sess. 14, de reformat., cap. 7. Immo et quandoque quis irregularis efficitur, etiamsi revera homicidium non subsequatur, nimirum quoties atrocia quædam occurrunt adjuncta, veluti cum quis *assassinia* meditantes instruit, vel fovet, vel protegit, cap. 1, de homicid., in 6, vel cum quis insequitur pontificem maximum, vel cardinales, cap. 5, de pœnis in 6, vel atrocem injuriam in episcopum intulerit, Clement. 1, de pœnis. Item habebitur tanquam irregularis quicumque, etiamsi non probetur homicidium admisisse, graviter tamen est de homicidio suspectus, cap. 14, de homicid., cap. 47, de sentent. excomm, quod potissimum locum in habet in iis, cum homicidium impedire possent, minime impediverunt, propterea quod isti homicidii conscii præsumuntur, dicto cap. 47, canon. 8, caus. 23, quæst. 3, cap. 6, de homicid., cap. 6, de sentent. excommunic, in 6. Neque his obstat, canon. 34, caus. 25, qæst. 8, in fine, etenim, uti ego jam observavi in meis lucubrationibus in Gratianum, postrema canonis verba, quæ negotium faciunt, in integris aut canonum, aut legum monumentis desiderantur. Illud necessario requiritur ad inducendam irregularitatem, ut homicidium ex voluntate fiat, quæ sane cum deficiet in infante, in amente, in furioso, in dormiente, nullus erit irregularitatis metus, can 14, caus. 3, quæst. 9, can. 1 et passim, caus. 15, quæst. 1, Clem. un. de homicidio, quamquam sufficiat, homicidium voluntarium fuisse, ut loquuntur, in caussa, quod contingit, cum quis voluntarie dat operam rei illicitæ, unde homicidium, etiamsi casu sequatur, can. 37, 38, 39, 44, 46, 47, 48, 49, 50 et 51., dist. 50, cap. 1, 7, 8, 9, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 19, 22, 23 et 25 de homicid., cap. 5, de pœnis, cap. 7, de pœnit. et remiss., cap. 3, de homicid, in 6, atque ob hanc rem etiam erit irregularis, qui mandat aliquem verberari, si mandatarius fines mandati excedens occidat, dicto cap. 3, de homicid., in 6. Aliud est, ubi homicidium necessarium sit, et admissum ob sui defensionem, quam alias qui curare non possit, cum moderamine, uti loquuntur inculpatæ tutelæ; et potiore jure, ubi homicidium admissum sit in bello justo defensivo; quemadmodum in præcedente capite traditum est. Qui furem ad tuenda bona occidit, adhuc irregularis erit, propterea quod hujus generis homicidium non sit sine crimine, nisi forte quis suspicetur non inanibus argumentis, etiam furem suæ ipsius vitæ una cum bonis insidiati, cap. 2, de homic. Qua in re opportuna distinctio est inter furem diurnum, et nocturnum, ut difficilius vindicetur a culpa, qui diurnum, quam qui nocturnum furem interfecerit, c. 3, de homicidio. Denique peremtio fœtus, veluti homicidium, irregularitatis pœna punitur, si fœtus fuerit animatus, can. 8, 9 et 10. caus. 32, quæst. 2, c. 20, de homic., non autem si fœtus adhuc inanimis fuisse dicatur; quamquam quod attinet ad salutarem pœnitentiam pœnitenti imponendam, generationem impediens quasi homicida consideretur apud patres Wormacienses, in c. 5, de homicidio, quod et iidem patres statuerunt in specie canonis 50, dist. 50.

Mutilatio etiam homicidio æquiparatur ad inducendam pœnam irregularitatis, cap. 1, de cler, pugnant. in duello, cap. de 4, rapto, cap. 3, de homicid., in 6, Clement. un. eod. tit, atque ob eam rem quidquid de iis, qui hominem occidit mandant, aut qui homicidium consilio, aut auxilio curant. dictum est, de iis etiam dicendum est, qui hominem mutilari mandent, vel mutilationem consilio, vel auxilio curent. Dicitur mutilatio abscissio membri, idest partis aptæ ad aliquam particularem operationem, argumento, cap. 6, de corpore vitiatis. Videtur quoque mutilatio esse, si facto alicujus membrum alterius contabescat, et functionibus sibi propriis exequendis inutile efficiatur. Imo etsi sola verberatio neminem reddat irregularem, vulneratio tamen, quæ cum sanguinis effusione fiat, irregularem faciet vulnerantem, cap. 1, qui cler. vel vov., cap. 4, de raptor. Sunt qui putant, in hac irregularitatis specie, quandam veluti talionis pœnam agnosci posse; cum enim mutilatus fiat ex defectus irregularis, ajunt jure statui debuisse, ut mutilans similem irregularitatem contraheret, argumento can. 13, dist. 55. Mihi non satis placet hæc

observatio, quando licet verum sit, omnem mutilationem, quæ reddit mutilatum irregularem ex defectu, reddere mutilantem irregularem ex delicto, dicto can. 13, dist. 55, non tamen verum est e converso, mutilationem, quæ mutilatum non reddit irregularem ex defectu, non reddere mutilatem irregularem ex delicto. Hæc omnia vero sunt, sive quis mutilaverit alium, sive mutilaverit semetipsum. can. 6, dist. 55, cap. 4, de corp. vitiat., sive passus fuerit se ab alio mutilari, dummodo culpa patienti adscribatur, can. 7, 8, 9, 10 et 11, dist. 55, cap. 5, de corp. vitiat. Ex quo sane fit, ut qui crimen admiserit, ex quo inde magistratus auctoritate mutilatus fuerit, irregularitatem non evadat, non solum ex eo, quia mutilatio pœnalis infamem reddat, sed etiam ex eo, quod iste mutilationi caussam culpabilem dederit. Constat exinde, quid dicendum sit de iis, qui eunuchi facti fuerint. Quoties aut casu id evenit, aut in infantibus, qui sunt propriæ voluntatis expertes, aut vi facta etiam in adultis, aut denique medicorùm consilio in iis, qui aliter salutem instaurare nequeant, nulla a sacris canonibus inducta est irregularitas. Verum extra hosce casus mutilatis eidem semper irregularitas imminebit, quin excusari valeant ex eo forte, quod allegent, se ad bonum finem mutilationi aut caussam, aut assensum dedisse, quemadmodum sapientissime observavit Benedictus XIV, in lib. 11, de Synodo diœcesana, c. 7, n. 1, et sequentibus, can. 3, 4, 5, 7, 8, 9, 10, dist. 55, cap. de corpore vitiatis.

CAPUT ULTIMUM.

De modis, quibus irregularitatis aut impedimentum cessat, aut nota deletur.

Non semper perpetua est irregularitas; sed modo juris auctoritate, modo ex ipsa irregularitatis indole dispositioni juris accommodata, modo ex dispensatione prælati eam jurisdictionem habentis finem habet. Juris auctoritas intercedit, quoties lex, quæ irregularitatem induxit, aut contraria lege aut contraria consuetudine, quæ vim legis habeat, abrogatur; qua ratione multæ irregularitates, quæ olim in usu erant, hodie amplius non vigent. Ex ipsa irregularitatis indole dispositioni juris accommodata finem habet irregularitas, quoties ipsa irregularitatis indicendæ ratio et caussa, vel certa adjuncta a lege probata suadent, ut finem accipiat. Quod ut perspicue demonstretur, stabilienda sunt duo veluti principia, quorum primum est, vix tempore circumscribi illam irregularitatem, quæ ex crimine ortum habet; alterum est, ut plurimum finem habere irregularitatem, quæ ex defectu proficiscitur, ubi defectus cessaverit, aut ubi defectus nullam amplius rationem haberi, in jure definiatur. Primum principium adeo generale est, ut ad illud nonnisi tres exceptiones in jure probatas invenim. Prima exceptio est, si subdiaconus matrimonium contraxerit, et deinde facti pœnitens monasticam vitam amplectatur, c. 2, qui cler. vel vovent. Secundo exceptio est, si constitutus in minoribus ordinibus incaute iteraverit baptismum, deinde monasticam vitam professus fuerit, cap. 2, de apostatis. Siquidem in hisce duobus casibus visum est, delinquentium pœnitentiam serio animo in monasterio peractam ita delere crimen, ut deleat etiam ipsam irregularitatis notam, quæ ex iis criminibus contracta fuisset. Tertia exceptio demonstrari potest in specie capituli 2 de cler. non ord. ministr. propositum fuerat Urbano III, diaconum quendam missarum solemnia celebravisse. Irregularis quidem erat, sine spe ulla ordinationis sacerdotalis: at de beneficio aut non auferendo, aut concedendo agebatur, ne laicalem omnino vitam inire cogeretur. Responsum fuit, post sinceram pœnitentiam id posse concedi, quamquam salubrius foret, si reus ad regularem vitam transiret. Ad vero exinde non liquet, proprie irregularitatem contractam ex pœnitentia, vel ex monastica professione cessare: tantum insinuatur, post pœnitentiam, aut monasticæ vitæ professionem, facilius obtentum iri dispensationem.

Alterum principium, quo definitum est, ut plurimum finem habere irregularitatem, quæ ex defectu proficiscitur, ubi defectus cessaverit, aut ubi nullam amplius rationem defectus haberi, in jure definiatur, generale quidem esse videtur, non adeo tamen, ut nullas patiatur exceptiones. Quamobrem dico in primis, illud tum locum habere, quoties impedimentum aut jure definitum aut temporarium sit, aut certis conditionibus præstitutum. Exempla sunt, primo in iis, qui caussa ætatis irregulares dicuntur, statim ac enim legitimam ætatem nacti sunt, irregulares esse desinunt, cap. 14, de tempor. ordin., cap. 2, de ætate, et qualit. præfic., quod ipsum de neophytis dicendum est, statim ac jam diuturnum tempus a baptismatis susceptione præterlapsum est; secundo in iis, qui caussa amentiæ, vel furoris, vel ægrotationis, quæ animum alienaverit, irregulares sunt, quoties ad mentis sanitatem fuerint restituti, can. 1, caus. 7, quæst. 2, tertio in iis, qui ob scientiæ defectum a sacris ordinibus sive susceptis, sive suscipiendis repelluntur, quoties studio ed industria doctrinam sibi comparaverint, cap. 11, vers. *item si quis* de renunciat., cap. 2, ætate et qualit. præfic., quarto in iis, qui reddendarum adhuc rationum caussa sunt irregulares, quoties rationes ipsas reddiderint, et fuerint ab eisdem penitus liberati, cap. un.

de obligat. ad ratiocin.; quinto in iis, qui caussa servitutis, militiæ, matrimonii aut non liberi, aut non expediti sunt ad ordines suscipiendos, quoties servus libertatem, miles missionem a militia, maritus assensum uxoris consecuti fuerint, cap. 1, in fine de fil. presbyter., cap. et sequentibus de servis non ordin., secus ac contingat in iis, qui curiæ adscripti sunt, quemadmodum suo in loco demonstratum est, ubi caussa expendebam, ex quibus curiales a sacris ministeriis removentur; sexto denique in iis, qui non legalem, sed popolarem infamiam ex sola delicti suspicione contraxerunt, statim ac omnis suscipio evanuit, puta post canonicam purgationem, cap. 12 et 44, de purgation. canon. Quotquot species huc usque numeratæ sunt, universæ de irregularitate conceptæ sunt intra certum tempus, vel intra certas conditiones circumscripta. Deinde etiam dico, principium positum verum esse, ubi impedimentum nascitur quidem ex certa nota perpetuo inusta, sed quæ deinde certis positis factis, juris accedente potestate, atque auctoritate, quin opus sit hominis dispensatione, deletur. Exemplum est primo in filiis illegitimis, quoties per subsequens matrimonium legitimi esse cœperint, cap. 6, qui fil. legit., item quoties auctoritate pontificis maximi per singulare rescriptum legitimi fiant, dicto cap. 6, juncto cap. 13, eod. tit., quod tamen Sixtus V, anno 1585, definivit locum non habere in cardinalibus. Insuper ego puto locum non habere, ut possint ab illegitime nato obtineri ea beneficia, quæ ex fundatione tantum legitimis conferri debeant, ne alias mens fundatoris eludatur. Differt autem legitimatio a dispensatione, quia legitimatio perfecta undique est, atque ideo totalis a pragmaticis appellatur; at dispensatio tantum ad certum finem obtinetur. Item exemplum est in filiis spuriis, si monachi fiant, aut in cœtu clericorum sub regula vivant, dummodo, ad majora beneficia, idest dignitates, et prælaturas, non adspirent, cap. 1, de filiis presbyter. Nonnulli insuper adjecerunt, per baptismum susceptum omnem pridem contractæ irregularitatis notam aboleri. Id mihi placere non potest, observanti nullam ante baptismum fingi posse irregularitatem contractam, quoniam irregularitas impedimentum canonicum est, atque ii, qui necdum baptizati sunt, canonibus minime subjacent. Neque obstat, quod superius dictum est, ex caussa bigamiæ irregularem dici, qui unam ante baptismum, alteram post paptismum uxorem duxerit; siquidem non inde concluditur, irregularitatem ante baptismum contractam supponi. Tantum quum baptizatus ordinandus est, dicitur irregularis, quia tunc revera bigamus dicitur, propttereaquod revera duplex conjugium celebravit.

Frequentior est modus delendæ irregularitatis ex singulari Antistitis jurisdictionem habentis dispensatione; quæ, si irregularitas ex defectu oriatur, tum demum indulgeri potest, cum quis et talem defectum habeat, quo non obstante adhuc possit officia ordini congruentia gerere, et talem defectum habeat, qui sine alicujus injuria auferatur. Ex priore caussa frustra in suscipiendis ordinibus dispensaretur cum infante, cum furioso, cum eo, qui penitus ignorat, et similibus, argumento, cap. 5, de ætat. et qualit. præfi. Ex posteriore caussa non esset probabilis illa dispensatio, qua ordinaretur servus dissentiente domino, miles dissentientes principe, et maritus dissentiente uxore, et siquis alii impedimentis similibus detinentur. Si vero irregularitas ex delicto proficiscatur, facilius dispensatio indulgeri solet, cum qui irregularitatem contraxit, delicti pœnitentiam egit, et, quod fieri possit, se non adeo indignum sacris ordinibus palam exhibuit, cap. 16, 17, de tempor. ordin., cap. 4, in fine de judic., cap. 4, de cleric. conjug., cap. 1, 2, qui cler. vel nov., cap. 12, de homicid., cap. 2, de cler. ordin. ministr., cap. un. de cler. per salt. prom., cap. 1, 2 et 3, de eo, qui furtive. Porro dispensatio obtenta exemplo omnium jurium singularium strictam semper patitur interpetationem, etiamsi a summo pontifice obtineatur, unde Bonifacius VIII, eum, quem dispensaverat caussa beneficii obtinendi, statuit non posse alterum beneficium impetrare, cap. 1 et 2 de filiis presbyt. in 6.

Ut dispensatio rite obtineatur, tria concurrere oportet. Primum ut revera quis sit irregularis; nam si tantum aliquis de irregularitate dubitaret, si dubium in jure versetur, irregularis minime censendus est, cum irregularitas nullo sit, nisi de qua in jure expresse constet, argumento capituli 18, de sentent. excomm. in 6, secus ac si dubitatio versetur in facto; tunc enim recipienda est juris regula, quæ docet, in dubio tutiorem partem esse eligendam, cap. 12, 18 et 24, de homicid., nisi dubietas non penes eum esset, de cujus irregularitate quæritur, sed penes judicem, apud quem conventus assereret, se certo non esse irregularem, seu, quod idem est, non admisisse delictum, cui irregularitas imminet. In hac specie, dummodo conventus se canonice purget, ab omni irregularitatis nota immunis habebitur, quin opus sit dispensatione, cap. 12 et 14, de purgat. canon. Secundo ad obtinendam dispensationem oportet, ut caussa subsit publicæ seu necessitas, seu utilitatis, aut, si privata tantum utilitas allegetur, talis sit, quæ constitutionibus comprobetur, can. 18, dist. 34, cap. 3, de postul. prælat., cap. 12, 20 et 22, de elect. Agitur in proposito de derogatione publicæ legis, et quemadmodum

ad eam edendam gravis caussa antistites ecclesiasticos concitavit, ita et gravis tantum caussa movere poterit ad eandem relaxandam. Postremo opus est, ut dispensatio ab eo obtineatur, qui dispensandi polleat facultate.

Hinc profecto in gravissimam descendimus disputationem, in qua de potestate ordinariorum quæritur, ac de pontificiis reservationibus, et facile est dissentientes, ac pugnantes interpretes invenire, unumquemque pro variis nationum studiis, ac præjudiciis dimicantem. Passim vulgus interpretum, præsertim italicorum, definiunt, dispensationes hujus generis esse pontifici maximo reservatas, ea de caussa, quia impedimentum irregularitatis ex jure communi proficiscatur, propterea que nihil aliud sit dispensare ab irregularitate, quam dispensare abs jure communi: verentur autem, ne si episcopis, ceterisque ordinariis asserant facultatem dispensandi ab irregularitate, asserant eo ipso facultatem dispensandi ab jure communi, contra definitiones, qua in decretalibus ipsi inveniunt, nimirum in cap. 20, de electione, et in cap. 4, de concess. præbendæ. Tantum adjiciunt exceptionem ad regulam, iis nimirum in casibus dispensationes ordinariorum admittentes, in quibus speciale jus dispensandi facultatem ordinariorum adtribuerit. Imo et ex hoc putant, magis magisque firmari regulam; si enim, ajunt ipsi, certis in casibus jus specialiter eam potestatem episcopis fecit, grave argumentum est, eandem generaliter non competere. Ego sane in hanc ipsam definitionem convenio, libenterque subscribo opinioni tradenti, nullam competere episcopis, ceterisque ordinariis dispensandi ab irregularitate facultatem, nisi specialiter certis in casibus facta fuerit; proindeque dispensationem superiori reservari. Imo et nomine superioris intelligo non proximum, qualis esset metropolitanus in conspectu episcopi, sed unum pontificem maximum. Etenim non ignoro, metropolitanorum jurisdictionem, quamquam sit ordinaria, certis tamen limitibus circumscribi, et tantum in iis casibus competere, in quibus jus definivit, quemadmodum ostendi in tractatione de potioribus ecclesiæ dignitatibus et officiis; non constat autem, metropolitanis hanc facultatem aliquando fuisse concessam: imo adparet, Honorium III, rescripsisse, hanc potestatem archiepiscopis non competere, *cum a canone minime sit permissa*, cap. 15, de tempor. ordinat. At, si candide loqui velim, minime possum convenire in caussam, atque ideo hanc traditionem recipere, quia verum generaliter sit, ordinarios, atque ipsos episcopos non posse abs jure communi certis in casibus dispensare. Mihi semper placuit opinio tradentium, jus commune in bonum publicum generaliter dirigi, proindeque esse ab uno- quoque antistite perpetuo observandum eatenus, quatenus æquitas, dispensationem minime suadet, can. 1 et sequentibus caus. 15, quæst. 1, interea tamen non denegari prælatis, ubi gravis caussa postulet, quidquam remittere, ac relaxare, etiamsi de inferioribus antistibus agatur; statim ac enim *conditor canonis* (verba sunt Innocentii III, in cap. 29, de sentent. excomm.) *ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Et revera id docet antiquissima disciplina, quando legimus in Ancyrana synodo, episcopum potuisse indulgere diaconis, dum ordinarentur, ut valerent conjugia contrahere, quamquam hoc generali lege prohiberetur, can. 8, d. 28. Recentiores quoque pontifices similem indulgendi facultatem in episcopis agnoverunt, quemadmodum constat in specie capituli 16, de temper. ordin., capituli 1 et 2, de ordinatis ab episcopo qui renunc. episc. Quod si, qui contra sentiunt, provocent aut ad capitulum 20, de elect., aut ad capitulum 4, de conces. præbend., dico, adparere quidem ex iis, pontificem maximum non destitui dispensandi facultate adversus sanctiones seu in conciliis, seu in decretis prædecessorum pontificum editas, non tamen adparere, inanem esse quamcumque inferiorem prælatorum dispensationem. Quod si adjiciant, specialiter in jure concessum fuisse ordinariis, ut in certis casibus dispensent, indeque argumentum deducant ad demonstrandum, ordinarios in aliis casibus non expressis, ea facultate carere, observo, hoc argumenti genus parum solidum esse. Nam et ego si eodem argumenti genere, aut simili uti vellem, potius contrarium demonstrarem, ita observando: constat aliquando, expresse pontifici maximo reservatas fuisse dispensationes irregularitatis certis in casibus, quemadmodum in ea irregularitate, quæ contrahitur ab eo, qui divina officia celebrat, dum censura tenetur, cap. 1, de sentent. et re judic. in 6, cap. 1, de sentent. de excomm. in 6, item in ea irregularitate, quæ dicitur ex defectu natalium, cap. 18, de fil. presbyter, juncto can. 12, dist. 56. Ergo in ceteris casibus minime expressis episcopalis dispensatio rite admittetur. Argumenta hujus generis, cum facile suppetant in utramque partem, tum gravia non sunt, propterea quod in jure multa rescripta exhibeantur, quæ non jus novum et speciale constituunt, sed tantum tradunt, quod juxta generales juris regulas fuerit rescribendum.

Itaque ego potius, postquam veluti firmissimum principium posuerim, quo traditur, generaliter dispensationem ab irregularitate pontifici maximo reservari, argumento capituli 18 de fil. presbyt., exceptis iis casibus, in quibus expresse, et specialiter jus episcopis eam

facultatem fecerit, ita edissero. Quandocumque sacri canones notam irregularitatis indixerunt, non tam declaraverunt, quemquam esse certa nota affectum, dua impediretur, ne ad sacra ministeria accedat, quam eo ipso vetuerunt episcopis, ordinariis sacræ ordinationis, et beneficiorum collatoribus, ne ejus generis personas ad ecclesiastica officia promoverent, quasi præceptum non admittendi ad ordines, vel beneficia præcipue in episcopos dirigeretur, can. 59, dist. 50, can. 2, dist. 55, cum similibus bene multis. Et revera cum olim necdum invectum fuisset irregularitatis nomen, nec dici soleret, hunc, vel illum irregularem existere, sacri canones remoturi a sacris ministeriis certum personarum genus, episcopis injungebant, ne ad ordinationem progrederentur. Ita concepta est apostolica Paulli doctrina, ex qua multæ irregularitatis species originem suam trahunt, quando Paullus in cap. 3, epist. 1, ad Timotheum monebat, ut ordinandus episcopus esse deberet unius uxoris vir, seu, quod idem est, non bigamus, item non percussor, non neophytus, præter alias virtutes, quas in eo gradu exoptabat. Quod cum ita sit, non est ferendum juxta rectam rerum bene gerendarum œconomiam, ut is dispensare valeat ab ea lege, quam sibimetipsi impositam deprehendit, ne facile lex ipsa in irritum cadat, cum inanis videatur obligatio imposita illi, qui possit voluntate sua eandem legis obligationem evertere, elevare, argumento legis 8, ff. de obligation. et action. Non alia de caussa et Lucius III, in cap. 2, de bigam. non ordin., et Cœlestinus III, in cap. 3, eod. titul. rescripserunt, episcopos non posse admittere bigamos ad ordinationem, nisi quia apostolica præcepta de non ordinandis bigamis episcopos eosdem urgebant. Huic principio consonat, quod legitur in cap. 9, de ætat. et qualit. præfic. prohibitum erat eligentibus episcopum, ne eum eligerent, qui tantum subdiaconus esset, prohibitione, inquam, in eligentes directa. Nihilominus tamen concessum adparet metropolitano, qui ordinariam jurisdictionem in confirmatione electionis exercebat, ut valeret ab ea irregularitatis specie dispensare, contra quam obtineret in specie capituli 15, de fil. presbyteror., quia ibidem archiepiscopus non ordinariam facultatem explicaturus fuisset, sed penitus extra ordinem, et jure singulari. Consonat quoque huic principio, quod legitur in cap. 6, de ætat. et qualit. præficiend., ubi episcopi arbitrio relinquitur, admittere quosdam irregulares, ubi dispensatio non ex libera voluntate episcopi pendeat, sed episcopus in ea re morem gerat ecclesiasticæ disciplinæ jubenti, clericos beneficia jam possidentes ordinibus initiari. Eadem ratione in cap. 1 et 2 de eo, qui furtive admittitur episcopus ad dispensandos quosdam ab irregularitate contracta in susceptione sacrorum ordinum ignorante, vel invito episcopo: quasi in ea specie, episcopus dispensans non semetipsum a legis auctoritate eximat, sed tantum illos, qui ea ratione ordinationem subripuerunt.

Post firmatam generalem regulam illud superest, ut omnia indicentur exempla, in quibus specialiter obtinuerunt episcopi, ut dispensare valerent. Qua in re distinguendum est jus antiquum, scilicet ante trident., abs jure recentissimo, quale concilium trident. induxit.

Jure antiquo, quod usque ad trident. concilium viguit, distinguere oportet irregularitatem ex defectu proficiscentem ab irregularitate, quæ proficiscitur ex delicto. Et in primis in defectu natalium dispensatio ad unum pontificem maximum generaliter spectat, can. 12, 13, 14, 15, distinct. 56, cap. 20, de elect., cap. 18, de fil. presbyt., cap. 13, qui fil. sint legit., qui tamen eo difficilius dispensare solet, quo turpior est nota irregularitatis, juxta qualitatem illegitimæ nativitatis, c. 10, vers. *unde patet* de renunciatione. Tantum conceditur episcopo dispensare, caussa ordinum minorum, vel beneficiorum, quæ animarum cura destituuntur, c. 1, de fil. presbyt. in 6. Ait ibidem Bonifacius VIII, dummodo beneficium talem sit, *super quo per ipsum episcopum valeat dispensari*; cujus nomine intelligitur beneficium utut simplex, quod pater illegitimi non possederit, aut etiam beneficium non possidendum in ea ecclesia, in qua pater in beneficio utut diverso ministret; etenim in beneficiis hujus generis, quidquid antea vigeret, cap. 5, de fil. presbyt., pontificis maximi dispensatio necessaria est, cap. 9 et 17, de fil. presbyter., quibus jungi, cap. 15, sess. 25, de reform. in concilio tridentino.

De dispensatione a defectu libertatis supervacaneum est quærere, propterea quod si de servis, aut de curialibus agatur, eorum conditio apud christianos ab usu exolevit; si agatur de iis, qui obnoxii sint reddendis rationibus, vix ad quosdam casus superius a me memoratos irregularitas coercetur, et nullibi in eisdem legitur adtributa episcopis dispensandi facultas; denique si agatur de militibus sine consensu principis, aut de maritis sine consensu uxoris ordinandis, nulla concedi solet dispensatio ne fraus fiat juribus vel a principe in milites, vel ab uxore in maritum exercendis.

Ut a defectu corporis dispensetur, multi scripserunt, opus esse auctoritate apostolicæ sedis, argumento canonis 39, dist. 50, et cap. 2, de corpore vitiatis. Alii e contrario tradiderunt, nonnihil in hac parte potestati episcoporum fuisse concessum. Usus obtinuit, ut solus papa dispenset, ubi vitium egregium

sit; tum vero pontifex maximus mandare ordinario solet, ut ipse per se cognoscet, an talia sint facti adjuncta, ut dispensatio sine scandalo valeat indulgeri, ne alias dispensatio eadem in contemtum degeneret sacrorum ministeriorum, dum hæc a monstruosis hominibus obirentur, quemadmodum refert Pyrrhus Corradus in praxi dispensationum l. 3, cap. 5. At si vitium non adeo grave sit, dispensandi facultas episcopo conceditur; quod maxime innititur æquitate; siquidem cum non omnia corporis vitia irregularitatem inducentia definita sint in jure, sed notioni prudentis episcopi remittantur, uti superius tradidi, res esset plena periculi in episcopo cognoscente, si nonnihil remittere, atque indulgere in ea parte non valeret.

Cum defectus animi multiplex esse queat, non in omnibus casibus æqualis est dispensationis disciplina. Si in primis de amente, de furioso, et de eo, qui alienationi mentis subjaceat, agatur, nemo non videt; nonnisi temere sperari dispensationem cujuscumque antistitis auctoritate. Si quæratur de eo, qui ætate minor est, olim cum ætas in sacerdotibus, et diaconis provectior, quam hodie requireretur, episcopis indulgebatur, ut, cum necessitas eligendorum sacerdotum, et diaconorum urget, nec provectiores reperirentur, ordinare valerent eos, qui annum vigesimumquintum nacti fuissent, can. 5, dist. 78, sed generaliter dispensatio a sede apostolica petebatur, quod cautum prescius fuit, ubi quidam episcopi frequens minus providis ordinationibus disciplinæ ecclesiasticæ fraudem faciebant, et minores ætate sine discrimine promovebant, c. 2, 3, de æt. et ord. præfic. juncto c. un. eod. tit. in 6. Non tamen omnino actum fuit de episcopali auctoritate; siquidem in primis permissum fuit episcopis, ut eos possint ad regimen parochialis ecclesiæ advocare, qui intra breve tempus possunt in presbyteros promoveri, c. 5, de æt. et qual. præfic. deinde Bonifacius VIII, expresse etiam permisit, ut episcopi cum iis, qui vigesimum annum compleverint, libere dispensare valeant, caussa obtinendarum dignitatum, vel personatuum, quibus non imminet cura animarum c. un. de æt. et qual. præfic. in 6. Si de iis agatur, qui dicuntur animi lenitate deficere, nullibi legitur, episcopis concessam fuisse dispensandi facultatem, ac propterea dispensatio nonnisi a sede apostolica erit impetranda.

Cum infamia irregularitati caussam dederit, distingui solet inter infamiam popularem, et legalem. Popularis, quæ pendet ex quodam publico admissi criminis rumore, aboletur vel sententia judicis declarante innoxium eum, qui de crimine suspectus erat, vel canonica purgatione suspecti, uti jam superius adnotavi. Legalis infamia vel proficiscitur ex professione, vel ex crimine, aut pœna, vel denique ex pœnitentia publica. Quoties ex professione oriatur, vel professio infamis est ratione habita personæ exercentis, qualis esset clericos; tum vero cessatione ejusdem cleric i, omnis infamiæ nota deletur sine ulla prorsus dispensatione, clem. 1, de vita et hon. cleric vel professio infamis est natura sui, qualis est scenicorum, can. 2, distinct. 33, tum vero nonnisi auctoritate pontificis maximi ea nota deletur. Idipsum dicendum est de infamia, quam quis vel caussa criminis, vel caussa pœnæ contraxit, hæc enim nonnisi summi principis aut restitutione in integrum, aut singulari dispensatione aboletur. Qua in specie, ne passim indigni ad sacra ministeria promoveantur, saluberrime cautum est, ut tum dispensatio concedatur, cum rei criminum insigni pœnitentia novi quodammodo homines honestate vitæ cœperunt palam adparere, can. 18, 19, 20 et 21, dist. 50. Quoties ex pænitentia publica non integra fama fuerit, nonnihil episcopali auctoritati tributum est, ob expressam constitutionem toletani concilii in can. 68, dist. 50. Nimirum poterit episcopus ad sacra officia pœnitentes admittere, si necessitas, aut usus exegerit, in minoribus tantum officiis, aut, si jam diaconi fuerint olim ordinati, etiam in officio subdiaconorum.

Irregularitas, quæ oritur ex defectus sacramenti, quoniam non in eodem genere semper est, varias suscipit regulas. Si in primis agatur de clynicis, qui in infirmitate baptismum susceperant, aperta est definitio concili neocesariensis in can. unico dist. 57, ubi episcopis denegatur facultas eosdem ordinandi, adjecta tamen exceptione, nimirum *si postea ipsorum studium et fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit.* De neophytis concepti ita sunt canones, ut episcopis omnino interdicatur illos ordinare, can. 1 et 2, dist. 48, proptereaque jure ordinario dispensare episcopi nequeunt, non tamen inficias ire possum, episcopis eam facultatem concedi, quoties magna ecclesiæ utilitas dispensandum suadeat, cum id veteres patres et verbis expresse asseruerint, et factis comprobaverint, can. 9, dist. 61. De bigamis quoque observandum est, episcopo adeo facultate destitui ex censura canonum in eorundem ordinatione, ut, si contra canones ordinavissent in sacris ordinibus, ne excepto quidem subdiaconatu, potestate ordinandi carerent, cap. 2 et ult. de bigam. non ordin. quod argumento est, nunquam dispensandi facultatem episcopis fuisse concessam. Tantum legitur, dispensare episcopos sive in bigamia vera, sive interpretativa, ubi minores tantum ordines conferendi essent, aut etiam necessitate urgente subdiaconatus, can. 18, dist. 55. Ast hodie receptum est, ut in qui-

buscumque ordinibus impetranda sit sedis apostolicæ dispensatio, quemadmodum demonstrare conantur, Fagnanus ad titulum de bigamis non ordinandis, et Barbosa de offic. et potest. episc. Allegat. 49, numero 19, neque aliud ego dicerem in conspectu tridentini decreti in cap. 17, in fine sess. 23, de reform. ubi etiam quo casu præsto non sint cœlibes clerici, permittitur episcopis, ut in minoribus ordinent conjugatos, dummodo neminem bigamum ad ea officia in ecclesia gerenda admittant. At enim aliud dicendum est, si agatur de bigamia similitudinaria, ad quam profecto non facile refertur memoratum tridentinum decretum; alias autem constat, ex jure communi permissum esse, ut in hac bigamiæ specie dispensatio episcoporum admittatur, quasi hæc irregularitas non tam ex defectu, quam potius ex delicto proficiscatur, quod definitum est in cap. 4, de cleric. conjugat. et in c. 1, qui clerici vel voventes.

Succedunt aliæ species irregularitatis, quæ nimirum ex delicto proficiscitur. In iis deliciis, quæ contra continentiam clerici admiserint sub matrimonii specie, quod tamen matrimonium nullo modo esse poterat, statuere cœpit Alexander III, posse episcopum dispensare, dummodo clericus pœnitentia maculam delevisset, cap. 4, de clericis conjugat., cap. 1 et 2, qui cler. vel voventes. Id ipsum etiam recipi posse definivit, ubi de aliis illicitis conjunctionibus ageretur, qualia essent adulteria, cap. 4. in fine de judiciis. Imo et adjecit in eodem cap. 4, posse episcopum dispensare in iis criminibus, *quæ sunt minora*, quæ verba interpretatus fuisse videtur Gregorius IX, in cap. ult. de tempor. ordinat. dum scripsit, non tantum in crimine adulterii, verum etiam in crimine perjurii, vel falsi testimonii, posse episcopum dispensare, dummodo ea crimina ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, et reus pœnitentiam exegerit. Hæc adeo vera sunt, ut non solum expressa episcopi dispensatio valeat, sed etiam tacita sufficiat, veluti cum episcopus sciens prudens reum clericum ordinaret, argumento capituli 5, de fil. presb., adeo etiam, ut vix hodie in his criminum generibus irregularitas contrahi dicatur, ob frequentes præsertim tacitas, episcoporum dispensationes. Non tamen ego ausim asserere episcopis similem dispensandi facultatem, quoties agatur de irregularitate, quæ ex hæresi, ex simonia, atque ex reiteratione baptismatis temere facta, proficiscitur, cum nullibi aut in vetustis canonibus, aut etiam in recentioribus decretalibus id constitutum adpareat. Si sermo sit de illicita ordinis susceptione, video quidem in cap. un. de cler. per saltum prom. permissum episcopo fuisse, ut cum eo dispensaret, qui diaconatus ordine prætermisso ad presbyteratum adscendisset. Verum non satis constat, an in proposita specie episcopus ordinaria potestate usus fuerit, an potius ex singulari pontificis maximi mandato dispensaverit. Idipsum de iis dico, qui furtive ordines susceperunt, atque exinde irregularitatem contraxerunt; quamquam enim in cap. 1, 2, et 3, de eo qui furtive, adpareat, ex dispensatione episcopi censuram canonum relaxatam fuisse, ait tamen Cœlestinus III. Episcopum sedis apostolicæ auctoritate dispensavisse, uti liquet ex iis verbis, *poteris de nostra licentia dispensare*, dicto cap. 3 Erga eum, qui non ordinatus sacerdos missarum solemnia celebravit, admissum quidem fuit, ut facti pœnitens ex indulgentia episcopi beneficium consequeretur, cap. 1, de cler. non ordin. min. quoad ceteros autem effectus nullibi legitur, episcopis concessam fuisse dispensandi facultatem. Ex quo deducitur, dispensationem ob irregularitate, quæ proficiscitur ex illicita ordinis exercitione, pontifici maximo reservari. Et revera in cap. 1, de sentent. et re judic. in 6, atque in cap. 1, de sent. excom. in 6, liquet, nonnisi pontificis maximi auctoritate dispensari posse cum iis, qui censuram violaverunt, idest sacra ministeria obiverunt, cum censura tenerentur. Qua in re observandum est, eos, qui a sede apostolica sunt hujus generis dispensationem impetraturi, exprimere debere, pluries a se violatam fuisse censuram, si pluries fuerit violata, ne rescriptum subreptitiis precibus impetretur, propterea que in irritum cedat, cum difficilius pontifices maximi dispensare soleant erga eos, qui frequenti violatione censuræ se maxime temnere ecclesiasticam potestatem facto suo demonstraverunt, cap. 20, de rescriptis. Ab irregularitate, quæ proficiscitur ex homicidio, etiam occulto, non posse episcopum dispensare, liquido constat, quando vel ipse Gregorius IX, qui in quibusdam criminibus eam potestatem episcopis adseruit, expressis verbis homicidium excepit, cap. ult. de tempor. ordinat. quod et probavit concilium tridentinum in cap. 7, sess. 14, de reform. Tantum exceptio est in eo casu, quo dubium sit, an sacerdos homicidium perpetraverit; quo casui, certa arbitrio episcopi indicta pœnitentia, episcopus idem indulgere poterit, ut in minoribus ordinibus administret, aut etiam in clerico in majoribus constituto homicida, cui poterit auctoritate episcopi certum beneficium instar præstimonii concedi, ne is deserta omnino clericali militia ad sæculares professiones transire cogatur, cap. 2, de cleric. pugnant. in duello. Sed id licet Clementis III, temporibus obtineret, abrogatum deinde fuit in tridentino concilio, dicto cap. 7. Addidit tamen ibidem concilium tridentinum, si non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo homicidium admissum sit, quam ob caussam etiam ad sacrorum ordinum, et altaris ministerium,

et beneficia quæcumque ac dignitates jure quodammodo dispensatio debetur, committi loci ordinario, aut ex caussa metropolitano, seu viciniori episcopo, qui nonnisi caussa cognita, et probatis precibus, ac narratis, dispenset. Denique cum de mutilatione agitur, dispensatio ab irregularitate inde profecta, sedi apostolicæ reservatur, nisi agatur de mutilatione, quæ non sit enormis, c. 1, de corpore vitiatis, aut de mutilatione, quam quis bona fide, et ex supina ignoratione curaverit, c. 4, eod. tit., aut etiam de vulnere injecto, ex quo nulla secuta fuerit propria mutilatio, c. 1, qui clerici vel voventes, his enim in casibus nonnihil episcopali auctoritati indulgetur, qua dispensatio post certam peractam pœnitentiam obtineatur.

Jure novo, quod statutum fuit in concilio tridentino, sess. 24, de reform., c. 6, declaratum est, licere episcopis, in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare. Dicitur licere episcopis, ut excludantur inferiores prælati, non vero ut excludantur vicarii episcopatum, quibus hanc facultatem episcopi communicaverint; cujus rei argumentum ex eodem tridentini capite deducitur; etenim in fine capitis cum tridentini patres concedere voluerint potestatem episcopis, non vicariis eorum, absolvendi ab hæresi, id specialiter expresserunt. Dicitur concessa dispensandi facultas, quod non solum locum habet in foro interno, sed etiam in externo, sive quod verba tridentini generalia sont, et non ad unum internum forum coercentur; sive quod tridentini patres in eodem capite concessuri potestatem episcopis tantum in foro interno absolvendi a casibus occultis sedi apostolicæ reservatis, id specialiter expresserunt, sive quod irregularitas, et dispensatio ab irregularitate suapte natura ad externum potius, quam ad internum forum spectat, neque enim dispensatio illa tendit ad bonum privatum, quemadmodum tendit absolutio a peccatis, sed præcipue in bonum publicum, quod versatur in ordinatione administrorum, qui profecto sunt externi fori characteres. Dicitur in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus; nomen autem occulti delicti ex decretalium interpretatione, de eo crimine dicitur, quod notorium non est, videlicet de quo quis non est canonice condemnatus, cap. 7, de cohabit. cleric. et mulier. Dicitur denique excepto homicidio voluntario. Ergo quod statutum videbatur in cap. 7, sess. 24, de reformat., de quadam dispensationis specie impetranda a sede apostolica in homicidio casuali, et necessario, in hoc cap. 6, abrogatum fuit, dum ad solum homicidium voluntarium, quod sane a necessario, et casuali distinguitur, pontificia reservatio dispensationis coercetur. Nemo inde non videt, episcopum posse etiam dispensare a mutilatione, vel vulneratione occulta, quia hæc homicidii nomine minime venit; imo et inde constat, in laudato capite tridentino patres pressisse vestigia Gregorii IX, qui in cap. ult. de tempor. ordinat. concessurus episcopis dispensandi facultatem in quibusdam criminibus, exceperat homicidium. Perspicua igitur est tridentina constitutio, quoties de ea irregularitate sermo sit, quæ proficiscitur ex delictu; quam tamen non facile extendi posse censeo ad irregularitatem, quæ proficiscitur ex defectu, quamvis occulto; etenim cum illa constitutio sit specialis, et adversus generalem disciplinam edita, non facile prorogatur a casibus expressis ad non expressos. Tantum dico, in ea irregularitatis specie, quæ oritur ex defectu, ex eo etiam ipso, quod altum de eandem sit in tridentino concilio silentium, eam facultatem dispensandi episcopis competere, qualis competebat ex jure communi ante tridentinum, quod modo commemorabam. Quid vero, si irregularitas proficiscatur ex duplici caussa, nimirum et ex defectu? Ego puto, in proposito non irregularitatem ex defectu, sed irregularitatem ex delicto attendi oportere, et ab ea licere episcopo dispensare in casibus a tridentino concilio probatis, ac si tantum ex delicto irregularitas diceretur. Grave hujus doctrinæ argumentum depromitur vel ex ipso decreto tridentino. Siquidem patres tridentini, cum episcopis facultatem fecerunt dispensandi ab irregularitate ex occulto crimine proficiscente, specialiter excipiendum voluerunt homicidii crimen: at in homicidio quæ contrahitur irregularitas non solum dicitur pœna criminis, sed etiam quasi nota defectus lenitatis. Quod si caussa defectus lenitatis non potuisset ab hac irregularitate episcopus dispensare, frustra homicidii exceptio inter cetera crimina adjecta fuisset: ergo generaliter verum est, episcopos posse dispensare ab irregularitate ex crimine proficiscente, utut etiam defectus quidam irregularitati caussam præberet. Ex hac ipsa doctrina fluit, eum, qui petit dispensationem etiam a pontifice maximo ab irregularitate proficiscente ex crimine, non teneri petere etiam dispensationem ab impedimento defectus, satisque esse, ut crimen pandat, cujus caussa fuerit irregularis.

CONCLUSIO.

His, ut puto, ex ordine absolutis, postquam, nisi mihi admodum blandior, fecerim satis proposito meo, finem imponendum censui, non solum tractationi susceptæ de criminibus, et modis, quibus rei criminum coercentur, sed et universæ decretalium Gregorii IX, in certam methodum digestarum in-

terpretationi ; et quidem uberi, quamquam compendiaria, ratione, in qua propterea ineunda, ut candide fatear, gravius mihi fuit elaborandum, quam si fusiore oratione, et discussione scolasticorum moribus consentanea, uti in singulis voluissem. Ceterum vehementer lætor, quod multa paucis me exhibuisse intueor, quibus disciplinæ ecclesiasticæ universæ jacerentur saltem necessaria fundamenta. Quoad per vires potui, et brevitati, et perspicuitati studui Quæ multa meis lucubrationibus desunt, facile supplebit pro sua sagacitate, quicumque ad earum lectionem accesserit, cum planum sit, ex contextione principiorum longe plura consectaria deducere : si quid obscurum adhuc occurrat, veniam mihi datum iri confido, dum in multa rerum congerie offusas passim crassiores tenebras diluere conatus sum ; nec adeo valere potuerunt vires meæ, ut meridianam lucem inferrent. Absit autem a me, ut quidquam admiserim, quod Deo, quod ecclesiæ Dei sponsæ, quod ecclesiasticis ordinibus, quod populorum rectoribus displicere quoquo modo possit. Si quid forte hujus generis detegatur, delendum penitus volo, ac si mihi aut nolenti, aut ignoranti excidisset, ratus non aliam esse veram, solidam, ac nunquam pœnitendam doctrinam, quam quæ divinæ voluntati demississime serviat, societatem christianam tranquille foveat, et rempublicam universam pro modo uniuscujusque juvet, siquidem hæc una vere a Deo optimo maximo doctrinarum omnium fonte, et datore luminum descendit, a qua ne alienum animum unquam haberem, optavi semper, et precatus fuit ; si non obtinui, infirmitati, imbecilitatique meæ, cujus plane conscius sum, adscribatur.

FINIS.

INDEX

QUO EXHIBENTUR ORDO ET SINGULARIA ARGUMENTA

TRACTATIONIS

DE CONJUGIORUM JURIBUS

DISSERTATIO V.

PARS II.

DISSERTATIO I. ET PROOEMIALIS.

DISSERTATIO II.

DISSERTATIO III.

DISSERTATIO IV.

INDEX

NOTABILIUM RERUM

QUÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR.

Numerus romanus tomum, arabicus paginam indicat.

D

E

J

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

U

V

X